SCRIPTURÆ SACRÆ

CURSUS COMPLETUS,

EX COMMENTARIIS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS, ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM EUROPÆ CATHOLICÆ, UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS, UNICÈ CONFLATUS;

Plurimis annotantibus presbyteris ad docendos levitas pascendosve populos altè positis.

ANNOTAVIT VERO SIMUL ET EDIDIT

J. P. M^{me}.

EDITIO NOVISSIMA.

TOMUS VIGESIMUS-QUINTUS ET ULTIMUS.

In Epistolas D. Pauli I et II ad Timotheum; ad Titum; ad Philemonem; ad Hebræos, Commentaria.

In Epistolas D. Pauli Dilucidatio.

In Epistolas Catholicas D. Jacobi; I et II D. Petri; I, II et III D. Joannis, et D. Judæ Commentaria.

In Epistolas Catholicas Dilucidatio. — In Apocalypsim Dilucidatio.

In Apocalypsim Commentaria.

Venit apud Editores, in vico dicto:
MONTROUGE,
Juxta portam inferni Parisiorum,
Gallicè: PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER DE PARIS.

1842.

ELENCHUS
AUCTORUM ET OPERUM

QUI IN HOCCE VOLUMINE CONTINENTUR.

—

PEQUIGNY. — JOANNES A GORCUM. — ESTIUS. — CORNELIUS A LAPIDE.

In Epistolas D. Pauli I et II ad Timotheum; ad Titum; ad Philemonem; ad Hebræos, Commentaria.

WOUTERS.

Quæstionum selectarum in Epistolas D. Pauli Dilucidatio.

FROMONDUS.

In Epistolas Catholicas D. Jacobi; I et II D. Petri; I, II et III D. Joannis, et D. Judæ, Commentaria.

WOUTERS.

In Epistolas Catholicas Dilucidatio.

IDEM.

Quæstionum selectarum in Apocalypsim D. Joannis Dilucidatio.

GAGNÆUS. — BOSSUET.

In Apocalypsim Commentaria

—

INDEX RERUM.

EX TYPIS CATHOLICIS MIGNE,
In vico dicto : MONTROUGE,
Juxta portam inferni Parisiorum,
Gallicè : PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER DE PARIS.

MONITUM.

Hunc igitur *Cursum Scripturæ sacræ completum*, cum totâ prostrati animi demissione, Sanctæ Sedis judicio libens submitto; et, si quid, vel immodicâ celeritate abreptus, vel scientiæ infirmitate delusus, vel immensâ millium arduarumque rerum copiâ distractus, sanctum dogma, sanctam moralem, sanctam disciplinam tantisper lædens, inscius certè non ultroneus ediderim, totum istud heterodoxum absque misericordiâ citò sit anathema. Quæcumque autem in operibus meis approbaverit GREGORIUS XVI, cum summâ suî laude et summo Ecclesiæ bono feliciter regnans, festinus approbo; quæcumque ut minùs rectè sonantia damnaverit, damno; quia scientia mea, coram scientiâ Domini mei, Doctoris mei, Judicis mei, tanquàm lucernula coram sole meridiano evanescit. Ego enim, ut quivis omnimodè catholicus, sanctam Ecclesiam Romanam, cujus summus Pontifex visibile solus est et immediatè caput, sub Christo invisibili capite, profiteor esse matrem dominamque omnium Ecclesiarum, centrum unitatis, fontem omnis jurisdictionis, interpretem omnis veritatis, normam omnis justitiæ, judicem omnis controversiæ, custodem infallibilem et indefectibilem doctrinæ sanctæ; ex his autem quibus pollet Ecclesia titulis, ipsa decus et potestatem adipiscitur, mihi verò totidem protinùs incumbunt officia.

Si enim mater est Ecclesiarum quæ ipsæ parturientes et fœcundæ sunt oves, quantò magis et mater est meî, inter agnellos infirmissimi, nihil ex me meisque viribus creare valentis! Imò illa mihi mater est præ cæteris matribus; nati siquidem qui matre indiguerunt ut in lucem venirent, labentibus annis corroborati, suis necessitatibus abundè suppetere possunt; ego verò nec sine eâ nasci, nec sine eâ vivere queo; vitis enim est gemmam suam germinans et nutriens; quocumque momento ab ejus vitâ vita mea discesserit, pereo, perii. Cùm verò mater mea sit, oportet ut quasi infantulus nomen ejus semper in ore, bonum ejus semper in mente, amorem ejus semper in corde feram, illius lætitiis lætus, illius doloribus dolens.

Si omnium domina est Ecclesiarum, quantò magis est humillimi domina sacerdotis! Hujus ergo præceptis impulsibusque docilem me præstare debeo, solius ejus scientiæ sciens, solius ejus sapientiâ sapiens.

Si centrum est unitatis, nusquàm aliò centrum illud mihi investigandum, ac propterea omne prorsùs abjicere debeo quod se ab eâ sejungit, omnique adhærere quod ei adhæret. Extra eam scilicet omnes, vel schismatici frangunt unitatem, vel hæretici quamdam veritatem abnegant; aut erroris alicujus venenum diffundunt.

Si omnis jurisdictionis fons est, memetipsum non possum mittere; cum eâ debeo consociari, nec ullam mihi veram potestatem creditam arbitrari, nisi quam ipsa *mediatè* vel *immediatè* commiserit.

Si omnis est veritatis interpres, meas omnes cogitationes ipsi submittere debeo, ideòque tanquàm verum credere et amplecti quod illa verum pronuntiârit, falsum verò habere et abominari, quod tanquàm falsum explōderit vel notâ affecerit.

Si omnis est justitiæ regula, omnes illi actiones meas debeo subjicere, ac tanquàm bonum approbare quod ipsa bonum declaraverit, malum autem repudiare quod ipsa malum edixerit.

Si omnis controversiæ judex est, omnes meas difficultates ejus pedibus debeo substernere; omnemque rem quamlibet claram, certam ac definitam agnoscere, statim ut illa pronuntiaverit. *Roma locuta est, causa finita est.*

Si divini fidei moralisque depositi custos infallibilis est, credere debeo omnes quas tulit

approbationis sententias justas esse, omniaque doctrinalium damnationum decreta quæ condidit, meritissima. Eam insuper solam audire debeo, quoniam ipsa sola, seu dubitantis animi cruciatus comprimens, seu errantis ingenii nubes discutiens, intellectûs mei instabiles motus sistere potest, si omne quod credendum docet crediderim, quia omne quod verum est credam; ipsaque sola pacem cordi meo infundere, omnem scilicet ab eo remorsûs ac stimuli possibilitatem amovendo, si omne quod agendum præscribit egerim, quia omne quod bonum est agam.

Si indefectibilis est, non inter ista versatur quæ vitæ mortisque vices per recentiora decem et novem secula subierunt; è contra fixum animis esse debet omne quod extra Ecclesiam vivit morti esse obnoxium, quantùmvis exteriori sanitatis specie diuturnitatem longævitatemque ominetur.

O sancta Romana Ecclesia! qualem te Christus stabilivit, titulisque et prærogativis honestavit, ita in religione necessariam te profiteor, ut nisi divinitùs extares, creanda ab hominibus esses, spirituum orbem regendi et componendi causâ. Tibi ex præcordiis inhærendum; et, eò quòd sis, gratiæ Deo litandæ sunt in perpetuum.

O sancta Romana Ecclesia! quotquot, post Christum, edidisti oracula typis celebrare jamjam gestio speroque, ut apprimè noscat orbis universus quantâ, in omni tempore, sapientiâ, doctrinâ, providentiâ, sanctitateque eminueris.

O sancta Romana Ecclesia! si te verbo quolibet unquàm lædere audeam, adhæreat lingua mea faucibus meis, quippe matricida foret; et si quid adversùs te dextera mea delineare audeat, arescat et oblivioni detur, quippe matricida foret.

O sancta Romana Ecclesia! quotiescumque aliquid de te faustum audio, nempe populum quemdam qui sedebat in umbrâ mortis ad lumen tuum accessisse, vel magni nominis peccatorem in gratiam tecum rediisse, vel scriptorem quemdam impium iisdem quibus antea te lacessiverat armis, amicum nunc te adjuvare, tunc dilatatur cor meum ac gaudio superabundat. È contra, si quis te calumniis aut facinorosis operibus insectatur, si quis te deserit, immenso dolore affligor; sed te eò majori veneratione eòque magis filiali amore prosequor quò te sæviores appetunt injuriæ, aut molestiores attingunt proditiones; eò arctiori vinculo tibi adhæreo, quò insolentiùs tua potestas contemnitur; quia spretæ dignitatis sublimitati, accedit magni decus infortunii, sacraque nobilium in te corona ærumnarum. Plagas tuas osculis operio et lacrymis irrigo, ex illisque spero, sicut olim è cruore martyrum, emergas patientiâ gloriâque eminentior. Quid tibi persecutiones, quid proditiones, quid calumniæ, quid apostasiæ, nisi coram sole nebulæ? Aliquantisper fulgorem ejus obscurare videntur; intactum verò ab his inviolatumque sidus procedit, tanquàm sponsus è thalamo. In te senilis majestas juvenili robori sociatur, quia Fundatoris tui ad exemplum, formâ enites semper antiquâ semperque novâ.

O sancta Romana Ecclesia! quid de te sentiam aperui, intima mea tibi patent; gaudebo, et sufficit mihi, si, quamvis ex me ipso nec scientem nec sapientem, in agendo me stimulaverint pura causa, et purus finis, gloria nempe Dei ac Virginis Deiparæ, tuique ipsius bonum, et Cleri catholici decus.

Et sic me adjuvet Deus Optimus Maximus, tueatur immaculata Virgo Maria, aspectu excitet Ecclesia, exoptetque Clerus ut alios omnes sanctæ doctrinæ ramos, Biblicorum ac Theologicorum instar, magis ac magis faustè indefessus excolam!

L'Abbé MIGNE.

SEQUUNTUR PICONII, ESTII ET CORNELII A LAPIDE IN D. PAULI EPISTOLAS COMMENTARIA.

IN EPISTOLAM I AD TIMOTHEUM

Præfationes.

Timotheus, Lystris in Lycaoniâ natus, ex patre gentili, et matre Judææ, sed christianâ, cui nomen Eunice, in Christi fide fuit educatus, et à pueritiâ sacris Litteris eruditus, et, ob egregias animi dotes, maximæ apud suos concives et vicinos existimationis, et propter hæc omnia S. Paulo apostolo ita gratus, ut, cùm Lystram pervenisset, Timotheum, licèt juvenem et adolescentem, assumpserit suæ peregrinationis comitem et prædicationis socium; Act. 16, v. 3.

Quantùm autem apud talem, et tantum doctorem et magistrum tam egregius discipulus profecerit in fide, in sacrâ doctrinâ, in omni sanctitate, et in apostolico animarum zelo, testis sit nobis, et quidem indubitatus, ipsemet apostolus Paulus, qui hâc in Epistolâ, cap. 10, v. 2, Timotheum vocat *filium suum dilectum*. Græc., γνησίον id est, germanum.; Syr., *verum;* Arab., *sincerum,* id est, præ cæteris omnibus verum, legitimum, in nullo degenerem, sed qui patrem per omnia refert.

Et ad Philipp. 2 cap., v. 20: *Neminem,* inquit, *habeo mihi tam unanimem;* quasi Thimotheus eumdem animum, idem cor, eumdemque sensum haberet ac Paulus; et quasi, ut ait D. Chrysostomus, factus fuisset novus Paulus.

Ex hâc Timothei cum D. Paulo unanimitate, quidni factum credam? Quòd Paulus suis in Epistolis Timothei nomen tam sæpè cum suo nomine miscet et conjungit, quidni et factum putem? Quòd Paulus Timotheum, quasi suum à latere legatum, frequenter mittit quò non potest ipsemet ire; quidni et quòd Epheso Paulus à fabris Dianæ compulsus exire, Timotheum ibi reliquit episcopum, imò archiepiscopum et primatem, qui Evangelii semina à Paulo projecta foveat et excolat tanquàm Paulus alter?

Huic ergo admirabili Timotheo non Ephesinæ Ecclesiæ tantùm episcopo, sed et omnium Asiæ Minoris Ecclesiarum primati, binas Paulus scripsit Epistolas, ut eum non tanquàm christianum quemlibet, sed tanquàm plebis christianæ doctorem, instituat de iis quæ seu agere, seu docere debeat.

Ac primò quidem in hâc priori Epistolâ illum instruit de doctrinâ, seu quid non docendum, quid verò docendum.

Deinde de cultu Dei, quòd ante omnia Deus sit orandus, à quibus, ubi, et quomodò.

Tertiò de ordinatione ministrorum; quæ in episcopo et diacono dotes requirantur, et consequenter qualis ipse debeat esse, et quales ordinare.

Quartò prædicit suboriturās hæreses, contra quas Timotheum præmunit et armat.

Quintò, docet eum quomodò erga omnes et singulos fideles, pro varietate statuum, s.ggerere debeat.

Sextò, servos docet obedientiam; divites humilitatem et liberalitatem: denique Timotheum hortatur ad omnia vitia fugienda, ad omnem justitiam sedulò sectandam; inprimis verò ut fidei depositum servet, novaque vitet dogmata.

Et hæc est hujus Epistolæ substantia.

Ubi autem, et quando scripta fuit hæc prior ad Ti-

Duæ Pauli ad Timotheum Epistolæ, et una ad Titum, argumenti ratione similes inter se, atque affines sunt. Instruunt enim episcopum, et præcipuas ejus officii partes explicant. Quanquàm id præ reliquis duabus uberiùs, atque operosiùs in primâ ad Timotheum Epistolâ præstatur. Cujus quidem scribendæ fuit occasio, quòd Apostolus Epheso discedens, Timotheum illi civitati episcopum præfecisset, demandatâ ei curâ ut adversùs judaizantes alioque evangelicæ doctrinæ corruptores, qui partim exorti jam erant, partim exorituri ab ipso prævidebantur, sedulò vigilaret. Nam Timotheum à Paulo fuisse ordinatum Ephesinæ Ecclesiæ episcopum, præterquàm quòd ex hâc ipsâ Epistolâ satis intelligitur, auctores sunt Eusebius, lib. 3 ecclesiast. Hist., cap. 4, et Sophronius apud Hieronymum in catalogo, quorum posterior etiam testatur eum ibidem glorioso martyrio coronatum. Hunc igitur Apostolus instituit, non ut Christianum quemlibet, sed ut christianæ plebis episcopum atque doctorem: tametsi non solius Timothei causâ scripta est hæc Epist., sed ut in illo omnes Ecclesiarum antistites, officii sui rectè administrandi præcepta acciperent. Primùm autem Timotheum commonefacit injunctæ sollicitudinis, et vigilantiæ contra eos qui legem fabulasque judaicas Evangelio miscebant. Præcipit deindè publicas orationes pro omnibus fieri, subjungens obiter quomodò mulieres in ecclesiâ gerere se debeant. Mox quales ordinandi sint episcopi et

motheum Epistola, variant auctores. Quod locum quidem, aliqui juxta Græcum et Syriacum volunt quòd è Laodiceâ scripta sit; alii probabiliùs putant è Macedoniâ, idque videtur insinuatum 1 cap., v. 3. Ita Baronius, Estius, etc.

Jam verò circa tempus major est apud auctores variatio. Baronius, et post *ipsum plerique* volunt scriptam esse anno Christi 57, post primam, et ante secundam ad Corinthios; at recentiores aliqui, re, ut putant, accuratiùs examinatâ, volunt multò tardiùs scriptam, scilicet anno 64, juxta Dominum de Tillemont, imò anno 66, juxta P. Mauduit.

Hæc studioso lectori examinanda relinquo; videat P. Mauduit, analys. in præfatione primæ Epistolæ ad Timotheum, et in dissertatione 2.

Videat et D. de Tillemont, *Mémoires sur saint Paul, art.* 47, *l'an de Jésus-Christ* 64; *et note* 74 *sur saint Paul.*

Porrò omittendum non puto quòd hæ ad Timotheum et ad Titum Epistolæ vocentur hierarchicæ, quia docent ea quæ ad ecclesiasticam disciplinam instituendam spectant, et quia sic ad Thimotheum et ad Titum scribit Apostolus, ut et ad omnes Ecclesiæ antistites pleraque sua verba dirigat, quibus discant quales esse, et qualiter regere, debeant.

Hinc D. Augustinus, de Doct. christ., lib. 4, cap. 16, *omnes episcopos et Ecclesiæ ministros hortatur* ut has Epistolas præ oculis semper habeant, easque continuè legant et meditentur, tanquàm sibi scriptas.

diaconi præscribit. Quarto capite præmunit, in Timotheo, Ecclesiam contra futuras atque instantes hæreses. Post hæc, variis eum doctrinis instruit, ut de senioribus et junioribus admonendis, de viduis alendis, de presbyteris honorandis ac judicandis : item de servorum officio, de vitandâ avaritiâ, de divitibus hujus seculi, deque aliis in genus, quæ omnia mirificè *conferunt ad rectam Ecclesiarum gubernationem.* Porrò quis Timotheus fuerit, ex Actis apostolicis et Paulinis Epist. perspicuum est : fuit sanè, ut conjunctissimus ita et probatissimus Pauli discipulus; de quo Philipp. 2 : *Neminem,* inquit, *habeo tam unanimem, qui sincerâ affectione, pro vobis sollicitus sit.* Scripta est autem hæc Epist. posteaquàm Paulus Epheso relictâ, sicut habetur initio 20 cap. Actorum, profectus esset in Macedoniam. Id quod ipsius Epist. verba statim initio declarant. Unde, cum cardinale Baronio, colligimus in Macedoniâ scriptam esse. Nam quod è Laodiceâ missam, quæ civitas est Asiæ *minoris, loquuntur argumenta quædam* et subnotationes, rationem non habet : præsertim cùm affirmet ipse Apost. in Epist. ad Colloss. longè posteriùs scriptâ, cap. 2, se Laodicensibus visum non fuisse. Quo etiam argumento dudùm ostendimus illum locum, Coloss. 4: *Et eam quæ Laodicensium est, vos legatis,* de Epist. aliquâ Pauli quam is Laodicææ scripserit, non posse intelligi.

IN PRIMAM AD TIMOTHEUM EPISTOLAM Commentaria.

CAPUT PRIMUM.

1. Paulus, apostolus Jesu Christi secundùm imperium Dei Salvatoris nostri, et Christi Jesu spei nostræ :

2. Timotheo dilecto filio in fide. Gratia, misericordia et pax à Deo Patre et Christo Jesu Domino nostro.

3. Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi, cùm irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam ne aliter docerent,

4. Neque intenderent fabulis, et genealogiis interminatis; quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem Dei, quæ est in fide.

5. Finis autem præcepti est charitas de corde puro, et conscientiâ bonâ, et fide non fictâ :

6. A quibus quidam aberrantes, conversi sunt, in vaniloquium.

7. Volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

8. Scimus autem quia bona est lex, si quis eâ legitimè utatur :

9. Sciens hoc quia lex justo non est posita, sed injustis et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis

CHAPITRE PREMIER.

1. Paul, apôtre de Jésus-Christ par l'ordre de Dieu notre Sauveur, et de Jésus-Christ notre espérance;

2. A Timothée son cher fils dans la foi. Que Dieu notre Père, et Jésus-Christ notre Seigneur vous donnent la grâce, la miséricorde et la paix.

3. Je vous prie, comme je l'ai fait en partant pour la Macédoine, de demeurer à Ephèse, et d'avertir quelques-uns de ne point enseigner une doctrine étrangère,

4. Et de ne point s'arrêter à des fables et à des généalogies sans fin, qui servent plutôt à exciter des disputes, qu'à fonder par la foi l'édifice de Dieu.

5. Or, la fin des commandements c'est la charité qui naît d'un cœur pur, d'une bonne conscience et d'une foi sincère,

6. Dont quelques-uns se détournant, se sont égarés en de vains discours,

7. Voulant être les docteurs de la loi, et ne sachant ni ce qu'ils disent ni ce qu'ils affirment.

8. Or, nous savons que la loi est bonne, si on en use selon l'esprit de la loi,

9. En reconnaissant que la loi n'est pas pour le juste, mais pour les méchants et les esprits rebelles

tis et contaminatis, parricidis et matricidis, homicidis,

10. Fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus et perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur,

11. Quæ est secundùm Evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi.

12. Gratias ago ei qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio :

13. Qui priùs blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus; sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.

14. Superabundavit autem gratia Domini nostri, cum fide et dilectione, quæ est in Christo Jesu.

15. Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.

16. Sed ideò misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui crediturì sunt illi, in vitam æternam.

17. Regi autem seculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor et gloria in secula seculorum. Amen.

18. Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundùm præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam,

19. Habens fidem, et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt :

20. Ex quibus est Hymenæus, et Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.

pour les impies et les pécheurs, pour les scélérats et les profanes, pour les meurtriers de leur père ou de leur mère, pour les homicides,

10. Pour les fornicateurs, les abominables, les voleurs d'esclaves, les menteurs, les parjures, et s'il y a quelque autre chose qui soit opposée à la sainte doctrine,

11. Qui est selon l'Evangile de la gloire de Dieu bienheureux, l'Evangile qui m'a été confié.

12. Je rends grâces à Notre-Seigneur Jésus-Christ, qui m'a fortifié, de ce qu'il m'a jugé fidèle, en m'établissant dans son ministère;

13. Moi qui étais auparavant un blasphémateur, un persécuteur et un ennemi outrageux : mais j'ai obtenu miséricorde de Dieu, parce que j'ai fait tous ces maux dans l'ignorance, n'ayant pas la foi.

14. Et la grâce de Notre-Seigneur s'est répandue sur moi avec abondance, en me remplissant de la foi et de la charité qui est en Jésus-Christ.

15. C'est une vérité certaine, et digne d'être reçue avec une entière déférence, que Jésus-Christ est venu dans ce monde sauver les pécheurs, entre lesquels je suis le premier.

16. Mais aussi j'ai reçu miséricorde, afin que je fusse le premier en qui Jésus-Christ fît éclater son extrême patience, et que je servisse d'exemple à ceux qui croiront en lui, pour avoir la vie éternelle.

17. Au Roi des siècles, immortel, invisible, à l'unique Dieu, soit honneur et gloire dans les siècles des siècles. Amen.

18. Ce que je vous recommande donc, mon fils Timothée, c'est qu'accomplissant les prophéties qu'on a faites autrefois de vous, vous vous acquittiez de tous les devoirs de la milice sainte,

19. Conservant la foi et la bonne conscience, à laquelle quelques-uns ayant renoncé ont fait naufrage en la foi.

20. De ce nombre sont Hyménée et Alexandre, que j'ai livrés à Satan afin qu'ils apprennent à ne plus blasphémer.

ANALYSIS.

Præmissâ salutatione Timotheo propriâ et singulari, v. 1 et 2, Apostolus Timotheum instruit de doctrinâ.

Ac primò abstinendum à vanis quæstionibus : hinc obsecrat illum ut sese viriliter opponat quibusdam legis doctoribus fabulas inutiles et genealogias quæ lites generant docentibus, v. 3 et 4.

Docenda verò sunt quæ fidem, charitatem et bonos mores promovent, quia charitas scopus est legis, v. 5.

A scopo itaque aberrant illi doctores ad vaniloquia conversi, legemque ignorant, cujus se doctores esse gloriantur, v. 6, 7.

Hoc dicens in eos, ait Apostolus, homines carpo, legem non vitupero : lex enim in se bona, sed eâ utendum juxta scopum legis, v. 8.

Inprimis autem sciendum quòd lex justis non est posita, sed peccatoribus et sceleratis, quales erant plerique Judæi, et ideò ob legem sibi datam non est eis ita gloriandum, v. 9, 10, 11.

Paulus, facto sibi sensim sine sensu à lege ad Evangelium sibi creditum transitu, Deo gratias agit ob misericordiam sibi exhibitam, quâ ex blasphemo factus fuit apostolus, v. 12, 13, 14.

Hæc Dei in Paulum misericordia debet omnibus peccatoribus spem et fiduciam inspirare, eisque suadere quòd venit Christus peccatores salvos facere, v. 16.

Ob id rursus Deo gratias agit, v. 17.

Denique Timotheum hortatur ad benè juxta regulam hîc sibi traditam decertandum in fide et bonâ conscientiâ, sine quâ timendum fidei naufragium, quale accidit Hymenæo et Alexandro.

PARAPHRASIS.

1. Paulus apostolus Jesu Christi ex mandato Dei, nostræ salutis auctoris, et ex mandato Jesu Christi, in quo spes nostra,

2. Timotheo, suo in fide germano filio : gratia tibi sit et misericordia et pax à Deo Patre nostro, et à Jesu Christo Domino nostro.

3. Rogo, sicut et rogavi te, Epheso discedens in Macedoniam iturus, scilicet ut Ephesi remaneres, et quibusdam præciperes ne aliter docerent quàm nos.

4. Neque judaicis fabulis intenderent et longissimis generationum narrationibus, quæ disputationes pariunt, pietatem verò non promovent, quæ per fidem ædificatur.

5. Præcepti divini scopus est charitas, procedens à voluntate pravis cupiditatibus purificatâ, ex conscientiâ bonâ, et ex fide sincerâ.

6. A quibus (charitatis conditionibus, et ab ipsâ charitate, legis scopo) aberrantes illi doctores, ad vaniloquia deflexerunt.

7. Ambiunt magisterii titulum et honorem, et ipsi legem et legis scopum ignorant; et ea de quibus audacter affirmant non intelligunt.

8. (Hoc in eos dicens, legem non vitupero;) scimus quia bona est, si quis eâ, juxta legis scopum, utatur.

9. Inprimis si sciat quòd lex data non est ad coercendos justos, sed exleges et effrenes, impios et flagitiosos, nefarios et prophanos, partricidas et matricidas, homicidas,

10. Scortatores, masculorum concubitores, mancipiorum fures, mendaces et perjuros; et in universum omnes quoscumque, quorum vita contraria est sanæ doctrinæ, rectæque morum institutioni.

11. Quæ sana doctrina concordat cum Evangelio Dei summè beati, gloriam nobis promittente, cujus Evangelii prædicatio mihi commissa est.

12. Gratias ago Domino nostro Jesu Christo, qui mihi vires ad id suppeditavit; gratias, inquam, ago, quia fidelem me judicavit, cui tantum committeret ministerium.

13. Mihi scilicet qui priùs fui blasphemus, et persecutor, et hostis contumeliosus: sed Deus meî misertus est, quia per ignorantiam feci, et cùm adhuc essem in tenebris incredulitatis.

14. In me autem superabundavit gratia Domini nostri, cum fide et dilectione christianâ (at in me non constitit Dei misericordia).

15. Veritas certa est, et digna planè quam recipiant omnes, scilicet quòd Christus Jesus in hunc mundum venit ut peccatores salvaret, quorum ego sum pessimus.

16. Sed propterea meî misertus est Christus Jesus, ut in me, primo et maximo peccatore, summam patientiam et misericordiam suam ostenderet, ad exemplum et consolationem eorum qui crediturî sunt in ipsum ad vitam æternam.

17. Ob hoc æterna gloria, æternusque honor, sit unico solique Deo, seculorum temporumque omnium Regi immortali et invisibili. Amen.

18. Totam doctrinam præcedentem, seu hoc præceptum, de quo in hoc capite, commendo tibi, fili mi Timothee, ut juxta prophetias de te factas, illisque respondens, bonam milites militiam.

19. Fidem servans sinceram, bonamque habens conscientiam, quam, quia repulerunt quidam, fidei naufragium, seu jacturam fecerunt.

20. E quorum numero est Hymenæus et Alexander, quos per excommunicationem tradidi Satanæ, in corpore cruciandos, ut discant non amplùs blasphemare.

COMMENTARIA.

Vers. 1.— Paulus, apostolus Jesu Christi... Officii sui dignitatem hìc ascribit, ut Epistolæ suæ conciliet auctoritatem, non apud Timotheum, Paulo obsequentissimum, sed apud omnes, ac præsertim apud Ecclesiæ ministros, qui hanc Epistolam legerint. Ut enim in præfatione dixi, sic ad Timotheum scribit Apostolus, ut et ad omnes Ecclesiæ antistites et ministros pleraque verba sua dirigat, quibus edoceat eos quales ipsi debeant esse, et qualiter in domo Dei sese gerere. Hanc itaque Epistolam unusquisque Dei minister legat ac meditetur, tanquàm sibi sub Timothei nomine à D. Paulo directam, usibusque suis adaptet ea quæ ad suum ministerium spectant.

Secundum imperium Dei. Græc., *secundùm ordinationem.* Syr., *ex mandato.* Quasi diceret: Non sponte meâ, sed per mandatum Dei, seu à Deo jussus, apostolatum suscepi. *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos;* Act. 13, v. 2. *Vade, quoniam ego in nationes longè mittam te;* Act. 22, 21. *Dei* Salvatoris nostri, id est, qui est nostræ salutis auctor; quippe qui *sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

Et Christi Jesu, spei nostræ, id est, qui est spes nostra, in quem et per quem speramus salutem.

Vers. 1. — *Paulus, apostolus Jesu Christi,* etc. *Secundùm imperium,* id est, delegationem, mandatum, præceptum Dei. Q. d.: Per mandatum Dei apostolatum accepi. Christus ad Paulum sic ait: *Ad gentes longinquas mittam te,* Act. 22.

Observatio moralis.

Ecclesiasticæ potestatis origo est Dei voluntas, Deique jussus. Ante omnia in quocumque Ecclesiæ ministro requiritur Dei vocatio. Et ideò hanc suam vocationem Apostolus pro cæterorum fundamento ponit. Attendat hic sibi Dei minister, et vocationis suæ requirat originem, an Dei jussu ministerium suscepit, an verò sponte suâ, hominum arbitratu, aut favore. Pœnitentia reparet quæ vocationi suæ defuerunt; humilis et supplex divinam imploret gratiam, eòque abundantiorem quò magis defuit prima vocationis gratia. Suum coram Deo renovet ingressum in ministerium; illud suscipiat ad obediendum Deo, hominum salutis auctori; ad cooperandum Christo, hominum Salvatori. Dei minister est in hominum salute procurandâ; Dei itaque Salvatoris imperio perfectè subdatur. *Secundùm imperium Dei salvatoris* agat. Christi Salvatoris nostri cooperarius est in salvandis hominibus; Christi itaque Spiritu animetur, et charitate moveatur.

Vers. 2. — Timotheo dilecto, Græc. γνησίῳ, *germano.* Syr., *vero*, id est, legitimo, non degeneri, sed patri simillimo.

In fide. Non quòd in fide genuerit illum, ut ex præfatione patet, sed quia in fide eum excoluit, ple-

Vers. 2. — *Timotheo dilecto filio in fide;* in quâ fide, ipse mihi sincerus, verus et germanus est filius, æmulusque paternæ doctrinæ et virtutis.

Gratia, misericordia et pax à Deo patre, et Christo Jesu Domino nostro. Hoc loco *misericordiam* interpo-

niùs instruxit, sibique simillimum et unanimem fecit; ad Philipp. 2, v. 20. Omnis Christianus, omnis præsertim Ecclesiæ minister, debet esse, sicut et Timotheus, apostolorum filius germanus, verus, legitimus, unanimis; eamdem cum illis fidem habens, eumdem animum, idem cor, eamdem charitatem, eosdem sensus, et mores. Sed heu! quot spurii, quot degeneres, quot in quorum mente, corde, sensibus et moribus, nihil apostolicum! *Væ filii desertores*, Isai. 30, 1. *Attendat sibi quisque*, et se cum apostolis conferat.

GRATIA, MISERICORDIA ET PAX. Omnibus aliis gratiam et pacem optare solet Apostolus; Timotheo charissimo filio suo misericordiam, ipsum gratiæ et pacis fontem, etiam apprecatur. Quare? primò, quia ex majori et paterno affectu majora ei exoptat. Secundò, quia ex eodem affectu metuit ei, et ejus nomine tremit. Tertiò, quia præceptores et prælati majore opus habent misericordiâ, ait D. Chrysostomus, et Theophylactus. Quartò, ut ex Ruperto refert Cornelius à Lapide, quia Timotheus erat, sicut aliqui juvenes episcopi et inexperti, in objurgando et castigando severior et acrior. Vide Cornelium ibidem explicantem quæ fuerit Angeli Ephesi culpa, de quâ in Ap., c. 2.

A DEO PATRE, *à quo* scilicet *omne datum optimum, et à* CHRISTO JESU, *per quem maxima nobis et prætiosa promissa sunt*, 1 Petr. 2.

VERS. 3.— SICUT ROGAVI TE. Supplendum, rogo te, sicut rogavi. Vel, fac sicut rogavi. Velim ut facias sicut, etc.

Ad majorem hujus versûs intelligentiam, supponendum est ex Actis apost., cap. 20, quòd Paulus Epheso discedens, vocavit discipulos, etc. In hâc verò Epistolâ supplendum est quòd Timotheus erat inter illos; quòd Paulus eum per manuum impositionem constituit episcopum Ephesiorum; quòd illi mandavit ut injuncto officio intenderet, ac præsertim ut doctores inutilia et noxia docentes cohiberet. Hoc supposito, rogo te, *sicut et rogavi* Epheso discedens et in Macedoniam proficiscens, primò UT REMANERES EPHESI, seu ut illius Ecclesiæ curam susciperes, ibique resideres ad docendum et ad regendum. Episcopus residere debet, ut suum accuratè gerat officium. Secundò, UT DENUNTIARES QUIBUSDAM. Syr., *ut præciperes*. Hoc verbum auctoritatem denotat. Hinc benè infertur quòd illi quidam, quos Apostolus non nominat, Christiani erant; ex Judæis scilicet qui Judaismum Christianismo miscebant; nec enim extraneis præciperet episcopus. Judaizantes ergo intelligit qui fideles ad legem conabantur attrahere.

NE ALITER DOCERENT; supple, quam nos. Seu, ne diversam ab Evangelio doctrinam quod ubique prædicamus. Episcopus falsa et inutilia, et ab Evangelio aliena docentes, cohibere debet.

VERS. 4. — NEQUE INTENDERENT FABULIS, id est, falsis et fabulosis traditionibus, Judaicis scilicet, quales multæ leguntur in Talmud et apud Rabbinos.

ET GENEALOGIIS INTERMINATIS, id est, longissimis et quasi infinitis, quibus conabuntur Judæi genus suum ab Abraham deducere. Hinc que gloriabantur, tum ob generis sui antiquam nobilitatem, tum ob hanc tam antiquarum generationum scientiam, ut notat D. Chrysostomus. Ante Christum illæ genealogiæ utiles erant, ut Judæi suam scirent tribum, et terræ portionem suæ tribui assignatam, et maximè ut constaret Christum natum esse ex tribu Judâ, juxta Jacobi prophetiam, Genes. 49, 10; at everso Judaismo, Christo que nato, sunt inutiles.

QUÆ QUÆSTIONES PRÆSTANT MAGIS QUAM ÆDIFICATIONEM... In texendis enim longissimis illis genealogiis *infinitæ difficultates occurrunt, quæ altercationes* pariunt et lites; pietatem verò in Deum non promovent, quæ pietas non per hominum disputationes, sed per fidem in Deum, solidè ædificatur. Fidem intelligè operantem per charitatem, seu charitate vestitam. Talis fides est brevior, securior et simplicior ad pietatem via; vera quippe pietas in Dei veritate fundatur, non in hominum vanitate. D. Chrysostomus et alii post ipsum legunt οἰκοδομίαν, *dispensationem Dei*, scilicet circa salutem nostram. Sed Syrus cum interprete nostro legit οἰκονομίαν, *ædificationem*, et melior est illa lectio. Verissimum est tamen quòd divina circa salutem nostram dispensatio fide meliùs percipitur quàm ratiocinationibus, cùm religionis mysteria sint humano sensui incomprehensibilia.

VERS. 5.— FINIS AUTEM PRÆCEPTI EST CHARITAS. Ostendit supra quid non docendum, scilicet falsa, fabulosa, inutilia, et quæ disputationes pariunt. Hic autem quid docendum, scilicet quæ fidem, bonos mores, puritatem cordis et charitatem, pariunt. Simul et probat à fine legis aberrare vaniloquos. *Finis præcepti*, παραγγελίας. Per παραγγελίαν alii legem Mosaicam intelligunt, quæ à D. Paulo lex mandatorum dicitur; *alii Evangelium; alii prædicationem, doctrinam, denuntiationem*. Sed hæc facilè conciliantur; de omni enim præcepto divino, seu de lege veteri, seu de

il, ex quodam singulari erga Timotheum affectu, congregans vocabula beneficentiæ divinæ, tum etiam ut fontem gratiæ et pacis, omniumque Dei beneficiorum quibus salvamur, apertiùs monstraret.

VERS. 3. — *Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi*, etc. Aliter docere, idem est evangelizare præter id quod evangelizatum est, et præter id quod acceperant fideles: ubi *præter* idem est quod *contra*. Qui docet ea quæ dissentanea sunt et contraria doctrinæ priùs acceptæ.

VERS. 4. — *Neque intenderent fabulis et genealogiis interminatis* (quæ finem non habent) *quæ quæstiones*

præstant magis, etc. Id est, quæ scilicet fabulæ et genealogiæ magis altercationes et rixas pariunt, quàm profectum in cognitione et cultu Dei, qui consistit in fide et pietate.

VERS. 5. — *Finis autem præcepti est charitas*, quia lex per charitatem impletur, et sine eâ impleri non potest. Augustinus, præfatione in Psal. 31, finem præcepti exponit quo perficiuntur et consummantur præcepta. Ille tenet et quod patet et quod latet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus. Augustin., in serm. de Laud. charit. Judæi fabulis et genealogiis attendunt velut adminiculis ad legem obser-

novâ, et de utriusque prædicatione, verum est quod *finis præcepti est charitas.* Scopus quippe veteris et novæ legis, et utriusque prædicationis, est, primò, fidem parere, seu Dei et rerum divinarum cognitionem : ostendit enim quid placeat Deo, quid displiceat; quid faciendum sit, quid non faciendum. Secundò, per hanc cognitionem faciendorum et non faciendorum intendit lex bonam et sanctam parere conscientiam; scilicet abstinentiam à malo, bonorum operum exercitium. Tertiò, ex bonâ conscientiâ nascitur interior cordis puritas, et ex cordis puritate procedit charitas. Cùm ergo lex intendat et præcipiat ea ex quibus charitas nascitur, intendit et præcipuè charitatem ; sicque charitas est finis et scopus à lege intentus. Docenda sunt ergo quæ fidem, quæ bonam conscientiam, quæ puritatem cordis, quæ pietatem et charitatem, pariunt. Ergo à scopo legis aberrant qui vana et inutilia docent.

Notâ quòd hic charitatis genealogiam à lege deduxerunt, lineâ quasi descendente, quam Paulus describit quasi ascendente lineâ, dùm dicit quòd procedit charitas, primò, à voluntate pravis purificatâ cupiditatibus; secundò, ex conscientiâ bonâ, peccatis non fœdatâ; tertiò, ex fide sincerâ et non fictâ.

Vers. 6. — A quibus quidam aberrantes... *A quibus,* scilicet à fide, à bonâ conscientiâ et à cordis puritate, intentis à lege, cùm longè distent illi vaniloqui doctores (fidem quippe negligunt, bonam conscientiam, etc.), hinc longè aberrant à scopo et à fine legis.

Vers. 7. — Volentes esse legis doctores... Probat eos longè distare à charitate ; nec enim ad talia docendum charitate movebtur, sed ambitione suâ : affectantes scilicet titulum et honorem magisterii. Volunt vocari legis doctores et magistri; hinc suas fabulas et deuteroses narrant et explicant, et ipsi legis scopum ignorant, à quo longè aberrant. Prædicant legem et legalia tanquàm necessaria, et ipsi non intelligunt ea de quibus loquuntur, cùm ea Christianis applicant, legalia eis necessaria affirmantes. Ignorant et scopum legis, et ignorant quibus lex et legalia conveniunt; ergo non intelligunt ea quæ loquuntur, etc. Quàm antiquum in doctoribus vanitatis vitium! quàm antiquus doctoratûs et magisterii affectus! Plerique docere volunt, non discere; magistri videri et dici, non discipuli fieri. Hinc docent quæ nesciunt, hinc cæci cæcos ducunt; magna oberratio et oberrationis causa. Multi alii suâ vanitate rapti, non charitate moti, vana docent, non utilia; ad vaniloquia deflectuntur, non ædificantia loquuntur; sua quærunt, non quæ Jesu Christi; altera inordinatio et à scopo legis aberratio. A talibus inordinationibus libera nos, Deus misericors; cor humile et docile da nobis; cor sincerum, veritatis amicum, et te super omnia diligens, et unicè quærens in omnibus.

Vers. 8. — Scimus autem quia bona est lex... Est occupatio quâ occurrit calumniæ, sibi sæpè à Judæis objectæ : nimirùm quòd esset legis hostis; quasi diceret : Dùm hæc in vanos legis doctores dico, legem non vitupero; scio enim quia bona est : utpote à Deo bono data, bona præcipiens, mala prohibens, ad Christum Salvatorem manu ducens. Sed lege bonâ, benè et legitimè, seu juxta finem et scopum legis, utendum est. Cùm ergo finis legis sit charitas, cùmque finis legis sit Christus, intendit enim charitatem parere et ad Christum ducere, lege utendum est ad charitatem per fidem et bonam conscientiam producendam, et ad homines ducendos ad Christum. A quo sanè aberrant doctores vaniloqui, quia lege non utuntur ad charitatem in se et in aliis producendum. Aberrant rursùs, quia non ducunt ad Christum. Aberrant denique, quia legalia docent tanquàm necessaria, quæ tamen Christianis sunt inutilia; tum quia ad Christum jam pervenerunt, qui est finis legis, tum quia justificati per Spiritum sanctum, faciunt ex amore quod lex præcipit.

Vers. 9. — Sciens hoc quòd justo non est lex... Inprimis sciendum quòd lex justis non sit imposita; non quòd eos non obliget lex, seu justi legem observare non teneantur, sed quia ipsi sponte suâ, et ex amore justitiæ, faciunt quod lex præcipit, præmiorum spe, vel pœnarum timore. Tria præstat lex, obligat, dirigit, coercet, seu punit. Duo priora etiam erga sanctos facit, tertium in peccatoribus. Itaque justo lex minax non est posita, quia ipse sibi lex est, ipse legem prævenit, eamque sponte et ex amore complet. Sicut sanctis patriarchis, Abraham, Isaac et Jacob, lex data non fuit quia ipsi legem prævenerunt, legemque spontè et ex amore ante legem datam servaverunt, sic nec eorum filiis, si justi fuissent, justitiamque semper servâssent, lex data fuisset, ut pote non necessaria. Sed quia mali et injusti evaserunt, hinc lex eis necessaria fuit, ad eos ab injustitiâ, pœnarum timore, coercendos, et ad eos, præmiorum spe, ad justitiam alliciendos. Hìc itaque D. Paulus taxat confunditque Judæos, non quòd lex non sit bona, sed quia illi legem non legitimè utuntur.

---

vandam. At illa quæstiones et contentiones magis pariunt, quàm fructum pietatis et observantiam legis.

De corde puro, et conscientiâ bonâ, et fide non fictâ. Cor purum fons est bonæ conscientiæ. Bona conscientia resultat ex corde puro, sibique attestatur se purè et sanctè juxta Dei legem vivere. Charitas *de corde puro,* id est, procedens à voluntate vacuâ pravis cupiditatibus, ita ut nihil aliud quàm quod diligendum est diligatur, inquit August., lib. 1 de Doctrinâ christianâ.

Vers. 6. — *A quibus quidam aberrantes,* etc. Evangelicæ legis et veritatis scopus est sincera fides, spes, charitas jam dicta : à quâ qui aberrârunt doctores, à scopo aberrârunt, et *in vaniloquium conversi sunt,* id est, converterunt se, et spontè defluxerunt.

Vers. 7. — *Volentes esse legis doctores,* etc. Hinc patet quòd de Judæis ad Christum conversis loquatur, qui ambitiosi erant, cupiebantque haberi legis Moysis periti et doctores, nec tamen scopum legis attingerent, etc. Non intelligunt finem et scopum legis esse Christum, ejusque fidem, spem et charitatem.

Vers. 8. — *Scimus autem,* etc. Legis autem mens et finis est, homines ad Christum ducere. Qui ergo lege utitur legitimè, id est, quemadmodùm lex ipsa jubet, hic Christum præfert legi, inquit Chrysostomus, et non à lege, sed à Christo justitiam exspectat.

Vers. 9. — *Sciens hoc, quia lex justo non est po-*

dæos, qui ob legem sibi datam gloriabantur; ob quam tamen erubescere magis debuissent, cùm lex supponat et arguat eorum propriam et patrum suorum malitiam. Si justi fuissent, sicut sancti Patriarchæ, lex eis necessaria non fuisset, et consequenter eis data non foret. Extollit autem Christianos, per baptisma justificatos, insinuatque legem eis necessariam non esse, utpote qui justi sunt, quique ex amore justitiæ faciunt quæ lex præcipit timore pœnæ. Sunt supra legem, non sub lege, ait D. Chrysostomus; supra legem vivunt, quia majora perficiunt quàm ipsa lex præcipit; idem. Medicus ægroto, non homini sano necessarius. Frænum equo indomito necessarium, non mansueto, D. Chrysostomus et Theodoretus. SED INJUSTIS. Græc., ἀνόμοις, *exlegibus*, id est, qui sibi ipsi, per rationis usum, non sunt lex. ET NON SUBDITIS. Græc., ἀνυποτάκτοις, effrænibus, inobsequentibus, injugibus.

Ex malis moribus natæ sunt bonæ leges. Lex in lapide fuit insculpta, ut in hominum cordibus insculperetur; ante oculos eorum fuit exposita, ut in mentibus imprimeretur. Nunquàm autem insculpta fuisset in lapide, si nunquàm ex cordibus fuisset exsculpta. Nunquàm oculis corporeis exposita, si nunquàm in mentibus fuisset deleta. Si ad rectam rationem, legemque naturalem, in cordibus suis insculptam advertere voluissent, lex eis alia nunquàm data fuisset. At quia effrenes, injuges fuerunt et exleges, ideò lex eis fuit imposita, quæ eos coerceret. IMPIIS, reverentiam Deo debitam non præstantibus. ET PECCATORIBUS. Ita vocantur in Scripturâ maximè flagitiosi et scelesti. SCELERATIS ET CONTAMINATIS, id est, nefariis et profanis, seu à sacris ob impuritates suas arcendis.

VERS. 10.— FORNICARIIS; ergo fornicatio maximum et mortale peccatum. PLAGIARIIS, sic dicti, quia lege Flaviâ damnabantur plagis. Alii tamen sic dici volunt à voce Græcâ πλάγιος, id est, obliquus et dolosus, quia dolo et artibus obliquis homines furto subducunt. Plagiarii ergo sunt qui vel aliena mancipia furantur, sibique vendicant, vel qui homines liberos in servitutem redigunt, venduntque ut mancipia, quod sanè maximum est furti genus. MENDACIBUS, præsertim qui fidem fallunt in contractibus, et qui suis mendaciis proximo notabiliter nocent. ET SI QUID ALIUD SANÆ DOCTRINÆ... Non dubitantis est, sed scelera omnia uno verbo comprehendentis, quasi diceret: In universum, lex imposita est iis omnibus et quibuscumque qui aliud simile perpetrant, *quod sanæ doctrinæ*, rectæque morum institutioni ADVERSATUR. Tales autem fuisse Judæos insinuat. Ad hos ergo et omnes alios similes coercendos lex data est. Qui autem ab his omnibus abstinet, legis præceptis non indiget. Ergo Christiano justo, qui hæc omnia fugit et horret, lex non est necessaria.

VERS. 11. — QUÆ EST SECUNDUM EVANGELIUM, id est, quæ est Evangelio consentanea. Evangelium est sanæ doctrinæ norma. In lege quidem sana fuit, at in Evangelio sanior, amplior et clarior. In philosophis partim sana doctrina est, partim morbida; in Evangelio tota sana, et omnis sanæ regula. Potest etiam intelligi quòd in hoc cum lege consonat Evangelium. Quasi diceret Apostolus: Hæc legis necessaria præcipit et vetat Evangelium; hæc et nos Evangelii prædicatores præcipimus et prohibemus. *Evangelium* GLORIÆ DEI dicitur, quia Dei gloriam prædicat et promittit; docet nos modum glorificandi Deum, et nobis Deum glorificantibus æternam Dei gloriam promittit. Potest etiam dici *gloriæ Dei*, quia Evangelium lux est et splendor præ lege, quæ erat umbra. BEATI *Dei*, id est, Dei qui summè beatus est, qui fons est beatitudinis, qui sibi soli sufficiens est, nulliusque indigens ad suam beatitudinem. Ipse tamen nobis obsequentibus gloriæ suæ possessionem æternam promittit in Evangelio. Nobis, non Deo, prodest virtus et bonitas nostra; sicut nobis, non Deo, nocet iniquitas nostra. Ipse summè beatus est, sibi sufficiens: *Saddæi*, id est, ipsa sufficientia: *omne bonum*. Ex merâ et purâ bonitate vult et nos beatos. Hinc ejus ad nos Evangelium, *verbum salutis*, missum est, ejusque prædicatio gloriæ. QUOD MIHI CREDITUM EST, id est, Cujus prædicatio mihi commissa est.

VERS. 12. — GRATIAS AGO EI QUI ME CONFORTAVIT.... Græc., *et gratiam habeo roboranti me Christo Jesu*. Dicendo, *Evangelium quod mihi creditum est*, recordatur eorum quæ contra Evangelium fecit aliquando, hinc que Deo benefactori suo gratias èo majores agit quò sese tali et tanto beneficio reputat indigniorem. *Gratias ago* DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO, qui mihi vires suppeditavit ad rem tanti momenti exsequendam; nimirùm ad Evangelium strenuè et feliciter prædicandum. *Gratias*, inquam, *ago*, QUIA FIDELEM ME EXISTIMAVIT, seu duxit, cui committeret apostolatus ministerium. *Fidelem*, id est, fidum: non à fide, sed à fidelitate, quæ requiritur in iis quibus aliquid committitur, scilicet, ut bonâ fide administrent sibi credita. *Fidelem me existimavit*. Modus loquendi com-

sita; q. d.: Lex non est posita Christianis, justis et sanctis, sed Judæis, qui quasi servi duri et rebelles, metu pœnarum legis, ad legem servandam cogendi erant; Christianis verò pro lege datum est Evangelium, spiritusque gratiæ et amoris, ut suâ sponte faciant id quod lex Dei jubet. *Lex justo non est posita*, id est, lata non est ad justos coercendos; justi enim sponte suâ se conformant legi, amore justitiæ et obedientiæ, non timore pœnæ, quam lex transgressoribus minatur.

Sed injustis, et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis, parricidis et matricidis, homicidis; qui scilicet subdii et obsequi nolunt, sed inobedientes et rebelles sunt.

VERS. 10. — *Fornicariis, masculorum concubitoribus*, etc. Qui liberos aut servos alienos abducunt et furantur, plagiarii vocantur.

VERS. 11. — *Quæ est secundùm Evangelium*, etc. Sanæ doctrinæ, quæ est, inquit, secundùm Evangelium, id est, Evangelio consentanea. Vocat autem *Evangelium gloriæ beati Dei*, quia per ipsum Deus glorificatur. Nam finis Evangelii gloria Dei est.

VERS. 12. — *Gratias ago ei* (*Deo*) *qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro*. Sensus est: Gratias ago Deo meo, qui me confortat ad Christi gloriam; quia scilicet vires et animos mihi suppeditat, ut Christum potenter et intrepidè annuntiem.

Quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio,

munis, Rex, vel Dominus meus fidelem, sufficientem, idoneum, dignum, me judicavit cui tale committeret negotium, id est, mihi commisit. Ubi nota cum D. Thomâ, tria hìc, ordine retrogrado, poni ad apostolatum requisita. Ut quis sit Evangelii minister requiruntur tria. Primum ut committatur sibi. Secundum idoneitas, seu ut sit fidelis, idoneus. Tertium, ut sit fortis ad prosequendum. Tertium, primò ponit : *Qui me confortavit.* Secundum, qui *me fidelem æstimavit.* Primum, *ponens in ministerio.* Itaque gratias agit Deo, et quòd ministerium credidit, et quòd idoneum reddidit, et quòd fortem ad exsequendum præstitit.

VERS. 13.—QUI PRIUS BLASPHEMUS FUI... Græc., *eum priùs existentem blasphemum.* Hanc gratiam exaggerat ex suî indignitate ob præcedentem statum suum. Me, inquam, fecit apostolum, *qui priùs fui blasphemus* in Christum, imò et qui alios ad blasphemandum coegi; qui fui Ecclesiæ PERSECUTOR et violentus oppressor; qui fui Christi et Christianorum hostis CONTUMELIOSUS. Verbis, factis, vi, Christum et Christianos offendi.

SED MISERICORDIAM DEI CONSECUTUS SUM... Sed Deus mei misertus est, quia per ignorantiam feci, et cùm adhuc essem in tenebris incredulitatis, et ignorans me persequi Messiam, quem sanè si nôssem, persecutus non essem. Peccata ignorantiæ sunt minùs gravia, et consequenter peccantem reddunt minùs indignum misericordiâ, non tamen dignum. D. itaque Paulus non assignat propriam hìc suæ justificationis causam, sed impropriè dictam et occasionalem tantùm. Propriè dicta causa fuit Dei misericordia; ignorantia verò, occasionalis et quædam impedimenta removens.

VERS. 14.—SUPERABUNDAVIT AUTEM GRATIA....*Superabundavit,* supercrevit, super multiplicata est in me gratia Dei; et in me superabundârunt effectus gratiæ, fides et dilectio christiana; quasi diceret : Sed iniquitate meâ longè major fuit Dei gratia, quæ me ex incredulo fecit fidelem; ex hoste ardentem fecit Christi et Christianorum dilectorem; ex blasphemo fecit prædicatorem. Itaque hoc *superabundavit,* gratiæ Dei præcellentiam præ Pauli malitiâ significat; quasi diceret : Longe major fuit Dei benignitas quàm indignitas mea. Addendo CUM FIDE ET DILECTIONE, designat effectus gratiæ, seu virtutes divinæ gratiæ comites, fidem et charitatem. Fidem opponit priori infidelitati suæ. Charitatem suo priori in Christum et Christianos odio, quo utrumque persequebatur. Pauli fides in Christum, sicut et ejus in Christianos, seu Ecclesiam, charitas, toti nota est orbi, quem præ charitate convertendum suscepit. Hæ autem virtutes sunt divinæ gratiæ effectus. Duplex itaque fuit in Paulum misericordia Dei. Prima quòd peccantem non punivit. Secunda quòd peccatorem justificavit; ex incredulo fecit fidelem, ex hoste fecit amicum, ex blasphemo fecit apostolum. Utraque et in nobis *superabundavit Dei gratia,* innumeris enim dignos suppliciis non punivit, sed in filiorum adoptionem repentè nos traduxit; fecit amicos, filios, et hæredes. Ob utramque misericordiam infinitas reddamus Deo gratias.

VERS. 15. — FIDELIS SERMO... Hæc erga me misericordia Dei spem omnibus inspiret peccatoribus, quippe sermo verus, gratus et acceptabilis, dignus quem auscultent et cum gaudio suscipiant omnes. Nimirùm QUÒD CHRISTUS JESUS IN HUNC MUNDUM VENIT, ut juxta nomen suum salvet peccatores.

QUORUM EGO SUM PRIMUS, maximus, pessimus. *Quia blasphemus fui,* et cogens ad blasphemandum, et quia non persecutor tantùm, sed et persecutorum dux et princeps.

Observatio dogmatica et moralis.

Basis apostolicæ doctrinæ. Christus Jesus est peccatorum salvator : hunc in mundum venit ut peccatores salvet. Hanc veritatem cum gaudio recipimus et credimus omnes : at quis de eâ seriò cogitat? Quis eam penetrat? Quis eam animo grato sentit ut debet? Quis suam opere et vitæ sanctitate gratitudinem exhibet? Deus factus est homo ut ego miserrimus et vilissimus homuncio salver. Da mihi, ô Deus misericors, hanc veritatem noscere, sentire, penetrare et ab eâ penetrari. Deus pro homine; Deus summè beatus, fonsque beatitudinis, pro homine miserrimo, miseriarumque fonte. Deus, inquam, summè beatus, factus est homo, doloribus et miseriis obnoxius, ut homo miserrimus fiat summè beatus, divinæque beatitudinis et naturæ consors. O bonitas! ô divina, infinita et ineffabilis charitas! Ut quid te obliviscor unquàm? Ut quid aliud præter te cogito? Ut quid aliud sentio et

apostolatûs et prædicationis Evangelii; q. d. : Gratias ago Deo hoc nomine, quòd fidelem me existimaverit, id est, fidelem me existimando crediderit mihi Evangelium.

VERS. 13. — *Qui priùs blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus. Contumeliosus* violentum oppressorem significat, qui vim infert aliumque opprimit.

Sed misericordiam Dei consecutus sum, id est, gratiam, quâ et peccata remitteret, et immensis beneficiis me cumularet.

Quia ignorans feci in incredulitate. Nesciebam enim me Messiam persequi; zelo legis agebar, ac pro lege Moysis, quasi pro Dei lege pugnabam.

VERS. 14. — *Superabundavit autem Dei gratia Domini nostri,* qui me ex lupo ovem, ex Saulo Paulum, ex persecutore prædicatorem, ex blasphemo apostolum effecit.

Cum fide et dilectione quæ est in Christo Jesu. Cum gratiâ abundè in me effusâ, superabundârunt pariter in me effecta gratiæ, videlicet fides et dilectio. Fuit enim Paulo aspirata robustissima fides et ardentissima dilectio, quâ quasi ignis totum orbem pervagatus inflammavit et accendit. Fides et dilectio in Christo, est fides et dilectio christiana, sive quæ propria est Christianorum, Christi filiorum, quæ divina, supernaturalis, cœlestis et spiritualis est dilectio.

VERS. 15. — *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus. Fidele* pro vero, certo et firmo, frequens est in Scripturis, maximè verbis ac promissis attributum.

Quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. Venit autem ut peccatores salvos faceret, id est, ut peccatoribus salutem adferret. Cujus salutis partes sunt conversio, remissio peccatorum, justificatio et glorificatio. Nam salus peccatoris in hâc vitâ inchoatur, in futurâ perficitur.

amo? Ut quid tepidus in viâ salutis langueo, et non totus hâc immensâ charitate tuâ accensus et ardens, viam mandatorum et justificationum percurro?

VERS. 16. — SED IDEO MISERICORDIAM CONSECUTUS... Sed ideò Christus meî misertus est (eo quo supra dictum est modo, v. 13), UT IN ME PRIMO et maximo peccatore summam suam patientiam et misericordiam ostenderet, ad exemplum eorum qui crediturî sunt in ipsum ad vitam æternam; ut scilicet exemplo meo instruerentur Dei misericordiam sperare.

Observationes litterales et morales.

In me primo. Non quòd reverà non sit major peccator, sed quia major est in suo sensu. Sicut qui magnum aliquem dolorem sentit, hoc nullum majorem putat, suumque dicit omnium maximum, ita Apostolus peccatum suum fide penetrans et sentiens, illud putat et dicit maximum. Sic suum quisque peccatum videat, sentiat, et præ dolore dicat : Peccatorum primus ego sum. Sic tamen ob peccata sua sese quisquis humiliet, ut in Christum Jesum confidat et speret, *qui venit peccatores salvos facere.*

OMNEM PATIENTIAM, non partem tantùm aliquam patientiæ, sed omnem longanimitatem suam. Quia in immensum peccaveram, universâ indigebam ejus misericordiâ, seu totâ quanta est. Nullus est qui tantâ indigeat misericordiæ abundantiâ, ut ait D. Chrysostomus.

AD INFORMATIONEM. Græc., hypotyposin, ad exemplar; *ad exhortationem*, Chrysostomus; *ad consolationem*, Theodoretus. Ut exemplo meo informarentur in Dei misericordiam sperare, et ad eam confugere. Quasi diceret : Me fecit exemplum gratiæ, meque omnibus posuit in exemplum, ut nullus desperet. Aspiciant itaque peccatores me apostolum suum, et in Deum sperent. Quemadmodùm medicus, cùm in unâ domo multi simul ægrotent, et omnes de salute desperant, si unum pessimè affectum acceperit et datis ei medicamentis ad perfectissimam sanitatem deduxerit, facit ut alii omnes fiduciam concipiant, ita Christus Dominus, animarum medicus, cùm pro salute peccatorum homo factus esset, me omnium iniquissimum producens in medium, non solùm à prioribus maculis liberavit, sed maximis etiam donis cumulavit, omnibus hominibus per me ostendens immensam patientiam, ut nemo eorum qui maxima scelera perpetrâssent, ad me respiciens de salute desperet, Theodoretus. Aliam, sed similem comparationem habet D. Chrysostomus.

VERS. 17. — REGI AUTEM SECULORUM... Ob tantam misericordiam sibi exhibitam et aliis in se ostensam, æternas Deo gratias agit. Deus rex est entium et seculorum, seu omnium durationum, scilicet æternitatis, æviternitatis et temporum; ab ipso manat omne ens et omnis duratio. *Regi* omnium *seculorum* incorruptibili, INVISIBILI, qui unus et solus est Deus. Græc., *soli sapienti Deo.* Ita etiam Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus.

VERS. 18. — HOC PRÆCEPTUM COMMENDO TIBI...

Observatio litteralis.

Triplex est hujus versiculi intellectus. Primus aliquorum qui hoc præceptum ad sequentia referunt, scilicet : *Commendo tibi ut milites...* Sed strictior videtur hic sensus et Apostoli verba nimis determinans. Secundus, aliorum qui ad proximè præcedentia referunt, scilicet, ut prædices Christum venisse ut peccatores salvet, et hic etiam strictior. Tertius, Theodoreti et plurimorum post ipsum, qui volunt Apostolum, post digressionem, ad primam orationem reverti, hæcque verba jungunt v. 3. Quasi diceret : *Hoc præceptum*, hanc denuntiationem, de quâ v. 3, rursùs *tibi commendo.* Seu : *Rogavi te ut denuntiares...* et hoc rogo et præcipio tibi, ô fili Timothee, tuo insta officio et juxta prophetias de te factas, eisque respondens, bonam milites militiam, falsis resistens doctoribus et sanam prædicans doctrinam. Et hic sensus bonus est et litteralis, mihique primùm placuit præ cæteris. Re tamen attentiùs consideratâ, puto quòd sensus multò plenior erit, et toti textui conformior, si per *hoc præceptum* intelligatur tota doctrina præcedens, seu omnes veritates in hoc capite explicatæ. Quasi diceret : *Hoc præceptum*, hanc denuntiationem seu has veritates supra explicatas, *commendo tibi*, etc. Hic, inquam, sensus est toti textui conformior : eâdem enim voce utitur hic Apostolus quâ v. 3 et 5, unde colligo quòd hic versus præcedentes omnes respiciat. *Hoc præceptum.* Græc., ταυτὴν παραγγελίαν, de quâ v. 3. *Ne docerent aliter, neque ad fabulas intenderent.* Et de quâ v. 5, ut ad charitatem, scopum præcepti divini, tenderent. Et hanc veritatem, quam pro fundamento cæterarum stabilivi : *quòd Christus*

Quorum primus ego sum. Primus, id est, maximus et pessimus. Nemo enim acrior Paulo inter persecutores, nemo ergo pejor inter peccatores. Ita Augustinus, serm. 9 de Verb. Apost. Pauli peccatum ipsi in suo sensu videbatur esse maximum.

VERS. 16. — *Sed ideò misericordiam consecutus sum*, etc. Id est, omnem longanimitatem. Illustris fuit Dei longanimitas, quæ furentem contra se Paulum tam diù sustinuit, quem unico ictu oculi perdere poterat et fulmine afflare.

VERS. 17. — *Regi autem seculorum immortali*, etc. Deus est immortalis, incorruptibilis, immutabilis, ac consequenter æternus. Incorruptio enim et immortalitas est ratio, et quasi causa æternitatis. Addit *invisibili*, quia naturaliter nec corporis, nec mentis oculis, nec ullis naturæ viribus Deus videri potest; sed ut quis videat Deum, supernaturali lumine gloriæ opus habet, uti patet in beatis. Rex ille seculorum immortalis et invisibilis, qui solus est Deus, honoretur et glorificetur *in secula seculorum*, id est, in omnem æternitatem. *Amen*, id est, fiat, adjicit Apostolus tanquam sigillum, quo confirmet et quantùm in se est rata faciat ea quæ proximè dixit.

VERS. 18. — *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee*, etc. Chrysost., Theophyl., Theodor., propriè per prophetias accipiunt revelationes; q. d. : Hoc præceptum jam explicatum tibi, ô Timothee, commendo, ut, sicut Dei revelatione et spiritu prophetiæ admonitus te episcopum Ephesi ordinavi, ita juxta eamdem prophetiam nunc milites, illique re-

Dominus venit peccatores salvos facere... Has omnes veritates, totam hanc doctrinam commendo tibi.

Ut secundum præcedentes prophetias. Vero simile est Timotheum ex revelatione factum fuisse evangelistam et episcopum, ait Theodoretus. Tunc enim omnia fiebant cum prophetiâ, id est, revelatione Spiritûs sancti, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus. Itaque commendo tibi totam hanc doctrinam, ut juxta prophetias de te factas, easque adimplens, bonam militES militiam, bonique præsulis exsequaris officium.

Bonus pastor perpetuò militare debet, ut peccatum, diaboli regnum, destruat, et ut Christi regnum tueatur et amplificet.

Vers. 19. — Habens fidem et bonam conscientiam. Hæc sunt christianæ militiæ arma, fides orthodoxa et vitæ sanctitas.

Quam vitæ sanctitatem, postquàm aliqui repulerunt, et fidei jacturam fecerunt, apostatæ facti. Naufragaverunt, fidei naufragium fecerunt. Egregia metaphora à navigatione et à naufragio ducta. Fides est quasi navis ad vitam æternam ducens. Sancta vita, seu bona conscientia, et ex eâ manans spes æternæ beatitudinis, est anchora navim in procellis sistens et roborans; hâc projectâ, non mirum si navis ad scopulos impacta confringatur. Hæresis nunquàm primum est peccatum, sed ex malâ conscientiâ oritur, nimirùm, vel ex ambitione, vel avaritiâ, vel libidine. Vide Cornelium à Lapide. Justo Dei judicio fit ut amittant fidem qui nolunt exercere charitatem, D. Prosper ab Estio citatus. Qui conscientiam non dirigit ex fide; fidem suam ex conscientiâ sæpè contorquet.

Vers. 20. — Ex quibus est Hymenæus. De quorum naufragantium numero est, etc.

Quos excommunicavi et per excommunicationem tradidi Satanæ ut carnifici in corpore cruciandos, ut hâc suâ cruciatione emendentur et resipiscant à suâ blasphemiâ et hæresi. *Tradidi Satanæ.* Ex D. Chrysostomo, Theodoreto et Theophylacto, corporalis à dæmone vexatio erat excommunicationis effectus. Idem asserit D. Thomas, tantæ virtutis erant apostoli quòd excommunicati mox corripiebantur à diabolo et corporaliter vexabantur.

Ut discant. Emendatio est excommunicationis finis, non blasphemare: omnis hæresis est in Deum, qui prima veritas est, blasphemia.

spondeas, ostendasque veram fuisse de te prophetiam.

Vers. 19. — *Habens fidem et bonam conscientiam;* q. d.: Militabis, ô Timothee, bonam militiam, si fidem rectam circa vera et orthodoxa dogmata, et bonam conscientiam, id est, sanctam vitam et mores sequaris et conserves, ut fidem rectam aliis docere, et bonæ vitæ exemplo subditis prælucere possis.

Quam (bonam conscientiam) *quidam repellentes* (id est, postquàm repulerunt), *circa fidem naufragaverunt,* id est, fidei naufragium et jacturam fecerunt, factique sunt apostatæ, schismatici, hæretici.

Vers. 20. — *Ex quibus* (de quorum numero) *est Hymenæus et Alexander.* Hic ille est de quo, 2 *ad Tim.* 4 : *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit,* etc.

Quos tradidi Satanæ, id est, quos excommunicavi. Significat eos Satanæ, quasi carnifici cruciandos esse traditos. Ita docet Chrys.

Ut discant non blasphemare. Ut emendentur et resipiscant à suâ blasphemiâ et hæresi. Excommunicatio enim non ad perditionem, sed ad emendationem peccatoris ferri debet, ut notat Chrysostomus.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

1° Omnis Dei minister notet ecclesiastici ministerii originem : est Dei voluntas; finem : est æterna salus hominum procuranda. Et statim ad se reflexus, semetipsum examinet per respectum ad utrumque; quomodò sit in ministerium ingressus; quomodò hominum saluti procurandæ allaboret; v. 1. Attendat et an sit vir apostolicus, apostolorum germanus in fide filius; v. 2. Quid doceat; an quæ fidem, charitatem, bonos mores promovent; v. 4, 5. Quomodò doceat; an vitia doctoribus communia vitet; v. 6, 7.

2° Ascendens ad misericordiæ fontem, miretur primò quòd Deus in se, ab æterno summè beatus, et nullius indigens, ex merâ tamen bonitate suâ velit homines æternæ suæ beatitudinis consortes facere. Secundò, quòd Deus ipsum, licèt peccatorem, præ tot aliis, Evangelii, seu boni gloriæ suæ participandæ nuntii ad homines, ministrum et præconem elegerit; v. 11. Ob peccata sua coram Deo suffusus, suam agnoscat indignitatem; Deo gratias agat ob misericordiam sua demerita superabundantem; v. 13. Oret ut Deus illum dignum reddat ministrum, ipsius augendo fidem et charitatem; v. 14.

3° Pro suæ et aliorum salutis basi certissimam et menti semper insculptam hanc habeat veritatem; v. 15 : *Jesus Christus venit in mundum peccatores salvos facere.* Itaque Salvatoris hominum Spiritu animatus, statuat suam et aliorum peccatorum salutem omni modo in posterum procurare.

CAPUT II.

1. Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus:

2. Pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate.

CHAPITRE II.

1. Je vous conjure donc, avant toutes choses, que l'on fasse des supplications, des prières, des demandes et des actions de grâces pour tous les hommes :

2. Pour les rois, et pour tous ceux qui sont élevés en dignité, afin que nous menions une vie paisible et tranquille dans toute sorte de piété et d'honnêteté.

3. Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo,

4. Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.

5. Unus enim Deus, unus et Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus;

6. Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis:

7. In quo positus sum ego prædicator et apostolus (veritatem dico, non mentior), doctor gentium in fide et veritate.

8. Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine irâ et disceptatione;

9. Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundiâ et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosâ:

10. Sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.

11. Mulier in silentio discat cum omni subjectione.

12. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.

13. Adam enim primus formatus est, deinde Eva.

14. Et Adam non est seductus; mulier autem seducta in prævaricatione fuit.

15. Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate.

3. Car cela est bon, et agréable à Dieu notre Sauveur,

4. Qui veut que tous les hommes soient sauvés, et qu'ils viennent à la connaissance de la vérité.

5. Car il n'y a qu'un Dieu et un Médiateur entre Dieu et les hommes, Jésus-Christ homme,

6. Qui s'est livré lui-même pour la rédemption de tous, en rendant témoignage dans les temps marqués.

7. C'est pour cela que j'ai été établi moi-même prédicateur et apôtre (je dis la vérité et je ne ments point), le docteur des gentils dans la foi et dans la vérité.

8. Je veux donc que les hommes prient en tout lieu, élevant des mains pures, avec un esprit éloigné de colère et de contention;

9. Que les femmes aussi prient, étant vêtues comme l'honnêteté le demande. Qu'elles se parent de modestie et de chasteté, et non avec des cheveux frisés, ni des ornements d'or, ni des perles, ni des habits somptueux;

10. Mais avec de bonnes œuvres, comme doivent le faire des femmes qui font profession de piété.

11. Que les femmes se tiennent en silence et dans une entière soumission lorsqu'on les instruit.

12. Je ne permets point aux femmes d'enseigner, ni de prendre autorité sur leurs maris; mais je leur ordonne de demeurer dans le silence,

13. Car Adam a été formé le premier, et Ève ensuite.

14. Et Adam n'a pas été séduit, mais la femme ayant été séduite est tombée dans la désobéissance.

13. Toutefois elle se sauvera par les enfants qu'elle mettra au monde, en faisant qu'ils demeurent dans la foi, dans la charité, dans la sainteté et dans une vie bien réglée.

ANALYSIS.

Hic cultum Dei docet. Ante omnia orandum est, et quidem omni modo, v. 1. Pro quibus? Pro omnibus prorsùs hominibus, v. 2. Quare? Quia Deus vult omnes salvos fieri, v. 3, 4, 5, 6, 7. Ubi orandum? In omni loco precibus dicato, v. 8. Quibus orandum? Viris et mulieribus. v. 8, 9. Quomodò viri debent orare? v, 8. Quomodò mulieres? v. 9, 10. Hæ quidem orent, sed non doceant, v. 11, 12. Salvabuntur autem per filiorum educationem, et per suam in fide, in charitate, et vitæ sanctitate, perseverantiam, v. 15.

PARAPHRASIS.

1. Ante omnia igitur adhortor et obsecro ut (in quotidiano cultu) fiant obsecrationes ad avertenda mala; orationes, seu petitiones bonorum; postulationes, seu preces pro aliis; gratiarum actiones pro beneficiis acceptis, idque pro omnibus hominibus.

2. At præsertim pro regibus, et omnibus rempublicam gerentibus, ut placidam ac quietam sub illis vitam agentes, pietatem faciliùs excolamus, omnemque morum honestatem.

3. Etenim (sic pro omnibus orare) in se bonum est, et Deo Salvatori nostro gratum.

4. Qui vult omnes homines salvos fieri, utque salventur, vult eos ad agnitionem veritatis, id est, Christi, pervenire.

5. (Nec id mirum est) unus enim est omnium creator Deus; unus et Dei et omnium hominum Mediator, scilicet Jesus Christus homo (Deus).

6. Qui semetipsum dedit in mortem pro omnibus redimendis, testimonium (sanè indubitatum) quod tempore destinato dedit (divinâ voluntate salutis omnium).

7. Ad quod testimonium publicandum ego constitutus sum prædicator et apostolus (sincerè loquor, et ex conscientiâ), quia doctor sum et præco destinatus præcipuè gentibus in fide et veritate instituendis.

8. Volo igitur et opto ut in quàvis ecclesiâ orent viri, levantes ad cœlum manus à sorde peccati mundas, et corda ab odio et discordiâ pura.

9. Similiter precari volo mulieres in habitu mundo et decenti, qui pudorem et modestiam redoleat, non cum tortis, seu calamistratis capillis; non auro, aut pretiosis lapidibus ornatas, vel splendidis vestibus indutas;

10. Sed bonis operibus, sicut decet mulieres pietatem professas, seu christianas.

11. Mulier in silentio discet, cum summâ submissione.

12. Docere autem in Ecclesiâ mulieri non permitto, nec ullam in virum auctoritatem exercere, sed eam silentium servare volo.

13. (In virum non dominetur;)quia Adam (utpote præstantior et dignitate prior) primus formatus est:

deinde Eva (ex Adamo et propter Adamum).

14. (Non doceat mulier;) quia ut imbecillior, et deceptioni magis obnoxia, fuit à serpente in prævaricatione divini præcepti decepta : Adam autem non fuit à serpente deceptus (sed ab uxore allectus).

15. Salvabitur autem mulier per piam liberorum educationem, si permanserit constans in fide, in charitate, in sanctitate, et morum sobrietate.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Obsecro igitur primum omnium fieri... Stabilito docendi modo in primo capite, in hoc publicum Dei cultum docet; seu Timotheum, episcopum jam factum, instruit quomodò debeat preces ecclesiasticas ordinare. *Igitur*. Hæc particula denotat subsequentia ex præcedentibus inferri; sive ex v. 15, cap. 1, ubi dicitur quòd *Christus venit in hunc mundum peccatores salvare;* sive ex v. 18, ubi hortatur Timotheum Apostolus ut bonam militet militiam; sive ex utroque, sic : *Igitur* ut Christo ad peccatorum salutem coopereris, utque *bonam milites militiam;* uno verbo, ut episcopali munere ritè fungaris, juxta prophetias de te factas. *Obsecro*, admoneo, et adhortor. *Primùm omnium*, id est, ante omnia : tum quia primum episcopi munus est orare pro se, et pro aliis; ad hoc enim constituitur; tum quia oratio ex se maximè necessaria, utpote à quâ cætera bona pendent; à Deo enim peti et exspectari debent, *à quo omne bonum*, etc. *Fieri*, id est, ut in publico et quotidiano cultu fiant.

Obsecrationes, id est, supplicationes ad avertenda mala, seu pro liberatione à rebus tristibus.

Orationes, id est, bonorum petitiones.

Postulationes, id est, preces pro aliis.

Gratiarum actiones pro beneficiis acceptis. Ita Theodoretus, Theophylactus, ita D. Thomas. Theophylactus tamen tria priora nomina idem hìc significare putat probabiliùs.

Observationes dogmaticæ et morales.

Docet ergo Apostolus quòd ante omnia Deus sit orandus, et quidem omnibus orationum modis, sive ad avertenda mala, sive ad obtinenda bona, sive ad gratias agendas pro impetratis, idque omne tum pro nobis, tum pro aliis. Porrò id D. Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Ambrosius, D. Augustinus, et omnes, tum Græci, tum Latini, interpretes, intelligunt de publicis Ecclesiæ conventibus, ubi sacerdotes et populus simul orant. D. Augustinus, epist. 59, ad Paulin., q. 5, hunc locum refert ad liturgiam missæ, ejusque partes. Idem eodem modo explicat D. Thomas. Quod præcipuè in D. Augustino notandum, quia inde probatur antiquitas missæ quoad omnes ejus partes.

Pro omnibus hominibus, id est, pro universis et singulis hominibus, ita ut nullum prorsùs ab oratione excludamus, quod nota propter sequentia, v. 4. Sacerdos est quasi totius orbis pater; dignum igitur est ut omnium curam gerat, omnibusque provideat, sicut et Deus, cujus ministerio servit, et vice fungitur, ait D. Chrysostomus. Christianus est Dei filius; Christiani ergo charitas, sicut et Dei Patris sui, extendatur ad omnes; sit *perfectus sicut et Pater cœlestis*, etc. Ad omnes miseros, id est, ad omnes homines (quis enim hominum non miser) : ad omnes, inquam, miseros extenditur et patet Dei miseratio : ad omnes igitur miseros, seu homines, extendatur fidelium oratio; oret Christianus pro omnibus et singulis hominibus. Et hæc est regula ecclesiastica à Magistro gentium tradita, quâ utuntur sacerdotes nostri ut supplicent pro omnibus, ait Ambrosianus. Hâc eâdem regulâ utatur quilibet fidelis; nunc obsecret, nunc petat, gratias agat. Rursùs iterùm oret, statimque gratias agat, mox obsecret; hosque omnes mentis et cordis affectus simul misceat et alternet, exemplo Davidis in Psalmis. Hæc itaque in eâdem oratione sunt facienda et sæpiùs reiteranda.

Vers. 2. — Pro regibus, et omnibus qui in sublimitate. Gr. *dignitate* vel eminentiâ. Syr., *magnatibus*. Ambrosius : *Qui in sublimiori loco positi sunt. Pro regibus*, etiamsi ethnicis, nec enim alii tunc erant in mundo. Pro illorum ministris, et omnibus quibuscumque, qui sub illis rem publicam gerunt, orandum est à Christianis. Hoc illorum postulat conditio, regia quidem dignitas, quæ divinæ Majestatis est radius et participatio. Ministerialis etiam, quæ regiæ potestatis radius est et emanatio. At hoc exigit nostrum et totius Ecclesiæ commune bonum; illorum quippe salus est nostra tranquillitas, ait Theophylactus.

Ut quietam et tranquillam vitam... Id est, ut sub regimine principum, rempublicam justè administrantium, vitam agamus pacatam et quietam. Temporalis nostra et Ecclesiæ pax pendet à pace regnorum; regnorum autem pax pendet à regimine principum : hinc pro illis et illorum ministris nostra interest orare : ad nos præterea extenduntur bona et gratiæ quæ pro illis obtinemus à Deo. Pax regni debet esse regum et magistratuum scopus; hoc idem à Deo debemus efflagitare.

In omni pietate et castitate. Explicat Apostolus ad quid pacem optamus, non ad commessationes, et ad libidines, sed ad sacros cœtus faciliùs et frequentiùs celebrandos, et ad mores honestos, probos et pudicos, liberiùs et perfectiùs excolendos. Græc., καὶ σεμνότητι, non tantùm castitatem significat, sed et

Vers. 1. — *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes;* q. d. : Primò omnium, id est, ante omnia, volo fieri obsecrationes, *orationes*, *postulationes*, etc., etiam infidelibus, inimicis, persecutoribus. Ostendit hic locus nullum hominem dùm vivit, adèo perditum esse, ut de ejus salute nobis sit desperandum; nam oratio spei professio est.

Vers. 2. — *Pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt*, id est, in dignitate vel eminentiâ. Ora ut orationibus humilium Deus præstet salutem sublimium.

Ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. In omni reverentiâ Dei et puritate.

morum gravitatem et honestatem. His itaque duobus nominibus, *pietate et castitate*, omnes externos pietatis actus et omnem morum gravitatem et honestatem exprimit. Qui actus externi pietatis et honestatis tempore pacis liberiùs exercentur ab Ecclesiâ. Tempore quippe belli, templa profanantur, sacri cætus cessant, Dei cultus negligitur, grassantur vitia; cædibus, rapinis et impudicitiis omnia loca replentur. Cùm ergo à regibus pendeat subditorum pax, et à pace temporali multùm pendeat externum religionis exercitium; cùm aliundè corda regum sint in manu Dei, hinc ab omnibus fidelibus orandum est pro regibus.

Vers 3. — Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo. Græc. : *Hoc enim pulchrum et acceptum*, etc. Probat orandum esse pro omnibus hominibus, tum quia *hoc*, silicet orare pro omnibus, in se *bonum est*, utpote charitatis opus, tum quia *hoc* consequenter *Deo* gratum et *acceptum est*.

Vers 4. — Qui omnes homines vult salvos fieri... Probat *hoc*, id est, pro omnibus orare, pulchrum et Deo gratum esse; quia scilicet hoc Dei voluntati conforme est; ipse enim Deus et salvator noster *vult omnes homines salvos fieri*.... Græc., *servari*. Et quia hoc ipse vult, gratum est illi quòd nos idem velimus, idem optemus, et consequenter oremus id quod optat ipse, scilicet, ut omnes convertantur, et propterea ad cognitionem veritatis evangelicæ perveniant, seu ad fidem in Christum, sine quâ non est salus. *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Imitare ergo Deum tuum; illius concorda voluntati; velis quod omnes salvi fiant : quod si vis, et ora; quippe volentium est orare, D. Chrysostomus.

Vers.—5. Unus enim Deus unus et mediator... Probat Deum velle omnium hominum salutem. Primò, quia unus et idem est omnium Deus, Creator, Pater et Dominus; omnes ergo homines, utpote opus suum, filios suos, servos suos, diligit et salvos cupit; secundò, quia unus et idem est omnium hominum mediator apud Deum, scilicet Jesus Christus, homo Deus, qui mediationis suæ beneficium extendit ad omnes; omnium ergo reconciliationem vult et salutem. Et ne dubites quin id seriò velit et sincerè.

Vers. 6. — Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Tertiò hic Jesus Christus, homo Deus, mediator noster, *semetipsum dedit* in pretium redemptionis omnium hominum, seu pro redimendis atque salvandis omnibus hominibus. Non redemit auro et argento, sed *semetipsum dedit* in ἀντίλυτρον Lytrum, pretium redemptionis, qualecumque sit; antilytrum, pretium vicarium, quo res cum re simili et vicariâ redimitur; vita pro vitâ, caput pro capite. Hoc fecit Christus, *qui semetipsum dedit* pro nobis, vitam suam pro vitâ nostrâ, vitam Dei pro vitâ hominum, vitam Filii Dei, pro vitâ Dei inimicorum.

O ineffabilis dilectio! ô sanè vera et seria voluntas salutis omnium hominum! Moyses, cæteriquè secundarii et ministeriales mediatores, hostias et preces obtulerunt pro iis quorum erant mediatores; at Jesus Christus primarius, principalis ac propè unicus mediator noster, semetipsum obtulit hostiam in arâ crucis, pro reconciliandis Deo omnibus hominibus

Testimonium temporibus suis. Græc. : *Testimonium temporibus propriis.* Syr. : *Testimonium, quod evenit tempore suo.* Correctio Romana : *Testimonium temporibus suis.* Et ita legendum putant Estius, Cornelius à Lapide, ita legerunt Lovanienses. Sensusque tunc videtur valdè naturalis. Authenticum sanè et indubitatum testimonium quod, tempore in Scripturis destinato, dedit divinæ suæ erga nos dilectionis, et quod reverà et seriò velit omnes homines salvos fieri. Hoc quippe probandum suscepit Apostolus, hoc ergo ex dictis concludit. Quòd si non placeat hæc explicatio, accipe Theodoreti interpretationem. Testimonium, inquit, vocat passionem, quia omnes prophetas testes habet. Tempora propria testimonii sunt quæ ad Gal. capite 4, vocantur plenitudo temporis.

Disquisitio veritatis.

In quâ verus versuum 4, 5 et 6 sensus sincerè, et sine prævention quæritur. Attendo ad Apostoli scopum et ad sermonis contextum. Primò, asseruit pro ominibus hominibus orandum esse. Hæc propositio universalis est, et nullam prorsùs suscipit exceptionem, nec enim nobis fas est quemquam ab orationibus nostris excludere : hoc fatetur etiam Estius. Secundò, ut hanc propositionem universalem probet Apostolus, seu ut nos ad illam in praxi redigendam excitet, id est, ut nos excitet ad orandum pro omnibus, affirmat talem orationem bonam esse, et Deo gratam. Tertiò hoc ipsum, scilicet orare pro omnibus, pulchrum et gratum esse Deo probat ex eo quòd Deus Salvator noster *vult omnes homines salvos fieri*, e propterea vult ut ad veritatis cognitionem veniant.

Vers. 3. — *Hoc enim* (ut scilicet oretur pro omnibus hominibus) *bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo.* Nota : Non Christum, sed Deum, vocat Salvatorem, quia Deus vult omnes salvos fieri, ideòque Christum Salvatorem omnibus dedit.

Vers. 4. — *Qui* (Deus) *omnes homines vult salvos fieri*, etc. Quantùm ex parte suâ, seriò et ex animo cupit et optat Deus omnium salutem, omnesque eò vocat, et ad eam sufficientia dat media. Vult enim Deus omnes salvos fieri, sed si accedant ad eum : non enim sic vult, ut nolentes salventur, sed vult illos salvari, si et ipsi velint, inquit S. Ambrosius.

Vers. 5. — *Unus enim Deus*, etc. Unus est Deus, omnium hominum creator; unus etiam homo Christus, Dei atque omnium hominum mediator, omnium redemptor : ergo sive beneficium creationis spectetur, quod omnium commune est, sive beneficium reconciliationis ac redemptionis, quod omnibus propositum est, vult Deus omnes homines salvos fieri. Necesse fuit in Christo hypostaticè naturam divinam et humanam copulari, ut odia inter Deum et homines componeret. Unus (Christus) est conciliator pacis, qui ea quæ erant inter se disjuncta et distantia conjunxit, inquit Theodoretus. Nota : In Christo, solus Deus non est mediator, nec solus homo, sed Deus homo; hic enim exercuit opera mediatoris, seu redemptionis nostræ in humanitate à se assumptâ.

Vers. 6. — *Qui dedit redemptionem semetipsum pro*

Affirmans autem Apostolus *quòd Deus vult omnes homines fieri salvos*, nobis concludendum relinquit quòd, cùm Deum oramus pro omnium hominum salute, divinæ tunc voluntati conformamur; quod Deo gratum et acceptum est.

His omnibus seriò et sincerè attentis, sic ratiocinor: Si accuratè loquitur Apostolus, sique rectè probat (quod in dubium revocare nefas), tam latè et universaliter sumit in v. 4: *Omnes homines*, quàm in v. 1 latè et universaliter sumpsit: *Pro omnibus hominibus*. Ideò enim vult Apostolus *pro omnibus hominibus* orari à fidelibus, quia *Deus vult omnes homines salvari*. Sicut ergo pro omnibus prorsùs hominibus, nemine excepto, nobis orandum esse asseruit in v. 1, ita et in v. 4 affirmat Deum velle omnes prorsùs homines, nemine excepto, salvos fieri. Hoc ipsum confirmant rationes quibus v. 5 et 6 probat Deum velle omnium hominum salutem; nimirùm, quia omnium hominum Deus est; quia Jesus Christus omnium hominum mediator est; et quia hic mediator noster *semetipsum dedit pro omnibus* redimendis hominibus. Deus enim omnium, nemine excepto, creator est hominum; Jesus Christus omnium, nullo excluso, mediator est hominum; pro omnibus redimendis, nemine excepto, semetipsum obtulit hic mediator Dei et hominum.

Mens D. Pauli.

Mens itaque D. Pauli est quòd Deus, Salvator noster velit et omnium prorsùs hominum, nemine secluso, salutem, voluntate scilicet antecedente, ut explicabitur infra.

Illatio quâ tres rejiciuntur interpretationes.

Unde infero apostolicæ menti non convenire tres aliquorum interpretationes. Primò interpretationem illorum qui dicunt: *Deus vult salvos fieri omnes homines*, id est, quicumque salvantur. Secundò illorum qui dicunt: *Deus vult salvari omnes homines*, id est, omnis generis homines, sive Judæi sint, sive gentiles, sive liberi, sive servi, sive principes, sive subditi, etc. Tertiò, illorum qui dicunt: *Deus vult servari omnes homines*, id est, quamplurimos et tot, ut aliquo modo dici possent omnes. Hæ tres, inquam, interpretationes, apostolicæ menti non conveniunt (nisi vera supponatur communis interpretatio quam mox attulimus de voluntate antecedente salvandi omnes homines), primò, quia limitant propositionem quam S. Paulus fecit universalem. *Deus vult omnes homines salvos fieri*, ait Apostolus. Nulla est in terminis, nec in mente, exceptio, ut visum est supra ex sermonis apostolici contextu. Contra hanc apostolicæ propositionis universalitatem, Deus vult tantùm salvandos salvari, ait prima interpretatio; Deus vult aliquos tantùm ex omni genere hominum salvari, ait secunda interpretatio; Deus vult tantùm quamplurimos salvari, ait tertia interpretatio. Ecce maximas exceptiones, quæ, si omninò locum habeant, Apostoli verba, mentem et scopum immeritò coarctant. Secundò, quia hæ tres interpretationes (seculsâ aliâ quam supra tetigimus) non modò D. Pauli mentem et scopum non assequuntur, sed ex illis, contra expressissimam Apostoli mentem, sequeretur non esse pro omnibus hominibus orandum, sed tantùm pro aliquibus, nimirùm, pro salvandis tantùm; pro aliquibus ex omni genere; pro quamplurimis.

Hæc sequela manifesta est. Ex D. Paulo, Dei voluntas circa salutem hominum est ratio nos movens et excitans ad orandum pro omnium hominum salute. Seu ideò, secundùm Apostolum, debemus pro omnibus orare, quia Deus vult omnes salvari. Sed ex primâ interpretatione, Deus vult tantùm salvandos salvâri; ergo et pro salvandis tantùm debemus orare. Ex secundâ interpretatione, Deus vult aliquos tantùm ex omni genere homines salvari; ergo et pro aliquibus tantùm ex omni genere nobis est orandum. Ex tertiâ interpretatione, Deus vult quamplurimos tantùm homines salvari: ergo et pro quamplurimis tantùm orare debemus. Et hoc cuilibet homini S. Paulum attentè legenti ita perspicuum est, ut ipse Estius has tres interpretationes rejiciat tanquàm apostolicæ menti et instituto non congruas. Quia, inquit Estius, sensum faciunt haud prorsùs universalem, ut manifestum est, multos enim homines exceptos relinquunt, et proinde non conveniunt instituto Apostoli, qui docere vult orandum esse pro omnibus hominibus, sine exceptione. Adde quòd ita dicitur Deus omnes velle salvos fieri, ut etiam addi possit quòd neminem velit perire; nam utrumque conjunxit Petrus apostolus, 2 Epist. 3, dicens Deum nolle *aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*: atqui hæc negatio non recipit dictas tres interpretationes; ergo nec illa affirmatio. Hucusque Estius, pag. 772, col. 2, circa medium.

Examinatur celebrior interpretatio.

Sed quid dicendum de aliâ interpretatione celebri, ab Estio et quamplurimis, et quidem doctissimis viris laudatâ et approbatâ, scilicet: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, id est, Deus dat suis fidelibus servis voluntatem salutis omnium hominum. Seu Deus facit ut sui fideles servi velint omnium hominum salutem, et pro eâ laborent et orent. Itaque, inquiunt, hæc propositio: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, est locutio causalis quâ dicitur Deus velle, vel facere, id quod facit ut nos ipsi velimus et faciamus; sicut Rom. 8 dicitur Spiritus sanctus postulare gemitibus inenarrabilibus, quia facit sanctos ita postulare.

Hanc interpretationem hucusque reveritus sum,

omnibus. Redemptionem, id est, pretium redemptionis. Christus pro nostrâ vitâ suam tradidit quasi nostrum. Ita Theophylactus.

Testimonium temporibus suis. Ut scilicet hæc ipsa Christi redemptio suis temporibus esset testimonium, tum divinæ charitatis, fidelitatis (quâ hanc redemptionem hominibus per prophetas promisit, et reipsâ præstitit), Christi enim sanguis effusus testatur et fidem facit quantùm Deus nos diligat, et quantoperè cupiat omnes salvos fieri; tum æquitatis et justitiæ divinæ in futuro judicio.

quia à doctis et sanctis pariter viris usurpatur. Sed nunc veritatem in semetipsâ quærens, non in hominum auctoritate, nunc, inquam, D. Pauli mentem in suis propriis verbis et argumentis perscrutans, non in alienis ratiocinationibus, aut præjudiciis, animadverto hanc interpretationem (nisi nostra priùs adhibeatur) esse à D. Pauli mente alienam ; sic enim argumentor : Mens D. Pauli hæc est : Vult et ordinat ut in Ecclesiâ oretur pro omnibus prorsùs hominibus ; hoc jam supra monstratum est. Ut fideles excitet Apostolus ad orandum pro omnibus prorsùs hominibus, affirmat eis quòd hæc oratio Deo grata sit et accepta, utpote divinæ voluntati conformis, quia Deus ipse, qui *Salvator noster* est, *vult* etiam *omnes homines salvos fieri.* Mens itaque D. Pauli est quòd per hoc nostrum votum, circa salutem omnium, divinæ conformamur voluntati, hincque Deo grata et accepta est oratio nostra. Supponit ergo D. Paulus esse reverà in Deo voluntatem salutis omnium, cui nostra voluntas et desiderium circa salutem omnium hominum conformetur. Quomodò enim hâc in re Dei voluntati conformabimur, nisi reverà sit in Deo voluntas salutis omnium, et nisi id Deus in seipso velit ?

Addo. Ex D. Paulo, voluntas Dei, circa salutem omnium, est regula nostræ voluntatis circa eamdem omnium salutem ; nostram ergo voluntatem præcedit, sicut regula regulatum ; est ergo reverà in Deo talis voluntas, antequàm sit in nobis. Addo rursùs, D. Paulus, hâc Dei voluntate salutis omnium utitur tanquàm medio et motivo quo nostram excitet et moveat voluntatem ad orandum pro omnium salute. In mente ergo D. Pauli hæc Dei voluntas non est ipsa fidelium volitio ut à Deo excitata, cùm è contra hæc Dei voluntas sit quid nostram voluntatem excitans, movens, et consequenter eam præcedens, et ab eâ prorsùs distinctum. Denique ex D. Paulo placet Deo nostra pro omnium salute deprecatio, quia Deus vult omnium prorsùs hominum salutem. Sicut ergo hæc Dei complacentia, circa nostram orationem, est reverà Dei et in Deo, ita et Dei voluntas de salute omnium est reverà Dei et in Deo. Quomodò enim Deus sibi complacebit circa quidquam, nisi in seipso ? Et quomodò complacebit sibi, in seipso, ob nostras pro omnium salute deprecationes nisi reverà velit in seipso omnium salutem ? Sed ut clariùs pateat hanc interpretationem à D. Pauli mente alienam : hâc interpretatione gratis admissâ reflectamus ad sensum quem format : Orate pro omnium prorsùs hominum salute. — Quare ? — Quia hoc Deo gratum ? — Unde nôsti hoc Deo gratum ? — Quia *Deus vult omnes salvari*, id est, Deus vobis dat voluntatem salutis omnium. — Quænam est vis hujus argumenti tui ? — Excitas ut velim, quia Deus dat mihi velle. — Si dat velle, ut supponis, reverà volo, et infallibiliter volo ; frustra igitur hortaris ut velim ; quòd, ex te, jam volo, cùm Deus mihi dederit velle.

Nullum et inutile redditur argumentum Apostoli per talem interpretationem ; est itaque ab ejus mente aliena. Prætereà ab Apostolo sic interpretato quærî posset : Unde nôsti quòd Deus talem mihi voluntatem dederit ? Nec enim illam in me sentio, imò mens et voluntas mea repugnat orare Deum pro infideli, pro idololatrâ, pro fidelium persecutore, pro tyranno, pro homine pessimo, vitiis corrupto, et penitùs perdito. Ad quid prætereà Deum orabo pro homine quem Deus ipse videtur reverà deseruisse ? Unum tantummodò potest ad id me movere ; nimirùm, si sciam quòd Deo placitura sit hæc oratio mea ; utpote qui vult etiam istius hominis pessimi salutem ; quia, scilicet, Deus, omnium hominum creator, *vult omnes homines salvos fieri.*

Et hinc redditur vis et robur Apostoli argumento. Orate pro omnibus hominibus : quia hoc Deo gratum, utpote ejus voluntati conforme, ipse enim Deus, omnium hominum creator, *vult omnes* omninò *homines salvos fieri.*

Conclusio.

Cùm omnes supradictæ interpretationes (nisi nostra vera supponatur) sint à D. Pauli mente alienæ, illiusque infringant argumentum, quod à simplici et litterali verborum sensu totam vim suam habet, concludo simpliciter et ad litteram credendum esse D. Paulo, gentium apostolo, veritatisque doctori, formaliter et expressè dicenti : *Deus vult omnes homines salvos fieri.*

Credendum et D. Petro, apostolorum principi, Ecclesiæ fundamento et veritatis columnæ, confirmanti Paulum et quasi explicanti : *Deus vult omnes homines salvos fieri*, ait Paulus. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*, ait D. Petr., secundæ Epist. cap. 3, v. 9. Ecce veritatem eamdem, propositionibus æquè universalibus, tum affirmativis, tum negativis, à duobus præcipuis apostolis formaliter expressam, et multis à D. Paulo rationibus probatam, v. 5 et 6. Ut quid dubitamus ? Quia, inquis, magnæ hinc difficultates oriuntur. Fateor : sed primò, an minores oriuntur ex hujus veritatis opposito ? Secundò an propter difficultates ex aliquâ veritate nascentes, licet de eâdem veritate formaliter et expressè revelatâ dubitare ? Quot, quæso, difficultates ex mysterio sanctissimæ Trinitatis ? Quot ex mysterio sanctissimæ Incarnationis, ex mysterio sanctissimæ Eucharistiæ ? Has omnes superamus, quia hæc mysteria formaliter in Scripturis sunt revelata. Sic et superandæ difficultates ex hâc veritate nascentes, quia ipsa expressè revelata. Et sanè licèt inextricabiles ex eâ difficultates orirentur, mallem ingenii mei imbecillitatem fateri (quæ divinæ voluntatis immensitatem non potest attingere, multò minùs comprehendere), quàm veritatem ita formaliter expressam et probatam à D. Paulo, et confirmatam à D. Petro, aut denegare, aut alienis interpretationibus detorquere. Sed non sunt hujusmodi difficultates, quæ hic possent objici, et quas tamen scholasticis relinquo solvendas, quia hic locus est non disputandi, sed mentem D. Pauli in suis verbis agnoscendi. Agnoscamus itaque veritatem, et ipsa benè nota difficultatum tenebras dissipabit.

modumque nobis præbebit veritatem cum veritate conciliandi.

Veritates in S. Pauli verbis inclusæ.

Prima itaque veritas in verbis D. Pauli nobis revelata hæc est : Deus, utpote omnium hominum creator, sincerè et seriò *vult omnes homines salvos fieri*. Secunda, Deus omnium hominum creator, ita serio et sincerè vult omnium hominum salutem, ut propterea Filium suum unigenitum Jesum Christum, Deum et hominem, eis omnibus dederit salutis mediatorem. Tertia, Jesus Christus, Filius Dei, homo Deus, hominumque cum Deo mediator et reconciliator, ita sincerè vult omnium hominum reconciliationem et salutem, ut semetipsum dederit pro omnibus redimendis hominibus, Deoque reconciliandis. Quarta veritas in præcedentibus inclusa : Per et propter hunc omnium hominum Redemptorem, Deus gratiam suam, sacramenta et alia media ad salutem necessaria, omnibus subministrat hominibus.

Explicatur hæc Dei voluntas.

Hinc ad explicandas et solvendas difficultates, colligе quòd hæc voluntas non sit tantùm signi et extra Deum, quà scilicet Deus omnibus hominibus proponit doctrinam Evangelii et præcepta salutis, sed etiam beneplaciti voluntas, et in Deo, quà scilicet Deus verè, sincerè et seriò, vult et cupit omnium hominum salutem, imò et ex parte suâ efficaciter. Quòd non sit signi tantùm, patet ex eo quòd si significaret tantùm Deus se velle omnium hominum salutem, quam tamen reverà non vult in se ; simulatè et dolosè ageret Deus : quod impium cogitare. Est ergo voluntas beneplaciti, non absoluta, aliàs omnes salvarentur, sed ex hypothesi quòd ipsi velint, ope gratiæ, præstare quæ ab ipsis ad salutem requiruntur. Hæc voluntas Dei dicitur efficax ex parte Dei, quia Deus per eam, et Christum dedit Salvatorem, et media ad salutem necessaria suppeditat : non est tamen totaliter efficax et completa, sed incompleta, et ex parte Dei tantùm efficax. Hanc voluntatem D. Chrysostomus vocat primam ; et post ipsum Theophylactus ait : Prima voluntas Dei est quòd nemo pereat. Secunda voluntas est ut impii pereant, in epist. ad Ephes., c. 1, v. 6. D. Damascenus et post ipsum theologi vocant hanc voluntatem antecedentem, ita etiam Theophylactus ibidem. Quia antecedit omnem prævisionem bonorum, aut malorum operum hominis. Posset dici naturalis voluntas Dei, quia manat ex Deo tantùm, qui de suo bonus.

Satisfit objectioni.

At, inquies. si reverà *Deus vult omnes homines salvos fieri*, ad quid illum orare? — Resp. : Ut opere compleat quod vult, ut rebelles etiam compellat hominum voluntates, earumque duritiam vincat.

Instabis : Satiùs videretur homines excitare ad volendum, quàm Deum exorare. — Resp. utrumque faciendum, quia salus à Deo, et ab homine. Vide dicta ad Philip., c. 2, v. 13. A Deo, inquam, hinc orandus ut det id sine quo nulla salus, gratiam scilicet ; ab homine autem, hinc excitandus ut humiliter et sedulò divinæ gratiæ cooperetur ; seu, sicut ait Apostolus, ut cum metu et tremore suam salutem operetur, loco citato. Qui enim fecit nos sine nobis, non salvabit nos sine nobis, D. Augustinus.

Vers. 7. — In quo positus sum... Ad quod testimonium de Christi charitate, et de Dei voluntate, toti mundo publicandum ego constitutus sum apostolus et prædicator. Veritatem dico, et non mentior. Hoc addit ab obstruendum os eorum qui ejus apostolatum negabant. Sincerè loquor, et ex conscientiâ, quia doctor sum et præco, destinatus præcipuè gentibus in fide et veritate docendis. Et ut talis volo, precor, ut orent viri, etc.

Vers. 8. — Volo ergo viros orare in omni loco... Redit ad id quod v. 1 inchoavit ; et postquàm docuit orandum, et quidem omnibus modis, et pro omnibus hominibus, nunc pergit docere à quibus, ubi, et quomodò sit orandum.

A quibus orandus est Deus? A viris pariter, et à mulieribus. *Volo viros... similiter et mulieres...* Oratio est alimonia mentis : hinc virorum et mulierum animæ tam necessaria quàm cibus eorum corpori. Par utrique sexui necessitas orandi. (*Volo igitur*, etc.) Una natura, una et gratia.

Ubi orandum? *in omni loco.* Per Christum tota terra sanctificata est, omnisque locus oratorium factus. Quoniam Christus adveniens expiavit universam terram, nobis omnis locus oratorium factus est, ait August., serm. 130, in parasc., de Cruce et Latrone. Hinc præcipit Apostolus orare ubique. Nobis itaque licet in omni loco orare. Sed quia hic agitur de publicis precibus, et præcipuè de sacrificio et synaxi, ut aiunt omnes interpretes, et ut manifestum est ex habitu decenti et ornato, quem Apostolus requirit in mulieribus : quid enim refert quo habitu orent in cubiculis? Hinc *in omni loco*, intellige publicis precibus dicato, seu in quàvis Ecclesiâ, seu potiùs oratoriis. Tunc enim nondùm erant Ecclesiæ, sed fideles conveniebant quo poterant. His autem verbis affirmat illis Paulus, quòd eorum preces non minùs gratæ essent Deo in quocumque loco precibus dicato, seu oratorio, quàm si in templo Jerosolymitano factæ fuissent ; vult ergo ut ad orandum conveniant ubi poterunt eritque commodum orare.

Quomodò orabunt viri?

Levantes ad cœlum manus puras, non aquâ lotas ; sed cupiditate, rapinâ, cædibus mundas, Chrysosto-

Vers. 7. — *In quo* (ad quod, scilicet testimonium et Christi redemptionem promulgandam) *positus sum ego prædicator et apostolus*, etc. Doctor gentium instituendarum in fide et veritate ; id est, ut fidem Christi recipiant et veritatem ejus agnoscant.

Vers. 8. *Volo ergo viros orare in omni loco*, etc. Hoc est, sanctas manus, scilicet servando vacuas ira et disceptatione, pugnis, rapinâ, avaritiâ, turpitudine, ac per eleemosynas eas sanctificando. Levare manus habitus est orantis. *Sine irâ*, id est, sine injuriarum memoriâ, sine vindictæ cupiditate. Ambrosius per disceptationem intelligit mentis evagationem, quæ in oratione excludi debet per attentionem animi

mus. *Lavamini, mundi estote,* Isai. 1. Levatio manuum significat cordis elevationem, ait D. Thomas; hâc cæremoniâ auxilium ab alto petitur. Proprium erat sacerdotum veteris Testamenti levare manus. Hoc autem Apostolus vult fieri ab omnibus Christianis, quia omnes sunt sacerdotes, ait Theodoretus. *Regale sacerdotium.*

SINE IRA ET DISCEPTATIONE. Mundum sit et cor ab irâ et inimicitiâ. Quia viros nominavit, vitia excludit in viros magis cadentia. *Disceptatione.* Græc., διαλογισμου. Latini interpretantur de disputatione, seu discordiâ cum fratribus. Juxta quos sensus est : Pacificus sit animus, sine odio, et disputatione, hocque conforme est orationi Dominicæ : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos,* etc.

Orationis fructus est reconciliatio cum Deo : huic autem reconciliationi cum Deo nihil sic obest ac discordia cum fratribus; hinc sine odio et discordiâ orandum. D. Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, versio Arabica, Æthiopica, etc., interpretantur *diffidentiam, hæsitationem.* Glossa etiam apud D. Thomam : *Ut non disputemus contra Deum increduli verbis ejus.* Grotius etiam : Duo sunt, quæ maximè preces Deo ingratas faciunt; odium adversùs fratrem, quod hic iram dixit, et dubitationem de Dei promissis. Hi omnes volunt quòd oremus sine odio in fratrem, et sine diffidentiâ in Deum; sed cum fiduciâ, juxta D. Jacob. 1 : *Postulet in fide nihil hæsitans.*

VERS. 9. — SIMILITER ET MULIERES. Quomodò orabunt mulieres? Similiter precari volo, puris manibus, sine odio, et disputatione. Sed præter hæc viris et mulieribus communia, volo ut honestè et modestè sint ornatæ. Syrus : *In habitu casto vestimenti, cum verecundiâ et pudicitiâ sit ornatus earum.* A mulieribus removet vitia muliebria : pleræque enim peccant nimio corporis ornatu; vult habitum illarum mundum quidem esse, sed non luxuriantem, sed qui castitatem redoleat.

IN HABITU. Græcè., ἐν καταστολῇ, tunicam undique honestam, compositam, significare voluit, ait D. Chrysostomus. Habitum longiorem dicit, hoc est, ut undique vestiantur et contegantur, et ne impudenter detegantur, Theophylactus.

ORNATO. Per ornatum non intelligit exquisitum, sed moderatum, D. Chrysostomus. Habitus itaque illarum sit mundus, id est, modestus et decens.

CUM VERECUNDIA ET SOBRIETATE ORNANTES SE. Pudor et modestia sint illarum ornamenta. Volo igitur mulieres orare in habitu modesto, qui honestatem et castitatem redoleat. Sed NON IN TORTIS, seu calamistratis CAPILLIS. Non se comant.

NON IN AURO... Nec aurum, nec margaritas gestent, nec pretiosis ac splendidis vestibus induantur.

VERS. 10.— SED QUOD DECET MULIERES... Sed bonis operibus ornatæ, sicut decet mulieres pietatem professas, id est, christianas. Vel, ut decet mulieres profitentes non linguâ tantùm, sed et operibus bonis, pietatem.

Observationes morales.

Contra luxum mulierum in templo, vide D. Joannem Chrysostomum hic. Deum precatura pergis, et ornamenta aurea circumfers, flavosque crines, et ipsos auro compositos? An verò saltatura ad ecclesiam pergis? Numquid hìc nuptias et lasciviæ oblectamenta conquiris? Num ut tui spectaculum præbeas advenisti? Num tibi nunc instruendus est thalamus, etc.? Accessisti ut Deum pro peccatis tuis depreceris, etc., non iste supplicis habitus. Quo enim pacto potes ingemiscere, etc., quæ ejusmodi ornatu compta procedis? Nam, etsi lacrymas fuderis, risum cernentibus hujusmodi lacrymæ movebunt, etc. Est enim scena quædam atque simulatio, si ex eodem animo ex quo tanta sumptûs magnificentia tantaque ambitio prodit, inde etiam lacrymas profundi viderint. Amputa omnem hujusmodi simulationem, circumcide abs te omnem illum scenæ atque histrionum gestum. *Deus enim* profectò *non irridetur.*

Eumdem ibidem vide contra mulieres quæ purpurisso vultum inficiunt, stibio oculos pingunt, etc. Vide et contra eas quæ vilibus quidem pannis induuntur, sed in veste etiam nigrâ nimium magnâ arte quærunt ornatum. Si vanitas, si luxus, si ornamentorum amor tantum sit mulieribus vitium, quantò majus in viris? Fateamur necesse est sumptuositatem, luxum, ornatuum amorem nimium, in quibuscumque sint, Christianismo esse opposita, et orationis spiritui contraria. Christianismus est humilitatis, pœnitentiæ et mortificationis status, est quippe Christi imitatio. Quid ergo ei plus oppositum quàm amor mundi pomparum, quibus in baptismo fit renuntiatio. Compunctio, pœnitentia, annihilatio coram Deo, sunt animæ ad bonam orationem dispositio, et quasi orationis spiritus. Huic spiritui quid magis contrarium quàm superbia cordis, ornatus corporis, mollities utriusque. Conteratur igitur cor, sacco et cinere induatur corpus; saltem utrumque sit humile, pœnitens, humiliatum : sicque humiliati et compuncti Dei misericordiam supplices oremus.

VERS. 11. — MULIER IN SILENTIO DISCAT... In ecclesiâ doctores audiendo, in domo maritum interrogando, ut 1 Cor. 14, v. 34. In templo autem nihil debet interrogare, sed omninò silere; nihil loquatur

VERS. 9. — *Similiter et mulieres in habitu ornato,* id est, honesto, decenti. *Ornato,* id est, modesto ac moderato, et qui deceat mulieres. Nam quod decet, id demùm ornat.

Cum verecundiâ et sobrietate, id est, verecundè, sobriè, moderatè et modestè *ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosâ,* id est, vestitu sumptuoso.

VERS. 10. — *Sed quod decet mulieres, promittentes* (id est, profitentes) *pietatem per opera bona,* q. d. : Ita honestè ac modestè se vestiant, sicut vestiri decet mulieres christianas, quæ per bona opera; id est, per bonam vitam et mores christianos, profitentur non levitatem, non luxum, non lasciviam, sed pietatem ac cultum Dei.

VERS. 11. — *Mulier in silentio discat cum omni sub-*

in Ecclesiâ : *Turpe est illi loqui.* 1 Cor. 14, v. 35.

VERS. 12. — DOCERE AUTEM MULIERI NON PERMITTO, NEQUE DOMINARI IN VIRUM... In Ecclesiâ docere non potest mulier, nec ullam ubicumque in virum auctoritatem sumere. Domi tamen docere potest et debet puellas, filios; imò et Prisca docuit Apollinem, Act. 18, v. 26, et mulier fidelis virum infidelem, 1 Cor. 7, ait Theophylactus.

VERS. 13. — ADAM ENIM PRIMO FORMATUS EST. Duo sunt in versu præcedente; scilicet mulieri docere non permitto, et eam in virum dominari nolo. Hinc duæ in hoc et sequenti versu rationes utrique asserto, ordine tamen inverso, correspondentes. Non dominetur in virum, quia vir est illâ præstantior, ut patet ex utriusque formatione. *Adam enim prior formatus est*, Eva posterior; Adam non propter Evam, neque ex Evâ; sed Eva propter Adam et ex Adam; ergo non se præferat viro, cui Deus primatum dedit, quemque hoc signo præstantiorem declaravit.

VERS. 14. — ET ADAM NON EST SEDUCTUS. Non doceat mulier, quia ipsa seducta fuit : *Adam* verò *non fuit* à serpente *seductus*. Quasi diceret : Ipsa est mente imbecillior, et errori atque deceptioni nimis obnoxia, ut patet ex eo quòd tuit à serpente seducta. Non doceat ergo eum qui vigore mentis præstat ei, quique deceptioni minùs est obnoxius, ut patet ex eo quòd à serpente non fuit seductus, imò nec aggressus.

Nota litteralis.

Peccavit uterque Adam et Eva, sed adverte discrimen in Scripturis notatum, et quod hic exprimit Apostolus. *Adam non est seductus*, MULIER AUTEM SEDUCTA. Eva peccavit seducta, *serpens decepit me*; credidit serpenti dicenti : *Nequaquàm moriemini.* Hocque credens, putavit vel quòd in Dei præcepto aliquod lateret mysterium, vel quòd verborum Dei sensum nec ipsa, nec maritus suus essent assecuti; et ita seducta, fructum pulchrum visu et gustu suavem comedit, virumque suum blanditiis suis ad comedendum induxit.

Non sic Adamus : ipse enim à serpente *non fuit seductus*, à quo nec fuit aggressus; neque etiam ab Evâ propriè deceptus fuit, quæ, non fallendi animo, sed seducta et decepta, fructum obtulit : peccavit itaque tum inordinato conjugis amore, tum quâdam superbiæ titillatione, et excellendi libidine : cùmque potuisset facilè hos motus inordinatos reprimere, spontè permisit eos in se suboriri, et prævalere; quibus tandem victus, deliciasque suas contristare nolens (ut ait D. Augustinus), uxori roganti et blandienti morem gessit, et contra Dei præceptum comedit, sciens quidem se peccare, sed divinæ severitatis inexpertus, credens quòd ei facilè remitteretur, ait D. Thomas. Hinc infert Apostolus : Non doceat illa, utpote errori magis obnoxia, quæque legem Domini tam malè interpretata, virum et omnes filios suos in peccatum pertraxit. Semel docuit mulier, et cuncta pervertit : ideò ultra non doceat, D. Chrysostomus.

VERS. 15. — SALVABITUR AUTEM PER FILIORUM GENERATIONEM... Quia vetuit mulieri loqui, nunc, eam consolans, tradit ei quos doceat. Quasi diceret : Sileat ergo mulier, subjiciatur; non deerit tamen illi pia occupatio. *Salvabitur per filiorum educationem*, si illos benè instituat atque doceat. Loquitur hic conjugatis, quales erant pleræque, easque docet officium quo salvari debeant. Virginibus autem sua privilegia reservat, de quibus egit 1 ad Cor. cap. 7.

Ex D. Thomâ, *per* non dicit causam, sed non repugnantiam, estque sensus : Mulier *salvabitur*, etsi incedat *per generationem filiorum*; id est, etsi nubat, et non sit virgo. Si filios benè educaverit, si ipsa in fide *permanserit.*

SI PERMANSERIT IN FIDE. Si Evæ exemplum non sequatur, nec se à Satanâ seduci permittat, sed constans permaneat in fide Christi, in charitate Dei et proximi, in sanctitate morum, et sobrietate, seu temperantiâ cupiditatum, in matrimonio scilicet, seu si legitimè in matrimonio conversetur, ita Theophylactus. Plerique legunt in plurali, *si permanserint.* D. Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Græc., Syr., Arab., Æthiop., multi etiam Latini. Jam verò bipertiuntur : aliqui enim volunt illud plurale ad filios referri, sitque sensus : Si filios educet, et quantùm est in se, curet ut filii *permaneant in fide*, etc. Alii referunt illud ad mulierem in genere, seu quæ sic sumpta æquivalet plurali. De communi mulierum naturâ, ait Theodoretus. Parùm refert quomodò sumatur : cùm tamen sensus primò allatus sit valdè naturalis, nostraque versio à Romanis correctoribus non sit immutata, huic adhæreo.

---

jectione. Jubet mulierem discere cum omni subjectione.

VERS. 12. — *Docere autem mulieri non permitto.* In ecclesiâ et cœtu publico, ubi agitur communis oratio.

Neque dominari (hoc est, auctoritatem usurpare) *in virum*, supple permitto mulieri, *sed esse in silentio*, id est, quiete.

VERS. 13. — *Adam enim primus formatus est, deinde Eva.* Viro auctoritas in mulierem competit, non contra.

VERS. 14. — *Adam non est seductus*, Græcè, *deceptus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit*, q.d.: Mulier ubi decepta fuit, prævaricata est, et transgredi cœpit præceptum Domini.

VERS. 15. — *Salvabitur autem per filiorum generationem*, q. d. : Esto non doceat mulier, non deerit illi pia occupatio, adeòque salvabitur, non per librorum, sed per liberorum tractationem.

Si permanserit in fide, et dilectione, q. d. : Salvabitur mater, si curet ut filii permaneant in Christi fide et dilectione ac sanctitate, adjunctâ sobrietate, inquit Chrysostomus. Quod intelligi potest de eo tempore quo liberi sunt sub curâ et educatione matris.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

1° Dei minister plenè persuasus quòd *Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere*, cap. 1, v. 15, *et quòd Deus vult omnes homines salvos fieri*, hujus capitis v. 3; omnibus modis oret; nunc peccatorum remissionem obsecrans; nunc gratiæ largitionem petens; nunc liberationem à malis, et bonorum concessionem postulans; nunc pro beneficiis acceptis gratias agens; præsertim verò sacrificium Redemptionis hominum, quod ita propitiatorium est ut impetratorium simul sit et eucharisticum, frequenter et quasi jugiter offerens; pro omnibus omninò hominibus, quia, ut sacerdos, quasi totius orbis est pater: speciatim autem pro regibus et omnibus in dignitate constitutis, ut sub illis quietè et pacificè Deo serviamus. Meminerit ergo sacerdos se ad hoc, scilicet ad orandum et ad sacrificandum pro omnibus constitutum esse sacerdotem, Dei et hominum mediatorem; v. 7.

2° Quia oratio omnibus est necessaria et totius est Ecclesiæ orare, sacerdos, Dei minister, doceat omnes, et viros, et mulieres, modum ubique ac præsertim in Ecclesiis orandi. Curet ergo ut viri orent purè, manibus et corde mundis; v. 8. Ut mulieres præterea orent modestæ, verecundiâ et pudicitiâ ornatæ; v. 9, 10.

Sacerdos et populus sic purè et humiliter orans, et quasi manu factâ ambiens thronum gratiæ Dei, misericordiam consequentur.

CAPUT III.

1. Fidelis sermo: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.

2. Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem,

3. Non vinolentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non cupidum, sed

4. Suæ domui benè præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate.

5. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodò Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?

6. Non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.

7. Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli.

8. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes;

9. Habentes mysterium fidei in conscientiâ purâ.

10. Et hi autem probentur primùm; et sic ministrent, nullum crimen habentes.

11. Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus.

12. Diaconi sint unius uxoris viri; qui filiis suis benè præsint, et suis domibus.

13. Qui enim benè ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, et multam fiduciam in fide quæ est in Christo Jesu.

14. Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire citò:

15. Si autem tardarvero, ut scias quomodò oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.

16. Et manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in glorià.

CHAPITRE III.

1. C'est une vérité certaine, que si quelqu'un souhaite l'épiscopat, il désire une œuvre sainte.

2. Il faut donc que l'évêque soit irrépréhensible, qu'il n'ait épousé qu'une femme, qu'il soit sobre, prudent, grave et modeste, chaste, aimant à exercer l'hospitalité, capable d'instruire;

3. Qu'il ne soit ni sujet au vin, ni violent et prompt à frapper; mais équitable et modéré, éloigné des contestations, désintéressé;

4. Qu'il gouverne bien sa propre famille, et qu'il maintienne ses enfants dans l'obéissance et dans toute sorte d'honnêteté.

5. Car si quelqu'un ne sait pas gouverner sa propre famille, comment pourra-t-il conduire l'Eglise de Dieu?

6. Que ce ne soit point un néophyte, de peur que s'élevant d'orgueil, il ne tombe dans la même condamnation que le diable.

7. Il faut encore qu'il ait bon témoignage de ceux qui sont hors de l'Eglise, de peur qu'il ne tombe dans l'opprobre, et dans le piége du démon.

8. Que les diacres de même soient honnêtes et bien réglés; qu'ils ne soient point doubles dans leurs paroles, ni sujets à boire beaucoup de vin; qu'ils ne cherchent point de gain honteux;

9. Mais qu'ils conservent le mystère de la foi avec une conscience pure.

10. Ils doivent aussi être éprouvés auparavant, puis admis dans le ministère, s'ils ne se trouvent coupables d'aucun crime.

11. Que les femmes de même soient honnêtes et d'une conduite réglée, exemptes de médisance, sobres, fidèles en toutes choses.

12. Qu'on prenne pour diacres ceux qui n'auront épousé qu'une femme, qui gouvernent bien leurs enfants et leurs propres familles.

13. Car le bon usage qu'ils auront fait de leur ministère les fera monter à un degré plus haut, et leur donnera une grande confiance dans la foi qui est en Jésus-Christ.

14. Je vous écris ceci, quoique j'espère aller bientôt vous voir;

15. Afin que si je tardais plus longtemps, vous sachiez comment vous devez vous conduire dans la maison de Dieu, qui est l'Eglise du Dieu vivant, la colonne et la base de la vérité.

16. Et sans doute c'est quelque chose de grand que ce mystère d'amour qui s'est fait voir dans la chair, qui a été justifié par l'Esprit, qui a été manifesté aux anges, prêché aux nations, cru dans le monde, reçu dans la gloire.

ANALYSIS.

Agitur de ordinatione ministrorum. Primò, quales in episcopo requirantur dotes, v. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7. *Secundò, quales in diacono, v.* 8, 9, 10, 12. 13. *Tertiò, quales in eorum uxoribus, v.* 11.

Denique Timotheum monet ut juxta præcepta hìc sibi tradita gubernet Ecclesiam Dei, quæ est veritatis columna, v. 14, 15. *Quæ sit autem hæc veritas, explicat v.* 16, *brevi, sed distinctâ incarnationis Dominicæ expositione.*

PARAPHRASIS.

1. Certa et indubitata res est, quòd si quis episcopatum desiderat, præclarum optat ministerium.

2. Oportet autem ut episcopus sit vitæ prorsùs irreprehensibilis; non bigamus, sit sobrius, et consequenter vigilans, prudens, compositus, castus, amans peregrinos, aptus et paratus ad docendum.

3. Vino non sit obnoxius, non violentus, et qui percutiat; sed sit mansuetus, rixarum et litium abstinens, non amator argenti;

4. Propriæ domui suæ benè præsideat, filios contineat in obedientiâ sibi subditos, et in omni honestate et gravitate morum.

5. Nam si familiam suam nescit regere, quomodò Ecclesiæ Dei curam geret?

6. Non sit nuper baptizatus et Christo insitus, ne ob episcopatûs honorem inflatus superbiat, et ob superbiam in eamdem cum dæmone damnationem incidat.

7. Oportet etiam illum benè audire apud eos qui sunt extra Ecclesiam, id est, infideles, ne apud eos contemptus, et probro subditus, incidat in laqueum diaboli.

8. Eodem quoque modo oportet ut diaconi casti sint et honesti, duplicia non loquantur, non sint bibaces, et ad vinum proclives; neque turpiter et avarè pecunias quærant:

9. Sed fidem christianam servent et custodiant per bonam conscientiam.

10. Et hi primùm probentur, et longo tempore explorentur: et si inculpati et irreprehensibiles reperiantur, tandem ordinentur, et ministrent.

11. Sic etiam oportet ut mulieres eorum castæ sint et graves, non calumniatrices, sobriæ, per omnia fideles.

12. Diaconi sint monogami, qui filios suos suamque domum benè rexerint:

13. Qui enim diaconatûs officio ritè perfuncti fuerint, honestam viam sibi parant ad altiorem gradum, multamque sibi pariunt alios, juxta Christi fidem, docendi et monendi confidentiam.

14. Hæc tibi scribo sperans me ad te brevi venturum:

15. Si autem tardiùs venero, hæc tibi scribo ut scias quomodò ordinanda et gubernanda sit domus Dei, Ecclesia Dei vivi, quæ est columna et firmamentum firmissimum veritatis.

16. (De eâ veritate loquor) quæ sanæ maximum est pietatis sacramentum (quæque omnis christianæ veritatis, seu religionis, est caput), de Dominicæ scilicet incarnationis mysterio (in hoc consistente) quòd Deus, in se invisibilis, in humanâ carne manifestus et visibilis factus est, quòd per Spiritum S. (seu per stupenda miracula à Spiritu sancto facta) hic homo visibilis, verè Deus et Dei Filius justificatus et probatus est; quòd hic Deus-Homo ab angelis visus et adoratus est; quòd annuntiatus est gentibus; quòd per universum mundum creditus et adoratus; quòd in cœlum assumptus, sedet ad dexteram Dei.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Fidelis sermo. Hæc verba D. Chrysostomus et Theophylactus referunt ad ultimò dicta in præcedenti capite, sed meliùs ad jamjam dicenda referuntur, ob rationem statim dicendam. Timotheus erat, non solùm Ephesiorum episcopus, sed et omnium totius Asiæ Ecclesiarum archiepiscopus et primas, cui incumbebat cura episcopos et ministros per singulas urbes instituendi et ordinandi. Hinc illum Apostolus instruit de episcoporum et aliorum ordinandorum qualitatibus. Et quia res hæc est maximi momenti et ad omnes in Ecclesiâ, per universum mundum, usque ad consummationem seculorum, ordinandos pertinens, hinc Apostolus vult omnes ad ea quæ circa rem hanc jam dicturus est attentos esse, et propterea utitur consuetâ sibi in rebus majoris momenti præfatiunculâ. *Fidelis sermo*, id est, verissimus, ideòque attentè audiendus et fideliter amplectendus, seu veritas certa est et fide digna. Seu verissimum est et omni fidè dignissimum quod jam dicturus sum. Etsi vera sint et indubitata quæcumque nobis à Spiritu sancto revelantur, quò tamen nobis utiliora sunt et scitu magis necessaria, eò etiam sunt fide et attentione digniora. Hinc in sacris Scripturis variæ sunt locutiones quibus aliquorum revelatorum veritas præcipuè commendatur, v. g., Apoc. 22: *Hæc verba fidelissima sunt et vera*: ita et apud D. Paulum hìc et alibi in rebus gravioris momenti, vel in re fidei, vel in opere ministerii: *Fidelis sermo...*

Si quis episcopatum. Ἐπισκοπὴ significat omnem in genere inspectionem, hìc autem inspectionem in Ecclesiam, seu super Ecclesiam; seu præfecturam, prælaturam, cui incumbit ex officio animarum

Vers. 1. — *Fidelis sermo*, etc. Opus, non dignitatem: laborem, non delicias: opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio, ita S. Hieron. *Bonum*, id est, præclarum et arduum, *opus desiderat*. Vult docere Apostolus munus excelsum esse et arduum. Episcopatus est onus angelicis humeris formidabile: nam non tantùm pro suâ, sed et pro omnium sibi subditorum animabus ab episcopo rationem exiget Deus, ut docet Concil. Trident.

sibi subditarum saluti assiduè vigilare. Sensus est : Si quis inspectionem in alios, seu munus et onus aliorum saluti segniter invigilandi, et pro eâ indefessè allaborandi, desiderat, is καλὸν, *bonum*, pulchrum, præclarum, ἔργον, *opus*, munus, officium, functionem et ministerium optat, sed arduum sanè et maximè periculosum, ut patet ex ipso nomine et officio inspectionis, seu superinspectionis, ἐπισκοπῆς.

Observationes litterales.

Duo sunt in episcopatu, honor et onus, dignitas et opus. Videns ergo D. Paulus quia et suo forsan tempore nonnulli episcopatum ob dignitatem et honorem desiderabant, at certè spiritu prophetico prævidens quòd in Ecclesiâ multi futuri erant qui episcopatum nescientes illum erant appetituri ob ea quæ ipsum circumstant et subsequuntur, hinc de episcopis acturus, ante omnia exponit quid sit episcopatus, ut sciant omnes quid sit episcopatum desiderare. Exponit autem quid sit illa prælatura, ipso nomine. Ἐπισκοπὴ, *inspectio*, munus et onus inspiciendi, invigilandi, laborandi, etc. Episcopatus ex eo dicitur quòd omnes inspiciat, cunctaque speculetur, ait D. Chrysostomus. Episcopatus nomen est operis, non honoris, ait D. Augustinus, deductum ab ἐπὶ σκοπεῖν, *super-intendere;* ut intelligat non se episcopum esse, qui præesse dilexerit, non prodesse, Augustinus, lib. 10 de Civitate Dei, cap. 19. Exponit etiam quid sit illa prælatura, dicendo quòd sit opus, seu onus operandi et laborandi. Munus proponit, sed per opus exponit, ait D. Chrysostomus, *bonum opus. Si quis ergo episcopatum*, superinspectionem, munus in alios inspiciendi, et pro eorum salute continuè laborandi, desiderat,

Bonum opus quidem desiderat, aliorum scilicet utilitatem, sed opus difficultatibus et periculis plenum, ut patet ex nomine et officio inspiciendi, cum onere rationem de animabus reddendi. Non dicit : Qui episcopatum desiderat bonum desiderium habet, sed *bonum opus*, scilicet *utilitatem plebis*, ait D. Thomas.

Observationes morales.

Itaque tantùm abest ut his verbis Apostolus ambitioni faveat, quin imò illam, si benè perpendantur, omninò reprimit. Episcopatus, prælatura, inspectio, est munus et onus in alios inspiciendi et invigilandi. Labor igitur et opus est. Episcopatum ergo desiderare, est opus arduum et laborem maximè periculosum optare. Ipsâ itaque nominis et muneris episcopalis expositione D. Paulus dicit implicitè quod verbis expressis concilium Tridentinum docet, scilicet episcopatum onus esse angelicis etiam humeris formidandum. Quia nimirùm munus est, onus et cura inspiciendi, vigilandi, laborandi continuè et assiduè circa æternam animarum sibi subditarum salutem de quibus rationem Deo redditurus est episcopus, animam pro animâ; dicit et consequenter temerarium et præsumptuosum esse hoc opus et onus, licèt in se bonum, ambire, appetere, cùm sit sese aliorum salutis sponsorem, et vadem spontè et ultrò reddere cum propriæ salutis periculo. Dicit et consequenter tale munus suscipiendum non esse, nisi impositum, ut ait D. Thomas, et urgente Ecclesiæ necessitate, ut dixit D. Augustinus. Dicit et eis quibus sic imponitur quo animo debeant hoc munus et onus suscipere, scilicet ut inspiciant, vigilent, laborent, ministrent, etc., utque martyrium subeant. Tempore D. Pauli episcopatus non tam erat honor quàm ingens labor, et proximus ad martyrium gradus. Ut enim, ait D. Hieronymus, quisquis plebibus præerat, primus ad martyrii tormenta trahebatur; tunc ergo fuit laudabile episcopatum quærere, quando per hoc non dubium erat ad supplicia graviora pervenire, D. Hieronymus. Nunc verò mutatis temporibus, et res mutatæ sunt; episcopatus ingens est honor, magna dignitas, copiosis stipata proventibus et divitiis : hinc illius appetentia plerùmque honoris et divitiarum cupiditas est. Fugiendus itaque non appetendus episcopatus. Sic tamen fugiendus, ut si imponatur, tunc, extincto omni cupiditatis instinctu, consulatur charitatis genius, quo saltem cordis martyrium quæratur, per sollicitudines, per opus et laborem, per omnia ministeria, quibus animarum sibi subditarum saluti allaboret, totusque incumbat episcopus.

Quæstio moralis.

Sed, inquies, cùm ex D. Paulo episcopatus sit *bonum opus*, nonne hoc *bonum opus* licitè desiderari potest, seu nonne hujus operis boni desiderium bonum est? — Respondeo cum D. Thomâ tale desiderium videri maximè præsumptuosum; propria refero verba : Ille benè episcopatum desiderare posset, cujus facultas episcopatui esset proportionata : ad hoc autem nullus est idoneus, quia prælatus, secundùm gradum et convenientiam, debet omnes alios excedere omni conversatione et contemplatione, ita ut in respectu suî alii sint grex, et hanc idoneitatem de se præsumere est maximæ superbiæ. Aut ergo appetit circumstantias, et tunc nescit quid appetat, quia non est hic episcopatus; vel ipsum opus appetit, et hoc est superbiæ, et ideò non est accipiendum nisi impositum, D. Thomas, hic.

Hoc idem distinctiùs et fusiùs docet et probat 2-2, quæst. 185, a. 1. Tria in episcopatu possunt considerari; unum quod est principale et finale, scilicet episcopalis operatio, per quam utilitati proximorum consulitur. Aliud, scilicet altitudo gradûs, quâ episcopus super alios constituitur. Tertium, quod se consequenter habet ad ista, sicut reverentia, honor, sufficientia temporalium. Appetere episcopatum ratione circumstantium bonorum, manifestè est illicitum, et pertinet ad cupiditatem vel ambitionem. Appetere autem episcopatum, ob gradûs celsitudinem, est præsumptuosum; sed appetere proximis prodesse est secundùm se laudabile et virtuosum. Verùm quia, prout est episcopalis actus, habet annexam gradûs celsitudinem, præsumptuosum videtur quòd aliquis præesse appetat, ad hoc quòd subditis prosit, nisi manifestâ necessitate imminente, ita sanctus

Thomas. Et hæc Angelici doctoris responsio conformis est D. Augustini doctrinæ, quem citat.

D. August., lib. 19 de Civit. Dei, cap. 19, de episcopali dignitate loquens, dixit absolutè : Locus superior, sine quo regi non potest populus ; etsi ita teneatur atque administretur ut decet, tamen indecenter appetitur. De opere autem episcopali dicit non appetendum, sed urgente Ecclesiæ necessitate, si imponitur suscipiendum. Otium sanctum quærit charitas veritatis ; negotium justum suscipit necessitas charitatis ; quam sarcinam, si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati : si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem, D. Augustinus supra citatus. Cæterùm sub nomine episcopatûs D. Paulus et presbyteratum comprehendit, quia presbyteris idem munus incumbit vigilandi, docendi, regendi, etc., licèt circa pauciores. Hinc Syrus : *Si quis presbyteratum desiderat.* Eosdem, inquit Theodoretus, olim vocabant presbyteros et episcopos : eos autem qui nunc vocantur episcopi, apostolos nominabant : procedente verò tempore, apostolatûs nomen reliquerunt iis qui verè erant apostoli : episcopatûs autem appellationem imposuerunt iis qui olim vocabantur apostoli. Itaque parochi et presbyteri, quibus inest animarum salutis cura, sunt etiam ex officio inspectores, de quibus servatâ proportione intelligenda sunt quæ supra.

Vers. 2. — Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse. Incipit conditiones in episcopo requisitas indicare, ac primò quòd vitæ sit prorsùs irreprehensibilis, seu de quo nulla fieri possit justa querela. *Irreprehensibilis*, hoc unico verbo genus omne virtutis expressit, ait D. Chrysostomus. *Irreprehensibilis*, id est, omni virtute conspicuus, ut neque illum alii, neque ipse seipsum reprehendat, Theophylactus. Hujus rei ratio hæc est : Episcopus Christi repræsentator est : Christus enim primus est nostrarum animarum episcopus, princeps est pastorum ; Christi itaque sanctitatis et innocentiæ particeps esse debet, sicut et sacerdotii. Sicut ergo Christus pontifex noster est *innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*, ita episcopus sit *irreprehensibilis* : seu, ut ait Syrus, *in quo nævus non reperiatur.* Hoc postulat ejus dignitas, seu Christi repræsentatio. Hoc portulat et munus seu officium docendi, regendi, etc. Indecens est si reprehensibilis sit reprehensor, D. Thomas. Non decet hujusmodi regere, sed regi, D. Chrysostomus. Quem ab episcopatu appetendo non deterruit onus ministerii, onus scilicet invigilandi et rationem de animabus Deo reddendi, hunc deterreat sanctitas in ministro requisita. *Oportet ut sit irreprehensibilis*, id est, à vitio et ab omni malâ suspicione liber, ut sit omni virtute conspicuus, ut sit solis instar, qui suo fulgore cæteros obscuret, D. Chrysostomus. Ut omnes alios excedat sanctitate et doctrinâ, ut respectu suî alii sint grex, D. Thomas. Episcopus sit omnium scopus, sicut Christus est episcopi scopus, Clemens Alexandrinus citatus à Cornel., lib. 2 Const. apost., cap. 15. Quis talis ? Aut nullus, aut rarus est, ait D. Hieronymus.

Unius uxoris virum.

Observatio litteralis.

Hoc loco abutuntur hæretici, hinc ante omnia removendi sunt falsi sensus. Primò, his verbis non imperatur matrimonium, quasi oporteat quòd episcopus sit aut fuerit uxoratus. Alioquin, ut ait D. Hieronymus, lib. 1 adversùs Jovin, ipse Apostolus episcopus esse non debuit, qui dixit : *Volo vos omnes esse sicut meipsum*, id est, liberos à conjugio. Et Joannes indignus hoc gradu existimabitur, et omnes virgines et continentes, quibus quasi pulcherrimis gemmis Ecclesiæ monile decoratur. Adde quòd Timotheus Paulo præcipienti morem malè gessisset, nec enim duxit uxorem, sicut neque Titus. Multò pejus fecisset D. Petrus, qui uxorem reliquit.

Secundò, non prohibetur polygamia simultanea, seu non prohibetur plures habere aut habuisse conjuges. Hæc enim polygamia apud Christianos nunquàm fuit licita, apud Judæos erat tunc abrogata, apud gentiles erat Romanis legibus prohibita : ad quid ergo specialiter à D. Paulo prohiberetur episcopis ? Vide hâc de re fusiùs D. Thomam, in Epist. ad Titum. 1. Vide Estium et Cornel. à Lapide. Inter antiquos, solus Theodoretus approbat hanc opinionem, dicentem his verbis prohiberi polygamiam simultaneam, seu prohiberi ne in episcopum eligatur qui plures simul habuerit uxores. Omnes verò sancti Patres senserunt vetari polygamiam successivam, seu ne in episcopum eligendus qui plures habuerit uxores, licèt successivè. Videantur apud Bellarm., libro 1 de Cler., cap. 23 et 24. Itaque sensus est : Sit *unius uxoris vir ;* non sit bigamus, secundas nuptias etiam successivè non inierit : unius tantùm fuerit matrimonii, aut sit agamus, aut monogamus. Ita intelligendum esse hunc locum docet traditio et antiquissimus Ecclesiæ usus bigamos non ordinandi.

Audiatur hâc de re Tertullianus : Quantùm detra-

Vers. 2. — *Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse*, q. d. : Laudo quod quæritis, sed discite quid quæratis. Tantâ debet gloriâ virtutis excellere, ut instar solis cæteras stellas suo fulgore obscuret. Oportet episcopum angelum esse nulli humanæ perturbationi vitiove subjectum, inquit Chrysostomus.

Unius uxoris virum. Intellige monogamum absolutè, qui secundas non iniit nuptias, nec successivè plures habuit uxores sed unam tantùm.

Sobrium, tam sobrium quàm vigilem atque perspi-

cacem, suisque rebus attentum significat. *Prudentem*, qui sanâ mente, judicio ac consilio est significat. *Ornatum*, idem est quòd moribus compositum ; ut etiam per corpus appareat animi moderatio et temperantia. *Pudicum*, ut se pudicos servent episcopi et ecclesiastici, maximè vitare debent consortia mulierum. *Hospitalem*, id est, peregrinorum amantem, et erga eos hospitalem. *Doctorem*, id est, aptum ad docendum. Summa enim omnium virtutum episcopalium est scientia et doctrina, inquit *Hilarius*.

hant fidei, quantùm obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ et præscriptio Apostoli declarat, cùm bigamos non sinit præsidere, cùm viduam allegi in ordinem, nisi univiram non concedit; Tertullian., ad uxorem, primo loco et exhortatione castitatis, citatus à Grotio.

Sed præterea hunc esse D. Pauli sensum patet ex altero loco, cap. 5, v. 9, ubi de feminâ eligendâ in viduarum ordinem ait: *Vidua eligatur... quæ fuerit unius viri uxor:* seu quæ unum virum habuerit, ne successivè quidem duos: nec enim feminæ licuit unquàm duos simul viros habere. Itaque non exigitur ut episcopus habeat aut habuerit uxorem, nec etiam vera polygamia prohibetur, sed conceditur pro tempore et pro naturâ rei, quæ tunc inerat, ait D. Chrysostomus, ut unius matrimonii vir ordinetur. Quia primis Ecclesiæ temporibus pauci cælibes erant, virginitatem enim nec Græci, nec Judæi exercebant, hinc ordinàbantur etiam conjugati, dummodò forent monogami.

Quæstio litteralis et dogmatica.

Cur autem bigami ab episcopatur ejiciantur? Duplex affertur ratio, una mystica, moralis altera. Moralis quidem, quia bigamia signum est incontinentiæ. Mystica verò, scilicet Christi repræsentatio. Episcopus Christi Domini est repræsentator: Christus autem Ecclesiæ sponsus est unus, et Ecclesia Christi sponsa est una: hinc oportet ut episcopus sit unius tantùm uxoris sponsus, non plurium, et ut episcopi uxor sit monogama; seu ut episcopus virginem nupserit, non viduam. Hoc figurabatur in veteris legis summo pontifice, qui ex legis præscripto virginem debet sponsare. Et hæc mystica Christi in episcopo repræsentatio, præcipua est ratio bigamos à sacerdotio rejiciendit, ait D. Thomas, in epist. ad Titum, quod et ibidem probat. Itaque non tam damnatur vitium incontinentiæ in bigamiâ, quàm servatur mysterium in monogamiâ; scilicet repræsentatio sacramenti. Christus Ecclesiæ sponsus est unus, Ecclesia Christi sponsa est una; ut utrumque suo matrimonio benè repræsentet episcopus, sit monogamus et uxor ejus monogama. Sit igitur episcopus virgo, aut saltem monogamus. Quod ex D. Augustino et ex communi Ecclesiæ praxi sic intelligendum est ut pluralitas uxorum, sive ante, sive post baptismum contracta, sit quædam irregularitas sacro ministerio repugnans.

Aliter sensit D. Hieronymus, qui de polygamiâ post baptismum contractâ intellexit, non de eâ quæ ante baptismum fuit inita, quia, inquit, per baptismum omnia delentur. Sed, ut ait D. Augustinus, hic de sacramento agitur, non de peccato: peccatum non commissit qui excessit uxorum numerum singularem, sed normam quamdam sacramenti amisit, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis ecclesiasticæ signaculum necessariam, libro de Bono conjug., cap. 18. Licèt itaque baptismus omnia deleat crimina, non tamen hanc reparat irregularitatem.

Irregularitas autem potest incurri sine ullo peccato, ex solâ Ecclesiæ institutione; v. g., judex, qui reos morte mulctavit, est irregularis et ad sacerdotium inhabilis. Ita et bigamus, sive qui duas nupsit uxores, sive qui viduam. Porro, licèt è conjugio aliqui olim ad sacerdotium vocarentur, communi tamen Ecclesiæ seu consuetudine seu lege, post ordinationem abstinebant ab usu conjugii, ob angelicam puritatem in sacerdote requisitam, ut Christo totus et Ecclesiæ vacet. Id docet D. Epiphan., hæres. 59, quæ est Catharorum; D. Chrysostomus; D. Hieronymus, lib. 1, contra Vigilantium.

Cùm Græcis tamen ob incontinentiam indultum fuit in Trullanâ synodo, anno circiter 700, ut uxoribus, si quas, ante susceptos ordines, duxissent, uti possent. Et licèt sit abusus contra canones antiquos, inductus à synodo non legitimâ, nunc tamen, quia inolitus, pacis causâ, toleratur ab Ecclesiâ. Vide Cornel. à Lapide. Nunquàm verò permissum fuit ordinato uxorem de novo ducere.

Sobrium. Syr., *vigilantem.* D. Chrysostomus, *sobrium atque vigilantem;* seu, ut ait idem, clarissimâ mentis acie præditum, innumerosque habentem omni ex parte oculos, quibus acutissimè omnia prospiciat. *Acutum*, perspicacem, solertem, semper expergefactum, Theophylactus. Nomen Græcum νηφάλιον significat et sobrium et vigilantem. Reverà sobrietas est vigilantiæ mater. Vigil esse debet omnis inspector, et tantò vigilantior, quantò pretiosioris rei inspector est et custos. Quantâ ergo vigilantiâ pollere debet æternæ salutis animarum inspector? Omnes alios duces exercitûs et castrorum sollicitudine atque industriâ superet, ait D. Chrysost. In Apocal. episcopus dicitur angelus, quia sicut angelus debet esse semper vigil, semper ad officium attentus. Ut autem sit vigil, sit sobrius: qui parcus est in cibo, et in sommo parcus est.

Prudentem. Syr. et Arab., *castum, pudicum.* Græc., σώφρονα, quod significat utrumque. Hinc noster interpres et prudentem posuit et pudicum, ait Gagnæus. Ars artium, scientia scientiarum mihi esse videtur hominem regere, animal scilicet omnium maximè varium et multiplex, D. Gregor. Naz., ap. 1. Quanta ergo et quàm varia debet esse omnis animarum rectoris prudentia? et præsertim episcopi, aliorum rectorum rectoris.

Ornatum. Syr., *compositum, id est, qui vultu, incessu, habitu, sermone et omni motu decorum servet.* Ut etiam per corpus appareat animæ moderatio, ait Theodoretus.

Pudicum. Respondet hoc nomini Græco σώφρονα, de quo supra: nec enim aliud est nomen in textu, cui respondeat. Duabus itaque vocibus, prudentem et pudicum, dicit interpres noster quod unicâ voce Græcâ dixit D. Paulus, σώφρονα. Virtutes supra memoratæ ad propriam episcopi personam spectant, sequentes verò ad alios.

Hospitalem. Gr. et Syr.: *Qui advenas et peregrinos diligat.* Ad hospitalitem erga omnes exercendam tot et tantæ datæ sunt episcopis divitiæ. Advenientes aliundè

Christianos domi suæ olim excipiebant episcopi. Hinc D. Greg. ait: Hospitalitatem nesciens, non fiat episcopus. Vide ap. Cornel. à Lapide, qui et D. Hieronymum citat et alios.

DOCTOREM, id est, qui sit aptus et paratus ad docendum. Prædicatio præcipuum est episcopi munus. Summa enim, ait D. Hilarius, lib. 8 de Trinitate, omnium virtutum episcopalium est scientia et doctrina. Et, ut ait Theophylactus, in epist. ad Titum, cap. I, v. 9, præcipuus episcopi character, est docendi facultas.

VERS. 3. — NON VINOLENTUM, id est, non vino obnoxium. Supradictas virtutes necessarias indicat per negationem vitiorum eis oppositorum. D. Chrysostomus putat hìc significari non conviciatorem atque elatum.

NON PERCUSSOREM. Violentia vinolentiæ sæpè est vicina. Hinc decenter post vinum manûs petulantia prohibetur. D. Chrysost. quem sequuntur Theophylactus et D. Anselmus: *Fratrum conscientiam non feriat improbè.*

SED MODESTUM. Syr., *mansuetum,* id est, sed humanus sit, mitis et moderatus.

NON LITIGIOSUM. Græc., *non pugnantem,* seu rixarum et litium sit abstinens, absque jurgio et dissidio.

NON CUPIDUM, scilicet habendi. Græc., *non cupidum argenti.* Syr., *non sit amator argenti,* id est, sit alienus ab avaritiâ. D. Chrysostomus quærit cur Apostolus de episcopo disserens, dixerit : Oportet illum non ebriosum esse, non percussorem, etc., cùm longè excellentiora pro celsitudine gradûs exigere debuisse videatur. Cur non dixit : Oportet episcopum angelum esse, nulli humanæ perturbationi aut vitio subjectum, etc.? Cur ab episcopo saltem non requirat ea quæ etiam subditis necessaria esse docuit : scilicet circumferre crucem suam, atque in manibus habere animam pro fratribus semper exponendam? Moderatam, inquit, virtutem proposuit in episcopo inquirendam, non supremam atque cœlestem, quia hæc in paucis reperitur, episcopis autem plurimis tunc opus fuit: ne ergo perirent Ecclesiæ negotia, utitur moderatione. Addit Theophylactus, moderatam tantùm virtutem requirit : at nunc (proh dolor!) quò excidimus episcopi, ut ne umbram quidem adeò moderatæ virtutis in nobis deprehendi liceat! parce nobis, Domine.

VERS. 4. — SUÆ DOMUI BENÈ PRÆPOSITUM. Syr. : *Probè gubernans domum suam.* Domus christiana est parva quædam Ecclesia, sicut Ecclesia est velut magna quædam domus, ut ait D. Chrysostomus : ex regimine autem parvæ domûs infertur judicium de aptitudine ad magnam regendam, scilicet Ecclesiam.

FILIOS HABENTEM SUBDITOS. *Filios,* si quos habuit an tequàm fieret episcopus, in obedientiâ contineat, et *sibi subditos.*

CUM OMNI CASTITATE. In verbo, habitu, opere, et ad omnes et in omni tempore, ait Theophylactus. Ex educatione filiorum infertur aptitudo patris ad instituendos filios spirituales. Episcopus pater est fidelium, quos, ut filios, debet in omni honestate et gravitate morum instituere; quomodò autem alios castos faciet, ait Theophylactus, qui propria viscera sinit impudicè vivere?

VERS. 5. — SI QUIS AUTEM DOMUI SUÆ... Syr. : *Si quis enim domum propriam nescit benè moderari, quomodò poterit Ecclesiam Dei gubernare?* Domus parva est Ecclesia; si igitur modicæ et facilè circumscriptili et cognoscibili non possit præesse, quomodò tot animarum sententias, quas cognoscere non possit, gubernabit? Theophylactus.

VERS. 6. — NON NEOPHYTUM. Græc., *non nuper insitum,* plantatum. Metaphorâ à plantis ductâ: non nuper baptizatus et Christo insitus (*non sit recentis discipulatûs,* Syr.), seu non sit puer in doctrinâ, et novitius in fide.

NE IN SUPERBIAM ELATUS... Ne episcopatûs honore inflatus superbiat, sibique complaceat, quasi Ecclesiæ necessario, sicque sibi complacens, et in se superbiens, incidat in peccatum, et ideò in damnationem diaboli, id est, ne ob suam superbiam damnetur et pereat, sicut Lucifer qui neophytus in cœlo superbiit, et ideò fuit damnatus et ejectus è cœlo.

JUDICIUM appellavit damnationem, pœnam et supplicium. Hinc benè colligitur superbiam fuisse diaboli peccatum.

VERS. 7. — OPORTET AUTEM ILLUM ET TESTIMONIUM... Oportet et illum benè audire apud eos qui sunt extra Ecclesiam, seu infideles; ne si apud eos aliquâ laboret infamiâ, ei facto jam episcopo, sua anteacta vita ab ipsis exprobretur, et ob hoc probrum et infamiam *incidat in* laqueum *diaboli,* sive in iram et odium, sive in impatientiam et in vindictam, sive in pusillanimitatem, quibus quasi laqueis captus incidat in peccatum, et fortè revertatur in pristina vitia, quod Ecclesiæ foret scandalo.

Duplex tangit periculum, ait hìc D. Thomas. Primum, ne fiat probrosus, et per hoc ejus auctoritas minuatur, et per consequens auferatur audacia corrigendi. Secundum, *ne incidat in laqueum diaboli,*

VERS. 3. — *Non vinolentum, non percussorem,* q. d.: Qui manibus non percutiat, non sæviat, non sit asper et crudelis in domesticos et subditos. Ita Theophyl. et Anselm.

Sed modestum, id est, æquum, humanum, mansuetum, qui non rigidè jus suum exigit, sed, quantùm res patitur, aliorum se moribus et affectibus accommodat.

Non litigiosum, absque jurgio. *Non cupidum,* id est, alienum ab argenti cupiditate.

VERS. 4. — *Sed suæ domui benè præpositum,* id est, qui domui benè præsit. *Filios,* si quos genuerit antequàm crearetur episcopus. Undè et Ambrosius notat : Non dicit Paulus, facientem aut gignentem, sed *habentem subditos cum omni castitate,* id est, honestate et gravitate morum.

VERS. 5. — *Si quis autem domui suæ præesse nescit,* etc., id est, curam habebit.

VERS. 6. — *Non neophytum,* etc., novitium, id est, recens conversum et baptizatum. Excluditur neophytus, ait Haymo, ne dicere possit : Indigebat Ecclesia meâ sapientiâ, ideò me ad fidem adduxit, et super se constituit; itaque in judicium, id est, condemnationem, incidat diaboli.

VERS. 7. — *Oportet autem illum et testimonium* (bonæ vitæ) *habere bonum ab iis qui foris sunt* (ab infidelibus), *ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli.* Ipsum opprobrium vocat laqueum diaboli,

scilicet impatienter sustinendo, per quod infamis concitetur ad odia, et desperetur. Quòd si ab ipsis hostibus testimonium bonum sit requirendum, quantò magis ab amicis, seu à fidelibus? inquiunt D. Chrysostomus et Theophylactus. Quid ergo si quis probro pateat? Non fiat episcopus, nocet enim plurimùm præcedens pessima, falsa licèt, opinio, Chrysost., pag. 467. Reverà quomodò is lumen erit mundi? Quomodò sal terræ?

Audiat hìc D. Chrysostomum omnis superior. Elegit nos Deus ut simus quasi luminaria, ut velut fermentum evadamus, ut magistri cæterorum efficiamur, ut velut angeli cum hominibus versemur, tanquàm viri cum pueris, quasi spirituales cum animalibus; ut ex contubernio nostro ingentia lucra conquirant, ut semina simus, ut fructum lætissimum afferamus, hùcusque D. Chrysostomus. Ad quæ attendens superior, de semetipso judicet.

Vers. 8.—Diaconos similiter pudicos. Omisso presbyterorum ordine, transit ab episcopis ad diaconos, sive quia, ut ait D. Chrysostomus, inter episcopum et presbyterum interest fermè nihil, sive quia, ut ex D. Epiphanio colligitur, tunc quia pauci fideles erant, et rari ministri, per episcopos cum diaconis tantùm complerentur ecclesiastica ministeria. Non agitur etiam de subdiaconis, sive quia sub diaconorum, seu ministrorum nomine comprehendebantur, sive quia nundùm institutus erat ille ordo, aut saltem distinctus ob paucitatem et fidelium et ministrorum. Vide hâc de re Estium. Etenim, ut ex D. Dionysio notat D. Thomas, in primitivâ Ecclesiâ erant tres tantùm ordines, scilicet episcoporum, presbyterorum et ministrorum, et non dividebantur per singulos gradus, sed omnia erant in uno ordine propter paucitatem ministrorum et propter novitatem Ecclesiæ. *Diaconos similiter pudicos,* supple, ex præcedentibus, *oportet esse,* σεμνούς, *graves,* morum honestate conspicuos.

Diaconorum officium erat, primò, episcopo sacrificanti astare, ministrare et quasi cooperari; dicit enim cum eo: *Offerimus tibi, Domine,* etc., ex Missali Romano. Secundò, calicem pretiosissimi sanguinis Domini populo communicare. Tertiò, eleemosynas oblatas recipere, custodire et fidelibus distribuere. Quartò, externa Ecclesiæ negotia pro episcopi arbitratu gerere, et de eis ipsi rationem reddere. Hinc diaconus erat episcopo quasi oculus et manus. Maximè autem decet pudicum esse eum qui sacris astat altaribus et ministrat, quique pretiosissimi sanguinis habet dispensationem.

Non bilingues, id est, non duas habeant linguas; unum unà, aliud alià loquentes. Non sint fallaces, subdoli, aliud in pectore sentientes, et aliud ore loquentes. Talis non sit ille cujus lingua Sancti Spiritus debet organum esse.

Non multo vino deditos. Non dicit temulentos, hoc enim omninò indignum erat, sed non bibaces, non multùm potantes: immodica enim potatio animæ vim laxat, ait Theophyl. Altaris ministros maximè dedecet potatio: hinc qui templum ingrediebantur ministraturi, omninò abstinebant à vino, et ab omni quod poterat inebriare.

Non turpe lucrum sectantes. Græc., *non turpilucrios.* D. Chrysost., *non turpis lucri appetitores.* Sacrum custodiebant ærarium: hinc non decet esse turpilucrios. Omne studium lucri fœdum est clerico: hinc negotiatio eis prohibita.

Vers. 9.—Habentes mysterium fidei... Fidem mysteriorum christianæ religionis, seu fidem christianam conservantes in animo sibi benè conscio. Habeant fidem et bonam conscientiam, sicut capite 1, v. 19. Conscientia pura est quæ in vitâ non potest reprehendi; Theophylactus. Per talem conscientiam custoditur fides, quæ pravis moribus deperditur, cap. 1, v. 19. Sint ergo in fide sinceri et in vitâ irreprehensibiles. Alii per *mysterium fidei,* intelligunt sanctissimam Eucharistiam, quæ antonomasticè vocatur *mysterium fidei,* et volunt præcipuum diaconorum officium hic designari, quasi diceret: Calicem Domini, *mysterium fidei,* purâ mente, purisque manibus tractent, ac populo ministrent. Et sanè hic sensus est valdè appositus.

Vers. 10. — Et hi autem probentur primum. *Et hi primò* quidem *probentur,* id est, fiat de illorum vitâ et moribus exploratio; si constantes in fide, si in vitâ irreprehensibiles. Postquàm explorationem, si apparuerint inaccusabiles, seu nihil eis possit objici, ordinentur, et ad suum ministerium admittantur. Hinc orta est antiqua consuetudo, ut publicentur in ecclesiâ ordinandorum nomina, ad hoc, ut si quis habeat quod in eis culpet, illud proferat. Sicut ergo episcopus non debet neophytus esse, sic neque diaconus ordinari, nisi longo tempore exploratus. De ordinatione non loquitur Apostolus, quia Timotheo nota, tum ex suâ ordinatione, tum ex ordinatione septem primorum diaconorum per manuum impositionem, de quâ Act. 6.

Vers. 11. — Mulieres similiter pudicas... D. Chrysostomus, et post eum alii Græci, imò et vetustiores

---

q. d.: Talis eligatur episcopus, cui etiam gentiles probitatis testimonium perhibeant, ne alioquin, si ipsi pristina vitia ei exprobrent, ipse incidat in laqueum diaboli, id est, infamiam, fiatque commune probrum, quo quasi laqueo diabolus multos fideles et infideles capiat, eosque à tali episcopo, et consequenter à fide et religione Christi avertat. Ita Ambrosius.

Vers. 8. — *Diaconos similiter pudicos,* etc., turpiter et avarè quæsitum.

Vers. 9. — *Habentes mysterium fidei in conscientiâ purâ.* Habentes fidem mysteriorum christianæ religionis, hoc est, fidem christianam, conjunctam cum purâ conscientiâ, id est, cum animo sincero ac benè sibi conscio. Nam Apostolus more suo præter fidem exigit charitatem et conscientiam bonam.

Vers. 10. — *Et hi autem probentur primùm.* Probationem intellige constantis fidei, et vitæ inculpatæ: præsertim quòd diaconis etiam dispensatio thesaurorum Ecclesiæ committeretur.

Et sic (ordinati ab episcopo) *ministrent, nullum crimen habentes.* Sensus est: priùs probentur, deindè ministrent postquàm probati fuerint et irreprehensibiles inventi.

Vers. 11. — *Mulieres similiter pudicas,* scilicet oportet esse. *Pudicas,* id est, graves, modestas, castas. *Non detrahentes,* id est., non calumniatrices,

Latini id intelligunt de diaconissis. Erant enim in primitivâ Ecclesiâ feminæ quædam certis quibusdam *ministeriis* deputatæ, *quarum* aliæ, *juniores* scilicet, diaconissæ; aliæ seniores presbyteræ dicebantur : de quibus cap. 5, v. 8. Petrus Lombardus, D. Thomas et neoterici istud intelligunt de uxoribus diaconorum, seu quas habebant ante suam ordinationem, et à quarum usu licèt abstinerent, cum eis tamen morabantur, ne à viris separatæ, laberentur in peccatum. Sicut autem voluit Apostolus ut episcopi familia sit illibata, ita vult ut et diaconorum uxores et filii sint benè morigeri, quia ex vitâ uxoris pendet fama viri. Quod autem de diaconorum uxoribus dicit, id et de presbyterorum conjugibus intellige. Has ergo mulieres oportet esse *pudicas*, NON DETRAHENTES, seu obtrectatrices, SOBRIAS et vigilantes, νηφαλίους, FIDELES, nihilque defraudantes.

VERS. 12.— DIACONI SINT UNIUS UXORIS VIRI. *Id* intelligendum eodem modo, quo supra de episcopo explicatum est et ob easdem rationes. Diaconus, in suo erga episcopum ministerio, Jesum Christum, Dei patris diaconum, seu ministrum, repræsentat; Christus enim fuit Dei minister, Rom. 15. Sicut ergo circa unam Ecclesiam, sponsam suam, fuit Dei minister, ita et diaconus unius sponsæ tantùm sit vir.

VERS. 13.— QUI ENIM BENE MINISTRAVERINT... seu diaconatûs officio benè perfuncti fuerint, honestam sibi viam parant ad altiorem gradum, presbyteratûs scilicet, vel episcopatûs. *Tunc enim sicut ex probatis* Christianis fiebant diaconi, sic ex diaconis benè suo officio perfunctis fiebant sacerdotes, et ex optimis sacerdotibus episcopi. Theodoretus id intelligit de præstantissimo gradu in vitâ æternâ recipiendo à diaconis qui humiliter ministraverint.

ET MULTAM FIDUCIAM...; et si ex diaconis fiant sacerdotes, aut episcopi, liberiùs et majore cum fiduciâ, juxta Christi fidem et Evangelium, cæteros docebunt, monebunt et corrigent. Fidelitas in ministerio, et irreprehensibilis vita ministri, miram dant *fiduciam nova* à Deo auxilia gratiæ petendi, miramque libertatem hominibus veritates christianas prædicandi. Hic notat prudenter Estius quòd Apostolus non agat neque de ordinationibus ministrorum, neque de administratione sacramentorum, neque de oblatione sacrificii, neque de cæremoniis ad altare observandis, quia, inquit, ad prudentiam apostolicam pertinebat hæc secretiora occultare, ne proderentur infidelibus. Hinc solâ traditione, non scripto, tradebantur.

VERS. 14. — HÆC TIBI SCRIBO SPERANS... *Sperat, non promittit, ignorans* et *incertus* quò sibi, Sancti Spiritûs instinctu, foret eundum : nec enim omnia præsciebant admirabiles prophetæ et apostoli, ait Theodoretus, sed quæcumque expediebant, ea illis (in tempore) significabat gratia Spiritûs. *Hæc* igitur *scribo tibi, sperans* quidem me brevi ad te venturum.

VERS. 15. — SI AUTEM TARDAVERO, id est, quod si ob imprævisa quædam accidentia venire *tardavero*, aut forsan Ephesum non rediero, hæc scribo ut his litteris discas :

QUOMODO OPORTEAT TE... Græc. et Syr., non habent *te*, sed : *Quomodò oporteat in domo Dei conversari.* id est, quomodò versari debeas in ordinandâ et bonis ministris instruendâ domo Dei; seu quos et quales debeas ordinare, et qualiter tu et illi debeatis CONVERSARI IN DOMO DEI.

Observatio litteralis et dogmatica.

Quæ est illa domus? Explicat dicens : QUÆ EST ECCLESIA DEI... Ecclesia dicitur *domus* propter aptam fidelium inter se, tanquàm partium, ordinationem et adunationem. Dicitur *domus Dei*, quia Deus habitat in eâ : si enim unusquisque fidelis est templum Dei, ut multis in locis docet Apostolus, quantò magis cœtus fidelium, de quibus intelligendum præcipuè : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Additur *Dei vivi, tum ut distinguatur* Ecclesia *christiana* ab ecclesiis falsorum deorum, qui nec sunt, nec vivunt; tum ut indicetur effectus Dei habitantis in eâ, scilicet influxus vitæ cœlestis et divinæ in fideles. Vita spiritualis et divina consistit in Dei et Christi verâ cognitione, amore et cultu. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Hæc autem vita fidelibus inspiratur in Ecclesiâ, in quâ Deus unus verè cognoscitur, adoratur et colitur, et Jesus Christus, Filius Dei vivi. Hæc eadem Ecclesia, seu domus Dei, *est columna et firmamentum veritatis.* Primò, *columna est*, quia recta, firma, stabilis, et in æternum duratura, *nec unquàm portæ inferi prævalebunt adversùs eam.* Secundò, *columna est et firmamentum veritatis*, idque duplici modo, et activo et passivo. Passivo quidem, quia *columna* est firmata, fulcita, stabilita in ipsâ veritate, id est, fundata super Christum, lapidem angularem, petram, veritatem. Activo, quia columna est firmans,

Sobrias, vigilantes et prudentes esse eas oportet. *Fideles in omnibus*, id est, veritatem et justitiam in omni negotio sibi commisso servantes.

VERS. 12. — *Diaconi sint unius uxoris viri*, etc. De hoc vide dicta v. 2, ubi idem exegit ab episcopo.

VERS. 13. — *Qui enim benè ministraverint* (in suo diaconatu), *gradum bonum sibi acquirent*, etc. Quod si diaconatûs officio benè functi fuerint, viam sibi parabunt ad gradum *majorem* et honoratiorem, nempe presbyterii, vel etiam episcopatûs. *Fiduciam* significat libertatem ingenuè agendi, quam parere solet mens conscia recti.

VERS. 14.— *Hæc tibi scribo*, etc., scilicet Ephesum, ubi Timotheus erat.

VERS. 15. — *Si autem tardavero, ut scias quomodò oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi*, id est, quales esse, et quomodò vivere debeant in domo Dei, qui in ejus ministerio à te constituentur, scilicet episcopi et diaconi. Ecclesia domus Dei dicitur, cujus hodie rector est Damasus, inquit Ambrosius.

Columna et firmamentum veritatis. Patet Ecclesiam in doctrinâ fidei errare non posse, et proindè veritatem hujusmodi doctrinæ ab eâ petendam esse. Ecclesia quasi columna veritatis, per se in veritate firma est et solida, ut possit alios in eâ confirmare. Sed quæres, unde Ecclesia habeat quòd sit columna et firmamentum veritatis? Respondeo, id eam habere,

fulciens, stabiliens, sustentans et attollens ipsam veritatem, Christum ipsum, Christi incarnationem, Christi Evangelium, Christi doctrinam et fidem, quam servat illibatam et indefectibilem, quamque docet, prædicat, extollit, *omnibusque hominibus per universum mundum conspiciendam, credendam*, sequendam proponit ad salutem æternam.

VERS. 16. — ET MANIFESTÈ MAGNUM EST PIETATIS SACRAMENTUM... Textus Græcus, D. Chrysostomus, et alii Græci, habent : *Et manifestè magnum est pietatis mysterium ; Deus manifestatus est in carne, justificatus est in spiritu, visus est ab angelis, prædicatus est in gentibus, creditus est in mundo, receptus est in gloriâ.* Syrus sic habet : *Et certè magnum est hoc pietatis arcanum, quòd manifestatus sit in carne, et justificatus in spiritu, visusque angelis, et prædicatus inter gentes, et creditus in mundo, denique assumptus in gloriâ.* Sensus itaque sit : Et sanè magnum prorsùs et ineffabile est hoc divinæ erga nos *pietatis sacramentum*. Intellige dominicæ incarnationis mysterium, et quod Ecclesiæ christianæ fundamentum est, et quod Ecclesia christiana, velut columna, firmat, stabilit, ostentat, docet et prædicat ubique terrarum.

QUOD MANIFESTATUM EST IN CARNE, id est, hoc autem mysterium *in* hoc consistit quòd Filius Dei, in se invisibilis, in humanâ carne visibilis et manifestus factus est hominibus.

JUSTIFICATUM EST IN SPIRITU, id est, et quòd hic visibilis homo, per stupenda Sancti Spiritûs miracula, verè Deus, et Dei Filius esse, justificatus et probatus est.

APPARUIT ANGELIS, id est, quòd hic Deus homo, ab angelis visus, ministratus, admiratus, et adoratus est.

PRÆDICATUM EST GENTIBUS, id est, quòdque, ut talis, prædicatus est universis gentibus.

CREDITUM EST IN MUNDO, id est, et in toto mundo creditus et adoratus.

ASSUMPTUM EST IN GLORIA, id est, quòd denique in cœlum assumptus, sedet ad dexteram Majestatis.

Observatio moralis et dogmatica.

His posterioribus versibus tria simul conficit Apostolus. 1° Timotheum, et alios Ecclesiæ ministros, ad sua munia piè, exactè et reverenter obeunda exstimulat, utpote qui in domo Dei versantur, et qui immortali seculorum Regi, in aulâ proprià, et quasi in oculis ejus, ministrant. *Ecclesia domus Dei vivi* est, in quâ habitat. Aula templumque Dei est, in quo colitur, et in quo vitam cœlestem et divinam se colentibus influit. Vos ergo Ecclesiæ ministri, qui principales estis domestici Dei, qui aulici et ministri ejus visibiles estis, qui cœlestis et divinæ vitæ estis dispensatores, videte quàm sanctè, quàm diligenter et piè, vestra in ipsis Dei oculis obeatis munia.

2° Timotheum, et alios ministros, parat et munit contra futuras hæreses, de quibus capite sequenti acturus est, eosque docet antiquâ Ecclesiæ doctrinâ novitates omnes debellare. *Oportet hæreses esse.* Hoc manifestè prædicit Sanctus Spiritus. At ne paveatis, Ecclesiæ ministri, Ecclesia in Christo, ipsâ veritate, *fundata* est; *non commovebitur, nunquàm deficiet, nec portæ inferi prævalebunt adversùs eam.* Ecclesia, in veritate fundata, *veritatis est columna* et basis, seu *fulcimentum* ; veritatem sibi concreditam sic custodit, sustinet, et conservat illibatam, ut et eam ostendat, doceat, protegat, et tueatur. In dubiis itaque veritas in Ecclesiâ, et ab Ecclesiâ, veritatis custode fidissimâ, et basi firmissimâ, quærenda est. Falsum nunquàm docebit *veritatis columna*. Per antiquam Ecclesiæ doctrinam omnes hominum adinventiones confutabuntur.

3° Quia divini Verbi incarnatio christianæ religionis summa est, et ideò ab hæreticis principaliter impetenda; hinc mysterium illud Apostolus explicat distinctè, et quoad divinitatem, et quoad humanitatem, ut illud Ecclesiæ ministri et expressiùs doceant, et contra futuros hæreticos fortiùs propugnent.

à Christo, per promissiones infallibiles ipsi Ecclesiæ, et Petro capiti ejus factas, etc. Ipsa, juxta promissiones sibi factas, in veritate firmatur à Deo, et per eamdem veritatem conservatur.

VERS. 16. — *Et manifestè magnum est pietatis sacramentum ;* quia de re magnâ.

Quod manifestatum est in carne. Magnum hoc pietatis sacramentum est, ipsum Verbum incarnatum, sive Deus homo, nascens, patiens, crucifixus, resurgens, ascendens, etc.

Pietatis, Dei cultûs ac religionis; q. d. : Mysterium incarnationis pium est, et tale quo maximè colitur Deus, et quod incitat nos ad pietatem, Dei cultum ac venerationem. En magnum pietatis sacramentum, scilicet quòd Verbum æternum in se invisibile, in carne apparere viderique dignatum sit.

Justificatum est in spiritu, per spiritum declaratus est justus et verax in operibus et doctrinâ : atque ab omnibus Judæorum calumniis absolutus. Nam in Scripturâ frequentissimum est, *justificari* pro eo quod est justum declarari et in judicio absolvi. Ita Christus justificatus est in spiritu, multipliciter : ut per testimonia divinitùs exhibita in ejus nativitate et baptismo, et aliàs ; sed præcipuè per innumera miracula quæ fecit virtute Spiritûs sancti.

Apparuit angelis, visus est ab angelis in præsepio Deus infans. Deus homo ab angelis visus fuit, quem anteà non viderant.

Prædicatum est gentibus. Mira fuit Dei bonitas, quòd omnibus gentibus Christi justitia prædicata fuit.

Creditum est in mundo, id est, per universum mundum ubicumque fuit prædicatus. Sic de Evangelio dicit Coloss. 1, quòd in universo mundo est, et fructificat, et crescit.

Assumptum est in gloriâ. Christus assumptus, id est, *receptus est à mundo tanquàm in gloriâ Patris* existens, tanquàm verus Deus, cui omnis debetur gloria, *quem proindè totus mundus glorificat.*

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

1° Omnis Dei minister, in quocumque gradu constitutus, hic attentum se reddat Apostolo, et juxta divinam ejus doctrinam reflectat ad duo. Primùm, ad ecclesiasticæ inspectionis onus. Attendat ergo quàm grave et quàm periculosum sit munus in alios indesinenter vigilandi, assiduè pro eorum salute laborandi, et sese salutis eorum sponsorem, et coram Deo vadem, cum suæ salutis propriæ periculo, reddendi; v. 1. Deinde attendat ad dotes huic implendo muneri necessarias, et hic ab Apostolo requisitas, tum ex parte morum, tum ex parte ingenii, scientiæ; scilicet ut sit omni vitio vacuus, omni virtute conspicuus, sit sanctitate et scientiâ aliis superior : et hæc duo si benè coram Deo penetraverit, procul dubio fugiet inspectionis onus, angelicis etiam humeris formidandum, vide dicta v. 1. Ibidem vide quando et quomodò suscipiendum sit hoc onus.

2° Omnis Ecclesiæ minister, quicumque sit, cognoscet quomodò eum oportet suo munere fungi, si attendat quid sit Ecclesia, et ideò quid sit Ecclesiæ minister. *Ecclesia est Dei domus*, in quâ Deus inhabitat : Ecclesiæ ergo minister est domesticus Dei. Ecclesia est aula Dei, in quâ colitur Deus ; Ecclesiæ ergo minister est aulicus Dei. Ecclesia est domus, aula, templum Dei vivi et vitam cœlestem suis cultoribus influentis ; Ecclesiæ ergo minister est hujus vitæ cœlestis, sub Deo dispensator. Quia autem domesticus est Dei domûs, quam decet sanctitudo, sanctè, purè, mundus corde et corpore ministret in eâ. Quia aulicus est Dei et coram Deo semper, piè, reverenter, et quasi sub oculis Dei, sua obeat munia. Quia sub Deo et cum Deo vitæ cœlestis communicator, hanc vitam cum charitate et ex charitate largiatur, Deique Spiritu animatus mysteria dispenset : sit ergo in se sanctus, erga Deum pius, erga proximum charitate plenus, v. 15.

3° Ut sciat Dei Ecclesiæque minister quid in dubiis aut in controversiis circa fidem debeat agere, attendat ad infallibilitatem Ecclesiæ. Ecclesia veritatis est columna ; hanc ergo columnam amplectatur, illique firmus innitatur ; fugiat, horreat nova, singularia, etc. Ecclesia veritatis est firmamentum, huic igitur firmamento semper inconcussus inhæreat ; Ecclesiæ doctrinam sequatur in omnibus.

CAPUT IV.

1. Spiritus autem manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum,

2. In hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam,

3. Prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem :

4. Quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur ;

5. Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem ;

6. Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu, enutritus verbis fidei, et bonæ doctrinæ quam assecutus es.

7. Ineptas autem et aniles fabulas devita, exerce autem teipsum ad pietatem.

8. Nam corporalis exercitatio, ad modicum utilis est ; pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ.

9. Fidelis sermo, et omni acceptione dignus.

10. In hoc enim laboramus et maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium.

11. Præcipe hæc, et doce.

12. Nemo adolescentiam tuam contemnat ; sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate

13. Dùm venio, attende lectioni, exhortationi et doctrinæ.

CHAPITRE IV.

1. Or, l'Esprit de Dieu dit ouvertement que, dans les temps à venir, quelques-uns abandonneront la foi, en suivant des esprits d'erreur et des doctrines diaboliques,

2. Enseignées par des imposteurs pleins d'hypocrisie, dont la conscience est noircie de crimes,

3. Qui interdiront le mariage, et l'usage des viandes que Dieu a créées pour être reçues avec actions de graces par les fidèles, et par ceux qui connaissent la vérité.

4. Car tout ce que Dieu a créé est bon, et on ne doit rien rejeter de ce qui se mange avec actions de graces,

5. Parce qu'il est sanctifié par la parole de Dieu, et par la prière.

6. En enseignant ceci à nos frères, vous serez un bon ministre de Jésus-Christ, vous nourrissant des paroles de la foi, et de la bonne doctrine que vous avez apprise.

7. Fuyez les fables impertinentes et puériles, et exercez-vous à la piété.

8. Car les exercices corporels servent à peu de chose ; mais la piété est utile à tout, et c'est à elle que les biens de la vie présente et ceux de la vie future ont été promis.

9. Ce que je vous dis est une vérité certaine, et digne d'être reçue avec une entière soumission.

10. Car ce qui nous porte à souffrir tous les maux et toutes les malédictions dont on nous charge, c'est que nous espérons au Dieu vivant, qui est le Sauveur de tous les hommes, et principalement des fidèles.

11. Annoncez ces choses, et enseignez-les.

12. Ayez soin que personne ne vous méprise à cause de votre jeunesse ; mais rendez-vous le modèle des fidèles dans les entretiens, dans la manière d'agir avec le prochain, dans la charité, dans la foi, dans la chasteté.

13. En attendant que je vienne, appliquez-vous à la lecture, à l'exhortation et à l'instruction.

14. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.

15. Hæc meditare, in his esto; ut profectus tuus manifestus sit omnibus.

16. Attende tibi, et doctrinæ; insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.

14. Ne négligez pas la grace qui est en vous, qui vous a été donnée, suivant une révélation prophétique, par l'imposition des mains des prêtres.

15. Méditez ces choses, soyez-en toujours occupé, afin que votre avancement soit connu de tous.

16. Veillez sur vous-même et sur l'instruction: demeurez ferme dans ces exercices; car agissant de la sorte, vous vous sauverez vous-même, et ceux qui vous écoutent.

ANALYSIS.

Prædicit Apostolus hæreses brevi suborituras, quæ nuptias, velut illicitas, damnabunt, certosque cibos, tanquàm malos, v. 1, 2, 3. *Omnes autem cibos in se bonos esse probat, tùm ex intentione Creatoris, v.* 3, *tum ex naturâ rei creatæ, v.* 4, *tum ex bono fidelium usu, quem docet, v.* 5.

Hæc alios doceat Timotheus, fabulas autem spernat, v. 6, 7.

Timotheum ante omnia ad pietatis exercitium hortatur, et ut eò studiosiùs illam exerceat, quò pietas utilior est ad omnia et hujus et futuræ vitæ bona, v. 8. *Hanc-que pietatis utilitatem, ad futuram præsertim vitam, vult Apostolus à Timotheo firmiter credi, et cum auctoritate doceri, v.* 9, 10, 11.

Ne quis autem ipsum spernat ut juvenem, hortatur ut sit omnibus fidelibus sanctitatis exemplar, v. 12; *utque lectioni sacræ Scripturæ, et divini verbi doctrinæ, sedulus intendat, v.* 13.

Denique ut gratiam in ordinatione sibi collatam non negligat, v. 14. *Sed ita suæ et aliorum sanctificationi sit attentus ut pateat omnibus quantùm in pietate et doctrinâ profecerit, v.* 15, 16.

PARAPHRASIS.

1. Spiritus sanctus mihi apertè denuntiat quòd posthàc Christiani quidam à fide susceptâ deficient, aurem præbentes spiritibus erroneis, et doctrinis diabolicis,

2. Hominum cum simulatione falsidicorum, et conscientiam criminum cauterio inustam habentium, seu quas docebunt falsi doctores, hypocritæ et conscientiam cauteriatam habentes.

3. Qui nubere prohibebunt, et præcipient abstinere à cibis, quos Deus creavit ut iis cum gratiarum actione utantur fideles, et qui veritatem cognoscunt.

4. Verum quippe est quia quidquid à Deo creatum est, secundùm se bonum est: et ideò nihil rejiciendum tanquàm malum, si cum gratiarum actione sumatur ad cibum.

5. Illius prætereà usus sanctificatur, fitque Deo gratus per verbum Dei et orationem.

6. Hæc si doceas fratres, ostendes te bonum Jesu Christi ministrum, innutritum verbis fidei et sanæ doctrinæ, id est, in verâ fide, et sanâ doctrinâ, quam perfectè didicisti.

7. (Talis cùm sis, enutritus scilicet in verâ fide, etc.), has fatuas et aniles falsidicorum fabulas contemne; te autem exerce in solidâ pietate (quam parit vera fides).

8. Exercitatio etenim palæstrica parùm et modico tempore juvat; pietatis autem exercitatio ad omnia utilis est: ipsi enim Deus promisit hujus et futuræ vitæ bona.

9. Hoc quod de pietate dico, certissimum est, et fide dignissimum.

10. Cur enim nos Christiani hujus vitæ labores libenter sustinemus, et hominum probra cum gaudio patimur, nisi quia speramus in Deum semper vivum, qui quidem omnium hominum salvator est, at maximè fidelium (quibus æterna præmia promisit et largietur).

11. Hæc omnia supradicta (licèt juvenis, tamen ut episcopus) cum auctoritate doce.

12. Ut autem juventutem tuam nemo contemnat, esto fidelium exemplar in sermonibus seriis, in suavi conversandi modo, in charitate, in fide, in castitate.

13. Usque dùm veniam ad te, sedulam operam nava in legendis sacris Scripturis, in exhortandis et docendis fidelibus.

14. Noli negligere donum quod est in te, quodque tibi collatum est cùm, juxta Dei revelationem, manus imposuerunt tibi presbyteri, id est, episcopi.

15. Hæc meditare, et esto totus in illis ut tuus, tùm in pietate, tum in scientiâ, profectus pateat omnibus.

16. Attende tibi ipsi (quò benè vivas) et gregi (quò benè doceas); in his duobus sta et persevera: hoc si feceris, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt salvabis.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Spiritus autem manifestè. In fine capitis præcedentis firmitatis ecclesiasticæ fundamentum præjecit Apostolus; nunc ad diruendas procedit hæreses, quas, Spiritu sancto revelante, brevi suboriturus prædicit, et contra quas hìc Timotheum, et omnes in illo prælatos Ecclesiæ, præmunit. *Spiritus*

Vers. 1. — *Spiritus autem manifestè dicit.* Spiritus sanctus, inquit, futurorum præscius, *dicit* et annuntiat, sive per me, sive per alios quos inspiravit; dicit, inquam, *manifestè*, id est, expressè, disertè, planè, ac sine ænigmate.

Quia, quòd *in novissimis*, id est, posterioribus, vel sequentibus *temporibus discedent*, id est, deficient, sive desciscent *quidam à fide*; id est, deserent fidem Christianam semel susceptam. Id quod hæreticorum est et apostatarum.

sanctus, futurorum præscius, mihi, et aliis Ecclesiæ christianæ prophetis, *manifestè*, ῥητῶς, *apertè*, clarè perspicuè, sine ænigmate,

DICIT, denuntiat, revelat.

QUIA posthàc, IN NOVISSIMIS, id est, subsequentibus, et proximè futuris temporibus. Hoc significat vox ὑστέροις quâ utitur Apostolus, ut sciat Timotheus sibi vigilandum esse cùm hoc de quo agitur sit ipso vivente eventurum.

DISCEDENT QUIDAM. Græc., *apostatabunt* A FIDE, à fide scilicet susceptâ, ergo Christiani.

ATTENDENTES SPIRITIBUS ERRORIS, πλάνης, Græca nunc habent πλάνοις, *deceptoribus*.

ET DOCTRINIS DÆMONIORUM. Hos genitivos, *erroris et dæmoniorum*, puto more Hebraico positos pro epithetis, erroneis scilicet et dæmoniacis.

VERS. 2. — IN HYPOCRISI LOQUENTIUM MENDACIUM. Græc., ψευδολόγων, *mendaciloquorum*, vel falsidicorum. *In hypocrisi*. Hanc hypocrisim, seu simulationem, aliqui referunt ad doctrinam quam hypocriticè, nec eam credentes, docebunt illi falsidici. Alii ad opera, seu vitam illorum doctorum, qui pietatem simulantes, erunt tamen in vitâ suâ turpissimi. Utrumque simul verum puto, et juxta mentem D. Pauli, qui et doctrinam et vitam illorum falsidicorum ut hypocriticam depingit. Illorum doctrina erit hypocritica, speciem enim quamdam sanctitatis habebit. Verbi gratiâ, doctrina nuptias prohibens, speciem habet castitatis; doctrina præcipiens à quibusdam abstinere cibis, speciem habet temperantiæ : reverà tamen utraque in se mala est, contra Dei institutum; à diabolo ad malum finem inventa, ergo hypocritica. Vita quoque, quia sanctimoniam simulantes, pii et sancti coram hominibus apparere satagentes, cauteriatam tamen habebunt suam conscientiam, id est, cauterio libidinum, et omnium scelerum inustam et denigratam.

CAUTERIATAM HABENTIUM... Hàc metaphorâ sumptâ à maleficis, quibus ferro candente cutis inuritur, in signum delicti et infamiæ, D. Paulus significare voluit, primò, infamiæ notam, seu, ut ait Theophylactus, indelebiles notas sordidæ illorum vitæ; et huic conformis est Syrus : *Erunt*, inquit, *notati cauterio in suâ conscientiâ*. Secundò, putidam morum illorum corruptionem. Cauterium enim, ut ait D. Thomas, est corruptio in carne per ignem, ex quâ egreditur continuè putredo. Ita ex igne perversæ voluntatis illorum ulceratur conscientia et dæmoniorum egreditur falsa doctrina. Tertiò, fervorem et ardorem libidinum, seu, ut ait Emanuel Sa, ignem malitiæ. Quartò, illorum malitiæ immutabilitatem, seu, ut ait Theodoretus, stuporem eorum extremum. Locus cauterii morte affectus priorem sensum amisit, ait Theodoretus. *Cauteriatam* itaque *habentium* CONSCIENTIAM, id est, habentium conscientiam infami, putido, ardente et inextinguibili libidinum igne inustam, unde oritur corruptio, putredo, stupor, mors animæ.

Attendentes, spiritibus erroris, id est, fallentibus, seductoribus, et in errorem ducentibus, *et doctrinis dæmoniorum*. Undè rectè hìc Chrysostomus, asserit omnem hæresim et hæreticorum dogmata esse ex diabolo.

VERS. 2. — *In hypocrisi loquentium mendacium*, id est, in simulatione, in fictione. Cùm domi et secretò viverent turpissimè et libidinosissimè, foris tamen et exteriùs simulabant se castè et sanctè vivere, adeòque damnabant nuptias, etiam legitimas, ut docent Epiphanius et Augustinus.

Et cauteriatam habentium suam conscientiam. Cauteriatam, id est, inustam ac notatam cauterio : cùm sancti haberi velint, tamen conscientiam gerunt impurissimæ vitæ maculis indelebiliter notatam. Benè autem hypocrisim conjungit cum malâ conscientiâ; nam quicumque virtutem simulat, eo ipso sibi testis est se eâ carere. Cauteriatam conscientiam vocat Apostolus eam quæ sensum peccati amisit, instar partis cauterio inustæ, quæ jam pervenit ad dedolentiam.

Observatio litteralis et moralis.

Nec poterat paucioribus verbis plura dicere, nec poterat significantioribus verbis horrendam hæresum enormitatem nobis exprimere. Illam animadverte, et horre. Hæreses sunt *à spiritibus erroris*, id est, à dæmone falsitatis, erroris et mendacii patre. Sunt *à spiritibus erroris*, id est, ab hominibus fallacibus, mendacibus, inspiratis à dæmone omnis falsitatis et erroris fonte. Hæreses sunt *doctrinæ dæmoniorum*, id est, à dæmonibus inventæ et suggestæ. Sunt *doctrinæ dæmoniorum*, id est, ab hominibus dæmoniacis et à dæmone spiritualiter obsessis evulgatæ. Hæreses sunt doctrinæ hypocritæ, speciem cujusdam sanctitatis habentes, at in se semper malæ et pessimæ, et contra Dei verbum et veritatem. Sunt et hypocritarum doctrinæ; hominum qui sanctimoniam quidem simulant, at qui conscientiam habent cauterio, id est, igne, ardore, corruptione, putredine, stupore omnium libidinum et criminum inustam et indelebiliter notatam. Hìc est omnium hæresum character.

Omnes hæreses signavit dicens : *Spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum*, ait D. Chrysostomus. Hìc est etiam omnium hæresiarcharum character. Omnes erroris duces, sunt spiritus erroris, quia ejusmodi spiritibus afflati errorem suum loquuntur, idem D. Chrysostomus. Addo quòd omnium ferè hæresiarcharum conscientia fuit cauteriata, seu vita flagitiosa, et hinc illorum hæresis nata; malitia cordis eorum excæcavit eos. Sicut ex carne per ignem cauterii corruptâ egreditur putredo, ita ex conscientiâ per ignem perversæ voluntatis ulceratâ egreditur falsa dæmoniorum doctrina, D. Thomas. Quàm timenda itaque et ab omnibus cavenda tum mentis curiositas, tum cordis perversitas! curiositas mentis, inquam, ne spiritibus erroris aurem præbeat; perversitas autem cordis, ne pervertat et mentem.

VERS. 3. — PROHIBENTIUM NUBERE, ABSTINERE A CI-

Prohibentium nubere, id est, contrahere matrimonium. *Abstinere à cibis*. Loquitur contra Simonianos, Saturninum, Ebionem, Manichæos, qui dicebant nuptias, vinum, carnes, etc., non esse à Deo bono, sed malo, putà diabolo, creata, ac proindè hæc naturâ suâ esse mala et cavenda, eorumque esu et usu hominem inficì et maculari.

BUS... Est hic ellipsis contrarii, scilicet præcipientium abstinere. Omnibus generatim depictis hæresibus et hæresiarchis, nunc duas speciatim notat hæreses quæ jam tum initium cœperant, ait D. Chrysostomus. Manichæi quidem docuerunt nuptias à malo Deo, seu dæmone institutas; carnem, vinum, etc., ab eodem malo Deo creata, ac proinde mala esse et hominibus cavenda, ne illorum inficiantur usu. Sed non primus id docuit Manes; apostolorum enim tempore hoc ipsum docuêre Simoniani et Saturniani, Ebionitæ; deinde docuêre Marcionitæ, Encratitæ, Manichæi. Vide Cornelium à Lapide, Estium, Tyrinum. Hos primos hæreticos verosimiliter Timotheo designat Apostolus. Fortè et alios ex scholâ Pythagoricâ natos, quorum præcipui erant magi et ab animalium esu abstinebant. Fortè et ipsum Apollonium Thyaneum, qui fuit Pythagoricus et magus, et qui, Timotheo vivente, ivit Ephesum

Animadversio in nostrates hæreticos.

Sed sanè ridicula est hæreticorum temeritas, quæ hos errores Ecclesiæ Catholicæ audet impingere, cùm ipsa veritates doceat his erroribus oppositas. D. Paulus loquitur de hæreticis, qui nuptias damnabant ut illicitas, à dæmone institutas. Ecclesia nuptias laudat ut bonas; matrimonium reveretur ut sacramentum à Christo Domino institutum, illudque docet sanctum, magnum, honorabile. Equidem virginitatem ei præfert, ut honorabiliorem et pretiosiorem; sed argentumne damnat, qui ei præfert aurum? Quin imò Ecclesia virginitatem ut matrimonio pretiosiorem laudando, et matrimonium laudat ut pretiosum. Etenim, ut benè Theophylactus ait, quod pretiosius est, pretioso, pretiosius est; et quod melius est, bono melius est, non malo. Qui ergo potest, virginitatis aurum retineat; si verò non possit, argentum matrimonii recipiat.

Sed, inquies, nuptias initiandis prohibet.—Fateor.—Ergo nuptias prohibet.—Hoc est novantium sophisma, à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter. Quasi quis diceret: Apostolus Paulus, cap. 5, 12, hujus Epistolæ, viduarum conjugium damnat, quæ post continentiæ votum nubunt; ergo Paulus damnat conjugium. Itaque Ecclesia non prohibet initiandis nuptias, quasi malas, sed cælibatum initiatis præcipit, ut suo statui convenientiorem; hunc autem statum nulli præcipit.

D. Paulus loquitur de hæreticis qui cibos prohibebant ut malos. Ecclesia docet omnia à Deo creata esse et bona. Quorumdam tamen ciborum abstinentiam certis diebus, mortificationis et pœnitentiæ causâ, laudat et præcipit. In hoc quid mali? Nonne Deus Adamo prohibuit boni fructûs esum? Porrò sicut hæc Ecclesiæ praxis et doctrina, de cælibatu et de ciborum abstinentiâ, nova non est, sed cum eâ cœpit et crevit, sic et hæc hæreticorum calumnia cœpit primis Ecclesiæ temporibus: eam refutârunt sancti Patres, D. Hieronymus, lib. 1 advers. Jovinianum; D. Augustinus, lib. 3 contra Faustum, cap. 5 et 6. Videatur etiam D. Joannes Chrysostomus, hìc, pag. 480.

Prohibentium nubere, abstinere..., id est: Illi falsidici, hypocritæ et conscientiâ cauteriati, prohibebunt matrimonium contrahere; hoc in Saturnianis completum esse docet D. Irenæus, lib. 1, cap. 22; nubere et generare à Satanâ dicunt esse. Et præcipient à multis abstinere cibis; et hoc de Saturnianis dicit D. Iren. Multi ex his qui sunt à Saturnino ab animalibus abstinent, perfectâ hujusmodi continentiâ seducentes multos.

QUOS DEUS CREAVIT AD PERCIPIENDUM... Primi erroris malitiam, quasi per se notam, prætermittit Apostolus; secundi verò malitiam detegit et refutat. Primò, ex intentione Dei creatoris, qui cibos omnes creavit ut fideles, et ii qui veritatem noverunt, illis utantur cum benefactoris laude et benedictione.

VERS. 4. — QUIA OMNIS CREATURA DEI BONA EST... Secundò, ex naturâ rei creatæ, quæ bona est. *Vidit cuncta quæ fecerat et erant valdè bona.* Itaque nihil rejiciendum, ut ex se malum, sed cum gratiarum actione percipiendum.

VERS. 5. — SANCTIFICATUR ENIM... Tertiò, ex bono fidelium usu, quasi diceret: Præterquàm quòd in se bonus est cibus, et à Deo creatus, illius præterea usus sanctificatur, Deo consecratur, fitque gratus per benedictionem et preces quas ante ciborum sumptionem præmittimus.

Observationes morales.

Ad tuî ædificationem adverte tria hæc. Intentionem Dei cibos creantis, ut in eorum usu nostram in illum religionem exerceamus, corque nostrum, quasi victimam, in gratiarum actionem ei offeramus. Attende quomodò huic omnium creatoris intentioni respondeas. Deumne laudas dùm ejus creaturis uteris? Benefactorine gratias agis? An temetipsum offers gratitudinis ergo? Hoc faciunt qui verè, id est, qui vitâ, opere et corde, sunt fideles. Sed heu! quot infideles in Christianismo, qui de Deo Creatore, dùm ejus creaturis utuntur, ne quidem cogitant! Quot ingrati qui Dei creaturis ad Creatoris offensam abutuntur! Hanc utramque ingratitudinem cave.

Adverte creaturæ naturam. *Bona est*, quia divinæ bonitatis est quædam effusio, atque participatio. Hanc itaque Dei bonitatem in omni creaturâ intuere et dilige. Creatura, ut bonitatis divinæ effusio et participatio, quàm immunda quæ à Deo facta sunt respuere, sed à fortiori cibo et potu solà castigatione corporis abstinere.

VERS. 5. — *Sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem*, id est, per verbum Dei, quod est oratio, q. d.: per verbum et orationem Dei, id est, quæ fit ad Deum.

Quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione, scilicet Deo creatori et largitori referendâ.

Fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem. Fideles enim sunt ii qui veritatem divinitùs manifestatam cognoverunt.

VERS. 4. — *Quia omnis creatura Dei bona est*, etc. rede Dei servos, quia carnibus abstinent, non tan-

patio, naturale quoddam est esse divini sacramentum; Deum quippe continet, sicque tegit, ut et ipsum nobis exhibeat semper et ubique : Deum itaque in omni creaturâ, ut bonâ, mirare, reverere, adora. Attende ad modum quo sanctificandus est creaturarum usus; PER VERBUM DEI ET ORATIONEM. *Per verbum Dei,* quo benedicitur ante sumptionem; *per verbum Dei*, cujus lectione et meditatione quasi conditur in ipsâ sumptione; *per verbum Dei,* quo gratiæ aguntur post sumptionem. Hâc praxi omnis nostra vita sanctificabitur, omniaque nostra opera Deo grata erunt, et nobis meritoria.

Obiter nota antiquum morem benedicendi per signaculum crucis, pluries hic à D. Joanne Chrysostomo commemoratum. Signum illi crucis imprime, ait, gratias age, Deo gloriam refer. Nihil immundum, si cum gratiarum actione percipitur, crucisque signaculo, idem Chrysostomus.

VERS. 6. — HÆC PROPONENS FRATRIBUS... Hanc de cibis doctrinam fratribus proponens, ostendes te fidelem Christi MINISTRUM. Græc., *diaconum.*

ENUTRITUS VERBIS FIDEI. Gr. ἐντρεφόμενος, *innutritus,* quasi diceret : In ipsius fidei et pietatis sinu educatus. Potest etiam verti, enutriens, scilicet alios, est enim participium medium. Hæc ergo proponens, ostendes te verè à pueritiâ in sacris Scripturis conversatum, et in sanâ doctrinâ, quam continuè sectatus es.

Fides ad credenda refertur, doctrina ad facienda. Hinc collige primò quòd ministri fidelitàs non in docendis tantùm fidei mysteriis consistat, sed et in communibus etiam et naturalibus actionibus sanctificandis. Docenda sunt quidem religionis mysteria, sed docendus etiam modus opera nostra per religionem sanctificandi. Collige secundò quòd verbum Dei sit animæ cibus. Ideò continuè legendum, sedulò meditandum, et quasi ruminandum, ut digeratur, et in nostram quasi substantiam convertatur, sicque per illud et nutriamur, et alios nutriamus.

VERS. 7. — INEPTAS AUTEM ET ANILES FABULAS..., quasi diceret : Talis itaque cùm sis, in verâ fide, et sanâ doctrinâ enutritus, has fatuas et aniles falsidicorum fabulas devita, contemne, rejice. Fabulæ sunt, quia ad nutum compositæ; at fabulæ ineptæ, inanes, nihil veri continentes, aut docentes, ideò aniculis relinquendæ. Tu verò verbo Dei enutri te, EXERCE TE-IPSUM in solida pietate, quam parit vera fides, seu verbum Dei. Græc., γυμνάζε, id est, *exerce te,* quasi athleta et pugil Christi in arenâ, aut stadio veræ pietatis ut illius bravium assequaris.

Græcis scribens Apostolus, ad Græcorum sæpè palæstras alludit, eisque christianæ pietatis palæstras et certamina comparat, ita 1 Cor. 9, v. 24, 25 : *Nescitis quòd ii qui in stadio currunt,* etc. Et meritò : pietas enim exercitio assiduo et laboribus continuis vult acquiri. Exercitatione nobis opus est, sed dignâ, sed spirituali, ait D. Chrysostomus.

VERS. 8. — NAM CORPORALIS EXERCITATIO... Græc., γυμνάζια, id est, nam palæstrica exercitatio, luctaque gymnastica parùm et modico tempore juvat, scilicet vel ad sanitatem corporis tantùm, vel ad aliquod temporale et corruptibile bravium.

PIETAS AUTEM AD OMNIA UTILIS EST. Pietatis autem exercitatio *ad omnia utilis est,* nunc et in futuro : ipsi quippe Deus promisit hujus et futuræ vitæ bona. *Quærite primùm regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis,* Matth. 6, v. 33. Per pietatis exercitium intellige studium veræ et internæ devotionis, excitans ad fidem, spem, timorem, amorem, sincerumque Dei cultum.

Notæ litterales et morales.

Vera *pietas ad omnia utilis est;* in eâ etiam hujus vitæ felicitas consistit. Qui enim nullius peccati conscius veræ pietati studet, hic crescit in gratiâ, gaudet in pace bonæ conscientiæ; spiritualibus bonis perfusus, fruitur Deo, in quo delectatur per gratiam et spem bonam, donec eo per gloriam fruatur, et in ipso et per ipsum vitâ vivat æternâ. Itaque *ad omnia utilis est pietas,* ad animæ sanitatem procurandam, ad beatæ vitæ æternitatem comparandam, ad alios edocendos et ad salutem adducendos. Hinc ubi PROMISSIONEM legimus, Græc. *promissiones* habet, tum quia multis in locis sacræ Scripturæ continentur, tum quia per eas hujus et futuræ vitæ bona nobis promittuntur. *Centuplum hìc accipietis, et vitam æternam possidebitis,* Matth. 19. Centuplum intellige bonorum temporalium, si ad salutem conducant; vel bona et gaudia spiritualia, quæ temporalia longè superant.

Quidam hanc exercitationem corporalem explicant de jejunio, sed profectò errant; neque enim corporalis est exercitatio jejunium, sed spiritualis, ait D.

VERS. 6.—*Hæc* omnia jam dicta *proponens fratribus,* Christianis, *bonus eris minister Jesu Christi.*

Enutritus verbis fidei, etc. Ita ostendes te bonum esse ministrum Christi, quippè qui fratres tanquàm filios nutrias et instituas in doctrinâ rectæ fidei, quam es affectatus, in quâ ab adolescentiâ es versatus. Quasi dicat : Assiduè in divinarum litterarum studio es versatus et exercitatus, ô Timothee.

VERS. 7. — *Ineptas*, id est, profanas, *autem et aniles fabulas devita,* id est, rejice. Verisimile est autem notari Simonianos, qui, testibus Henæo, Epiphaneo, et Augustino, longas fabulas texebant de Deo bono et malo, de rerum creatione, de pugnâ angelorum, etc., quæ partim profanæ erant et impiæ, partim aniles et ineptæ.

Exerce autem teipsum ad pietatem, id est, circa pietatem, vel in pietate. Pietas rectissima norma est, et conversationis optimæ disciplina, inquit Chrysostomus. Pietas Deum respicit, estque Dei cultus, et sincerus erga eum affectus, ac studium internæ devotionis, excitans ad spem, timorem et amorem Dei. Pietas est sapientia.

VERS. 8. — *Nam corporalis exercitatio, ad modicum utilis est. Corporalis exercitatio,* dicitur gymnastica lucta et exercitatio athletarum, quâ suum corpus cursu, luctâ, pugnâ, aliisque modis exercent; ad modicum utilis est, scilicet ad sanitatem, vel ad bravium et præmium temporale tantùm.

Pietas autem ad omnia utilis est. Pietas verò, id est, Dei cultus, perutilis est ad procurandam animæ

Chrysostomus, et post ipsum Theodoretus et Theophylactus. Adde quòd de jejunio nihil præcessit, et quòd jejunio sicut et pietati promissa sit vita æterna, Matth. 6, 18. Si quis tamen cum D. Thomâ, qui falsum secutus est Ambrosium, per exercitationem corporalem intelligat jejunium et pœnalia corporis exercitia, hic dicere debet quòd ea D. Paulus non rejiciat, sed minora pietate bona ducat, quippe quæ bona sunt et utilia, sed in suo gradu.

VERS. 9. — FIDELIS SERMO...; certissimum est id quod de pietate et de promissione pietati, hìc et in futuro, factâ dixi.

Vide dicta cap. 1, v. 15; et cap. 3, v. 1.

Hoc D. Paulus addit, sicut D. Joan., Apoc. 25, ubi dixit : *Regnabunt in secula seculorum*, statim addit : *Fidelissima et vera sunt hæc verba.* Et meritò sanè; hujus enim veritatis oblivio, aut vacillans et infirma fides, est omnium ferè defectuum causa ; sicut è contra hujus veritatis firma fides et certa persuasio est omnium virtutum et præsertim patientiæ causa, ut patet ex sequentibus.

VERS. 10. — IN HOC ENIM LABORAMUS... Cur enim nos apostoli et omnes Christiani et agimus et patimur ? Cur hujus vitæ labores et ærumnas tam libenter sustinemus ? Cur aliorum hominum probra et persecutiones cum tanto gaudio patimur ?

QUIA SPERAMUS IN DEUM VIVUM... Nonne quia speramus in Deum, vitæ fontem et consequenter hujus præsentis et æternæ vitæ largitorem ; à quo utriusque *vitæ bona speramus.*

Notæ litterales et morales.

Nota primò *in Deum vivum*, et ideò omnia videntem : nos et omnia nostra intuentem et adjuvare paratum, et ubi et quomodò expedit adjuvantem. Nota secundò *in Deum vivum*, id est, æternum, et immortalem : ideò semper remunerantem. Hìc sæpenumerò milites qui pro imperatore pericula subiêre, illo interim defuncto, mercedem amittunt; noster autem rex semper vivit ; itaque semper dat, semper remunerat, D. Chrysostomus, Theophylactus.

Hæc veritas ad patientiam mirum in modum excitat. Deus vivit, me videt, me penetrat, in ejus oculis et corde sum et patior. Quid timeo ? in oculis omnipotentis Dei patior. Deus semper vivit, vitæ fons est. Quid amitto in ejus corde moriens qui vita est, et vitæ fons, et qui mihi vitam mortalem eripit ut vitam donet æternam ? Ab eo vita, ab eo omnia temporalia bona; ipse dedit, ipse aufert; ipse restituet in æternum.

QUI EST SALVATOR OMNIUM, id est, *omnium* quidem *hominum salvator est.* Pro hâc vitâ conservandâ, illis necessaria suppeditat. Pro æternâ vitâ comparandâ, illis, quantùm est ex se, media exhibet, quibus, si velint, possint salvari.

SED MAXIME FIDELIUM. Hìc specialiter eis providens, eis specialiter attentus. *Ecce oculi Domini super timentes... et in eos qui sperant...* psal. 32, 18. Eos specialiter diligit, eos in afflictionibus per internas gratias solatur, sustinet, et erigit æternorum spe. *Cum ipso sum in tribulatione.* At pro futurâ vitâ *maximè fidelium Salvator* est; eis enim fidem, spem, gratiam, proxima salutis auxilia nunc confert, et reverà aliquando salvabit verè fideles, id est, qui in fide per dilectionem operante perseverant.

VERS. 11. — PRÆCIPE HÆC ET DOCE, scilicet, ut in pietate exerceantur, ut exspectent remunerationem, ut agonothetam respiciant, Theodoretus. Vel omnia superiùs dicta; præcipe, et, licèt juvenis, tamen ut episcopus, cum auctoritate doce, seu præcipiens doce.

VERS. 12. — NEMO ADOLESCENTIAM... Græc., *juventutem.* Νέοτης, ætas senectuti opposita. Tunc presbyteri verè erant presbyteri, seu senes, et ætatis provectæ. Quia verò Timotheus ante solitam ætatem, Spiritu sancto revelante, factus fuerat episcopus, hìnc illum monet ut morum gravitate suppleat quod deerat ætati. Quasi diceret : Ut juventutem tuam nemo spernat (erat autem annorum circiter triginta, ait Cornelius à Lapide), sed ut omnes te reverenter audiant.

EXEMPLUM ESTO FIDELIUM, esto fidelibus exemplar vitæ.

IN VERBO; sermones tui sint graves et serii.

IN CONVERSATIONE, id est, tua cum proximis conversatio suavis et honesta sit.

IN CHARITATE, IN FIDE, IN CASTITATE, tua erga eos charitas affectuosa simul et efficax ; tua fides sincera, vita pura et casta.

sanitatem, et ad promerendum bravium vitæ æternæ. *Promissionem habens vitæ quæ nunc est et futuræ.* Deus propter opera pia quasi merita promisit mercedem vitæ, non tantùm præsentis, sed et futuræ.

VERS. 9. — *Fidelis sermo,* etc. Sermo, scilicet qui præcessit, puta quod pietas promissionem habeat vitæ quæ nunc est et futuræ. Ita Chrysostomus.

VERS. 10. — *In hoc enim,* scilicet ob pietatem, et ut vitam æternam piis, et pro pietate decertantibus promissam assequamur *laboramus,* labores magnos exantlamus ; *et maledicimur,* id est, contumeliis et probris impetimur, *quia speramus,* id est, speravimus, vel spem fiximus *in Deum vivum,* etc.

VERS. 11. — *Præcipe hæc, et doce.* Hæc omnia quæ dixi de magno pietatis Sacramento, de vitandis hæresibus, et sanâ doctrinâ retinendâ, deque pietate ad omnia utili ; *præcipe et doce*, id est, præcipiens doce, cum auctoritate fidelibus trade.

VERS. 12. — *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Esto sis juvenis, ita tamen sanctè et graviter te gere, ut non contemnaris, quasi imprudens.

Sed exemplum, id est, forma, norma, et exemplar vitæ, quod omnes intueantur, *esto fidelium, in verbo,* id est, in sermone gravi et tali qualis decet episcopum, *in conversatione*, id est, in vitâ et vivendi consuetudine.

In charitate, ut scilicet zelum et amorem Dei te habere ostendas.

In fide, id est, in fidei rectitudine et constantiâ.

In castitate, id est, in vitæ totius puritate.

VERS. 13. — *Dum venio*, etc. Sacra Scriptura est liber sacerdotalis, ait Ambrosius; est substantia sacer-

Felix illa juventus, quæ senectutis virtutibus decoratur! *Senectus venerabilis est, non diuturna... cani autem sunt sensus hominis...* Sap. 4, 8.

VERS. 13. — DUM VENIO, ATTENDE LECTIONI... Usque dùm veniam, et te pleniùs instruam, esto sedulus in lectione sacrarum Scripturarum. Inde habebis ut alios consoleris et doceas, seu ut fideles privatim exhorteris et soleris, publicè doceas.

Quod uni dicit, omnibus pastoribus et doctoribus dicit : *attende lectioni* Scripturarum. Liber est sacerdotalis, ait Ambrosius; substantia sacerdotii nostri, S. Dionysius, à Cornelio à Lapide citatus. Exhortare privatim, publicè doce.

VERS. 14. — NOLI NEGLIGERE GRATIAM. Græc., χάρισμα, *donum gratuitum*, pastorali officio exsequendo necessarium, quod tibi collatum est, etc., scilicet donum docendi, exhortandi, Scripturas interpretandi, etc. Admonet ut collata sibi dona applicet ad usum, legendo, hortando, docendo.

QUÆ TIBI DATA EST PER PROPHETIAM, id est, quando, Spiritu sancto inspirante, factus es episcopus per impositionem manuum mearum et cœtûs presbyterorum.

Paulus ipse manus imposuit Timotheo, 2 Tim., 1, et cum eo cœtus virorum apostolicorum, id est, episcoporum. Hinc episcopus per tres episcopos consecratur.

Si hoc monitu indiguit sanctus Timotheus, per Spiritum sanctum factus episcopus, quantò magis omnes quorum vocatio certissimè non fuit ita divina ?

VERS. 15. — HÆC MEDITARE..., et sic in illis totus esto, ut omnes cognoscant quantùm profeceris non in vitâ tantùm, sed et in verbo doctrinæ, ait Theophyl., id est, in pietate et doctrinâ.

VERS. 16. — ATTENDE TIBI (ut benè vivas) et *doctrinæ* (ut benè doceas), in hisque duobus persevera.

HOC ENIM FACIENS, id est, si feceris et teipsum salvabis et eos qui te audiunt.

Prælatus sanctè vivens, sanè docens, sua et suorum salus erit.

dotii nostri, inquit S. Dionysius. Primùm ei commendat assiduam lectionem Scripturæ sacræ, ut ex eâ discat quod alios doceat.

VERS. 14. — *Noli negligere gratiam quæ in te est*, etc. *Gratiam*, id est, donum, officium scilicet, et ordinem episcopi, auctoritatem et munus docendi. Ita Ambrosius et Chrysostomus. *Per prophetiam*, id est, revelationem, quâ Deus jussit Timotheum ordinari episcopum.

VERS. 15. — *Hæc meditare*, id est, hæc cura, hæc satage. *In his esto*. Chrysostomus et alii significant Apostolum respicere ad istud : Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ ; et Timotheum repetitâ admonitione hortari, ut hæc curet et agat, atque in iis totus sit.

Ut profectus tuus manifestus sit omnibus. In *omnibus*, non tantùm in conversatione vitæ, verùm etiam in verbo doctrinæ.

VERS. 16. — *Attende tibi et doctrinæ*. Græcè, *tibi ipsi*. Sensus est : Attende tibi ipsi, ut rectè vivas : attende etiam doctrinæ, ut alios rectè instituas.

Insta in illis. Insiste in his duobus quæ dixi, ut et tibi attendas, et doctrinæ. Hæc duo munia sunt episcopi, imò cujusvis pastoris ; ut scilicet primùm se, deindè alios doceat. Qui enim seipsos negligunt, et totos se in proximorum curam effundunt, evanido spiritu laborant, nec sibi nec aliis prosunt. Vive tibi, attende tibi, si vis aliis prodesse.

Hoc enim faciens et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt. Nota, eum qui sibi attendit, seipsum ; et qui doctrinæ intendit, alios salvos facere.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad præxim redigenda.

In hoc capite, alia speciatim spectant ad Ecclesiæ ministros, alia ad omnes prorsùs fideles.

1° Omnis sanctæ, catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ minister attendat ad hæresum enormitatem, de quâ v. 1 et 2, ut hinc omnem horreat hæresim, et duo vitia caveat ad eam ducentia, scilicet mentis curiositatem, et cordis perversitatem. Vide dicta ad v. 1 et 2.

Discat ex v. 6 quòd ministri fidelis sit non tantùm mysteria docere, sed et modum omnes actiones, etiam communiores et necessarias, sanctificandi. A v. 8, quòd ante omnia debeat pietati studere, quæ ad omnia utilis est, ad hujus et ad futuræ vitæ felicitatem. A. v. 12, quòd omnibus exemplar esse debet sanctæ conversationis. A. v. 13, quòd sanctæ Scripturæ lectioni, et populorum exhortationi, sedulò vacare. A v. 16, quòd sanctâ vitâ, et sanâ doctrinâ, sua et suorum salus erit.

2° Omnis verè fidelis et Christianus attendat ad modum quo Dei creaturis utitur. Primò Deus cibos creavit ut illis cum Dei laude utamur. Quomodò huic beneficæ intentioni Creatoris respondes ? Secundò, omnis creatura est quædam divinæ bonitatis in nos effusio, et naturale divini esse sacramentum. An Deum in illâ revereris ? An illâ cum Dei amore uteris ? Tertiò, oratio debet omnium nostrorum ciborum esse condimentum. An reverà cibos oratione condis ? Vide dicta ad v. 5.

Attendat et omnis fidelis ad omnimodam pietatis utilitatem, de quâ v. 8, ut pietatem omnibus præferat. Attendat denique et penetret quantum sit nobis bonum Deo semper vivo, et ideò nos semper videnti, nos semper remunerare potenti, servire ; hinc que in Dei servitio magis ac magis ferveat. Vide v. 10.

CAPUT V.

1. Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem ; juvenes, ut fratres ;

2. Anus, ut matres ; juvenculas, ut sorores, in omni castitate.

CHAPITRE V.

1. Ne reprenez pas les vieillards avec rudesse ; mais avertissez-les comme vos pères, les jeunes hommes comme vos frères ;

2. Les femmes âgées comme vos mères, les jeunes comme vos sœurs, avec une pureté parfaite.

3. Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.

4. Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primùm domum suam regere, et mutuam vicem reddere parentibus : hoc enim acceptum est coram Deo.

5. Quæ autem verè vidua est et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus et orationibus nocte ac die.

6. Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est.

7. Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint.

8. Si quis autem suorum, et maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.

9. Vidua eligatur non minùs sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor,

10. In operibus bonis, testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.

11. Adolescentiores autem viduas devita. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt ;

12. Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

13. Simul autem et otiosæ discunt circuire domos ; non solùm otiosæ, sed et verbosæ, et curiosæ, loquentes quæ non oportet.

14. Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres familiàs esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratiâ.

15. Jam enim quædam conversæ sunt retrò Satanam.

16. Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, et non gravetur Ecclesia ; ut iis quæ verè viduæ sunt sufficiat.

17. Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur ; maximè qui laborant in verbo et doctrinâ.

18. Dicit enim Scriptura : Non alligabis os bovi trituranti ; et : Dignus est operarius mercede suâ.

19. Adversùs presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.

20. Peccantes coram omnibus argue ; ut et cæteri timorem habeant.

21. Testor coram Deo, et Christo Jesu, et electis angelis, ut hæc custodias sine prejudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.

22. Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Teipsum castum custodi.

23. Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates.

24. Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium ; quosdam autem et subsequuntur.

25. Similiter et facta bona manifesta sunt : et quæ aliter se habent, abscondi non possunt.

3. Honorez les veuves qui sont vraiment veuves.

4. Mais si quelque veuve a des fils ou des petits-fils, qu'elle apprenne premièrement à gouverner sa famille, et à rendre à ses père et mère ce qu'elle a reçu d'eux, car cela est agréable à Dieu.

5. Que la veuve, qui est vraiment veuve et abandonnée, espère en Dieu, et qu'elle persévère jour et nuit dans les prières et les oraisons.

6. Car pour celle qui vit dans les délices, elle est morte, quoiqu'elle paraisse vivante.

7. Faites-leur donc entendre ceci, afin qu'elles se conduisent d'une manière irrépréhensible.

8. Que si quelqu'un n'a pas soin des siens, et particulièrement de ceux de sa maison, il a renoncé à la foi et est pire qu'un infidèle.

9. Que la veuve qui sera choisie, n'ait pas moins de soixante ans, qu'elle n'ait eu qu'un mari ;

10. Et qu'on puisse rendre témoignage de ses bonnes œuvres, si elle a bien élevé ses enfants, si elle a exercé l'hospitalité, si elle a lavé les pieds des saints, si elle a secouru les affligés, si elle s'est appliquée à toutes sortes d'exercices de piété.

11. Mais n'admettez point en ce nombre de trop jeunes veuves, parce que la mollesse de leur vie les portant à secouer le joug de Jésus-Christ, elles veulent se remarier,

12. S'engageant ainsi dans la condamnation, par le violement de la foi qu'elles lui avaient donnée auparavant.

13. Mais de plus elles deviennent fainéantes ; elles s'accoutument à courir par les maisons, et elles ne sont pas seulement fainéantes, mais encore causeuses et curieuses, s'entretenant de choses dont elles ne devraient point parler.

14. J'aime donc mieux que les jeunes veuves se remarient, qu'elles aient des enfants, qu'elles gouvernent leur ménage, et qu'ainsi elles ne donnent aucun sujet aux ennemis de notre religion de nous faire des reproches.

15. Car déjà quelques-unes se sont égarées pour suivre Satan.

16. Que si quelqu'un des fidèles a des veuves, qu'il leur donne ce qui leur est nécessaire, et que l'Église n'en soit point chargée, afin qu'elle puisse suffire à l'entretien de celles qui sont vraiment veuves.

17. Que les prêtres qui gouvernent bien soient doublement honorés ; principalement ceux qui travaillent à la prédication de la parole, et à l'instruction des peuples.

18. Car l'Écriture dit : Vous ne lierez point la bouche au bœuf qui foule le grain ; et : Celui qui travaille est digne du prix de son travail.

19. Ne recevez point d'accusation contre un prêtre, que sur la déposition de deux ou trois témoins.

20. Reprenez les pécheurs devant tout le monde, afin que les autres aient de la crainte.

21. Je vous conjure, devant Dieu et devant Jésus-Christ, et les anges élus, d'observer ces choses sans prévention, ne faisant rien par des affections particulières.

22. N'imposez légèrement les mains à personne, et ne vous rendez point participant des péchés d'autrui. Conservez-vous pour vous-même.

23. Ne continuez plus à ne boire que de l'eau ; mais usez d'un peu de vin, à cause de votre estomac, et de vos fréquentes maladies.

24. Il y a des personnes dont les péchés sont connus avant le jugement. Il y en a d'autres qui ne se découvrent qu'ensuite.

25. Il y en a de même dont les bonnes œuvres sont visibles ; et si elles ne sont pas visibles, elles ne demeureront pas long-temps cachées.

ANALYSIS.

1° Timotheum instruit quomodò singulos fideles, pro ætate, sexu et gradu, debeat admonere, v. 1, 2.

2° Circa viduas, pro vario earum statu, speciatim dat illi monita. Vult ut verè viduas, id est, desolatas, nutriat sumptibus Ecclesiæ, v. 3. Viduis divitibus, filios aut nepotes habentibus, præcipit ut suam familiam benè instruant et piè regant, v. 4. Redit ad veram viduam, ejusque pia notat exercitia, v. 5. Viduam verò voluptuosam asserit coram Deo mortuam esse, versu 6. Conditiones assignat requisitas ut quæ vidua inter ecclesiasticas reponatur, v. 9, 10. Juniores ex illarum numero excludit, quia rarò castæ, et sæpè vitiis ex otio nascentibus deditæ, 11, 12, 13. Præstat ut vel nubant, v. 14, 15, vel à suis propinquis, si quos habent divites, alantur, v. 16.

3° Bonis presbyteris pro dignitate et labore vult abundantiùs provideri; vetat in eos accusationem temerè recipi, v. 17, 18, 19; publicè tamen peccantes, quicumque sint, arguantur publicè, v. 20.

4° Timotheum per sacratissima quælibet obtestatur ut in judiciis æquum se præbeat, v. 21, ut nulli sine diligenti examine prævio manus imponat, v. 22, sed de bonis et malis ordinandorum operibus inquirat accuratè, v. 24, 25. Ad castitatem sollicitè servandam hortatur; ne tamen meram propterea bibat aquam, sed modico utatur vino, propter infirmitates, v. 23.

PARAPHRASIS.

1. Ætate seniorem ne objurgaveris, sed blandè et reverenter admone, sicut filius qui suum admonet patrem; juvenes blandè ut fratres hortare.

2. Majores natu mulieres mone ut matres; adolescentulas hortare ut sorores, cum omni puritate.

3. Viduas, quæ verè sunt viduæ, ale et sustenta.

4. Si qua autem vidua, viro quidem orbata, sed facultatibus non destituta, filios aut filiorum filios habet, hæc ante omnia discat familiam suam, hos scilicet filios aut nepotes, piè instruere et regere, sicque educationis beneficium, quod à parentibus accepit, in filios refundere; hoc enim opus est Deo gratum.

5. Quæ autem verè vidua est, id est, desolata, et omni auxilio destituta, in Deum speret opitulatorem, et obsecret assiduè, orationi vacans nocte et die:

6. At vidua deliciis dedita, mundo vivens, Deo mortua est.

7. Et hæc quæ dixi, omnibus viduis præcipe et explica, ut eas nullus jure possit reprehendere.

8. Si quis autem, vel si quæ sibi sanguine junctis, et maximè sibi cohabitantibus, non prospicit, fidem christianam, quam profitetur, hâc suâ duritiâ negavit, et hâc in parte deterior est infideli qui suos curat.

9. Vidua in catalogo viduarum ab Ecclesiâ alendarum adscribenda sexagesimum attigerit annum, secundas non experta nuptias.

10. Quam bonorum operum fama comitetur: si filios piè educavit, si sanctos peregrinos hospitio recepit, eorumque pedes lavit; si afflictis subministravit necessaria ad solatium, si omnes bonorum operum occasiones prosecuta est.

11. Juniores verò viduas ne recipias in dicto catalogo, quia cùm Ecclesiæ copiis saginatæ fuerint, in Christum sponsum recalcitrant, et homini mortali nubere volunt:

12. Hinc que damnationis meritum habent, quia fidem quam Christo, sponso suo, primùm dederunt, irritam fecerunt, seu violaverunt.

13. Præterea otiosæ, assuescunt cursitare per domos; parùm est otiosas vagari, sed et garrulæ sunt, et, rerum alienarum indagatrices, loquuntur quæ non oportet.

14. Itaque malo ut nubant, matres sint et filios piè educent, familiæ curam gerant, quia sic nullum dabunt inimico prætextum ad maledicta.

15. Jam enim quædam, à Christo aversæ, Satanam sunt secutæ.

16. Si quis, aut quæ fidelis, viduas habet sibi agnatas aut affines, illis subveniat, ne sint oneri Ecclesiæ, ut iis quæ reverà viduæ sunt et desolatæ necessaria possit subministrare.

17. Presbyteri qui benè præsunt, et illi potissimùm qui in verbo Dei evangelizando laborant, ampliori et abundantiori subsidio digni sunt.

18. Dicit enim Scriptura, Deuter. 25: Non infrænabis os bovi trituranti; et Christus, Matth. 10, 10; Luc. 10, 7: Dignus est operarius mercede suâ.

19. Adversùs presbyterum accusationem ne recipias, nisi per duos vel tres testes probatam.

20. Peccantes publicè argue et publicè, ut cæteri, hoc punitionis exemplo deterriti, coerceantur.

21. Obtestor et adjuro te, audientibus Deo et Christo Jesu, et beatis angelis, ut quæ de judiciis ecclesiasticis dixi observes exactè, teque sic præbeas æquum ut nec judicium præcipites, nec per affectum in hanc vel illam partem inclines.

22. Ne citò, et sine examine prævio, manus cuiquam imponas; ne te peccatorum alienorum reddas participem.

23. Te castum serva; ne propterea meram posthàc bibas aquam, sed vino utere modico et benè diluto, propter stomachi tui infirmitatem, et alias quibus frequenter laboras.

24. Quidam sunt homines quorum peccata ante quodcumque examen et judicium sunt nota; sunt autem alii quidam quorum peccata non nisi post examen manifesta sunt.

25. Similiter et quorumdam opera bona nota sunt ante examen, et aliorum sunt secreta; sed hæc diutiùs abscondi non possunt.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — SENIOREM, scilicet ætate, non dignitate, ut indicant sequentia :

NE INCREPAVERIS. Verbum Græcum significat, *seni ne plagam inferas*, plagam scilicet verborum, non verberum. Id est, senem ne objurgaveris, ne durè et acriter correxeris; sed blandè, leniter, et cum aliquâ reverentiæ notâ admone, sicut filius qui suum patrem admonet.

Grave et molestum est argui; maximè cùm senex arguitur ab adolescente, ait D. Chrysostomus. Hæc Apostoli monitio de vulgari senum correptione intelligenda est; quando enim gravia sunt illorum peccata et scandalosa, junioresque ad interitum trahentia, tunc acriter sunt increpandi, ut ait D. Gregorius Magnus, Januarium episcopum senem increpans, epist. 1, l. 7, inductione 2. Quia, ut ait D. Thomas, hic senex, propter excedentem malitiam, perdit honorem senectutis, et tunc increpandus.

JUVENES UT FRATRES. Et hic Timotheum lenitatis admonet, ut scilicet ætatis frænaret audaciam, inquit D. Chrysostomus.

VERS. 2. — ANUS UT MATRES... Idem vult ætatum discrimen in mulieribus observari, cum hoc addito, ut adolescentulas alloquatur cum OMNI CASTITATE. Scilicet in corde, in oculis, in verbis, in gestu, in modo; ne ex blanditiis malo amori, vel saltem suspicioni, patcat aditus. Si hoc Timotheo præcipit, consideret quisque qualiter conversari debeat, ne umbram quidem occasionis calumniari volentibus det, ait D. Chrysostomus. Duo cum mulieribus cavenda sunt extrema; scilicet indiscreta durities, et nimia mollities. Infirmus est sexus; ne sis ergo durior : at magis infirma caro; ne sis ergo blandior. Hinc cum omnimodâ castitate, internâ et externâ conversandum; præcavendo etiam ne, vel ob tempus, vel ob locum, oriatur suspicio.

VERS. 3. — VIDUAS HONORA, QUÆ VERÈ VIDUÆ SUNT. *Viduas quæ verè* et secundùm nominis etymologiam *viduæ sunt*, id est, desolatæ, v. 5, seu ab omni auxilio destitutæ; *honora*, id est, ale, sustenda, adjuva. Honor in Scripturis frequenter sumitur pro alimentorum, et vitæ necessariorum subministratione. Ita hujus capitis, v. 17, et Matth. 15, Dominus Jesus præceptum parentes honorandi de obligatione alendi interpretatur. Itaque verè viduas, desolatas et omnibus subsidiis destitutas, ale et sustenta, scilicet de largitionibus Ecclesiæ. Ecclesia miserorum mater, miseris semper est misera : hinc viduas Ecclesia nascens aluit. Hic autem erga eas præcipitur honor, oppositus despectui; de quo Act. 6, v. 1.

VERS. 4. — SI QUA AUTEM VIDUA FILIOS AUT NEPOTES HABET, DISCAT...

Observatio litteralis.

Hujus versiculi sicut duplex est lectio, ita et duplex sensus. Prima lectio, quam nostra Vulgata sequitur, est illa quam apposui : *Si quæ vidua...discat*, in singulari; hujusque nostræ lectionis sensus est, quem in paraphrasi expressi : Si qua vidua, viro quidem orbata, sed facultatibus non destituta, filios aut filiorum filios habet, hæc ante omnia discat familiam suam, hos scilicet filios aut filiorum filios instruere et regere, etc. Vide reliqua in paraphrasi.

Secunda lectio, quam habet Græcus hodiernus, et quam sequuntur multi, est hæc : *Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discant...*, in plurali; hujusque lectionis sensus est : Si qua vidua filios aut nepotes habet, discant hi scilicet filii et nepotes pietatem in familiam suam, matrem, vel aviam suam, inprimis et ante omnia exercere, et suis parentibus reddere quod ab eis in infantiâ suâ receperunt, id est, nutriant illos senes, sicut ab eis nutriti sunt infantes. Juxta hunc sensum vult Apostolus quòd antequàm talis vidua inter viduas ecclesiasticas, seu Ecclesiæ sumptibus nutriendas, reponatur, ipsius propinqui illam, quantùm poterunt, nutriant et adjuvent, et hæc filiorum pietas in matrem, vel aviam suam, Deo grata erit. Huic sensui favent, non Græcus tantùm textus hodiernus, sed et Syriaca, Æthiopica et Arabica versio, quæ omnes habent, *discant*. Hunc sensum sequuntur inter Græcos Theophylactus et Œcumenius, inter Latinos, D. Hieronymus et Estius.

Fateor quòd hic sensus aliquandiù mihi placuerit, quia valdè appositus, et magis continuus videbatur. Animum tamen suspendi, tum propter auctoritatem nostræ Vulgatæ ab Ecclesiâ approbatæ, tum propter auctoritatem D. Augustini, Primasii, Ambrosii et aliorum antiquorum, qui legerunt *discat*. Imò et maximè propter auctoritatem D. Chrysostomi et Theodoreti, qui, licèt in plurali *discant* legerint, de viduâ tamen collectivè sumptâ, non de filiis, id explicant. Satis enim frequens est in collectivis nominibus ut transitus fiat à singulari ad plurale et à plurali ad singulare. Animo itaque sic suspenso propter auctoritates quasi æquilibrantes, textum accuratiùs legi et relegi; seriâque lectione animadverti quòd Apostolus de viduis præsertim ecclesiasticis acturus, agat et per occasionem de quibuscumque aliis viduis. Viduam itaque in triplici, imò quadruplici statu, considerat.

Sunt viduæ verè viduæ, id est, desolatæ, et ab omni auxilio destitutæ. Sunt viduæ, viro quidem orbatæ, sed facultatibus non destitutæ, et quæ filios

VERS. 1. — *Seniorem ne increpaveris*, etc. Eâ reverentiâ et lenitate, ut potiùs eos obsecrare quàm admonere videaris.

VERS. 2. — *Anus ut matres*, id est, mulieres natu grandiores. *Juvenculas ut sorores*, etc. Id est, per omnia castè.

VERS. 3. — *Viduas honora*, etc. Quæ scilicet ab omnibus etiam filiis desolatæ, atque omnibus curis exutæ, unique Deo intentæ et dicatæ sunt. Ità Chrysostomus, Anselmus, Theophylactus.

VERS. 4. — *Si qua autem vidua filios aut nepotes habet*, à quibus ali possi, verè vidua non erit.

habent. Sunt viduæ quæ pauperes quidem sunt, sed quæ propinquos divites habent, à quibus ali possunt. Sunt et viduæ quædam, quæ in viduitate restant ut deliciosiùs vivant, nempe ut, à mariti jugo liberæ, faciant quidquid placuerit. Et de omnibus his viduis in hoc capite loquitur Apostolus. De verâ viduâ, v. 3 et 5; de viduâ facultates et filios habente, v. 4; de viduâ paupere, sed propinquos divites habente, v. 16; de viduâ voluptuosâ, seu quæ vidua manet ut deliciis vacet, v. 6. Ex hâc autem distinctione mihi lumen affulsit, Apostolique mens clariùs apparuit, et nostri interpretis lectionem retinendam et præferendam sine hæsitatione judicavi. Itaque credo quòd D. Apostolus, ubi de viduâ verè viduâ, seu desolatâ, incœpit agere, v. 3, antequàm illam definiat, illiusque pia notet exercitia, v. 5, statim quasi per occasionem (quod Apostolo frequens) de viduâ divite et filios habente agit, v. 4; huicque viduæ præcipit ut suam pietatem in primis exerceat in filiorum suorum educatione, et in suâ benè regendâ familiâ.

Pauperes quidem viduæ, viro et filiis orbatæ, instent orationi, Deoque soli vacent. Divites verò viduæ, et quæ filios habent, suam inprimis pietatem in filiis suis piè et sanctè educandis collocent; HOC ENIM ACCEPTUM EST CORAM DEO.

VERS. 5. — QUÆ AUTEM VERÈ VIDUA EST... Nunc veram describit viduam, de quâ, v. 3, cœpit agere, ejusque pia designat officia. Quasi diceret : Ea porrò verè vidua est quæ et desolata, id est, ab omni prorsùs auxilio, viri, filiorum, nepotum, propinquorum et rerum omnium destituta. Ecce vera viduitas, vacuitas, desolatio. Χήρα, *vidua*, à verbo χηροῦν, *desolare*. Hæc rerum omnium vidua ad Deum confugiat, in eum speret, illique noctu et diù, quantùm fieri potest, orationibus adhæreat. Deum rerum omnium vice habeat. Ecce veræ viduæ piam occupationem.

VERS. 6. — NAM QUÆ IN DELICIIS EST... Græc., *at voluptaria*. Syr. : *Illa verò quæ versatur in deliciis*.

Quia nonnullæ viduæ, ideò viduæ manent non ut Deo vacent, nec ut filios, si quos habent, piè educent, sed ut deliciosiùs vivant, et à mariti potestate solutæ liberiùs faciant quod illis libuerit. D. Paulus, ut eas corrigat, et à tali genere vitæ, Christianismo oppositæ, deterreat, tales viduas Deo mortuas esse pronuntiat. Sicut vera vidua et desolata, mundo mortua, Deo vivit; sic è contra vidua voluptaria seculum spirans, vanitatique vacans, mundo quidem vivit, at Deo, et coram Deo, mortua est. Gratiæ vitam, quæ Deus est, perdidit. Sicut enim anima vita corporis est, sic animæ vita Deus : sicut moritur corpus quando emissa est anima, sic, amisso Deo, mortua est anima. Vide sanctum Augustinum, tract. 47, in Joan. Hæc autem Deum amisit; ergo mortua.

VERS. 7. — ET HOC (Græc., *hæc*) PRÆCIPE. Hæc quæ dixi de viduis, tum divitibus, tum pauperibus; tum voluptariis; hæc, inquam, omnia illis omnibus præcipe et explica, ut nullus eas jure possit reprehendere, seu crimen eis objicere.

VERS. 8. — SI QUIS AUTEM SUORUM... Hoc dicit in omnes, utriusque sexus, qui suos negligunt. Comprehendit ergo et voluptuosas et alias de quibus v. 4, si suos non piè regant; et viros etiam qui suos non alèbant, sed eos sinebant Ecclesiæ esse oneri. *Si quis*, vel quæ, *suis*, id est, sibi sanguine conjunctis et maximè domesticis, seu sibi cohabitantibus, non prospicit, curando ut habeant animæ et corpori necessaria: FIDEM NEGAVIT, id est, Christianismum, quem profitetur, hâc suâ duritiâ factoque crudeli, destruit, ET HÂC IN PARTE DETERIOR EST INFIDELI qui suos naturali instinctu et pietate curat. Ideò itaque deterior, quia inhumanior, et quia, fide instructus, non facit quod infidelis facit pietate tantùm naturali ductus.

Hinc collige primò Christiani peccata enormiora, quia transgreditur Dei voluntatem sibi meliùs notam. Collige secundò quòd operibus nostris possimus per omnia credere, et per omnia fidem abnegare. Credimus, si juxta fidem operamur. Fidem abnegamus, si fidei contraria faciamus. Fidei abnegationem, apostasiam horremus verbalem, realem non horremus; linguâ fidem profitemur, factis negare non erubescimus. Collige tertiò quanta debeat esse omnium quidem, sed maximè prælatorum, patrum, dominorum, cura de suis; et ad hæc terribilia D. Pauli verba expergefacti paveant ob suas de suis negligentias : *Fidem negavit...*

VERS. 9. — VIDUA ELIGATUR NON MINUS SEXAGINTA... Agit hic de viduis ecclesiasticis, seu publico Ecclesiæ sumptu alendis, variasque conditiones assignat necessarias ut quæ in earum cœtum aggregetur. Tunc ergo cœtus erant viduarum ætate et sanctitate vene-

Discat primùm domum suam regere, id est, piè tractare, ut scilicet piè filios regat.

Et mutuam vicem reddere parentibus, ut scilicet, si parentes adhuc vivant, eis inserviat, opituletur, ministret, eosque alat, sicut ab eis à puero alita et educata est.

Hoc enim acceptum est coram Deo; opus illud pietatis filiorum in parentes est Deo vehementer gratum. Unde et promissionem longævitatis annexam habet in decalogo.

VERS. 5. — *Quæ autem verè vidua est, et desolata*, hoc est, quæ desolata est, *speret in Deum*, etc. Id est, speravit aut sperat, quasi Apostolus describat quæ verè viduæ sint, scilicet, quæ omnium hominum spe destitutæ totam spem et mentem in Deum defixerunt. Ita Chrysostomus.

VERS. 6. — *Nam quæ in deliciis est*, etc. Secundùm spiritum, utpotè gratiâ Dei privatâ; q. d. : Vivens non vivit, sed vitam corporis obruit animæ morte. Vita in deliciis, et mors est et umbra mortis, inquit Bernardus.

VERS. 7. — *Et hoc præcipe*, etc. Præcipe viduis, scilicet, ut in Deum sperent, in orationibus assiduæ sint, delicias et voluptates fugiant, etc.

VERS. 8. — *Si quis autem suorum, et maximè domesticorum, curam non habet*, ut tam corporis, quàm animæ saluti provideat, *fidem negavit*. Non verbo, sed factis et opere : qui ergo suos negligit, videtur fidem et Christianismi famam negligere, etc.

Et est infideli deterior. Infideles enim naturali instinctu et pietate suorum curam gerunt.

VERS. 9. — *Vidua eligatur non minùs sexaginta*

rabilium, continentiæ voto astrictiarum, simul commorantium, perpetuo Dei et Ecclesiæ obsequio insistentium. Hæ viduæ ex *fidelium oblationibus alebantur*, sicut et ecclesiastici. Ex illis eligebantur diaconissæ quæ cæteris præessent, quæ mulierum in templis conventui invigilarent, quæ imperitas instruerent, quæ baptizandas juvarent; hæc ex Tirino, qui citat auctores. De his agit etiam Cornelius à Lapide, Estius, etc. De his ergo viduis agitur et de conditionibus ad earum cœtum requisitis. Prima, ut sit sexagenaria, quia laboris tunc sunt incapaces, continentiæ verò capacissimæ. Secunda, ut sit univira, seu secundas *nuptias non experta, sit casta.*

Vers. 10. — In operibus bonis testimonium habens... Tertia, ut publico bonorum operum testimonio publicum beneficentiæ subsidium promereatur. Quædam autem specificantur opera bona.

Si filios piè et sanctè educavit.

Si sanctos peregrinos et viatores hospitio recepit, *eorumque pedes lavit*, et alia *infima* erga illos exercuit ministeria. Si patientes adjuvit, quantùm potuit, pecuniis, patrocinio et intercessione, ait Theophylactus. Si omnes *bonorum operum occasiones sit prosecuta*, ita ut nec voluntas nec amor defuerit, si fortè defuit facultas aut occasio.

Vers. 11. — Adolescentiores autem... Sexagenariis minoras viduas à dicto catalogo rejice, ne recipias, ob duo : primò, quia pleræque castitatem diù non servant, sed saginatæ lasciviunt et nubere volunt. Secundò, quia multis etiam aliis in rebus pleræque peccant, otiosæ, discursatrices, etc.

Cum enim luxuriatæ fuerint. Græc. : *Cùm enim lascivierint*, verbum Græcum significat præ deliciis lascivire, ferocire. Syr. : *Lasciviunt enim sibi adversùs Christum.* Sensus est : Cùm sumptibus Ecclesiæ benè alitæ, saginatæ et indeliciatæ fuerint, lasciviunt, recalcitrant in Christum, et, rejectâ continentiæ professione, homini mortali, in maximam Christi sponsi sui injuriam, nubere volunt. Metaphora sumpta à jumentis, vel vitulis saginatis, quæ *ferociunt*, jugum excutiunt et in dominum recalcitrant. Sic et juniores viduæ, cùm in lasciviam deliciasque resolutæ fuerint, ait D. Chrysostomus, cùm indeliciatæ fuerint, ait D. Cyprianus, fœdus et pactum continentiæ, quam Christo devoverunt, violantes, nubere volunt. Vidua *Christum sponsum* habet, sicut et virgo, Theophylactus.

Vers. 12. — Habentes damnationem... Syr. : *Condemnatio earum statuta est, quippe quæ rejecerint primam suam fidem.* Id est, damnationis meritum habent, quia fidem fefellerunt quam Christo sponso suo dederunt, ita D. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus. *Illam fidem*, ait Tertull., lib. de Monogamiâ, quâ in viduitate inventæ et professæ eam, non perseverant : propter quod vult eas nubere, ne primam fidem susceptæ viduitatis postea rescindant.

Pater Amelotte citat S. Innocent. I, primâ epist., cap. 13; conc. Carthag. IV, cui aderat D. Augustinus, cap. 104. Citat et D. August., lib. 1, de adulter. Conjug., cap. 24, etc. Hinc benè colligitur quod apostolorum tempore erant vota. Vide Cornelium à Lapide.

Vers. 13. — Simul autem et otiosæ... Secundam dat rationem ob quam juniores viduas debeat rejicere, quia in otio nutritæ ab Ecclesiâ, nec laborare coactæ, fiunt discursatrices, percunctatrices, etc. Ex otio nascitur circumcursatio, garrulitas, curiositas, et alia mulieribus, præsertim junioribus, frequentia vitia, quæ in Christianis turpia. Christiana mulier, quasi testudo, domum suam non deserat : *domûs curàm habentes*, ad Tit. 2, 4.

Vers. 14. — Volo ergo juniores nubere... His omnibus consideratis, circa tales viduas duo statuit Apostolus. *Primum* ut *nubant. Volo ergo, id* est, malo, præstat, meliùs est, ut nubant et matres sint quàm incontinentes vivere; et meliùs est ut filios suos nutriant, educent, domúsque curam habeant quàm ut otiosæ circumeant verbosæ... Longè præstat hæc facere quàm illa, D. Chrysostomus, quia, ait Apostolus, nullam sic dabunt occasionem, nullumque prætextum inimico ad maledicta, nec se per incontinentiam damnabunt. Ita sancti Patres illud *volo* explicant. *Volo*, quia ipsæ volunt, D. Chrysostomus, Theophylactus. Non viduas vetat esse Paulus, sed adulteras, quia meliùs est esse bigamum quàm scortum, D. Hieronymus, epist. 12, ad Ageruchiam. *Volo*, id est, concedo tales nubere antequàm promittant quod non

annorum, quæ sit diaconissa. *Eligatur* scilicet una è multis, quæ cæteris dignior iisque præponenda. *Quæ* vidua *fuerit unius viri uxor*, id est, quæ non plures habuerit maritos quàm unum, nempe successivè.

Vers. 10. — *In operibus bonis testimonium habens, si filios educavit*, per se et ad pietatem; *si hospitio recepit*, id est, si fuit hospitalis, in peregrinis scilicet et pauperibus hospitio excipiendis.

Si sanctorum pedes lavit, id est, Christianorum peregrè venientium, *si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.*

Vers. 11. — *Adolescentiores autem viduas devita*, id est, rejice, ne admittas in numerum viduarum ab Ecclesiâ alendarum. Non enim vitari eas vult, sed non assumi.

Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt. Luxuriari, id est, lascivire, deliciari, *in Christo*, id est, in Christi injuriam. Vox ergo *luxuriari* non libidinem, sed luxum deliciarum hic significat.

Vers. 12. — *Habentes damnationem*, etc. Habere damnationem, non aliud est, quàm obnoxium esse damnationi, etiamsi illa nondùm præsens sit. Apostolus *fidem* hic intelligit Deo datam, sive promissionem Deo factam per votum continentiæ. Hæc enim tam irritatur et infringitur nubendo, quàm fornicando. Augustinus ait : In iis qui voverunt castitatem, non *tantùm capessere nuptias, sed nubere velle* damnabile est. Concilium Carthaginense, per primam fidem intelligit votum castitatis.

Vers. 13. — *Simul autem et otiosæ discunt circuire domos; non solùm otiosæ, sed et verbosæ*, id est, nugaces, ineptè loquaces, garrulæ, *et curiosæ*, id est, rerum alienarum et ad se non pertinentium indagatrices. *Loquentes quæ non oportet*, quia verba proferunt interdùm parùm honesta et pudica, quod provenit ex lascivià.

Vers. 14. — *Volo ergo juniores nubere*, etc. Volo, inquit, id est, concedo, tales nubere, antequam pro-

valent implere, Primasius. Itaque hæc nihil contra adolescentularum vota, præsertim in monasteriis.

VERS. 15. — JAM ENIM QUÆDAM... Ex experientiâ lex lata est, ait Theodoretus. Jam enim quædam, ex illis junioribus, Christum et Christianismum deseruêre, seculum et diabolum secutæ. Non prohibet adolescentulas esse viduas, sed adulteras fieri vetat, nolens otiosas esse, etc. Eâ causâ sublatâ, non prohibet juniores viduas esse, ait D. Chrysostomus.

VERS. 16. — SI QUIS FIDELIS HABET VIDUAS... Secundum Apostoli statutum circa juniores viduas, quæ propinquos habent à quibus possunt adjuvari. Ecce quartum viduarum genus de quo in hoc capite. *Si quis* ergo, aut si quæ, *fidelis* habet viduas sibi agnatas, aut affines, illis subveniat, ut non gravetur Ecclesia, et habeat unde necessaria subministret iis quæ reverà sunt viduæ et omnî auxilio destitutæ.

VERS. 17.— QUI BENÈ PRÆSUNT PRESBYTERI..., id est episcopi, pastores, etc., qui præsunt Ecclesiis, circa quos duo statuit. Primum, DUPLICI, id est, ampliori, multo et abundanti, HONORE, scilicet reali, subsidio digni sunt, id est, commodè sustentari merentur. *Honorem* dicit obsequium et rerum necessariarum largitionem, D. Chrysostomus. Maximè qui in evangelizando verbo Dei intenti sunt et in docendi ministerio.

VERS. 18. — DICIT ENIM SCRIPTURA. Hoc ipsâ lege firmat, Deuter. 25, 14; Levit. 19, 13; et ipso naturali jure, à Christo Domino confirmato, Matth. 10, 10; Luc. 10, 7.

Adverte, inquit S. Athanasius, quemadmodùm undique cogitur insudare qui docet; nam ut frumenta dissolvere et in grana deinceps comminuere non mediocris est labor, sic et qui alios instruit necesse est ad angoris et laborum se tolerantiam præparet. Cùm verò de operario disserit, ostendit nequaquàm hunc oportere delicias et quietem conquirere; operarius namque suâ dignus est mercede, sive cibo dixeris et potu; qui verò nihil operatur, vel his indignus esse arguitur.

VERS. 19. — ADVERSUS PRESBYTERUM. Secundum, ut in illos accusatio non recipiatur, nisi per duos aut tres testes probata. Ubi notandum quòd non dicit: Presbyterum ne damnes, nisi, etc., sed ACCUSATIONEM NE RECIPIAS, nisi, etc. Lege quidem Moysis damnari nemo poterat, nisi causâ per duos saltem testes probatâ, sed plebeius ad unius viri dictum capi poterat, et contra eum inquiri. Non ita de presbytero, tum propter honorem ei debitum, tum quia qui præest et alios corrigit multorum patet tum invidiæ, tum odiis et inimicitiis. Hinc contra eos exigendus testium numerus.

VERS. 20. — PECCANTES CORAM OMNIBUS. Quando tamen publica sunt peccata, quorumcumque sint, sive presbyterorum, sive laicorum, argui et corrigi debent publicè, ut cæteri, hoc punitionis exemplo deterriti, peccare timeant. Triplici de causâ corrigi debent delinquentes, ut ipsi fiant meliores, ut honor Ecclesiæ per eos læsus resarciatur, ut alii, hoc exemplo absterriti, coerceantur.

VERS. 21. — TESTOR CORAM DEO ET CHRISTO JESU. Postquàm hæc circa judicia ecclesiastica statuit, Timotheum per Deum, à quo omnis potestas, per Christum Jesum, omnium Judicem, per sanctos angelos ejus ministros, obtestatur et adjurat ut quæ dixit exactè servet et ita se præbeat æquum, ut nec judicium præcipitet.

SINE PRÆJUDICIO. Syr.: *Nullâ re præoccupetur mens tua.* Πρόκριμα, *præjudicium*, cùm judicium præcipitatur, seu cùm inauditus et indefensus damnatur.

NIHIL FACIENS IN ALTERAM. Syr.: *Et nihil agas per acceptionem personarum*, id est, nec per affectum in hanc vel illam partem inclinet, seu nihil propensione faciat in gratiam.

Quanti refert justè judicare, et quàm periculosum præoccupari judicem, vel affici, cùm D. Apostolus Timotheum suum tam vehementer obtestetur ut utrumque vitet, et judicet æquè! In Timothei autem personâ omnes instruit episcopos et prælatos, quos minatur Dei omnipotentis iræ, Christi Judicis vindictæ, angelorum sanctorum indignationis, nisi se judices æquos præbeant.

VERS. 22. — MANUS CITO. Timotheo, et aliis episcopis quos repræsentat Timotheus, imperat ne citò et sine serio meritorum examine cuiquam manus im-

mittant quod non valent implere. Patet Apostolum loqui tantùm de viduis eisque liberis, nec voto astrictis, quibus non præcipit, sed indulget. *Maledicti gratiâ*, id est, ad Ecclesiæ maledicendum.

VERS. 15. — *Jam enim quædam conversæ sunt*, deerraverunt, *retrò Satanam*, id est post Satanam. Sensus est: Eas à Christo aversas, Satanam, id est, diabolum, secutas esse.

VERS. 16. — *Si quis fidelis habet viduas*, etc., subministret, id est, sufficiat illis, non ad lasciviam, sed ad vitæ necessitatem et sufficientiam.

VERS. 17. — *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore*, id est, multiplici; q. d.: Presbyteri multo, liberali, et abundanti honore, id est, subsidio sustentationis præmientur. Dicit autem, *qui laborant*, quia doctrinam sacram tradere sicut oportet, non parvi laboris est.

VERS. 18, 19, 20. — *Dicit enim Scriptura*: Deuter 25..... *Adversùs presbyterum*.... *Peccantes coram omnibus argue*, id est palàm et in publico conventu Ecclesiæ, graviter ac severè sunt increpandi. *Peccantes* autem intellige, aut per se manifestos, aut publico judicio convictos, etc. *Ut et cæteri timorem habeant*, id est, ut cæteri timeant similem objurgationem, hoc est, publicam, et cum publico pudore conjunctam, etc.

VERS. 21. — *Testor*, id est, obtestor te *coram Deo et Christo Jesu et electis angelis*. Angelos electos vocat Apostolus angelos sanctos. *Ut hæc custodias sine præjudicio*, etc., personam non respiciens, cum æquâ bilance.

VERS. 22. — *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*. Per manus impositionem intelligit ordinationem; q. d.: Vide, ô Timothee episcope, ne quem temerè ordines, sed unumquemque priùs proba et examina, an probatæ sit vitæ et doctrinæ, talique gradu dignus: alioqui particeps fies peccatorum et scandalorum, etc.

Teipsum castum custodi. Proprièe *castum* significat purum et immaculatum ab omni culpâ. Admonet Timotheum castitatis, id est, pudicitiæ diligenter et omni studio conservandæ. Unde Syrus vertit, teinet-

ponat, ut illum ordinet sive in episcopum, sive in presbyterum, sive in diaconum, ne præcipitatâ indignorum ordinatione sese peccatorum alienorum reddat participem. Idem intelligi potest de confessariis indignos absolventibus, et de facto aliqui sic intellexerunt; reverà tamen de ordinatione intelligendum cum sanctis Patribus et interpretibus. Diù explorandus est qui præficitur aliis, ne si quod habeat vitium in doctrinâ aut in moribus, in culpæ partem veniat illius ordinator. Meritò hìc applicari potest quod dixit Christus: *Nolite projicere margaritas ante porcos*, ordines impuris et ignaris conferendo, quorum indignos se reputarent angeli.

TEIPSUM CASTUM CUSTODI. Castum et irreprehensibilem invenit illum Apostolus, et ordinavit; hinc ait *castum te serva* et immaculatum, ut scilicet juvenis possis senes impudicos arguere, et in eos indeclinabilia exercere judicia.

VERS. 23. — NOLI ADHUC AQUAM. Græc., *ne amplius*. Syr., *ne posthàc*. Id est, ne propterea bibas posthàc aquam meram, cum tanto valetudinis tuæ dispendio:

SED MODICO VINO UTERE, id est, vino benè diluto, propter stomachi tui infirmitatem, et alias quibus frequenter laboras.

Ergo apostoli et apostolici viri, præter labores continuos, et ecclesiarum sollicitudines, abstinentiâ corpus suum afflictabant.

VERS. 24. — QUORUMDAM HOMINUM PECCATA. Redit ad ordinandorum examen, de quo v. 22, et Timotheum tacitè monet ut de ordinandorum non malis tantùm operibus, sed et de bonis diligenter inquirat, ne scilicet indignos ordinet. Quod ut exactiùs faciat et securiùs, distinguit duo peccatorum genera. Sunt enim quidam quorum PECCATA MANIFESTA SUNT, et omnibus nota, communi hominum famâ, ante quodcumque examen et judicium; et de his nihil inquirendum, sed penitùs rejiciendi, ut ordinationè indigni: debent enim ordinandi esse inculpati, et prorsùs irreprehensibiles.

QUOSDAM AUTEM ET SUBSEQUUNTUR. Sunt alii è contra quorum peccata sunt abscondita, quippe qui presbyterium ambientes vitia sua sub quâdam sanctitatis specie occultant: et hi diligenter sunt examinandi, de iis accuratè inquirendum, ut si post examen manifesta fiant in judicio, rejiciantur.

VERS. 25. — SIMILITER ET FACTA BONA. Non de malis autem eorum operibus, sed et præcipuè de bonis fieri debet inquisitio; debent enim esse virtutum exemplar qui cæteris præficiuntur. *Similiter et facta bona* MANIFESTA SUNT. Sunt autem quidam pii quorum opera bona omnibus nota sunt, quia virtus sese vel invitam prodit: et hi examine non indigent.

ET QUÆ ALITER SE HABENT, ABSCONDI NON POSSUNT. Sunt verò alii quorum opera bona sunt secreta quidem, sed quæ per examen manifesta fient; nec enim diù possunt abscondi, quia per opera brevi declaratur qualis quisque sit: hi ergo per diligens examen dignoscentur. Quòd si autem diligenti examine facto latent eorum opera bona, sanè suspecti possunt esse, et non ordinandi. Si autem per diligentem inquisitionem manifesta fiant tandem bona eorum opera, eò majori honore digni, quò majori curâ honorem fugerunt.

Utinam nulli quorum peccata manifesta sunt ad ordines et ad ecclesiastica beneficia promoveantur! Utinam et hypocritarum qui dùm beneficium ambiunt sub sanctitatis simulatione peccata sua occultant diligens fiat examen, ut, eorum detectâ malitiâ, vel rejiciantur à beneficiis obtinendis, vel per censuras ecclesiasticas priventur ab obtentis! Utinam et humilium secreta virtus per inquisitionem detegatur, et larvatæ ambientium impietati præferatur!

---

ipsum serva, id est in puritate, innocentiâ. Qui enim seipsum castum custodit, non communicat peccatis alienis, etc.

VERS. 23. — *Noli adhuc aquam bibere*, etc. Præcipit Paulus Timotheo ægro usum vini; quia, ut ait Ambrosius, vult Deus prudenter sibi serviri, ne nimietate laboris vel abstinentiæ debiles efficiamur, et postea medicorum suffragia requiramus.

VERS. 24 — *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt*, etc. Quasi dicat: Præcepi tibi, ô Timothee, manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Tu mihi objicies, quomodò aliena peccata deprehendam? Respondeo, peccata quorumdam esse manifesta, aliorum verò occulta. Si manifesta sint, non laborabis, quia facilè cognosces eos, qui illis obnoxii sunt, indignos esse ordinatione, et dignos esse condemnatione ac pœnâ. Nam eos qui apertè mali sunt, jam constat esse rejiciendos, etiam antequàm de iis judicium examinis habeatur; quia peccata eorum ita manifesta sunt, ut judicium hoc præcurrant. Sin occulta sint, tibi laborandum erit ut ea detegas: sed ne desperes, exspecta, scrutare, explora, tandem ea deprehendes, quia peccata peccatorem subsequuntur quasi à tergo, etc.

VERS. 25. — *Similiter et facta bona manifesta sunt*, et de his non laborabis, sed cognosces eos ordine esse dignos. *Et quæ aliter se habent*, scilicet bona facta aliorum quæ occulta sunt, *abscondi non possunt*, quin, si ea diligenter perscruteris, sis cogniturus, et facilè animadversurus, an ordinandi sint nec ne. Ita S. Hieron., Anselmus, Gagnæus, et alii.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

1° Ecclesiasticus superior ac prælatus audiat, velut sibi dictum, quod D. Paulus circa correctionis modum Timotheo præcipit. Senes corrigat reverenter ut patres, juvenes leniter ut fratres, v. 1, 2.

2° Omnis Dei et Ecclesiæ minister audiat, intelligat, et altâ mente retineat hoc Apostoli verbum circa conversationem cum mulieribus. *In omni castitate*, internâ scilicet et externâ, conversetur cum illis, v. 2; duoque notet vitia erga illas pariter vitanda: nimiam scilicet duritiem, nimiam et mollitiem. Vide v. 2.

3° Animum intendant prælati ad terribilem mo-

dum quo sanctus Apostolus Timotheum adjurat ut æquum se præbeat in suis judiciis : *Testor coram Deo, et Christo Jesu, et electis angelis*, etc.; hinc que intelligant quanti refert ipsorum justè judicare, et quantum immineat illis periculum si in suis judiciis vel præoccupentur, vel affectu ducantur. Vide v. 21.

4° Attendant et ad id quod Timotheo præcipit circa ordinationes, caveantque ne temerariâ et inconsideratâ indignorum ordinatione sese coram Deo alienorum peccatorum reddant participes. Vide v. 22.

5° Omnis anima christiana desolata, et ab hominibus derelictâ, audiat quasi sibi dictum quod D. Apostolus de verè viduâ et desolatâ dicit, v. 5. *Speret in Deum* ; ad Deum confugiat, et eò magis in eum speret quò magis est desolata, et ab hominibus derelicta. Omnimoda derelictio dat jus ad Deum, omne bonum, confugiendi, in eum sperandi, et ab illo necessaria eò pressiùs et instantiùs petendi quò majori necessitate premimur.

6° Omnis Christianus suorum negligens, at præsertim patres, domini, prælati, qui de suis non curant, audiant terribilia D. Pauli verba, v. 8 : *Si quis suorum, maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit*, etc.; hocque tonitru expergefacti gemant ob suas de suis negligentias, fidemque, quam hâc suâ duritiâ abnegârunt, sollicitâ in posterum suâ charitate profiteantur. Vide v. 8.

CAPUT VI.

1. Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur.

2. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt; sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti, qui beneficii participes sunt. Hæc doce, et exhortare.

3. Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ;

4. Superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones et pugnas verborum : ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ,

5. Conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem.

6. Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientiâ.

7. Nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium quòd nec auferre quid possumus.

8. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.

9. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.

10. Radix enim omnium malorum est cupiditas; quam quidam appetentes, erraverunt à fide, et inseruerunt se doloribus multis.

11. Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge; sectare verò justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem.

12. Certa bonum certamen fidei; apprehende vitam æternam, in quâ vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus.

13. Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem ;

14. Ut serves mandatum sine maculâ, irreprehensibile, usque in adventum Domini nostri Jesu Christi.

CHAPITRE VI.

1. Que tous ceux qui sont sous le joug de la servitude sachent qu'ils sont obligés de rendre toute sorte d'honneur à leurs maîtres, afin de n'être pas cause que le nom et la doctrine de Dieu soient exposés à la médisance des hommes.

2. Que ceux qui ont des maîtres fidèles ne les méprisent pas, parce qu'ils sont leurs frères ; mais qu'ils les servent au contraire encore mieux, parce qu'ils sont fidèles, et plus dignes d'être aimés, comme étant participants de la même grâce. C'est ce que vous devez leur enseigner, et à quoi vous devez les exhorter.

3. Si quelqu'un enseigne autre chose, et n'embrasse pas les salutaires instructions de Notre-Seigneur Jésus-Christ, et la doctrine qui est selon la piété,

4. Il est enflé d'orgueil, il ne sait rien ; mais il est possédé d'une maladie d'esprit qui l'emporte en des questions et des combats de paroles, d'où naissent l'envie, les contestations, les médisances, les mauvais soupçons,

5. Les disputes pernicieuses de personnes qui ont l'esprit corrompu, qui sont privées de la vérité, et qui s'imaginent que la piété doit leur servir de moyen pour s'enrichir.

6. Il est vrai néanmoins que c'est une grande richesse que la piété, et la modération d'un esprit qui se contente de ce qui suffit.

7. Car nous n'avons rien apporté en ce monde; et il est hors de doute que nous n'en pouvons aussi rien emporter.

8. Ayant donc de quoi nous nourrir et de quoi nous couvrir, nous devons être satisfaits.

9. Parce que ceux qui veulent devenir riches tombent dans la tentation et dans le piége du diable, et en divers désirs inutiles et pernicieux, qui précipitent les hommes dans l'abîme de la perdition et de la damnation.

10. Car l'amour des richesses est la racine de tous les maux: et quelques-uns en étant possédés, se sont égarés de la foi et se sont embarrassés dans une infinité d'afflictions.

11. Mais pour vous, ô homme de Dieu, fuyez ces choses ; et suivez la justice, la piété, la foi, la charité, la patience, la douceur

12. Soyez fort et courageux dans le saint combat de la foi ; travaillez à remporter le prix de la vie éternelle, à laquelle vous êtes appelé, ayant si excellemment confessé la foi en présence de plusieurs témoins.

13. Je vous ordonne devant Dieu, qui vivifie toutes choses, et devant Jésus-Christ qui a rendu, sous Ponce Pilate, un si excellent témoignage à la vérité,

14. De garder les préceptes que je vous donne, en vous conservant sans tache et sans reproche, jusqu'à l'avénement de Notre-Seigneur Jésus-Christ.

15. Quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium;

16. Qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem : quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest; cui honor et imperium sempiternum. Amen.

17. Divitibus hujus seculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum)

18. Benè agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare,

19. Thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.

20. O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ;

21. Quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen.

15. Que doit faire paraître en son temps celui qui est souverainement heureux, qui est le seul puissant, le Roi des rois, et le Seigneur des seigneurs;

16. Qui seul possède l'immortalité, qui habite une lumière inaccessible, que nul des hommes n'a vu ni ne peut voir, à qui est l'honneur et l'empire dans l'éternité. Amen.

17. Ordonnez aux riches de ce monde de n'être point orgueilleux; de ne point mettre leur confiance dans les richesses incertaines, mais dans le Dieu vivant, qui nous fournit avec abondance tout ce qui est nécessaire à la vie;

18. D'être charitables et bienfaisants; de se rendre riches en bonnes œuvres; de donner l'aumône de bon cœur; de faire part de leurs biens;

19. De s'acquérir un trésor, et de s'établir un fondement solide pour l'avenir, afin d'arriver à la véritable vie.

20. O Timothée, gardez le dépôt qui vous a été confié, fuyant les profanes nouveautés de paroles et toute doctrine contraire qui porte faussement le nom de science;

21. Dont quelques-uns faisant profession, se sont égarés de la foi. Que la grâce soit avec vous. Amen.

ANALYSIS.

1° *Docet quomodò instituendi sunt servi christiani; suis nimirùm dominis, etiam ethnicis, promptè et reverenter obediant, v.* 1 *et* 2. *Secùs autem docentes damnat ut hæreticos, in quos rursùs invehitur : superbi sunt, ignari, mente et corde corrupti, religionis prætextu abutentes ad quæstum, v.* 3, 4, 5.

2° *Docet pietatem magnum quidem quæstum esse non divitiarum externarum, quas ambiunt hæretici, sed internarum, quæ dant sufficientiam, seu faciunt ut animus sit necessariis contentus, v.* 6. *Hanc sufficientiam inculcat Christianis omnibus, quos ab avaritiâ deterret ut malorum omnium, et temporalium, et æternorum, radice, v.* 8, 9, 10.

3° *Timotheum, et in eo omnes Dei ministros, speciatim avertit ab avaritiâ, ne in laico quidem ferendâ, et ad justitiam sedulò sectandam potenter impellit, v.* 11, 12. *Eumdem Timotheum, et omnes in eo episcopos, obtestatur per Deum vivum, et per Christum judicem, ut fortiter certet, hancque Epistolam observet usque ad adventum Domini, v.* 13, 14, 15, 16.

4° *Divites sanctum docet usum divitiarum; in se sint humiles, erga Deum pii, in proximum liberales, suisque eleemosynis æternam sibi comparent beatitudinem, v.* 17, 18, 19.

5° *Timotheum, et in ipso omnes episcopos, hortatur ut fidei depositum servet, nova vitet dogmata, objectiones ex falsæ philosophiæ principiis petitas rejiciat, v.* 20, 21.

PARAPHRASIS.

1. Quicumque sunt sub servitutis jugo heros suos, licèt ethnicos, perfectâ prosequantur reverentiâ, ne propter eorum inobedientiam christiana professio et evangelica doctrina malè audiat.

2. Qui verò dominos habent christianos caveant ne quid de reverentiâ remittant, quia christiani sunt; imò eò libentiùs illis ministrent quòd fideles sunt, et illis eò chariores sint quòd ejusdem sunt cum ipsis gratiæ participes. Hæc doce nescientes, hortare verò scientes.

3. Si quis doctrinam ab hâc nostrâ alienam docet, et non adhæret salutaribus Domini nostri Jesu Christi sermonibus, seu evangelicæ doctrinæ, quæ veram pietatem promovet,

4. Superbus est et ignarus, sed et languet circa futiles quæstiones et meras de verbis pugnas, ex quibus inanibus disputationibus oriuntur invidia, rixa, convicia, opiniones malæ, seu perniciosa dogmata.

5. Inanes et pravæ exercitationes hominum mente corruptorum qui veritatis lumine sunt privati, et ideò existimant pietatem rem esse quæstuosam.

6. Reverà magnus quæstus est pietas cui necessaria sufficiunt,

7. Sicut enim in hunc mundum nihil intulimus, ita procul dubio nihil ex mundo auferemus.

8. Necessaria ergo habentes, pasci scilicet et tegi, his contenti sumus.

9. Nam qui volunt fieri divites, avaritiæque student, in varias incidunt peccandi tentationes, quibus quasi retibus illaqueantur à diabolo, et in multas incidunt cupiditates non tantùm inutiles, sed et nocivas, quæ hominem demergunt in interitum et damnationem :

10. Amor enim pecuniæ est omnium malorum radix; cui studentes quidam à fide aberraverunt, et seipsos transfixerunt doloribus multis.

11. Tu autem, ô homo Dei, avaritiam et hæc eam comitantia peccata fuge; sectare verò sanctitatem et virtutes illius comites, scilicet pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem.

12. Certa fortiter præclarum certamen fidei; apprehende vitam æternam (quæ palma est victori promissa) ad quam à Deo, quasi agonotheta, vocatus es, et quam hucusque prosecutus es, egregiam confessus confessionem coram testibus plurimis.

13. Obtestor te coram Deo vivente et omnia vivifi-

cante, et coram Jesu Christo qui sub Pontio Pilato testimonium perhibuit veritati præclarum,

14. Obtestor, inquam, te coram tantis testibus ut quæ in hâc Epistolâ trado exactè custodias usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi, ne quam reprehensionem incurras ob tuam transgressionem.

15. Quem adventum, tempore destinato, exhibebit ille qui à se beatus est, et qui solus à se princeps, Rex regum, et Dominus dominantium.

16. Qui solus per se immortalis est, quique lux est præ nimio splendore mortalibus inaccessibilis, quemque præ nimiâ luce nullus hominum vidit in hâc vitâ, nec videre potest naturæ viribus, cujus honor et imperium non ad tempus est, sed ad omnem æternitatem. Amen.

17. Denuntia hujus mundi divitias habentibus, ne de se sublimiter sentiant, neque confidant in divitiis incertis, fluxis et fugacibus, sed ut sperent et confidant in Deum semper vivum, qui nobis omnia largè suppeditat ad usum necessaria.

18. Præcipe ut bona faciant opera, suisque præclaris ditescant operibus; sint liberales, suasque divitias indigentibus communes reddant.

19. Thesauros meritorum sibi ipsis reponant, fundamentum solidum in posterum, ut veram assequantur vitam.

20. O Timothee, fideliter serva doctrinam instar depositi tibi traditam; idcircò devita profanas vocum novitates, et omnes rejice objectiones quas opponunt hæretici, qui falsò sibi scientiæ nomen arrogant, seu sub ementito scientiæ nomine,

21. Quam profitentes, quidam aberraverunt à fide. Gratia tecum. Amen.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Quicumque sub jugo... Omnibus debitor est episcopus : hinc et mancipiorum saluti debet invigilare; memor quòd Christus Dominus, cujus ipse repræsentator est, *formam servi* accepit, venit *ministrare, non ministrari, factusque est obediens usque ad mortem.* Mancipiorum autem et aliorum servitutem sanctificabit episcopus, si doceat eos ut propter Deum et ad imitationem Christi Domini suis heris promptè serviant et reverenter obediant. Hoc docet Apostolus : *Quicumque sub jugo servitutis sunt,* seu mancipia, dominos suos, licèt ethnicos, in omni habeant honore, id est, eos honorent verbis, signis, operibus, promptâ scilicet obedientiâ, et reverenti obsequio.

Ne nomen Domini..., id est, ne ex eorum inobedientiâ, professio christiana et doctrina evangelica traducatur quasi ordinis politici dissolutrix, rebellionisque fautrix; sed ut, è contra, ex promptâ et reverenti eorum obedientiâ benè audiat Christianismus, et ad eum alliciantur infideles.

Hoc subintelligi voluit Apostolus, et utrumque in mente habuit. Idem præceptum nunc servis dandum, etiam pietatem colentibus : eò sint erga suos dominos et reverentiores et obedientiores, quò pietati sunt addictiores, ne pietas ob eorum in ministerio negligentiam ab heris blasphemetur, quod non rarum.

Vers. 2. — Qui autem fideles habent dominos... Qui verò dominos habent christianos caveant ne quid de reverentiâ et obsequio remittant, quia illos domini suos appellant et reputant in Christo fratres.

Sed magis serviant..., id est, quinimò ipsis eò libentiùs et promptiùs ministrent quòd christiani sunt, illosque eò chariùs diligant quòd ejusdem cum eis sunt gratiæ participes.

Et dilecti, ἀγαπητοί, quod alii vertunt *diligibiles,* quasi diceret : Eò majori dilectione sunt digni, seu eò magis diligibiles.

Observationes morales.

Gratia cœlestis, seu divina filiatio omnibus baptizatis collata, non tollit conditionum civilium inæqualitatem, sed eas omnes sanctificat. Herilem quidem, dùm dominis inspirat ut servos suos velut fratres diligant; servilem verò, dùm servos docet Christum in dominis suis revereri, eisque velut Christo Domino promptè, libenter et cum affectu, ministrare. Ex quo Christus, Filius Dei, frater noster factus est, nosque fratres suos appellare dignatus est, nullus homo, cujuscumque dignitatis et præeminentiæ, dedignetur servos suos ut fratres intueri et diligere. Ex quo Christus, Filius Dei, *formam servi accepit,* et *pro nobis factus est obediens ad mortem,* nullus homo, qualiscumque sit, erubescat alteri homini subdi, servire et obedire, imò glorietur id promptè, libenter et reverenter, ob Christum Dominum, præstare.

Hæc doce servos nescientes, ut suum noverint officium, suæque sanctificationis modum.

Exhortare verò scientes, ut quod noverunt opere perficiant, seque in servitute sanctificent.

Vers. 3. — Si quis aliter docet..., seu aliam à nostrâ doctrinam docet, et non adhæret salutaribus

Vers. 1. — *Quicumque sunt sub jugo servi,* etc. Vult servos per omnia officiosos esse erga dominos, non solùm, ne malè audiat religio et doctrina christiana, verùm etiam ut benè audiat, utque domini, qui non credunt verbo, considerantes bonam et sanctam servorum suorum conversationem, sine verbo lucrifiant. Et hæc quidem de servis dominorum infidelium; nam de servis fidelium nunc sequitur.

Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres, id est, christiani *sunt.* Ad dominos referenda est, non ad servos. *Sed magis serviant, quia fideles sunt dilecti qui beneficii participes sunt;* q. d. : Dilectione et honore digni sunt domini fideles, tanquàm fratres scilicet, et domestici fidei. *Hæc doce* nescientes, *et exhortare* scientes, ut quod sciunt, faciant et opere impleant.

Si quis aliter docet, et non acquiescit, etc., id est, ei doctrinæ quæ pietati consentanea est, quæque pietatem promovet. Hæc enim est doctrina sana. *Pietatem* intellige verum Dei cultum, quâ nimirùm rectè et sincerè Deus colitur.

Domini nostri Jesu Christi sermonibus, id est, evangelicæ doctrinæ; quæ tota salutaris est et sana; quæque veram pietatem docet, verumque Dei cultum promovet.

Hinc apparet quòd aliqui falsi doctores, sive judaizantes, sive alii, christianam libertatem, quæ spiritualis est et divina, confundentes cum civili et humanâ libertate, quæ corporalis est et externa, docebant quòd servi christiani, utpote per Christum liberati, Deique filii facti, ab hominum servitute essent liberi. Hos falsos doctores, velut Evangelii inimicos et ordinis politici perturbatores, acriter redarguit Apostolus, et hinc occasione captâ, in omnes quoscumque novantes rursùs invehitur, sicut initio Epistolæ, cap. 1.

Vers. 4. — Superbus est. Græcè, *turget*, inflatus est. Per quamdam ad corporum morbos analogiam describit spiritualem mentium ab Evangelii veritate recedentium ægritudinem. Christi doctrina tota salutaris est, ut versiculo superiori dixit, imò salutis fons est et causa. *Verbum salutis.* Qui ab eâ doctrinâ recedit à salute recedit. Hinc necessariò fit æger, ac primò turget, inflatur, sicut tument ægra corpora. Quod in corporibus tumor, hoc in animabus superbia, D. Chrysostomus. Tumet ergo novator typho vanæ scientiæ.

Nihil sciens; et tamen nihil scit; verâ et solidâ destitutus scientiâ, utpote fide privatus. Fides oculus est; qui non habet oculos nihil videt, ait Theophylactus. Liceat dicere, fides quasi dioptra optica est, sine quâ caligat rationis oculus, præcipuè circa divina. Fides elenchus, *demonstratio non apparentium*, sine hâc dioptrâ non videntur cœlestia. Hominis infidelis scientia nihil est, quia vel falsa, sicque nulla; vel inutilis ad salutem, sicque vana et quasi nihil.

Languet, ægrotat, imò delirat, ut æger, circa futiles quæstiones et meras de verbis pugnas, quæ vera sunt deliramenta.

Ex quibus oriuntur invidiæ, id est, ex quibus inanibus disputationibus nascuntur invidia, lis, seu, rixa, maledicentia, seu probra et convicia; quod frequens apud disputantes. Potest etiam intelligi de blasphemiâ in Deum.

Suspiciones malæ, seu opiniones malæ, seu perniciosa dogmata, ait D. Joan. Chrysostomus.

Hi sunt eorum deliramentorum fructus.

Vers. 5. — Conflictationes hominum mente corruptorum.. Græcè, παραδιατριβαὶ. Διατριβὴ, *disputatio.* παραδιατριβὴ, *perniciosa disputatio.* Significat ergo inanes et pravas exercitationes, *hominum mente corruptorum*, D. Chrysostomus, et post ipsum Theodoretus, Theophylactus; Œcumenius dicit, *confricationes*, seu attritiones contagiosas. Quemadmodùm scabiosæ oves, dùm affricant sese, sanas quoque morbo inficiunt, sic et isti cum aliis conflictantes corrumpunt eos. Qui à veritate recedunt, non convenientia docent, hinc contentio. Ex contentione oritur blasphemia in Deum; ejectâ fide oriuntur malæ suspiciones; hinc verò lues procreatur, quæ inficit eos qui appropinquant, Theodoretus. Hinc, inquit contagio eorum qui sunt mente corrupti, quemadmodùm oves ægrotæ, etc. Inanes itaque et perversæ exercitationes hominum mente simul et corde corruptorum : mente quidem, quia veritatis lumine sunt privati, excæcati sunt; corde etiam, suâ scilicet cupiditate et avaritiâ. Ex unâ parte, deest illis veritas in mente; ex aliâ parte, inest illis cupiditas in corde. Veritatis lumine destituti, suâ cupiditate possessi, existimant pietatem rem esse quæstuosam, et eâ ad quæstum faciendum abutuntur.

Quot adhuc hujusmodi homines mente et corde corrupti, qui Dei cultum ordinant ad quæstum et acquisitionem sive divitiarum, sive gloriæ, quique, pietatem quasi rem fructuosam excolentes, quidquid dicunt et faciunt ad suam referunt utilitatem! *Abscede ab hujusmodi.* Hæc verba addit Græcus hodiernus. Similiter et Syriaca versio : *Tu verò procul fuge ab iis.* Hæc eadem verba exponunt D. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus. Habet etiam Ambrosianus, *discede ab hujusmodi.* Hinc apparet vetustam esse hanc additionem.

Vers. 6. — Est autem quæstus magnus... Græcè : *Est autem quæstus magnus pietas cum suæ sortis probatione.* Arab. versio : *Bona verò pietas cum animo suâ sorte contento quæstus est maximus.* Est quidem quæstus pietas, sed excellentiori modo, ait S. Chrysostomus. Non quæstus divitiarum externarum, ait D. Thomas, sed illarum quæ dant sufficientiam, seu quæstus divitiarum spiritualium et internarum, quæstus gratiæ, etc. Sufficientia est magnæ stabilesque opes, Theophylactus. Sensus ergo litteralis est, quòd pietas sit quidem quæstus magnus, non eo sensu quo

Vers. 4. — *Superbus est*, inflatus est, *nihil sciens.* Quia reverà nihil habet solidæ scientiæ pertinentis ad pietatem. Judaizantes potissimùm hic notantur, censentur Apostolo nihil scire, quia carebant scientiâ gratiæ Christi, sine quâ omnis alia fides et scientia nihil omninò prodesse poterat ad salutem. *Nihil sciens* eorum quæ præ aliis jactat se scire. Hæreticus dicitur *nihil sciens*, quia licèt multa sciat de Deo, etc., tamen suâ hæresi fidem divinam sibi abstulit, ut ne vel unum articulum fide divinâ credat.

Sed languens circa quæstiones et pugnas verborum. Cujusmodi sunt qui sine fide quærunt ac disceptant de iis, quorum ante omnia à nobis fides exigitur. Fides est oculus : qui non habet oculos, nihil videt, nihil invenit, sed tantùmmodò quærit. Sola fides est quæ mentem in veritate stabilit, et quæstiones omnes excludit: fides enim docet credere quæ non vides, quæ non capis, quæ non intelligis; fides docet Deum esse omnipotentem, etc.

Ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, convicia et probra, quibus se mutuò impetunt contentiosi disputatores, etc.

Vers. 5. — *Conflictationes hominum mente corruptorum*, id est, inanes ac pravæ exercitationes hominum quorum mens ambitione, vel avaritiâ, aliisque affectibus occupata et corrupta est.

Et qui veritate privati sunt, qui scilicet in pœnam hæresis excæcati sunt, ut veritatem intueri non possint. *Existimantium quæstum esse pietatem.* Hodiè novantes existimant pietatem quæstum esse, quòd ecclesias vel monasteria despolient.

Est autem quæstus magnus, etc., ipsa pietas magnus est quæstus: quia pietas multò plus valet, quàm quidquid ab homine avaro desiderari potest.

arbitrantur hæretici, seu ad divitias comparandas, sed in seipsâ quæstus est pietas, magnusque thesaurus, si sufficientiæ conjuncta sit, seu si animo sibi sufficienti, paucis et necessariis contento, sit conjuncta. Hanc autem sufficientiam, hunc que animum necessariis contentum, parit vera pietas; sicut reverà peperit in Paulo dicente, Phil. 4: *Ego didici in quibus sum sufficiens esse.....* Magnus itaque quæstus magnusque thesaurus vera pietas, quæ Deum dat, qui est ipsa sufficientia. *Saddæi*, ipsa *sufficientia*, quia scilicet *omne bonum*.

Deus magne! Deus bone! thesaure meus! sufficientia mea! omne bonum! cor meum reple tuâ pietate; omnia perdam, dummodò te verâ pietate possideam! *Quid mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram? Deus cordis mei* tu es, et eris *pars mea, Deus, in æternum.*

VERS. 7. — NIHIL ENIM INTULIMUS. Dat rationem, et ob quam nutilis est avarorum quæstus, et ob quam debeant necessaria sufficere, sitque *quæstus magnus pietas* CUM SUFFICIENTIA. Quia sicut in *hunc mundum nihil intulimus*, ita nihil ex mundo effermus. Nuda natura nostra prodiit, nuda discedet: ergo superfluis opus non habemus, D. Chrysostomus; ergo inutilis avarorum quæstus; ergo sola sufficientia quærenda. Hoc seriò cogitet mortalis homo, et terrena despiciet. A tumulo tumulum peto, ait D. Greg. Naz.; ab utero matris, unde nudus egressus sum, inut erum terræ, quò nudus ingrediar. Ad quid ergo divitias congero? Heri non habebam, cras non habebo. O dementiam superflua cras deserenda cum tanto labore et anxietate comparandi!

VERS. 8. — HABENTES AUTEM ALIMENTA... Syr.: Quapropter sufficit nobis cibus et tegumentum. Ex superiori versiculo concludit: *Habentes* ergo necessaria, contenti simus. Pasci et tegi necessaria; cibus sufficiens ut nutriat, vestis et domicilium quæ ab injuriis tueantur; ecce ad vitam necessaria, cætera superflua. Quis hisce necessariis contentus? Quis superflua quædam non quærit? Quis itaque non timeat hisce verbis condemnari?

VERS. 9. — NAM QUI VOLUNT DIVITES FIERI..... Aliam rationem affert cur avaritiam fugientes debeamus paucis et sufficientibus esse contenti. *Qui volunt fieri divites*, avaritiæque student, in varias peccandi tentationes incidunt, scilicet in tentationes fraudis, rapacitatis, furti, mendaciorum, in jurisjurandi volationem, etc.

ET IN LAQUEUM DIABOLI, id est, quibus peccatis quasi retibus illaqueantur à diabolo.

Dico magnum quæstum esse pietatem in seipsâ cum sufficientiâ, id est, si conjuncta sit sufficientiæ, sive animo sibi sufficienti, id est, suâ sorte contento, quem parit et gignit ipsa pietas.

VERS. 7, 8 et 9. — *Nihil enim intulimus in hunc mundum.... Habentes autem alimenta.... Nam qui volunt divites fieri*, etc., demergunt in profundum, interitum scilicet et damnationem.

VERS. 10. — *Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Avaro nihil est scelestius, hic enim et animam suam venalem habet, Eccl. 10. Extirpa ergo

ET DESIDERIA MULTA INUTILIA ET NOCIVA, id est, incidunt et in multas cupiditates non tantùm inutiles, sed et nocivas, quæ hominem DEMERGUNT IN INTERITUM ET DAMNATIONEM, seu, ut ait D. Chrysostomus, *in perditionem hujus temporis et futuri*; Theophylactus, *in perditionem præsentem et futuram*. Idem D. Chrysostomus habet, *desideria stulta et nociva*. Theophylactus legit similiter, quibus conformis est Syrus, *in concupiscentias multas, quæ stultæ sunt et nocivæ*. Cupiditates accusavit, non facultates; avaritia enim est velle fieri divitem, non autem esse divitem, divus Augustinus. Pauper ergo quis esse potest in divitiis, sicut et in paupertate multi sunt divites, quia cupiditas divitem et avarum facit, non possessio. Itaque caveat pauper à cupiditate; caveat dives ab affectu divitiarum. Hic possideat sine affectu; ille careat sine desiderio.

VERS. 10. — RADIX ENIM OMNIUM MALORUM EST CUPIDITAS. Græcè, φιλαργυρία, *amor pecuniæ*, est *radix omnium malorum*, temporalium scilicet et æternorum, culpæ et pœnæ. Primò ex avaritiâ, quasi ex radice, pullulant omnia peccata; ambitio, luxus in vestitu, in mensâ, in domicilio, in famulatu, etc., fraus, furtum, etc. *Hinc avaro nihil scelestius*, Eccles. 10. 9. Secundò, multa et temporalia mala, seu pœnæ: quot enim pœnas subeunt avari, quot luctus! etc.

QUAM QUIDAM APPETENTES, id est, cui amori pecuniæ studentes quidam, A FIDE ABERRAVERUNT, quia avaritia oculos ad seipsam attrahens non sinit nos veritatis viam aspicere, ait Theophylactus ex D. Chrysostomo. Non potest idem oculus sursùm simul et deorsùm, cœlum et terram aspicere. Ita fit ut animus terrenis intentus rerum cœlestium perdat cogitationem et affectum, sicque paulatim aberrat à fide; sicut viator sibi non attentus aberrat à loco ad quem pergere volebat. Ecce malum culpæ.

ET INSERUERUNT SE:.. Græcè, *seipsos transfixerunt*, DOLORIBUS MULTIS. Divitiarum sollicitudines, spinarum instar, quàcumque ex parte cruentant, et vulnera infligunt. Quis explicare queat avarorum curas et dolores? D. Chrysostomus. Ecce mala pœnæ, bona quæ-runt, infernum inveniunt. Veritatem hanc noverunt philosophi: Studium seu amor pecuniæ metropolis est omnis malitiæ, dicebat Bias. Duo sunt malorum elementa: inexplebilis opum cupiditas, et gloriæ appetentia, Timon, à Cornelio citatus.

VERS. 11. — TU AUTEM, O HOMO DEI. Tu autem, ô Timothee, qui Deo addictus es, non seculo ideòque totus in ea quæ Dei sunt intentus, avaritiam et omnia eam comitantia peccata FUGE, longè sis ab iis alienus.

cupiditatem, ait Augustin. et planta charitatem; sicut enim radix omnium malorum est cupiditas, ita radix omnium bonorum est charitas.

Quam quidam appetentes erraverunt à fide, et inseruerunt se doloribus multis. Sic hodiè multi vel metu amittendarum, vel spe acquirendarum opum, à fide catholicâ ad hæresim desciscunt.

VERS. 11. — *Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge*; tu, inquam, qui es homo Dei, et proinde in ea quæ Dei sunt, totus intendere debes, ista quæ dixi, *fuge*; scilicet avaritiam et peccata quæ ex illâ radice pro-

SECTARE VERO JUSTITIAM christianam, seu innocentiam et sanctitatem, et omnes virtutes illius comites. Scilicet PIETATEM in Deum, quæ maximus est quæstus, utpote quæ Deum promeretur;

FIDEM quæ cœlestia bona ostendit et promittit;

CHARITATEM in proximum, quæ sua non quærit, *imò* largitur;

PATIENTIAM in adversis;

MANSUETUDINEM in offensis.

Omnes interpretes emphasim notant in his verbis, *fuge, sectare. Fuge*, esto remotissimus. *Sectare*, persequere.

Omnis episcopus et pastor Deo addictus, et in ea quæ Dei sunt intentus *est homo Dei*, non naturâ tantùm, sicut cæteri omnes, sed habitudine, ut ait Theodoretus, Dei quippe minister est, Dei vicarius. *Homo Dei; sicut procurator generalis, homo regis : omnes* itaque episcopos et pastores præsertim alloquitur Apostolus, et hortatur ad fugiendam avaritiam, ad sectandam sanctitatem christianam, quæ omnes virtutes complectitur, sicut avaritia omnium vitiorum est radix : si enim cuilibet Christiano hæc fugienda, illa verò sectanda, quantò magis episcopo, Ecclesiæ ministro, homini Dei !

VERS. 12. — CERTA BONUM CERTAMEN FIDEI. hoc, velut sibi dictum, excipiat omnis Dei minister. Justitia christiana, ad quam hortatur hìc Apostolus, duas partes habet : vitia fugere, seu impugnare et superare; virtutem sectari, exercere, propugnare. Neutrum fit sine quodam certamine; sibi vis in utroque facienda. Hoc autem certamen, *certamen est fidei : Hæc est enim victoria quæ vincit mundum, fides nostra, 1 Joan. 5, 4. Ut ergo* ad utrumque vehementiùs et sensibiliùs hortetur, alludit ad agones et palæstras, quæ in Græciâ Ephesi celebrabantur. Agoniza, *certa* fortiter et athleticè præclarum *fidei certamen*, quod in vitiis superandis et in virtutibus exercendis consistit. Quasi strenuus athleta Christi *certa* et agoniza, abstine, sustine, aggredere.

APPREHENDE VITAM ÆTERNAM, quæ scilicet bravium est et palma victori proposita.

IN QUA. Græc., *ad quam* VOCATUS ES à Deo, quasi agonotheta, et quam hucusque *prosecutus es*, egregiam et illustrem CONFESSUS CONFESSIONEM; in baptismo, ubi Christianismum professus; in ordinatione, ubi fidelitatem pactus; in persecutione Ephesi excitatâ, Actor. 19, v. 23, ubi quasi martyr generosè passus fuisti.

Hæc D. Pauli ad Timotheum, et sub Timothei nomine ad omnes episcopos, exhortatio, cuilibet Christiano convenit ob promissiones in baptismo factas, et cuilibet religioso ob vota in professione emissa.

VERS. 13. — PRÆCIPIO TIBI CORAM DEO... Duos addit stimulos Timotheo et episcopis ad excitandam illorum virtutem in agone de quo in versu superiori, et ad observandam hanc Epistolam. Primus est quòd certet, agonizet CORAM DEO, qui fons est vitæ, vitam donans, vivos servans, et mortuos à morte revocans. Secundus est quòd agonizet *coram* CHRISTO, omnis quidem Christiani exemplari, at præsertim episcopi, qui Christi repræsentator est. *Præcipio tibi* et obtestor te *coram Deo* vivente et vivificante, seu qui vita est et fons vitæ, vitam dans, servans et reddens quibus vult, et qui consequenter eam tibi reddere potest, *et coram Jesu Christo, QUI SUB PONTIO PILATO* TESTIMONIUM perhibuit veritati, eamque suo subsignavit sanguine, et consequenter exemplum tibi dedit etiam cum vitæ periculo veritatem profitendi.

VERS. 14. — UT SERVES MANDATUM SINE MACULA. Obtestor, inquam, te coram tantis testibus, ut quæ in hâc Epistolâ trado, perfectè et exactè custodias.

cedunt. *Sectare verò justitiam*, id est, prosequere, uti venator prosequitur feram, ita tu justitiam; *pietatem*, quâ Deus ex animo et purâ intentione colitur, *fidem*, cœlestia bona quærentem, à quâ aberraverunt quidam per avaritiam; *charitatem*, non quærentem quæ sua sunt, sed quæ aliorum; *patientiam*, quâ non solùm superfluis, verùm etiam necessariis æquo animo caremus. *Mansuetudinem*, pro quâ Ambrosius legit, tranquillitatem animi, dùm scilicet non commovemur adversùs eos qui nos injuriis afficiunt, ea quæ nostra sunt auferentes, juxta illud : Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.

VERS. 12. — *Certa bonum certamen fidei.* Vocatur autem *certamen fidei*, vel quia non nisi per fidem vincit, qui in hoc certamine versatur; vel quia certamen hoc pro fide Christi propagandâ ac defendendâ susceptum erat.

Apprehende, viriliter certando, tanquàm palmam victoriæ, *vitam æternam, in quâ*, vel ad quam, *vocatus es* à Deo.

Et confessus bonam confessionem coram multis testibus, tanquàm dicat Apostolus : ita certa in cursu ministerii tui, ut apprehendas palmam vitæ æternæ, ad quam vocatus es, et cujus gratiâ, multis præsentibus, hanc optimam fecisti professionem, te fideliter ac strenuè executurum opus Episcopi et Evangelistæ, cujus professionis te semper memorem esse volo.

VERS. 13. — *Præcipio tibi coram Deo.* Præcipio tibi, inquit, in conspectu et præsentiâ Dei, qui testis esse poterit me hæc præcepisse, et vindex, si ea non serves. Quid præcipiat postea subjungit, ubi dicit : *Ut serves mandatum sine maculâ.*

Qui vivificat omnia. Non dicit, qui videt omnia, sed, qui vivificat; quia plus est vivificare quàm videre. Vivificat autem omnia quæcumque vivunt, quia omnis vita à Deo est; q. d. : Ne metuas mortem; nam servus es Dei, qui potest etiam mortuos ad vitam revocare.

Et Christo Jesu. Quanquàm non ideò tantùm Christi meminit Apostolus, quòd istis *omnium actionum nostrarum* inspector sit, ac judex futurus; verùm etiam ut eum Timotheo proponat tanquàm exemplar confessionis quod imitetur.

Qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem. Sensus est : Qui cùm sæpè veritatem, cujus causâ missus erat à Patre, palàm confessus apud homines fuisset : tandem, præside ac judice Pontio Pilato, ejusdem veritatis confessionem testatus est, sive testatum fecit, id est, martyrio complevit et consignavit; quando pro eâ veritate crucem et mortem sustinuit.

VERS. 14. — *Ut serves mandatum sine maculâ, irreprehensibile; q. d.* Serva mandata mea integrè, ita ut neque in dogmatibus, neque in moribus maculam contrahas, ob quam meritò reprehendaris.

Usque in adventum Domini nostri Jesu Christi, id

USQUE IN ADVENTUM. Græc., *apparitionem*, DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. Ne quam reprehensionem incurras ob tuam transgressionem aut negligentiam. Quia ad omnes Ecclesiæ episcopos scribit, sub Timothei nomine, et quia quæ scribit usque ad finem mundi servanda sunt, hinc Timotheo, episcoporum repræsentatori, præcipit ut ea servet usque ad illustrem et gloriosam Christi apparitionem. Potest etiam dici quòd hoc addat ut Timotheus meminerit se à Christo Domino judicandum, et consequenter pastoris officium gerat irreprehensibiliter.

VERS. 15. —QUEM SUIS TEMPORIBUS.. Græc., *quam*, scilicet apparitionem, id est, quem gloriosum Christi adventum *suis temporibus*, seu tempore sibi noto, exhibebit ille qui BEATUS et ipsa beatitudo est, omnesque sanctos beans.

ET SOLUS POTENS. Græc., *dynasta*, princeps, seu solus à se princeps, et principatum habens.

REX REGUM, sub cujus imperio regnant quicumque regnant.

DOMINUS DOMINANTIUM, cui serviunt quicumque dominantur aliis. Illi serviunt aut volentes aut inviti, ait S. Anselmus. Hæc absolutam indicant potentiam Dei, qui à se, independenter à quolibet, *Rex et Dominus* est; à quo è contra essentialiter dependent quicumque potestatem habent.

VERS. 16. — QUI SOLUS HABET IMMORTALITATEM, id est, *qui solus* per se immortalis est, utpote vita ipsa et fons vitæ;

ET LUCEM HABITAT IN INACCESSIBILEM, quæ Deus ipse est; Deus enim domum non habet in quâ habitet, sed existit in seipso. Itaque sensus est: Qui lux est immensa, infinita, increata. *Et lucem inhabitat inaccessibilem*, id est, et ideò mortalibus inaccessibilis. Præ nimiâ luce et majestate invisibilis est.

QUEM NULLUS HOMINUM VIDIT. Ipsum hâc in vitâ nullus mortalium vidit, sed nec videre potest naturæ viribus.

CUJUS HONOR ET IMPERIUM, non ad tempus, sed ad omnem æternitatem est. Ita sit.

Observatio dogmatica et moralis.

Attendamus ad hoc elogium Dei à S. Paulo ipsius Dei Spiritu afflato compositum: Deus est à se summè beatus, omnipotens, solus à se princeps, Rex regum, Dominus dominantium, solus immortalis, ipsaque vita, lux, majestas, gloria immensa, infinita, præ nimio fulgore inaccessibilis; quem nullus mortalium vidit, nec potest naturæ suæ viribus videre; cujus honor, potestas et imperium, est ad omnem æternitatem. Quid majus, quid divinius dici potuit? Magnum itaque, admirandum, est hoc elogium Dei; dignum sanè quod in nostris mentibus et cordibus insculpamus, quod diu noctuque meditemur, ut tantæ majestatis semper memores tanto Domino servire gloriemur. Regis regum, Domini dominantium, servus sum ego!

Hoc tamen elogium sic miremur, ut sciamus sermonem esse Dei per hominem, de Deo ad homines, et consequenter hominibus accommodatum, ac propterea elogium infinitæ Dei majestati longè inadæquatum. *Magnus Dominus, et laudabilis nimis;* omnem intellectum et laudem hominum et angelorum transcendit infinitè. Quidquid homo, etiam Dei Spiritu afflatus, dicat de Deo, hoc parvum reputandum est, si ad immensam et infinitam Divinitatis naturam ac dignitatem comparetur. Solus Deus sese comprehendit; solus ergo Deus sese adæquatè dicit et laudat; solus Deus sese sic dicentem intelligit et audit. Nos ad ipsum, ne noctuæ quidem ad solem: hinc minimo majestatis illius opprimimur radio; hinc illum pro ejus majestate nec intelligere, nec dicere, nec audire, possumus. Nobis mortalibus tantummodò concessum credere, mirari, adorare, amare, obedire, obsequi. Et hoc ipsum maximum reputantes, credamus humiles, admiremur, adoremus, amemus, obediamus, obsequamur, nosque totos semper, et in æternum, tantæ majestatis obsequio supplices et tremebundi devoveamus.

Deus magne, Deus nimis laudabilis! indignus sum qui te laudem, tibique serviam, sed ad indignitatem meam non attentus, *suscipe me secundùm eloquium tuum, et non confundas me ab expectatione meâ.* Me nihilum, et nihilo minorem, quia peccator sum, tibi, æternæ, immensæ, infinitæ majestati devoveo; tibi, *Regi regum, Domino dominantium, cujus imperium sempiternum*, in æternum obsequi et servire volo. *Ne projicias me à facie tuâ*, quia nihilum et peccator

est, usque ad apparitionem seu manifestationem Domini nostri Jesu Christi. Dùm ergo Timotheo præcipit ut servet mandatum, *usque in adventum Christi;* intelligendus est præcipere ut servet usque ad exitum vitæ. Nam, ut ait Augustinus, tunc unicuique veniet dies adventûs Domini, cùm venerit ei dies, ut talis hinc exeat, qualis judicandus est illo die.

VERS. 15. — *Quem suis temporibus ostendet. Quem*, non Christum refert, sed *adventum*, sive apparitionem; ut ex Græco liquet: tametsi id ad sensum non multùm interest. Quod enim ad rem attinet, non aliud est, apparitionem Christi ostendere, quàm Christum apparentem seu manifestum exhibere. Dicit autem *temporibus suis*, seu *propriis*, id est, ad eam rem à Deo præordinatis, ipsique notis.

Beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium. Beatum Deum vocat, ne dubitemus ab eo qui per essentiam beatus est, ac solus omne bonum possidet, communicandam nobis beatitudinem promissam. *Rex regum*, id est, Rex regnantium, qui proindè ei, tanquàm Regi et Domino, omnes subjecti sunt. Christi regnum atque dominium quod habet super omnes alios reges ac dominos, à Patre ei datum est.

VERS. 16. — *Qui solus habet immortalitatem.* Perfecta immortalitas est omnimoda immutabilitas. Solus Deus omninò immutabilis est: qui solus ex se et per naturam immortalis est; ut qui sit essentialiter vita. Nam intellectuales creaturæ, ut angeli et animæ rationales, participativè tantùm, et (ut Patres loquuntur) per gratiam, immortales sunt. Unde quâ ratione solus Deus bonus est, eâdem solus est immortalis, scilicet per essentiam.

Et lucem inhabitat inaccessibilem. Loquitur de

sum, sed *suscipe me secundùm eloquium tuum.* Me, inquam, secundùm verbum tuum æternum, adæquatum, sed pro me exinanitum in tempore, pro me carnem factum, pro me passum et mortuum, pro me nunc *interpellans ad dexteram majestatis.* Ipsum audi, ipsum in me respice, et propter ipsum, *non confundas me ab expectatione meâ*, sed in ipso, cum ipso, et per ipsum, tibi servire merear in tempore et in æternitate.

VERS. 17. — DIVITIBUS HUJUS SECULI PRÆCIPE... Finita videtur Epistola in versu præcedenti : at quia superiùs multa contra divitiarum amorem dixerat Apostolus, ne fortè divites et divitias damnâsse videatur, addit sequentia, ut divites doceat sanctum divitiarum usum. Primò docet vitia à quibus cavere debent divites, à superbiâ scilicet et in divitiis confidentiâ. Secundò virtutes quas debent exercere, liberalitatem, bona opera, quibus sibi thezaurisent in cœlo. *Præcipe divitibus hujus seculi.* Sunt enim divites in Deum, de quibus Matth. 6, 20, et 19, 21 ; Marci 10, 21 ; Luc. 12, 25, etc. Et sunt divites juxta seculum, qui scilicet substantiam hujus seculi possident. *Præcipe* ne sublimiter de se sentiant, seque magni faciant, et sibi multùm arrogent. Vermis divitiarum est superbia, ait D. Augustinus.

NEQUE SPERARE IN INCERTO DIVITIARUM. Neque confidant in divitiis incertis, fluxis et fugacibus.

SED IN DEO VIVO, id est, sed sperare *in Deo vivo*, quia Deus est, semper manet ; quia Deus vivus est, omnia videt ac audit, et in se confidentes adjuvat. Divitiæ citò pereunt, Deus manet in æternum. Divitiæ res sunt mortuæ, inanimes : Deus autem vivit, videt, audit, ad se recurrentes suscipit et juvat. Hinc in illo sperandum, non in divitiis.

QUI PRÆSTAT NOBIS OMNIA ABUNDÈ.... In illo, inquam, qui nobis omnia largè suppeditat ad usum necessaria ; et cujus consequenter munificentia non minùs est liberalis quàm vita invariabilis.

VERS. 18. — BENÈ AGERE... Præcipe ut bona faciant opera, suisque ditescant præclaris operibus.

FACILÈ TRIBUERE, COMMUNICARE. Liberaliter dent pauperibus, suasque divitias communicent, indigentibus faciant illas communes.

VERS. 19. — THESAURIZARE SIBI FUNDAMENTUM BONUM IN FUTURUM... Per eleemosynas reponant sibi ipsis thesauros meritorum, quasi *fundamentum solidum in posterum*, jusque certum ad veram assequendam vitam. Thesaurus spiritalis est congregatio meritorum, quæ sunt fundamentum futuri ædificii quod nobis præparatur in cœlo ; quia tota præparatio futuræ gloriæ est per merita quæ acquirimus per gratiam, quæ est principium merendi, ait D. Thomas. Divitum itaque Evangelium hoc est : Ut non sint superbi ; spem suam in suis non reponant divitiis ; non sint in pauperes duri, suarumque opum tenaces proprietarii : sed humiles in se et erga Deum, *à quo omne bonum* ; sperent in Deum vivum ; sint erga proximum liberales et benefici ; suâque charitate suas opes indigentibus communes faciant. Hoc si fecerint, veras divitias sibi cumulabunt in posterum, thesauros æternos sibi ipsis congerent, jusque ad veram vitam. *Vivi divitiarum* morientes *nihil inveniunt in manibus suis*, Regius Psal. 75, v. 6. Misericordes è contra thesauros inveniunt in perpetuas æternitates duraturos, cœlestemque domum et veram vitam.

O felicem usuram! eleemosyna. Nota benè cum fundamento comparari eleemosynam quidem omnem, at præsertim eam quæ fit in abscondito, ut consulit

luce increatâ, quæ est ipse Deus. Deus lux est. Dicitur *inhabitare lucem*, sicut est et habitat et permanet in seipso, secundùm illud Ambrosii : *Immotus in te permanens.* Maximè enim quisque ibi dicitur habitare ubi semper est, et unde nunquàm recedit. Hæc lux est ipse splendor, et gloria majestatis divinæ increatâ, immensa et inenarrabilis, quæ est fons omnis luminis, claritatis, cognitionis, gloriæ. Hæc lux nobis est inaccessa : unde nobis non lux, sed caligo est. Caligo divina est inaccessibilis, in quâ inabitare dicitur Deus ; hæc est invisibilis propter eximiam claritatem, et inaccessibilis propter immensam luminis copiam.

Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest. Nemo potest videre Deum, scilicet per se et suas naturæ vires, suâ acie mentis, suo naturali acumine, suo ingenio ; sed necesse est ut homo visurus Deum super hominem elevetur, ac per gratiam naturam transcendat, et super seipsum attollatur, atque quasi supernaturalem vim visivam, oculumque accipiat, puta lumen gloriæ, quo Deum videre possit. Deum vocat *invisibilem*, et ita quidem ut eum nec viderit, nec videre possit quisquam hominum ; cùm Dei visionem eamque perfectam, omnes Christiani certâ spe expectare jubeamur.

Cui honor et imperium sempiternum. Amen. Cui ab omnibus impendatur honor et cujus imperium sit per omnium confessionem sempiternum. *Amen*, id est, fiat.

VERS. 17. — *Divitibus hujus seculi præcipe, non sublime sapere*, superbè sapere, id est, elato esse animo, superbire. Competit in eos qui sibi placent, et magni seipsos faciunt, aliosque præ se contemnunt : quales maximè sunt hujus seculi divites.

Neque sperare in incerto divitiarum. Nam sicut vermis pomo, ita divitiis superbia innascitur, inquit Anselmus.

Sed (sperare) *in Deo vivo.* Potiùs, inquit, spem suam ac fiduciam reponant in Deo, totique ab eo pendeant, etiam in mediis opibus, quas ille dat et aufert quibus et quando voluerit.

Qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum, id est, ad percipiendum cum lætitiâ. Vult autem Deus homines donis suis lætificare, sed ita ut non in illis, sed in ipso finem et felicitatem suam constituant.

VERS. 18. — *Benè agere ;* q. d. : Bona operari. *Divites fieri in bonis operibus*, sicut abundant opibus, ita abundare debent bonis operibus. *Facilè tribuere*, id est, faciles ac prompti esse ad tribuendum. *Communicare*, id est, habere divitias sicut communes, ait Aquinas.

VERS. 19. — *Thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum*, puta virtutes et virtutum pietatisque opera. Has enim opes quasi fundamentum solidum opponit incerto divitiarum hujus seculi. Ita Chrysostomus.

Ut apprehendant veram vitam, scilicet beatam et æternam. *Vera vita* dicitur illa quæ beatorum est in cœlis.

Christus. Fundamentum absconditur in terrâ, sic et eleemosyna debet, si fieri potest, abscondi. Ex fundamento in terrâ abscondito domus assurgit in altum, sic ex piis operibus absconditis assurgit domus cœlestis, ædificium spirituale, salus æterna, ubi vera vita, et thesauri quos *nec ærugo demolitur, nec tinea corrumpit.*

VERS. 20. — O TIMOTHEE, DEPOSITUM CUSTODI. Evangelii doctrina vocatur *depositum*, quia sicut depositum est alterius, ita evangelica doctrina Christi est, non pastorum. Et sicut depositum fideliter à depositario servandum est, ita episcopis incumbit inviolabiliter servare et ad alios transmittere doctrinam sibi depositam atque commendatam. Timotheo itaque suo et omnibus episcopis commendat sacræ doctrinæ depositum. Illius sunt depositarii, non proprietarii; sunt custodes, non domini : ergo servent illam, propugnent, ne minimam ejus partem vitiari patiantur. Lex enim depositi non patitur ut aliquid illius pereat sine culpâ apud depositarium.

DEVITANS PROFANAS VOCUM NOVITATES... Idcircò vitent novitates doctrinæ et sermonum, unde novantes dicuntur hæretici. Profanæ non sunt novitates vocum quæ antiquam doctrinam clariùs et breviùs exprimunt, v. g., Trinitas, consubstantialitas, transsubstantiatio, etc.

ET OPPOSITIONES. Græc., *antitheses*, id est, objectiones quas opponunt novantes, qui falsò sibi scientiæ nomen vindicant. D. Chrysostomus putat hic Gnosticos perstringi.

VERS. 21. — QUAM QUIDAM PROMITTENTES; id est, *quam* scientiam profitentes quidam, aberrârunt à fide, in errorem inciderunt, Christianismum deseruerunt.

GRATIA TECUM. AMEN.

VERS. 20. — *O Timothee, depositum custodi.* Nomine *depositi* metaphoricè significatur doctrina successori credita, ac per manus tradita, quomodò depositum pecuniarum tradi et credi solet amico. Episcopi constituti sunt doctrinæ custodes, ac velut depositarii. Manifestum est enim Apostolum de deposito doctrinæ loqui, quæ quasi per manus transmittenda sit ad successores.

Devitans profanas vocum novitates, id est, vanitates sive inanitates vocum. Notat quorumdam futilem, inanem et clamosam loquacitatem, eamque profanam, id est, impuram et pietati noxiam. Si vitanda est novitas, retinenda est antiquitas; si profana est novitas, sacrata est vetustas. Sana doctrina cana est et prisca, à Christi et apostolorum temporibus ad nos illibatè derivata.

Et oppositiones falsi nominis scientiæ dicuntur objectiones quas contra fidei doctrinam afferunt quidam specioso scientiæ titulo, sed falso. Non enim vera scientia esse potest quæ veritati contraria est. Talis erat philosophia illa, quam reprehendit, Col. 2, etc. Non est vera scientia, ubi vera fides non est.

VERS. 21. — *Quam* (scientiam) *quidam promittentes* (profitentes) *circa fidem exciderunt*, id est, aberrârunt. Cujusmodi scientiam, inquit, dùm profitentur, ac docti sapientesque videri student, ab integritate et sinceritate fidei, velut à scopo, aberrârunt.

Gratia tecum. Amen. Gratiam Dei, omnium bonorum fontem, more suo, precatur in fine Epistolæ.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

1° Observet episcopus et quilibet sacerdos, proportione servatâ, quòd omnibus sit debitor : *Sal* enim *est terræ, et lux mundi*, Matth. 5, v. 13, 14. Ut *sal terræ*, debet omnes alios homines, quantùm est in se, à corruptione morum præservare. Ut *lux mundi*, omnibus lucem debet et ardorem; omnes etiam servos et mancipia debet verbo et exemplo sanctificare. Neminem itaque negligat; servos etiam vilissimos sanctificet modo sibi à Doctore gentium præscripto. Vide v. 1 et 2, et observationem moralem.

2° Omnis Catholicus quidem, at omnis speciatim Ecclesiæ catholicæ minister, hæreticam notet pravitatem, quam horreat, detestetur ac fugiat. Illam Apostolus, cap. 4, v. 1, 2, verbis valdè significantibus expresserat, dicens hæreses *à spiritibus erroris* esse, *doctrinas dæmoniorum*, hominumque *in hypocrisi loquentium mendacium et cauteriatam habentium suam conscientiam.* Talem picturam vide cap. 4, v. 1, 2, et observationem litteralem et moralem in commentario. Illic autem, ut hanc eamdem pravitatem sensibiliùs nobis exprimat, illam describit per analogiam ad corporum morbos. Hæresis pessimus et mortifer est animæ morbus. Quare? quia sicut Evangelium, Christi doctrina, verbum est salutis, fons vitæ, cui per fidem adhærentes vivimus, sani sumus, in æternum victuri, ita qui per infidelitatem ab hâc Christi doctrinâ recedit, statim à salute, à vitâ recedit, et fit æger ad mortem. Ac primò turget typho vanæ scientiæ; secundò cæcutit circa divina, amisso fidei oculo; tertiò delirat circa futilia; quartò delirans falsa, stulta, perniciosa, dicit; hinc que non modò in se æger ad mortem, sed et aliis et contagiosus et pestifer; hunc ergo quasi pestem fuge. Ad hanc fugam nos excitat Apostolus, addens : *Conflictationes hominum mente corruptorum;* seu, ut explicant Patres Græci, confricationes hominum mente et corde corruptorum, et ideò attritiones contagiosæ. Sicut ovis scabiosa alias inficit, sic hæreticus quos approximat corrumpit. Abscede igitur ab hujusmodi. Vide in commentario dicta ad v. 4, 5.

3° Omnis Christianus notet aureas subsequentes D. Pauli sententias, æternâ memoriâ dignas; illas verò omnis præsertim ecclesiasticus, Deoque sacer, in suâ mente insculpat, nunquàm oblitterandas.

Prima. *Est quæstus magnus pietas cum sufficientiâ*, v. 6. Vera pietas magnus sanè quæstus, quia Deum dat in corde; Deus autem *omne bonum*, et ipsa *sufficientia*. Dat cordi pio sanctam sufficientiam, quæ fe-

licitatem inchoat, quam perficiet æterna Dei fruitio. Huic ergo unico quæstui studebo.

Secunda. *Nihil intulimus in hunc mundum ; haud dubium quòd nec auferre quid possumus*, v. 7.

Tertia, quæ secundæ est consequentia : *Habentes igitur alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus*, v. 8. Pasci et tegi sufficiant. O dementiam, superflua cras deserenda cum tanto labore comparandi!

Quarta. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem*, v. 9.

Quinta. *Radix enim omnium malorum est cupiditas*, v. 10. Has veritates, *ô homo Dei*, Deoque sacer, si benè penetraveris, ab omni temporalium cupiditate liber, pietatem et sanctitatem sectaberis, ad quam, v. 11, 12, 13, hortatur Apostolus. Vide in commentario dicta ad v. 6. 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13.

4° Notent omnes Evangelium speciale divitum. Primò vitia quæ debent fugere : *Non sublimè sapere*, v. 17 ; non sint superbi, arrogantes, elati ; *neque sperare in incerto divitiarum*, id est, non confidant, spemque suam non reponant in divitiis incertis, fluxis et fugacibus. Secundò virtutes quas debent exercere : *Sed sperare in Deo vivo*, id est, sed humiles et grati sperent in Deum vivum, et ob illum sint erga proximum liberales et benefici : *benè agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare*, v. 18 ; sicque ditescant suis præclaris operibus, quibus thesauros sibi congerant æternos ; *thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam*. Huic brevi Evangelio stude, ô homo Dei, illudque serva, si sis dives ; doce et prædica, in quocumque sis statu. Vide in commentario dicta v. 17, 18, 19.

IN EPISTOLAM II
AD TIMOTHEUM
Præfationes.

Hanc ad Timotheum Epistolam, Romæ, in vinculis scriptam fuisse constat ex ipso textu, cap. 1, v. 8 et 16 ; cap. 2, v. 8. Sed quia D. Paulus bis Romæ fuit catena ligatus, controvertitur quibus in vinculis ; an in primis, an in secundis, hanc scripserit.

Omnes antiqui, Eusebius, D. Hieronymus, D. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, et plerique post eos, censent illam in ultimis vinculis scriptam, ideòque omnium Epistolarum D. Pauli ultimam reputant, et quasi vocem cycneam, quam morti proximus, et ad martyrium sese accingens, edidit.

Hoc ipsum formaliter affirmat textus Græcus in fine Epistolæ. Ad Timotheum secunda Ephesiorum Ecclesiæ primum episcopum ordinatum scripta est à Româ, cùm ex secundo sisteretur Paulus Cæsari Neroni.

Idem asserit Arabica versio : Scripta fuit ab urbe Româ, cùm Timotheus constitutus jam esset episcopus super Ephesum, quando secundâ vice stetit Paulus in præsentiâ Cæsaris Neronis, imperatoris Romani.

Pro hâc opinione dissertationem fecit R. P. Mauduit, auctor libri cui titulus : *Analyse des Epîtres de saint Paul*, secundâ parte, dissertatione undecimâ. Eamdem opinionem supponit et sequitur Dominus de Tillemont, *Mémoires*, etc., *sur saint Paul, an de Jésus-Christ* 65.

Hæc opinio præcipuè nititur cap. 4, v. 6 : *Ego jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat*. Reverà in expositione hujus versiculi, pro hâc opinione concludo. Vide cap. 4, v. 8, circa finem.

Baronius tamen, et alii post eum multi è recentio-

De secundâ ad Timotheum Epistolâ primò dicendum ubi et quando scripta sit ; tum de argumento. Et quidem Romæ è vinculis scriptam esse constat ; nam catenæ suæ et vinculorum meminit 1 et 2 cap. Idque confirmant illa verba 4 cap. : *Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi*, etc. Verùm ex his ipsis verbis videri potest hanc Epistolam omnium postremam, atque instante jam martyrio scriptam esse à Paulo. Quæ penè omnium est interpretum sententia. Quam et Eusebius tradit, lib. 2 Hist. Ecclesiast., cap. 22. Atverò, si rem diligentiùs expendamus, apparebit hanc Epistolam inter eas quæ Româ datæ sunt aut primam esse aut secundam, scriptamque multis annis ante Pauli obitum, videlicet tertio aut quarto Neronis anno, cùm martyrium ipsius inciderit in annum Neronis decimum tertium. Cùm enim Romam recenter advenisset, Timotheum discipulum, quo non alium habebat chariorem, statim de rebus suis certiorem reddere voluit, ac nominatim de successu primæ suæ defensionis apud Neronem ; quod facit sub finem Epistolæ. Eòdem spectat quòd scribat nonnulla quæ planè arguunt recentem ejus adventum in urbem Romam, ut illa, cap. 4 : *Pemulam quam reliqui Troade, veniens affer tecum. Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti*, vel *Melitæ*, ut alii putant legendum. Quòd autem Paulus in hâc Epistolâ non sentiat finem vitæ suæ jamjam instare, sed contra potiùs significet adhuc se reservari ad implendum prædicationis officium in

ribus, putant in primis vinculis scriptam fuisse; præsertim ob cap. 4, v. 17 : *Dominus mihi astitit*, etc., *et liberatus sum de ore leonis.* Sed hic versus explicabitur suo loco, et primæ opinioni non contradicere, imò favere, ostendetur. Vide cap. 4, v. 17, sub finem.

Hanc Baronii opinionem satis fusè propugnat Estius, quam et fusiùs explicat et propugnat P. Amelotte.

Hujus Epistolæ argumentum idem est ac primæ; Timotheum scilicet Apostolus docet quæ sunt episcopi et pastoris officia, et ad ea fideliter exsequenda hortatur.

Quæ distinctiùs videbis in analysi uniuscujusque capitis.

gentibus, haud obscurè docent hæc eodem cap. 4 ejus verba : *Dominus autem mihi astitit, et confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, et audiant omnes gentes.* Astitit enim per revelationem, sicut et fecisse legitur Act. 23 et 27. Hujusmodi ferè argumentis adductus Cardinalis Baronius existimat Paulum hanc Epistolam scripsisse brevi postquàm Romam advenisset, ac proinde multò ante mortem. Cui sententiæ nos quoque non gravatim accedimus. Quomodò autem ei non obsistant illa priora Apostoli verba, quibus dicit jam se delibari, tempusque resolutionis suæ instare, cursu jam consummato, videbitur, Deo propitio, cùm ad ejus loci explicationem ventum erit. Quod ad argumentum Epistolæ attinet, versatur ea præcipuè in admonendo Timotheo sui officii, et animando adversùs afflictiones et persecutiones imminentes, ipsius Pauli exemplo. Plena est optimis præceptis, Episcopo sive Pastori animarum, ad munus suum benè et utiliter exsequendum, necessariis, quale inprimis est, rectè ac sincerè tractare verbum veritatis, et à doctrinâ traditâ et acceptâ nullatenùs recedere. Unde et multa passim interserit de falsis profanorum dogmatum magistris, partim exortis, partim exorituris, quos præcipit vitari. Missa videtur aut simul cum eâ quæ ad Ephesios scripta est, aut non multò post; idque ante tres alias, videlicet ad Philippenses, ad Colossenses, et ad Philemonem scriptas. In hâc enim Timotheus Romam vocatur; in illis Timothei nomen adscribitur, velut jam præsentis et consortis in scribendo. Item, in hâc Marcus jubetur assumi Romam venturus, qui idem in Epistolis ad Colossenses et ad Philemonem Romæ scriptis unus est ex salutantibus. Scriptam esse paulò post Epistolam ad Ephesios, ex eo conjici videtur, quòd illa per Tychicum missa sit, in hâc verò dicat : *Tychicum misi Ephesum*, velut de re nuper factâ. An autem hæc ad Timotheum Ephesi adhuc morantem missa fuerit, sicut prior Epistola, non omninò liquet. Multùm enim temporis inter utramque intercessit. Tametsi illud satis apparet, in partibus Asiæ Minoris, cujus Ephesus erat metropolis, egisse tunc Timotheum, episcopali suo munere vacantem.

CAPUT PRIMUM.

1. Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, secundùm promissionem vitæ quæ est in Christo Jesu;

2. Timotheo, charissimo filio, gratia, misericordia, pax à Deo Patre, et Christo Jesu Domino nostro.

3. Gratias ago Deo, cui servio à progenitoribus in conscientiâ purâ, quòd sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die :

Desiderans te videre, memor lacrymarum tuarum, ut gaudio implear,

5. Recordationem accipiens ejus fidei, quæ est in te non ficta, quæ et habitavit primùm in aviâ tuâ Loide, et matre tuâ Eunice; certus sum autem quòd et in te.

6. Propter quam causam admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.

7. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis.

8. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus, sed collabora Evangelio secundùm virtutem Dei :

9. Qui nos liberavit, et vocavit vocatione suâ sanctâ, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum, et gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia;

10. Manifestata est autem nunc per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam et incorruptionem per Evangelium:

11. In quo positus sum ego prædicator, et apostolus, et magister gentium.

12. Ob quam causam etiam hæc patior; sed non

CHAPITRE PREMIER.

1. Paul, apôtre de Jésus-Christ, par la volonté de Dieu, selon la promesse de la vie qui est en Jésus-Christ;

2. A Timothée, son fils bien-aimé : que Dieu le père et Jésus-Christ notre Seigneur vous donnent la grâce, la miséricorde et la paix.

3. Je rends grâce à Dieu, que je sers dès mes ancêtres avec une conscience pure, de ce que nuit et jour je me souviens continuellement de vous dans mes prières;

4. Et, me représentant vos larmes, je désire vous voir, afin d'être rempli de joie,

5. Dans le souvenir que j'ai de cette foi sincère qui est en vous, qu'ont eue premièrement Loide votre aïeule, et Eunice votre mère, et que je suis aussi très-persuadé que vous avez.

6. C'est pourquoi je vous avertis de rallumer ce feu de la grâce de Dieu que vous avez reçue par l'imposition de mes mains.

7. Car Dieu ne nous a pas donné un esprit de timidité, mais un esprit de courage, d'amour et de sagesse.

8. Ne rougissez donc point de notre Seigneur, que vous devez confesser, ni de moi qui suis son captif : mais souffrez avec moi pour l'Evangile, selon la force que vous recevrez de Dieu,

9. Qui nous a rachetés et nous a appelés par sa vocation sainte, non selon nos œuvres, mais selon le décret de sa volonté, et selon la grâce qui nous a été donnée en Jésus-Christ avant tous les siècles,

10. Et qui a paru maintenant par l'avénement de notre Sauveur Jésus-Christ, qui a détruit la mort, et a découvert au monde, par l'Evangile, la vie et l'incorruptibilité.

11. C'est pour cela que j'ai été établi prédicateur, apôtre et maître des nations :

12. Et c'est aussi ce qui m'a attiré les maux que

confundor. Scio enim cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.

13. Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide et in dilectione in Christo Jesu.

14. Bonum depositum custodi per Spiritum santum, qui habitat in nobis.

15. Scis hoc, quòd aversi sunt à me omnes qui in Asiâ sunt, ex quibus est Phygellus, et Hermogenes.

16. Det misericordiam Dominus Onesiphori domui; quia sæpè me refrigeravit, et catenam meam non erubuit :

17. Sed cùm Romam venisset, sollicitè me quæsivit, et invenit.

18. Det illi Dominus invenire misericordiam à Domino in illâ die. Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu meliùs nôsti.

je souffre; mais je n'en rougis point; car je sais à qui je me suis confié ; et je suis persuadé qu'il est assez puissant pour me garder mon dépôt jusqu'à ce grand jour.

13. Proposez-vous pour modèle les saines instructions que vous avez entendues de moi, touchant la foi et la charité qui est en Jésus-Christ.

14. Gardez, par le Saint-Esprit qui habite en nous, l'excellent dépôt qui vous a été confié.

15. Vous savez que tous ceux qui sont en Asie se sont éloignés de moi : Phygelle et Hermogene sont de ce nombre.

16. Que le Seigneur répande sa miséricorde sur la famille d'Onésiphore, parce qu'il m'a souvent soulagé, et qu'il n'a point rougi de mes chaînes ;

17. Mais qu'étant venu à Rome, il m'a cherché avec grand soin, et il m'a trouvé.

18. Que le Seigneur lui fasse la grâce de trouver miséricorde devant lui, en ce jour, car vous savez mieux que personne combien d'assistances il m'a rendues à Ephèse.

ANALYSIS.

1° *Præmissâ in hâc sicut in primâ Epistolâ salutatione propriâ et singulari, suum Paulus erga Timotheum amorem testatur, cujus diu et noctu recordatur in orationibus suis, quemque videre desiderat, idque omne ob fidem et pietatem illius sinceram, et ei quasi hæreditariam. v.* 1, 2, 3, 4, 5.

2° *Hortatur Timotheum ad gratiam in ordinatione sibi datam reaccendendam, ut episcopalis fortitudinis, et dilectionis, et æquanimitatis, spiritu roboratus, non erubescat Evangelium Crucifixi prædicare; quinimò Dei fretus auxilio secum et vincula, et adversa quæque, lubens pro Evangelio patiatur, v.* 6, 7, 8.

3° *Rationes affert in Deum fidendi, et pro eo libenter patiendi; nos ab æterno dilexit, nosque in tempore salvavit : æterna quidem ejus in nos dilectio diù latuit; at nunc manifesta est per apparitionem Domini nostri Jesu Christi, et per illius Evangelii prædicationem, v.* 9, 10.

4° *Hujus divinæ bonitatis in homines ego Paulus sum præco, apostolus et doctor apud gentes; equidem vincula et probra hâc de causâ patior, sed non confundor; quin glorior, quia scio cui commisi, v.* 11, 12. *Ita et tu prædica, et pro Evangelio pati gloriare. Quoad prædicandi modum, imitare meum, v.* 13. *Quoad doctrinæ substantiam, à me tibi traditam custodi ut depositum, v.* 14.

5° *Notat quosdam qui à se defecerant, v.* 15. *Commendat autem Onesiphori erga se vinctum charitatem, eique benè precatur, v.* 16, 17, 18.

PARAPHRASIS.

1. Paulus, apostolus Jesu Christi, constitutus per voluntatem Dei ad prædicandum promissum vitæ divinæ et æternæ, quæ fidelibus datur à Deo per Jesum Christum.

2. Timotheo filio charissimo gratia, misericordia, pax detur et multiplicetur à Deo Patre, et à Domino nostro Jesu Christo.

3. Gratias ago Deo, quem cum purâ conscientiâ colo religione mihi à majoribus meis transfusâ, quòd assiduam nocte ac die tui memoriam habeo in meis orationibus.

4. Exopto te videre, ut ex tui conspectu implear gaudio, memor lacrymarum quibus me abeuntem prosecutus es.

5. Memor et fidei sinceræ quam in te vidi, quæ primùm in Loide, maternâ aviâ tuâ, et in matre tuâ Eunice, firmiter et perseveranter inhæsit, persuasus sum autem quòd et in te perseverabit.

6. Hoc ut ita sit, hortor te ut reaccendas gratiam Dei quæ est in te, scilicet collata tibi in ordinatione tuâ, factâ per impositionem manuum mearum :

7. Nobis enim episcopis Deus in ordinatione nostrâ non dedit spiritum timiditatis, sed Spiritum fortitudinis, et dilectionis, et æquanimitatis.

8. Itaque nec te pudeat Christi crucifixi Domini nostri, nec te pudeat mei ejus gratiâ vincti, sed tu ipse collabora mecum in Evangelio prædicando, secundùm vires tibi datas à Deo,

9. Qui nos liberavit (à vitiis) et ad veram vitæ sanctitatem vocavit; non propter opera nostra (erant enim mala), sed ex liberali beneplacito suo quo decrevit ab æterno gratiam nobis dare intuitu meritorum Jesu Christi.

10. (Hæc Dei voluntas in Deo quidem latuit ab æterno), nunc autem in toto mundo manifestata est per adventum Jesu Christi Salvatoris nostri, qui mortem quidem destruxit, vitam autem incorruptibilem per Evangelium ubique prædicatum patefecit.

11. Ad quod prædicandum ego constitutus sum præco, apostolus et doctor gentium.

12. Ob quod etiam hæc patior vincula, sed eorum non me pudet, quia scio quantus sit ille cui meipsum commisi, et certus sum quia potest depositum meum incorruptum servare usque ad diem judicii.

13. Forma et exemplar tibi sint sani sermones quos à me audisti circa fidem et dilectionem christianam.

14. Præclarum doctrinæ depositum quod tibi traditi fideliter custodi, ope et gratiâ Spiritûs sancti habi-

tantis in nobis (nobis propterea in ordinatione collati).

15. Nósti quòd omnes Asiani Romæ degentes me dereliquerunt, inter quos est Phigelius et Hermogenes.

16. Excipio Onesiphorum, et precor Deum ut ejus familiæ misereatur, quia mihi sæpè subsidio et solatio fuit, nec cum puduit vinculorum meorum.

17. Quinimò cùm Romam venisset, cum diligentiâ me quæsivit, et tandem invenit.

18. Det illi Dominus ut apud se misericordiam inveniat in die judicii; quanta et quantis in rebus Epheai ministraverit mihi, non scribo, quia tu meliùs nósti quàm ego, seu (optimè nósti.)

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Paulus apostolus Jesu Christi, per voluntatem Dei... Dei voluntas est principium apostolatûs et omnis ecclesiastici ministerii. Vide dicta initio primæ Epistolæ ad Timotheum.

Secundum promissionem vitæ. Hoc *secundùm*, Græc., κατὰ, determinat ad quid et propter quid Paulus constitutus sit apostolus, scilicet ad prædicandum et omnibus annuntiandum promissum vitæ æternæ. Apostolatûs et omnis ecclesiastici ministerii finis est vita æterna.

Quæ est in Christo Jesu, id est, quæ vita à Deo fidelibus Evangelium servantibus datur per Jesum Christum, Redemptorem nostrum. Patet ex Græco particulam *quæ* ad vitam referri, non ad promissionem. Alter itaque apostolatûs et ministerii finis, et prioris obtinendi medium est fidem in Christum prædicare et promovere, seu homines adducere ad Christum, qui *via*, *vita*, *veritas est*. Juxta tria hìc ab Apostolo tacta suum in ministerium introitum examinet minister Christi, paveatque omnis in illud suâ sponte intrusus; secundò, suum in ministerio, seu suscipiendo, seu exercendo finem, examinet paveatque omnis qui sua temporalia quærit in spirituali ministerio et ad æterna ordinato; tertiò, examinet suum ministrandi vivendique modum, an ad Christum adducat; et paveat omnis qui Christianos ipsos à Christo suis corruptis moribus avertit.

Vers. 2. — Timotheo charissimo filio. Vide dicta in primâ Epistolâ.

Gratia, misericordia... Vide et dicta in hæc verba ibidem. O votum Apostolo verè dignum! suo charissimo filio non divitias exoptat, nec honores, nec principum favorem, sed gratiam Dei, quâ et ipse sanctificetur ampliùs, et alios sanctificet. Misericordiam Dei, quâ illius et ei subditorum peccata condonentur. Pacem Dei, seu Spiritûs sancti, quâ repletus Timotheus, temporalia spernat, ad æterna aspiret, temporalium contemptum et æternorum amorem omnibus suis inspiret. Hæc tria sibi et aliis exoptet vir apostolicus.

Vers. 3. — Gratias ago Deo... Paternum hìc suum affectum demonstrat suo charissimo filio, pro quo orat assiduè, quem et videre desiderat; simul et commemorat bona quæ in Timotheo sunt, et se Paulum ad talem incitant affectum: scilicet, lacrymæ, seu affectus Timothei, ejusque sincera fides. *Gratias ago*, Græc., *habeo Deo.*

Cui servio, λατρεύω, *quem colo* cultu latriæ; quem adoro.

A progenitoribus meis, id est, sicut mei majores, Abraham, Isaac, Jacob et Benjamin. Judæus erat et Benjamita. Sensus ergo est: Deum colo religione mihi à Benjamine et cæteris majoribus meis, sanctisque patriarchis, transfusâ, et mihi quasi hæreditariâ. Idem quippe Judæorum et Christianorum Deus.

In pura conscientia, id est, in conscientiâ sincerâ et non fictâ, sine ullâ hypocrisi. Vel etiam cum conscientiâ mundâ, et à peccatorum sordibus alienâ. Fuit enim justitiæ legalis zelantissimus, et sectâ Pharisæus, et licèt Christum et Ecclesiam sit persecutus, hinc que omnium peccatorum se primum dixerit in capite secundo prioris Epistolæ, id fecit ignorans et zelo traditionum paternarum, Deoque servire credens, ut ait ad Phil. 3.

Quod sine intermissione; Græc., *intermissam*, id est, gratias ago Deo, quòd assiduam die et nocte tui memoriam habeo in meis orationibus. Tanti te facio, tantùm te diligo, ita te cupio, quòd tui perpetuò sim memor, etc. De hoc affectu gratias agit, quia charitatis est, ait D. Thomas; charitas autem est principale donum. Omnis quippe hic affectus propter fidem est, ut ex v. 5 patet. Nota quòd in Græco sit ὡς, *ut*, *sicut;* unde traduci potest: *Sicut assiduam habeo tui memoriam.* Et ita traduxerunt Lovanienses, *comme sans cesse j'ai mémoire*, etc.; similis est locutio ad Philemonem, c. 1, v. 4. Tuncque sensus erit: Gratias ago, pro tibi collatis beneficiis, sicut assiduam tui memoriam habeo. D. tamen Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus habent *quòd.*

Vers. 4. — Desiderans te videre... Exopto te videre, ut ex tui conspectu implear gaudio.

Memor lacrymarum, quibus me abeuntem prosecutus es, eisque tactus. Fieri potest, ait D. Chrysostomus, ut gratus discipulus à magistro separatus, fleve-

Vers. 1. — *Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei*, apostolatum suum voluntati et electioni Dei adscribit, non suis meritis.

Secundùm promissionem vitæ, quæ est in Christo Jesu, subaudi scribit, et benè precatur, dicens:

Vers. 2. — *Timotheo charissimo filio* (sit) *gratia*, etc. Dicit se legatum esse ad promissionem vitæ, ut scilicet promittat vitam æternam credentibus Christo, illique obedientibus.

Vers. 3. — *Gratias ago Deo, cui servio à progenitoribus in conscientiâ purâ, quòd sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis.* Sensus: gratias ago Deo meo, quòd quoties ad eum preces fundo, toties tui sum memor, ac pro te oro. Hoc enim me facere, divini muneris est, ideòque dignum de quo gratias agam. Ita Ambrosius.

Nocte ac die in orationibus meis.

Vers. 4. — *Desiderans te videre;* significat se cupere Timotheum habere præsentem; unde et infra jubet semel et iterùm ut ad se festinatò veniat.

rit ac lamentatus sit, sicut infans distractus ab uberibus matris, atque lactis alimoniâ destitutus. Lapidea ergo et adamantina non erant apostolica corda. Charitas ergo sicut et naturalis amor, suos sensus habet et affectus, eòque puriores, quò ipsa sanctior est. Et ex charitate flere licet, et per charitatem lacrymis tangi.

VERS. 5. — RECORDATIONEM ACCIPIENS EJUS FIDEI QUÆ EST IN TE, id est, memor et fidei, etc., seu in memoriam mihi revocans sinceram fidem tuam, seu quam in te vidi.

QUÆ ET HABITAVIT, id est, firmiter inhæsit, seu usque ad finem vitæ perseveravit.

IN AVIA TUA, maternâ scilicet, erat enim Timotheus ex patre gentili, Act. 16.

ET MATRE TUA EUNICE : nomen Græc. *victoria*, vincentia. Hæ duæ feminæ fuerunt ex primis Christianis, ab aliquo apostolorum conversæ, antequàm Paulus Lystram perveniret, ut patet ex Actis.

CERTUS SUM AUTEM QUOD ET IN TE ; confido, persuasus sum, quòd et in te firmiter perseverabit.

Nota quomodò magister suum sibi comparet et æquiparet discipulum : sicut Paulus Deum à progenitoribus, pietate hæreditariâ, sincerè et purè se colere dixit, ita Timotheum laudat quòd fide sincerâ et ab aviâ et genitrice suâ, quasi transfusâ, Deo servit. Et hæc utriusque similitudo in fide, in pietate, in bonis operibus, est eorum charitatis fundamentum.

VERS. 6. — PROPTER QUAM CAUSAM ADMONEO TE... Plerique intelligunt, *propter quam causam*, seu quia novi te sinceram habere fidem, excito te ; ita Theophylactus. Hæc cùm mihi de te sint persuasa, hortor te, ait Theodoretus. Sed, si D. Thomæ vera sit opinio, ut sequentia et contextus indicant, existimo hæc verba, *propter quam causam*, meliùs ad ultimò dicta referri, et significare : Quod ut fiat, seu, quod ut ita sit : scilicet ut in te firmiter perseveret ; hortor te ut reaccendas et vigere facias donum, etc. Timotheus effectus pusillanimis, torpuerat circa prædicationem, ait D. Thomas, et ideò eum hortatur Apostolus ut resuscitet, etc. Ἀναζωπυρεῖν significat ignem sopitum flatu suscitare. Itaque hortor ut suscites, ne mori sinas, sed vivere et vigere facias, per exercitationem continuam.

GRATIAM, χάρισμα, *donum* Dei, quod est in te, tibi, scilicet, collatum per sacramentum Ordinis, ad episcopale munus strenuè obeundum, ad evangelizandam et ad promovendam fidem, etc.

Observationes dogmaticæ et morales.

Gratia Dei est sicut ignis, ait D. Thomas, qui quando obtegitur cinere, non lucet ; sic gratia obtegitur in homine per teporem vel humanum timorem. Eâdem paritate addi potest : Sicut ignis sopitus et sub cineribus reconditus flatu suscitatur, ita gratia tepore sopita suscitatur precibus, meditatione et jugi piâ operatione. Timotheus, pusillanimis effectus, torpuerat circa prædicationem, ait idem Angelicus doctor ; hinc D. Paulus eum hortatur ut gratiam, per episcopalem ordinationem sibi collatam, suscitet ac veluti reaccendat. Hinc plura cum fundamento colligere licet : primum ordinationem episcopalem esse sacramentum, quandoquidem in eâ, per manuum impositionem, Spiritûs sancti gratia confertur ; secundum, hanc gratiam habitualem esse et permanentem, *quæ in te est*, minuitur tepore, augetur et quasi reacceditur fide, oratione et exercitatione ; tertium, hanc gratiam non tantùm gratis datam esse, sed et sanctificantem, ut patet ex v. 7, ubi dicitur quòd sit *Spiritus virtutis, dilectionis et sobrietatis*. Adde quòd gratia sanctificans non minùs sit ad episcopale munus ritè obeundum necessaria quàm gratia gratis data. Porrò, si tepor et pusillanimitas irrepsit in apostolicum virum, in Timotheum, D. Paulo unanimem, quis non timeat teporem ? quis non sibi dictum putet ab Apostolo : *Moneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te*. Nondùm abiit, vide ut retineas ; nondùm extinctus est ignis ille divinus, vide ne extinguas. *Spiritum nolite extinguere ;* angore animi et negligentiâ extinguitur ; vigilantiâ verò et attentione suscitatur, ait D. Chrysostomus. Itaque nobis sedulò attendendum, continuè vigilandum. Extinguitur et reaccenditur Spiritus Dei in nobis. Dona Dei sunt veluti prunæ accensæ in cordibus nostris. Eas Satan, caro, mundus vanis amoribus, terroribus, erroribus suffocare, vel saltem obruere nituntur. Nos contra satagamus magis ac magis oratione fovere, vigilantiâ custodire, exercitio et continuâ operatione sanctâ acuere, recreare, reaccendere.

VERS. 7. — NON ENIM DEDIT NOBIS DEUS SPIRITUM... Explicat qualis sit gratia in ordinatione collata. *Nobis*,

Memor lacrymarum tuarum. Quem in discessu lacrymis testatus fuerat, Paulum movet ut eum apud se esse velit.

Ut gaudio implear, id est, ut in his vinculis tuâ præsentiâ fruens, expleam me gaudio et consolatione.

VERS. 5. — *Recordationem accipiens ejus fidei, quæ est in te non ficta.* Fidem non fictam, id est, fidem sinceram, vocat eam, quâ ex animo et sine hypocrisi creditur in Christum.

Quæ et habitavit primùm in aviâ tuâ Loide. Aviam intelligit maternam ; patre enim gentili natus erat Timotheus.

Et matre tuâ Eunice. Fuit autem mulier christiana. Nam, Act. 16, vocatur fidelis, quod Christianorum vocabulum est.

Certus sum autem quòd et in te, scilicet habitet eadem fides non ficta.

VERS. 6. — *Propter quam causam admoneo te ut resuscites gratiam Dei.* Vocatur autem gratia seu donum Dei, quia gratis à Deo donatum. *Quæ est in te per impositionem manuum mearum ;* q. d. : Zelus, charitas et gratia quam in ordinatione meâ accepisti, ò Timothee, vide ut eam suscites, et charitatis flammam reaccendas, ejusque ardorem continuò foveas et adaugeas.

VERS. 7. — *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris*, etc. *Spiritum timoris*, id est, timiditatis et ignaviæ, qualis est eorum qui animo sunt imbecilli, pavido, contracto et abjecto ; *sed virtutis*, id est, fortitudinis et roboris, ut fortiter fidem, non tantùm te-

intellige episcopis: agitur enim de spiritu in ordinatione episcopali collato. Sensus ergo est: Spiritus enim episcopalis non est spiritus timiditatis et ignaviæ, quo adversa et mortem timeamus.

Sed virtutis, seu fortitudinis, quâ timiditas expellatur, ut mediis in periculis Evangelium strenuè prædicemus.

Et dilectionis Dei, scilicet et proximi, quâ cupiditas abigatur, ut solo divinæ gloriæ zelo, et proximorum salutis ardore ferveamus.

Et sobrietatis, seu moderationis, quâ constanter et animo tranquillo teramus adversa, et prospera moderatè recipiamus, eisque utamur sobriè.

Observatio moralis.

Triplex his in verbis notatur episcoporum virtus: prima, fortitudo, δύναμις, virtus, potentia, robur, vigor, virtus ex alto. Episcopi Christianorum duces sunt, seu christianæ militiæ duces; hinc vigore pleno debent agere, ait D. Cyprianus. Fortitudo eis necessaria, quâ Dei et Ecclesiæ hostes impugnent. Secunda, charitas Christi: sunt repræsentatores; sicut ergo Christus gloriam Dei in omnibus quæsivit, et pro Ecclesiâ mortem subivit, sic episcopus, non sua, sed quæ Dei et Ecclesiæ sunt, ex charitate debet quærere. Tertia, sobrietas, σωφρονισμὸς, moderatio, refrænatio; sanitas mentis et animæ, ait D. Chrysostomus; castigatio, ait Theodoretus, Theophylactus, et etiam Chrysostomus; admonitio, ait Syriaca versio. Intellige ergo sobrietatem, non in cibo tantùm, sed quamdam æquanimitatem et animi moderationem, tam in adversis quàm in prosperis, seu virtutem omnia nimia et immodica, tam in se ipso quàm in aliis moderantem, refrænantem, castigantem. Episcopus est sal terræ; ita sit sapiens, ut et alios sapere faciat, eorumque sanet insipientias.

Vers. 8.—Noli itaque erubescere testimonium.., Gr. μαρτύριον. D. Chrysostomus crucem et mortem Christi Domini intelligit. Quasi diceret Apostolus: Ne te pudeat martyrii, seu mortis quam in cruce subiit Dominus noster Jesus Christus, et quâ suam obsignavit doctrinam. Plerique communiter intelligunt: Ne te pudeat testimonium reddere de Domino nostro Jesu Christo, id est, illum prædicare, illum Dominum tuum profiteri, licèt crucifixum, et me tuum magistrum agnoscere, licèt Christi causâ vinctum. Potest et per martyrium intelligi Evangelium quod est testimonium de Christo.

neamus, seu et prædicemus in persecutione inter medios hostes, nec timeamus, sed ambiamus pro eâ mori. S. Augustin. pro *sobrietatis* legit *continentiæ*, quæ virtus est generalis, cohibens et continens mentem in officio, ne timore, amore, odio, aliove affectu immoderato et vitioso imbuatur, dissolvatur aut enervetur, sed tota sana sit, integra et perfecta.

Vers. 8. — *Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri*; q. d.: Noli erubescere doctrinam quam docuit et testatus est Christus, noli etiam erubescere crucem, et martyrium, ac vincula Christi, quibus suam doctrinam obsignavit et confirmavit.

Sed collabora, Gr., συγκακοπάθησον, *coaffligere*, per prosopopœiam, quâ sensus Evangelio tribuitur. Particeps esto passionum et persecutionum quas patitur Evangelium. Itaque, explicatâ in versu superiori ordinis episcopalis gratiâ, Timotheum hortatur ad illius gratiæ usum; quasi diceret: Cùm talem in ordinatione tuâ spiritum acceperis, scilicet *virtutis*, *dilectionis et sobrietatis*, etc., illo utere spiritu. Spiritu quidem fortitudinis: nec te pudeat Christi crucifixi Evangelium prædicare, eumque Dominum tuum profiteri; nec te pudeat me ipsius causâ vinctum, agnoscere magistrum. Spiritu verò dilectionis et sobrietatis: tu ipse fortiter collabora, et constanter mecum coaffligere, in Evangelio prædicando et promovendo, quantùm poteris.

Secundum virtutem Dei, secundùm vires à Deo tibi datas in ordinatione, et dandas in occasione; si tuis diffidens viribus, tu te projicias in Deum.

Vers. 9. — Qui nos liberavit... Rationes affert incitantes et ad fiduciam in Deum, et ad laborandum et patiendum pro Deo: scilicet nos liberavit in tempore, nos dilexit ab æterno. *Qui nos liberavit*, Gr., *salvavit*, scilicet à vitiis et ab æternâ morte.

Et vocavit. Explicat modum quo nos à vitiis et à morte salvavit: scilicet quia vocavit nos ad veram vitæ sanctitatem, seu ad Christianismum.

Vocatione sancta, id est, vocatione ad sanctitatem, seu, ut ad Ephes. cap. 1, *ut simus sancti*, etc. In Græco non est, suâ.

Non secundum opera nostra, erant enim mala; sed secundum propositum suum, Gr.: *Sed secundùm proprium propositum* κατ' ἰδίαν πρόθεσιν. Syr.: *Sed juxta voluntatem suam*, id est, ex liberali suo beneplacito, et ex decreto quo nobis ab æterno dare decrevit gratiam, intuitu meritorum Christi.

Quæ data est, id est, dari decreta.

In Christo Jesu, id est, intuitu Christi, ob Christum.

Ante tempora secularia, ante secula, ab æterno. Quasi diceret: Quidni fidamus in eum, ejusque nitamur auxilio? Qui nos salvavit immeritos, et cùm illius essemus inimici. Quidni diligamus eum, et propter eum laboremus et patiamur?

Ipse prior dilexit nos; charitate æternâ, salutem nostram voluit, nobisque gratiam suam dare decrevit; in tempore, per baptismum, gratiam sanctifican-

Neque me vinctum ejus, id est, neque te mei pudeat aut vinculorum meorum.

Sed collabora Evangelio secundùm virtutem Dei, id est, esto particeps afflictionum quas Evangelium patitur. *Secundùm virtutem*, id est, potentiam Dei. Jubetur in Deo confidere, et in potentiâ virtutis ejus.

Vers. 9. — *Qui* (Deus) *nos liberavit et vocavit vocatione suâ sanctâ. Liberavit*, id est, qui nos salvavit aut servavit, scilicet à peccato et morte æternâ. *Vocavit nos*, etc., dùm nos ab infidelitate et peccatis vocavit ad suam fidem et sanctitatem, vitamque sanctam et divinam.

tem dedit. Fidamus in eum qui nos cogitat et diligit antequàm simus. Diligamus eum, qui nos prior et gratuitò dilexit. Laboremus, patiamur in tempore pro eo qui nos æternâ charitate salvare decrevit, et in tempore salvavit de facto.

VERS. 10. — MANIFESTATA EST AUTEM NUNC... In Græco, *manifestata* æqualiter refertur ad προθέσιν, et ad χάριν, gratiam. Hæc quidem gratuita Dei voluntas in ipso latuit ab æterno; nunc autem in toto mundo *est manifestata, per illuminationem*, Gr., *per apparitionem Domini nostri Jesu Christi*, id est, postquàm apparuit, etc.; ex tunc enim *apparuit benignitas et humanitas*, etc., ad Tit. 2, 11.

Observationes litterales et morales.

QUI DESTRUXIT MORTEM. Tripliciter Christus mortem destruxit: primò, quia morte suâ destruxit peccatum, mortis utriusque, temporalis et æternæ, causam; secundò, quia resurrectione suâ, mortem in suo corpore naturali destruxit, resurrexit enim nunquàm moriturus; tertiò, quia per eamdem resurrectionem suam jus dedit nobis aliquando resurgendi, ut alibi probat D. Paulus. Et per tale jus ad vitam immortalem, nobis, membris suis, collatum, mortem in nobis, id est, in suo mystico corpore, quodam modo destruxit, aliquando totaliter destruendam. Morimur quidem, quia Christus mortuus est; at morimur in æternum resurrecturi. Morimur, jus habentes ad vitam immortalem. Mortem itaque etiam in nobis *destruxit*, Gr., *evacuavit*, invalidam reddidit, enervavit; mortis dominium in nos ademit.

ILLUMINAVIT AUTEM VITAM ET INCORRUPTIONEM; Syr., et vitam patefecit, id est, vitam incorruptibilem, immortalem et æternam patefecit, è tenebris in lucem produxit, manifestavit.

Christus vitam æternam dupliciter patefecit: primò, illam in semetipso per dies 40 patefecit suis discipulis; deinde, per Evangelium ubique prædicatum, tote orbe evulgavit, et spem certam nobis fidelibus de eâ dedit. Equidem aliqua in mundo per philosophiam et per legem extabat de hâc vitâ lux et cognitio; at lux umbris plena, cognitio incerta et dubia. Sed ex quo resurrexit Christus immortalis, ex quo apparuit hominibus incorruptibilis, ex quo, per Evangelium, ejus vita gloriosa ubique prædicata, omnibusque credentibus promissa, hæc immortalis vita quasi è tenebris in lucem prodiit. Quidquid de eâ philosophi, quidquid lex dixit, tenebræ sunt ad Evangelii lucem collatæ, Christus resurgens lux est mundi, sol gloriosus, vitam, incorruptionem, immortalitatem omnibus clarè patefaciens et manifestans, omnibusque sibi credentibus et obsequentibus promittens, tot vocibus quot habet gloriæ radios. Hunc solem oculis fidei respice; auribus cordis audi verba vitæ æternæ habentem, in eum spera; ad hanc immortalitatem aspira; ut ad illam pervenias, Christo crede, obedi, obsequere.

VERS. 11. — IN QUO..., Gr., *ad quod*, Evangelium scilicet prædicandum, et ad quam immortalitatem promittendam. Recordare versûs primi, *secundùm promissionem vitæ*... Ego Paulus *positus sum*, seu constitutus sum *præco, Apostolus et magister gentium*. Præco, scilicet ad promulgandam legem gratiæ; apostolus, seu legatus, ad promittendam immortalitatem; magister, seu doctor, ad docendum modum illam acquirendi, scilicet per fidem et observantiam Evangelii. Tres honoris tituli; at tres persecutionum causæ.

VERS. 12. — OB QUAM CAUSAM ETIAM HÆC PATIOR, id est, quia præconis, legati et doctoris officio fungor, hæc vincula patior,

SED NON CONFUNDOR. Respicit ad id quod v. 8 dixit: *Noli erubescere*, Timotheumque docet exemplo et verbo. Tantùm abest, ut propterea pudeſiam, quinimò glorior, quia pro Deo patior.

Non secundùm opera nostra, id est, merita nostra, *sed secundùm propositum suum et gratiam. Propositum* intelligit liberale et gratuitum Dei decretum sive beneplacitum. Porrò *gratiam* non intelligit creatam, quæ in nobis est, sed gratiam increatam, id est, gratuitam Dei beneficentiam, quam mox dicit manifestatam per adventum Christi.

Quæ (gratia) *data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia. Ante tempora secularia*, æternitatem notavit; ut sensus sit: Quæ gratia seu misericordia, quoad effectus suos, nobis per Christum data, id est, intuitu meritorum Christi præparata est ab æterno. Cùm dicitur hìc gratia ab æterno data, intellige in Dei decreto et prædestinatione, ut idem sit, *data*, quod dari decreta et prædestinata. Deus ab æterno nos adamavit, et hanc gratiam firmiter et irrevocabiliter nobis dare decrevit. Hæc gratia data est nobis *in Christo Jesu*, id est, per Christum, puta per Christi merita prævisa ab æterno, data est nobis à Patre hæc gratia. *Ante tempora secularia*, idem est, quod ante mundi constitutionem, ante temporis et mundi originem, puta ab æterno. Ita Theophylactus, Anselmus, et alii. Notat Chrysostomus hìc significari immensitatem amoris divini, utpote qui nos ante mundum, ante omnia tempora ab æterno in mente suâ habuerit, de quoque nostrûm in particulari studiosè et sollicitè cogitârit, unumquemque adamaverit, cuique per Christum suam gratiæ mensuram decreverit et prædestinaverit.

VERS. 10. — *Manifestata est autem* (gratia illa à Deo ab æterno data, sed in Deo abscondita) *nunc per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi*. Ad hoc Christus apparuit et advenit, ut omnes illustraret et illuminaret luce sapientiæ divinæ, quâ Deum, salutem, viamque salutis homines agnoscerent et capesserent.

Qui (Christus) *destruxit quidem mortem*, videlicet morte suâ. Sensus est: Christum passione et morte suâ promeruisse nobis apud Deum perfectam nostræ mortis abolitionem. *Mortem à Christo destructam*, etiam peccato intellige, destructum et abolitum, quod est utriusque mortis causa.

Illuminavit autem vitam et incorruptionem per Evangelium. Sensus est: vitam incorruptibilem et immortalem produxit in lucem, manifestavit, ac certam ejus spem nobis attulit per Evangelium quod prædicari voluit. Christus vitam dedit ipsi vitæ, suscitavit à morte et vivere fecit ipsam vitam, vitam produxit, et in lucem prodire fecit.

VERS. 11. — *In quo positus sum ego prædicator*, etc. Ad quod Evangelium promulgandum ego præco constitutus sum à Christo, ipsius Christi ad eam rem apostolus seu legatus.

VERS. 12. — *Ob quam causam etiam hæc patior*,

Scio enim cui credidi. Duas affert rationes ob quas non confunditur in carcere, sed et gloriatur : primam, quia scio quantus sit ille cui meipsum, labores et passiones meas commisi. *Credidi*, id est, commisi ; ad hunc sensum mentio depositi determinat ; quasi diceret : Deo omnipotenti, veraci et in promissis fideli meipsum commisi, apud eum deposui labores pro Evangelio susceptos, et dolores pro eo passos, quasi thesaurum meum, seu coronam justitiæ, ut ait capite 4, 8, primæ Epist. Deus noster depositarius, apud quem nihil perit, imò crescunt deposita. Vide infra. Secundam, *et certus sum* quia potest thesaurum illum servare integrum et incorruptum usque ad judicii diem. Apud Deum nihil deperditur, quia fidelis est, et quia omnipotens est. Duo in depositario requisita : primum, ut sit bonæ fidei et bonæ voluntatis ; secundum, ut possit facere quod vult benè, scilicet depositum servare. Utrumque non semper in hominibus ; hinc aliquando deposita pereunt. At apud Deum nihil perit unquàm, quia fidelis est et omnipotens ; vult et potest quod vult ; hinc servat deposita. Imò apud eum deposita crescunt et perficiuntur ; momentaneum enim et leve tribulationis commutat in æternum gloriæ pondus ; vitam caducam et miseram apud eum pro Evangelio depositam commutat in æternam et divinam. Hoc si firmiter credamus, gloriabimur pro Deo pati, pro Deo mori.

Vers. 13. — Formam habe sanorum verborum... Transit ad prædicationis formam ; hicque Timotheum et alios episcopos docet et circa doctrinæ substantiam, et circa docendi modum. Primò, quoad modum docendi, seu quoad verba quibus doctrinam evangelicam communicare debent. *Formam habe*, id est, habere perge, seu retine in mente formam verborum, quibus sanam doctrinam circa fidem et dilectionem christianam, me audisti evangelizantem. Syrus : *Forma tibi sint sani sermones mei, quos*, etc. ; seu sint tibi quasi exemplar ; illos habe pro archetypo, ad quem respicias, cùm docere volueris.

Vers. 14. — Bonum depositum custodi... Secundò, quoad doctrinæ substantiam. Præclarum et pretiosum evangelicæ doctrinæ depositum diligenter custodi ; ope et grâtiâ sancti Spiritûs ad hoc in ordinatione tibi collati. Spiritus sanctus in totâ quidem habitat Ecclesiâ, et speciatim in prælatis, ut traditiones custodiant, Scripturas ad apostolorum mentem interpretentur. Duplex et varium adverte depositum : unum quod nostrum est, apud Deum, depositum, labores, dolores pro Evangelio tolerati, v. 12. Alterum quod est Dei, apud nos, depositum, scilicet Verbum Dei, traditiones, evangelica doctrina. Hujus thesauri divini depositarii sunt episcopi ; ad eos pertinet illum servare illibatum, ope Spiritûs veritatis, illis sine limitatione collati.

Vers. 15. — Scis hoc..., id est, nòsti, nescire non potes, quia ad te perlatum est, quòd omnes Asiani, Romæ degentes, me dereliquerunt, scilicet vinculis meis offensi, et pericula sibi metuentes.

Ex quibus, seu inter quos est Phigellus... Hos nominat, ut ab eis Timotheus et alii fideles sibi caveant.

Vers. 16. — Det Dominus misericordiam Onesiphori domui. Excipio Onesiphorum, Deumque precor ut ejus familiæ misereatur.

Quia sæpè me refrigeravit, id est, consolatus est, seu subsidio fuit et solatio. Metaphora ducta ab umbrâ, aut à vento, in locis æstuosis refrigerante.

Et catenam meam non erubuit, id est : Nec eum puduit vinculorum meorum, nec pericula metuit, nec infamiam, ut me adjuvaret.

Vers. 17. — Sed cum Romam venisset, sollicitè

id est, quia præconis evangelici fungor officio, ideò accusatus sum à Judæis, et in hæc vincula conjectus.

Sed non confundor, id est, non erubesco, non pudore suffundor, non me pudet vel officii mei vel vinculorum.

Scio enim cui credidi. Novi enim, inquit, cui crediderim, quàm ille magnus sit Dominus, quàm potens, et quàm verax in promissis. Novi eum cui credidi atque commisi depositum meum servandum.

Et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem. Depositum, puta thesaurum laborum et passionum pro Evangelio à se obitarum, quem à se collectum Paulus patiens et moriens apud Deum quasi deposuit, ut in illo die magno, judicii scilicet, illum, id est, illius mercedem et gloriam, recipiat. Ita Theophyl. et Anselm. Idem depositum Apostolus vocat reposítam justitiæ coronam. 2 Tim. 4.

Vers. 13. — *Formam habe sanorum verborum quæ à me audisti*, sanæ, integræ et incorruptæ doctrinæ, *in fide et in dilectione in Christo Jesu*. Habeto formam sanæ doctrinæ quæ versatur circa fidem et dilectionem christianam ; q. d. : O Timothee, tuum est retinere vivum exemplar, vivam ideam et repræsentationem doctrinæ quam tibi tradidi, ut scilicet verba mea semper tibi ob oculos ponas, eademque vivè et ellicaciter aliis proponas.

Vers. 14. — *Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis*. Chrysost., Ambros. *depositum* hoc interpretantur thesaurum doctrinæ christianæ, quam vocavit *sana verba*. Hunc enim thesaurum quasi depositum, studiosè commendat Timotheo episcopo, ut eum integrum inviolatumque conservet.

Vers. 15. — *Scis hoc, quòd aversi sunt* (id est, aversati sunt me, me rejecerunt) *à me omnes qui in Asiâ sunt*, etc. Chrysost. cum suis censet Paulum loqui de omnibus Asianis, qui Romæ erant ; ut *omnes qui in Asiâ*, idem sit quod omnes ex Asiâ, omnes Asiani, scilicet Romæ agentes. Scribit enim Paulus ad Timotheum Româ ea quæ gerebantur Romæ, non autem quæ in Asiâ.

Vers. 16. — *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui*, id est, universæ familiæ Onesiphori. *Quia sæpè me refrigeravit*, id est, refocillavit, et recreavit in hoc æstu mearum afflictionum. Solatio et subsidio mihi fuit in his vinculis.

Et catenam meam non erubuit, id est, non puduit illum vinculorum meorum, sicut cæteros Asianos. Nec periculum metuit, nec infamiam, ut me juvaret.

Vers. 17. — *Sed cùm Romam venisset*, etc. Quæsitum se dicit, quamvis captivum, quia non unus erat carcer eorum qui sistendi essent ad tribunal Cæsaris, sed complures ; et, ut dicitur, Act. ult., permissum fuit Paulo ut maneret solus cum custodiente se milite.

ME QUÆSIVIT (per totam urbem cursitando, de carcere in carcerem), tandem INVENIT, et sæpè visitavit.

VERS. 18. — DET ILLI DOMINUS MISERICORDIAM INVENIRE A DOMINO..., id est, apud se. Hebraismus est, sicut Genes. 19 : *Pluit Dominus sulphur super Sodomam à Domino*, id est, à seipso. Sicut ergo me invenit, ut misericordiam faceret, ita *det illi Dominus misericordiam* apud se invenire, in die judicii.

DIES ILLA, per excellentiam dicitur judicii dies.

ET QUANTA EPHESI...; quanta et quantis in rebus mihi ministraverit Ephesi, non scribo, quia optimè nôsti, quippe qui mihi adfuisti, testis eorum bonorum quæ mihi fecit et Ecclesiæ. Potest etiam dici : TU MELIUS NOSTI quàm ego ipse, quia inscio Paulo, solùm conscio Timotheo, potest multa ministrâsse Onesiphorus. Cæterùm ex his loquendi modis de Onesiphoro, præsertim verò ex distinctione precum pro Onesiphori familiâ, à precibus pro ipso Onesiphoro, et quia etiam in fine cap. 4 familiam Onesiphori salutat, non ipsum Onesiphorum, multi colligunt eum tunc fuisse mortuum, cùm hæc scriberet Apostolus.

VERS. 18. — *Det illi Dominus invenire misericordiam à Domino in illâ die.* Tanquàm dicat : sicut ille me sollicitè quæsivit et invenit, ut misericordiam exhiberet, ita det ei Dominus misericordiam quam optavit ab ipso vicissim invenire. Scilicet illi optans quod Christiani solent optare fidelibus defunctis, requiem et misericordiam. Hùc accedit quòd in fine Epistolæ jubet salutari Onesiphori domum, non Onesiphorum; quasi is jam non superesset.

Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu melius nosti. Non solùm mihi nunc Romæ, sed et antea, Ephesi, fidelibus Evangelii ministris multa impendit officia charitatis : quemadmodùm tu meliùs nôsti, qui Ephesiorum episcopus es, et partem obsequiorum ejus percepisti.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

1° Omnis Ecclesiæ minister à v. 1 discat ecclesiastici ministerii principium, est Dei voluntas; finem, est æterna vita hominibus communicanda; alterum finem mediatum, seu medium, quo finem suum assequatur, est fides in Christum prædicanda, promovenda. Statimque in se reflexus attendat ad tria, quæ in commentario videat, v. 1.

2° A monitione v. 6 datâ Timotheo, discat omnis Ecclesiæ minister quàm necessaria sibi sit spiritûs renovatio. Assumat ergo velut sibi dictum : *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei.* Ut autem illud impleat, attendat primò quæ gratia fuit sibi data : episcopalis, et à proportione, sacerdotalis spiritus; non est timiditatis, sed fortitudinis; non est cupiditatis, sed charitatis; non est intemperantiæ, sed sobrietatis, v. 7. Attendat secundò an hic spiritus sit suus. Hunc ergo spiritum *virtutis, dilectionis et sobrietatis* suscitet precibus, pœnitentiâ, et majori custodiat vigilantiâ, sanctâque foveat operatione. Vide in commentario dicta v. 6.

3° A v. 8 discat usum hujus spiritûs sibi in ordinatione suâ collati. In versibus 9 et 10 videat ad hunc usum animantia. Speciatim verò notet v. 12, quòd Deus noster sit depositarius fidelis, apud quem nihil perit, imò crescunt deposita.

CAPUT II.

1. Tu ergo, fili mi, confortare in gratiâ quæ est in Christo Jesu :

2. Et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.

3. Labora sicut bonus miles Christi Jesu.

4. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus; ut ei placeat, cui se probavit.

5. Nam et qui certat in agone, non coronatur nisi legitimè certaverit.

6. Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus percipere.

7. Intellige quæ dico : dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.

8. Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine David, secundùm Evangelium meum,

9. In quo laboro usque ad vincula, quasi malè operans : sed verbum Dei non est alligatum.

10. Ideò omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu, cum glorià cœlesti.

CHAPITRE II.

1. Fortifiez vous donc, ô mon fils, par la grâce qui est en Jésus-Christ :

2. Et, gardant ce que vous avez appris de moi devant plusieurs témoins, donnez-le en dépôt à des hommes fidèles, qui soient eux-mêmes capables d'en instruire d'autres.

3. Travaillez comme un bon soldat de Jésus-Christ :

4. Celui qui est enrôlé au service de Dieu ne s'embarrasse point dans les affaires séculières, pour ne s'occuper qu'à plaire à celui à qui il s'est donné.

5. Celui qui combat dans les jeux publics, n'est couronné qu'après avoir combattu selon la règle des combats;

6. Un laboureur qui a bien travaillé doit avoir la première part dans la récolte des fruits.

7. Comprenez ce que je dis; car le Seigneur vous donnera l'intelligence en toutes choses.

8. Souvenez-vous que notre Seigneur Jésus-Christ, qui est né de la race de David, est ressuscité d'entre les morts, selon l'Evangile que je prêche,

9. Pour lequel je souffre beaucoup de maux, jusqu'à être dans les chaînes comme un malfaiteur; mais la parole de Dieu n'est point enchaînée.

10. C'est pourquoi j'endure tout pour l'amour des élus, afin qu'ils acquièrent aussi bien que nous le salut qui est en Jésus-Christ, avec la gloire du ciel.

11. Fidelis sermo : Nam si commortui sumus, et convivemus ;

12. Si sustinebimus, et conregnabimus; si negaverimus, et ille negabit nos ;

13. Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.

14. Hæc commone, testificans coram Domino. Noli contendere verbis ; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.

15. Sollicitè cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis.

16. Profana autem et vaniloquia devita ; multùm enim proficiunt ad impietatem :

17. Et sermo eorum ut cancer serpit; ex quibus est Hymenæus et Philetus,

18. Qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam, et subverterunt quorumdam fidem.

19. Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : Cognovit Dominus qui sunt ejus; et : Discedat ab iniquitate, omnis qui nominat nomen Domini.

20. In magnâ autem domo non solùm sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia : et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.

21. Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum.

22. Juvenilia autem desideria fuge; sectare verò justitiam, fidem, charitatem et pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro.

23. Stultas autem et sine disciplinâ quæstiones devita, sciens quia generant lites.

24. Servum autem Domini non opertet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem,

25. Cum modestiâ corripientem eos qui resistunt veritati; nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem,

26. Et resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.

11. C'est une vérité très-assurée, que, si nous mourons avec Jésus-Christ, nous vivrons aussi avec lui ;

12. Si nous souffrons avec lui, nous régnerons aussi avec lui ; si nous le renonçons, il nous renoncera aussi ;

13. Si nous lui sommes infidèles, il ne laissera pas de demeurer fidèle ; car il ne peut se démentir lui-même.

14. Donnez cet avertissement, et prenez-en le Seigneur à témoin. Ne vous amusez point à des disputes de paroles, qui ne sont bonnes qu'à pervertir ceux qui les écoutent.

15. Mettez-vous en état de paraître devant Dieu comme un ministre digne de son approbation, qui ne fait rien dont il ait sujet de rougir, et qui sait bien dispenser la parole de vérité.

16. Fuyez les entretiens vains et profanes, car ils contribuent beaucoup à inspirer l'impiété :

17. Et les discours qu'y tiennent certaines gens sont comme une gangrène qui répand insensiblement sa corruption. De ce nombre sont Hyménée et Philète,

18. Qui se sont écartés de la vérité, en disant que la résurrection est déjà arrivée, et qui ont ainsi renversé la foi de quelques-uns.

19. Mais le fondement de Dieu demeure ferme, ayant pour sceau cette parole : Le Seigneur connaît ceux qui sont à lui; et cette autre : Que quiconque invoque le nom du Seigneur s'éloigne de l'iniquité.

20. Dans une grande maison, il n'y a pas seulement des vases d'or et d'argent, mais aussi de bois et de terre; et les uns sont pour des usages honorables, et les autres pour des usages honteux.

21. Si quelqu'un donc se garde pur de ces choses, il sera un vase d'honneur, sanctifié, et propre au service du Seigneur, préparé pour toutes sortes de bonnes œuvres.

22. Fuyez les passions des jeunes gens ; et suivez la justice, la foi, la charité et la paix, avec ceux qui invoquent le Seigneur d'un cœur pur.

23. Quant aux questions impertinentes et inutiles, évitez-les, sachant qu'elles sont une source de contestations.

24. Or, il ne faut pas qu'un serviteur du Seigneur dispute ; mais il doit être modéré envers tout le monde, capable d'instruire, et patient ;

25. Il doit reprendre avec douceur ceux qui résistent à la vérité, dans l'espérance que Dieu pourra leur donner un jour l'esprit de pénitence pour la leur faire connaître

26. Et qu'ainsi, revenant de leur égarement, ils sortiront des piéges du diable, qui les tient captifs pour en faire ce qu'il lui plaît.

ANALYSIS.

1° *Timotheum hortatur ad fortitudinem, et per strenuam pastoralis muneris functionem, quasi præparat ad martyrium.*

Evangelii itaque prædicationi et propagationi totus incumbat.

Hâcque de causâ patiatur fortiter ut miles, certet ut athleta, laboret ut agricola; v. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7.

2° *Ut hæc omnia munia fortiùs obeat; ante illius oculos exponit Christi Domini à mortuis suscitati gloriam; v.* 8.

Sui ipsius Pauli patientis, certantis, et laborantis exemplum; v. 9, 10.

Æternam denique martyrii gloriam.

Si pro Christo patimur et morimur, cum Christo resurgemus et regnabimus; v. 11, 12, 13.

Et hæc omnia vult à Timotheo etiam doceri, v. 14.

3° *Hâc ad fortitudinem exhortatione finitâ, instruit illum de modo quo dignus et Deo gratus evadat divini verbi minister : nimirùm verborum pugnas vitet; veritatis verbum rectè tractet, v.* 15; *profanas hæreticorum novitates fugiat, v.* 16; *ut canceres proxima quæque depascant, et de facto quosdam subverterunt, v.* 17, 18.

4° *Ne propterea turbetur Timotheus, asserit Apostolus quòd stant et stabunt immoti, verè fideles, fundamenta domûs Dei, duobus sigillata signaculis, v.* 19.

Asserit præterea quòd subversi possunt per pœnitentiam restitui, v. 20, 21.

5° *Pergit Timotheum instruere de modo quo fiat operarius Deo gratus : juvenilia fugiat desideria, sectetur verò justitiam, fidem,* etc., *v.* 22; *contentiones vitet, v.* 23, 24; *corripiat modestè, instruat mansuetè, v.* 25, 26.

PARAPHRASIS.

1. Tu ergo, fili mi, fortis esto, per gratiam à Christo tibi collatam (in ordinatione).

2. Et quæ vivâ voce audisti aliquando ex ore meo, coram multis testibus, eadem tecum à me audientibus, hæc nunc vicissim trade et commenda fidelibus et idoneis viris, qui eadem doceant populum.

3. Mala (Evangelii causâ) ferto, sicut præclarus Christi Jesu miles.

4. Attende quòd qui Dei militiæ ascriptus est, hujus vitæ negotiis non implicatur, ut se totum det militiæ, et placeat ei qui se in militem elegit.

5. Considera quòd et qui certat in publicis certaminibus, non coronatur, nisi secundùm leges athletis præscriptas pugnaverit et vicerit.

6. Considera et quòd agricola in terrâ colendâ assiduus, primus est in percipiendis agri sui fructibus.

7. Expende quæ ænigmaticè dico : aderit tibi Dominus, et intellectum dabit in omnibus (si attenderis, et auxilium petieris).

8. Memento et cogita sæpè quòd Dominus Jesus Christus, ex Davidis semine natus (post mortem acerbam), resurrexit gloriosus, secundùm Evangelii veritatem quam omnibus ubique prædico.

9. Memento et quòd propter Evangelium ego (magister tuus) patior afflictiones et persecutiones usque ad carcerem et vincula; quasi maleficus et facinorosus quidam ; memento, inquam, quòd vincula quidem patior, sed verbum Dei vinculis non adstringitur (quia, etsi ligatus, prædico).

10. Propter hoc idem Evangelium omnia mala patior, ut illi quos Deus elegit nostris laboribus adducendos ad salutem quæ per Christum Jesum obtinetur, nobiscum nunc gratiæ vitam inveniant, et aliquando cœlestem.

11. (Hujus recordare gloriæ :) nam res est certa et indubitata quòd si pro Christo et cum Christo morimur, cum Christo resurgemus, vitam immortalem victuri.

12. Si pro illo patimur, et cum illo in æternum regnabimus; si verò negaverimus eum coram hominibus, et ille negabit nos coram angelis.

13. Si non credimus (sive quod est, sive quod dixit), ipse nihilominùs permanet idem in se, fidelis et verax in verbis suis; nec potest seipsum negare, seu non esse; nec potest sua verba negare, seu mentiri (negatione nostrâ nil illi accedit, nil recedit).

14. De his frequenter admone fideles tibi commissos, Christum Dominum attestans, Verbis ne contendas; hoc enim non prodest, imò nocet, quia disputationibus sæpè subvertuntur audientium animæ.

15. Stude teipsum Deo gratum operarium exhibere; non erubescentem propter opprobria Christi; verbum veritatis (pro cujusque captu) distribuentem.

16. Profanas vocum novitates devita, quia multùm conferunt ad impietatem in animo ingenerandam.

17. Et sermo illorum profana et nova loquentium, instar canceris, aut gangrenæ, serpit, suique veneni vim longiùs semper diffundit. Ex illorum hæreticorum numero est Hymnæus et Philetus,

18. Qui circa veritatem aberraverunt, dicentes quòd resurrectio jam facta sit (spiritualiter per baptismum), et errore suo quorumdam fidem subverterunt.

19. Sed verè fideles, qui sunt fundamentum domûs Dei, stant firmi et immoti, habentes has in animo sigillatas sententias, quas operibus demonstrant : primam : Cognovit Dominus qui verè sunt sui; secundam : Discedat ab iniquitate, justitiam verò operetur omnis qui verè christianus est.

20. (Et ne mireris, si qui sint inter Christianos non sancti, et non fideles ; nam) in Ecclesiâ, sicut in magnâ domo, non solùm sunt vasa aurea et argentea, id est, homines firmi et illustres in fide et justitiâ; sed etiam lignea et testacea, homines vulgares, fragiles, et infirmi in fide, et in moribus. Quædam ex utrisque sunt honorificis usibus deputata; quædam vilibus ministeriis destinata; non mirum ergo si sordescant, et frangantur aliqui.

21. (In hâc similitudine est maxima hæc dissimilitudo, quòd metaphorica vasa talia aut talia non sint à naturâ, sed à voluntate;) si quis ergo sordidorum se, Dei gratiâ, emundaverit à peccatorum suorum sordibus, fiet vas honestum, consecratum, usibus Domini accommodum, et idoneum ad omne bonum opus.

22. Adolescentiæ cupiditates fuge; sectare verò sanctitatem vitæ, fidem in verbis, charitatem erga omnes, pacem cum omnibus sincerè Christianis.

23. Ineptas et ineruditas quæstiones respue; scis enim quia lites et jurgia pariunt.

24. Christianus autem, Christi Domini servus, rixari non debet; sed erga omnes mansuetus esse, paratus ad eos docendum, malorum tolerans.

25. Cum mansuetudine erudiens eos qui de veritate aliter sentiunt quàm nos; tentando si fortè per doctrinam Deus inspiret illis pœnitentiam, ut perveniant ad agnitionem veritatis,

26. Sicque ad sanam mentem redeant, et evadant laqueos diaboli, à quo captivi tenentur, ad ipsius voluntatem (diaboli scilicet, in cujus sunt potestate propter peccata).

VERS. 1.—TU ERGO, FILI MI, CONFORTARE... Exhortationem capite primo cœptam resumit. Versu quippe septimo dixerat quòd spiritus episcopis in ordinatione datus non sit spiritus timiditatis, sed spiritus fortitudinis, etc. Hinc que Timotheum ad fortitudinem exhortans, concluserat : *Noli ergo erubescere*, etc., *sed collabora*, etc. At quia hanc exhortationem per aliqua interjecta interrupit, illam nunc resumit, blandè et cum affectu Timotheum interpellans : *Tu ergo, fili mi*, secundùm spiritum tibi datum per impositionem manuum mearum, abjectâ omni timiditate, fortis esto, viriliter age; pastorale munus tuum fortiter exerce, non tuis innixus viribus, sed Dei gratiâ, per Christum tibi in ordinatione collatâ. Hoc significat, IN GRATIA, QUÆ EST IN CHRISTO JESU.

VERS. 2. — ET QUÆ AUDISTI A ME... Et quæ tibi ore tenùs tradidi, coram multis testibus, eadem tecum à me audientibus, hæc intrepidè prædica, et non tantùm ea tu ipse prædica, sed et in illis alios institue ministros fideles, et idoneos qui ea prædicent et aliis communicent. Seu doctrinam evangelicam, à me tibi traditam et concreditam, hanc tu vicissim trade, et quasi thesaurum commenda fidelibus et idoneis viris, qui pari fide custodiant eam, et quasi depositum sibi concreditum tradant et suis commendent successoribus. Episcopos, et presbyteros intelligit, ait Theophylactus.

Observatio dogmatica et moralis.

Nota primum modum quo evangelica doctrina propagata est in mundo, nimirùm per verbalem traditionem, non per Scripturam, juxta Domini mandatum : *Euntes docete et prædicate Evangelium omni creaturæ.* Jussit docere, prædicare, non scribere.

D. Paulus ore, non scripto, docuerat Timotheum et alios, ut ex hoc versiculo patet.

Quæ audisti à me, etc. Quod ore tradiderat ei, vult ut Timotheus aliis vicissim ore tradat, qui et suis idem ore tradant successoribus. Traditio itaque prima fuit, et aliquandiù unica fidei regula ; hinc observanda, et in dubiis consulenda traditio, et non tantùm Scriptura. Porrò hanc D. Pauli ad Timotheum v. 1 exhortationem et sequentes applicet sibi quilibet Christi minister, imò et quilibet Christianus, juxta statum suum. *Tu ergo, fili mi*, fortis esto, animos assume ad tua munia in statu tuo strenuè obeunda per gratiam tibi, seu in baptismo, seu in ordinatione, seu in matrimonio, ob Christum collatam, et per gratiam tibi in occasione dandam, et ad quam, vi sacramenti recepti, jus habes. Hanc ora, hanc pete humiliter et cum fiduciâ, per Christum Mediatorem nostrum. Aspice Jesum, recurre ad Jesum, gratiam pete per Jesum. Gratiam, *quæ est in Christo Jesu.* Hoc emphasim habet. Christus nobis fons est gratiæ ; *de cujus plenitudine nos omnes accipimus.* Ad hunc ergo gratiæ fontem recurre, huic fonti teipsum uni fide, charitate, ut in tuum seso sinum effundat.

VERS. 3. — LABORA SICUT BONUS MILES. *Labora*, Gr., συγκακοπάθησον, mala patere, dura ferto, in adversis obdurare. *Sicut bonus*, Gr., *pulcher*, præclarus miles Jesu Christi. Quasi diceret : Præclaræ Jesu Christi militiæ nomen dedisti. Militum autem est gratè et libenter ferre labores ; imò dolere, cùm non laborant. Tu ergo, ô præclare Christi miles, sub tanto duce, fortiter adversa ferto, et in laboribus obdurare : forti feras animo quidquid Evangelii causâ perferendum occurrit.

VERS. 4. — NEMO MILITANS DEO (in Græco non est *Deo*) IMPLICAT SE... , Gr., *implicatur vitæ negotiis. Implicatur* vim habet ; ista negotia sunt vincula, sunt serpentes. Theophylactus.

UT EI PLACEAT, CUI SE PROBAVIT ; Gr.: *Ut deligenti milites placeat*, id est, ut placeat ei qui se in militem elegit ; quasi diceret : Ea militum lex est et conditio, ut nihil aliud quàm bellum et arma cogitent et agant. *Hinc qui alicui principi nomen dedit, statim ab omnibus* eximitur secularibus curis et negotiis, à mercaturâ, à tutelâ, etc., ut se totum det militiæ, sitque gratus imperatori cui se dedit et qui illum inter suos milites ascripsit. Si hoc in seculari militiâ, quantò magis in christianâ ! Tu te ergo totum da Christi militiæ ; cæteris omnibus neglectis, unum tibi curæ sit Christo *Imperatori tuo placere, qui te in suos eligere dignatus est milites*, imò et duces.

Observatio moralis.

Quod Timotheo dicit Apostolus, hoc et omni Christi ministro. Recordare quòd Christi sis miles ; quòd ideò ab omnibus mundanis negotiis sis exemptus, ut ad omnia Christi mandata sis expeditior. Itaque tu te totum da Christo ; secularia contemne, hujus vitæ negotia sperne ; unum tibi curæ sit, Christo Imperatori tuo placere, obedire. Hoc et omni Christiano convenit. Ut enim Tertullianus ad Martyr., cap. 3, ait, vocati sumus ad militiam Dei vivi, jam tunc cùm ad sacramenti verba respondimus. Itaque respice cujus sis miles, et fer forti animo labores militiæ, ait Theodoretus. Recordare tyrocinii diem, quâ Christo in baptismate consepultus, in sacramenti verba jurâsti, pro nomine ejus non te parciturum pati, D. Hieronymus, epist. 13 ad Heliodorum. Recordare, Christiane, miles Christi, quòd pro regno cœlesti et æterno militas ;

VERS. 1. — *Tu ergo, fili mi, confortare* (Ambrosius legit, fortitudinem cape) *in gratiâ quæ est in Christo Jesu*, id est, in gratiâ Christi annuntiandâ et prædicandâ, inquit Ambrosius.

VERS. 2. — *Et quæ audisti à me per multos testes*, non quæ scripto tradidi, aut litteris consignavi. Ut intelligamus sanam doctrinam verbo magis quàm scripto tradi solitam ab apostolis. *Hæc commenda fidelibus hominibus*, etc. Multos testes vocat multos suæ prædicationis auditores. Ita Chrysostomus.

VERS. 3. — *Labora sicut bonus* (id est, egregius) *miles Christi Jesu.* Labora, id est, mala perfer, dura tolera.

VERS. 4. — *Nemo militans Deo*, etc. *Negotia secu-*

itaque libenter patere, fortiter dimica, vince, ut in æternum triumphes.

Vers. 5. — Nam et qui certat in agone... Quasi diceret : Non tantummodò certandum tibi est, sed et juxta leges à Christo, duce tuo, præscriptas certandum. Sicut enim athleta publicis in certaminibus pugnans non coronatur nisi secundùm leges de cibo, potu, temperantiâ, athletis præscriptas pugnaverit, ait Theophylactus, sic nec tibi, quocumque modo certàsse sufficit, sed secundùm leges à Christo datas, et à me tibi dudùm propositas. Sicut ergo illi ab omnibus abstinent, ut caducam et corruptibilem coronam reportent, ita et tu, ô Christi athleta, ut incorruptibilem et immarcescibilem coronam habeas, ab omnibus abstine quæ victoriam possent impedire; sobrius sis, gravis, castus, omnia servans quæ certantibus congruunt. Recordetur Christianus athleta Christi legum à Christo datarum. *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud,* Matth. 11, 12. *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus,* Luc. 14, 33. Juxta has leges pugnet, vim sibi inferens et omnibus renuntians.

Vers. 6. — Laborantem agricolam... Mercedis mentione Timotheum recreat, et ad laborem et certamen animat. Quasi diceret : Merces tibi non decrit. Sicut enim agricola laboriosus, et in terrâ excolendâ assiduus, laborum suorum fructus ipse prior percipit, hâcque fructuum spe ad labores ferendos excitatur, sic et tu non sine fructu patieris et laborabis in agro Christi excolendo; sed si diligenter illum excolueris, fructum percipies æternum. Hâc ergo spe patere, labora.

Vers. 7. — Intellige quæ dico... Tres tibi proposui parabolas, militis, pugilis et agricolæ, quas necesse non est ut explicem; Deus enim intellectum tibi dabit, ut eas intelligas.

Dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum; Gr., *det tibi Deus.* In milite intelliges quòd debeas libenter pati, fortis esse, totus Christi militiæ vacare, ut Christo duci tuo placeas. In athletâ intelliges quòd tibi non sufficit certare, sed et legitimè, juxta Christi leges pugnandum, sobrius, prudens, castus, ab omnibus abstinens, quæ victoriam possint impedire. In agricolâ, fructuum spe, tot labores patienter suscipiente, intellige messem tibi in cœlis præparatam. Hic tibi laborandum quidem, sed ibi metes; hic patiendum, ibi quiesces in summâ et æternâ beatitudine. Hic certandum tibi est, ibi glorià coronatus in æternum triumphabis. Hæc non minùs nobis quàm Timotheo dicta. Si, ut Christi milites, fortiter patiamur; si, ut athletæ, abstemii pugnemus; si, ut agricolæ, assiduè Christi agrum colamus : ut hæc omnia præstemus alacriter, æternam aspiciamus beatitudinem.

Vers. 8. — Memor esto Dominum nostrum Jesum Christum resurrexisse...; quasi diceret : Indiges hujus æternæ beatitudinis intuitu confortari. Cogita Christum; ex semine David natus est mortalis et passibilis; toto tempore vitæ laboravit, passus est, tandem in cruce acerbam et infamem pro nobis mortem tulit. Cogita, inquam, quòd gloriosus, beatus, immortalis resurrexit, sedetque ad dexteram majestatis. Quod Christo capiti et duci nostro contigit, hoc et nobis, ejus membris et militibus, eveniet. Si ipsius causâ patiamur, laboremus, moriamur, resurgemus impassibiles, beati, immortales.

Secundum Evangelium meum, id est, secundùm Evangelii veritatem, quam ubique et omnibus prædico.

Vers. 9. — In quo laboro... Vis exemplum hominis patientis, certantis et laborantis? Memento mei, magistri tui. *In quo,* id est, ejus causâ, seu propter Christum, ejusque promulgandum Evangelium. *Laboro,* Gr., κακοπαθῶ, mala patior, affligor, incarceratus, vinculis constrictus, quasi forem malefactor et facinorosus. Patior ergo carcerem, vincula, infamiam; sed non dejicior; quinimò fortiter pugno, quamvis ligatus.

Verbum Dei non est alligatum. Vinciuntur quidem membra, sed lingua manet libera; hâc Evangelium, etiam in carcere, non desino prædicare. Nobis ligatis, solutum est nihilominùs Dei verbum, currit, spargitur, auditur. Itaque vinculis etiam constrictus, pugno verbo Dei, quod *est gladius spiritûs.*

laria sunt occupationes et negotiationes, quibus victum, vestitum et reliqua ad vitam tuendam opportuna comparamus et conquirimus, quales sunt mercatura, etc.

Vers. 5. — *Num qui certat in agone, non coronatur,* id est, non coronabitur, *nisi legitimè certaverit. Legitimè,* id est, juxta legem, scilicet stadii et agonis. Nisi enim *legitimè,* id est, secundùm leges à Deo præscriptas, et à me dudùm tibi propositas, eo certamine perfunctus fueris, coronam immortalitatis adipisci non poteris.

Vers. 6. — *Laborantem agricolam oportet,* etc. Si videlicet strenuè in agro laboret, oportet primis agri fructibus frui. Ita te, ô Timothee, excitet tum fructus præsentis alimoniæ à catechumenis, quos doces accipiendæ, tum potiùs plena merces futuræ et æternæ gloriæ. Excitet, inquam, ad certandum et laborandum, totumque te impendendum Evangelio. Ita Chrysost.

Vers. 7. — *Intellige quæ dico,* etc.; q. d. : Proposui tibi tres parabolas, militis, athletæ, agricolæ. Non est necesse ut eas tibi explicem et applicem, tu eis intende; quod si feceris, Deus dabit tibi intellectum, ut facilè eas intelligere et applicare possis, etc. *Dabit,* id est, det, quod est precantis.

Vers. 8. — *Memor esto,* etc. *Ex semine David,* supple incarnatum et natum; q. d. : Memento, sicut Christus pro Evangelio suo passus gloriosè resurrexit, ita pariter te, si pro Evangelio patiaris, gloriosè resurrecturum. Patere ergo et labora cum Christo, ut cum Christo ad gloriam resurgas. Ita Theodor., Chrysost. et alii. *Secundùm Evangelium meum,* id est, secundùm Evangelium quod prædico.

Vers. 9. — *In quo laboro usque ad vincula,* etc. *Laboro,* id est, affligor, mala perfero, adeòque vincula sustineo, *quasi malè operans,* id est, quasi malefactor, quasi sceleratus. *Alligatum,* id est, vinculis; q. d. : Ego sum vinctus, sed verbum Dei non est vinctum, quia tam ego in carcere partim verbo, partim scriptis epistolis, quàm alii, intrepidè verbum

Vers. 10. — Ideo, Gr., διὰ τοῦτο, *propter hoc*, scilicet Dei verbum, seu propter hoc idem Evangelium.

Omnia sustineo propter electos... Propter hoc igitur idem Evangelium, hæc et alia multa patior mala, ut illi quos Deus elegit nostris laboribus adducendos ad salutem quæ per Christum obtinetur, nunc in eo vitamin veniant gratiæ, et aliquando gloriam cœlestem. Ut salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu. Itaque quasi cœlestis agricola, semino semen æternitatis et gloriæ cœlestis. Tu ergo, fili mi, et Christi gloriosi recreatus intuitu, et mei patientis, certantis et laborantis exemplo confortatus, pro Christi gloriâ propagandâ, et pro salute electorum tibi commissorum, tuisque laboribus et exemplis salvandorum, mecum patere, certa, collabora.

Nec tibi, nec mihi merces deerit.

Vers. 11. — Fidelis sermo. Præfatio Apostolo solita, ante aliquam majoris momenti veritatem. Res certa et indubitata est quòd si pro Christo et cum Christo moriamur, cum illo resurgemus et vitam vivemus immortalem.

Vers. 12. — Si sustinebimus..., id est, si pro illo patiamur, et cum illo regnabimus in æternum.

Si negaverimus..., eum scilicet, et ejus fidem coram hominibus;

Et ille negabit nos coram angelis suis, et à suo nos excludet regno. Terreat itaque supplicium, quos non invitat gloria.

Vers. 13. — Si non credimus... Porrò nostra nobis tantùm nocebit infidelitas, non illi. *Si* enim *non credimus*, vel quod est, scilicet Deus ab æterno, et homo in tempore natus, mortuus et à mortuis suscitatus; vel quod dixit et sibi credentibus promisit; si negemus, inquam, ipsum et ipsius verba et promissa, negatione nostrâ nihil illi accedit, nihil decedit.

Ille fidelis permanet, id est, idem quippe in se est, et erit semper quod fuit ab æterno, nimirùm Deus immutabilis. Ipsius verba et promissa nihilominùs vera sunt et implebuntur : quippe qui verax *et fidelis est*, summaque veritas.

Negare se ipsum non potest. Naturam habet immutabilem: non potest non esse, semper manet. Negare etiam non potest quod dixit, quia veritas Dei non mutatur. Verax est in verbis, fidelis in promissis, terribilis in comminationibus; mentiri nequit.

Vers. 14.— Hæc commone... Hæc omnia supradicta fidelibus tibi commissis prædica frequenter, et in eorum memoriam sæpè revoca;

Testificans coram Domino, id est, cùmque eos de his admones, Christum Dominum attestare, tanquàm harum omnium veritatum auctorem, et illarum contemptùs vindicem; ut hâc commonitione et attestatione commoti, caveant ab infidelitate, perseverent in fide, et pro Christo constanter patiantur; si necesse est, moriantur

Observationes morales.

Non minùs et nos quàm fideles illi, frequenti hâc indigemus admonitione et attestatione circa has supradictas veritates, à quibus maximè pendet et nostra salus, et noster in Christianismo profectus.

Si commortui sumus, et convivemus. Credis hanc veritatem? quæ de fide est, et de quâ dubitari nefas. Credo, ais; cur ergo non studes pro Christo, per assiduam mortificationem et pœnitentiam, mori peccato, vitiis, passionibus inordinatis, tuisque concupiscentiis? Cur metuis mori pro Christo, id est, tuam miserabilem vitam cum vitâ Christi summè beatâ commutare?

Si sustinebimus, et conregnabimus. Credis hanc alteram veritatem, quæ æqualiter est de fide? Credo. Cur ergo invitus et murmurans pateris, etiam minimula mala? Cur è contra non gaudes in passionibus, sciens et credens quòd etiam levis afflictio sit regni cœlestis pretium?

Si negaverimus eum, et ille negabit nos. Et hanc credis tertiam veritatem? Credo. Cur ergo factis tuis tam frequenter negas eum quem linguâ profiteris? Cur impuris moribus tuis Christum et Christianismum negas? Cur vita tua promissis à te in baptismo factis est contraria? Cur pompas diaboli et mundi sectaris, quibus palàm renuntiâsti?

Et ille negabit nos. Credis et hanc terribilem veritatem? Intelligis eam? à Deo, æternâ veritate, denegari! à Deo, summo bono, in æternum repelli, nesciri, excommunicari! *Discedite à me, maledicti*, etc., Matth. 25, 41. *Nunquàm novi vos*, Matth. 7, 23. *Vos*

Dei prædicamus. Si ego vinctus ita strenuè prædico Evangelium, quantò magis idem te facere decet, ô Timothee, cùm sis liber?

Vers. 10. — *Ideò omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur*; q. d. : Omnia sustineo, non solùm meæ seu nostræ salutis causâ qui jam fideles sumus; sed et aliorum electorum, nominatim eorum qui adhuc adducendi sunt ad ovile Christi, non sine nostris laboribus ac periculis, ut et ipsi nobiscum salvi fiant. *Quæ est in Christo Jesu*, id est, quæ salus est per Christum Jesum. *Cum gloriâ cœlesti*, q. d.: Ut salutem consequantur non qualemcumque, sed quæ conjuncta est cum æternâ ac cœlesti gloriâ beatæ immortalitatis, cujus unà cum Christo participes erunt.

Vers. 11. — *Fidelis sermo : nam si commortui sumus, et convivemus.* Fidelis, verus et certus est sermo; quòd si hìc pro Christo et cum Christo patiamur et moriamur, simul etiam cum Christo resurgemus et vivemus in regno cœlesti.

Vers. 12. — *Si sustinebimus, et conregnabimus*, id est, si sustinemus. Non enim satis est semel pati aut mori, sed quotidiè patiendum et moriendum est. Diebus singulis beatus ille (Paulus) moriebatur, inquit Chrysostomus.

Si negaverimus, Christum et Christi fidem metu hostium, tyrannorum aut tormentorum. *Et ille* (Christus) *negabit nos.*

Vers. 13. — *Si non credimus*, etc., id est, sive credimus, sive non credimus, veritas non mutatur, Deus falli aut fallere non potest; incredulitas aut perfidia nostra Dei fidem convellere nequit; q. d. : Si dillidimus, ille tamen fidus permanet.

Vers. 14. — *Hæc commone*, id est, de his quæ jam dixi frequenter admone fideles tibi commissos. *Testificans coram Domino.* De his admone fratres, cum obtestatione quam facias coram Domino; hoc est, declarans te hæc eos commonefacere coram Christo Domino.

Noli contendere verbis. Verbis contendere est non

non populus meus, Oseæ. 1, 9 et 10. Non credit qui non tremit et non fremit. Bone Deus! Christe Jesu, Salvator meus! has in mente meâ, et in corde meo imprime veritates. Si tecum mortificationis gladio commorior, tecum vitam immortalem vivam. Quod persecutionis gladius in martyribus est operatus, hoc mortificatio in pœnitentibus operatur. Pœnitentem mori, est vitam infelicem et miseriis plenam in vitam summè felicem commutare. Mors pro Christo passa finis est miseriarum, et beatæ æternitatis initium. O felicem itaque, et totis votis exoptandam mortem! Moriar, ô Christe, et pro te moriar! Si sustineo pro Christo, cum Christo regnabo. Passio regni cœlestis et æterni pretium est. *Momentaneum et leve tribulationis, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, 2 Cor. 4, 17. Pro tantillo et tam modico pretio, tantum regnum, tam immensam mercedem! *Non sunt condignæ passiones*, etc., Rom. 8, 18. Si negavero, etc., ah! bone Deus, misericors Deus, da mihi mori potiùs quàm te quocumque modo negare! Da mihi, te linguâ, corde, vitâ, moribus confiteri! da mihi te, puro corde, charitate sincerâ, diligere! Et qui me diligis, meque vis beatum, meî non indigens, nullamque prorsùs ex me utilitatem capiens, sed propter bonitatem tuam, da ut te propter te diligam, tibique serviam, non tantùm pœnarum timore pressus, aut spe beatitudinis attractus, sed unico inprimis tuæ dilectionis actus spiritu. Amen.

Noli contendere verbis... Quidam hæc verba jungunt cum præcedentibus, et eis favet Græcus contextus, testificans coram Domino, non contendere verbis. Favet et Syriaca versio : *Contestans coram Domino, non contendant verbis inutilibus.* Sed præterquàm quòd D. Augustinus, Ambrosius, sicut et noster interpres ea disjungunt et separant, sanè ipsa contestatio coram Domino, quæ non nisi rei gravioris est, indicat quòd superiorum monitorum debeat esse confirmatio, eo quo explicatum est modo, supra, v. 14.

Finitâ itaque superiori ad fortitudinem exhortatione, nunc Timotheum hortatur ut seldignum divini verbi ministrum exhibeat, illumque instruit de modo quo talis evadat, seu, ut ait Theodoretus, docet eum regulam divinorum eloquiorum. Ac primò notat abusum ab ipso vitandum, juvenibusque non inusitatum, nempe verborum pugnam, logomachiam. Tunc verbis contenditur, cùm in disputando non tam quæritur veritas quàm vanitas, scilicet suæ ostentatio scientiæ; doctior videri, vincere, prævalere. *Noli contendere verbis;* Gr. : *Non contendere verbis,* more Hebraico, infinitivum pro imperativo : Ne contendas, etc.; noli verbigerari. P. Amelotte citat manuscriptum Alexandrinum, in quo legitur, μὴ λογομάχει, *ne contendas verbis.* Credibile est quòd ita legit noster interpres, non λογομαχεῖν, sicut legitur hodiè.

Ad nihil enim utile est, imò nocet multùm, quia hinc sæpè subvertuntur audientium animæ, tum scandalo, ob pertinaciam, animositatem et vanitatem disputantium; tum mutuæ charitatis amissione : scinduntur enim plerumque in diversas partes, fitque inter eos schisma; tum errore, in quem sæpè deducuntur, veritate scilicet talibus logomachiis obscuratâ potiùs quàm elucidatâ. Ob has et alias rationes fuge verborum pugnam; sed

Vers. 15. — Sollicitè cura, Gr., *stude.*

Teipsum probabilem, Gr., δόκιμον, *probum*, probatum, Deo gratum operarium exhibere.

Inconfusibilem, Gr., *non erubescentem.* Explicat modum quo fiat Deo gratus et probatus, nempe si non erubescat ob crucem Christi, sed eam liberè profiteatur, et intrepidè prædicet gentilibus eam irridentibus.

Rectè tractantem, Gr., *rectè secantem verbum*, etc. Metaphorâ sumptâ à nutricibus et parentibus, qui panem secant in particulas et offulas, et quidem unicuique parvulorum suorum proportionatas, ut eas parvuli faciliùs deglutiant, eisque nutriantur; ita tu, quasi parens et nutrix, panem vitæ, *verbum veritatis*, animæ cibum, seca, divide, quantùm cuique tuorum convenit; et sic secatum, divisum, proportionatum, unicuique accommodatum, expone, propone, ministra.

Nota his in verbis tria monita omni concionatori necessaria : primum, uni Deo placere studeat, posthabitis hominum judiciis, omnique vanitate contemptâ, unum sit illi curæ, Deo gratum se exhibere ministrum; secundum, sit inconfusibilis; eum non pudeat crucis Christi, nec illius ministerii, seu prædicationis; seu ipsum nihil eorum quæ ad pietatem pertinent facere pudeat, Theophylactus. Ad hanc piam non erubescentiam ubique hortatur Apostolus, et non sine causâ, quia, ut ait idem Theophylactus, in v. 8 hujus capitis, adeò humiliatus est Deus propter nos, ut homines erubescant tantam humiliationem applicare Deo. Idem aliis verbis D. Chrysostomus in v. 8. Tertium, se nutricem consideret, panemque vitæ secatum, accommodatum unicuique distribuat. Nucem aperiat, ut nucleus pateat, capi et comedi possit. Plato dialecticum insulsum vocabat malum cocum, eò quòd non rectè secaret, seu divideret.

Vers. 16. — Profana autem et vaniloquia; Gr. :

curare quomodò error veritate convincatur; sed quomodò tua dictio dictioni præferatur alterius, inquit Augustinus; scilicet in disputando non veritatem quærere, sed velle ostentare suam scientiam, vellequc videri doctiorem, vincere et prævalere, etc.

Ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium; ex quibus, inquit, oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, etc.

Vers. 15. — *Sollicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem.* Qui liberè et profitearis et prædices crucem Christi. *Rectè tractantem verbum veritatis.* Loquitur de verâ fidei doctrinâ verbo tradendâ. Episcopus ergo, doctor et concionator debet doctrinam suam et verbum Dei, quasi nucem rectè aperire, enucleare et exponere, ut videlicet verum sensum à falso et contorto secernat.

Vers. 16.—*Profana autem et vaniloquia devita;* dicit inanem et clamosam loquacitatem doctori evangelico vitandam et profligandam esse; maximè quæ profanos et à verâ pietate remotos sensus habeat admixtos. *Multùm enim proficiunt ad impietatem*, quia nimirùm seductores illi ac perversorum dogmatum magistri

At profanas vanas voces cohibe; in Græco non est conjunctio, *et*. D. Chrysostomus : *Profanas vocum novitates devita.*

Alterum notat abusum in concione divini verbi vitandum ; quasi diceret : A profanis, vanisque vocibus cave. Quin etiam eas cohibe, quia multùm conferunt ad impietatem ingenerandam et promovendam in animo. Nam, ut ait D. Chrysostomus, cùm quid novi fuerit inventum, semper nova id parturit; infinitusque fit error ejus qui tranquillam fidamque stationem littoris egressus, per devia cœperit vagari.

Vers. 17. — *Et sermo eorum...*, scilicet vaniloquentium, seu illorum hæreticorum, qui profana et nova loquantur, est instar gangrænæ. Gr. : *Ut gangræna pastum habebit,* id est, carnem etiam sanam latè depascet. Quasi diceret : Pestilens illorum doctrina, seu sermo hæreticorum vana et profana loquentium, instar gangrænæ, aut canceris, serpit, venenique sui vim longiùs semper diffundit, donec totum corruperit corpus. Cancer est morbus putredinem efficiens, adeòque omnia circumcirca depascens, Theophylactus. Illius morbi proprium est carnes proximas exedere, et quod sanum et integrum est, paulatim corripere; ita est de hæreticorum doctrinâ.

Ex quibus...., id est, ex quorum hæreticorum numero, est Hymenæus et Philetus. Hos duos hæreticorum præcipuos nominat, ut ab eis sibi caveant fideles.

Vers. 18. — Qui a veritate exciderunt....; Gr. : *Qui circa veritatem aberraverunt.*

Dicentes resurrectionem jam factam, id est, dicentes quòd omnia quæ dicuntur de resurrectione in Scripturis referenda sint ad resurrectionem animarum, quæ jam facta est per baptismum et pœnitentiam. Ita D. Thomas. Negabant itaque corporum resurrectionem, sed mysticam et spiritualem animarum resurrectionem admittebant, hic per baptismum et pœnitentiam, et in futuro per gloriam. Hoc Tertull., lib. de Resurrectione carnis, citatus à P. Amelotte.

Et subverterunt quorumdam fidem. Resurrectio mortuorum fidei fundamentum est; hoc everso, ruit et subvertitur fides.

Vers. 19. — Sed firmum fundamentum Dei stat... Quorumdam, dixi, non omnium : nec timeri debet ne subvertantur omnes ; nam verè fideles, qui sunt domûs Dei fundamentum, stant et stabunt in fide firmi et immoti.

Observatio litteralis.

Ut his in verbis Apostoli mentem clariùs intelligas, textum adverte. Vers. 17 dixit hæreticorum doctrinam, velut cancerem, vicina quæque depascere; Vers. 18 de Hymenæo et Phileto dixit quòd errore suo quorumdam fidem jam subverterint. Hinc itaque timendum videbatur ne hic illorum error, quasi gangræna, totum hujus Ecclesiæ corpus paulatim pervaderet atque corrumperet. Huic timori occurrit Apostolus; quasi diceret : Quorumdam quidem instabilium fidem subverterunt; atverò stant et stabunt immoti et firmi, verè fideles, qui sunt fundamentum domûs Dei. Instabilibus quibusdam opponit multò plures firmos et stabiles. Subversis aliquibus opponit plerosque stantes et immotos. Hos autem firmos et stabiles vocat fundamentum Dei, ob illorum in fide firmitatem et constantiam, ait D. Joannes Chrysostomus. Vel vocat eos fundamentum Dei, id est, fundamentum domûs Dei, palatii divini, Ecclesiæ De vivi, quia hi primi Christiani fuerunt quasi Ecclesiæ fundamenta, fundati quippe sunt *super fundamenta apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Rectè ergo fundamentum dicuntur, tum quia firmi et immoti permanent, quod fundamenti proprium est; tum quia primi fuerunt lapides vivi, super apostolos substrati cæteris fidelibus super eos ædificandis.

Habens signaculum hoc... Pergit in cœptâ metaphorâ fundamenti. Lapidibus fundamentalibus solebant, boni ominis gratiâ, quædam insculpi litteræ, vel quidam characteres imprimi, vel quædam inscribi sententiæ; et hoc non deest istis fidelibus quos Deus elegit ut essent Ecclesiæ suæ fundamenta. Duas habent in animo sententias insculptas, ad quas attendunt frequenter, et quas opere complent; hisque duabus sententiis per opera exhibitis dignoscuntur quasi signaculis.

Cognovit Dominus qui sunt ejus, Numer. 16, 5. Ubi D. Hieronymus dicit : *Notum faciet Dominus qui ad se pertineant,* Septuaginta habent : *Cognovit Dominus eos qui sui sunt.*

Primò itaque hanc in animo habent impressam sententiam : *Novit Dominus qui* verè *sunt ejus ;* Deus intuetur cor, penetrat animum, interiora videt. Hancque veritatem persuasi student non externâ tantùm professione, sed et internâ præcipuè religione Deum colere. Corde credunt et animo, fide sincerâ, coram Deo, in cujus oculis sciunt se vivere.

semper ad ulteriorem proficient impietatem, tam in se quàm in auditoribus.

Vers. 17. — *Et sermo eorum ut cancer serpit,* etc.; eorum, scilicet hæreticorum, qui docent profana vaniloquia.

Vers. 18. — *Qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam, et subverterunt,* id est, subvertunt, *quorumdam fidem.*

Vers. 19. — *Sed firmum fundamentum Dei stat,* etc. Firmum hoc fundamentum Dei est Dei consilium, decretum et prædestinatio, quâ statuit vocare fideles primò ad fidem, deinde ad gratiam et perseverantiam, ac demùm ad gloriam. Firmitas hujus fundamenti partim in nobis, partim in Deo est. Ideò enim in Deo firma est hæc prædestinatio, quia firmi erunt prædestinati in fide et gratiâ; hi enim sunt firmæ prædestinationis objectum. Et vicissim firmi erunt prædestinati, quia firma est Dei prædestinatio. Partim ab ipso fidelium libero arbitrio, quod liberè et constanter fidem et gratiam retinebit, etc.

Cognovit Dominus qui sunt ejus, en Dei præscientia. *Et discedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini*, en nostri liberi arbitrii cooperatio, quæ est præscientiæ objectum. Ponit hic Apostolus fundamenti jam dicti bina signacula : prius est præscientia Dei; posterius fuga peccati. Fuga omnis iniquitatis

Ecce primum veri fidelis characterem, sinceritas fidei.

Et DISCEDAT AB INIQUITATE..., Numer. 16, 26, ubi : *Recedite à tabernaculis hominum impiorum.*

Secundò, habent et hanc alteram sententiam in animo sigillatam : *Discedat ab iniquitate...*; quasi diceret : Sciunt quòd Christiano credere non sufficit, sed et secundùm fidem debet vivere, à malo declinare, facere bonum. Sciunt quòd qui injustè vivit, etsi credat, etsi Domini nomen invocet, non est verè Christi, nec illum Christus agnoscit suum. Et hanc veritatem persuasi, quam semper in animo præsentem habent, sollicitè student malum omne fugere, bonum operari, sanctâque vitâ fidem complere.

Et hic est secundus veri fidelis character, puritas vitæ.

Duos itaque his in verbis veri fidelis characteres nobis exhibet Apostolus, quibus quasi signaculis dignoscantur qui verè sunt Christi.

Hique duo characteres sunt sincera fides, vita sancta.

Observatio moralis.

Simul et duo nobis media præbet, quibus veri fideles fiamus : primum, si in animo fixum et quasi impressum habeamus : *Novit Dominus qui sunt ejus. Deus intuetur cor.* Ergo sincerè et ex animo colendus. Corde credendum.

Secundum, *discedat ab iniquitate...*, si in animo sigillatam hanc veritatem habeamus, credere non sufficit, sed operibus fides complenda. Sanctè et justè vivendum.

Hic super se reflectat quilibet fidelis, et videat num sit verè fidelis, an corde credit, an sanctè vivit. Hoc ut ita sit, duas in mente suâ sigillet supradictas sententias : *Novit Dominus qui sunt sui. Homo videt ea quæ parent; Deus autem intuetur cor*, 1 Reg. 16, 7. *Penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingit usque ad divisionem animæ ac spiritûs...*, Hebr. 4, 12. Ergo non irridendus. Ergo sincerè colendus. Invisibilem ergo tanquàm videntes sustineamus. In ejus oculis vivo ; ipsum itaque continuè videbo. *Discedat ab iniquitate.* Nihil prodest externa Christianismi professio, si mala sit vita. *Fides sine operibus mortua est.*

Christi sancti et justi non est qui injustus et malus est. Peccatum ergo et injustitiam omnem fugiamus ; bonum sectemur. *Per bona opera vocationem nostram et electionem certam faciamus*, D. Petr. secundâ Epist. 2.

Porrò præcedentis interpretationis initium et quasi fundamenta reperi in D. Chrysostomo, et illam omnibus aliis expositionibus, seriò à me consideratis, præfero, quia hæc naturalior est, textum litteralem clariùs explicat, et Apostoli mentem sic exponit ut omnia sibi invicem cohæreant. Non ita mihi visum est de aliis interpretationibus, tum quia ad Dei decreta recurrentes, explicant obscurum per obscurius ; tum quia, contra D. Pauli mentem et verba, qui in ipso fundamento, seu fundamentalibus lapidibus ex more, signacula reponit : ipsi è contra in fundatore, seu Deo, sigilla constituunt. Primum enim signaculum : *Novit Dominus....*, explicant de præscientiâ Dei, seu prædestinatione. Utraque autem in Deo est, non in fideli. Σφραγὶς, signaculum quod inscribitur lapidi, vel in annulo insculpitur.

Inter alias explicationes, Tirini et Estii explicatio magis placet. Videatur itaque, si non placeat nostra.

VERS. 20. — IN MAGNA AUTEM DOMO.... Mirari quis posset quòd inter Christianos, id est, inter fideles et sanctos, reperiantur quidam infideles et mali. Hanc autem mirationem solvit Apostolus, dicens quòd in Ecclesiâ Dei, sicut in magnâ domo, sint omnis generis vasa.

Quædam AUREA ET ARGENTEA, nimirùm firmi et illustres in fide, in justitiâ et in charitate. Quædam LIGNEA ET FICTILIA ; Gr., *testacea* : scilicet vulgares, fragiles et infirmi in fide et in moribus.

QUÆDAM IN HONOREM, id est, honorificis usibus deputata. *Quædam*, intellige tam ex aureis et argenteis, quàm ex ligneis et testaceis. Sic enim in domibus regum etiam vasa testacea, vitrea et lutea honorificis deputantur usibus.

QUÆDAM IN CONTUMELIAM, id est, vilibus ministeriis destinata. Intellige pariter *quædam* etiam ex aureis et argenteis, ut fit in palatiis principum et divitum, ubi videmus ex argento vasa vilissimis usibus deputata. Sicut ergo nemo miratur, si in magnis domibus aliqua è fragilioribus vasis frangantur, si aliqua vilibus destinata ministeriis sordescant, sic mirum non est quòd in Ecclesiâ aliqui fragiles sint moribus sordidi ; aliqui quoad fidem frangantur et fracti ejiciantur è domo. Ne tamen illos perditos putes : possunt enim per pœnitentiam emundari et reparari.

VERS. 21. — SI QUIS ERGO EMUNDAVERIT SE AB ISTIS...

est signaculum firmi fundamenti, id est, fidei ; qui enim fugit iniquitatem, nunquàm incidet in hæresim.

VERS. 20. — *In magnâ autem domo non solùm sunt vasa aurea*, etc. *Domus* est Ecclesia ; *vasa* sunt fideles ; *aurea et argentea* sunt firmi et illustres in fide et justitiâ ; *lignea* verò *et fictilia*, vel, ut Græcè est, testacea, sunt vulgares, fragiles, infirmi in fide et charitate ; nam hæretici nec vasa aurea, nec fictilia sunt, sed potiùs vasa fracta et ex domo projecta et ejecta. Vas in honorem, id est, vas honorificum ; vas in contumeliam, id est, vas vile et inglorium, uti sunt ollæ et matulæ.

Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem. Sensus est : Quicumque purum sese præstiterit à profanis hæreticorum doctrinis cæterisque vitiis, idque perseveranter fecerit, *erit vas in honorem*, id est, assumetur ad usum honorificum, quia consequetur honorem gloriæ cœlestis, ad quam erat prædestinatus. *Emundaverit*, id est, omninò expurgârit se, ut anima tota sit munda et pura. Ita se emundavit S. Magdalena, cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multùm, de quâ canit Ecclesia :

Post fluxæ carnis scandala
Fit ex lebete phiala,
In vas translata gloriæ
De vase contumeliæ.

Duas allatæ similitudinis ostendit dissimilitudines : primam, vasa illa domesticæ supellectilis nihil conferunt ut aurea sint et argentea, vel lignea aut testacea, sed à naturâ talia sunt. Vasa autem metaphorica, seu homines, ad id conferunt aliquid; talia non sunt à naturâ, sed à voluntate. Secundam, vasa aurea aut argentea nunquàm fiunt lignea aut lutea; nec vicissim ligna et testacea fiunt argentea aut aurea. Contra verò homines sordidi, lutei, peccatores, possunt, Dei gratiâ, à suis sordibus expurgari; possunt per pœnitentiam à peccatorum maculis purificari et fieri vasa aurea, argentea, vasa ad honorificos usus accommoda. Vas erat fictile Paulus, sed evasit in aureum. Vas fuit aureum Judas, sed in fictile conversum fuit, D. Chrysostomus.

Si quis ergo eorum sordidorum, se, Dei gratiâ, emundaverit ab istis, id est, sordibus, sive peccatorum, sive errorum. D. Chrysostomus vim facit in verbo *emundaverit*, id est, penitùs purgaverit. Paulus, inquit, non simpliciter dicit, mundet, sed emundet, id est, penitùs purget. *Si quis ergo* ab omnibus suis sordibus sese expurget,

Erit vas in honorem, honestum;

Sanctificatum, Dei gratiâ ornatum, et per hanc Deo consecratum;

Et utile Domino, id est, usibus Domini accommodum.

Ad omne opus..., idoneum ad omne bonum opus, seu fiet divinæ bonitatis instrumentum ad quodcumque Deo placuerit. Nota quòd hoc in loco purificatio, conversio, sanctificatio homini tribuitur. *Si quis se emundaverit...* Aliis in locis Deo tribuitur : reverà utrique convenit; Deo, ut causæ principi; homini, ut causæ secundariæ. Hæc ergo loca non debent solidariè considerari, sed unum per aliud explicari; et nos Deus emundat, et nosipsos, Dei gratiâ emundamus; et nos Deus convertit à peccato, et nos ab iniquitate discedimus. Hinc Deo dicimus : *Converte nos, Deus*, etc. Hinc et Deus dicit nobis : *Discedat ab iniquitate*, etc. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos*, Zachar. 1, 3.

Vers. 22. — Juvenilia autem desideria fuge. Vers. 15, monuit Timotheum ut se operarium Deo gratum exhibeat; ipsumque incœpit docere modum quo talis evadat : *Sit inconfusibilis; rectè tractet verbum veritatis*; fugiat profanas vocum novitates, quas sectati Hymenæus et Philetus, aberraverunt, et quosdam subverterunt. Cætera, horum occasione, quasi per digressionem, dixit. Jam ad propositum redit, et pergit docere modum quo Timotheus Deo gratus evadat operarius. *Juvenilia desideria*, id est, juvenum fuge cupiditates, non corporeas tantùm (erat enim maximè continens et abstemius), sed et animi cupiditates, scilicet curiositatem, ambitionem, inanem gloriam, gloriolas, etc. Quasi, diceret : Noli, ut juvenis, ambire doctoris nomen;

Sectare verò justitiam..., ambi innocentiam vitæ, fidem in verbis, dilectionem erga omnes, concordiam cum omnibus, verè et sincerè christianis. Recordare duorum characterum, de quibus v. 19.

Vers. 23. — Stultas autem et sine disciplina; Græc., *ineruditas*, etc.; id est, quæstiones ineptas, frivolas, et quæ ad veram sapientiam nihil pertinent, respue :

Sciens quia generant lites, scis enim quia inde oriuntur lites et jurgia.

Vers. 24. — Servum autem Domini non oportet litigare; Christianus autem, maximè verbi minister, servus Christi, adeò patientis et pacifici, non debet rixari, verbis pugnare;

Sed mansuetum esse ad omnes; sed erga unumquemque mansuetus, paratus ad docendum, patiens, malorumque tolerans, ut eos mansuetudine et patientiâ vincat.

Vers. 25. — Cum modestia corripientem, Græc., *erudientem*, eos qui resistunt veritati; Græc., *contrapositos*; Syr. : *Qui contendunt adversùs ipsum*; id est, qui diversa sentiunt, et aliter affecti sunt quàm nos.

Nequando; Syr., *siquando*. Utrumque significat μήποτε. Aliqui vertunt, *an*, id est, experiendo, tentando, si fortè per doctrinam foris adhibitam, Deus dignetur in eorum cordibus inspirare fidem et pœnitentiam.

Vers. 26. — Et resipiscant, sicque ad sanam mentem redeant, et evadant laqueos diaboli, à quo decepti, capti et irretiti sunt, ad voluntatem ipsius,

Sanctificatum et utile Domino, ad omne opus bonum paratum. Sanctificatum Domino, quia expurgatum à sordibus vitiorum, et per hoc Deo consecratum. *Utile* autem *Domino*, usibus Domini sit accommodum. Videtur Christum intelligere. Is enim est Dominus ac herus hujus magnæ domûs, cujus omnia vasa usibus ejus serviunt. Utiles per gratiam Dei nos ad omne opus bonum præparamus.

Vers. 22. — *Juvenilia autem desideria fuge.* Directè respexit Apostolus ad curiositatem, ambitionem et inanem gloriam quam juvenes ambiunt, præsertim docti, ut velint videri subtiles, sapientes, cæterisque doctiores, etc.; q. d. : Noli ut juvenis ambire sapientis et doctoris nomen, sed ambi vitæ integritatem, ac præsertim charitatem et pacem, ut in iis excellas.

Sectare verò justitiam, fidem, charitatem et pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro. Tu virtutes istas sectare, cum iis qui sincerè Deum invocant.

Vers. 23. — *Stultas autem*, etc. *Sine disciplinâ*, id est, ineruditas, insensatas, quæ scilicet nihil habent sensûs, nihil ad veram disciplinam et sapientiam conferunt, quales sunt quæstiones futiles Judæorum de suis genealogiis. *Devita*, id est, rejice et respue. *Lites* non sunt aliud quàm pugnæ verborum.

Vers. 24. — *Servum autem Domini non oportet litigare*, debet esse aptum et paratum ad docendum. *Patientem*, intellige morum et infirmitatum proximi.

Vers. 25. — *Cum modestiâ corripientem eos qui resistunt veritati*; modestè corrigentem eos qui diversa sentiunt. Ita Ambrosius; q. d. : Episcopus et doctor leniter corripiat eos qui sibi docenti contradicunt.

Nequando Deus det illis pœnitentiam; si quando, vel, si fortè det iis Deus pœnitentiam, *ad cognoscendam veritatem*. Pœnitentiam intellige de errore et infidelitate quâ detinebantur.

Vers. 26. — *Et resipiscant à diaboli laqueis*, etc. Homo, divinæ gratiæ auxilio perdito per peccatum,

id est, diaboli. Alii volunt, ad voluntatem Dei, id est, quamdiù voluerit Deus; ideòque modestè corrigendi; si fortè Deus misereatur, et pœnitentiam inspiret, et vincula captivitatis frangat.

non quod vult ipse, sed quod diabolus vult, agit et operatur, inquit Chrysostomus. Sensus est illos veritatis adversarios à diabolo teneri captivos, ad Dei voluntatem, id est, quamdiù Deus voluerit; cujus voluntati nec diabolus resistere potest; ideòque cum modestiâ corripiendos esse, si fortè Deus misereatur, et pœnitentiam illis inspiret, ac vinculum duræ captivitatis solvat.

Corallarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

1° Omnis Ecclesiæ Dei minister assumat, velut sibi dictum, quod in primis septem versibus Apostolus Timotheo dicit: *Tu ergo, fili mi, confortare in gratiâ quæ est in Christo Jesu,* seu quæ tibi per Christum in ordinatione tuâ collata est; pro Evangelio patere fortiter, ut miles, v. 3; pugna legitimè sicut athleta, v. 5; agrum Christi diligenter excole, sicut agricola, v. 6. Vide in commentario dicta et observationes morales in v. 1, 2, 3, 4, 5, 6. Ibidem vide quòd hoc omnibus etiam Christianis suo modo convenit.

2° Ut hæc alacriter præstes, tria sæpè cogita: primum, Christi Domini à mortuis suscitati gloriam, *sedet ad dexteram majestatis;* secundum, S. Pauli, sanctorum apostolorum, sanctorum antistitum et Dei ministorum exempla: *Fortes facti sunt in bello, vicerunt regna, adepti sunt repromissiones;* tertium, æternam gloriam Christi et sanctorum imitatoribus promissam.

Insculpe itaque menti tuæ has aureas, et æternâ memoriâ dignas sententias: *Si commortui sumus, et convivemus,* v. 11; *si sustinebimus, et conregnabimus; si negaverimus, et ille negabit nos,* v. 12; *si non credimus, ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest,* v. 13. Vide in commentario dicta et observationes morales in v. 11 12, 13. Ibidem, v. 14, in observatione morali, vide has easdem veritates ab omnibus Christianis seriò perpendendas, quia ab eis maximè pendet noster in Christianismo profectus.

3° A versibus 15, 16, 22, 23, 24, 25, Ecclesiæ Dei minister modum discat quo fiat bonus et Deo gratus operarius; quæ vitia fugere, quas virtutes sectari debeat. Notet speciatim, v. 15, tria monita omni concionatori necessaria.

4° A v. 17 agnoscamus quantum malum sit hæresis, et quàm perniciosum, cùm D. Paulus tot modis et toties illius nobis horrorem incutiat.

Primæ ad Timotheum cap. 4, v. 1, 2, hæresim descripsit, ut dæmonorium doctrinam; cap. 6, v. 4, 5, depingit eam ut morbum pestiferum; ibidem hæreticos vocat homines mente et corde corruptos; hìc autem, v. 17, hæreticum sermonem ait instar gangrænæ aut canceris serpere. Juxta mentem D. Pauli horreamus hæresim, hæreticos fugiamus, caveamus ab hæreticorum colloquiis.

5° A v. 20 discamus non turbari ob aliquorum lapsus, sicut non turbamur si in magnâ domo aliqua vasa frangantur. A v. 21 discamus de nullius unquàm peccatoris salute desperare, quia potest per pœnitentiam emundari et reparari.

CAPUT III.

1. Hoc autem scito quòd in novissimis diebus instabunt tempora periculosa:

2. Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti,

3. Sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate,

4. Proditores, protervi, tumidi, et voluptatum amatores magis quàm Dei;

5. Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita;

6. Ex his enim sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis:

7. Semper discentes, et nunquàm ad scientiam veritatis pervenientes.

8. Quemadmodùm autem Jannes et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.

9. Sed ultra non proficient; insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit.

10. Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem patientiam,

CHAPITRE III.

1. Or, sachez que dans les derniers jours, il viendra des temps fâcheux;

2. Car il y aura des hommes personnels, avares, glorieux, superbes, médisants, désobéissants à leurs pères et à leurs mères, ingrats, impies,

3. Dénaturés, ennemis de la paix, calomniateurs, intempérants, inhumains, sans affection pour les gens de bien,

4. Traîtres, insolents, enflés d'orgueil, et plus amateurs de la volupté que de Dieu.

5. Qui auront une apparence de piété, mais qui en ruineront la vérité et l'esprit. Fuyez donc ces personnes.

6. Car de ce nombre sont ceux qui s'introduisent dans les maisons, et qui traînent après eux, comme captives, des femmes chargées de péchés, et possédées de diverses passions,

7. Lesquelles apprennent toujours, et n'arrivent jamais jusqu'à la connaissance de la vérité.

8. Car comme Jannès et Mambrès résistèrent à Moïse, ceux-ci de même résistent à la vérité. Ce sont des hommes corrompus dans l'esprit, et pervertis dans la foi.

9. Mais le progrès qu'ils feront aura ses bornes, car leur folie sera connue de tout le monde, comme le fut alors celle de ces magiciens.

10. Quant à vous, vous savez quelle est ma doctrine, quelle est ma manière de vie, quelle est la fin que je me propose, quelle est ma foi, ma tolérance, ma charité, et ma patience;

11. Persecutiones, passiones; qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii et Lystris; quales persecutiones sustinui, et ex omnibus eripuit me Dominus.

12. Et omnes qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.

13. Mali autem homines et seductores proficient in pejus, errantes et in errorem mittentes.

14. Tu verò permane in iis quæ didicisti et credita sunt tibi; sciens à quo didiceris :

15. Et quia ab infantiâ sacras litteras nôsti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu.

16. Omnis scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ.

17. Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

11. Quelles ont été les persécutions et les afflictions qui me sont arrivées, comme celles d'Antioche, d'Icone et de Lystres; combien grandes ont été ces persécutions que j'ai souffertes; et comment le Seigneur m'a tiré de toutes.

12. Car tous ceux qui veulent vivre avec piété en Jésus-Christ seront persécutés.

13. Mais les hommes méchants et les imposteurs se fortifieront de plus en plus dans le mal, étant dans l'erreur, et y faisant tomber les autres.

14. Quant à vous, demeurez ferme dans les choses que vous avez apprises, et qui vous ont été confiées, sachant de qui vous les avez apprises;

15. Et considérant que vous avez été nourri dès votre enfance dans les lettres saintes, qui peuvent vous instruire pour le salut par la foi qui est en Jésus-Christ.

16. Toute écriture qui est inspirée de Dieu est utile pour instruire, pour reprendre, pour corriger, et pour conduire à la justice :

17. Afin que l'homme de Dieu soit parfait et disposé à toutes sortes de bonnes œuvres.

ANALYSIS.

1° *Prædicit falsos in novissimis temporibus exorituros doctores, quorum mores impios ad vivum depingit*, v. 1, 2, 3, 4, 5.

2° *Indicit Timotheo ut hos fugiat, quia jam aliqui tales existunt, qui domos alienas obrepunt, et mulierculas peccatis oneratas seducunt.*

Hi Evangelio quidem contradicunt, sicut olim Jannes et Mambres Moysi restiterunt; at illorum, sicut horum, impostura brevi detegetur, 5, 6, 7, 8, 9.

3° *Timotheum hortatur ut doctrinam retineat quam ab eo didicit, magistrique sui sequatur exemplum, et speciatim patientiam in persecutionibus; omnes enim qui piè volunt vivere, persecutiones patientur*, v. 10, 11, 12, 13, 14, 15.

4° *Ipsum excitat ad studium sacræ Scripturæ, quæ utilis est ut perfectus sit homo Dei, et ad omne bonum opus apparatus.*

PARAPHRASIS.

1. Ne mireris quod de Hymenæo et Phileto dixi; etenim scias velim quòd posthàc, in diebus etiam proximè futuris, tempora erunt ad salutem periculis plena.

2. Erunt enim homines sui solum amatores, avari, fastuosi, superbi, blasphemi, parentibus rebelles, ingrati, impii, et ad omne scelerum genus effusi.

3. Omnem naturalem affectum exuti, fœdifragi, calumniatores, concupiscentiæ subditi, feri et inhumani, bonorum osores.

4. Proditores amicissimorum, petulantes, typho superbiæ tumidi, voluptatum longè amantiores quàm Dei; seu quorum deus venter est.

5. Larvam quidem pietatis et reverentiæ Dei præ se ferentes; veritatem verò pietatis operibus abnegantes, et hos aversare.

6. Jam enim sunt aliqui ex eis qui in alienas subrepunt domos, et falsis suis doctrinis, quasi laqueis captas mulierculas, ita sibi faciunt obnoxias, ut quasi captivas abducant quòcumque voluerint, peccatis oneratas, et variis circumactas concupiscentiis.

7. Semper discendi cupidas, sed quæ nunquàm ad veritatis scientiam perveniunt.

8. Sicut autem magi Jannes et Mambres divinæ Moysis potestati restiterunt, ita illi nunc evangelicæ resistunt veritati; homines mente et corde corrupti, et ideò circa fidem errantes.

9. Sed diù non proficient in seductione hominum, quia brevi insipientia seu impostura eorum omnibus detegetur, ad ipsorum confusionem, sicut accidit Janni et Mambre.

10. Tales quidem illi; tu autem (utpote qui apud me diù permansisti) planè nôsti quòd tales non sumus; cognovisti doctrinam meam, mores meos, scopum et finem meum, fidei meæ sinceritatem, meam erga omnes lenitatem, charitatem, patientiam.

11. Vidisti persecutiones et ærumnas quas pertuli; nôsti quas passus sum Antiochiæ, Iconii et Lystris; quas et alias non minùs graves persecutiones sustinui, sed ex quibus omnibus Dei potentiâ liberatus sum.

12. Sed quid de me dico? omnes enim qui piè, juxta Christi præscriptum, vivere volunt, persecutionem patientur.

13. Homines autem vitiis dediti et subdoli impostores liberè indulgent impietati suæ; et in eâ, nemine reclamante, crescent magis ac magis, seducentes et seducti.

14. Tu verò constanter persiste in iis credendis et prædicandis quæ à me didicisti et quæ tibi commisi ut ea serves et promulges, memor à quo magistro ea didiceris.

15. Memor et quòd ab infantiâ edoctus es sacras litteras, quæ (mei loco) te possunt instruere ad salutem, per fidem in Christum Jesum, ad quem ducunt.

16. Siquidem omnis scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendam veritatem fidei, ad refellendos errores ei contrarios, ad corrigendos mores depravatos, ad instituendum ad vitæ sanctimoniam.

17. Ut (per sacræ Scripturæ studium) perfectus evadat homo Dei, salutis animarum curator, et ad omnem officii sui partem comparatus.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Hoc autem scito... His et sequentibus verbis continetur prophetia quâ D. Paulus Timotheum et alios sub ejus nomine episcopos præmonet simul et præmunit ad vitandos et refellendos hæreticorum errores; quasi diceret : Ne mereris quæ de Hymæneo et Phileto, supra, v. 17, dixi, quòd à veritate excide-rint, factique errorum magistri, quorumdam fidem subverterint; etenim scire te volo, teque præmoneo quòd non longè absunt, sed instant tempora dura, acerba, difficilia, periculis plena, χαιροὶ χαλεποὶ, *pessima,* ait D. Chrysostomus, scilicet ob corruptos ho-minum mores; seu quia homines erunt mali, corrupti, pessimi, quales in sequentibus describuntur.

Per novissimos dies non intelliguntur hìc ultima tantùm mundi, seu Antichristi tempora; sed etiam instantia, proximè et Timotheo adhuc vivente, fu-tura, ut patet ex v. 5, ubi dicitur ei : *Et hos devita.* Totum itaque tempus, à Christo usque ad finem mun-di, est tempus novissimum, juxta illud Joan. primæ 2, 18 : *Filioli, hora novissima est,* id est, novissimum tempus, ultima ætas mundi; novissimus Ecclesiæ status; ultima lex et religio, cui nulla succedet alia.

Vers. 2. — Et erunt; Græc., *erunt enim;* itaque *et* est causalis conjunctio, significans idem ac *quia ;* Romana non habent *et.*

Et erunt homines seipsos amantes, Græc., *sui ama-tores,* id est, suî tantùm amatores, ait Ambrosius; idem ac *quærentes quæ sua sunt.* Φίλαυτος, ille est qui se solum amat, ait Theophylactus. Et hæc est malo-rum radix, seipsum solum amare. Sicut ex charitate omne bonum, sic ex philautiâ, utpote charitati op-positâ, omne malum : nam charitas est lata, id est, sese dilatat et diffundit in Deum et proximum ; phi-lautia verò latitudinem ejus in arctum constringit et in unum tantummodò contrahit, scilicet in seipsum, Theophylactus post Chrysostomum. Φίλαυτος est quasi suî idololatra, omnia ad se refert, propter se facit, ad se, quasi ultimum finem, ordinat. Hinc omnis inor-dinatio.

Cupidi, Græc., *pecuniæ amatores,* id est, avari. Postquàm radicem dixit, infert specialim ab eâ enatos ramos, quorum primus et maximus est avaritia, Theophylactus. Ab amore suî oritur amor divitiarum, tanquàm medii et instrumenti generalis quo sibi sa-tisfacere possit amor proprius, terrenisque frui deli-ciis. Omnibus exterioribus bonis abutitur ad suum commodum, suamque gloriam.

Elati, id est, fastuosi, jactabundi. Hæc elatio seu fastuositas est species superbiæ, quâ quis vult singu-lariter videri supra omnes, ait D. Thomas hìc. Et hæc elatio est fœtus amoris suî ipsius, fructusque divitiarum quibus abutitur amor proprius ad fastum, ad luxum, ad omnem vanitatem.

Superbi, omnes alias, præter elationem supradi-ctam, intellige superbiæ species : v. g., omnia sibi tanquàm debita, arrogare : seipsum æstimare, cæte-ros contemnere, dominatum ambire, subjici nolle. Et hìc est naturalissimus philautiæ fœtus.

Blasphemi, in Deum, ait D. Chrysostomus; qui enim contra homines sese effert, facilè in Deum im-pius est, idem Chrysostomus et Theophylactus. Alii vertunt, *maledici contumeliosi.* Vox Græca utrumque significat, sive in Deum, sive in homines blasphe-mum. Ordo tamen hìc postulare videtur ut blasphe-mia in Deum intelligatur.

Parentibus..., intellige et suis superioribus, re-belles. Et hæc inobedientia sicut et præcedens blas-phemia, sunt summæ superbiæ fructus.

Ingrati, erga Deum et parentes; hoc sequitur ex dictis. Sed nota quòd ingrati cum impiis et sceleratis hìc copulentur; hincque conjice ingratitudinis enormitatem.

Scelesti, id est, nefarii, ad omne scelerum genus effusi, qui, nullâ recti et sancti ratione habitâ, per-petrant fœda quæque. Syr. vertit : *Impii,* similiter et Ambrosianus. Sic amor suî per superbiam, impieta-tem, inobedientiam et ingratitudinem devenit tan-dem ad irreligionem et ad atheismum.

Vers. 3. — Sine affectione, qui omnem natura-lem affectum exuunt, nulloque tanguntur amoris af-fectu etiam erga proximos naturaliter charos, v. g., pa-rentes, liberos, cognatos; quasi insensibiles et barbari.

Sine pace, fœdifragi, perfidi, cum aliis pacificè vivere nescientes, sine fœdere. Potest etiam verti, *implacabiles,* quique nulli reconciliantur unquàm.

Criminatores, Græc., *diaboli,* id est, calumniato-res, seu qui proborum innocentiam suis vexant ca-lumniis. Hoc diabolicum, hoeque cacodæmonum est.

Incontinentes, id est, voluptuosi, gulâ, ventre, etc. Syr. : *Concupiscentiæ subditi.*

Immites, id est, inhumani, feri, bestiarum more.

Sine benignitate, Græc., *bonos non amantes;* Syr., *osores bonorum.* Theophylactus, *omnis boni hostes.*

Vers. 4. — Proditores, amicorum et sodalium.

Vers. 1. — *Hoc autem scito,* etc., *in novissimis,* id est, in sequentibus, atque adeò jam incipientibus temporibus erunt periculosi dies. Novissima ergo tempora hìc vocat ea quæ à suo tempore decursura et secutura erant usque ad finem mundi.

Vers. 2. — *Erunt homines seipsos amantes,* id est, suî amantes, suæ gloriæ, lucris, commodis studentes. Amor suî omnium malorum est origo. *Cupidi,* id est, amantes pecuniarum, avari. *Elati,* id est, fastuosi, arrogantes, jactabundi. *Superbi, blasphemi,* maledici seu contumeliosi. *Parentibus non obedientes, ingrati, sceiesti,* id est, profani, nefarii, sive impii.

Vers. 3. — *Sine affectione,* sine visceribus compas-sionis, sine pietate. *Sine pace,* id est, sine fœdere, ubique pacem turbantes. *Criminatores,* id est, calu-mniatores. *Incontinentes,* id est, intemperantes, scilicet gulosi et luxuriosi. *Immites,* inhumani et feri bestia-rum more. *Sine benignitate,* q. d. : Non amici bonis, bonorum inimici, id est, non amantes bonos.

Vers. 4. — *Proditores,* amicitiæ desertores. *Pro-tervi,* id est, leves et instabiles. *Tumidi,* id est, inflati præ superbiâ, qui sibi placent, et alios despiciunt.

Et voluptatum amatores magis quam Dei. Notat Theophyl. eos qui amant corporis voluptates, non posse affici Deo et rebus divinis. Voluptatem vicisse voluptas est maxima; nec ulla major est victoria quàm

PROTERVI, id est, præcipites, temerarii, petulantes, procaces.

TUMIDI, scilicet typho superbiæ, vanâque de se opione inflati.

VOLUPTATUM AMATORES MAGIS... Necessariò hoc sequitur, ait Theophylactus; ubi enim est hujus mundi voluptatum amor, illic divinum desiderium non est. Hoc idem significat ac *quorum deus venter est.*

VERS. 5. — HABENTES SPECIEM, id est, larvam, imaginem similitudinem externam, reverentiæ Dei, cultûs divini; reipsà autem, VIRTUTEM, id est, veritatem, factis ABNEGANTES.

Pietatem simulant quidem, sed reverà non habent; imò factis suis eam abnegâsse videntur. Verbis affectant quod opere et moribus negant.

Observatio moralis.

Quis non horreat funestam hanc vitiorum concatenationem, ab amore suî, tanquàm annulorum primo, exortam? Quis hunc igitur amorem suî, vitiorum omnium radicem, non exhorreat magis? Sicut à charitate, virtutum reginâ, omne bonum omnisque virtus, sic à philautiâ, vitiorum radice, omne malum omnisque infelicitas. A charitate civitas Dei, à philautiâ civitas diaboli: etenim, ait D. August., civitas Dei incipit et constituitur ex amore Dei, et crescit ad odium suî ipsius: civitas verò diaboli incipit ab amore suî, et crescit usque ad odium Dei, per contemptum proximorum; Aug., initio lib. de Civitate Dei.

Deus charitas! Deus ignis consumens! Deus æmulator! cor meum in tuî charitate succende, ut hoc tuî amoris igne succensus, te diligam, memetipsum odio habeam; te verè colam, me verè contemnam: et per hunc meî contemptum et odium, per tuî amorem et cultum, fiam civitas et habitatio tua.

ET HOS DEVITA; Græc., *aversare;* Syr., *repelle à te;* quasi diceret: Tales jam existunt aliqui, quales descripsi; hos fuge, aversare, quin et adversare. His verbis omnes adhortatur, ut tales fugiant, ait D. Chrysostomus, ne corrumpant.

VERS. 6. — EX HIS ENIM SUNT QUI PENETRANT... Ex his quidam in alienas obrepunt domos, et suis lenociniis et falsis doctrinis, quasi laqueis, captas mulierculas, sic obnoxias sibi faciunt, ut velut captivas abducant quòcumque voluerint.

Nota MULIERCULAS, ut indicet non omnes mulieres, sed leviores tantùm et inconstantiores.

ONERATAS PECCATIS; Syr., *obrutas peccatis,* id est, magno peccatorum numero prægravatas, sive ab ipsis earum magistris, qui eas suis erroribus corruperunt; patet enim ex Epistolâ ad Titum, quòd doctrinis falsis domos subvertebant, cap. 1, v. 11; sive à semetipsis, quæ Christum professæ, vitam egerunt non christianam, sed paganam et carnalem.

QUÆ DUCUNTUR... Græc., *actas,* DESIDERIIS VARIIS, id est, variis circumactas concupiscentiis, aguntur tanquàm brutæ, ait Theophylactus. His in verbis nota duo: primum, cum D. Hieronymo, quòd per mulieres propagari cœperunt omnes hæreses; Epist. ad Ctesiphon., tom. 2. Citatur à Cornelio à Lapide. Secundum, cum Theophylacto, quòd mulierum sit decipi, at præsertim, si peccatis sint oneratæ. Qui enim nullius sibi boni conscius est, pravis doctoribus citò obtemperat, ait Theophylactus.

VERS. 7. — SEMPER DISCENTES... Patet ex Græco quòd de mulieribus id dicatur: semper discendi cupidas, seu quæ semper fingunt se velle instrui, et salutis viam addicere, sed quæ nunquàm ad veritatis scientiam perveniunt: quia nimirùm peccatis obrutæ, et variis cupiditatibus actæ, hinc illarum mens excæcata est, ait Theophylactus. Addi potest, et quia falsarios et errones consulunt.

VERS. 8. — QUEMADMODUM AUTEM JANNES... Solet cum frumento nasci lolium. Adversarios semper habuerunt prædicatores veritatis. Quid Moyse in pietate illustrius? et tamen ille habuit viros præstigiatores, qui veritati apertè repugnabant, Theodoretus.

JANNES ET MAMBRES, duo præcipui magorum Pharaonis, qui in Exodo, cap. 7, v. 11, narrantur restitisse Moysi, et cum eo certâsse in portentis edendis. D. Paulus eorum nomina didicit vel ex traditione, vel ex revelatione; nullibi enim in Scripturâ nominantur.

HOMINES MENTE CORRUPTI, id est, qui mentis judicium vitiosis affectibus corruptum habent. Hinc circa

ea quæ de cupiditatibus refertur. Qui enim hostem vicit, fortior fuit, sed altero; qui verò libidinem repressit, seipso fortior fuit, ait Cyprianus.

VERS. 5. — *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Sensus est: Verbis et cultu præ se ferunt pietatem quam in veritate non habent, imò à quâ sunt usque adeò alieni, ut abnegâsse eam et abjurâsse videantur. *Speciem pietatis,* hoc est, formam et speciem religionis, ut videantur ejus velle inducere reformationem, seque vocent reformatæ religionis, etc. *Virtutem,* id est, vim et rem, puta pietatem ipsam quam simulant, non habent, nec operibus ostendunt, sed *abnegant,* profitentur se Christianos, cùm sint et nequissimi opere, et sensu perversi, inquit Ambrosius.

Et hos devita, id est, aversare.

VERS. 6. — *Ex his enim sunt qui penetrant* (id est, subeunt et irrepunt) *domos.* Notatur eorum impudentia, qui callidè sese insinuant et ingerunt in alienas familias, ventris causâ. *Et captivas ducunt mulierculas,* id est, doctrinis suis faciunt eas sibi tam obnoxias, ut velut captivas quòlibet ducere videantur.

Oneratas peccatis, hoc est, magno peccatorum acervo gravatas ac depressas. *Quæ ducuntur variis desideriis, oneratas,* id est, accumulatas et cumulo peccatorum obrutas, quæ quasi bruta aguntur variis desideriis curiositatis, novitatis, gloriæ, deliciarum, ornatûs, luxuriæ.

VERS. 7. — *Semper discentes,* etc., id est, pervenire valentes, quia hoc demùm discebant quod docebantur, magistri verò earum non vera docebant, sed falsa, superstitiosa et impia. Quare ipsæ eorum discipulæ non veritatem hauriebant, sed errores.

VERS 8. — *Quemadmodùm autem Jannes et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati.* Nota. Hæc sunt nomina duorum magorum Pharaonis, qui

fidem errant. Ex primo, secundum; ex cordis corruptione, fidei naufragium. Mens incorrupta fidem admittit, corrupta verò respuit, ait Theophylactus.

VERS. 9. — SED ULTRA NON PROFICIENT... : Græc. *Non proficient ampliùs*, id est, diù non proficient in seductione hominum, seu non multos decipient ampliùs, quia brevi illorum insipientia et impostura detegetur et in confusionem adducentur, sicut accidit Janni et Mambræ. Impostura ad tempus; veritas autem in æternum stat.

VERS. 10. — TU AUTEM ASSECUTUS ES.... Hæreticorum erroribus et pravis moribus suam opponit doctrinam et vitam, quas sequatur Timotheus; quasi diceret : Tales quidem sunt illi; nos verò, ut planè nôsti, tales non sumus; apud me non fuisti tantùm, sed et longo tempore permansisti. Hinc *assecutus es* MEAM DOCTRINAM, seu quam prædico;

INSTITUTIONEM, meam vivendi rationem, mores meos; puri sunt, sine lucro, sine avaritiâ;

PROPOSITUM, id est, scopum et finem quem mihi in prædicatione et in omnibus meis propono, scilicet gloriam Dei et salutem proximi :

FIDEM, id est, sinceritatem et constantiam fidei meæ;

LONGANIMITATEM, id est, lenitatem, tum erga persecutores, fidei hostes; tum erga fratres, in eorum ferendis infirmitatibus;

DILECTIONEM, erga omnes.

PATIENTIAM, in adversis quibuscumque. Apostolicas virtutes, discipulum suis Paulus docet exemplis. Et tu, vir apostolice, eas, cum Timotheo discas à Paulo doctrinæ sanitatem, vitæ sanctitatem, intentionum puritatem, fidei firmitatem, infirmiorum tolerantiam, erga omnes indefectibilem charitatem, in omnibus malis invictam patientiam.

VERS. 11. — PERSECUTIONES, PASSIONES..., id est, vidisti persecutiones et ærumnas quas pertuli.

QUALIA MIHI FACTA SUNT ANTIOCHIÆ, in Pisidiâ. Vide Act. 13, v. 45 et 50, ubi vi ejectus Paulus.

ICONII. Vide Act. 14, v. 2, 4, 5, 6, ubi facta est conspiratio ut Paulum lapidarent.

LYSTRIS. Vide Act. 14, v. 18; ibi reverà Paulus lapidatus est, et mortuus reputatus.

QUALES PERSECUTIONES SUSTINUI, id est, vidisti has et alias non minùs graves persecutiones, quas pro Christo pertuli. Scis qualiter eas toleraverim. Timotheum Paulus docet exemplo suo christianum patiendi modum.

ET EX OMNIBUS ERIPUIT..., id est, Dei potentiâ liberatus sum. Discipulum suum audentiorem reddit, et eum fiduciam docet in Deum. Hæc omnia etiam tua, sicut et Timothei, sint doctrina.

VERS. 12. — ET OMNES QUI PIÈ ; Syr., *cum timore Dei*, id est, utquid de me loquor? hoc mihi singulare non est, sed commune omnibus Deum piè et religiosè colentibus.

IN CHRISTO JESU, id est, juxta Christi præscriptum. *Omnes*, ut plurimùm, *persecutionem*, dolores et ærumnas *patientur*, seu ab infidelibus et hæreticis, seu ab invidis et malis, quibus displicet virtus; aliquando ab amicis et à cognatis; aliquando ab ipso Deo, ita ordinante ut tentet et virtutem perficiat; à dæmone, ait Theodoretus; communis enim hostis, vel per homines cum hominibus, vel per proprias cogitationes cum eis bellum gerit. Idem Theodoretus. *Tentatio est vita hominis*, ait Job; at speciatim Christiani vita, quia participatio passionum et opprobriorum Christi, in cujus morte baptizatus seu regeneratus est. Hoc ipse Christus suis prædixit discipulis. *Non est discipulus super magistrum, si me persecuti sunt, et vos persequentur*, Matth. 10, 24; Joan. 15, 20. Nefas est pugilem Dei vacare deliciis, etc.; aliud est quietis tempus; hoc ærumnis et sudoribus est deputatum, D. Chrysostomus. Christus ipse prior pro te passus est, cur ergo pati non vis, si vis Christum sequi? ait D. Athanasius? Qui angustum iter ingreditur, necessariò premitur, ait Theophylactus. Christianismus autem est arcta via, quæ ducit ad vitam. Hinc necessarium ut Christianus patiatur, vel ab aliis, vel à semetipso, per sui abnegationem.

VERS. 13. — MALI AUTEM HOMINES, id est, homines vitiis dediti, in scipsis mali.

ET SEDUCTORES, id est, subdoli impostores, seu aliorum seductores.

in Exodo narrantur Moysi restitisse, et cum eo in miraculis et portentis edendis certâsse.

Homines corrupti mente, id est, qui mentis judicium vitiosis affectibus corruptum habent ac depravatum.

Reprobi circa fidem, ut nimirùm fidem pariter abjicerent, reprobarent, corrumperent, fierentque hæretici, imò hæresiarchæ.

VERS. 9. — *Sed ultra non proficient*, in suâ videlicet hypocrisi et fictâ pietatis specie ac larvâ, quin ea detegatur, deprehendatur et prodatur eorum fraus et falsitas.

Insipientia, id est, amentia, *enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit*, scilicet magorum Jannæ et Mambræ. Omnis error non diù consistit, quin tandem ejus fallacia et falsitas pateat, et instar fumi evanescat.

VERS. 10.— *Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum*, id est, ita mihi fuisti perpetuus comes et actionum socius, ut omnia mea tibi perspecta sint; ac proinde in me habeas quod sequaris et imitandum sumas. Nôsti quæ mea fuerit *doctrina*, quàm integra et sincera. Nôsti *meam institutionem*, id est, vivendi modum ac rationem. Nôsti etiam *propositum meum*, id est, finem et scopum quem mihi meæque evangelizationi proposui, scilicet ut Christi fidem et gloriam toto orbe per omnes gentes propagarem.

Fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam. Nôsti insuper, inquit, *fidem meam*, id est, animi constantiam ac fiduciam in rebus agendis. Item *longanimitatem* seu lenitatem erga persecutores et veritatis adversarios. *Dilectionem* erga quoscumque. *Patientiam* in tolerandis adversis.

VERS. 11, 12.— *Persecutiones, passiones....; et omnes, qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*, ab hominibus sive christianis, cognatis et amicis, sive ab infidelibus et hæreticis, sive ab invidis aliisque perversis et improbis. *Piè vivunt in Christo*, qui Deo serviunt in fide Christi.

VERS. 13. — *Mali autem homines et seductores*, etc.,

PROFICIUNT IN PEJUS. Syrus : *Addent ad malitiam suam*, errantes, inducentesque in errorem ; Græc., *seducti et seducentes*. Proficiunt ergo dupliciter, in pejus errando, et magis seducendo. Ideò duplicis pœnæ rei, et quòd ipsi non acquieverint veritati, et quòd alios à veritate abstraxerint et in errorem miserint.

Hic versus non contradicit versiculo 9, ubi dictum est : *Ultra non proficient* : nec enim de iisdem personis agitur in hoc et illo versu. Vers. 9 agitur de quibusdam qui tunc erant, et qui per suam hypocrisim alios decipiebant ; sed quorum impostura brevi erat detegenda, sicut magorum Jannis et Mambræ impostura per Moysem fuit detecta. Hic autem agit de malis in genere, sicut in v. 12 egit de bonis in genere ; quasi diceret : Pii patientur persecutiones, mali autem sunt in otio et quiete, et liberè proficiunt in impietate suâ, ait Chrysostomus. Reverà tamen non proficient diù, quia, ut dictum est, impostura tantùm ad tempus, veritas verò stabit in æternum.

VERS. 14. — TU VERÒ PERMANE, id est, te verò nulla vis tentationis à sancto proposito dimoveat ; sed constanter permane in iis credendis et prædicandis, etc. Vide paraphrasim.

SCIENS A QUO DIDICERIS.

Duas allegat causas ob quas Timotheus fidelis permaneat : primam ab auctoritate magistri ductam : *Sciens à quo didiceris*, id est, memor esto à quo magistro ea didiceris, scilicet ab Apostolo, quem Christus ipse docuit in cœlo. Itaque quasi ab ipso Christo Jesu glorioso, et in cœlis regnante edoctus es. Hujus et nos honoris cum Timotheo participes sumus, si D. Pauli doctrinam suscipiamus et sequamur.

VERS. 15. — ET QUIA AB INFANTIA ; Græc., *à puero* ; Syr., *à pueritiâ tuâ*. Secundam à diuturnitate educationis in christianâ religione ; non enim nuper aut à paucis diebus, sed ab infantiâ edoctus es sacras Scripturas, curante piâ matre tuâ Eunice, et aviâ Loide, cap. 1.

QUÆ TE POSSUNT INSTRUERE ; Græc., *sapientem reddere*, id est, doctum efficere ad salutem.

PER FIDEM QUÆ EST IN CHRISTO JESU, id est, per fidem in christum, quem docent et ad quem ducunt. *Finis enim legis Christus*. D. Paulus jamjam moriturus discipulum suum ad sacras mittit Scripturas, quibus sapientior evadat ; quasi diceret, ait D. Chrysostomus : *Jam delibor*, ad martyrium accingor ; at loco mei sacras habes Scripturas, *quæ te possunt instruere*. Si autem Timotheo, sancto Spiritu pleno, ista scribit, quantò magis nobis dicta putare debemus ! Idem D. Chrysostomus. Hæc ergo tanquàm nobis dicta suscipiamus.

VERS. 16. — OMNIS SCRIPTURA DIVINITUS INSPIRATA UTILIS EST... ; Græc. : *Omnis scriptura divinitùs inspirata et utilis est*. Vis tacita in καὶ, *et*, ait Erasmus : scilicet Scriptura est divinitùs inspirata, et eadem est utilis, etc. Itaque duo dicit Apostolus : primum, quòd Scriptura sit à sancto Spiritu inspirata ; secundum, quòd sit utilis, etc.

AD DOCENDUM ; Græc. et Syr., *ad doctrinam*, id est, ad docendum veritatem fidei, eam ignorantes.

AD ARGUENDUM ; Græc., *ad redargutionem* ; Syr., *ad correctionem*, id est, ad redarguendos errores eorum qui veritatem fidei impugnant, eosque falsitatis convincendum.

AD CORRIPIENDUM ; Græc., *ad correctionem* ; Syrus, *ad directionem*, id est, ad corrigendam morum corruptelam, seu, ut ait Ambrosianus, ad redintegrationem, quâ scilicet fideles à christianâ vitâ aberrantes corriguntur, et pristinæ sanctitati restituuntur.

AD ERUDIENDUM IN JUSTITIA ; Græc., *ad eruditionem quæ in justitiâ* ; Syrus simili modo, id est :

AD ERUDIENDUM, seu quâ erudias alios ad omnem vitæ sanctimoniam. Quatuor sunt præcipua doctoris evangelici officia : primum, docere veritatem fidei ; secundum, refellere errores fidei contrarios ; tertium, admonitionibus et correptionibus depravatos mores redintegrare ; quartum, instituere ad justitiam, seu ad vitæ sanctimoniam. Ad hæc quatuor utilis est Scriptura.

VERS. 17. — UT PERFECTUS SIT HOMO DEI, id est, ita ut per illius studium perfectus sit homo Dei, id est, episcopus, propheta, doctor, apostolicus homo.

AD OMNE OPUS BONUM INSTRUCTUS, id est, apparatus ad quatuor supra dicta doctoris evangelici munia.

Observationes dogmaticæ et morales.

Utilis igitur est sacra Scriptura viro Dei, seu episcopo, seu doctori evangelico, ad omnem officii sui partem implendam ; imò illi necessaria est ; non enim sine illâ perfici potest, ait D. Chrysostomus. Non ideò omni prorsùs Christiano necessaria nec utilis ; Ecclesiæ judicio relinquitur quibus personis

id est, in errorem seducentes, et errore seducti. Ita duplici nomine pœnas dabunt, et quòd ipsi non acquieverunt veritati, et quòd alios ab eâ retraxerunt.

VERS. 14. — *Tu verò permane in iis quæ didicisti*, etc. *Credita*, id est, commissa sunt tibi quasi episcopo conservanda et promulganda.

VERS. 15. — *Et quia*, etc., *per fidem quæ est in Christo Jesu*, id est, per fidem quâ in Christum creditur ; q. d. : Sacræ Litteræ instruunt te ad salutem hoc ipso quo docent credendum esse in Christum, et per fidem Christi, ejusque sacramenta et præcepta à Christo, et ad id instituta nos justitiam et salutem consequi debere.

VERS. 16. — *Omnis scriptura divinitùs inspirata*, etc. S. Spiritura utilis est, *ad docendum* scilicet, sanam doctrinam ; *ad arguendum* hæreticos ; *ad corripiendum*, id est, ad correctionem. *Ad erudiendum in justitiâ*, id est, ad omnem morum honestatem, sanctimoniam, et perfectionem.

VERS. 17. — *Ut perfectus sit homo Dei*, etc. Sentit Apostolus hominem Dei, id est, episcopum, studio Scripturæ sacræ id consequi, ut ad omne opus bonum, id est, ad omnem partem officii sui probè comparatus sit atque instructus. *Instructus*, id est, adornatus, compositus, apparatus. Innuit Apostolus, ut rectè notavit Chrysostomus, neminem sine Scripturâ

utilis sit sacra Scriptura. Nec ideò sola viro Dei sufficit : nam, cap. 2, v. 2, jubet apostolus traditiones vivâ voce acceptas teneri. Nec etiam ideò sola sufficit ad omnem circa fidei mysteria aut circa Scripturas ipsas difficultatem solvendam. Hic itaque locus nec traditionibus officit, nec tollit necessitatem judicis infallibilis in controversiis agnoscendi ; sed ex eo benè colligi potest quomodò legenda sit Scriptura : primò, ut salutis liber aspicienda ; secundò, aperienda ut in eâ de nostris instruamur officiis ; tertiò, cum fide legenda, et in eâ per fidem Jesus Christus Salvator quærendus, ut in eo crescamus, et ipse crescat in nobis usque in virum perfectum, per fidem vivam, spem firmam, charitatem operantem.

Porrò circa divinam Scripturarum inspirationem non omnes omninò conveniunt auctores : aliqui, inter quos Estius, Fromondus, etc., putant omnem sacram Scripturam sic à Spiritu sancto dictante conscriptam esse, ut non solùm sententiæ, sed et verba singula et verborum ordo et tota dispositio sit à Deo, tanquàm per semetipsum loquente ; alii, inter quos Cornelius à Lapide, putant non eodem modo Spiritum sanctum dictâsse omnes sacras litteras : Nam legem, inquit Cornelius, et prophetias, ad verbum dictavit et revelavit Moysi et prophetis historias verò et morales exhortationes quas antea vel visu, auditu, vel lectione, vel meditatione didicerant ipsi scriptores hagiographi, non fuit necesse inspirari aut dictari à Spiritu sancto, utpote cùm eas scirent et callerent, etc. Dicitur tamen Spiritus sanctus eas dictâsse, primò, quia scribentibus astitit, ne vel in puncto aberrarent à veritate ; secundò, quia eos excitavit et suggessit ut hæc potiùs scriberent quàm illa. Conceptum quidem et memoriam eorum quæ sciebant non eis ingessit Spiritus sanctus ; sed inspiravit ut hunc potiùs quàm illum conceptum scriberent. Tertiò, quia omnes eorum conceptus et sententias ordinavit, digessit et direxit Spiritus sanctus, v. g., ut hanc sententiam primo, illam secundo, aliam tertio loco, etc., collocarent, et scripto consignarent. Hanc opinionem auctor Historiæ criticæ novi Testamenti tribus capitibus 23, 24 et 25, examinat, explicat et tuetur contra doctores Lovanienses et Duacenses.

posse esse perfectum in fide et vitâ christianâ ac divinâ. Ad hanc enim utilitatem et usum à Deo data est Scriptura. S. Paulus in omni re et tentatione S. Scripturâ se armabat, et ad perfectionem instruebat, teste S. Hieronymo in ejus Epitaphio.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

1° Omnis, non modò Dei minister, sed et omnis Christianus, suæ salutis amator studiosus, attendat seriò ad funestam vitiorum concatenationem, primis quinque versibus expressam : et statim in se reflexus, examinet num et amor proprius, omnium vitiorum radix, simile quid in semetipso non produxerit ; num seipsum amans, cupidus, elatus, superbus, etc. Etenim de nostro seculo justiùs, ut puto, quàm Theodoretus de suo, dicere possumus : Existimo prædictum esse hoc tempus ; his enim malis vita nostra plena est, et pietatis speciem præ nobis ferentes, improbitatis simulacrum per opera construimus. Pro Dei amatoribus pecuniæ amatores evasimus, et animi perturbationum ac vitiorum servitutem amplectimur, ac reliqua, ut semel dicam, in nobis videre licet, quæ prædixit divinus Apostolus. Hucusque Theodoretus. Ne sit ita de nobis in posterum ; charitati, virtutum reginæ, studeamus ; philautiæ, omnium vitiorum radici, extirpandæ, continuum laborem impendamus. Vide dicta versibus 1, 2, 3, 4, 5.

2° Ab Apostolo vir ecclesiasticus discat virtutes apostolicas, v. 10, doctrinæ sanitatem, vitæ sanctitatem, intentionum puritatem, etc. Vide ibi dicta.

3° Omnis verò pius apostolici recordetur apophtegmatis : *Omnes qui piè volunt*, etc., v. 12, hujusque memor, generosè patiatur pro Christo.

4° A v. 16 vir ecclesiasticus discat quatuor doctoris evangelici munia. Ibidem, et à v. 17, discat ad hæc sacram Scripturam sibi utilem esse et necessariam. Videat et ibi quomodò legenda sit hæc sacra Scriptura.

CAPUT IV.

1. Testificor coram Deo et Jesu Christo qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius et regnum ejus ;

2. Prædica verbum ; insta opportunè, importunè ; argue, obsecra, increpa in omni patientiâ et doctrinâ.

3. Erit enim tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus ;

4. Et à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.

CHAPITRE IV.

1. Je vous conjure donc devant Dieu, et devant Jésus-Christ, qui jugera les vivants et les morts dans son avénement et dans l'établissement de son règne,

2. D'annoncer la parole. Pressez les hommes à temps et à contre-temps ; reprenez, suppliez, menacez, sans vous lasser jamais de les tolérer et de les instruire.

3. Car il viendra un temps où les hommes ne pourront plus souffrir la saine doctrine ; au contraire, ayant une extrême démangeaison d'entendre ce qui les flatte, ils auront recours à une foule de docteurs propres à satisfaire leurs désirs :

4. Et fermant l'oreille à la vérité, ils l'ouvriront à des fables.

5. Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius esto.

6. Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat.

7. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.

8. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex; non solùm autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus. Festina ad me venire citò.

9. Demas enim me reliquit, diligens hoc seculum, et abiit Thessalonicam;

10. Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam.

11. Lucas est mecum solus. Marcum assume, et adduc tecum, est enim mihi utilis in ministerium.

12. Tychicum autem misi Ephesum.

13. Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, et libros, maximè autem membranas.

14. Alexander ærarius multa mala mihi ostendit; reddet illi Dominus secundùm opera ejus:

15. Quem et tu devita, valdè enim restitit verbis nostris.

16. In primâ meâ defensione nemo mihi affuit; sed omnes me dereliquerunt; non illis imputetur.

17. Dominus autem mihi astitit et confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, et audiant omnes gentes; et liberatus sum de ore leonis.

18. Liberavit me Dominus ab omni opere malo, et salvum faciet in regnum suum cœleste; cui gloria in secula seculorum. Amen.

19. Saluta Priscam et Aquilam, et Onesiphori domum.

20. Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.

21. Festina ante hiemem venire. Salutant te Eubulus, et Pudens, et Linus, et Claudia, et fratres omnes.

22. Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen

5. Mais pour vous, veillez continuellement, souffrez constamment toutes sortes de travaux; faites la charge d'un évangéliste, remplissez tous les devoirs de votre ministère. Soyez sobre.

6. Car pour moi, je suis comme une victime qui a déjà reçu l'aspersion pour être sacrifiée; et le temps de ma mort s'approche.

7. J'ai bien combattu, j'ai achevé ma course; j'ai gardé la foi.

8. Au reste, la couronne de justice m'est réservée, couronne que le Seigneur, comme un juste juge, me rendra en ce grand jour; et non seulement à moi, mais encore à tous ceux qui aiment son avénement. Hâtez-vous de venir me trouver au plus tôt;

9. Car Démas m'a abandonné, s'étant laissé emporter à l'amour du siècle; et il s'en est allé à Thessalonique;

10. Crescent en Galatie; Tite en Dalmatie.

11. Luc est seul avec moi. Prenez Marc avec vous et l'amenez, car il peut beaucoup me servir pour le ministère de l'Evangile.

12. J'ai aussi envoyé Tychique à Ephèse.

13. Apportez-moi en venant le manteau que j'ai laissé à Troade chez Carpus, et mes livres, et surtout mes papiers.

14. Alexandre, l'ouvrier en cuivre, m'a fait beaucoup de mal; le Seigneur lui rendra selon ses œuvres.

15. Gardez-vous de lui, parce qu'il a fortement combattu la doctrine que nous enseignons.

16. La première fois que j'ai défendu ma cause, personne ne m'a assisté; mais tous m'ont abandonné. Je prie Dieu de ne le leur point imputer.

17. Mais le Seigneur m'a assisté et m'a fortifié, afin que j'achevasse la prédication de l'Evangile, et que toutes les nations l'entendissent: et j'ai été délivré de la gueule de lion.

18. Le Seigneur me délivrera de toute action mauvaise, et, me sauvant, me conduira dans son royaume céleste. A lui soit gloire dans les siècles des siècles. Amen.

19. Saluez Prisque et Aquilas, et la famille d'Onésiphore.

20. Eraste est demeuré à Corinthe. J'ai laissé Trophime malade à Milet.

21. Hâtez-vous de venir avant l'hiver. Eubule, Pudent, Lin, Claudie, et tous les frères vous saluent.

22. Que le Seigneur Jésus-Christ soit avec votre esprit. La grâce soit avec vous. Amen.

ANALYSIS.

1° *Timotheum obtestatur ad assiduam omnium pastoralium functionum adimpletionem, ut præveniat tempora mala, brevi futura, in quibus ipsi Christiani, ob morum corruptelam et mentis pruriginem, à veritate suas avertent aures, ad fabulas declinabunt, v.* 1, 2, 3, 4, 5.

2° *Mortem sibi instare prædicit; ut autem Timotheum de eâ soletur, simul et ad suî imitationem excitet,* bonum, *inquit*, certamen certavi, *etc.;* reposita est mihi corona justitiæ, *et eis qui diligunt adventum Domini, v.* 6, 7, 8, 9.

3° *Rogat ut ad se citò veniat, quia ferè solus, v.* 10, 11, *etc. In primâ suâ defensione ab omnibus derelictus;* sed Dominus adfuit illi, *v.* 16, 17.

Concludit salutationibus.

PARAPHRASIS.

1. Obtestor te coram Deo Patre, et Jesu Christo Filio ejus, qui potestate à Patre acceptâ, judicabit omnes, tum eos quos in tempore judicii reperiet vivos; tum eos qui fuerint præmortui; omnes judicabit, inquam, cùm apparebit in glorià et majestate, ut mundi monarcha.

2. Te obtestor igitur ut prædices verbum Dei, huicque operi instes cum sedulitate, tempestivè, intempestivè, docendo, arguendo, obsecrando, increpando; idque omne cum omnimodâ patientiâ, et doctrinâ sanâ.

3. Non sine causâ te sic adjuro, charissime fili; etenim tempus brevi futurum inspicio, in quo fideles ipsi sanam Evangelii doctrinam non ferent; sed velut onus grave et importabile rejicient; et juxta corrupta cordis sui desideria adsciscent sibi et multiplicabunt

magistros suis placitis benevolos; idque quia ipsi pruriunt auribus, seu quia nova, placentia et mollia cupiunt audire.

4. Hinc aures avertent ab evangelicâ veritate, ad fabulas autem convertent.

5. Ut his imminentibus malis tu te opponas, vigila continuè, labora assiduè, malaque patere; fac quod officium est evangelistæ, ministerium tuum fideliter adimple, nihilque omitte; propterea sobrius esto.

6. Eò instantiùs tuo debes officio incumbere, quò brevi nullum à me auxilium habebis; ego enim jam præparor ad mortem ut victima, instatque mortis meæ tempus.

7. Si amas, non propterea mœrebis; sed congaudebis; quippe præclarum pro Christi fide certamen certavi, cursum feliciter consummavi, fidem servavi.

8. De cætero à Deo reposita est et asservatur mihi jam penè victori corona quam justè merui, et quam Dominus Jesus Christus, ut justus Judex, mihi reddet in illâ die; et mihi non solùm, sed et iis omnibus qui diligunt et optant gloriosum illius adventum.

9. Festina ad me citò venire Romam; Demas enim me reliquit; et amore seculi victus, abiit Thessalonicam.

10. Crescens à me missus abiit in Galatiam seu Galliam; Titus in Dalmatiam.

11. Lucas solus mecum manet; Marcum Joannem assume, et adduc ad me; est enim mihi in Evangelii ministerium utilis.

12. Tychicum misi Ephesum, ut tuas suppleat vices.

13. Pallium quod Troade, apud Carpum reliqui, veniens tecum affer, et libros, et maximè scripta mea.

14. Alexander, faber ærarius, multa mala mihi intulit; reddet illi Dominus secundùm opera ejus.

15. Tu tibi ab illo cave, ne scilicet quid simile tibi faciat; valdè enim restitit nostræ prædicationi.

16. Cùm in his secundis vinculis causam meam ante Neronem primò dixi, nemo familiarium mihi adfuit; sed omnes ferè me dereliquerunt, Neronem extimescentes; hoc non illis imputetur ad peccatum, sed ignoscat Deus.

17. Dominus autem mihi fuit auxilio, mihique fiduciam et animum dedit ad mei defensionem (id ego non merui); sed ut per me impleatur Evangelii prædicatio, eamque omnes gentes audiant, ideò liberatus sum ex ore leonis.

18. Sicut à corporali leone liberavit, spero quòd et à spiritali leone, peccato scilicet, liberabit, et quòd servabit me in regnum suum, quod est in cœlis; cui sit gloria in secula seculorum.

19. Saluta meo nomine Priscam et Aquilam, et Onesiphori familiam.

20. Erastus Corinthi remansit, quibusdam negotiis retentus; Trophimum autem infirmum reliqui Mileti.

21. Festina ad me venire ante hiemem. Salutant te Eubulus et Pudens, et Linus, et Claudia, et fratres omnes.

22. Dominus Jesus Christus, per gratiam suam, sit tecum et cum omnibus Ecclesiæ tuæ fidelibus. Amen.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Testificor... In fine præcedentis capitis indicavit quatuor præcipuas episcopalis officii partes, ad quas ritè peragendas sacram Scripturam asseveravit utilem esse. Nunc majori quâ potest officaciâ Timotheum hortatur ad has omnes muneris sui partes perfectè complendas. Et propterea tremendo cum juramento obtestatur. *Testificor*, id est, rogo, obtestor et adjuro te, coram Deo, Patre scilicet; Deus enim hic sumitur personaliter, ut patet ex eo quod additur :

Et Jesu Christo, Filio ejus, id est, coram testibus eò magis à te reverendis et metuendis, quò tuæ vel fidelitatis vel negligentiæ judices erunt et vindices; quippe

Qui judicaturus est, id est, qui Jesus Christus, potestate sibi à Patre traditâ, omnes judicabit mortales, sive vivos, id est, eos qui tempore judicii reperientur vivi; qui tamen ante judicium mortem subibunt, vitæ statim restituendi; vide primam ad Thess., cap. 4, v. 15 et 16; sive mortuos, id est, eos qui præmortui reperientur quidem, sed qui tunc fient redivivi. Vide ibidem.

Per adventum ejus et regnum ejus; Græc. : *Secundùm apparitionem ipsius et regnum ejus;* Syr. : *In revelatione regni sui;* D. Chrysostomus : *In adventu suo*, qui erit cum glorià et regno. Id est, qui judicabit omnes prorsùs homines, cùm apparebit in glorià et majestate suâ, tanquàm totius mundi monarcha.

Observatio litteralis et moralis.

Hæc ergo verba : *Per adventum ejus...*, non significant quòd D. Paulus Timotheum adjuret per adventum Christi; dixisset enim Græcè, διὰ, non κατὰ. Sed indicant tempus et modum quo Christus Dominus judicaturus est orbem; et discrimen insinuant quòd futurum est inter secundum et primum adventum ejus. Non ita veniet, ut antea venit in humilitate, sed in glorià et regno, D. Chrysostomus. Equidem Christus Dominus nunc est in sinu et glorià Patris; sed divina ejus gloria nondùm omnibus apparuit. Nunc quidem regnat in cœlo, *sedetque ad dexteram majestatis*, sed nondùm omnes ejus imperio subduntur in terris, non omnes obediunt Evangelio. At tunc cùm judicaturus veniet, omnibus apparebit in glorià Dei, et in omnibus et super omnes regnabit, ut Rex universi. Omnes tunc subjicientur ei, vel liberè, vel inviti.

Vers. 1. — *Testificor coram Deo et Jesu Christo*, etc. *Vivos* intelligit ad litteram, homines scilicet qui in die judicii invenientur vivi; *mortuos*, qui ante illum diem erunt defuncti.

Adoro te, Christe, in sinu Patris latentem, teque Patris splendorem agnosco.

Adoro te, Christe, Rex mundi, meque volens et lubens tuæ subdo ditioni. Judicem te credo, te spero, te exopto venturum, non in meâ confisus justitiâ ; *nullus enim ante te justificabitur homo*, sed in tuâ unicè confisus misericordiâ. O Jesu misericors ! ô Jesu Salvator mundi ! qui venisti peccatores salvos facere, salva me miserrimum peccatorem, sed te confitentem et in te confidentem. In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.

Vers. 2. — Prædica verbum...; obtestor, inquam, te, primò, ut prædices verbum Dei, et cum sedulitate instes veritatis evangelicæ prædicationi, tempestivè, intempestivè, id est, quocumque tempore et loco. Nullum habeas tempus definitum, sed semper tibi tempus sit. Chrysostomus idem dicit de loco, in ecclesiâ, in carcere, in catenâ, ad mortem properans, prædica, veritatem doce. Secundò, ut arguas, argue, cùm videris illud fieri debere, ait Theophylactus, id est, ubi videris falsos doctores veritatem suis erroribus impugnantes ; tales, inquam, argumentis convince falsitatis. Tertiò, ut increpes et corrigas, increpa depravatos peccatorum mores, eisque, si necesse sit, pœnam et supplicium imponas, ut à peccato abstractos, sanctitati christianæ restituas. Quartò, ut obsecres seu horteris omnes ad vitæ sanctimoniam, obsecra. Ecce quatuor præcipuas episcopalis officii partes, erga diversos homines exercendas. At quia erga eumdem hominem, pro vario ipsius statu, et pro variâ ejus necessitate debent etiam exerceri, hinc optimè potest intelligi quòd Timotheum et episcopos adjuret Apostolus ut Dei verbum unicuique pro suo statu et necessitate accommodet, eumdem modò docendo, modò arguendo, modò increpando, modò obsecrando ; idque verbis ex sacrâ Scripturâ deductis.

Episcopi sunt animarum medici ; sicut ergo medici omnis generis remediis, ad corporum sanitatem, nunc lenibus pharmacis, nunc acribus utuntur, ita episcopus et quilibet animarum medicus, nunc blandis, nunc asperis verbis, ex Scripturâ desumptis, uti debet, ad suos sanandos ægrotos. Doceat ergo, arguat, increpet, obsecret.

Hic ordo servatur in Græco, et respondet v. 16, cap. 3, hinc que notant Patres Græci, D. Chrysostomus, Theophylactus, quòd per lenia finiendum sit. Noster interpres transposuit, dicens : *Obsecra, increpa*, fortè ut indicaret clariùs affectuum alternationem hic ab Apostolo præceptam.

In omni patientia... Hoc prædictis omnibus conjunge, ait Theophylactus, sive doceas, sive arguas, etc. Patientia tibi necessaria est, non quæcumque, sed *omnis*, id est, omnimoda, et quam omnibus modis demonstres, verbis, operibus, habitu ;

Et doctrina, quâ solidè doceas ignaros, arguas errantem, et eum errâsse convincas, eique viam veritatis ostendas ; ratione duci volunt homines.

Observationes morales.

Quot in his duobus versibus à Spiritu sancto dantur nobis Christi ministris documenta !

1° Hæc de verbo Dei prædicando obtestatio tremenda docet omnes episcopos quòd Evangelii prædicatio sit præcipuum episcopi munus, cui sedulò et assiduè debet incumbere, et de cujus omissione rationem Christo Domino, summo omnium Judici, redditurus est. Hoc etiam docet conc. Trident., sess. 5, cap. 2, et sess. 24, c. de Reform., 4 ; hinc Theophylactus episcopus, episcoporum nomine hic exclamat : *Terrore conculiamur, qui non prædicamus.*

2° Hæc eadem gravis admodùm et seria nimis abjuratio, omnem prorsùs Christi sacerdotem, confessarium, concionatorem et parochum debet expergefacere, ut supra se reflectens, advertat an Deo fideliter in suo statu serviat, et cum diligentiâ et instantiâ hic præscriptâ, an verò sit operarius dolosus, negligens, infidelis. Quis sub tantâ testificatione segnis esse audeat? ait D. Augustinus, lib. 1 contra Crescon., cap. 6, citatus à Cornelio à Lapide.

Eheu ! vereor ne de nobis potiori jure dicatur quod de sui temporis sacerdotibus dixit D. Gregorius papa, hom. 17 in Evang. : Ecce mundus totus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valdè invenitur operator, quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus.

3° Ex officiorum et affectuum alternatione in verbis apostolicis expressâ, et Christi ministro præceptâ : *Prædica, insta, argue, obsecra*, discat omnis animarum minister quòd omnibus debeat uti remediis, ad illarum salutem ; nunc docere, nunc arguere, nunc increpare, nunc obsecrare. Medicum se recordetur ; sanare ergo quærat, non placere. Nunc ergo lenibus, nunc acribus utatur remediis. Lenibus tamen acria semper ita temperet, ut lenitas superet, sicut in Deo *misericordia superexaltat judicium*. Reprehensio per se intolerabilis est, nisi habeat admixtam obsecrationem ; sicut in chirurgiâ sectio, licèt salutaris sit, pharmaco suavi indiget consolari, D. Chrysostomus.

4° Ex ultimis verbis idem animarum minister discat duas sibi dotes perpetuò necessarias esse. *Patientia*, seu, ut aiunt Græc. et Syr., *longanimitas*, non quælibet, sed *omnis*, seu omnimoda ; in verbis, in operibus, in toto habitu. Itaque nunquàm irascatur sive tarditati, sive duritiei, sive ulli molestiæ, imò et rebellioni peccatoris ; sed amans et dolens, et magis quàm ille ipse lugens, omnia toleret, infirmoque suo compatiatur. *Doctrina* pariter *omnis*, sed ex sacrâ Scripturâ desumpta, quâ pro vario statu doceat, arguat, etc. Sacræ ergo Scripturæ studio totus incumbat.

Vers. 2. — *Prædica verbum, insta* (prædicationi) *opportunè, importunè*, id est, tempestivè et intempestivè ; *argue, obsecra*, etc. *Argue*, id est, argumentis convince. *Argue* coæquales, *obsecra* seniores, *increpa* juniores, cum omni patientiâ, cum doctrinâ, quâ scilicet solidè alium errâsse doceas, eique viam veritatis ostendas.

5° Ex conjunctione patientiæ cum doctrinâ et doctrinæ cum patientiâ discat quòd semper pati debet, semper et docere, seu semper cum patientiâ docere. Nec faciat ergo docendi finem, nec ponat ullos suæ patientiæ limites, sicut nec divinæ misericordiæ; sed infinitâ Dei misericordiâ innixus, faciat quod suum est, *doceat, arguat, obsecret, increpet...,* donec *veniat tempus, tempus miserendi ejus; si fortè Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendum veritatem,* etc., cap. 2, v. 25.

Vers. 3. — Erit enim tempus..., quasi diceret : Non sine causâ, charissime fili, te sic adjuro, ut tuo segniter incumbas officio ; etenim tempus brevi futurum inspicio,

Cum sanam doctrinam, id est, in quo homines christiani evangelicam doctrinam, quæ sola sana est, sanitatem et sanctitatem animæ conferens, ampliùs non ferent, sed eam velut onus sibi grave et importabile rejicient ab humeris suis.

Sed ad sua desideria... Hinc evangelicis non contenti doctoribus, temerè et sine delectu, juxta corrupta cordis sui desideria, seu, ut suis pravis satisfaciant concupiscentiis,

Coacervabunt sibi magistros, adsciscent sibi et multiplicabunt magistros suis placitis benevolos, et qui suis titillent vitiis ;

Prurientes, κνηθόμενοι, in nominativo; quasi diceret : Tales sibi magistros eligent, quia ipsi pruriunt auribus, id est, nova, placentia, mollia cupiunt audire. Quærunt assentatores qui sibi blandiantur, quique suas ipsorum aures leniter scalpant, non verò qui veritate et terrore gehennæ radant.

Vers. 4. — Et a veritate quidem... Hinc aures avertent ab Evangelii veritate, quod nulli assentatur.

Ad fabulas autem..., ab fabulas autem Judaicas aut hæreticorum convertent insanâ curiositate. Adverte quomodò pruritus aurium, curiositas mentis, aures spiritualiter fornicantes (ut ait D. August., tract. 94 in Joan.) avertunt animam à veritate, convertunt ad vanitatem, fidem destruunt, Christianismum evertunt. In quot Christianis hoc completum est! Hinc hæretici, hinc et impii, qui divinis fidei veritatibus, per tot secula et per tot motiva, factis evidenter credibilibus, credere detrectantes, vanis hominum somniis et deliriis assensum præbebunt. Sicut itaque ex auditu simplici, verbum fidei et Christianismus, ita ex auditu curioso, pruriente, destructio fidei, eversio Christianismi. Hinc non minùs affectuosè de auribus Deum deprecari debemus quàm de oculis orabat Propheta Regius : *Averte aures meas, ne audiant vanitatem; in viâ tuâ vivifica me; statue servo tuo eloquium tuum.*

Vers. 5. — Tu vero vigila, in omnibus labora... Græc., Syr., D. Chrysostomus, Theophylactus, jungunt : *Vigila in omnibus, deinde mala patere;* quasi diceret : Ut huic imminenti malo, tu te, quantùm poteris, opponas, vigila ubique, seu continuè labora, mala sustine, nullis absterretor periculis aut malis. Fac quod est Evangelistæ, omnes ministerii tui partes fideliter exequere, nihil neglige. Væ ministro officii sui partes tantùm aliquas facienti! Ob adimpletas laudatur ab hominibus; ob omissas damnatur à Deo. Itaque imple, nihil omitte.

Sobrius esto; hoc non est nunc in Græco nec in Syro, nec legerunt D. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus. Hinc putant irrepsisse ex variâ translatione vocis Græcæ, νῆφε, quæ ambigua est et significat æquè, *tu vigila*, ac *sobrius esto*. Nihilominùs P. Amelotte citat manuscripta conformia interpreti nostro. Sensus itaque est : Vigilabis, etc., si sobrius et parcus fueris. Cognata sunt enim sobrium esse et vigilare.

Vers. 6. — Ego enim jam delibor... Assignat rationem ob quam Timotheus suo ministerio fideliter adimplendo debeat instare : nimirùm imminet mors mea, hincque brevi non habebis auxilium à me. Libamen itaque hic consideratur ut præparatio ad immolationem; quasi diceret : Aspergor vino, præparor ad mortem, ut victima jamjam immolanda; instatque mortis meæ tempus, in quâ solvetur anima à corpore, seu, ut ait Syrus, *tempus quo dissolvar*. Hæc verba Pauli sunt exultantis ad præsentiam mortis, et ad coronam anhelantis, ait D. Augustinus in ps. 32. Qui mundo verè crucifixus est, exultat exiturus è mundo ; qui verè Deo totus est, exultat immolari Deo, totusque ad ejus gloriam consummari; qui super terram quasi peregrinus et exul vivit, exultat in patriam re-

Vers. 3.— *Erit enim tempus*, etc. : q. d.: Hi homines desideriis vanis et carnalibus pleni, eò quòd pruriant auribus, id est, eò quòd ament audire nova, curiosa, mollia, voluptuaria, hinc quærunt sibi magistros, qui sibi et vitiis suis adblandiantur.

Vers. 4. — *Et à veritate quidem auditum avertent*, etc., id est, ab integritate sanæ doctrinæ, quæ voluptates et carnalia desideria castigat, aures avertent. *Ad fabulas* autem audiendas, insanâ quâdam curiositate sese convertent. *Fabulas* intellige judaicas, et fabulas hæreticorum, ut Simonis Magi atque aliorum ejusdem farinæ.

Vers. 5. — *Tu verò vigila, in omnibus labora.* Tu adversùs hæc vigila in omnibus.

Opus fac evangelistæ. Evangelistæ est evangelizare verbum Dei, tum voce, tum vitâ sanctâ, inquit Anselmus.

Ministerium tuum imple. In munere ac ministerio tuo ità versare, ut nihil omittas eorum quæ à bono et fideli ministro Evangelii jure exiguntur.

Sobrius esto. Hoc loco magis congruit verbum *vigila*, quod proprium est episcopi et pastoris.

Vers. 6.—*Ego enim jam delibor*, etc., *instat*, id est, magis ac magis appropinquat. *Delibor*, id est, pro libamento offeror et immolor, sanguinem meum quasi libamen Deo profundo, consecro et sacrifico per martyrium. *Tempus resolutionis* vocat tempus mortis. Mors enim non est interitus, sed resolutio hominis, quâ scilicet corpus terræ quasi matri, anima Deo quasi patri redditur, qui in resurrectione illâ conjungei, et in æternum colligabit ac glorificabit. Cyprianus legit : *Tempus assumptionis meæ instat.* Sunt hæc verba Pauli, inquit August., exultantis magis ad mortis præsentiam, et ad coronam anhelantis, quàm timentis et seipsum cruciantis.

verti, et ad Deum, principium, finem, centrumque suum redire in eo sine fine quieturus.

VERS. 7. — BONUM CERTAMEN CERTAVI... Videtur hìc Paulus de testamento cogitare, et Timotheo, tanquàm filio charissimo, gloriam suam relinquere in memoriam, ait D. Chrysostomus. *Bonum certamen...* Quia ergo hic de mortis suæ vicinio nuntius poterat magnum Timotheo mœrorem afferre, hinc statim solatur eum Paulus, addens quòd ad coronas percipiendas abeat, sicque, si amat, congaudere debet, non tristari. Simul et Timotheum excitat ad fideliter pugnandum, ut ipse quoque coronam percipiat. *Bonum*, Græc., *pulchrum*, id est, illustrem et gloriosum, pro Christi fide promulgandâ, ejusque Evangelio ubique prædicando, agonem agonizavi. Scis quot et quantos hujus rei gratiâ labores et ærumnas subivi; spero quòd imminens meum martyrium me victorem efficiet, et coronâ donabit. Alludit ad Olympicos agones, ubi certabant pugiles, et victor coronâ donabatur.

CURSUM CONSUMMAVI, jamque ferè metam tango. Alludit ad stadium, in quo stadiodromi currendo certabant, et victor bravium reportabat. Suas ergo peregrinationes per terras, per maria, Evangelii causâ susceptas, cursui in stadio comparat.

FIDEM SERVAVI, id est, Imperatori meo, Domino meo, Deo meo fui fidelis. Vitam et ministerium suum comparat militiæ : Benè certavi, legitimè cucurri, fidelis fui ; itaque congaude mecum, et tu fac similiter : pugna fortiter, curre alacriter, fidelis esto.

Observatio moralis.

O felicem terque felicem illum qui in fine vitæ cum D. Paulo verè potest dicere : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi!* Vita christiana agon est, in quo, sicut athletæ, suscepimus contra diabolum, mundum et carnem luctari; ideò uncti sumus in baptismo. Vita nostra stadium est, in quo, per hujus vitæ labores, ærumnas et passiones omnes, ad felicem æternitatis metam percurrimus. Ideò terrenorum affectui renuntiavimus in baptismo, ut expediti curramus alacriùs. Vita nostra militia est, in quâ Christo Imperatori nomen dedimus, vitia continuè impugnaturi, vitam secundùm ejus Evangelium ducturi. Hoc per Sacramenti verba, coram hominibus, angelis et Deo juravimus. Omnium itaque Christianorum est luctari, currere, fidem servare. Felicem, inquam, illum, qui benè certaverit! mors illi victori, triumphus erit. Felicem illum qui alacriter cucurrerit! mors erit illi requies et felicitas æterna. Felicem illum qui Christo Imperatori fidelis fuerit! Christus ipse erit illi corona, et gloria nunquàm marcessibilis.

VERS. 8. — IN RELIQUO REPOSITA EST... Pergit in cœptâ metaphorâ : ut athleta certavi et vici ; ut stadiodromus cucurri et metam tango. Utrumque autem fideliter et legitimè : etenim qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitimè certaverit, c. 2, v. 5. Vel tanquàm miles imperatori meo fidelis fui. *In reliquo*, id est, quod restat, quod reliquum est, de cætero. Ab agonotheta, Deo scilicet, *reposita est*, et asservatur mihi, jam penè victori, *corona*, bravium, præmium, id est, vita æterna.

CORONA, inquam, JUSTITIÆ, quam justè merui in luctâ, in stadio, in militiâ christianâ.

ET QUAM DOMINUS meus Jesus Christus, ut JUSTUS JUDEX, MIHI REDDET (asservat enim eam) IN DIE ILLA, vel meæ resolutionis brevi futuræ, vel in die extremi judicii.

NON SOLUM AUTEM MIHI... Excitat Timotheum et omnes Christianos et præsertim episcopos ad pugnam, ad cursum, ad fidelitatem, sub spe præmii communis ; quasi diceret : In agone, in stadio omnes quidem currunt et pugnant; sed *unus tantùm accipit bravium*. Non ita de agone et stadio christiano ; omnes possunt coronam mereri. *Sic ergo currite ut comprehendatis;* non enim mihi soli Christus asservat et reddet coronam, sed etiam iis omnibus qui diligunt et optant gloriosum ejus adventum, et qui se ad illum per vitæ sanctitatem studiosè comparant.

Observationes litterales.

Singula verba vim habent : *Reposita est mihi*, non apparet quidem, sed apud Deum *reposita est*, et fideliter asservatur, *corona justitiæ*, quam merui, quia benè certavi, benè cucurri, etc. Æterna vita et merces est, quia datur pro meritis, et gratia est, quia hæc ipsa merita sunt Dei dona ; nec enim legitimè certare posset homo, nisi Dei gratiâ adjutus ; nec ad coronam pervenire, nisi lapsus et errata certando commissa Deus condonaret misericorditer. Itaque *corona* est *justitiæ*, quia debita ; hinc addit, *quam reddet*, non quam debit et *justus Judex ;* et corona est misericordiæ, quia per Dei gratiam merita, et quia ipsa omnem laborem nostrum excedit infinities. *In die illâ.* Et quidem datur justitiæ corona in judicio particulari, quod fit in instanti mortis; sed plena erit et consummata in die judicii universalis : dabitur

VERS. 7. — *Bonum certamen certavi*, quo pro fide Christi divulgandâ plurimos labores et afflictiones superavi. *Cursum consummavi*, non cursum vitæ, sed certaminis, qualis scilicet est eorum qui in stadio currunt. Ita cucurrit Paulus, quasi igneas alas haberet, quibus mundum, mortes, insidias, ærumnas, et omnia Evangelii impedimenta pervolaret, ait Chrysostomus. *Cursus* ergo hic Pauli progressum ejusdem, tum in virtutibus, tum in laboribus, tum denique cursum et peregrinationes ejus per terras et maria ad Evangelium toto orbe propagandum significat.

Fidem servavi. Fidem intelligit eam quam minister ac dispensator domino suo debet, id est, fidelitatem. Commissum erat ei munus evangelicæ prædicationis in gentibus; de eo fideliter et perseveranter, inter tot adversitates administrato, gloriabatur dicens : *Fidem servavi*, q. d. : Fidelis fui athleta, perseveravi, alacris in contentâ hâc pugnâ et cursu ad finem usque vitæ.

VERS. 8. — *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Præmium certaminis feliciter absoluti vocat *coronam*. Corona certaminis, præmium laboris. *Coronam* intelligit vitam æternam, id est, eam quam Jacobus Apostolus *vitæ coronam* appellat, cap. 1. *Corona*

enim et corpori et animæ publicè, coram angelis et hominibus. *Non solùm mihi...*, non D. Paulo tantùm, non viris tantùm heroicis et apostolicis, sed et omnibus Christianis qui in suo statu benè certaverint, benè cucurrerint, et fideles fuerint; *reposita est* et asservatur apud Deum *corona justitiæ*.

Observatio moralis.

Quidquid ergo fuerit hactenùs de præterito nostro agone et cursu, militiâque nostrâ, hæc immarcessibilis et æternæ coronæ repositio et asservatio nos excitet et reaccendat ad nostra perfectiùs adimplenda munia. Certemus, curramus, fideles simus; certemus luctantes fortiter contra diabolum, ejusque caveamus insidias; contra mundum, ejusque pompas et vanitates spernamus; contra carnem, ejusque seductrices illecebras mortificatione vincamus; curramus alacriter, *deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam* curramus ad propositam nobis æternæ beatitudinis metam. Fideles simus Christo, Imperatori nostro, et ut veri Christiani, vitam ducamus Evangelio Christi conformem.

Ut hæc omnia præstemus alacriùs, Christum Jesum aspiciamus Agonothetam nostrum, Brabeutam nostrum, Imperatorem nostrum, nostræ fidei et religionis Auctorem et Consummatorem. Fecit, docuit, passus est, crucemque prætulit gaudio. Nunc autem *sedet ad dexteram majestatis*, habens *in capite diademata multa*. Unum sibi, cætera nobis asservat. Habens vestem aspersam sanguine, ut indicet nobis quâ viâ ingressus sit in gloriam, et quâ viâ nobis illùc sit intrandum; quasi dicat hæc vestis cruenta: *Oportuit pati Christum*, etc.; sic oportet pati Christianum, etc. Hinc vires, animos et solatium hauriamus. Domine Jesu, Rex regum, Domine dominantium, Verbum Dei, qui totus verbum es, in quo omnia verbum, omnia loquuntur, et qui *vestitus veste aspersâ sanguine*, *vocaris* speciatim *Verbum Dei*, da mihi audire vocem sanguinis tui; da mihi per hunc sanguinem tuum te sequi, te imitari, per crucem, per patientiam et humilitatem, ad tuam gloriam pervenire.

Nota litteralis.

Cæterùm totus ille textus et illius connexus, si legatur attentè, indicat, et, ut mihi videtur, clarè indicat, quòd D. Paulus hæc scripsit de suo martyrio, proximè futuro, certus, sive ex divinâ revelatione, sive, quod credibilius, ex præsentibus rerum suarum circumstantiis, id est, ex iis quæ Romæ et in aulâ fieri videbat. Rationem quippe Timotheo reddens cur tam instanter eum ad vigilantiam, ad prædicationem, ad suum ministerium perfectè adimplendum hortetur, dicit: *Ego enim jam delibor...* Ecce jam ad mortem proximè præparor, ut victima jamjam immolanda; et ne dubitetur quòd de præparatione proximâ loquatur, addit: *Instat*, imminet *tempus resolutionis meæ*, tempus quo dissolvar; quasi diceret: Hæc sunt ultima verba mea, posthàc nec te potero monere, nec te juvare.

Hunc sensum confirmant sequentia: quia enim hic de mortis suæ vicinio nuntius Timotheo mœrorem erat causaturus, ut eum soletur, statim addit: *Bonum certamen certavi...*; quasi diceret: Noli tristari, sed potiùs mihi congaude; benè *certavi*, feliciter *cursum* meum *consummavi*; spero itaque quòd ad coronas abeo. Hæc omnia sanè confirmant quòd de morte propinquâ loquatur, de fine scilicet qui coronam debet percipere.

Sed hoc magis confirmat quod sequitur: *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ*, etc.; quasi diceret: Restat solùm ut coronam mihi repositam percipiam.

Cùm hic sit naturalis horum verborum sensus, concludo: vel hæc in fine vitæ suæ scripsit Apostolus, vel (quod cogitare nefas) in re maximi momenti falsus est, et suum charissimum Timotheum fefellit. Itaque cum antiquioribus sentio quòd in secundis vinculis et morti proximus hanc secundam scripsit Epistolam. Opinionis contrariæ fundamentum præcipuum solvetur infra, v. 16 et 17.

Vers. 9. — Festina ad me venire cito, scilicet

justitiæ, id est, justa, quam justè merui, quæque justâ judicis sententiâ mihi adjudicabitur. Chrysost., Cyprian., Fulgentius dicunt Deum debitorem nobis fieri dùm bona operamur. Deus solvit operariis denarium promissum, quasi pretium diurni laboris. Hanc coronam *sibi repositam* dicit Paulus, non alibi quàm apud Deum, quia à Deo sibi reddendam certissimè expectabat. *Justi in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum*, Sap. 5. In Scripturâ vita æterna aliquando merces, aliquando gratia vocatur. Merces, quia datur pro meritis bonorum operum; gratia, quoniam hæc ipsa merita sunt Dei dona.

Quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex. Non dixit dabit, sed *reddet*, veluti debitum quoddam et creditum, sive depositum, quod jure reddendum sit. *Justus judex.* Hæc justitia Christi judicis in eo constitit quòd redditurus sit unicuique secundùm opera sua, Matth. 16. Est enim Catholicorum doctrina, tantam erga nos esse Dei bonitatem, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona; et pro his quæ ipse largitus est, æterna præmia sit donaturus; ut habet decretalis epistola Cœlestini pontificis ad episcopos Galliæ, cap. 12. Unde et à concilio Trident. verba repetuntur, sess. 6, cap. 16.

Non solùm autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus, id est, apparitionem et illustrationem ejus, cùm scilicet illustris apparebit veniens ad judicium. Adventum enim judicis non diligunt, nisi qui in causâ suâ habere se justitiæ meritum sciunt, inquit Anselmus. Amat Domini adventum qui illius leges sequitur, et ex illis vitam instituit, inquit Theodoretus.

Festina ad me venire citò, id est, stude, da operam, ut venias ad me citò. *Citò*, id est (ut infra declarat) ante hiemem, ne scilicet in alterum annum differas profectionem. Ex consequentibus conjicere licet ejus ministerio uti ipsum voluisse ad promovendum Christi negotium, eò quòd aliis adjutoribus esset penè destitutus.

Vers. 9. — *Demas enim me reliquit, diligens hoc seculum*, id est, hujus vitæ commodorum amore ductus, ita ut tam Pauli quàm Evangelii curam privatis commodis postponeret; ubi tamen non est significatum quòd à fide Christi defecerit. Imò postea ad eum reversus, iterùm sese illi adjutorem exhibuit. Quod manifestè probant epistolæ posteriùs scriptæ ad Coloss. et ad Philemonem, in quibus Demas inter salutantes nominatur, et ita quidem, ut in alterâ connumeretur adjutoribus Pauli. Cui sententiæ subscribit

Romam. Cupiebat, antequàm excederet è vitâ, plurima illi commendare, ait D. Chrysostomus.

DEMAS ENIM DERELIQUIT ME, DILIGENS HOC SECULUM, id est, quietem et requiem amans, et esse in tuto absque periculo; maluit domi deliciis frui quàm mecum ærumnas pati, præsentiaque ferre pericula. Si frangantur cedri, quid de arundinibus? Si viri apostolici cadunt victi amore seculi, quis erit securus? Nec apostoli Pauli societas, nec exempla, nec miracula hunc à lapsu præservârunt; semper et ubique cadendi periculum. *Qui stat ergo, videat ne cadat.*

VERS. 10. — CRESCENS IN GALATIAM, supple abiit, sed à me missus, ad prædicandum Evangelium. Galatia nomen fuit ambiguum; sic enim Gallia vocata fuit à Græcis. Unde Theodoretus ait: Gallias sic appellavit, ita enim appellabantur antiquitùs; et Asiæ pars à Gallis antiquitùs habitata, Galatia fuit dicta: hinc Epistola ad Galatas. S. Epiphanius in sui temporis codicibus, Galliam legisse nos docet, hæres. 51. Quin et vetus fuit hâc de re fama; putatur enim quòd Crescens fuerit episcopus Moguntinus. Vide Emmanuelem Sâ, qui citat multos.

VERS. 11. — LUCAS EST MECUM SOLUS. Ratio urgens Timotheum ut veniat citò.

MARCUM ASSUME..., *Marcum*, scilicet Joannem, consobrinum Barnabæ, de quo Act. 12 et 15. Profuit ei Pauli severitas.

EST ENIM MIHI UTILIS IN MINISTERIUM, Evangelii. Inutilis fit Demas, Paulumque deserit; resumitur Marcus aliquando repulsus, et Paulo fit utilis ad Evangelii ministerium. Qui cecidit, non desperet; qui stat, non præsumat.

VERS. 12. — TYCHICUM AUTEM MISI EPHESUM..., ut tuas suppleat vices, dùm tu, ô Timothee, hìc mecum eris. Tanta erat D. Pauli pro Ecclesiis sollicitudo!

VERS. 13. — PENULAM... Syr., *tnecam librorum*. D. Chrysostomus pallium hic penulam dicit. Alii loculos putant, in quibus libri condebantur. Communiter penula putatur pallium, seu vestis extima ad pluviam et frigus arcendum.

QUAM RELIQUI TROADE APUD CARPUM. Carpus ergo Pauli hospes et depositarius.

VENIENS AFFER TECUM. Hinc apparet Apostoli pauperies rem tantillam et tam longè distantem repetentis. Apparet et cura ne cuiquam foret gravis, si rem sibi necessariam ab aliis accepisset.

ET LIBROS sacræ Scripturæ, aliorum manu scriptos;

MAXIMÈ AUTEM MEMBRANAS, id est, schedulas meas, seu scripta, manu propriâ exarata. Membranæ pelles erant aptatæ ad scripturam. Dictæ sunt Pergamenæ, quia inventæ sunt ab Attalo Pergami rege. In his membranis, seu pellibus Pergameis, Paulus quædam sibi utiliora excerpserat. Unde colligitur quòd, licèt à Spiritu sancto esset afflatus, et ab ipso Christo edoctus, nihil tamen negligebat humani laboris et studii, quo instrueretur. Sed quid tunc illi opus erat libris, cùm brevi esset migraturus ad Dominum?—Maximè ut eos fidelibus commendaret habendos et ab illis servandos, doctrinæ illius vice, ait D. Chrysostomus. Addi potest quòd D. Paulus otium oderat, et sacræ Scripturæ lectioni, studio et meditationi volebat immori. Si autem doctor gentium, ab ipso Christo in cœlis fidei mysteria edoctus, et per tot annos ubique apostolatu functus, libros desiderat quos legat, quantò magis nobis sacræ Scripturæ lectio, studium et meditatio sunt necessaria! *Et in lege Domini meditabor die et nocte;* etiam brevi et citò moriturus.

VERS. 14. — ALEXANDER ÆRARIUS, id est, faber ærarius, de quo primæ ad Tim. cap. 1, v. 20.

MULTA MALA MIHI OSTENDIT, id est, intulit, seu, ut ait D. Chrysostomus, afflixit me variis modis; forsan irritatus ob suî ab Apostolo excommunicationem, de quâ ibidem. REDDET ILLI. Prophetia est cum divinæ justitiæ in impœnitentem approbatione.

VERS. 15. — QUEM ET TU DEVITA, id est, tu tibi ab illo cave, ne quid tibi faciat simile.

etiam Hieronymus in fine commentarii Epist. ad Philemonem.

Et abiit Thessalonicam, sive ut rebus suis privatis illic vacaret, sive ut procul abesset à periculo. Ac fortè Thessalonica erat illi patria.

VERS. 10. — *Crescens in Galatiam*, supple abiit missus à me, ad prædicandum ibi Evangelium. *Galatiam*, non Galliam hic intellige. Cùm secundùm fidem Martyrologiorum, Crescens à Paulo in Galatiam missus, quæ est Asiæ Minoris regio, transitum inde fecerit in Gallias, ac rursùm ad Galatas reversus, quibus specialiter datus erat episcopus, tandem apud eos martyrio vitam finierit, etc.

Titus in Dalmatiam. Hæc regio est Illyrici.

VERS. 11. — *Lucas est mecum solus*. Hunc apostoli Pauli sectatorem, et omnis ejus peregrinationis individuum comitem appellat Hieronymus in Catalogo.

Marcum assume et adduc tecum. Loquitur de Joanne consobrino Barnabæ, cui cognomen erat Marcus, sicut Act. 12 et 15 dicitur.

Est enim mihi utilis in ministerium, Evangelium scilicet, ut hìc alibive prædicet. Hic Marcus timore periculorum et laborum deseruerat Paulum peregrinantem, Actor. 15; postea verò eum in gratiam recepit Paulus, etc.

VERS. 12. — *Tychicum autem misi Ephesum*, ut scilicet vices Timothei, Ephesini episcopi, Romam à me evocati, Ephesi suppleat.

VERS. 13. — *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum. Penula* significat vestem aptam imbribus ac frigori depellendo; quâ potissimùm iter agentes uti solent.

Et libros, maximè autem membranas, in quibus scripta erat S. Scriptura, sive libri veteris Testamenti, ita ut scripta sit à Paulo hæc Epistola brevi post ipsius in Urbem adventum, et proinde multis annis ante mortem. Non enim reposceret vestem, aut libros ab annis fermè decem Troade relictos, si diem obitûs jamjam sibi instare sentiebat. Quorsùm requirat ista, sibi jam nulli usui futura?

VERS. 14. — *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit*, etc., fecit, exhibuit, intulit. Hunc Alexandrum tanquàm hæreticum Paulus excommunicaverat, ut ipse testatur 1 Tim. 1.

VERS. 15. — *Quem et tu devita*, etc. id est, observa, et cave tibi ab illo

VALDÈ ENIM RESTITIT, prædicationi nostræ.

VERS. 16. — IN PRIMA MEA DEFENSIONE, id est, cùm in hisce secundis vinculis causam meam primùm dixi, sive ante ipsum Neronem, ut credunt aliqui, sive ante alium inferiorem judicem, ut volunt alii.

NEMO familiarium mihi adfuit.

SED OMNES, id est, penè omnes, nec enim D. Lucas et alii sancti illum dereliquerunt, vel omnes qui poterant aliquid in aulâ.

ME DERELIQUERUNT, Neronis crudelitatem pertimescentes.

NON ILLIS IMPUTETUR, scilicet ad peccatum, sed illis ignoscat Deus. Quia ex infirmitate peccaverunt, veniam illis precatur.

VERS. 17. — DOMINUS AUTEM MIHI ASTITIT ET CONFORTAVIT ME..., παρέστη, *astitit*, vertunt aliqui, *apparuit;* quidquid sit, sive apparuerit, sive non, *Dominus mihi* fuit auxilio, mihique robur et animos dedit, ad meam scilicet defensionem.

UT PER ME PRÆDICATIO IMPLEATUR...; quasi diceret: Tali dignus non sum auxilio, sed propter verbi divini prædicationem mihi collatum est. Indicat finem ob quem Christus illi præstò fuit, nimirùm ut impleret Evangelii prædicationem; simul et finem ob quem ipse suî defensionem suscepit, suamque causam dixit, scilicet non amore vitæ, sed prædicationis gratiâ.

ET CONFORTAVIT ME, id est: Et Dominus me roboravit ad mei defensionem, seu et ipse divino roboratus auxilio me defendi, *ut per me prædicatio* expleretur, id est, suam consequeretur consummationem, eamque per me gentes omnes audirent, Romæ scilicet et in Cæsaris aulâ. Urbs erat tunc orbis centrum; aula Cæsaris erat totius mundi caput: in utramque quamplurimi undequàque ex omnibus nationibus confluebant. Voluit Christus ut in hoc mundi centro Paulus suam compleret prædicationem, et ibi doctorem gentium audirent omnes gentes.

ET LIBERATUS SUM EX ORE LEONIS. Ideò liberatus sum ex ore Neronis, ob feritatem leonis dicti, sive è carcere de facto eductus fuerit penitùs liber, ut insinuare videtur D. Chrysostomus, dicens: Quam verò dicit primam defensionem? Neroni jam astiterat et illæsus effugerat; ubi verò pincernam ejus instituit, et fidei sacramentis instruxit, tunc jam ipsum capite truncavit; sive mortis tantummodò periculum evaserit, sub quâdam tamen custodiâ relictus; vel, sicut olim, Act. 28, 16, permissum sit Paulo manere sibi cum custodiente se milite. Hoc vocat ex ore leonis liberari. Ecce quasi fuit ipsi proximus morti, et in ipsas penè leonis decidit fauces. Leonem Neronem vocat, pro feritate et imperii robore, summâque potentiâ, ait D. Chrysostomus. At, Christo auspice, causam suam ita dixit, ut è mortis faucibus ad tempus sit ereptus, et quâdam libertate donatus, ut suam Romæ compleret prædicationem, eamque in hoc mundi centro audirent omnes gentes varias ob causas undequàque hìc congregatæ; ita ut hæc secunda Pauli vincula, sicut et prima, *manifesta fierent in Christo, in omni prætorio et in cæteris omnibus*, id est, in totâ aulâ et in totâ urbe Christus cum glorià cognosceretur per D. Pauli prædicationem.

Observatio litteralis.

Ex his ergo versibus nihil concluditur contra sententiam antiquiorum affirmantem quòd hæc Epistola in secundis vinculis scripta sit, et sub finem vitæ D. Pauli. Imò hoc ipsum indicant et confirmant aliquæ in his versibus expressæ circumstantiæ. *In primâ meâ defensione... omnes me dereliquerunt*, Neronis crudelitatem extimescentes. *Liberatus sum de ore leonis*, id est, Neronis ob feritatem sic dicti. Hi duo loquendi modi primis D. Pauli vinculis non conveniunt, nec possunt convenire: ex unâ parte enim constat apud auctores ecclesiasticos quòd contigerint in primis Neronis annis, plerique dicunt anno secundo aut tertio; ex alterâ verò parte constat apud omnes historicos quòd quatuor aut quinque primi Neronis imperatoris anni fuerint, non tantùm innoxii, sed et benignissimi. Vide Moreri, nomine *Nero*. Audiatur Seneca, lib. 1 de Clement., cap. 11: « Præstitisti, Cæsar, civitatem incruentam, et hoc quòd magno animo gloriatus es, nullam te toto orbe stillam cruoris humani misisse, eò majus est et mirabilius, quòd nulli unquàm citiùs gladius commissus est. » Idem Seneca, lib. 1 de Clem., cap. 1: « Animadversurus in latrones duos Burrhus, præfectus tuus, vir egregius, et tibi principi natus, exigebat à te ut scriberes, in quos et ex causâ animadverti velles; hoc sæpè dilatum, ut aliquando fieret, instabat: invitus invito cùm chartam protuìisset, exclamâsti: *Vellem nescire litteras!* »

Quæro igitur cur fideles omnes deseruerint Paulum? cur timuerint imperatorem tunc benignissimum? cur leonem eum vocat Apostolus? Præstò responsum erit, si hæc supradicta de secundis vinculis intelligantur, quæ anno Neronis decimo tertio contigerunt; tunc enim monstrum erat crudelitatis.

Sensus itaque naturalis horum versuum hic est: *In primâ meâ defensione*, seu, ut est in Græco, apologiâ, id est, cùm in his secundis vinculis causam meam dixi; primam vocat, quia cùm hæc scriberet, vel jam pluries fuerat interrogatus et auditus, vel sperabat pluries audiri; tunc ferè *omnes me dereliquerunt*, quia metuebant Neronem, quem sciebant mihi Paulo infensum, et aliunde crudelissimum; *sed Dominus mihi*, ab hominibus derelicto, *astitit*, sive

VERS. 16. — *In primâ meâ defensione nemo mihi affuit*, id est, auxilium aut patrocinium præstitit. Primam defensionem hìc intelligunt Beda, Anselmus, eam quam fecit Paulus in primis vinculis. Scribit Paulus è secundis vinculis quod sibi in primis eveneral.

VERS. 17.— *Dominus autem mihi astitit, et confortavit me.* Necesse est enim adesse divinum, ubi humanum cessat auxilium, inquit Philo, ibique plus est auxilii, ubi plus est periculi, teste S. Ambrosio, lib. de Joseph.

Ut per me prædicatio impleatur, et audiant omnes gentes; et liberatus sum de ore leonis. Servatus ergo

præsentiâ suâ recreaverit, sive internæ gratiæ auxilio roboraverit; *confortavit me*, fiduciam dedit, ait Chrysostomus, seu vires et animum dedit ad mei defensionem; *ut per me prædicatio...*, non quòd id ego meruerim, sed ut compleam ejus Evangelii prædidicationem.

Christo igitur auspice, causam sic dixi, ut dilutis omnibus illatis in me calumniis, *liberatus sim ex ore leonis*, et è mortis faucibus ereptus, et quâdam libertate donatus, sed sufficienti, ut per me, juxta Christi finem et placitum, Evangelii prædicationem consummem, non percurrendo nationes, sed residens in mundi centro, in quod undequàque confluunt omnes gentes; quod sic adimpleo, ut hæc vincula mea, simul et prædicatio, Christum manifestum et gloriosum reddiderint in totâ urbe, in totâ Neronis aulâ, hincque in toto orbe.

VERS. 18. — LIBERAVIT ME DOMINUS AB OMNI OPERE MALO, ET SALVUM FACIET IN REGNUM SUUM CŒLESTE... Græcè in futuro : *Et eripiet me Dominus*, etc.; ita etiam Syrus; ita et D. Chrysostomus, qui sic explicat : Attende quid dixerit : Eripuit me de ore leonis; et rursùm eripiet, non jam ex ore, sed quid ?

EX OMNI OPERE MALO, id est, ab omni peccato, non à leone corporali, Nerone, sed à leone spiritali, diabolo, qui longè sævior ac nocentior est; ab illo, inquam, servabit Dominus, ut innocens et illæsus merear ingredi in regnum cœlorum et æternam salutem consequi. Sensus itaque est quòd sicut eripuit à noxâ, spero quòd sic eripiet ab omni culpâ, et in regnum transferet æternum. CUI GLORIA IN SECULA.

VERS. 19. — SALUTA PRISCAM ET AQUILAM; de quibus vide Rom. 16, 3; ET ONESIPHORI DOMUM, non ipsum Onesiphorum salutat, sive quia Romæ erat, ut putat D. Chrysostomus, sive quia mortuus jam erat, ut volunt alii.

VERS. 20. — ERASTUS REMANSIT CORINTHI; erat hujus urbis arcarius. Vide Rom. 16, 23.

TROPHYMUM AUTEM RELIQUI INFIRMUM MILETI; Græc., Syr., Arab., Æthiop., legunt *Mileti*. D. Chrysostomus et ejus sequaces : Cur reliquisti ? cur non sanâsti? ait D. Chrysostomus. Non omnia potuerunt sancti, ut homines apparerent, non dii putarentur. Adde quòd *signa infidelibus data sint*, ut eis tacti convertantur; *non fidelibus*, qui his non indigent. Hinc D. Paulus Timotheum etiam non sanat divinitùs, sed consulit uti vino.

VERS. 21. — FESTINA ANTE HIEMEM VENIRE. Hoc scribebat ergo ante hiemem, vel in æstate, vel in autumno; mortuus est autem die 29 junii sequentis; fuit ergo saltem per annum in hisce secundis vinculis.

SALUTANT TE EUBULUS ET PUDENS... ET FRATRES OMNES, id est, omnes Christiani qui sunt Romæ.

VERS. 22. — DOMINUS JESUS CHRISTUS CUM SPIRITU TUO. Noli mœrere, quia discedo; Dominus tecum est; neque simpliciter tecum, sed cum spiritu tuo, D. Chrysostomus.

GRATIA VOBISCUM, id est, tecum et cum omnibus Ecclesiæ tuæ fidelibus. AMEN, ita sit.

---

fuit à Deo in vitâ, ut in Hispaniis et alibi prædicaret, propagaret, et compleret Evangelii prædicationem, eamque omnes gentes audirent. Paulus servatus est è primis vinculis ut prædicaret in Hispaniis. Chrysost. Theodor. per LEONEM intelligunt Neronem, qui crudelis erat ut leo.

VERS. 18. — *Liberavit me Dominus ab omni opere malo*, id est, ab omni peccato; non patiatur me superari à tentatione, sed daturus sit constantiam usque ad mortem. *Liberavit*, id est, liberabit.

Et salvum faciet in regnum suum cœleste, q. d. : Salvabit me hoc fine, ut scilicet regnum cœlorum assequar. Ita Theophyl.

VERS. 19, 20. — *Saluta Priscam.... Erastus remansit Corinthi*. Hic unus erat eorum qui Paulo ministrabant, ut habetur Act. 19.

Trophimum autem reliqui infirmum Mileti, id est, Maltæ. Fuit et hic è comitibus Pauli. Etiam in Cretâ fuisse urbem, cui nomen esset Miletus, grammatici probant ex Homero et Strabone, lib. 12; in hâc potuit relinqui Trophimus ægrotus cùm Cretam adnavigaret Paulus captivus, Act. 27.

VERS. 21. — *Festina ante hiemem venire. Salutant te Eubulus, et Pudens, et Linus, et Claudia. Pudens* vir erat apud Romanos clarissimus, senatorii ordinis, pater sanctarum Praxedis et Pudentianæ virginum, de quo vide Martyrologium, ad 14 cal. Junii, et Claudia, quæ hìc nominatur, ipsius uxor. *Linus* vero, idem qui Petro proximus, in episcopatu Romano postea successit, et antea Paulo ministravit, Ignatio teste in Epistolâ ad Trallianos.

Et fratres omnes. Qui Romæ erant fideles complectitur.

VERS. 22. — *Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo*, id est, tecum sit per gratiam suam.

Gratia vobiscum. Amen. Vobiscum, id est, tecum, et cum universâ Ecclesiâ tibi commissâ.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

Omnis Dei et animarum minister attendat seriò ad documenta sibi ab Apostolo data, v. 2.

1° Observet quatuor officii sui partes, ibi quatuor verbis expressas : *Prædica, argue, obsecra, increpa*. Videat ibi in commentario dicta.

2° Observet harum quatuor partium alternationem iisdem verbis ab Apostolo indicatam. Hinc neque agnoscat se medicum, qui ad animarum salutem, omnibus debeat uti remediis. Videat in commentario observationem moralem, n. 3.

3° Observet modum quo suas debeat partes exequi, scilicet *in omni patientiâ et in omni doctrinâ*. Semper pati, semper docere, semper cum omni patientiâ docere debet. Vide commentarium et observationem moralem, n. 4.

4° In se reversus, attendat an has quatuor officii sui partes impleat, et quomodò impleat. Eheu! ecce mundus plenus est sacerdotibus, et rarus tamen in Dei messe sacerdos operator. Vide observ. moral., n. 2.

5° Audiat animarum minister, velut sibi dictum, illud Apostoli : *Testificor coram Deo et Jesu*

Christo; etc.; *prædica*, seu doce, *argue*, *increpa*, *obsecra*, officiique sui partes fideliùs adimpleat.

Ex versu septimo et octavo omnis, non modò Dei minister, sed et omnis Christianus, discat: 1° Quòd vita christiana sit agon, stadium, militia; omniumque nostrûm sit luctari, currere, fidem servare. Vide dicta in commentario, v. 7. 2° Ut alacriùs certemus, curramus, fideles simus; discamus ad exemplum sancti Pauli, coronam aspicere, quam Dominus noster Jesus Christus, Agonotheta, Brabeuta et Imperator noster, asservat dandam omnibus benè certantibus, benè currentibus, suo Imperatori fidelibus. 3° Hunc nostrum Imperatorem, coronas victoribus asservantem, sic intueamur, ut et ipsum audiamus nos suis exemplis et voce sui sanguinis excitantem ad victoriam. Vide dicta in commentario, v. 8, et observationes litterales et morales.

IN EPISTOLAM AD TITUM

Præfationes.

Hæc ad Titum Epistola est quasi compendium utriusque ad Timotheum Epistolæ; in hâc enim, sicut in illis, docet Apostolus, sed paucioribus verbis, quæ sunt episcopi munia: In primo quidem capite, quales Titus debeat in episcopos ordinare; in secundo, quid unicuique fideli, pro suo statu prædicare debeat; in tertio, notat aliqua omnibus fidelibus communia.

Hæ tres igitur Epistolæ pontificales, sunt ejusdem argumenti, sibique persimiles: hinc ex D. Augustino, lib. de Doctr. christ., cap. 16, illas ante oculos habere debet, cui est in Ecclesiâ doctoris persona imposita.

Hujus Epistolæ, quam ad Titum, suum ex gentilitate discipulum, scripsit Apostolus, idem fere argumentum est cum duabus ad Timotheum, præsertim cum priore. Nam, sicut Timotheum Asiæ Minori præfecerat, ita Titum Cretæ celeberrimæ et amplissimæ insulæ, quæ nunc vulgò Candia vocatur. Erat igitur uterque de iis quæ ad regimen Ecclesiarum pertinerent, etiam per litteras instruendus. Quamvis enim non sit dubium quin Apostolus eos coram satis et doctrinâ et monitis instruxisset, quando eis curam Ecclesiarum delegabat, idipsum tamen denuò per Epistolam sibi faciendum putavit, tum ut eadem inculcata magis hærerent memoriæ, tum quòd sciret se non illis solùm scribere, sed quòd profuturum esset toti Ecclesiæ; tametsi scribendi occasione ex emergentibus quibusdam causis acceptâ; maximè ex eo quòd iis in locis quidam doctrinis ac fabulis suis Judaicis sinceritatem fidei christianæ studerent corrumpere. Nam adversùs hoc genus agit in utrâque Epistolâ, non longè post initium. Quòd autem multò breviùs ad Titum scribat quàm ad Timotheum, ea ratio reddi potest, quia Titus ut ætate provectior, ita et ecclesiasticis rebus gerendis erat exercitatior; Timotheus autem junior, atque recentior; ideòque pluribus informandus. Primùm ergo de presbyteris, sive episcopis ordinandis Titum admonet; mox adversùs judaizantes insurgit, quos jubet acriter increpari. Deinde ad morum præcepta accedens, ætatum ac personarum officia præscribit; inprimis autem obedientiam et subjectionem commendat tam servis erga dominos quàm fidelibus in universum omnibus erga principes. Et inter hæc semel atque itcrùm præclaram admiscet mentionem gratiæ, quâ nullo nostro merito salvamur per Christum. Denique à vanis quæstionibus avocat, et hæreticum fugiendum monet. Quando scripta sit hæc Epistola, non liquet, nec facilè ex Actis apost. colligi potest, quòd in iis non legitur Paulus Cretam ingressus fuisse. Verisimile est scriptam esse ante captivitatem Apostoli, quia vinculorum hic nulla mentio. Imò, cùm dicit, cap. 3: *Ibi enim statui hiemare*, planè significat non esse vinctum. Putat Baronius Apost. tunc quando è Macedoniâ (sicut Act. 20 legitur) in Græciam profectus est, non statim recto itinere in Græciam venisse; sed navigatione usum priùs appulisse in Cretam, atque ibi prædicato Evangelio, ac Tito discipulo ad curandam ejus regionis Ecclesiam relicto, demùm in Græciam, sive Achaiam pervenisse, ubi tribus mensibus moratum fuisse Paulum Lucas eodem Act. cap. 20 testatur. Igitur eo tempore scriptam esse hanc Epistolam existimat. Incidit autem illud tempus in secundum imperii Neronis annum. Videndum autem an hæc Baronii sententia satis congruat his quæ leguntur 2 Cor. 2. Quod ad locum attinet, Nicopoli scriptam esse censet Hieronymus; quod et legitur in argumento huic Epist. in Latinis codicibus præfixo; idemque loquitur Hypographe Græcorum. Conjecturam isti capiunt ex eo quod dicit Apost., cap. 3: *Festina ad me venire Nicopolim*. Sed cùm subjungat: *Ibi enim statui hiemare*, non utique significat se Nicopoli esse cùm hæc scriberet, sed futurum esse; nisi dicas hæc à Paulo scribi ineunte hieme, quasi dicat: Nicopoli, ubi nunc sum, me invenies. Ibi enim totâ hieme sum mansurus. Utut est, illud saltem apparet, Epistolam hanc ex Achaiâ missam esse.

Nicopoli scriptam esse docent Græca et Syriaca, et colligitur ex v. 12, cap. 3, sive sit Nicopolis in Epiro, ut vult D. Hieronymus, sive Nicopolis in Thraciâ, ut opinatur D. Chrysostomus, et alii post eum Græci. Liber, et non captivus, scripsit Apostolus, tum quia de vinculis mentionem non facit, tum quia, cap. 3, v. 12, dicit: *Statui ibi hiemare*, quæ hominis liberi est locutio.

Hinc Baronius vult hanc Epistolam ante prima vincula scriptam fuisse; D. Chrysostomus, inter utramque captivitatem; anno Christi 64, juxta D. de Tillemont, *Mémoires*, etc., *sur saint Paul*, art. 47.

IN EPISTOLAM AD TITUM

Commentaria.

CAPUT PRIMUM.

1. Paulus, servus Dei, apostolus autem Jesu Christi, secundùm fidem electorum Dei, et agnitionem veritatis, quæ secundùm pietatem est,

2. In spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur, Deus, ante tempora secularia :

3. Manifestavit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundùm præceptum Salvatoris nostri Dei :

4. Tito dilecto filio secundùm communem fidem, gratia et pax à Deo Patre, et Christo Jesu Salvatore nostro.

5. Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi ;

6. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos.

7. Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem : non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum :

8. Sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem,

9. Amplectentem eum qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem : ut potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, et eos qui contradicunt arguere.

10. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, seductores; maximè qui de circumcisione sunt ;

11. Quos oportet redargui : qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ.

12. Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta : Cretenses semper mendaces; malæ bestiæ, ventres pigri.

13. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos durè, ut sani sint in fide,

14. Non intendentes judaicis fabulis, et mandatis hominum aversantium se à veritate.

15. Omnia munda mundis ; coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum; sed inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia.

16. Confitentur se nôsse Deum, factis autem negant; cùm sint abominati, et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi.

CHAPITRE PREMIER.

1. Paul, serviteur de Dieu, et apôtre de Jésus-Christ, pour instruire les élus de Dieu dans la foi et dans la connaissance de la vérité, qui est selon la piété,

2. Et qui donne l'espérance de la vie éternelle, que Dieu, qui ne peut mentir, a promise et destinée avant tous les siècles,

3. Ayant fait voir en son temps l'accomplissement de sa parole dans la prédication de l'Evangile qui m'a été confiée par l'ordonnance de Dieu, notre Sauveur ;

4. A Tite son fils bien-aimé dans la foi qui nous est commune : que Dieu le Père, et Jésus-Christ, notre Sauveur, vous donnent la grâce et la paix.

5. Je vous ai laissé en Crète, afin que vous y régliez tout ce qui reste à y régler, et que vous établissiez des prêtres en chaque ville, selon l'ordre que je vous en ai donné,

6. Choisissant celui qui sera irréprochable, et qui n'aura épousé qu'une femme, dont les enfants seront fidèles, non accusés de débauche, ni désobéissants.

7. Car il faut que l'évêque soit irréprochable, comme étant le dispensateur et l'économe de Dieu ; qu'il ne soit point altier, ni colère, ni sujet au vin, ni violent et prompt à frapper, ni porté à un gain honteux :

8. Mais qu'il exerce l'hospitalité, qu'il soit affable, sobre, juste, saint, tempérant.

9. Qu'il soit fortement attaché aux vérités de la foi, telles qu'on les lui a enseignées, afin qu'il soit capable d'exhorter selon la saine doctrine, et de convaincre ceux qui s'y opposent.

10. Car il y en a plusieurs, et surtout d'entre les Juifs, qui ne veulent point se soumettre, qui s'occupent à conter des fables, et qui séduisent les âmes.

11. Il faut fermer la bouche à ces personnes qui renversent les familles entières, enseignant, par un intérêt honteux, ce qu'on ne doit point enseigner.

12. Un d'entre ceux de cette île, dont ils se font un prophète, a dit d'eux : Les Crétois sont toujours menteurs ; ce sont de méchantes bêtes, qui n'aiment qu'à manger et à ne rien faire.

13. Ce témoignage, qu'il rend d'eux, est véritable. C'est pourquoi reprenez-les fortement, afin qu'ils conservent la pureté de la foi,

14. Et qu'ils ne s'arrêtent point à des fables judaïques, et à des ordonnances de personnes qui se détournent de la vérité.

15. Or, tout est pur pour ceux qui sont purs; et rien n'est pur pour ceux qui sont impurs et infidèles : mais leur raison et leur conscience sont impures et souillées.

16. Ils font profession de connaître Dieu, mais ils le renoncent par leurs œuvres, étant détestables, et rebelles, et réprouvés à l'égard de toute bonne œuvre.

ANALYSIS.

1° *Paulus se Dei servum, et Jesu Christi apostolum dicit, statimque apostolatûs sui finem et effectus ita describit, ut Tito et aliis apostolis viris breviter exponat quid esse et facere debeant; ipsa itaque salutatio est totius Epistolæ velut epitome, v.* 1, 2, 3, 4.

2° *Docet expressiùs quales Titus episcopos ordinare*

debeat in urbibus sibi commissis; quales illi fuisse debent, et in se, et in suâ familiâ, v. 5, 6; quibus vitiis carere, v. 7; quibus virtutibus ornari, v. 8; quâ scientiâ, v. 9.

3° *Scientiæ evangelicæ necessitatem in episcopo demonstrat: primò, ex parte falsorum doctorum, quos describit, et quibus vult os ab episcopo obturari, v. 10, 11; secundò, ex parte Cretensium, quos Epimenidis, poetæ Cretensis, testimonio depingit, et quos vult de suis vitiis acriter argui, ut integritatem fidei servent, et Judaicis fabulis non intendant, v. 12, 13, 14.*

4° *Judaizantium errorem de cibis breviter refutat Apostolus:* Omnia munda mundis, etc., *v. 15. Judaizantes rursùs pingit, et ad vivum acerrimè pungit, v. 16.*

PARAPHRASIS.

1. Paulus, Dei servus, seu apostolus Jesu Christi, missus ut annuntiem electis Dei veram fidem, quâ cognoscant veritatem quæ verum Dei cultum docet.

2. Qui Dei cultus dat spem vitæ æternæ, quam Deus verax et fallere nesciens promisit, seu dare decrevit ab æterno.

3. Hoc autem decretum suum, seu promissionem, in se ab æterno abscondita, patefecit tempore à se ad id destinato, per prædicationem meam, seu per illum nuntium qui mihi commissus et concreditus est, per delegationem Dei, Salvatoris nostri.

4. Tito, genuino filio, non secundùm carnem, sed secundùm fidem, mihi et illi communem, quâ eum in Christo genui, gratia et pax à Deo Patre et à Jesu Christo Salvatore nostro.

5. Ob id reliqui te in insulâ Cretâ (toti insulæ præpositum), ut in eâ corrigere pergas quæ corrigenda restant, et præsertim ut per singulas civitates constituas presbyteros, quales præcepi tibi, et quales iterùm describo.

6. Presbyter sit irreprehensibilis, non bigamus; cujus filii (si quos habuit nondùm ordinatus) sint fideles, seu christiani; ita temperantes, ut nec de luxu nec de luxuriâ sint accusati, parentibus obedientes;

7. Oportet enim ut episcopus sit irreprehensibilis, quia domûs Dei administrator est; non sit superbus, non iracundus, non obnoxius vino, non violentus, non avarus.

8. Sed erga exteros hospitalis, proborum amicus, in se sobrius, erga omnes justus, in Deum pius, qui se contineat à voluptatibus.

9. Sit tenax fidelis sermonis, sanæ scilicet Evangelii doctrinæ, ut juxta illam possit fideles ad pietatem hortari, et hæreticos contradictores convincere.

10. Sunt enim quàmplurimi refractarii, vaniloqui et seductores, et præsertim ex iis qui à Judaismo sunt conversi.

11. Quibus oportet ora obturare, quia familias integras suis erroribus pervertunt, falsa et erronea docentes, suâ avaritiâ ducti.

12. Unus autem ex Cretensibus, et quem illi reputant ut suum prophetàm, de illis dixit: Cretenses semper sunt mendaces, malæ bestiæ, ad nocendum semper paratæ, gulæ et inertiæ dediti.

13. Hoc Epimenidis de Cretensibus testimonium est verum; quapropter severè et acriter illos admone et argue de his vitiis, et cura diligenter ut sanam fidei doctrinam servent.

14. Et non intendant Judæorum fabulis et traditionibus hominum, veritatem seu Evangelium aversantium, seu qui veritatem oderunt.

15. Christianis omnia munda sunt, seu nullus cibus immundus; immundis autem et infidelibus nullus cibus mundus est, non ex se, sed ob eorum infidelitatem et conscientiam erroneam.

16. Profitentur se nòsse Deum; sed factis professioni suæ contrariis negant, cùm sint ob peccata sua abominabiles, ob suam pervicaciam impersuasibiles, et vitio suo ad omne bonum opus inepti.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Paulus, servus Dei... Novo hic honoris titulo gloriatur D. Paulus, et meritò: gloriosum enim est, imò et fons gloriæ, Deo servire, Deo placere, Dei voluntatem exequi. Triplici autem titulo potest quis dici *servus Dei*: primò, per creationem: omnis quippe creatura, quâ talis, tota est à Deo; et ideò tota Dei, serva et mancipium Dei; secundò, per fidem: omnis enim homo christianus, per baptismum, se Deo lubens et volens consecrat; ejus mandata ex amore servaturum se, ejusque gloriam in omnibus se quæsiturum promittit; uno verbo, gratiâ divinâ fit filius et servus Dei; tertiò, per delegationem, seu specialem à Deo deputationem, ad aliquod in Dei familiâ et regno obeundum ministerium : v. g., ad prædicandum Evangelium; et de hâc præsertim servitute intelligendus hic locus. *Paulus, servus Dei,* non creatione tantùm, ut omnes creaturæ; non fide tantùm, ut omnes Christiani, sed et publicâ deputatione et delegatione, id est, publicus Dei minister et legatus in prædicando Jesu Christi; Filii Dei, Evangelio.

Observatio moralis.

Paulus, servus Dei. Cùm hoc lego, et ex ore D. Pauli audio, legatum à rege missum mihi videre et audire videor, qui cum apparatu, veneratione simul et pompâ, se sui regis servum dicit, regemque suum, cum reverentiâ, suum dominum vocat. Sed quid nos

Vers. 1. — *Paulus servus Dei.* Servum Dei Paulus se nominat, quòd in familiâ et regno Dei certum ministerium atque officium sibi injunctum habeat.

Apostolus autem Jesu Christi secundùm fidem electorum Dei: servus Dei et apostolus, seu legatus Christi, in hoc missus ut iis qui sunt à Deo electi fidem quâ salventur annuntiem, ut scilicet omnes fideles, maximè sanctos et electos, doceam veram, sinceram et sanctam fidem, quâ cognoscant veritatem.

Et agnitionem veritatis, quæ secundùm pietatem est,

docet hic apostolicus gloriandi modus? Ut in Dei famulatu gloriemur, ut cum gaudio et glorià nos Dei servos reputemus. *Servus Dei.* Apostolis æquidem hic titulus eximiè convenit; omni tamen Ecclesiæ ministro, imò et cuilibet fideli, pro suo modulo, competit; et quilibet illorum, in suo statu glorians, dicere potest: Ego servus Dei. *Servus tuus sum ego.*

Creatione tuus sum totus, ô fons entis, motûsque principium! à te pendeo in esse, in servari et in operari; totus ergo sum tibi mancipatus. Fide in Baptismo totus tibi devotus et consecratus; hinc et unctus, quasi res tibi sacra. Ordine meo; quilibet ecclesiasticus ordo est specialis cujuslibet clerici à Deo deputatio, ad tale in Ecclesiâ ministerium. Conditione meâ; quælibet conditio in Ecclesiâ est uniuscujusque Christiani destinatio ad tale vel tale quid in Dei regno faciendum, juxta Dei voluntatem; v. g., magistratus, ad justè judicandum; mercatura, ad æquum commercium; artes, ad fideliter laborandum et reipublicæ serviendum. Conditiones quidem suat aliæ aliis eminentiores; sed in hoc conveniunt omnes quòd Deisint erga nos voluntatis signa et quasi deputationes, ita ut de unaquâque verè dici possit: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra,* in tali talique statu.

Quid ergo cuilibet fideli faciendum ad suî sanctificationem? Se Dei ministrum in suo statu consideret, et ut Dei servus sic agat quod officii sui est, ut in hoc Dei famulatu seu in Dei voluntatis adimpletione unicè glorietur.

Magna, parva, sublimia, humilia sint mea ministeria; quid meâ refert, dummodò Regis regum voluntatem facio; dummodò ipsi placeo, et quod ipsi placet, hoc ago? Imò, si parva aut ferè nihil operor, mentis elationem, cordis arrogantiam, animæ pestem, salutis hostem, minùs timebo; christianæ humilitatis emolumenta faciliùs assequar. Quid magni coram hominibus Christus per annos triginta fecit? ignotus mundo, et Deus verè absconditus. Amemus ergo parva aut nihil agere, humiles, non pigri; Deo obedientes, non pusillanimes, Christi imitatores, non desidiosi. Unum hoc æstimemus. Deo servire, Deum amare, à Deo amari, Deo placere, quod Deo placet ex charitate facere; in omnibus Deo corde et voluntate uniri. Hoc plusquàm regnare est; hoc infinitè superat omnes seculi celsitudines; hoc præstat omnibus mundi regnis et imperiis, quia cœlestis et æterni cœlorum regni comparatio est et meritum. Sine hoc omnia nihil; quidquid ad hoc non tendit, nihilum est, et in nihilum abit.

Da mihi, Deus misericors, hoc plenè, integrè et semper sentire, ut verè dicam: *Mihi mundus crucifixus est;* mundum ut crucifixum horreo, aversor, fugio, ipsi nunquàm serviam. Ego servus tuus, *servus Dei*, hæc est gloria mea; hoc unum æstimo, diligo, volo, cætera sperno.

Apostolus autem Jesu Christi. Explicat in quo sit Dei servus: scilicet legatus, missus ad prædicandum Jesu Christi Filii Dei, per totum terrarum orbem, Evangelium.

Finis apostolatûs evangelici est ubique serere verbum Dei. Ad hoc Christus ipse venit in mundum: *Exiit qui seminat seminare...*, Matth. 13, 3. Ad hoc suos apostolos misit in omnem terram: *Euntes docete omnes gentes...*, Matth. 28, 19; *sicut misit me Pater, ita ego mitto vos...*

Secundum fidem electorum Dei. Κατὰ, *secundùm*, significat hic materiam et finem prædicationis, seu ad quid missus sit prædicare Evangelium; quasi diceret: *Apostolus*, legatus missus sum à Christo, ut me prædicante Verbum Dei, credant electi Dei; seu missus prædicare, ut electos instruam in fide. Finis prædicationis evangelicæ est fides. *Fides ex auditu, auditus per Verbum Dei;* fides autem est *initium creaturæ Dei;* per fidem homines animales et terreni fiunt *genus electum, gens sancta..., nova in Christo creatura, et ob Christum Deo charissimi, electi Dei.*

Et agnitionem veritatis...; et ut credentes, seu per fidem cognoscant veritatem, quæ spectat ad veram religionem, seu quæ verum Dei cultum docet. Primarius et formalis effectus fidei est cognitio veritatis, sicut effectus lucis est illuminatio; ipsa autem fides est cognitio veritatis, non cujuslibet, sed veritatis quæ dat religionem, tenditque ad Dei cultum. In quo differt à philosophiâ: hæc dat rerum naturalium cognitionem; fides verò dat cognitionem veritatis, quæ spectat ad veram pietatem. Pietas itaque est alter fidei effectus, imò et finis.

Vers. 2. — In spem vitæ æternæ; Græc., *sub spe....* Quæ pietas spem vitæ æternæ secum annexam habet; seu, quâ pietate fideles Deum verum colant, sub spe vitæ æternæ, id est, sperantes vitam æternam. Sub lege, se colentibus Deus promiserat *terram fluentem lac et mel*, id est, bona terrena; sub fide, se colentibus Deus promittit regnum cœleste, vitam æternam, summè beatam. Finis apostolatûs Moysis (fuit enim à Deo missus) erat terra Hevæi et Amorrhæi, ait hic D. Thomas. Finis apostolatûs Christi et discipulorum ejus est regnum cœlorum, vita æterna. *In spem vitæ æternæ* missi sunt apostoli; seu ut hanc spem nobis darent; in hâc spe et sub hâc spe nos Christiani Deum colimus; piè et sanctè vivimus; temporalia et terrena spernimus, æterna, cœlestia, divina sperantes.

Quam promisit qui non mentitur... Hæc autem

in spem vitæ æternæ; quæ veritas circa pietatem verumque Dei cultum versatur; ex quo speranda nobis offertur vita æterna, idque juxta Dei promissionem.

Vers. 2. — *Quam promisit qui non mentitur*, etc.; quam (vitam æternam) *promisit*, id est, gratuitâ suâ liberalitate, seu spontè, gratis et ultrò promisit. Chrysost.: *Promisit*, inquit, id est, dare decrevit, proposuit, prædestinavit apud se in suâ mente divinâ dare fidelibus suis vitam æternam. *Ante tempora secularia*, ante mundi constitutionem, priusquàm mundus esset, puta ab omni æternitate. Ut sit sensus, Deum ab æterno præordinâsse et constituisse dare electis

nostra spes, non inanis, aut frustatoria ; sed certa firmaque est, sicut Deus ipse certus firmusque, utpote tota in Deo fundata.

Hanc enim vitam æternam, Deus ipse, *qui non mentitur*, ἀψευδὴς, expers mendacii, fallere nesciens, id est, summè verax, PROMISIT ANTE TEMPORA SECULARIA, id est, ab æterno proposuit, prædestinavit, dare decrevit.

Duo sunt in promittente sincero, voluntas dandi et ipsa promissio ; hic voluntas, seu decretum Dei sumitur pro promissione. Spes itaque nostra firma est, primò ex parte Dei promittentis, qui summè verax est et fallere nescit ; secundò, ex parte promissi, seu propositi et decreti, quod æternum et immobile est. Æternâ, immobili, Dei summè veracis promissione innixi, firmiter speramus et *gloriamur in spe filiorum Dei.*

VERS. 3. — MANIFESTAVIT AUTEM... VERBUM SUUM... Totus contextus indicat per *verbum suum* hic intelligendum esse decretum promissionis de quâ supra. Sed hoc indicat præsertim et articulus, τὸν λόγον αὐτοῦ, *verbum illud suum*. Articulus enim vim habet repetendi quod præcessit. Et conjunctio adversativa *autem*, quæ hæc præcedentibus annectit. Itaque sensus est : Hoc quidem decretum seu promissio ab æterno latuit in Deo; tempore autem ad id à se destinato, illud patefecit per publicam Evangelii prædicationem, quæ mihi concredita est, ex mandato et delegatione *Dei Salvatoris nostri*. Hinc in Deum, summè veracem, non tantùm credendum et sperandum est, sed Deum summè bonum, nosque summè diligentem diligere debemus. *Ipse prior dilexit nos*, ab æterno, suâ sponte, gratis et ultrò nobis æterna promisit, dare decrevit. *Ipse prior dilexit nos*, in tempore, nobis clarè, manifestè, publicè, per apostolos, imò per ipsum Christum, suam erga nos beneficam voluntatem declaravit. *Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam, et ego resuscitabo eum*, Joan. 6, 40. Deum taliter et tamdiù nos diligentem diligamus, adoremus, colamus, ipsi gloria in secula.

Observationes dogmaticæ et morales.

Hoc quidem et omnes supra tactas veritates hìc omnibus Christianis obiter insinuat Apostolus ; sed apostolicos viros de suis officiis, juxta Epistolæ suæ scopum, specialiter instruit. Cur enim apostolatûs sui finem et functiones fusiùs hic explicat quàm alibi, nisi ut Tito et omnibus Ecclesiæ prælatis et animarum ministris, in ipsâ salutatione, quasi in speculo, exponat quid esse, et quid agere debeant ?

Exordium itaque longiusculum quidem, simos attendatur Apostoli, sed valdè breve, si doctrina spectetur quam continet; totum enim doctrina est, et totius Epistolæ quasi epitome.

Attendant igitur ad illud apostolici viri : quid est apostolus ? episcopus, pastor, doctor, concionator, confessarius et quilibet salutis animarum minister. *Servus Dei*, missus à Christo, ut prædicatione, doctrinâ, serat verbum Dei, *verbum salutis, Evangelium Christi*. Ad quid illa divini verbi satio ? primò, ut ex ejus auditu fides vel nascatur vel nutriatur et crescat in electorum animabus, et per fidem homines terreni fiant *nova in Christo creatura, Deo chari, electi Dei*. Secundò, ut per fidem cognoscant verum Dei cultum, sanctè pièque vivant. Tertiò, ut piè viventes, sperent vitam æternam eò firmiùs quò hæc nostra spes in Deo summè veraci, summè bono nititur. Quartò, ut in Deum ab æterno promittentem sic sperent, ut et gratis, ultrò, et ex solâ bonitate promittentem, diligant ; priùs et ab æterno diligentem diligant.

Apostolicarum itaque functionum quasi epitome hæc est, docere, verbo Dei fidem in fidelibus nutrire, pietatem augere, spem firmare, charitatem accendere. Hoc qui præstat, verus et fidelis Dei servus est; hoc qui non facit, servus inutilis est. Qui verò vel verbis, vel operibus suis, contrarium facit, servus nequam est et antichristus.

Deus bone ! Deus clemens ! Deus misericors ! parce mihi indigno, inutili et nequam servo tuo, tot et tot in officio meo prævaricationes, tot negligentias et omissiones, tot verba, totque opera inutilia, nociva, scandalosa, animas à te avertentia. Da mihi, ô piissime Pater, voluntatem tuam fideliùs exequi ; verbis et operibus fidem in electorum tuorum animabus augere, pietatem nutrire, spem roborare, charitatem accendere, ut ex ore Domini mei Jesu Christi, Filii tui, audiam aliquando : *Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca...*

Hoc ut in aliis præstare valeas, in temetipso primùm operari stude ; assiduâ verbi divini meditatione, digestione, et in tuam quasi substantiam transformatione, fidem tuam robora, pietatem refove, spem firma, charitatem inflamma. Ignitus alios illuminabis et calefacies.

VERS. 4. — TITO DILECTO ; Græc., *germano*, id est, vero et genuino *filio, secundùm fidem* mihi et illi *communem*, quâ illum in Christo genui. Fides est initium creaturæ Dei ; hinc qui fidem alteri communicat, ipsius in Christo pater est, hunc que in Christo gignit. Omnes Christiani debent esse apostolorum germani filii. Vide primam ad Tim. 1, v. 2.

GRATIA ET PAX ; Græc., *gratia, misericordia et pax*. Ita Theodoretus, Theophylactus, Œcumenius. D

vitam æternam, quæ dari decreta sive prædestinata est. Quod enim nobis dari decretum est, idipsum nobis quasi promissum est. Deus promisit se nobis per Christum daturum esse vitam æternam.

VERS. 3. — *Manifestavit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione* (id est, per prædicationem) *quæ credita est mihi*, etc., id est per delegationem mihi factam à Deo Salvatore nostro. *Verbum suum*, puta Dei ; hic vocat Dei promissionem jam dictam de vitâ æternâ. Verbum illud suum, vel promissionem illam suam, olim scilicet in Deo occultam et reconditam, jam per prædicationem meam manifestavit.

VERS. 4. — *Tito dilecto filio secundùm communem fidem*, etc. *Communem fidem* dicit suam et Titi, ut benè exponit Hieronymus. Eamdem mecum habes fidem ; fides mea fides tua est, tibique communis.

tamen Chrysostomus in suo textu Græco non habet ἔλεος, *misericordia*. Sed quod plus est, juxta Erasmum hic in Notis, Origenes in Epistolâ ad Romanos annotans ac distinguens formas salutationum quibus D. Paulus usus est in singulis Epistolis, sic loquitur : Ad Timoth. primâ et secundâ, *gratia, et misericordia, et pax*, etc.; ad Titum verò, *gratia et pax à Deo Patre*. Cùm ergo aliunde nec Ambrosius, nec D. Hieronymus, nec alii Latini legerint *misericordia*, meritò creditur additum. Votum tamen est patre spirituali pro filio spirituali orante dignum ; quid enim *spiritualis* pater suo in fide filio utilius optaret, quàm *gratiam*, quâ secundùm fidem vivat ; *misericordiam*, quâ Deus illius in fide defectus indulgeat; *pacem* internam, quâ fidem et gratiam roboret; *pacem* æternam, quâ coronet in æternitate?

Hujusmodi precibus plus cæteris indigent doctores et sacerdotes, ait D. Chrysostomus, ut quibus necessitatis plus immineat, plusque periculi divinæ offensionis incumbat ; nam, quantò fuerit celsior dignitas, tantò sacerdotis majora sunt pericula. Quod clariùs explicat Theophylactus, *dicens* : Magis enim episcopus et doctor *gratiâ* Dei indiget, ut qui multa onera bajulet ; et *misericordiâ*, ut qui multis sit obnoxius ; *et pace*, ut qui turbis et innumeris telis impetitur.

Vers. 5. — Hujus rei gratia reliqui te Cretæ..., id est, idèò te in insulâ Cretâ reliqui, episcopum, archiepiscopum et toti insulæ præpositum.

Ut ea quæ desunt corrigas, *ut* in eâ *corrigas*. Græc., *supercorrigas*, id est, pergas corrigere, quæ corrigenda restant; seu, ut in eâ ordines quæ restant ordinanda, et ob brevitatem temporis ordinare non potui.

Et constituas, et præsertim per singulas civitates *constituas* presbyteros, in majoribus scilicet episcopos, in minoribus pastores.

Sicut, seu quales præcepi tibi. Hinc collige primò quòd Ecclesiarum fundamenta jaciebant apostoli; deinde idoneis ministris, qui superædificarent, eas committebant, ipsi ad alias orbis partes properaturi. Collige secundò ab apostolorum tempore fuisse inter Ecclesiæ ministros subordinationem seu varios in hierarchiâ ecclesiasticâ gradus sibi invicem subordinatos : D. enim Paulus in omnem terram missus, Titum toti insulæ Cretæ præponit episcopum, archiepiscopum et primatem; huic præposito præcipit ut alios constituat in singulis civitatibus inferiores sibi presbyteros, *episcopos* scilicet et parochos. Hanc ergo ministrorum subordinationem vel ipse Christus instituit, vel apostoli ab ipso Christo edocti instituerunt.

Vers. 6. — Si quis sine crimine est... Conditiones notat in episcopo requisitas : ac primò, quòd sit *sine crimine*, Gr., *inculpatus*, inaccusabilis, irreprehensibilis, id est, de quo nulla fieri possit justa querela. Vide primam Timoth. 3, 2, ubi habes hujus conditionis explicationem et rationem.

Unius uxoris vir. Secundò, sit *unius* tantùm *uxoris vir*, seu non bigamus. Vide ibidem hujus præcepti sensum et rationem tum mysticam tum moralem.

Filios habens fideles. Tertiò, ut si quos filios habuit nondùm ordinatus, hi fideles sint, Christi scilicet fidem professi.

Non in accusatione luxuriæ. Luxui non sint obnoxii, sed in omni genere ita moderati ac temperantes, ut nec de luxu in comessationibus et potationibus, nec de luxuriâ fuerint accusati, aut suspecti. ἀσωτία universum intemperantiæ genus significat ; benè tamen pro luxuriâ speciatim sumitur.

Aut non subditos. Quartò, parentibus sint obedientes; non sint inobsequentes, intractabiles. Pietas, temperantia, obedientia filiorum, indicant patris probitatem et illius diligentiam in suis instituendis filiis. Hinc dignum eum demonstrant, cui majus et amplius regimen committatur. È contra qui proprios filios negligit, quomodò alienorum curam habebit? Vide 1 Tim. 3, v. 4 et 5.

Vers. 7. — Oportet enim episcopum... Redit ad episcopum, et de eo repetit quod jam dixit : *Oportet episcopum...*, redditque rationem, quia domûs Dei dispensator est et œconomus : Sicut Dei dispensatorem. Homini ob crimen in jus vocato nemo sapiens rerum suarum dispensationem committet ; homini culpato, de crimine suspecto conferetur administratio domûs Dei, dispensatio verbi divini et sacramentorum Dei? Quia ergo episcopus est œconomus Dei, sit ab omnibus vitiis liber, præsertim à quinque episcopum maximè dedecentibus :

Ab arrogantiâ, *non superbum;* Græcè, *non arrogantem*, id est, non protervum, inflexibilem, sui sensûs et judicii tenacem. Regimen ecclesiasticum humile debet esse : *Reges gentium dominantur...; vos autem non sic, sed qui...*, etc. Antigonus rex filio suo subditos ferociùs tractanti dixit : An ignoras, fili, regnum nostrum splendidam esse servitutem? Hoc Christus episcopis

Vers. 5. — *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ* (id est, in Cretâ, scilicet insulâ), *ut ea quæ desunt corrigas*, id est, ut quæ reliqua sunt, scilicet quæ adhuc corrigenda restant, nec à me tam citò corrigi potuerunt, pergas corrigere.

Et constituas per civitates presbyteros, id est, per singulas civitates. De solis iis loquitur civitatibus in quibus erant justo numero fideles, quibus episcopus attribueretur.

Sicut et ego disposui tibi; sicut ego tibi ordinaveram sive præceperam; q. d. : Tales constitue episcopos, quales præcepi.

Vers. 6. — *Si quis sine crimine est*; qui sic vixerit, ut nullus eum meritò possit in crimen vocare, quique sit boni nominis et famæ.

Unius uxoris vir, qui, si uxorem habeat, aut habuerit, non tamen acceperit secundam, sed unâ contentus vixerit. *Filios habens fideles*, id est, Christi fidem professos.

Non in accusatione luxuriæ, id est, qui de luxu non possunt accusari. *Aut non subditos*, qui subjici nolunt, qui in ordinem cogi non possunt.

Vers. 7. — *Oportet enim episcopum sine crimine esse*, id est, sine graviori scelere ; *sicut Dei dispensatorem*, hoc est, tanquàm Dei vicarium ac ministrum in dispensatione Evangelii et sacramentorum.

Ab iracundiâ, *non iracundum;* ab ebrietate, *non vinolentum*, vide 1 Tim. 3, 3; a violentiâ, *non percussorem*, ibid.; medicus enim est : medicus autem vulnera curat, non ipse vulnerat, ait Theophylactus post S. Chrysost.; ab avaritiâ, *non turpis lucri cupidum*, ibidem.

Vers. 8. — Sed hospitalem... Virtutes his vitiis oppositas notat : hospitalis sit, etiam erga ignotos et extraneos beneficus, 1 Tim. 3, 2.

Benignum; Gr., *amantem bonorum*, φιλάγαθον, seu sit proborum speciatim amicus, bonique amator.

Sobrium; Gr., σώφρονα, alii *prudentem*, alii *sobrium*, alii *castum* vertunt. Sapiens ergo, moderatus et sobrius sit in omnibus actibus suis.

Justum, erga omnes, seu unicuique quod suum est tribuentem.

Sanctum, pius sit et religiosus erga Deum.

Continentem, ab omni prorsùs intemperantiâ sit alienus. Syrus : *Qui se contineat à concupiscentiis.* Non malè : *Qui castitatem continè servet;* talis enim propriè dicitur continens.

Vers. 9. — Amplectentem eum....; Gr., *tenacem ejus*, etc. Tria hìc notantur : diligentia studii, *sit tenax*, etc.; materia studii, *sermo fidelis*, etc.; finis seu utilitas studii, *ut possit*, etc. Vide D. Thomam. Indicat ergo qualitates ex parte ingenii requisitas; non sufficit enim vita bona in episcopo, sed præterea requiritur ut sit doctus, sit doctrinæ sanæ; ut possit alios docere; fideles ad pietatem et ad quamlibet virtutem hortari; hæreticos autem redarguere et convincere.

Multis explicat hìc quod ad Tim. primæ cap. 3, 2, uno verbo dixit, *doctorem*. Sit ergo tenax fidelis sermonis, seu per fidem traditi, doctrinæ fidei, seu evangelicæ. Hanc scientiam curet, in hanc incumbat, Chrysostomus, Theophylactus. Non statuit ut sit disertus, sed ut divinorum eloquiorum sit peritus, ait Theodoretus; ut per sanam, integram et incorruptam Evangelii doctrinam possit exhortari, etc. Non opus est fastuosis verbis, sed summâ Scripturarum peritiâ, etc., quâ Paulus longè majora perfecit quàm Plato, ait D. Chrysostomus.

Non superbum, id est, sui sensûs ac judicii tenacem. *Non iracundum*, etc. Qui lucrum captet undecumque, etiam repugnante honesti ratione.

Vers. 8. — *Sed hospitalem, benignum, sobriùm, justum*, qui innocenter inter homines versetur. *Sanctum*, qui purè et incontaminatè Deum colat. *Continentem*, qui cupiditates refrenet, eas potissimùm quæ sunt à libidine et gulâ.

Vers. 9. — *Amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem.* Doctrinam vult intelligi pietatis christianæ. *Fidelem sermonem* suo more vocat eum qui est certæ et exploratæ veritatis.

Ut potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, hoc est, sufficiens et idoneus sit qui exhortetur ad pietatem et ad omne genus virtutis; idque per sanam, integram et incorruptam Evangelii doctrinam.

Et eos qui contradicunt arguere, id est, eos qui sanæ doctrinæ resistunt et obloquuntur, tum Scripturæ testimoniis, tum firmis rationibus revincere.

Vers. 10.— *Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui et seductores*, hoc est, mentium deceptores, id est, qui pravis opinionibus mentes hominum inficiunt, qui errores seminant inter fideles.

Vers. 10. — Sunt enim multi etiam inobedientes... Rationem assignat cur supradicta scientia in episcopo requiratur, maximè apud Cretenses, quia scilicet quàmplurimi sunt apud eos refractarii, christianæ disciplinæ et doctrinæ impatientes.

Vaniloqui, vana, inania, frivola et fabulosa docentes.

Seductores, qui errores seminant et erroribus seducunt, seu à veritate abducunt.

Maximè qui de circumcisione, maximè ex Judæis, quorum multi erant in Cretâ; hinc, Act. 2, in die Pentecostes : *Cretenses*, etc. Hi à Judaismo conversi, Judaismum cum christianâ religione observandum docebant.

Vers. 11. — Quos oportet redargui; Gr. : *Quibus oportet os obturare*, erroris scilicet convincendo, vel silentium imponendo, ait D. Chrysostomus. Ideò autem durè et imperiosè cum illis agendum, ob aliorum utilitatem.

Qui universas domos... Domos enim et familias integras suis erroribus pervertunt, à salute abducunt, falsa eos et erronea docentes.

Turpis lucri gratia, avaritiâ ducti; quæstum enim æstimant pietatem. Fides fundamentum ædificii spiritualis; hâc evulsâ, ruit ædificium, subvertitur domus.

Vers. 12. — Dixit quidam ex illis..., id est, unus ex illis Cretensibus, et ideò qui eos benè noverat, et cujus testimonium recusare non possunt, quia illum ut prophetam suum reputant; dixit de eis :

Cretenses semper mendaces; hoc nomine semper infamati fuerunt. Hinc proverbium Græcorum : *Cum Cretensi cretizandum*, seu cum mendacibus mentiendum. Cretizare apud Græcos mentiri. Adagium Græcum : Τρία Κάππα κακίστα, *tria pessima Kappa*, Cilices, Cretenses, Cappadoces.

Malæ bestiæ, ad nocendum semper paratæ, ictu, cornu, morsu, veneno.

Ventres pigri, gulæ et inertiæ dediti. Hic poeta Cretensis est Epimenides. Dicitur autem à sancto Paulo propheta, quia pro tali habebatur à Cretensibus; hinc, *proprius propheta*. Dicitur etiam propheta,

Maximè qui de circumcisione sunt, id est, Judæi; nam et Creta multos habebat ex dispersione Judæos.

Vers. 11. — *Quos oportet redargui*, id est, obturare illis os.

Qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet; docentes falsa et noxia, quæ faciunt ad subversionem fidei.

Turpis lucri gratiâ; significat eos avaritiâ excæcatos falsa docere, dùm quæstum existimant pietatem, ut ait 1 Tim. 6.

Vers. 12.—*Dixit quidam ex illis*, etc. *Propheta*, id est, doctor et ethicus, qui vitia gentis nativa describit, quod perinde est atque mores posterorum prædicere, quia vitia nativa parentûm ferè in posteros derivantur. *Malæ bestiæ* vocantur, quòd essent ad nocendum prompti more bestiarum earum quæ ictu morsuve venenum relinquunt.

quia poetæ vates appellabantur; denique quia scripsit de Oraculis. Hunc locum quem D. Paulus citat, versus est hexameter :

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί,

qui verti sic potest :

Cres semper mendax, mala bestia, venter iners est.

VERS. 13. — TESTIMONIUM HOC VERUM EST : Hoc verum esse experientiâ didici. Non alia quæ poeta dixit Paulus approbat, sed tantùm hoc testimonium. Id autem dicit non maledicus, sed ex charitate ulcus ostendit medico, ut illud sanet. Hinc statim addit :

QUAM OB CAUSAM, seu tales cùm sint, severè et acriter eos admone, *increpa* et argue. Non despero quin Dei gratiâ sanentur, Evangeliique fructum percipientes, fiant veridici, benefici, abstinentes et laboriosi.

INCREPA ILLOS DURÈ : Profundiorem infligе plagam, D. Chrysostomus. Increpationis vulnus variè et habitâ uniuscujusque subditorum ratione est infligendum. Idem.

UT SANI SINT IN FIDE, id est : Sed et cura ut integritatem fidei servent incorruptam, respuentes quidquid ei contrarium suggeritur.

VERS. 14. — NON INTENDENTES JUDAICIS... : Et nominatim aures non præbeant Judæis seductoribus, de quibus supra, fabulas suas venditantibus, et hominum perversorum et veritatem adversantium instituta prædicantibus. Fabulosa à Rabbinis excogitata, et multa ab illis instituta, quales sunt deuteroses, Thalmudicas traditiones, ineptiarum et impietatis plenas.

VERS. 15. — OMNIA MUNDA MUNDIS. In particulari refutat errorem judaizantium, qui certos cibos ut immundos reputabant, quasi lex Mosaica vigeret adhuc : contra quos D. Paulus docet nullum cibum, aut naturâ suâ, aut Dei præcepto, Christianis immundum esse. Itaque *mundis*, id est, Christianis in sanguine Christi mundatis, *omnia munda* sunt, seu nullus cibus vel ex se, vel ex lege, immundus est. Nec enim Ecclesia prohibet aliquorum ciborum usum, quasi sint immundi, sed pœnitentiæ causâ, quam certis diebus præcipit. Vide 1 Tim. 4; 3 Rom. 14, 6.

COINQUINATIS AUTEM ET INFIDELIBUS, id est, immundis et infidelibus, seu judaizantibus, nullus cibus est mundus, ob eorum scilicet infidelitatem et conscientiam erroneam. Putant, juxta legis Mosaicæ præscriptum, sibi à carne suillâ, v. g., abstinendum : vel ergo abstinent ab illâ, et sic contra fidei veritatem peccant superstitione; vel non abstinent, et sic peccant contra conscientiam, dictantem sibi abstinendum esse. Hoc significant Apostoli verba : INQUINATÆ SUNT EORUM MENS ET CONSCIENTIA : *mens*, per errorem suum; *conscientia*, per peccatum, quod erroris sui fructus et effectus est.

VERS. 16. — CONFITENTUR SE NOSSE DEUM... Judaizantes isti profitentur unius Dei notitiam et cultum, sed quem ore confitentur,

FACTIS NEGANT : cùm sint ob morum impuritatem abominabiles, seu execrabiles; cùm sint etiam INCREDIBILES, id est, increduli, impersuasibiles, pervicaces et inobedientes; et vitio SUO AD OMNE BONUM OPUS inepti; quia scilicet Christum et Christi gratiam, boni operis principium, rejiciunt, suamque justitiam ex lege Mosaicâ requirunt.

Hinc collige quovis peccato negari Deum : Christus est sapientia, justitia, veritas, sanctitas : per insipientiam negatur sapientia, per iniquitatem justitia, per mendacium veritas per turpitudinem sanctitas, per imbecillitatem animi fortitudo, et quoties vitiis vincimur, Deum negamus; è contrario quoties boni quid agimus, non ore, sed reipsà Deum confitemur. D. Hieronymus.

VERS. 13. — *Testimonium hoc verum est.* Noverat hoc Paulus experientiâ doctus, et famâ publicâ.

Quam ob causam increpa illos durè, ut sani sint in fide, id est, ut integritatem doctrinæ christianæ conservent, ac quidquid ei contrarium suggeritur, respuant.

VERS. 14. — *Non intendentes Judaicis fabulis,* ne seductoribus illis Judæis, fabulas suas Judaicas venditantibus, aurem præbeant.

Et mandatis hominum, etc., id est, *aversantium veritatem,* qui aversantur veritatem, et pro veritate fabulas substituunt, maximè Judaicas, puta de servandis legis cæremoniis, ac præsertim de servando ciborum delectu, ne quis carne suillâ, leporinâ, aliâve quam lex, Levit. 11, quasi immundam vetat, vescatur.

VERS. 15.—*Omnia munda mundis,* q. d. : Christianis, qui sanguine Christi in baptismo mundati sunt, nullus cibus, nullum animal, nulla res, vel naturâ suâ, vel propter legem Moysi, habenda est immunda, sed omnia eis sunt munda, ut omnibus vesci et uti sine scrupulo possint. *Omnia munda mundis,* quia servi Dei in eo quòd carnibus et vino abstinent, non tanquàm res immundas refugiunt, sed mundioris vitæ instituta sectantur. inquit August., lib. 31, contra Faust., cap. 4.

Coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia. Infidelis, sive comedat sive abstineat, non sanctè vel justè comedit vel abstinet, quia pravâ opinione utrumque facit inquit Augustinus.

VERS. 16. — *Confitentur* (id est, profitentur) *se nôsse Deum, factis autem negant,* quia facta professioni nequaquàm respondent, utpotè præceptis Dei, cujus notitiam jactant, omninò contraria. Manifestè notatur Judæorum hypocrisis.

Cùm sint abominati et incredibiles, propter vitæ morumque impuritatem, *et ad omne opus bonum reprobi,* id est, improbi, aversi, inepti, idque ob suam malitiam. Erant *reprobi*, propterea quòd doctrinæ sanæ pertinaciter resisterent.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

1° Attende, ô Dei minister, quantus sit honor tuus, Deo, Regi regum, et Domino dominantium, servire : hic est fons honoris; hoc multò plùs quàm in toto terrarum orbe regnare, quia cœlestis et æterni regni meritum. In hoc itaque Dei famulatu gloriare, ordinemque tuum, quo ad tale ministerium à Deo deputatus gaudens et gloriabundus admple; certus quoniam hæc est voluntas Dei, sanctificatio tua in tali ordine.

Hoc eodem honore potiri potes et debes, ô Chri-

stiane, serve Dei. Considerans ergo statum tuum, quasi tuam à Deo deputationem ad tale vel tale quid agendum, hoc ipsum adimplens, gloriare quòd Deo servis, certus quòd et hæc sit Dei voluntas, sanctificatio tua in tali statu.

Vide dicta in commentario, v. 1; vide et observationem moralem.

Nemini displiceat ministerii sui vilitas, quia humiliora sæpè saluti utiliora. Vide ibidem.

2° Quilibet Dei minister notet seriò ecclesiasticarum functionum epitomem, de quâ D. Paulus in primis versibus, scilicet docere, verboque Dei fidem nutrire, spem firmare, charitatem accendere. Videat dicta in fine v. 3, et observationes, etc.; et in se reflexus attendat quomodò hæc adimpleat, et an reverà sit fidelis Dei servus et animarum minister; an verò servus nequam. Ibidem.

3° Episcopus et sacerdos plus cæteris indiget misericordiâ Dei. Vide quare, v. 4. Episcopus semetipsum animadvertat in v. 6, 7, 8, 9; quæ vitia ipsum maximè dedecent, v. 6 et 7; quæ virtutes ipsi maximè conveniunt, v. 8; quæ dotes in ipso requisitæ ex parte ingenii, v. 9.

CAPUT II.

1. Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam:

2. Senes, ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientiâ;

3. Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, benè docentes

4. Ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant,

5. Prudentes, castas, sobrias, domûs curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei.

6. Juvenes similiter hortare, ut sobrii sint.

7. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in gravitate;

8. Verbum sanum, irreprehensibile; ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.

9. Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes,

10. Non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes; ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus.

11. Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus,

12. Erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobriè, et justè, et piè vivamus in hoc sæculo,

13. Expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi;

14. Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

15. Hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

CHAPITRE II.

1. Mais pour vous, instruisez votre peuple d'une manière qui soit digne de la saine doctrine:

2. Enseignez aux vieillards à être sobres, chastes, prudents, et à se conserver purs dans la foi, dans la charité et dans la patience.

3. Apprenez de même aux femmes avancées en âge à faire voir dans tout leur extérieur une sainte modestie, à n'être point médisantes, ni sujettes au vin; mais à donner de bonnes instructions,

4. En inspirant la sagesse aux jeunes femmes, et en leur apprenant à aimer leurs maris et leurs enfants,

5. A avoir une conduite réglée, chastes, sobres, attachées à leur ménage, bonnes, soumises à leurs maris; afin que la parole de Dieu ne soit point exposée au blasphème.

6. Exhortez aussi les jeunes hommes à être sobres.

7. Rendez-vous vous-même un modèle de bonnes œuvres en toutes choses, dans la pureté de la doctrine, dans l'intégrité de votre vie, dans la gravité de vos mœurs.

8. Que vos paroles soient saines et irrépréhensibles, afin que nos adversaires rougissent, n'ayant aucun mal à dire de nous.

9. Exhortez les serviteurs à être bien soumis à leurs maîtres, à leur complaire en tout, à ne les point contredire,

10. A ne détourner rien de leur bien, mais à leur témoigner en tout une entière fidélité; afin qu'en toutes choses ils fassent honneur à la doctrine de Dieu notre Sauveur.

11. Car la grâce de Dieu, notre Sauveur, a paru à tous les hommes,

12. Et elle nous a appris que, renonçant à l'impiété et aux passions mondaines, nous devons vivre dans le siècle présent avec tempérance, avec justice et avec piété,

13. Etant toujours dans l'attente de la béatitude que nous espérons, et de l'avénement glorieux du grand Dieu et notre Sauveur Jésus-Christ,

14. Qui s'est livré lui-même pour nous, afin de nous racheter de toute iniquité, et de nous purifier, pour se faire un peuple particulièrement consacré à son service, et fervent dans les bonnes œuvres.

15. Prêchez ces vérités; exhortez et reprenez avec autorité. Faites en sorte que personne ne vous méprise.

ANALYSIS.

1° *Titum ad omnem in genere sanam doctrinam hortatur, v.* 1; *deinde instruit eum quid debeat docere senes, v.* 2; *quid anus, v.* 3, 4, 5; *quid juvenes, v.* 6.

2° *Titum ipsum monet, ut omnibus se præbeat exemplum bonorum operum, v.* 7; *utque doctrinam sanam et gravem cum morum integritate conjungat, v.* 8.

V. autem 9 *et* 10 *tangit quid Titus servos doceat.*

3° *Ut Titum ad omnes supradictos seu liberos, seu servos, verbis et exemplis docendos potentiùs excitet, proponit illi Christi Salvatoris exemplum, qui visibilis apparuit, ut omnes, et liberos, et servos, exemplis et verbis suis instrueret, v.* 11. *Ipsius doctrinæ brevem facit epitomem, v.* 12, 13. *Mortis ipsius finem et scopum declarat v.* 14. *Hæc omnia vult à Tito cum auctoritate prædicari.*

PARAPHRASIS.

1. Fabulas docent illi : tu autem populum tuum doce quæ sanæ doctrinæ sunt consentanea (et eorum moribus sanctificandis accommoda).

2. Senes hortare ut sint sobrii, pudici, prudentes, sinceri in fide, in dilectione, et in patientiâ.

3. Hortare similiter anus, ut sint in habitu sancto, seu externâ corporis compositione quæ sanctitatem redoleat; non sint calumniatrices, non bibaces, sed recta suis exemplis et verbis docentes.

4. Adolescentulas igitur omnem suo sexui, et ætati, et statui convenientem sapientiam doceant, scilicet ut suos maritos ament, suosque filios diligant ;

5. Ut sint prudentes, castæ, sobriæ, domi assiduæ, remque domesticam curantes, mites et benignæ erga domesticos, viris suis subditæ ; ne propter eas malè audiat Evangelium apud infideles.

6. Similiter hortare juvenes, ut temperantes sint et sobrii.

7. In omnibus temetipsum præbe exemplar bonorum operum ; in doctrinâ docendique modo, in puritate vitæ, in gravitate conversationis.

8. Sermo tuus nihil noxium contineat, nihilque quod possit reprehendi, ut adversarius pudefiat cùm nihil possit in nobis reprehendere.

9. Servos hortare ut dominis suis subditi sint, illisque in omnibus placere studeant, non respondeant, neque in illos mussitent :

10. Nihil furtim detrahant, sed sint in omnibus fideles, ut suâ fidelitate et obedientiâ christianam doctrinam apud omnes commendatam reddant, sicque fidei fiant ornamenta.

11. (Talia ergo doce omnes, et liberos, et servos) etenim Jesus Christus, Salvator noster, ipsa Dei gratia substantialis, per incarnationem apparuit, et illuxit omnibus hominibus, liberis et servis ;

12. Et nos omnes erudivit, velut pædagogus noster, ut abdicantes impietatem et mundana desideria, in hoc seculo vivamus sobriè, et justè, et piè.

13. Expectantes æternam beatitudinem quam speramus, et adventum gloriosum Jesu Christi, magni Dei, et Salvatoris nostri.

14. Qui (non tantùm nos erudivit, sed et) semetipsum pro nobis dedit in mortem, ut nos ab omni redimeret iniquitate et à peccatorum sordibus per suum sanguinem mundatos, nos possideret populum sibi peculiarem, et instar peculii sui selectum ; populum, inquam, bonorum operum summè et ardenter studiosum.

15. Hæc omnia quæ dixi doce nescientes; exhortare scientes ut in praxim ea redigant; refractarios autem et contradicentes argue cum plenâ potestate, ut Dei minister, sicque te in tuo geras officio, ut nullus ausit te despicere.

COMMENTARIA.

Verb. 1. — Tu autem loquere quæ decent.. : Judaizantes illi fabulas docent, hominumque commenta, cap. 1, v. 11 et 14; *tu autem*, ô serve Dei Evangeliique fidelis minister, doce quæ consentanea sunt sanæ fidei doctrinæ, de quâ cap. 1, v. 9 ; id est, vera, solida, christiana doce populum tuum, et quæ ad ejus corruptos mores reformandos judicabis maximè utilia. Quia ergo Cretenses tui, ut 1 cap., v. 12, dictum est, sunt *ventres pigri*, gulæ et inertiæ dediti, hinc, ut eos corrigas, sobrietatem viris, mulieribus, senibus et junioribus maximè commenda.

Hanc puto veram rationem cur in hoc capite quater præcipit sobrietatem.

Verb. 2. — Senes, ut sobrii sint.. : A senioribus incipe, ut aliis sint in exemplum. Itaque *senes* ætate (de illis enim hìc agi indicant sequentia) hortare *ut sobrii sint*.

Νηφαλίους εἶναι, *sobrios esse* : hæc vox equidem vigilantem significat æquè ac sobrium, ut 1 Tim. cap. 3, v. 2, dictum est ; sed hìc significat sobrium in cibo et potu ; patet ex toto contextu, et maximè ex ratione allatâ v. 1.

Senes ergo hortare ut sobrii sint in cibo et potu, et maximè in potu.

Præterquàm quòd enim, ut optimè D. Thomas ait, illam materiam sibi specialiter sobrietas adscribit, in quo maximè laudabile est mensuram servare, cujusmodi est potus inebriare valens ; quia sicut ejus mensuratus usus multùm utilitatis confert, ita et modicus ejus excessus multùm lædit, quia impedit rationis usum, etc. ; præterea, inquam, quia senilis ætas, utpote infirma, vino opus habet : vinum enim senum hæc esse aiunt Græci ; hinc senes moneri opus habent, ut in ejus usu modum servent, seu non plus utantur vino quàm eorum requirit valetudo. Modicus excessus in vino plus lædit quàm in aliis, ait idem. *Senes ergo sobrii sint.*

Pudici, σεμνούς. Vide 1 Tim. 3, v. 8. Sint maturi, graves, morum honestate conspicui, et præsertim ab omni lasciviâ maximè alieni.

Prudentes, σώφρονας, modesti, moderatè et prudenter se gerentes in omnibus.

Has virtutes à senibus, præsertim Cretensibus, requirit, non tantùm quia senes omnes maximè decent, sicut et vitia his virtutibus opposita ipsos dedecent, sed etiam quia æquum est ut qui cæteris ætate præstant, præstent et exemplo : vult itaque Paulus senes Cretenses sic sobrios, pudicos et prudentes gerentes; *sani in fide*, id est, integri, firmi et robusti ; *in dilectione, in patientiâ* : sani dilectione, quando non simulata, sed sincera est dilectio, et in Deum dirigitur ; sani patientiâ, quando dura et adversa tolerantur.

Verb. 1. — *Tu autem loquere*, etc. ; q. d. : Noli intendere fabulis Judaicis, uti faciunt judaizantes, sed sanæ doctrinæ Christi, nimirùm docendo primò

Verb. 2. — *Senes, ut sobrii sint, pudici, prudentes*, id est, in omni actione prudenter ac moderatè se

esse, ut exemplo suo sobrietatem, pudicitiam et moderationem omnem doceant juniores. A capitibus inchoanda populi reformatio, quia plus valent exempla quàm verba.

SANI IN FIDE IN DILECTIONE, IN PATIENTIA : Quia Cretenses semper mendaces, ne de illorum erga verum Deum pietate dici possit quod de eorum in Jovem superstitione dixit Epimenides : *Cretenses semper mendaces*, de hâc re vide D. Chrysostomum, homil. 3 in cap. 1 Epist. ad Titum : mone eos ut sint *sani in fide*, sinceri, orthodoxi ; sani *in dilectione*, sinceri, sine simulatione ; sani *in patientiâ*, ita sincerè coram Deo et hominibus patientes in adversis, ut nec in Deum, nec in proximum peccent.

Hanc autem patientiam sinceram habebunt, si verè sperent in Deum ; spes enim robur est animi. Hinc, 1 Thessal. 1, 3, dicitur *sustinentia spei*, quasi spes sit baculus et fulcrum sustentans et roborans.

Observatio moralis.

Tres itaque virtutes theologicas hic commendat Apostolus, fidem sinceram spem firmam, et charitatem non fictam. Quarum quidem virtutum sinceritatem speciatim requirit à Cretensibus senibus, ob rationem allatam, sed quarum frequentiam omnibus prorsùs senibus præcipuè consulit et præcipit ; primò, ut qui laborum corporeorum, ob ætatem, sunt incapaces, per has tres internas virtutes suam operentur salutem ; secundò, ut qui plurimis ob ætatem affliguntur ærumnis et infirmitatibus, has suas infirmitates et passiones sanctificent per frequentes fidei, spei et charitatis actus, sicque sanctificatæ, prosint illis et ad peccatorum suorum expiationem, et ad æternæ beatitudinis meritum. Patiantur ergo cum fide, et in fidei spiritu ; credant quòd pro Deo pati sit donum ipso fidei dono præstantius, juxta illud Phil. 1, 29 : *Vobis donatum est pro Christo, ut non tantùm in eum credatis, sed et pro illo patiamini.* Fides est inchoatio Christianismi ; bonum opus est Christianismi continuatio et accretio ; patientia autem est Christianismi consummatio. *Opus perfectum*, consummatum, Jacobi 1, 4. Sicut passione suâ Christus nostræ salutis opus consummavit, sic et patientiâ Christianus suam debet salutem perficere : hinc in fine vitæ tot nobis infirmitates, totque passiones plerùmque tolerandæ. Patiantur in spe, et cum spe, *sustinentiâ spei*. Hoc baculo maximè senes indigent, multis ob ætatem incommodis onerati : hoc igitur fulcro roborati et sustentati, dicant : *Momentaneum hoc et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Perpende verba, et simul compara : Momentum, æternum ; leve, pondus ; tribulationis, gloriæ.

Patiantur in charitate et cum charitate, Dei voluntatem adorantes, ad Deum anhelantes ; cupientes *dissolvi et esse cum Christo*, Philippensium 1, 25. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus*, Roman. 7, 24. *Quemadmodùm desiderat servus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.* Psal. 41, 2.

VERS. 3. — ANUS SIMILITER IN HABITU SANCTO..., id est : Ætatis provectæ matronas similiter exhortare ut sint *in habitu sancto*, ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖς.

Κατάστημα significat non vestimenta tantùm, sed et gestum, incessum, omnemque corporis compositionem. Ἱεροπρεπεῖς, *sanctè decentes*. Syr., *qui decet reverentiam Dei ;* quasi versentur in templo et loco sacro.

Christianas itaque matronas ætate seniores admone ut amictu, incessu, gestu, totiusque corporis compositione, sanctitatis christianæ decorum servent.

Sint in habitu, seu statu, qui sanctimoniam et modestiam christianam ubique redoleat : ita modestæ sint ubique, quasi in templo versentur et coram Deo. Eheu ! Paulus sui temporis matronas vult ubique sic modestas, quasi versentur in templo ; et multæ nostri temporis dominæ, nec in ipso templo modestiam servant, sed in templo quasi in theatro versantur ; væ nobis et temporibus nostris ! Ubi christiana modestia reperietur, cùm nec in templis servetur ab ipsis mulieribus ; imò cùm ibidem ab ipsismet publicè et scandalosè violetur ?

NON CRIMINATRICES, μὴ διαβόλους. Dæmon antonomasticè diabolus seu calumniator dicitur, quia Dei præceptum, primo parenti datum, malè interpretatus, Deo ipsi calumniam fecit, hâcque malitiosâ calumniâ Deo illatâ hominem fecit Deo rebellem. Qui hanc dæmonis malitiam imitantur, et calumnias disseminant, diaboli vocantur. Vide 2 Timoth. cap. 3, v. 3.

NON MULTO VINO SERVIENTES, id est, non bibaces, seu non multibibæ, merobibæ.

Ecce aniculis eamdem in potu sobrietatem commendat, quam, v. 2, commendavit senibus viris ; luxus quippe utrumque sexum Cretæ vitiaverat, *ventres pigri*. Senibus tamen, sive viris, sive mulieribus, non interdicit vinum, sed modicum concedit, ob ætatis infirmitatem, sicut juveni Timotheo infirmo. Lac quidem senum est, sed moderatè sumendum, quia modicus excessus plus lædit, v. 2.

Nota *servientes :* bibaces sunt vini mancipia.

BENÈ DOCENTES, id est, recta docentes, quod textus Græcus unâ voce compositâ exprimit καλοδιδασκάλους, honestarum rerum magistras ; quasi diceret : Domi, non in templo, juniores verbis et exemplis doceant, non inania, anilia, aut turpia, sed bona et honesta. Hic ab aniculis requirit quod, v. 2, à senibus requisivit, ut juniorum sint exemplum et magistræ in bono. Quæ ætate præeunt, et sapientiâ præeant. Addi potest quòd speciatim vult matronas seniores juniorum esse magistras, quia non decebat episcopum Titum,

VERS. 3. — *Anus similiter in habitu sancto*, ut sint in habitu qui sanctimoniam seu religionem deceat.

Non criminatrices, non detrahentes, *non multo vino servientes*. Ubi de diaconis agebat, dixit : *Deditos*, ut alterum sit alterius interpretatio : *Benè docentes :* bona docentes ; q. d. : Anus doceant juvenculas non levia, anilia aut turpia, sed bona et honesta, scilicet, prudentiam, charitatem, castitatem, etc.

scandali vitandi causâ, nisi pro concione et in publico, adolescentulas et juniores docere.

VERS. 4. — UT PRUDENTIAM DOCEANT..... Illas ergo doceant omnem suo sexui, ætati et statui convenientem sapientiam; moderatas et temperantes esse.

VIROS SUOS AMENT. Græc., φιλάνδρους, suorum maritorum amantes esse, casto scilicet amore et reverentiali; caput enim est.

FILIOS SUOS DILIGANT. Græc., φιλοτέκνους. Liberorum amantes, christiano scilicet amore, et ideò ordinato, vigilanti, qui eorum salutem et educationem præcipuè curet. Theophylactus notat quòd amor mariti *sit domesticorum bonorum caput*; si hoc affuerit, sequentur reliqua, etc.; si absit amor maritalis, etiamsi omnia affuerint, diffluent et pessum ibunt. Quæ maritum suum diligit, filios diliget, sobria erit et casta, domûs curam habebit, etc. Idem.

VERS. 5. — PRUDENTES, CASTAS ET SOBRIAS. Ecce sobrietatem tertiò commendatam.

DOMUS CURAM HABENTES. Græc., οἰκουρούς, domi assiduæ, seu domûs custodes. Harum symbolum, testudo.

BENIGNAS, erga domesticos.

SUBDITAS VIRIS SUIS, UT NON BLASPHEMETUR..... Ne propter eas malè audiat Evangelium apud infideles; quasi vel mala doceat, vel saltem illius doctrina nihil proficiat, sintque propter eas dicturi: Quid eis prodest hæc doctrina nova? Quot conjuges, ob horum præceptorum inobservantiam, sunt causa blasphemiæ! Quot hodiè divortia, quot scandala ob mores conjugum huic Pauli doctrinæ contrarios!

VERS. 6. — JUVENES SIMILITER HORTARE UT SOBRII SINT. Ecce sobrietatem quartò commendatam. Quia utrumque sexum et *omnem* ætatem luxus *corruperat*, hinc viris et mulieribus, senibus et juvenibus, luxui deditis, sobrietatem et modestiam vult præcipuè commendari. Commendat autem ut vitiosos curet; nullum quippe vitium est, quantùmvis inolitum, quod non sanet Christi salutifera gratia. *Hortare ergo juvenes ut sobrii sint.* Græc., *temperantes*; Ambrosius, *continentes*; Hieronymus, *pudicos* esse.

VERS. 7. —IN OMNIBUS. Græc., *circa omnia*, TEIPSUM PRÆBE EXEMPLUM; Græc., *typum* BONORUM OPERUM. Quia exempla verbis sunt ad *persuadendum efficaciora*, Titum hortatur ut se præbeat omnis virtutis exemplar, quod imitentur cæteri. Sit vita tua exemplar eorum quæ à te dicuntur, Theodoretus. Publica institutio, exemplarque virtutis sit vitæ tuæ splendor, seu archetypus ad imitandum præpositus, Theophylactus. Hoc idem Paulus Thimotheum docuit, 1, 2; hoc D. Petrus omnes episcopos docet 1, 5: *Forma facti gregis.*

IN DOCTRINA, IN INTEGRITATE, IN GRAVITATE. Explicat in quibus speciatim et præcipuè debeat aliis exemplum esse, scilicet: *In doctrinâ* sanâ et in modo docendi; *in integritate*, puritate et sanctitate vitæ; *in gravitate* regiminis scilicet et sanctæ cum hominibus conversationis; in modo docendi, in puritate morum, in gravitate regiminis. Græcus textus habet: *Circa omnia teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrinâ integritatem, gravitatem, incorruptibilitatem.* Syrus: *In omnibus autem exemplum in temetipso præbeto in omni opere bono, et in doctrinâ tuâ habeas sermonem sanum, castum et incorruptibilem, quem nemo contemnat...*

VERS. 8. — VERBUM SANUM... Sermo tuus sit talis, ut in eo nihil sit noxium, nihil quod possit reprehendi, ut adversarius, quicumque sit, Judæus aut Græcus, pudefiat, *cùm non possit in nos* episcopos quidquam arguere.

Licèt in textibus sit quoddam discrimen circa verba et verborum constructionem versiculorum 7 et 8, in hoc tamen conveniunt omnes, quòd D. Paulus Titum et in eo omnes episcopos hortetur, ut se omnis virtutis archetypum præbeat, ut doctrinam sanam sine erroris admixtione prædicet, gravem sine ullâ futilium vanitate, sanæ fidei conformem, et quam nemo possit reprehendere.

VERS. 9. — SERVOS DOMINIS SUIS SUBDITOS ESSE: Servos hortare ut suis dominis subditi sint, illisque in omnibus placere studeant, propter Deum, quem debent in eis revereri.

NON CONTRADICENTES. id est, non responsatores, neque mussitantes adversùs eos.

VERS. 10. — NON FRAUDANTES, id est, non suffurantes, nihil furtim detrahentes. Sed sint in omnibus fideles, ut suâ obedientiâ, fidelitate et morum integritate christianam doctrinam apud omnes commendatam reddant *sicque christianæ fidei fiant ornamenta*, doctrinam Salvatoris nostri ornent...

VERS. 4. — *Ut prudentiam doceant adolescentulas.* Loquitur autem de juvenculis tam nuptis quàm innuptis.

Ut viros suos ament, filios suos diligant. Ita debent viros suos amare, ut etiam timeant; ita timere, ut ament.

VERS. 5. — *Prudentes, castas, sobrias* esse, *domûs curam habentes;* hoc est, quæ assiduè sint domi, remque curent domesticam. *Benignas*, id est, placidas ac mites erga domesticos.

Subditas viris suis, quandoquidem vir caput est mulieris, 1 Cor. 11, Ephes. 5.

Ut non blasphemetur verbum Dei, hoc est, ne doctrina christiana malè audiat apud infideles.

VERS. 6. — *Juvenes similiter hortare ut sobrii sint;* sobrietas enim adolescentiæ summo est ornamento, quia cupiditatis vitium cum eâ acrius bellum gerit, inquit Theodoretus.

VERS. 7. — *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum*, etc. Sit doctrina et exemplar virtutis tuæ speculum vitæ, quod omnibus proponitur ad imitandum, inquit Chrysost.

VERS. 8. — *Verbum sanum irreprehensibile*, etc.; *qui ex adverso est*, id est, adversarius, puta gentilis, Judæus, vel hæreticus; *vereatur*, id est, pudefiat, confundatur.

VERS. 9. — *Servos*, (supple hortare) *dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, in omnibus* quæ cum voluntate Dei, qui supremus est Dominus, non pugnant.

Non contradicentes, non obloquantur, non obmurmurent.

VERS. 10. — *Non fraudantes*, (non suffurantes) *sed in omnibus fidem bonam ostendentes*, in omnibus integram præstantes fidelitatem. *Ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus*, id est, ut obedientiâ,

Servos negligebant pagani, hinc erant apud eos flagitiosissimi. Hos instruit fides christiana et bonos efficit. Servi itaque benè morigeri, fideles, obsequentes, modesti, patientes, christianæ fidei specialia sunt ornamenta. De servis vide plura Coloss. 3, 22., Ephes. 6, 5.

VERS. 11. — APPARUIT ENIM GRATIA DEI SALVATORIS. Hæc particula *enim* hanc propositionem nectit cum superioribus. Itaque cum D. Thomâ puto hìc plenam supradictorum rationem assignari, seu cur Tito præscripserit omnes homines, senes, anus, adolescentulas, juvenes et servos ipsos, verbo et exemplo docere; nimirùm quia Christus ipse Salvator noster, animarum nostrarum Episcopus, exemplo et verbo erudivit omnes et liberos et servos. *Apparuit*, Græc., *illuxit*, Syr. *patefacta est. Gratia Dei, Salvatoris* NOSTRI; Græc., *salutifera;* id est : Christus, Filius Dei, Deus et Salvator noster, fons gratiæ, ipsaque gratia substantialis, essentialis et divina; hæc, inquam, *gratia Dei Salvatoris nostri, apparuit,* illuxit, patefacta est, visibilis facta est.

OMNIBUS HOMINIBUS, seu liberis, seu servis, cùm *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*

VERS. 12. — ERUDIENS NOS. Et nos erudivit, velut pædagogus qui pueros erudit, παιδεύουσα. Erudivit primùm exemplis, deinde verbis : *Cœpit facere et docere.*

UT ABNEGANTES, id est, abdicantes impietatem, tum doctrinæ, tum morum.

ET SECULARIA, Græc., *mundana* DESIDERIA, id est, cupiditates carnis, opum, honoris et gloriæ, quas mundus, seu major pars hominum, appetit et sequitur.

fide et morum integritate doctrinam christianam apud heros suos commendatam reddant, quò plures ad eam amplectendam alliciantur.

VERS. 11. — *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus.* Nomine *gratia Dei*, ipsa beneficentia Dei intelligitur, quam benignitatem et humanitatem Dei appellat. *Salvatoris nostri*, id est, illa salutaris gratia, quæ omnibus salutem affert, apparuit. Gratia ergo hæc est misericordia et benevolentia Dei omnibus hominibus exhibita in incarnatione Christi; sive gratia hæc est ipsa incarnatio Verbi gratuita, aut ipse Deus Salvator gratuitè incarnatus, afferens nobis reconciliationem, remissionem peccatorum, omnemque gratiam, sapientiam, doctrinam et salutem. Ita Hieronymus.

VERS. 12. — *Erudiens nos, ut abnegantes impietatem et secularia desideria. Impietatem,* id est, incredulitatem, quâ Deum nec credebamus, nec colebamus, inquit Bernardus. *Secularia desideria*, id est, mundanas concupiscentias, hoc est, cupiditates omnes carnis, opum, honoris et gloriæ.

Sobriè, et justè, et piè vivamus in hoc seculo. Sobrietate seu temperantiâ, quâ quisque benè sit ordinatus erga seipsum; justitiâ, quâ erga proximos; pietate, quâ erga Deum. Quisquis ergo vult ad regnum pervenire cœlorum, vivat sobrius in semetipso, justitiam servet in proximo, pius perseveret in Deo. Fulgentius, lib. 1 de Remiss. pecc., cap. 28.

VERS. 13. — *Expectantes beatam spem,* dùm interim spe expectamus promissam beatitudinem, tanquàm præmium bonorum actionum hujus vitæ.

Et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, id est, illustrationem, sive illustrem ad-

VIVAMUS SOBRIÈ, id est, moderatè quoad nos. JUSTÈ erga proximum, ET PIÈ erga Deum.

VERS. 13. — EXPECTANTES BEATAM SPEM, id est, beatitudinem æternam, quam speramus, et quæ bonis hujus vitæ operibus promissa est, quasi merces.

ET ADVENTUM GLORIÆ, id est, gloriosum MAGNI DEI ET SALVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI. Sicut duplici constamus parte, sic et duplicem expectamus beatitudinem; animæ scilicet in morte, corporis autem in adventu Christi, per quem nostra resurgent corpora.

VERS. 14. — QUI DEDIT SEMETIPSUM PRO NOBIS : qui non tantùm natus est et apparuit ut nos erudiret, sed *et semetipsum* obtulit pro nobis in arâ crucis.

UT NOS AB OMNI INIQUITATE REDIMERET sanguinis sui pretio, utque nos à peccatorum sordibus per baptismi lavacrum mundatos adlegeret populum sibi selectum, peculiarem, peculium suum, suamque possessionem egregiam et præstantissimam. Hæc omnia significat POPULUS ACCEPTABILIS. Alludit D. Paulus ad Exod. 19, 5 : *Eritis mihi in peculium de cunctis populis.*

SECTATOREM, id est, zelatorem, summè et ardenter studiosum BONORUM OPERUM, seu ardenti studio virtutis exercitia capessentem.

VERS. 15. — HÆC LOQUERE ET EXHORTARE : hæc doce nescientes, exhortare scientes, ut juxta ea vivant; argue cum plenâ potestate refractarios et contradicentes : ita te gerens in officio, ut nemo te despiciat.

Quot in toto quidem hoc capite, ac præsertim in his ultimis versibus, veræ pietatis principia atque documenta? Sit ergo :

ventum et apparitionem. *Adventum gloriæ*, id est, gloriosum, splendidum. Expectantes manifestationem gloriæ magni Dei, quâ scilicet ejus majestas et magnitudo tunc omnibus innotescet; necnon manifestationem gloriæ Salvatoris nostri Jesu Christi, etc., cùm Filius magnâ luce et majestate venturus sit ad judicium, ut fideles suos præmiet et remuneretur;

VERS. 14. — *Qui dedit semetipsum pro nobis*, hoc est, qui in assumptâ carne semetipsum spontè tradidit in passionem et mortem pro nobis,

Ut nos redimeret ab omni iniquitate : q. d. : Ideò seipsum tradidit in mortem, ut eo pretio nos redimeret ab omni peccato, quo mortem merebamur;

Et mundaret sibi populum acceptabilem: sic vocat peculiariter electum et dilectum à Deo, ut nos, ab omni iniquitate redemptos et emundatos, possideret tanquàm populum peculiarem,

Sectatorem bonorum operum, id est, zelatorem, æmulatorem bonorum operum. Vides, inquit Chrysost., ut non simpliciter opera virtutis à nobis exigantur; ait enim *sectatorem*, hoc est, magnâ cum alacritate, et ingenti studio et animo, virtutis opera capessentem.

VERS. 15. — *Hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio.* Hæc quæ dixi de redemptionis Christi fine et scopo, ut scilicet sectemur bona opera, sobriè, justè et piè vivendo, hæc, inquam, exhortare; et si qui hortationi suavi non pareant, uti sunt tui duri Cretenses, *argue eos cum omni imperio*, plenâ potestate et auctoritate.

Nemo te contemnat; q. d.: Ita te gere in officio tuo, ita sanctè vive, ô Tite, ut nemo te contemnere audeat.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

1° Ex v. 11, disce quòd Christus Salvator noster sit salutifera Dei gratia : *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri*, etc., quia Christus Jesus est primum Dei in nos peccatores gratuitum donum ; at donum in quo omnia continentur salutifera Dei dona. *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit*, Rom. 8, 32; fons omnis doni et gratiæ, ex quo, per quem et propter quem omnis emanat ad nos gratia Dei. Hinc collige quantus debeat esse tuus in Christum affectus; quàm continua et intima tui cum hoc gratiarum fonte cordis unio, sine quo nihil es, nihil habes, nihil potes, à quo, et in quo, et per quod habes et potes omnia : *Omnia possum in eo qui me confortat*. Christo itaque Jesu, gratiæ substantiali, gratiarum omnium fonti, mente et corde frequenter unire, dicens : *Diligam te, Domine, fortitudo mea, firmamentum meum, refugium meum, adjutor meus, susceptor meus, liberator meus, protector meus, vita mea.*

2° Ex v. 12, disce quòd Christus, Filius Dei, æterna sapientia, sol, lux, Doctor mundi, apparuit illuxitque mundo, per incarnationem, tanquàm noster pædagogus, ut nos omnes erudiret suis primùm exemplis, suis deinde prædicationibus per Evangelium ad nos usque transmissis (quod et de exemplis intellige), tandem internis gratiæ suæ illustrationibus et motionibus, quibus nostrum quotidiè illuminat intellectum, et affectum movet. Quid ergo homini verè Christiano faciendum, ut huic summæ Dei bonitati respondeat? Primò, sciat et recordetur se Dei discipulum esse, in hocque glorietur : *Et erunt omnes docibiles Dei;* secundò, sibi ab æterno Patre dictum putet quod de nube omnibus hominibus inclamavit : *Hic est Filius meus*, etc., ipsa veritas et sapientia, *ipsum audite.* Huic ergo voci divinæ obediens, Filio Dei, æternæ veritati, Doctori suo, continuè sit attentus; audiat attentè exemplorum ipsius vocem. Lege, relege, meditare Christi vitam et mortem; audi præsertim quod omnibus commendat super omnia : *Discite à me quia mitis sum et humilis corde.* Audiat attentè præceptorum et consiliorum evangelicorum vocem. Lege, relege, meditare Christi doctrinam : *Beati pauperes*, etc., *beati mundo corde*, etc. Vide, Matth. cap. 5, 6 et 7, sermonem in monte. Audiat attentè internam inspirationem et gratiæ vocem, quâ externæ exemplorum et verborum voci dat virtutem ; hæc enim *vox est Domini in virtute, vox Domini in magnificentiâ*, id est, vox magna faciens, vox potentes efficiens, vox contritione cordis humani humilians superbos, conterens per pœnitentiam, ex D. Augustino, psalm. 28, v. 4. Hanc ergo Domini vocem audiat attentus ; huic voci obediat sedulus, juxta illud Psalmistæ : *Hodiè si vocem Domini audieritis, nolite, etc.* Ad hanc Domini vocem continuè recurrat, hancque assiduè imploret, ut ipsius efficaciâ et virtute valeat exemplorum et verborum vocem adimplere. Verbum Dei, Doctor meus, doce me! Veritas æterna, lux et sol mundi, sapientiæ tuæ splendore illumina, perfunde, penetra animam meam, ut ego, tui luminis radio perfusus, penetratus, omnium temporalium vanitatem despiciam, teque solum diligam, ô veritas æterna ! Verbum Dei, Salvator meus, Fili Dei vivi, qui, cum æterno Patre tuo, æternum spiras amorem, hujus amoris æterni scintillam spira in corde meo, amoris tui igne sic ure renes meos et cor meum, ut te solum diligam, ô charitas æterna !

3° Ex eodem v. 12, disce quòd primum Doctoris nostri erga nos documentum sit abnegatio, hic, et Luc. 9, 23 : *Dicebat ad omnes : Qui vult venire post me, abneget semetipsum. Abnegantes* primò *impietatem* doctrinæ, doctrinam Dei cultui contrariam, perversa dogmata, ait D. Chrysostomus ; secundò, *impietatem* morum, scelestam atque improbam vitam, idem D. Chrysostomus, seu omnia peccata quibus homo avertitur à Deo, convertitur ad creaturas; tertiò, *mundana desideria*, quibus homo creaturæ, quasi fini suo adhæret, quibus cor suum dat creaturis, quod soli Creatori debet, quibus creaturas, quasi idola, colit in corde et quasi in abscondito.

Quot ergo Christiani non sunt verè Christiani, non sunt verè discipuli Christi, quippe qui primo Christi documento nondùm obaudierunt! Nimirùm quotquot perversa de Deo rebusque divinis dogmata sequuntur ; quotquot peccatis suis à Deo sunt habitualiter aversi, ad creaturas conversi; quotquot suis secularibus desideriis adhærent creaturæ, interiùs colunt creaturas, imò et interiùs et exteriùs, et desideriis et actionibus toti occupantur creaturis, has cogitant, has amant, has colunt, in his sunt toti ! Tales sunt avari omnes, auri et argenti idololatræ ; ambitiosi omnes, gloriæ et honoris idololatræ ; voluptuosi omnes, seu ventricolæ, seu Veneris idololatræ. Quid potest homini statuas et externa idola contemnere, evertere, confringere, si idola interna habet in corde, quibus se et omnia sua devovit, et in quibus colendis totus occupatur, vero Deo oblito, neglecto, contempto? *Maledictus homo qui facit sculptile*, etc., *ponitque illud in abscondito.* Deuter. 17, 15. Consule cor tuum, et vide ne fortè aliquod abscondat idolum. Hoc ne fiat, abrenuntia Satanæ, omnibusque externis et internis idolis ; baptismum renova, teque Christo, solique Deo vero et vivo consecra ; illum unicum ama, adora, cole, cæteris contemptis. Externorum tibi necessarius usus conceditur, prohibetur amor et cultus, ut Deum, tuum et illorum Creatorem, unicè diligas et colas.

4° Ex eodem v. 12, disce *secundum Christi documentum*, et quod est primi consequentia. Ad quid enim prædictam abnegationem nobis discipulis suis præcipit? *Ut vivamus sobriè, justè et piè.* Piè et religiosè erga Deum : hanc autem erga Deum pietatem in corde nostro destruunt seculares cupiditates, quibus avertitur cor à Deo, ad creaturas convertitur. Justè erga proximum, ad quam justitiam charitatis of-

facia reducuntur quia sunt à Deo præcepta : hanc autem utramque, et justitiam et charitatem violare semper paratus est qui suis obedit cupiditatibus. Sobriè et temperatè quoad nosmetipsos ; hanc quoque sobrietatem nescit cupiditatum servus. Abnegationis ergo fructus et finis est, ut in hoc seculo *vivamus sobriè, justè et piè.* Attende igitur huic Doctoris nostri secundæ lectioni, quæ est totius Evangelii epitome, omnisque justitiæ christianæ summa, quæ tribus verbis omnes officii nostri partes nos docet ; et vide num erga Deum verè pius sis, unum adoras in spiritu et in veritate ; num erga proximum justus, illum nec verbo nec facto lædis, illum diligis, adjuvas, etc. ; num sobrius in rerum externarum usu. Bria, est mensura, ait D. Thomas ; sobrietas, inquit, accipitur pro mensurato usu rerum exteriorum et extrinsecarum passionum. An uteris mensuratè ? Recordare hanc mensuram concludi debere intra necessitatis limites, intra regulas utilitatis, et intra charitatis finem. Requiritur necessitas, aut saltem utilitas, et in utentis corde gratiarum actio. Externorum usus necessarius conceditur, etc. Vide superiùs.

5° Ex v. 13, disce quòd si vita sobria, justa et pia, sit abnegationis fructus, ipsa semen est beatitudinis æternæ. Tertium est ergo hoc Christi documentum, quo nos hìc sobrios, justos et pios docet expectare beatitudinem æternam in cœlis promissam. *Expectantes beatam spem...* Quasi diceret : Peregrini estis super terram, estis autem *cives sanctorum, et domestici Dei :* hìc permanentem non habetis civitatem, sed futuram exquiritis et expectatis : sitis itaque *expectantes beatam spem*, æternam beatitudinem, vitæ piæ, justæ et sobriæ scopum, finem et præmium ; hanc æternam felicitatem cogitate, amate, desiderate, semper expectate.

Hic rursus consule cor tuum, et vide an huic Christi documento respondeat ; an, à terrenis separatum, æternam expectat beatitudinem ; an è contra, terrenis adhærens, in terrenis suam quærit beatitudinem.

Et expectantes adventum gloriæ, etc. Quia duabus constamus partibus, animâ et corpore, duas expectamus partiales beatitudines, animæ beatitudinem post mortem, corporis beatitudinem post gloriosum Christi adventum, qui corpora nostra vivificabit et glorificabit. Hæc est igitur secunda pars spei nostræ, *expectantes adventum*, etc. : sperate, desiderate, expectate *adventum gloriæ*, etc. Hunc adventum quotidiè petimus, orantes : *Pater noster*, etc. : *adveniat regnum tuum.* Sed, heu ! ne adveniat reformidamus. Ut hanc formidinem in spem convertat Apostolus, paucissimis verbis hìc conglobat omnia quæ spem nostram possunt roborare. Primò, *adventus est gloriæ :* veniet gloriosus suam nobis gloriam communicaturus, nosque sibi similes in æternâ felicitate redditurus ; secundò, *magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi ;* quasi diceret : De hoc ne dubitetis : *Jesus* est, *Salvator noster* est ; *magnus Deus* est : quia *Jesus*, misericors est ; quia *Salvator*, vult in æternum salvare ; quia *Deus magnus*, omnipotens est, facit omnia quæ vult : quòd si hæc vobis non sufficiunt, attendite quæ sequuntur.

Tertiò : *Qui dedit semetipsum pro nobis.* Perpende hæc : *Jesus, Salvator, magnus Deus, dedit semetipsum pro nobis* peccatoribus et inimicis suis, *cùm inimici essemus*, etc. Quid ergo faciet nobis nunc amicis suis, filiis et fratribus suis ? Attende finem ob quem *dedit semetipsum*, etc., *ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret*, etc. Quid ergo non sperabit tanto pretio redemptus, et in Christi sanguine per omnia sacramenta mundatus ? *Et mundaret sibi populum*, etc. Obstupesce hìc, et obstupefactus, clama : *Domine, quid est homo, quòd memor es ejus ;* quòd pro eo nasci, vivere, pati, mori dignatus ! Ad quid ? ut redimeres, ut mundares, ut à peccatis mundatum seligeres populum tibi peculiarem, qui esset instar peculii tui (*le propre bien de Dieu*).

Hinc, ô peculium Dei, disce in infinitam et ineffabilem hanc Dei misericordiam sperare ; disce huic incomprehensibili bonitati respondere ; Jesum, Salvatorem nostrum, magnum Deum diligere ; peccata, ob quæ mortuus est, detestari ; omnia opera bona sectari ; totum Dei esse, et in hoc solo gloriari. Sum Dei peculium, thesaurus, Dei possessio præstantissima ! Cave ne quidquam tanto honore indignum facias : *hæc loquere*, hæc alios doce, hæcque faciens et docens, spera, desidera, expecta *adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi.*

CAPUT III.

1. Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse ;

2. Neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.

3. Eramus enim aliquando et nos insipientes, incredduli, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, in malitiâ et invidiâ agentes, odibiles, odientes invicem.

4. Cùm autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei.

CHAPITRE III.

1. Avertissez-les d'être soumis aux princes et aux magistrats, de leur rendre obéissance, d'être prêts à faire toutes sortes de bonnes œuvres ;

2. De ne médire de personne, de fuir les contentions, d'être modérés, et de témoigner toute espèce de douceur à l'égard de tous les hommes.

3. Car nous étions aussi nous mêmes autrefois insensés, désobéissants, égarés, asservis à une infinité de passions et de voluptés, pleins de malignité et d'envie, dignes d'être haïs, et nous haïssant les uns les autres.

4. Mais depuis que la bonté de Dieu, notre Sauveur, et son amour pour les hommes, a paru dans le monde,

5. Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs sancti,

6. Quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum;

7. Ut justificati gratiâ ipsius, hæredes simus, secundùm spem vitæ æternæ.

8. Fidelis sermo est, et de his volo te confirmare, ut curent bonis operibus præesse qui credunt Deo. Hæc sunt bona et utilia hominibus.

9. Stultas autem quæstiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devita; sunt enim inutiles et vanæ.

10. Hæreticum hominem, post unam et secundam correptionem devita,

11. Sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus.

12. Cùm misero ad te Artemam, aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim; ibi enim statui hiemare.

13. Zenam legisperitum, et Apollo sollicitè præmitte, ut nihil illis desit.

14. Discant autem et nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi.

15. Salutant te qui mecum sunt omnes. Saluta eos qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

5. Il nous a sauvés, non à cause des œuvres de justice que nous eussions faites, mais à cause de sa miséricorde, par l'eau de la renaissance, et par le renouvellement du Saint-Esprit,

6. Qu'il a répandu sur nous avec une riche effusion, par Jésus-Christ, notre Sauveur,

7. Afin qu'étant justifiés par sa grâce, nous devinssions les héritiers de la vie éternelle, selon l'espérance que nous en avons.

8. C'est une vérité très-certaine, et dans laquelle je désire que vous affermissiez les fidèles, que ceux qui croient en Dieu doivent être toujours les premiers à pratiquer les bonnes œuvres. Ce sont-là des choses vraiment bonnes et utiles aux hommes.

9. Mais évitez les questions impertinentes, les généalogies, les disputes et les contestations de la loi, parce qu'elles sont vaines et inutiles.

10. Fuyez celui qui est hérétique, après l'avoir repris une et deux fois;

11. Sachant que quiconque est en cet état est perverti, et qu'il pèche, étant condamné par son propre jugement.

12. Lorsque je vous aurai envoyé Artémas ou Tychique, hâtez-vous de venir me trouver à Nicopole, parce que j'ai résolu d'y passer l'hiver.

13. Envoyez devant Zénas, docteur de la loi, et Apollon, et ayez soin qu'il ne leur manque rien.

14. Et que nos frères aussi apprennent à être toujours les premiers à pratiquer les bonnes œuvres, lorsque le besoin et la nécessité le demandent, afin qu'ils ne demeurent point stériles et sans fruit.

15. Tous ceux qui sont avec moi vous saluent. Saluez ceux qui nous aiment dans l'union de la foi. La grâce de Dieu soit avec vous tous. Amen.

ANALYSIS.

1° *Monita dat omnibus communia; potestatibus obediant*, v. 1; *neminem despiciant, nec convitientur, sed sint ad omnes, etiam infideles, mansueti*, v. 2; *memores quid ipsi fuerint*, v. 3; *memores et Divinæ in nos misericordiæ*, v. 4.

2° *Immensam in nos Dei misericordiam exaggerat, quâ nos immeritos, in baptismo, per Spiritum sanctum regeneravit, ut hæredes simus æternæ vitæ*, v. 5, 6, 7, *hancque misericordiam vult à Tito fidelibus inculcari, ut ejus memores, bonis operibus præcellant*, v. 8.

3° *Inanes et futiles prohibet quæstiones et pugnas*, v. 9; *hominem hæreticum, semel et iterùm admonitum, jubet devitari*, v. 10, 11.

4° *Titum ad se vocat*, v. 12. *Zenam autem et Apollo sollicitè præmittat, eisque necessarium curet viaticum*, v. 13. *Discant, te hortante, nostri Christiani, in talibus occasionibus, pro suo modulo, Evangelii promotioni deservire*, v. 14.

5° *Salutat, et solitâ adprecatione claudit Epistolam*, v. 15.

PARAPHRASIS.

1. Admone Cretenses tuos, ut principibus, et quibuslibet potestatem habentibus, sint subditi; ut illorum jussis promptè obediant, et sint parati ad omne bonum opus faciendum, si ab eis injungatur.

2. Ut nemini maledicant, nec sint contentiosi, aut rixarum amantes, sed æqui et placidi, summam in omnes prorsùs homines exhibeant mansuetudinem.

3. Nam et nos aliquando fuimus veræ sapientiæ lumine destituti, increduli, à viâ veritatis errantes, variis desideriis et voluptatibus mancipati, malignè et invidè cum aliis agentes, odio digni, et alios invicem odientes.

4. Cùm autem illuxit (per Evangelii prædicationem) bonitas, et singularis in homines amor Dei, Salvatoris nostri

5. Non propter opera nostra justa, sed gratis et ex suâ merâ misericordiâ, salvos nos fecit per baptismum; quo, per gratiam Spiritûs sancti, regeneramur in filios Dei, et novi homines efficimur.

6. Quem Spiritum sanctum Deus Pater in nos largè et copiosè effudit, per Jesum Christum Salvatorem nostrum.

7. Ut, per gratiam ipsius a peccatis purgati, et justitiâ donati, simus hæredes vitæ æternæ, cum spe certâ eam assequendi.

8. Certa sunt quæ dixi, et volo ut de his fratres tuos confirmes; ut qui Deo credunt, curent aliis præire in bonis operibus, quæ sola propriè bona sunt, et hominibus utilia:

9. Inanes autem quæstiones, et genealogias, et

futiles circa legem pugnas rejice et devita, quia vanæ sunt et inutiles.

10. Hæreticum hominem, si post unam et alteram correptionem fuerit pertinax, devita,

11. Sciens quòd hujusmodi hæreticus sit subversus, et peccat sciens et volens, et ideò semetipsum intùs condemnans.

12. Cùm Artemam, aut Tychicum ad te misero, ut tuas vices suppleant, festina ad me Nicopolim venire; ibi enim hiemare statui.

13. Zenam, legis Mosaicæ doctorem, et Apollo cura sic instructos omnibus ad iter necessariis præmittere, ut illis in viâ nihil desit.

14. Discant nostri Christiani, quod supra dixi, aliis bonorum operum studio præire, ad usus aliorum (et maximè evangelicorum prædicatorum) necessarios, ut non sint infructuosi in agro Domini.

15. Salutant te omnes qui mecum sunt fideles; saluta eos qui nos amant ob fidem et secundùm fidem.

Gratia Dei sit cum omnibus vobis. Amen.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Admone illos principibus et potestatibus... In præcedenti capite singulis statibus monita dedit Apostolus; hìc omnibus communia dat, ac primò ut superioribus obediant: *Admone illos*, id est, Cretenses tuos, etc. Vide paraphrasim.

Tria notantur his in verbis inferiorum erga superiores officia, ait D. Thomas: Reverentia subjectionis, seu illorum auctoritati submissio, subditos esse: obedientia jussionis, seu illorum jussis prompta et libens obtemperatio, dicto obedire: cordis et animi præparatio ad omne bonum opus faciendum, si injungatur, paratos esse. Dicit ad omne bonum opus; alioquin, si malum opus imperaretur, Deo magis obediendum foret quàm hominibus. Hinc, discretio requiritur in obedientiâ, ait D. Thomas sicut et promptitudo.

Vers. 2. — Neminem blasphemare, id est, ut nemini maledicant.

Non litigiosos esse, id est, non sint contentiosi et rixarum amantes. Græc.: *à pugnâ alienos;* Syr.: *Non sint pugnaces, sed mansueti.*

Sed modestos, id est, sed sint æqui, placidi, et summam in omnes homines mansuetudinem exhibeant, non fideles tantùm, sed infideles et eis contradicentes.

Vers. 3. — Eramus enim aliquando et nos... Dat rationem cur etiam erga infideles et improbos debemus esse mites et mansueti; quasi diceret: Fuimus et nos aliquando tales ac illi, debemus igitur eis compati. Hoc dicit Apostolus in personâ gentilium ad fidem conversorum; hinc dicere potuisset: Fuistis et vos, etc., sed modestiùs: *Fuimus et nos*, etc.

Insipientes. Syr., *rationis expertes*, id est, veræ sapientiæ lumine destituti.

Increduli. Syr., *refractarii*, inobedientes.

Errantes, à viâ veritatis.

Servientes desideriis et voluptatibus variis, id est, variis desideriis et voluptatibus mancipati.

In malitia et invidia agentes, id est, in spiritu maligno et invido cum aliis agentes.

Odibiles, odientes invicem, id est, digni odio et alios invicem odientes, seu mutuò infesti, ferarum more. Hujus ergo miseri statûs memores, compatiamur aliis; sed et attendentes ad benignitatem Domini nostri Jesu Christi erga nos, qui immeritos renovavit.

Vers. 4. — Cum autem benignitas et humanitas. Græc., χρηστότης, *bonitas*, benevolentia, etc.; φιλανθρωπία, *singularis in homines amor*.

Dei, Patris, distinguitur enim à Jesu Christo in v. 6. Cùm ergo illuxit bonitas et singularis Dei Patris in homines amor, qui volens nos ad salutem perducere, nobis Filium suum unigenitum dedit Salvatorem. Pater Salvator est, quia salvare voluit, deditque Filium Salvatorem: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit.....* Joan. 3; et Filius Salvator est quia sanguinis sui pretio nos redemit et sacramenta instituit quibus salutem consequimur.

Vers. 5. — Non ex operibus justitiæ..., id est, non propter opera nostra justa, seu non ex merito operum nostrorum justitiæ, quia nulla erant,

Sed secundum suam misericordiam, id est, sed gratis, et ex merâ suâ misericordiâ.

Salvos nos fecit, id est, justificavit et in viâ salutis constituit, ut ad perfectam salutem perveniamus.

Per lavacrum regenerationis, id est, per baptismum, quo exteriùs abluti fuimus, et interiùs per infusam Spiritûs sancti gratiam regenerati in filios Dei,

Vers. 1. — *Admone illos principibus et potestatibus subditos esse*, etc., id est, obedire principibus seu magistratibus.

Vers. 2. — *Neminem blasphemare*, id est, neminem maledicere aut mala imprecari, neminem conviciari.

Non litigiosos esse, id est, non pugnaces, *sed modestos*, etc., placidos, mites, humanos, etc.

Vers. 3. — *Eramus enim aliquando et nos insipientes, increduli, errantes.* Dicit ergo: *Nos*, qui nunc Dei beneficio Christiani sumus, quondam eramus *insipientes* sive stulti, quia verâ sapientiâ destituti. Eramus *errantes*, tam in viâ morum quàm doctrinæ; *Servientes desideriis et voluptatibus variis*, hinc enim omnis peccator servus peccati vocatur; *in malitiâ et invidiâ agentes, odibiles, odientes invicem.* *Malitia* est nocendi cupido. *Odibiles*, ut scilicet invicem odio prosequantur.

Vers. 4. — *Cùm autem benignitas et humanitas*, etc. *Benignitas*, id est, bonitas, benevolentia et beneficentia. *Humanitas*, id est, singularis ille Dei Patris erga homines amor, studium, dilectio, et clementia. Nota Dei amorem in nos, quòd ab æterno nos amârit ille qui est Deus, id est, qui est summa majestas et felicitas, qui in se omne bonum habet. Deus diligit nos propter se, quia summè bonus est, adeòque bonitate abundat, ut bonitatem et liberalitatem suam in nos omni dilectione indignos effundere velit. Infinita ergo Dei bonitas radix est et ratio amandi homines, eisque se et sua bona communicandi.

Vers. 5. — *Non ex operibus justitiæ*, id est, non merito operum justorum, *quæ fecimus nos, sed secun-*

et renovati seu novi homines effecti; scilicet ex insipientibus, incredulis, errantibus, vitiis servientibus, etc., v. 3, facti sapientes, credentes, Deo obedientes, Spiritu Dei agentes et acti;

Vers. 6. — Quem effudit in nos abundè..., quem Spiritum sanctum, Deus Pater in nos largè et copiosè effudit per Jesum Christum Salvatorem nostrum. In baptismo scilicet et confirmatione, quæ statim post baptismum dabatur per manuum impositionem. Ecce sacrosanctam Trinitatem formaliter expressam.

Vers. 7. — Ut justificati gratia ipsius..., id est, ut per gratiam ipsius à peccatis purgati et justitiâ donati, simus hæredes æternæ vitæ, cum spe certissimâ hæreditatis consequendæ. Jam quidem hæredes sumus, non in re, sed in spe; jus habemus ad hæreditatem et certò speramus quòd eam aliquando consequemur.

Observatio dogmatica et moralis.

His in versibus nota non tantùm formalem sanctissimæ Trinitatis mentionem, sed et distinctam in nostrâ regeneratione operationem, et quidem unicuique personæ proportionatam et conformem. Deus, Pater et Salvator noster, per Jesum Christum, Salvatorem nostrum, caputque nostrum, in nos Spiritum sanctum, sanctificationis formam effundit, ait Apostolus. Pater, qui Divinitatis omnisque divinæ processionis principium est, et nostri esse divini nostræque vitæ novæ est principium; Filius, qui cum Patre Spiritûs sancti comprincipium est, et cum Patre sancti Spiritûs in nos effusionis est comprincipium; Spiritus sanctus, qui Patris et Filii Spiritus est, amor et quasi cor, in nobis à Patre per Filium effusus, utriusque spiritus est habitans in nobis, animans nos, sanctificans nos. Quid mirum, si in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti baptizamur? Pater æternus, baptizati Pater est ejusque divini esse principium; Filius divinus fit caput baptizati, in quem, tanquàm in suum membrum, infundit Spiritum suum; Spiritus sanctus fit baptizati quasi spiritus, cor et anima, vita supernaturalis et divina.

Vers. 8. — Fidelis sermo est, et de his volo te... Certa sunt et indubitata quæ dixi, *et de his volo* ut fratres tuos confirmes; seu ut, nugis Judæorum omissis, has veritates de Dei in nos amore, de nostrâ renovatione et de hæreditate vitæ æternæ, fratribus prædices, et affirmes tanquàm certissimas.

Ut curent..., id est, ut earum memores curent aliis præire et præstare in bonis operibus, seu non solo verbo, sed opere et exemplo præcellere: sancti sint, sicut et Deus, cujus filii sunt et hæredes; sancti sint, sicut Filius, cujus membra sunt; sancti sint, sicut Spiritus sanctus, in quo sunt sanctificati, sanctus est.

Hæc enim sunt bona et utilia hominibus. Hoc enim solùm, scilicet bona agere, sanctè vivere, propriè bonum est et utile. Post mortem sola restant opera bona et hominem comitantur; non divitiæ, non honor, etc.

Vers. 9. — Stultas autem quæstiones..., inanes autem et frivolas quæstiones et genealogias, de quibus vide 1 Tim. 1, 4, et futiles Rabbinorum pugnas et contentiones circa legem, reice et devita, quia vanæ et inutiles.

Vers. 10. — Hæreticum hominem post unam... *Hæreticum hominem*, nondùm tibi sat exploratum, semel et iterùm mone, instrue, corripe. Quòd si post unam et alteram admonitionem fuerit pertinax,

Devita eum, cognitâ scilicet ejus obstinatione.

Vers. 11. — Sciens quia subversus est... Potest dici quòd triplex afferatur ratio cur relinquendus sit hæreticus contumax: prima, quia scilicet talis homo, dissipato fidei fundamento, eversus est et incurabilis, irreparabilis, sicut ædificium cujus ruit fundamentum; secunda, quia suâ sponte sciens et volens peccat, seu non ex ignorantiâ, aut ex infirmitate, sed suâ malitiâ et obstinatione in malo perseverat; tertia, quia cùm Ecclesiam nolit audire, et ab eâ semetipsum

dùm, id est, propter *suam misericordiam*, id est, gratis ex merâ Dei misericordiâ, *salvos nos fecit*, id est: Per gratuitam beneficentiam, quâ nostri miseretus est, in quibus nihil boni reperit ad quod respiceret, salvos non fecit.

Per lavacrum regenerationis; quia qui baptismi sacramento foris abluuntur, intùs regenerantur in filios Dei per gratiam adoptionis, idque ex institutione Christi;

Et renovationis Spiritûs sancti; quo scilicet per gratiam Spiritûs sancti renovamur, et novi homines, puta sancti, justi, Dei amici et filii efficimur: qui baptizatur, depositâ vetustate peccati, in novam transit creaturam,

Vers. 6. — *Quem* (scilicet Spiritum sanctum, id est, Spiritûs sancti gratiam et dona) *effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum. Abundè*, id est, opulenter, largè, copiosè, idque hoc fine,

Vers. 7. — *Ut justificati*, id est, à peccatis expurgati, et justitiâ donati, non nostro merito, sed *gratiâ ipsius hæredes*, etc., id est, hæredes nos fore speremus in cœlo vitæ æternæ.

Vers. 8. — *Fidelis sermo est*: Hæc, quæ jam dixi de beneficio gratuitæ justificationis et salvationis nostræ, certa sunt, et fide dignissima.

Et de his volo te confirmare, affirmare, asseverare, asserere et prædicare; sensus est: Et volo ut sermonem habeas, hæc affirmes, et cum asseveratione doceas;

Ut curent bonis operibus præesse qui credunt Deo, curam habeant bonorum operum, ac solliciti sint, ut ea non solùm exerceant, sed etiam omni studio promoveant tanquàm operum exactores et præfecti.

Hæc sunt bona et utilia hominibus: Hæc, inquit, quæ dixi, et in sese recta atque honesta sunt, et hominum societati utilitatem afferunt.

Vers. 9. — *Stultas autem quæstiones*, etc. Genealogias intelligit Judæorum et judaizantium, qui à puero ita hisce student, etc. *Pugnas legis*, intelligit futiles quæstiones et rixas, quæ circa legem moventur, etc., quas omnes inutiles, et vanas, atque supervacaneas pronuntiat; præsertim lege jam abrogatâ per Christum, quia fructu pietatis carent, qui solus in omni disputatione spectandus est.

Vers. 10. — *Hæreticum hominem* etc.: *Correptionem*, id est, commonitionem, quæ scilicet leviter fit, docendo et monendo suaviter absque graviori increpatione: *Devita*, id est, rejice, aversare, refuta;

Vers. 11. — *Sciens quia subversus est, qui ejusmodi est*, id est, qui semel et iterùm monitus adhuc in er-

separaverit, justè relinquitur ab Ecclesiâ, et nulla ei fit injuria, si exequaris quod ipse sibi suo judicio faciendum judicavit. Suum proprium sequens judicium, sese ab Ecclesiâ segregavit, relinque separatum; sese excommunicavit, excommunicatum relinque. Cætera vitia per sacerdotes de Ecclesiâ propelluntur, hæretici autem in semetipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesiâ recedentes; quæ recessio propriæ conscientiæ videtur esse damnatio. D. Hieronymus citatus à P. Amelotte.

Gr. textus habet : *Sciens quia subversus est hujusmodi et peccat existens sponte condemnatus.* Quasi diceret : Scias quòd hujusmodi, qui semel et iterùm monitus in errore persistit, subversus est, et peccat sciens et volens, et intùs semetipsum condemnans. Scit enim quod nova, sine revelatione, animoque non recto, sed vel gloriæ, vel commodi gratiâ prædicet et doceat. Hinc incorrigibilis; ideò sibimet relinquendus, nec cum eo familiariter conversandum.

Vers. 12. — Cum misero ad te Artemam..., ut tuas suppleant vices.

Nicopolim, Thraciæ, ait D. Chrysostomus, Epiri, ait D. Hieronymus.

Vers. 13. — Zenam legisperitum, scilicet juris Mosaici, seu legis Mosaicæ doctorem.

Sollicitè præmitte, ut nihil illis desit, id est : Viatico sic instructos mitte, ut nihil eis in itinere desit, seu cura ut subministrentur eis omnia ad iter necessaria.

Vers. 14. — Discant autem et nostri bonis operibus præesse... : Discant et nostri fratres, te hortante, teque faciente, ita aliis præire et præcellere in bonorum operum studio, ubi occurrit necessitas, qualis est hæc, ut non sint in agro Christi arbores infructuosæ, sed pro suo modulo rem communem promoveant.

Vers. 15. — Salutant te qui mecum sunt omnes.

Saluta eos qui nos amant in fide, id est, ob fidem et secundùm fidem, seu verâ et christianâ charitate.

Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

rore persistit; noveris eversum aut subversum esse, videlicet dissipato fidei fundamento, utpote planè in hæresi et suâ obstinatione perversus et immersus :

Et delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus. Delinquit, id est, peccat, supplè sciens, prudens et obstinatus in suâ hæresi, malitiâ et delicto. Cùm sit per se, et à semetipso condemnatus, quia scilicet sponte et pertinaciter se ab omnibus fidelibus, et à totâ Ecclesiâ separat, extra quam non est salus, sed certa condemnatio. Ita Hieronymus, Anselmus, et alii.

Vers. 12. — *Cùm misero ad te Artemam aut Tychicum*, ut scilicet tui absentiam Cretæ suppleant, et pro te Cretenses instruant et pascant, *festina ad me venire Nicopolim; Nicopolis*, Hieronymo teste, ea civitas est, quæ ob victoriam Augusti, quòd ibi Antonium Cleopatramque superârit, nomen accepit : hæc sita est in Epiro, confinia Græciæ;

Ibi enim statui hiemare, id est, hiemem transigere.

Vers. 13. — *Zenam legisperitum*, etc. Hos ad se mitti jubet, ut in prædicatione Evangelii eos habeat socios et adjutores. Apollo enim erat eloquens, et potens in Scripturâ, Act. 28. Zenas verò fuit legisperitus, puta Moysaicæ doctor, ideòque magnæ auctoritatis et opinionis. Hoc ergo Tito committit, ut eos ad se destinet, ut per Cretam iter facturis viaticum subministrari curet, ne quid iis desit.

Vers. 14. — *Discant autem et nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios : Discant*, inquit, te hortante, *nostri*, id est, Christiani, qui apud te sunt, bonis operibus præesse atque intendere, ubicumque postulat necessitas;

Ut non sint infructuosi, si bonis operibus studiosè propter Deum incumbant, per hæc enim ipsis æterna vita comparatur.

Vers. 15. — *Salutant te qui mecum sunt, omnes* : Salutem, inquit, tibi precantur omnes qui mecum sunt, id est, familiares ac adjutores mei :

Saluta eos qui nos amant in fide; ut innuat qualis omnium Christianorum amor esse debeat, scilicet profectus et directus à fide.

Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen, id est, fidelibus qui apud te sunt.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

In v. 4, 5, 6, 7, nota tria in mente et corde semper habenda :

Primum : Ineffabilem et singularem totius sanctissimæ Trinitatis in nos amorem; Patris, qui nos salvare volens, Filium suum unigenitum mundo dedit, *ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam*, Joan. 3, 16; Filii, qui copiosam nobis dare volens Redemptionem, sanguinis sui pretio nos redemit, sacramentis institutis, per quæ, quasi per canales, hic idem sanguis ad nos, salutis nostræ gratiâ, diffluret; Spiritûs sancti, qui nos de nostrâ salute certiores reddere volens, hujus nostræ salutis sigillum et arrha esse dignatus est; et quem propterea Pater æternus, *per Jesum Christum, Salvatorem nostrum*, in baptismo et in confirmatione *effudit in nos abundè*, v. 6.

Secundum : Hujus ineffabilis amoris divini finem, ut per gratiam Jesu Christi, in baptismo nobis collatam, à peccatis omnibus purgati, justitiâ donati, *hæredes simus vitæ æternæ*, cum spe certâ eam assequendi, v. 7.

Tertium : Hujus ejusdem amoris divini præsentem in nobis effectum, seu nostram in Deo ob baptismum nobilitatem. Pater æternus Pater noster factus est, nostrique esse divini principium; Filius Dei caput nostrum factus est, suum in nos Spiritum infundens, velut in sui corporis membra; Spiritus sanctus factus est quasi noster spiritus, cor et anima nostra. Ad hæc tria jugiter intentus, totam sanctissimam Trinitatem, ob tantum et talem amorem, lauda, benedic, eique continuas gratias age : taliter amantem redama; sis sanctissimæ Trinitati totus, in cujus nomine baptizatus, per distinctam et proportionatam uniuscujusque personæ operationem regeneratus es. Uni ergo trino

Deo vive, at vive dignè Deo; dignè Patre æterno, Patre tuo; dignè Filio æterno, capite tuo; dignè Spiritu sancto, spiritu et corde tuo: sanctus esto, sicut Pater æternus, cujus factus es filius et hæres; sanctus esto, sicut Filius, cujus membrum factus es; sanctus esto, sicut Spiritus sanctus, in quo sanctificatus es.

IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM

Præfationes.

Philemon, vir nobilis, Phrygius genere, civis Colossensis, inter suos potentiâ quidem et opibus, sed maximè christianâ fide, pietate et charitate conspicuus. Inter alios multos, servum habuit Onesimum nomine, Phrygem quoque et Colossensem, qui, domini sui quibusdam compilatis rebus, Colossis Romam transfugit. Hunc D. Paulus, in prioribus vinculis tunc agens, instructum, conversum, et baptizatum, cum hâc Epistolâ commendatitiâ ad Philemonem, sibi Paulo charissimum remittit, eum mirâ charitatis arte rogans, ut, datâ veniâ, Onesimum in gratiam recipiat.

Scripta est itaque Romæ in primis vinculis, eodem tempore quo Epistola ad Colossenses. Vide Estium. Per Onesimum lata an. 62.

Nullum equidem doctrinæ christianæ caput ex professo docet hâc in Epistolâ sanctus Apostolus, sed mirandum dat omnibus Christianis exemplum charitatis: si enim mancipium, si fugitivum, si furem, tantâ charitate prosecutus est gentium Doctor et Apostolus, quis Christianus charitatis officia negligat erga quemlibet, etsi conditione et moribus vilissimum?

Hâc præterea docemur Epistolâ, de nullo, quantumvis perdito homine, desperandum; Onesimus enim fur et fugitivus, Dei gratiâ, vir illustris evasit, S. Timotheo in episcopatu Ephesino successit; denique sub Trajano Romæ martyrium gloriosè consummavit.

Alias hujus Epistolæ utilitates colligit D. Chrysostomus, quas et nos suis in locis annotabimus.

Philemon ad quem hæc scribitur Epistola, Pauli discipulus, vir clarus erat apud Colossenses; cujus domum Colossis ad sua tempora permansisse testatur Theodoretus. Hospitalem fuisse et fovendis auxilio fratribus expositum, satis hæc ipsa Epist. loquitur. Cujus quidem scribendæ causa fuit ejusmodi: erat Philemoni servus Onesimus, qui furto facto fugam iniit. Mox utriusque criminis, fugæ et furti pœnitentiâ ductus Romam se contulit ad Paulum captivum, quem hero suo noverat esse amicum. Ab eo susceptus et Christi fidem edoctus, atque baptizatus, aliquamdiù ministravit ei in carcere; donec satis in pietate confirmatum, remittere eum Philemoni visum fuit. Remittit autem cum his litteris commendatitiis, in quibus miro studio id agit ut servum domino reconciliet. Nec verò dubium, quin Pauli precibus Philemon annuerit, ac plùs etiam præstiterit quàm rogatus esset. Nam manumissum fuisse Onesimum ex eo constat, quòd postea Timotheo in episcopatu Ephesiorum successerit, uti liquido probat B. Ignatii ad Ephesios epistola, in quâ Onesimi ut illorum episcopi, valdè honorificam facit mentionem. Referunt Hieronymus, Chrysostomus et Theophylactus fuisse quosdam qui negarent huic Epistolæ locum inter Scripturas sacras, propter humilitatem argumenti, eo quòd ad hominem privatum ac de re privatâ scripta sit. Sed benè ab iisdem respondetur, utcumque argumentum humile et abjectum videatur, haudquaquàm indignum esse Spiritu Dei. Quo auctore Paulus hanc Epistolam scribens in commendando et reconciliando extremæ sortis homine, tam egregium charitatis exemplum universæ Ecclesiæ reliquerit, etiamsi nullum hìc doctrinæ christianæ caput ex professo tractetur. Sanè Chrysostomus quatuor utilitates insignes ex hâc Epistolâ colligit, quas apud eum in argumento videre est. Easdem breviter recenset Theophylactus. Scripta est Romæ è vinculis, quorum quinquies meminit. Missa per Onesimum, unà cum Epistolâ ad Colossenses, Tychico ad perferendum traditâ. Simul enim missas fuisse has duas Epistolas manifestè apparet, nam utraque Timoth. Paulo conjungit in principio, utraque Archippum compellat, denique utraque eosdem habet salutatores in fine, Epaphram, Marcum, Aristarchum, Demam et Lucam. Eodem tempore scriptas fuisse Epistolas ad Ephesios et ad Philip. affirmat Hieronymus, et docere conatur, cujus sententiam aliis in locis expendimus.

Epistolæ hujus quàm admirandum sit artificium Græci expositores passim inter commentandum annotant, Cajetanus quoque sub finem sui commentarii, et Erasmus annotatione in hanc Epistolam ultimâ.

IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM

Commentaria.

CAPUT UNICUM.

1. Paulus vinctus Christi Jesu, et Timotheus frater, Philemoni dilecto, et adjutori nostro,

CHAPITRE UNIQUE.

1. Paul, prisonnier pour Jésus-Christ, et Timothée son frère, à notre cher Philémon, notre coopérateur,

2. Et Appiæ sorori charissimæ, et Archippo commilitoni nostro, et Ecclesiæ quæ in domo tua est;

3. Gratia vobis et pax à Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

4. Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis,

5. Audiens charitatem tuam, et fidem quam habes in Domino Jesu, et in omnes sanctos;

6. Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christo Jesu.

7. Gaudium enim magnum habui, et consolationem in charitate tuâ, quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater.

8. Propter quod multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet:

9. Propter charitatem magis obsecro, cùm sis talis ut Paulus senex, nunc autem et vinctus Jesu Christi:

10. Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo:

11. Qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem et mihi et tibi utilis:

12. Quem remisi tibi. Tu autem illum, ut mea viscera, suscipe;

13. Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii:

14. Sine consilio autem tuo nihil volui facere, ut ne velut ex necessitate, bonum tuum esset, sed voluntarium.

15. Forsitan ideò discessit ad horam à te, ut æternùm illum reciperes:

16. Jam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem, maximè mihi; quantò autem magis tibi et in carne et in Domino?

17. Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me;

18. Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa.

19. Ego Paulus scripsi meâ manu; ego reddam, ut non dicam tibi, quod et teipsum mihi debes.

20. Ita, frater, ego te fruar in Domino; refice viscera mea in Domino.

21. Confidens in obedientiâ tuâ scripsi tibi: sciens quoniam et super id quod dico, facies.

22. Simul autem et para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis.

23. Salutat te Epaphras, concaptivus meus in Christo Jesu,

24. Marcus, Aristarchus, Demas, et Lucas, adjutores mei.

25. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

2. A notre très-chère sœur Appie, à Archippe le compagnon de nos combats, et à l'Église qui est dans votre maison :

3. Que Dieu notre Père et Jésus-Christ notre Seigneur vous donnent la grâce et la paix.

4. Me souvenant sans cesse de vous dans mes prières, je rends grâces à mon Dieu,

5. Apprenant quelle est votre foi envers le Seigneur Jésus, et votre charité envers tous les saints;

6. Et de quelle sorte la libéralité qui naît de votre foi éclate aux yeux de tout le monde, se faisant connaître par tant de bonnes œuvres qui se pratiquent dans votre maison pour l'amour de Jésus-Christ.

7. Car votre charité, mon cher frère, nous a comblés de joie et de consolation, voyant que les cœurs des saints ont reçu tant de soulagement de votre bonté.

8. C'est pourquoi, encore que je puisse prendre en Jésus-Christ une entière liberté de vous ordonner une chose qui est de votre devoir;

9. Néanmoins, à cause de l'amour que j'ai pour vous, et puisque vous êtes si charitable, j'aime mieux vous en supplier, comme Paul, comme vieillard, et comme prisonnier pour Jésus-Christ.

10. Or la prière que je vous fais est pour mon fils Onésime, que j'ai engendré dans mes liens :

11. Qui vous a été autrefois inutile, mais qui vous sera maintenant utile, aussi bien qu'à moi.

12. Je vous le renvoie ; et je vous prie de le recevoir comme mes entrailles :

13. J'avais pensé de le retenir auprès de moi, afin qu'il me rendît quelque service en votre place, dans les chaînes que je porte pour l'Évangile :

14. Mais je n'ai rien voulu faire sans votre consentement, désirant que le bien que je vous propose n'ait rien de forcé, mais soit entièrement volontaire.

15. Car peut-être qu'il n'a été séparé de vous pour un temps qu'afin que vous le recouvrassiez pour jamais.

16. Non plus comme un simple esclave, mais comme celui qui d'esclave est devenu l'un de nos frères bien-aimés, qui m'est très-cher, à moi en particulier, et qui vous le doit être encore beaucoup plus, étant à vous, et selon le monde et selon le Seigneur.

17. Si donc vous me considérez comme étroitement uni à vous, recevez-le comme moi-même.

18. S'il vous a fait tort, ou s'il vous est redevable de quelque chose, mettez cela sur mon compte.

19. C'est moi Paul qui vous l'écris de ma main, c'est moi qui vous le rendrai, pour ne pas vous dire que vous vous devez vous-même à moi.

20. Oui, mon frère, que je reçoive de vous cette joie dans le Seigneur ; donnez-moi au nom du Seigneur cette sensible consolation.

21. Je vous écris ceci dans la confiance que votre soumission me donne, sachant que vous en ferez encore plus que je ne dis.

22. Je vous prie aussi de me préparer un logement, car j'espère que Dieu me redonnera à vous encore une fois, par le mérite de vos prières.

23. Epaphras, qui est comme moi prisonnier pour Jésus-Christ, vous salue,

24. Avec Marc, Aristarque, Démas et Luc, qui sont mes aides et mes compagnons.

25. Que la grâce de Notre-Seigneur Jésus-Christ soit avec votre esprit. Amen.

ANALYSIS.

Hæc Epistola, quia brevis, in capita non dividitur, sed quatuor in partes dividi potest, in salutationem, in exordium, in propositionem, et in conclusionem.

Inter has autem tanta est ad invicem connexio, tanta omnium simul ad eumdem scopum, scilicet ad impetrandum Onesimo gratiam, collimatio, ut vix unum in totâ hâc Epistolâ reperias verbulum quod Philemonis animum ad misericordiam Onesimo faciendam non determinet. Ad hoc præparant omnia et singula salutationis ipsius verba, tribus primis versibus contenta. Vide

v. 3, in commentario. Ad hoc tendit exordium, in quo laudatur Philemonis charitas, ut ad charitatem in Onesimum excitetur, v. 4, 5, 6, 7. Vide v. 7, in commentario. Ad hoc tendit et proponendi modus, v. 8, 9; ad hoc ipsa propositio, v. 10; ad hoc omnes rationes allatæ à versu 11 ad versum 16, et in commentario explicatæ; ad hoc ipsa conclusio, v. 17; ad hoc damni reparatio, pro quo Paulus se sponsorem facit, v. 18, 19; ad hoc blanditiæ, v. 20, fiducia, v. 21; lætus denique nuntius quo claudit Epistolam, v. 22.

PARAPHRASIS.

SALUTATIO.

1. Paulus, propter Christum catenâ vinctus, et Timotheus in Christo frater, Philemoni charissimo et cooperatori nostro;

2. Et Appiæ nostræ in Christo sorori charissimæ, et Archippo nostro in apostolicâ militiâ commilitoni, et fidelium congregationi, quæ est in domo tuâ;

3. Gratia vobis et pax sit à Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

EXORDIUM.

4. Tui in orationibus meis semper memor, gratias ago Deo meo;

5. Quia audio eximiam fidem quam habes in Dominum Jesum, et charitatem quam in omnes Christianos exerces.

6. Adeò ut beneficentia fidei tuæ fiat omnibus evidens, per patefactionem omnium bonorum operum quæ fiunt à vobis per Christi Jesu gratiam.

7. (Et merito gratias ago) magnum enim gaudium et solatium habui ex tuâ charitate, frater, quia per te sanctorum viscera refocillata sunt.

PROPOSITIO.

8. Quapropter, quamvis (ut apostolus), multâ possim erga te libertate uti, tibique possim imperare quod officii tui est,

9. Tamen, propter charitatem quâ te diligo, malo te rogare, maximè cùm sis senex, sicut et ego Paulus, qui et nunc pro Christo catenâ ligor.

10. Obsecro te pro filio meo, quem in vinculis meis genui, Onesimo;

11. Qui aliquando fuit quidem tibi inutilis, nunc autem et mihi et tibi valdè utilis.

12. Illum ad te remisi; tu ergo eum, ut mea viscera, suscipe.

13. Volebam illum apud me retinere, ut mihi in vinculis, quæ Evangelii gratiâ perfero, illa præstaret obsequia quæ tu ipse mihi præstares, si Romæ adesses.

14. At, te inconsulto, eum nolui retinere: ne hoc tuum in me beneficium ex necessitate proficisceretur potiùs quàm ex voluntate.

15. Fortè ideò permisit Deus Onesimum à te ad modicum tempus discedere, ut eum reciperes in æternum tibi adhæsurum.

16. Non ut servum tantùm, sed plus quàm servum, scilicet fratrem charissimum, mihi quidem maximè charum; quantò magis tibi, et ob servitutem corporalem, et ob spiritualem fraternitatem!

CONCLUSIO.

17. Si ergo habes me in fide socium, et in Christo amicum, illum suscipe sicut meipsum.

18. Si autem à te discedens, furto tibi nocuit, hoc meis rationibus imputa (pro illo me sponsorem facio).

19. (Ut sis certior) en meum chirographum: Ego Paulus scripsi propriâ manu, ego rependam. Taceo quòd tui ipsius mihi debitor es, ob tuam ad Christum conversionem.

20. Eia, mi frater, ego per te hoc gaudio fruar in Domino, hocque beneficio recrea cor meum in Domino; vel Onesimum, meum in Domino filium, recipe in gratiam, et recrea cor meum in Domino.

21. Hæc tibi scripsi, de tuâ obedientiâ persuasus, habensque pro certo plus te facturum quàm peto.

22. Simul etiam et te rogo ut mihi præpares hospitium, nam spero quòd per orationes vestras è vinculis liber vobis restituar.

23. Salutat te Epaphras, meus propter Jesum Christum concaptivus,

24. Marcus, Aristarchus, Demas, et Lucas, mei in Evangelii negotio adjutores.

25. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Amen.

COMMENTARIA.

SALUTATIO.

VERS. 1. — PAULUS, VINCTUS CHRISTI JESU, id est, propter Christum. Vide Act. apost. cap. 28, 16, ubi Paulus catenâ vinctus manet sub custodiâ militis.

ET TIMOTHEUS FRATER, scilicet in Christo, ob communem per baptismum regenerationem. Hunc alibi filium suum in fide vocat. V. de 1 ad Tim. 1, 2.

PHILEMONI DILECTO, id est, charissimo.

ET ADJUTORI NOSTRO. Græc., *cooperanti*, seu cooperatori nostro. Sic vocat eum honoris gratiâ, quia fidei negotium suo modo, scilicet hospitalitate, opibus, et curâ suâ maximè promovebat.

VERS. 2.—ET APPIÆ SORORI CHARISSIMÆ, id est, sorori in Christo, seu christianæ; erat Philemonis uxor vel soror.

ET ARCHIPPO, COMMILITONI NOSTRO, scilicet in apostolicâ militiâ. Apostolatûs labores hic militiæ comparat, sicut et 1 Tim. 1, 18; et 2 Tim. 2, 3. Archippus erat in ministerio Ecclesiæ Colossensis, ut patet ex quarto capite ad Coloss., v. 17: *Dicite Archippo: Vide*

VERS. 1. — *Paulus, vinctus Christi Jesu*, etc.; ac si tacitè diceret: Per hæc vincula, quæ pro Christo patior, te obsecro;

VERS. 2. — *Et Appiæ sorori charissimæ*, etc. Hæc Appia uxor erat Philemonis, ut docet Chrysostomus: hanc sororem suam vocat, scilicet in Christo. Hic Archippus episcopus et prædicator erat Colossensium, inquit Ambrosius.

ministerium quod accepisti à Domino, ut illud impleas; sive fuerit diaconus, ut vult Baronius, sive fuerit presbyter, imò et episcopus, ut vult D. Ambrosius.

Et Ecclesiæ, quæ in domo tua est, id est, fidelium congregationi, qui in domo tuâ sunt; seu universæ familiæ tuæ, quæ christiana est.

Vers. 3. — Gratia vobis et pax... Consueta Pauli salutatio, omne bonum complectens.

Nota post D. Chrysostomum, et alios interpretes, quomodò statim ab initio Philemonis animum pulsat ad misericordiam : *Vinctus in Domino*. Sua vincula Philemoni demonstrat, et per ea tacitè rogat; quasi diceret : Per hæc, quæ pro Christo patior vincula, te deprecor. *Et Timotheus;* quasi diceret : Idem te deprecatur Timotheus, tuus et meus in Christo frater. *Philemoni dilecto;* quasi diceret : Per nostrum te deprecor amorem. *Adjutori nostro;* quasi diceret : Qui tot adjuvas, hunc, et me adjuva in illo.

Ut fortior evadat oratio, Philemonem per omnia illi charissima quasi deprecatur; per uxorem, per Archippum, per totam familiam; salutat eos, ut fautores, et secum pro Onesimo deprecatores habeat. Tanta erat Apostoli charitas et sollicitudo pro uno humuncione, mancipio, fugitivo et furc! Unde hoc? Quia non ex conditione, sed ex sanguinis Christi pretio reputabat homines. Sic et à nobis Christus in Christianis quibuslibet, etiam conditione vilissimis, considerandus et diligendus.

EXORDIUM.

Vers. 4.— Gratias ago Deo meo, scilicet pro donis tibi ab eo collatis.

Semper memoriam tui faciens..., id est, et in orationibus meis tui semper recordor.

Vers. 5. — Audiens charitatem tuam et fidem... Rationem affert cur gratias agat : Quia audio eximiam fidem, quam habes in Dominum Jesum Christum; Græc., πρὸς, *ad* Dominum Jesum, et charitatem, quam *in*, εἰς, omnes sanctos, seu Christianos, exerces omnibus misericordiæ operibus.

Vers. 6. — Ut communicatio fidei tuæ... Adeò ut bonorum vestrorum communicatio, id est, liberalitas, et beneficentia vestra: Hoc sensu sumitur communicatio, Rom. 12, 13; Heb. 13, 16. *Fidei vestræ*, id est, quæ à fide vivâ procedit, omnibus evidens fiat.

In agnitione, id est, per cognitionem, seu per patefactionem (*par l'éclat*), omnium bonorum operum, quæ fiunt à vobis, id est, à te, ab Appiâ et à tuis.

In Christo Jesu, per Christi gratiam, vel in negotio fidei christianæ. Græc., *in Christum Jesum*, seu pro Christo Jesu.

D. Chrysostomus, quem sequitur D. Hieronymus, aliter legit et explicat : loco enim ἐναργὴς, per α, id est, *evidens*, legit ἐνεργὴς, per ε, *efficax;* et ita legitur in textu Græco hodierno, imò et in Syriaco; *fiat frugifera operibus*. Secundùm hanc lectionem sensus est : Oro ut fides tua sit efficax, et sese communicet per opera bona. Sed cùm D. Paulus Philemonis fidem jam laudaverit ut efficacem, per charitatem quam in omnes sanctos exercebat, hæc oratio non videtur ad mentem Apostoli. Itaque primus sensus est naturalior, et Apostoli scopo convenientior, ideò retinendus.

Vers. 7. — Gaudium enim magnum habui, et consolationem in charitate tua; χαρὰν, *gaudium*, non χάριν, *gratiam*. Meritò gratias ago, magnum enim gaudium habui, et in laboribus meis solatium ex tuâ charitate, frater, quâ sanctorum viscera refocillata sunt. Philemon fideles inopiâ et miseriis oppressos misericorditer refocillavit, hinc sanctorum viscera dicuntur refocillata, id est, intimâ consolatione recreata. Sicut per viscera misericordiæ intelligitur intima et visceralis miseratio, sic per viscera refocillata intelligitur intima et visceralis consolatio.

Nota in hoc exordio christianum D. Pauli artificium; laudat impensè Philemonis charitatem, ut ad gratiam quam intendit petere disponat; quasi diceret : Si tanta est in Christianos omnes tua charitas, sanè et in hunc, qui Christianus est, clemens eris et misericors. Onesimum nunc Christianum, fratremque tuum, sicut et alios in Christo fratres refocillabis.

PROPOSITIO.

Vers. 8. — Propter quod multam fiduciam, id est, libertatem, jus et auctoritatem habens imperandi, nimirùm ut Apostolus Christi, in universâ Ecclesiâ auctoritatem habens.

Quod ad rem pertinet. Græc., *tibi decens*, id est, quod officii tui est; scilicet ut servo pœnitenti parcas, et tuam in eum charitatem exerceas. Sensus est : Quamvis, ut apostolus, multâ possim erga te, ut Christianum, libertate uti, possimque tibi imperare, quod te facere convenit. Accedit ad rem sibi hâc in Epistolâ propositam, et quia poterat eam vel imperare, vel rogare, eligit hoc secundum.

Vers. 3, 4. — *Gratia vobis et pax à Deo Patre nostro.... Gratias ago Deo meo*, etc.; id est : Qui nunquàm oro quin tui meminerim, tuamque salutem Deo commendem, eidem Deo meo gratias ago.

Vers. 5. — *Audiens charitatem tuam et fidem*, subnectendo fidem charitati, significat se loqui non de quâcumque charitate seu dilectione, sed de eâ cujus opera ex fide procedant, sine quâ nequeunt esse Deo accepta,

Quam habes in Domino Jesu et in omnes sanctos. Sensus : Gratias ago Deo meo, de his quæ famâ referente de te audio, scilicet de fide tuâ quam habes in Dominum Jesum, et de charitate quam passim erga omnes sanctos, id est, Christianos, ipsis operibus exerces,

Vers. 6. — *Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis operis boni*, adeò sanè, ut illa tua in sanctos beneficentia ex fide profecta, nentiquàm latere possit, sed omnibus evidens ac manifesta fiat, agnoscentibus et prædicantibus opera tua bona, quæ plurima facis,

Quod est in vobis in Christo Jesu. Non dicit *in te*, sed *in vobis;* per hoc autem significat domesticam Philemonis Ecclesiam, bonorum ejus adjutricem.

Vers. 7. — *Gaudium enim magnum habui*, etc.; *requieverunt*, id est, recreata et refocillata sunt. Sensus est, Philemonem suam charitatem in eo declarâsse, quòd sanctos, id est, fideles, inopiâ aut miseriâ corporali pressos misericorditer refocillâsset :

Vers. 8. — *Propter quod multam fiduciam* (id est, libertatem) *habens in Christo Jesu* (per Christum Jesum) *imperandi tibi quod ad rem pertinet*, id est,

VERS. 9. — PROPTER CHARITATEM MAGIS OBSECRO... Tamen propter charitatem, quâ te diligo, malo te rogare, ut amicum.

Indicat quod agat ut amicus potius quàm ut apostolus. Inspice, obsecro, quàm multis ex locis sibi ad cor ejus aditum parat, D. Chrysostomus.

CUM SIS TALIS, UT PAULUS, SENEX... Maximè cùm sis senex, sicut et ego Paulus; qui et nunc pro Christo catenâ sum ligatus. Græc. : *Talis existens, ut Paulus, senex,* etc., quod D. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Syriaca versio, D. Hieronymus, vertunt : *Cùm sim talis, scilicet Paulus, senex, vinctus Christi.* Et reverà syntaxis id videtur postulare : Obsecro te, ego talis existens qualem nôsti, scilicet Paulus, senex et vinctus Christi.

O ineffabilem bonitatem, ait D. Chrysostomus! quàm variis hunc modis aggreditur! quot ex partibus exorare pergit? Ex personæ qualitate, *Paulus;* ex ætate, *senex;* quod potentiùs persuadet, *vinctus Jesu Christi.* Sed noster interpres cum Ambrosio, per Hebraismum, ait Cornelius à Lapide, meliùs vertit, *cùm sis* senex. Parùm refert, idem enim est sensus; quasi diceret : Da hoc senio, da vinculis Pauli martyris.

VERS. 10. — OBSECRO TE PRO MEO FILIO, QUEM GENUI IN VINCULIS, ONESIMO. Tandem post longas insinuationes proponit suam petitionem; sed observa quomodò antequàm Onesimum nominet, eum filium suum et filium in vinculis suis genitum vocaverit, ut his duabus qualitatibus præambulis cor Philemonis ad reconciliationem aperiat.

VERS. 11. — QUI TIBI ALIQUANDO INUTILIS FUIT, delictum confitetur, sed culpam minuit, inutilem vocat eum, qui de facto nocuit.

NUNC AUTEM ET MIHI ET TIBI UTILIS. Alludit ad Onesimi significationem; Græcè enim ὀνήσιμος, *onesimus,* idem est ac χρήστος, *christus,* seu utilis. Hinc in textu Græco pulchra est antithesis, inter ἄχρηστον, *inutilem,* et εὔχρηστον, *utilem;* quasi diceret : Olim erat anonesimus, nunc est onesimus. Nota quòd simul ac proponit suam petitionem, statim et probat concedendam esse rem petitam; probat ergo recipiendum Onesimum ratione utilitatis : Et tibi utilis erit, quia, ut quod decens, conveniens, et officii tui est, ut scilicet solitam tuam charitatem in servum tuum pœnitentem ostendas, tamen

VERS. 9. — *Propter charitatem magis obsecro.* Quamvis, inquit, imperare possim, charitas tamen quâ te ut fratrem amo facit ut malim rogare,

Cùm sis talis, ut Paulus senex, nunc autem et vinctus Jesu Christi : Obsecro te ego talis, nimirùm Paulus Christi apostolus, idemque senex, quem parùm alioqui deceat rogare. Addit Paulus senio sua vincula, ut efficacior sit obsecratio; q. d. : Da hoc senio meo, si non, da saltem hoc vinculis meis.

VERS. 10. — *Obsecro* (inquam) *te pro meo filio*, etc., id est, quem in carcere constitutus, in fide instituisti et Christianum feci.; q. d. : Non jam servo tuo, sed filio meo parces, ac veniam dabis, non abjicies me precantem pro meo ipsius filio,

VERS. 11. — *Qui tibi aliquando inutilis fuit*, etc., quia talis nunc est, ut utilitatem ab eo meritò exChristianus fideliter serviet; et mihi fuit utilis, vincto enim ministravit.

VERS. 12. — QUEM REMISI TIBI, et ex hâc parte iracundiam mitigat, cùm illum in manus domini tradit, D. Chrysostomus.

TU AUTEM ILLUM UT VISCERA MEA SUSCIPE. Græc. : *Tu autem illum, id est, viscera mea suscipe;* quasi diceret : Meipsum in illo suscipe. Filius meus est, cor meum, viscera mea. illum ergo ut talem suscipe : quidquid illi feceris, mihi, cordi meo, visceribus meis feceris.

Ratione suæ erga Onesimum amicitiæ probat non tantùm veniam ei dandam, sed et honorem impendendum : est enim Pauli filius et cor. Quanta charitas erga homuncionem, mancipium, furem, fugitivum! Disce hinc oculis fidei homines intueri, Christianos omnes ut Christi filios, membra, corpus et cor; Christum in illis diliges; tu illos, id est, Christum suscipe in illis. Quanta hinc exprobratio in plerosque dominos, qui servos suos quasi canes reputant, eosque minùs diligunt quàm equos suos, de homine Christiano minùs curant quàm de bestiâ.

VERS. 13. — QUEM EGO VOLUERAM MECUM DETINERE... Et propter meam in ipsum amicitiam, et propter illius erga me utilitatem, volebam eum apud me retinere.

UT PRO TE MIHI MINISTRARET IN VINCULIS EVANGELII. Vide paraphrasim.

VERS. 14. — SINE CONSILIO AUTEM TUO NIHIL VOLUI FACERE... Vide paraphrasim. In his duobus versibus conglobat multas rationes quibus Philemonis animum simul pulsat ad veniam Onesimo dandam. Primò, resumit jam tactas amoris et utilitatis rationes; secundò, addit duas circumstantias singulariter efficaces ad Philemonem excitandum, dùm ait : Ut pro te mihi in vinculis ministraret : loco tui, vice tui, ille mihi ministravit in vinculis, quæ pro Christo patior; tertiò, magnam exhibet erga Philemonem reverentiam, cùm ait : *Sine consilio*, etc., te inconsulto, ac nisi te ultrò volente, nolui retinere; et hâc reverentiâ animum Philemonis magis ac magis excitat ad concedendum quod petit.

VERS. 15. — FORSITAN ENIM IDEO DISCESSIT AD HORAM spectes, tanquàm à Christiano, et proindè liberaliter serviturо, mihi autem utilis, per obsequium quod in carcere detento præstitit; hinc eumdem Onesimum recens à se conversum vocat charissimum et fidelem fratrem, Coloss. 4.

VERS. 12. — *Quem remisi tibi*, etc. Viscera sua vocat filium suum; quem genuit in Christo : Tu eum, hoc est, meipsum suscipe;

VERS. 13, 14. — *Quem ego voluerам mecum detinere..... Sine concilio autem tuo nihil volui facere.* Sed te inconsulto, ac præter voluntatem tuam nihil hujus rei facere volui, scilicet ut servum tuum apud me retinerem mihi ministraturum,

Uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. Bonum, id est, beneficium tuum.

VERS. 15. — *Forsitan enim ideò discessit ad horam* (id est, ad breve tempus) *à te, ut æternùm illum reciperes*, id est, nullo unquàm tempore, ac ne morte quidem, abs te discessurum, reciperes autem

A TE... Ab Onesimi conversione, cujus occasio fuit illius fuga, rationem ignoscendi petit : Fortè ideò permisit Deus Onesimum à te discedere ad breve tempus, ut à me conversum reciperes non amplius à te recessurum, sed tibi semper adhæsurum.

VERS. 16. — JAM NON UT SERVUM..., id est, non ut servum tantummodò,

SED PRO SERVO. Græc. : *Sed supra quàm servum;* Syr. : *Sed plus quàm servum ;* nempe,

CHARISSIMUM FRATREM, scilicet in Christo, seu propter baptismum, quo omnes regenerati fratres fiunt, utpote filii Dei.

MAXIMÈ MIHI, id est, mihi quidem charissimum, quia eum genui in Christo.

QUANTO AUTEM MAGIS TIBI, quia tuus est et servitute corporali, et fraternitate spirituali!

IN CARNE, corpus ejus tuum est, ob jus dominorum in mancipia.

ET IN DOMINO, in quo frater tuus factus est per baptismum.

In his duobus versibus, primò, culpam Onesimi minuit, dicendo, *discessit*, pro, fugit, illius fugam quasi iter exhibet; *ad horam*, ad modicum tempus; minuit et fugæ durationem; secundò, duas aut tres rationes affert ob quas Philemon debeat ignoscere : Fortè id Dei consilium fuit, cum eum à te fugere permisit, ut tecum per totam æternitatem uniretur in cœlo. An Dei consilio et voluntati contradices, hominique cum Deo reconciliato pacem negabis? Ex servo frater tuus in Christo factus est : an fratri tuo reconciliari renues? Et mihi et tibi charissimus esse debet : mihi, quia meus in Christo filius : tibi, quia tuus totus est et quoad corpus et quoad spiritum. Onesimi corpus tuum est, quia tuum est mancipium : Onesimi spiritus et tuus est, quia Christi est, cum quo et tu unum es. An ergo pacem recusabis filio meo, servo tuo, qui ex servo frater tuus est, Christi membrum, unum cum Christo, sicut et tu?

CONCLUSIO.

VERS. 17. — SI ERGO HABES ME SOCIUM, SUSCIPE ILLUM SICUT ME. *Socium*, Græc., *communicantem;* Syr., *consortem*. Ex supradictis rationibus concludit : *Si ergo habes me* in fide et religione et gratiâ Christi consortem, tibique in Christo unitum et amicum, Onesimum suscipe sicut meipsum, quia eamdem mecum fidem habet et gratiam, mihique in Christo conjunctissimus est. Recipe illum ergo in domum, recipe in animam : sicut me, id est, quod illi feceris, mihi feceris : supra vocavit filium, fratrem, sua viscera, nunc alterum se, *sicut me*.

VERS. 18. — SI AUTEM ALIQUID NOCUIT TIBI. Quia Onesimus fugiens aliquid domino suo subripuerat, ideò Philemon objicere poterat : Recipiam quidem in gratiam; at quis ablata restituet? D. Paulus duobus modis huic objectioni respondet. Primò, quòd ipse Paulus restituet : Si quid fugiens abstulit, tibique suo furto nocuit, hoc in me transcribe, meisque rationibus imputa : pro illo sponsorem me facio.

VERS. 19. — EGO PAULUS SCRIPSI MEA MANU; quasi diceret : Ut sis certior, en chirographum meum, has scilicet litteras, propriâ meâ manu scriptas; serva eas; ego satisfaciam, ego rependam : Pro schedulâ hanc habe Epistolam, eam ego totam scripsi; ego et debere et redditurum esse debitum promitto. Theodoretus.

Secundo, magnâ arte Philemonem admonet quòd sibi Paulo multò plus debeat, quàm Onesimus Philemoni : UT NON DICAM TIBI QUÒD ET TEIPSUM MIHI DEBES. Sileo quod dicere possem, nimirùm quòd mihi non quidem rerum tuarum temporalium, sed tui ipsius et salutis æternæ debitor es; scilicet ob tuam ad Christum conversionem, prædicationibus meis procuratam.

VERS. 20. — ITA FRATER, EGO TE FRUAR IN DOMINO. Syr. : *Etiam, frater mi, ego refocillabor per te in Domino nostro.*

Blanditiis rationibus addit et quasi ipsum amplectens, precatur : Eia, mi frater, hoc mihi præsta, hocque per te gaudio fruar in Domino.

REFICE VISCERA MEA IN DOMINO. Syr., *refocilla viscera...*

Onesimum filium intimè dilectum in Christo, et cor meum recipe in gratiam : vel hoc beneficio animam meam recrea.

Notat Cornelius à Lapide, quòd verbum frui non sumatur hic juxta sensum à D. Augustino datum, sed juxta sensum antiquorum Latinorum, quo frui significat fructum, seu utilitatem ex aliquâ re capere. Hinc

non ut servum, sed ut fratrem ; nam servitus omnis hâc vitâ finitur, at fraternitas christiana manet in æternum.

VERS. 16. — *Jam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem, maximè mihi;* observa insigniter christianos in Apostolo affectus, qui Onesimum modò filium suum, modò fratrem vocat ;

Quantò autem magis tibi, et in carne et in Domino ! In carne, id est, in rebus carnalibus, hoc est, temporalibus, *et in Domino*, id est, in rebus divinis, spiritualibus et æternis.

VERS. 17. — *Si ergò habes me socium*, id est, amicum, si inter amicos me numeras, *suscipe illum sicut me.* Amicorum omnia sunt communia.

VERS. 18. — *Si autem aliquid nocuit tibi*, etc.; q. d. : Furtum et debitum ejus in me transcribe, et si repetendum est, à me repete ; me pro illo sponsorem accipe.

VERS. 19. — *Ego Paulus scripsi meâ manu ;* accipe chirographum meum, has litteras meâ manu scriptas, quibus me fidejussorem interpono; *ego reddam*, id est, dependam sive rependam, resolvam.

Ut non dicam tibi quòd et teipsum mihi debes ; id est, insuper debes ; q. d. : Ut omittam et taceam quòd te, id est, tuam conversionem ad Christum et salutem, mihi debes ; itaque si tu et tua mea sunt, ergo et Onesimus, qui tuus est, meus est. Ità Hieron. Philemon Paulo debitor fuit suæ salutis, quòd à discipulo ejus Epaphrâ, Colossensium apostolo, quem Paulus illuc miserat, unà cum aliis Colossensibus conversus fuerit ad Christum. Erat hic Epaphras, quando scribebatur hæc Epistola, Pauli concaptivus, ut infrà dicitur.

VERS. 20. — *Ita frater;* q. d. : Quæso, obsecro te, frater, preces meas pro Onesimo exaudi, ita enim illi veniam eblanditur. Unde subdit : *Ego te fruar in*

putat ad Onesimi nomen hìc rursùs alludi; quasi diceret: Ego hunc ex te fructum, scilicet consolationis, capiam in Domino: cor meum hoc beneficio recrea.

Ante ipsum D. Thomas hìc dixerat: Frui est uti fructu; importat autem fructus dulcedinem. Hinc *fruar te* interpretatur: Si feceris, implebis meam voluntatem gaudiis.

Refice, id est, imple desideria intima cordis mei.

VERS. 21. — CONFIDENS IN OBEDIENTIA TUA SCRIPSI TIBI, SCIENS QUONIAM ET SUPER ID QUOD DICO FACIES. Quod in principio dixerat, *fiduciam habens*, etc., v. 8, hoc et modò, cùm signaret Epistolam, ait D. Chrysostomus: Neque imperio usus, neque auctoritate hæc scribo, sed *confidens in obedientiâ tuâ scripsi tibi. Sciens quoniam...* Habeo pro certo plus te facturum quàm peto. Habent ista magnam hortandi atque exorandi vim, ait D. Chrysostomus.

VERS. 22. — SIMUL AUTEM ET PARA MIHI HOSPITIUM... Læto nuntio claudit Epistolam, dicens: Spero quòd per vestras orationes è vinculis liberatus vobis restituar, itaque para mihi hospitium. Et hic nuntius novum est argumentum non mediocriter urgens Philemonem ad rogata præstandum; quomodò enim Pauli præsentiam aliàs sustinuisset.

VERS. 23. — SALUTAT TE EPAPHRAS CONCAPTIVUS... Epaphras erat Colossensium episcopus, tunc autem Romæ, pro Christi nomine, cum D. Paulo in vinculis, in cujus locum Archippus creditur suffectus, de quo v. 2.

VERS. 24. — MARCUS, ARISTARCHUS, DEMAS. Hic in secundis D. Pauli vinculis ab ipso defecit. 2 Timoth. 4, 9; ante Lucam ponitur, quia spectabilis, ait Theodor. Qui stat, videat ne cadat.

ADJUTORES MEI, in Evangelii negotio.

VERS. 25. — GRATIA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI CUM SPIRITU VESTRO, id est, vobiscum, scilicet quos salutavit Epistolam incipiens, seu cum Philemone et totâ ejus familiâ.

Domino; q. d.: Ego voluptatem miram capiam ex te, cùm hanc rem tam piam et justam in Domino, id est, in re dominicâ et christianâ, mihi concesseris; q. d.: Ego ex te fructum consolationis capiam, si Onesimum, id est, fructuosum et utilem, in gratiam recipias.

Refice viscera mea in Domino; q. d.: Me intimè refice, et recrea hoc beneficio, quo nullum mihi accidet jucundius. Si hoc mihi præstiteris, cor meum mulcebis, et miro gaudio delinies.

VERS. 21. — *Confidens in obedientiâ tuâ scripsi tibi*, etc. Tantam, inquit, novi tuam erga me obedientiam, ut non dubitem quin plus etiam quàm peto, sis præstiturus.

VERS. 22. — *Simul autem et mihi para hospitium*, etc., ut scilicet, liberatus è vinculis, vobis restituar.

VERS. 23. — *Salutat te Epaphras*, etc., id est, propter Christum Jesum.

VERS. 24. — *Marcus, Aristarchus, Demas et Lucas, adjutores mei*, cooperarii mei, scilicet in negotio evangelico. Demas hic est, ait Theophyl., qui postea à Paulo defecit, de quo 2 Tim. 4, v. 10, eum postea ductum pœnitentiâ rediisse ad obsequium Pauli, quem reliquerat.

VERS. 25. — *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen. Cum spiritu vestro*, id est, vobiscum.

Gratia Jesu Christi, quo nomine omne bonum salutare comprehendi sæpè dictum est alibi.

Corollarium pietatis, seu in hâc Epistolâ ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

Miremur ac pro modulo nostro imitemur singularem Apostoli nostri charitatem, quâ hìc pro vili mancipio, fure, et fugitivo facit quæ vix pro suâ propriâ vitâ facere posset. Vide totam Epistolam. Ut hanc autem in omnes charitatem habeamus, ab exemplo Pauli discamus homines, non ex conditione, sed ex sanguinis Christi pretio reputare. Vide commentarium, v. 3. Discamus Christianos omnes oculis fidei intueri, ut Christi filios, membra, corpus, Christum ipsum. Quis ut sua viscera non diligat eum quem Christus considerat et diligit ut semetipsum? v. 12. Ab exemplo autem Onesimi, qui ex mancipio, fure et fugitivo, vir illustris, episcopus et martyr evasit, discamus de nullius unquàm peccatoris salute desperare, cùm ipsa aliquando peccata, per Dei misericordiam, occasionaliter conferant ad salutem, v. 15.

IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS

Præfationes.

Apud Græcos, in Ecclesiâ Orientali, nullus antiquiorum Patrum dubitavit quin hæc ad Hebræos Epistola et canonica sit, et Paulina. Imò et plerique hæretici, ex hâc Ecclesiâ egressi, eam ut Paulinam

Duo potissimùm in hâc Epistolâ agit Apostolus: Partim enim docet quæ Christi dignitas et quod officium, quæque sacerdotii ejus et sacrificii supra Leviticum excellentia; partim verò consolatur Hebræos et ad perseverantiam fidei in Christum hortatur, utpotè propter Christi fidem variis modis afflictos ab infidelibus et adversariis Judæis. Et quidem hoc posterius esse proprium hujus Epistolæ argumentum arbitrantur expositores Græci. Pro quibus facere videtur quod in fine Epistolæ dicit: *Rogo vos, fratres, ut sufferatis*

citant, ejusque abutuntur auctoritate. Ariani soli, aut saltem primi, illam, utpote suis erroribus contrariam rejecerunt, de quibus meritò querens Theodoretus, ait : Oportebat ipsos, et si nihil aliud, temporis certè diuturnitatem revereri quo hanc Epistolam in Ecclesiis perpetuò legerunt alumni veritatis : ex quo enim litterarum apostolicarum fuerunt Dei Ecclesiæ participes, ex illo etiam Epistolæ ad Hebræos utilitatem percipiunt. Theodoretus in argumento Epistolæ ad Hebræos.

Apud Latinos, multis in Ecclesiis, præsertim in Romanâ, dubitatum quidem fuit, et de auctoritate, et de auctore hujus Epistolæ; fortè quia Novatus et Novatiani eâ abutebantur ad denegandam lapsis pœnitentiam.

Tempore D. Hieronymi nondùm publicè legebatur in Ecclesiis. Clemens tamen Romanus pontifex, apostolorum discipulus, eam ut canonicam et Paulinam citaverat à primis Ecclesiæ temporibus, in suâ ad Cor. Epist., Eusebio teste, Hist. eccl. lib. 3, cap. 38.

Præcipui Patres Latini, sive D. Hieronymo priores, Hilarius, Optatus, Ambrosius, sive coætanei, ut D. Augustinus, sive posteriores, eam ut canonicam et Paulinam agnoverunt. Imò et ipse D. Hieronymus, Epistolâ ad Dardanum. Nos utramque suscipimus (Epistolam scilicet ad Hebræos et Apocalypsim Joannis), nequaquàm hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes.

Ex antiquioribus Latinis excipe Tertullianum, qui hanc Epistolam attribuit D. Barnabæ; D. Cyprianum, qui eam nullibi citat in operibus suis; excipe et Caium, Ecclesiæ Romanæ presbyterum, qui initio tertii seculi, sub Zephyrino papâ vivebat, et quem Eusebius, Hist. eccl. lib. 3, cap. 3, videtur sentire primum fuisse in Ecclesiâ Romanâ qui de hujus Epistolæ auctoritate dubitavit.

Novissimis temporibus, Cajetanus Erasmum, ut solet, secutus, dubiam hujus Epistolæ auctoritatem reddidit.

At sanè id modò sine temeritate fieri non potest; ex quo concilia multa, præsertim verò Tridentinum, hanc epistolam in Scripturarum catalogo cæteris D. Pauli Epistolis aggregavit, et aliunde nulla sit solida dubitandi ratio. Prima enim, quæ ex diversitate styli petitur, nulla est, quia dici potest, vel cum Theophylacto, quòd hæc Epistola scripta sit Hebraicè à

verbum solatii, quasi videlicet Epistolæ status sit consolatorius. Verùm si spectemus exordium Epistolæ, totumque progressum, facilè apparebit Apostolum in hâc Epistolâ principaliter intendere doctrinam, tametsi hoc suum institutum apud homines parùm sibi æquos prudenter dissimulet, ne cathedram sibi apud eos vindicare videatur; præsertim cùm Judæi Paulum pro suo doctore et apostolo non agnoscerent. Cùm autem ad eos scribat qui in Christum jam crediderant, ejusque causâ multas, uti dixi, persecutiones passi fuerant, non id agit hâc Epistolâ ut eis persuadeat Jesum esse Christum et Salvatorem in lege promissum, sed ut ostendat quo loco sit ab eis habendus, quod ejus officium, et quale sacerdotium; quo nimirùm constituto sacerdotium vetus cum suis sacrificiis omninò cessare jam debeat. Erant enim Judæi Moysi et cæremoniis legis ita addicti, ut quamvis Jesum pro Messiâ recepissent, à lege tamen abducisse non paterentur, sed eam cum Evangelio miscerent : à Christo quidem exempla virtutum petentes, ac præmia suæ justitiæ expectantes; ipsam verò justitiam, legi ac cæremoniis; remissionem autem peccatorum, sacrificiis expiatoriis eâdem lege præscriptis, attribuentes. In quo errore destruendo, non hic tantùm, verùm etiam alibi sæpè, sed maximè Epistolis ad Romanos et Galatas, occupatur : quibus proindè cum hâc Epistolâ magna est argumenti affinitas. Harum enim trium Epistolarum unus generalis scopus est, docere veram justitiam non ex lege, sed à Christo per fidem esse petendam. Cæterùm id docent, secundùm diversas partes legis : nam Epistola ad Romanos ex lege morali, id est, Decalogo justificari hominem negat; Epistola ad Galatas justificandi vim removet à cæremoniis. Hæc verò Epist. peculiariter id ipsum de sacrificiis antiquæ legis, quæ cæremoniarum pars erant præcipua, demonstrat. Ad id verò docendum, opus erat Apostolo declarare vim illius sacrificii, cui vetera, tanquàm ad justitiam et peccatorum remissionem inepta, cedere deberent; ejus, inquam, sacrificii quod Christus obtulit in cruce. Quod ut faciat, multa præmittit de personâ, dignitate, et officio Christi sacerdotis. Ut igitur summam eorum quæ in hâc Epistolâ traduntur annotemus, primo capite et duobus sequentibus Christi dignitatem asserit, docens eum esse Filium Dei, angelis et Moyse majorem. Hinc arripit occasionem graviter admonendi Hebræos, ut in fide Christi semel susceptâ perseverent; câque in re immoretur majori parte 3 et 4 capitis. Transit deinde ad explicandum Christi sacerdotium; docetque eum et à Deo Patre Pontificem constitutum, et verè ea præstitisse quæ sunt sacerdotis. Id agit potissimùm capite quinto. Sub finem ejusdem, digreditur ad increpandum eos, quòd in primis fidei rudimentis adhuc hærerent ut pueri, nec ad perfectiora contenderent. Quod argumentum acriùs prosequitur capite sexto, denuntians periculum ne penitùs abjiciantur, si non studiosè nitantur ad profectum fidei. Post hæc ad institutum redit, docetque Christum jurejurando constitutum à Deo sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech. Unde capite septimo dignitatem ejus à personâ Melchisedech pulchrè colligit, ejusque sacerdotium Aaronico præstantius esse demonstrat. Octavo capite rationem aperit institutionis veterum sacrificiorum, scilicet ut essent adumbrationes quædam futurorum, ac cœlesti prototypo deservirent; quæ proinde cum universo testamento veteri, novo jam per Christum introducto cedere debeant. Prosequitur eamdem rem capite nono ac decimo, Christum ostendens verum esse sacerdotem, qui uno crucis sacrificio semel omnium peccata expiârit, quod vetera sacrificia sæpè repetita facere non poterant. Mox ab eo loco capitis decimi, *habentes itaque, fratres, fiduciam*, etc., transit ad genus exhortatorium; ac primùm adhibet severam admonitionem, ne talem ac tantum Pontificem per infidelitatem abjiciant, ut ne divinam adversùm se provocent ultionem. Mox tamen eos in spem ac fiduciam rursùs erigit, commemoratione bonorum operum quæ per Dei gratiam fecerant. Undecimum caput totum versatur in laude et commendatione fidei propositis exemplis sanctorum Patrum, qui, per fidem Deo placentes, magna et mira egerunt vel passi sunt. Eam doctrinam capite duodecimo accommodat instituto, monens Hebræos ut fide muniti in adversis constantes permaneant; simul utilitatem ostendens flagellorum ac disciplinæ paternæ. Assiduè certè per totam Epistolam Apostolus inspergit quæ faciant exhortandis Judæis Christianis ad permanendum in Christi fide; adeò ut per totam Epistolam hoc illi studium sit, eos in fide confortare. Reliquum Epistolæ constat piis exhortationibus et præceptis vitæ christianæ.

Porrò quod ad locum attinet, ex Italiâ scriptum esse ipsa loquitur Epistola. *Salutant vos*, inquit, *ex Italiâ*

D. Paulo, et ab interprete perito traducta Græcè, sive fuerit sanctus Lucas, sive alius; vel cum Origene, quòd cogitatus quidem sint D. Pauli, dictio verò alicujus ex ejus discipulis, qui fuit ipsius scriba et interpres. Altera ratio petita ex suppressione nominis D. Pauli, etiam nulla est; id enim fecit, quia Pauli nomen erat Judæis infensum, et aliunde, ut ait Theodoretus, gentilium, non Judæorum, constitutus erat apostolus; ideò apostolicum nomen non ponit hic in proœmio. Tertia ratio, quæ petitur ex textibus capitis sexti et decimi, solvetur suis in locis. Quarta petita ex verbis capitis secundi, v. 3 et 4, ubi dicit auctor hujus Epistolæ, aut potiùs dicere videtur, se ab apostolis in fide edoctum, aut saltem confirmatum, cùm è contra D. Paulus ad Galatas primò dicat se non ab homine, sed à solo Deo, per revelationem Jesu Christi, didicisse Evangelium. Hæc, inquam, ratio ex apparenti contradictione petita, etiam nulla est; non enim hic dicit Apostolus se in fide confirmatum esse, sed ipsum Evangelium, seu fidem Christi, confirmata esse à Deo, per miracula, ad sua usque tempora. Adde quòd in primâ personâ loquitur hìc, sicut priùs, modestiæ causâ, concionatorum more, qui docendo, exhortando, et objurgando, loquuntur in primâ personâ numeri pluralis. Sic Apostolus Hebræus Hebræis loquitur, quasi unus ex ipsis : *Ne fortè pereffluamus*, etc. *Quomodò nos effugiemus*, etc. *In nos confirmata est*. Pari modo loquitur in aliis hujus Epistolæ locis, initio capitis sexti, quasi sit ex eorum numero : *Quibus lacte opus est, ad perfectiora feramur*, inquit. In cap. 10 et 11, sunt etiam similes loquendi modi. Cùm itaque nulla sit solida dubitandi ratio, et cùm aliunde communis Ecclesiarum usus, manifesta longissimi temporis præscriptio, constans Patrum ferè omnium sententia, conciliorum canones, sanctorum pontificum decreta, hanc Epistolam et canonicam, et Paulinam affirment, certè, sicut jam dixi, nulli modò licet seu de auctoritate, seu de auctore illius dubitare.

De his vide fusiùs Estium, in præfatione hujus Epistolæ quem non est de fide, quòd D. Paulus sit hujus Epistolæ auctor; et consequenter hoc negare non est hæreticum, inquit, sed temerarium. Vide Ederum, œconomiâ Bibliorum, in præfatione hujus Epistolæ, ubi ex Melchiore Cano asserit et probat hæreticum esse hanc Epistolam canonicam negare, seu, ut illius verbis utar, ex canonicarum Scripturarum numero rejicere.

fratres. Chrysostomus et alii plerique Romæ scriptam existimant. Nonnulli addunt è vinculis datam; tum quia pro eo quod capite decimo nos habemus, *nam et vinctis compassi estis*, in Græco legitur, *vinculis meis compassi estis;* tum quia capite ultimo petit eorum pro se orationes, *quò celeriùs iis restituatur*, videlicet è carcere liberandus; ex quo (ut hi quidem intelligunt) jam liberatum scribit Timotheum. Verùm ex illis locis utrùm id statui possit dispiciemus, cùm ad ea exponenda perventum fuerit. Videtur autem scripta post omnes alias, eodem tamen anno cum postremis, scilicet iis quæ data sunt ad Philemonem, ad Coloss. et ad Philippens. Nam et Epistola ad Philemonem, perinde ut ista, spem continet liberationis. *Spero*, inquit, *per orationes vestras donari me vobis*. Quòd autem sit ea cæteris posterior, inde probari putat Baronius, quòd in hâc scribat (cap. 13) Timotheum dimissum, qui in superioribus adhuc adest Paulo; licet in Epistolâ ad Philippenses, capite secundo promittat se eum missurum. Quæ probatio quantùm valeat expendemus in commentario. Cùm autem ad Hebræos scriptam esse constet, tamen quæri potest utrùm ad omnes quaquaversùm toto orbe dispersos, sicut scribunt Jacobus et Petrus, an verò ad unam aliquam eorum ecclesiam, scripta sit. Omninò verosimile est scriptam esse principaliter quidem ad ecclesiam Hierosolymitanam; tum verò communiter etiam ad cæteras ecclesias quæ in Judæâ erant. Certum enim locum quò perferenda esset Epistola designat, cùm ait in fine : *Quò celerius restituar vobis*, et paulò post : *Cum Timotheo, si celerius venerit, videbo vos*. Quem vero locum, nisi Judæam; maximè quòd ea quæ scribit capite decimo : *Magnum certamen sustinuistis passionum*, etc.; atque iterùm : *Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis*, non in alios potiùs competant Hebræos, quàm in eos qui Judæam incolebant, ut ex Actis apostolorum intelligi potest; quanquàm et hujus rei testem habemus ipsum apostolum Paulum ita scribentem ad Thessalonicenses 1 Epistolæ 2 : *Imitatores facti estis Ecclesiarum quæ sunt in Judæâ, quia eadem passi estis et vos à contribulibus vestris, sicut et ipsi à Judæis*. Item argumento est, quòd Epistolam non ad Judæos inscribat, sed ad Hebræos; quamvis enim secundùm usum loquendi vulgarem iidem sint Hebræi qui Judæi, propriè tamen, quod etiam M. Galenus in hujus Epistolæ prolegomenis annotavit, Hebræorum nomen sibi vindicabant apostolorum tempore, quibus Hebræa lingua vernacula erat, utpotè Jerosolymis aut in Judæâ natis aut educatis : quemadmodùm probat locus Act. 6, ubi legitur *factum fuisse murmur Græcorum adversùs Hebræos*. Etenim *Græci* eo loco non intelliguntur gentiles, nondùm enim gentilibus prædicatum erat Evangelium, sed Judæi extra Judæam nati, præsertim in partibus Græciæ, eamque ob causam Ἑλληνισταὶ dicti, quasi Græcistæ, non illo tantùm Actorum loco, verùm etiam postea capite nono et undecimo. Quâ de re plenius egimus ad illa verba 2 Cor. 11 : *Hebræi sunt et ego*. Verùmtamen arbitrandum est ita scriptam esse ad Jerosolymitanos hanc Epistolam, ut cæteris etiam Judæis ubique terrarum dispersis operâ eorum qui in Judæâ erant fratrum, communicanda fuerit; quòd videlicet omnium esset, quod ad doctrinam attinet, causa communis. Quò pertinere putant quòd Petrus scribens ad eos qui erant in dispersione, testatur etiam Paulum ad ipsos scripsisse, 2 Epist. cap. 3, quod non de aliâ quam de hâc Epistolâ videtur intelligi posse. Sed de eâ re jam diximus in prolegomenis hujus Epistolæ. Restat ut videamus undè dicti sint Hebræi; est enim id huic loco opportunum; tametsi in commentario 2 Cor. 11, et Philippens. 3, eam rem attigimus. Fuêre qui vocabulum deducerent ab Abraham patriarchâ gentis, ut Hebræi dicti fuerint tanquàm Abræi. Sic commentator Ambrosian. super illud Philippens. 3 : *Hebræus ex Hebræis*. Quod et Augustino aliquando placuit, ut lib. 1 de Consensu evangel., cap. 14. Sed ab eâ sententiâ recedit, lib. 2 Retract., cap. 16. Ac facilè refellitur, quoniam et ipse Abraham, Genes. 14, vocatur Hebræus. Deinde nec derivatio constat; nam initiales litteræ horum nominum diversæ sunt, א *Aleph*, et ע *Ain*. Alii non pauci (quorum primus Josephus, lib. 1 Judaicarum Antiquitatum, cap. 6, quem et Hieronymus sequitur in traditionibus Hebraicis super Genes. 10, et alii deinde) deducunt ab Heber, qui septimus antecessit Abraham. A quibus si quæras cur à progenitore tam remoto eoque obscuro (nihil enim de eo memorabile narratur) clarissimus patriarcha in suâ posteritate nomen acceperit, hanc afferunt rationem, quia in diebus Heber linguarum facta sit divisio : quâ ex re etiam filio suo Phaleg nomen dedit, Genes. 10. Cæterùm in ejus familiâ linguam primigeniam permansisse; quæ

Scripta est igitur hæc Epistola à D. Paulo ex Italiâ, Româ scilicet, ad Hebræos conversos ad Christi fidem, ad omnes quidem per totum orbem dispersos, sed maximè ad Hebræos in Judæâ degentes.

Scopus Apostoli est primò Hebræos in puritate fidei confirmare, et à legalibus observantiis prorsùs avellere: hinc Christi dignitatem extollit, sacerdotium, sacrificium, officium; secundò consolari eos qui ob fidem à magistratibus Judæis variè divexabantur; Jerosolymis enim qui crediderant, variis calamitatibus affligebantur ab iis qui Evangelio resistebant, penes quos erat publica auctoritas. Ne igitur tentationibus superati fideles, ad infidelitatem relaberentur, eos solatus est Apostolus, tum exemplo veterum sanctorum, tum exemplo Christi Domini, tum spe præmii cœlestis: tandem Epistolam morum instructione, suo more, concludit.

Porrò hæc Epistola, licèt in ordine Bibliorum sit ultima, et ratione temporis penè ultima, ratione tamen doctrinæ prima est. Hic enim agitur de veritate legis evangelicæ; in reliquis verò Epistolis, de ipsius legis observantiâ: veritas autem ipsa prior et præstantior est veritatis observantiâ. Vel, sicut ait sanctus Thomas, in aliis Epistolis agitur de gratiâ novi Testamenti, quantùm ad totum mysticum corpus Ecclesiæ, in hâc autem commendat ipsam gratiam quantùm ad caput, Christum scilicet. Divus Thomas, in prologo,

Scripta putatur Romæ, aut saltem ex Italiâ, anno Christi 62 aut 63.

proinde ab ejus nomine Hebræa dicta fuerit; et Hebræi dicti, qui deinceps eâ uterentur, ut Abraham ejusque posteri. Habetur hæc ratio apud Augustinum, cui inprimis probatur libro decimo sexto de Civitate Dei, cap. 3 et 11; et lib. 18, cap. 39; necnon apud beatum Thomam in commentario utriusque loci Paulini paulò antè citati. Favetque convenientia litterarum in Hebræo, עבר. Verùmtamen eam rationem argumento non inepto refellunt Theodoretus, in quæst. 60, super Genesim, et Paulus Burgensis, addit. 2 super Matth. 21. Nam si denominarentur Hebræi ab Heber, non solùm eos qui ex Abraham descendunt oportebat sic appellatos esse, verùm etiam cæteros ab Heber originem ducentes, quamcumque terram incolerent, ac nominatim etiam posteros Nachor et Aran, qui in Chaldæâ remanserunt, eâdem linguâ utentes quam, unà cum fratre Abraham, à suis progenitoribus acceperant: atqui eos appellare Hebræos à Scripturâ alienum est. Nec ipse quidem Abraham priùs legitur Hebræus vocatus, quàm è terrâ suâ et cognatione et domo patris sui egressus, in terram Chanaan venisset. Igitur ut ad veram nominis rationem veniamus, dicendum est, Hebræum dici non à nomine cujuspiam hominis, sed à vocabulo *Eber*, id est, trans, sive ultra; venerat enim Abraham transfluvium Euphratem in terram Chanaan. Undè ab incolis illius terræ Hebræus est appellatus, id est, transitor, sive transfluvialis; Græcè, περάτης, quomodò eam vocem septuaginta reddiderunt interpretes, Genes. 14. Simile est quod Latinè quidam dicuntur, verbi gratiâ, transtiberini, transmarini, transalpini. Indicatur hæc ratio Josue 24, Domino dicente: *Transfluvium habitaverunt patres vestri ab initio. Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus:* Hebraicè, *de Eber fluvii:* Septuaginta, *de transfluvium.* En ipsam rationem etymologicam ob quam Abraham cum suâ posteritate dictus est Hebræus. Quò sanè alludere videtur Hieronymus quoties sive de Abraham, sive absolutè loquens, *Hebræum* interpretatur *transitorem*, ut in epist. 28 ad Lucinium et ad Fabiolam, mans. 31; itemque in commentariis Ezechielis 7, et Jonæ 1. Cæterùm hanc rationem disertè tradit et pluribus explicat Paulus Burgensis, loco superiùs citato. Sequuntur autem et alii, præsertim Hebraicarum litterarum periti, ut Joannes Reuchlinus, lib. 3 de Verbo mirifico, cap. 13; Franciscus Ribera, in Jonæ 1, ad illud: *Hebræus ego sum,* ubi solidè datam interpretationem confirmat, quam et alibi repetit. Denique hanc esse Rabinorum communem sententiam testatur Genebrardus, lib. 1 suæ Chronographiæ. Non equidem ignoro Theodoretum, quæstione superiùs citatâ, aliam quamdam rationem afferre: censet enim Abraham dictum fuisse Hebræum à nomine fluminis Euphratis, quem pertransiit, cùm è Chaldæâ veniret in Palæstinam; Hebræâ namque Syrorum linguâ vocari dicit Euphratem. Sed falli putamus Theodoretum, ut vocabulum quod transitum significat, retulerit ad ipsum flumen quod Abraham Hebraicâ linguâ, quâ Abraham ipse et posteritas ejus usa est, Euphratem, non *Hebra*, sed *Perath* appellârit. Si quæras, hujus nominis amplitudo quos olim fuerit complexa, respondeo mihi valdè probabile esse non ad solam Abrahæ familiam ac posteritatem pertinuisse hoc nomen, neque postea ad solam familiam Israel, ut quidam opinantur; sed quotquot ex Abraham et Loth geniti fuerunt, initio vocatos fuisse Hebræos unà cum eorum vernaculis; simul enim Abraham et Loth cum suis familiis, Euphrate transmisso, in Palæstinam venerunt. Sanè nomen illud, tempore Jacob patriarchæ, latiùs patuisse quàm intra limites familiæ ejus contineretur, probant illa verba mulieris, Genes. 39: *En introduxit virum Hebræum ut illuderet nobis;* et iterùm: *Ingressus est ad me servus Hebræus, quem adduxisti;* et hæc ipsius Joseph, cap. 40: *Furtim sublatus sum de terrâ Hebræorum;* denique illa Scripturæ verba, cap. 43: *Illicitum est Ægyptiis comedere cum Hebræis, et profanum putant hujusmodi convivium.* In his enim Hebræorum nomen ad solam familiam Jacob, quæ Ægyptiis adhuc ignota erat, restringi nullatenùs potest, sed Hebræi dicebantur posteri Abrahæ, Palæstinam aut vicina loca incolentes, qui jam in populos succreverant, et cum Ægyptiis aliisque gentibus negociabantur. Verùm temporis successu factum, ut appellationis hujus possessio simul cum linguâ apud solos filios Israel remanserit; cæteris, ob avitæ linguæ neglectum et corruptelam paulatim obrepentem, etiam à nominis appellatione exclusis. Porrò sciendum apud Hebræos hoc vocabulum non aspirari: undè quidam ex recentioribus *Ebræos* scribunt, aspiratione rejectâ. Verùm sanè magis probo morem veterum, tam Græcorum quàm Latinorum, qui ע *Ain* litteram gutturalem, ut ejus densitatem sono exprimendam significarent, cum aspirationis notâ scribere consueverunt.

IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS

Commentaria.

CAPUT PRIMUM.

1. Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissimè

2. Diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et secula;

3. Qui cùm sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis :

4. Tantò melior angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit.

5. Cui enim dixit aliquando angelorum : Filius meus es tu, ego hodiè genui te? Et rursùm : Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium?

6. Et cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes angeli Dei.

7. Et ad angelos quidem dicit : Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos, flammam ignis.

8. Ad Filium autem : Thronus tuus, Deus, in seculum seculi; virga æquitatis, virga regni tui.

9. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te, Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis.

10. Et : Tu in principio, Domine, terram fundàsti : et opera manuum tuarum sunt cœli.

11. Ipsi peribunt, tu autem permanebis; et omnes ut vestimentum veterascent :

12. Et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

13. Ad quem autem angelorum dixit aliquando : Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?

14. Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis?

CHAPITRE PREMIER.

1. Dieu ayant parlé autrefois à nos pères en diverses occasions et en diverses manières, par les prophètes,

2. Nous a parlé de nos jours, par son propre Fils, qu'il a fait héritier de toutes choses, et par qui il a créé les siècles :

3. Et comme il est la splendeur de sa gloire, et l'image parfaite de sa substance, et qu'il soutient tout par la puissance de sa parole, après nous avoir purifiés de nos péchés, il est assis au plus haut du ciel, à la droite de la souveraine majesté.

4. Étant aussi élevé au-dessus des anges, que le nom qu'il a reçu est plus excellent que le leur.

5. Car qui est l'ange à qui Dieu ait jamais dit : Vous êtes mon fils, je vous ai engendré aujourd'hui? Et ailleurs : Je serai son Père, et il sera mon Fils?

6. Et lorsqu'il introduit de nouveau son premier-né dans le monde, il dit : Que tous les anges de Dieu l'adorent.

7. Aussi l'Écriture dit touchant les anges : Dieu fait des esprits ses anges, et des flammes ardentes ses ministres.

8. Mais elle dit au Fils : Votre trône, ô Dieu! sera un trône éternel; le sceptre de votre empire sera un sceptre d'équité.

9. Vous avez aimé la justice, et vous avez haï l'iniquité : c'est pourquoi, ô Dieu! votre Dieu vous a sacré d'une huile de joie, en une manière plus excellente que tous ceux qui participeront à votre gloire.

10. Et ailleurs : Seigneur, vous avez créé la terre dès le commencement, et les cieux sont l'ouvrage de vos mains.

11. Ils périront, mais vous demeurerez : ils vieilliront tous comme un vêtement :

12. Et vous les changerez comme un manteau, et ils seront changés; mais pour vous, vous serez toujours le même, et vos années ne finiront point.

13. Aussi, qui est l'ange auquel le Seigneur ait jamais dit : Asseyez-vous à ma droite, jusqu'à ce que j'aie réduit vos ennemis à vous servir de marchepied?

14. Tous les anges ne sont-ils pas des esprits, destinés pour servir, étant envoyés pour exercer leur ministère en faveur de ceux qui doivent être les héritiers du salut?

ANALYSIS.

Hebræos bonis suis ob Christum spoliatos Paulus eleemosynis undequàque collectis multoties adjuvit; eosdem Hebræos, legi Mosaicæ nimis addictos, et in fide Christi vacillantes, nunc spiritualiter adjuvat.

Ut igitur eos à lege Mosaicâ prorsùs avellat, et in fide Christi plenè confirmet, in hoc capite Christum super omnia quæcumque legis Mosaicæ sublimia superextollit : super prophetas; hi fuerunt homines, Deique tantùm servi, Christus autem Filius Dei, v. 1, 2; *super patriarchas; hi fuerunt terrenæ tantùm partiunculæ hæredes, Christus constitutus est omnium Dei bonorum hæres; hi fuerunt Judaicæ gentis patres, Christus totius mundi creator, v.* 2; *super Moysen; hic ex divino consortio fait radiis quibusdam illustris, Christus est paternæ gloriæ splendor, ejusque imago consubstantialis, v.* 3; *Moyses equidem populi Judaici rector, Christus autem totius mundi, non tantùm creator, sed et nutu suo rector et conservator : super Aaron;*

hic vitulorum sanguine peccata Judæorum expiavit, Christus totius mundi peccata in proprio sanguine lavit; Aaron semel in sancta sanctorum quotannis intravit, Christus in cœlum ascendit, ibique sedet ad dexteram Majestatis, v. 3 : super angelos etiam sublimissimos quos superat origine, Filius Dei natus est, quod nulli angelorum convenit, v. 5; quos superat honore, cùm sint illius adoratores, v. 6; quos superat officio : illorum enim ministeriale est, v. 7, Christi verò regium, v. 8, 9; quos superat potentiâ; cœlum et terram creavit, v. 10, cœlum et terram renovabit, v. 11, 12, quod non possunt angeli; quos superat throno : assidet Deo proximus et æqualis, angeli ministrant, v. 13, 14.

PARAPHRASIS.

1. Deus olim in veteri Testamento patribus nostris locutus est per varios prophetas, servos suos, diversis temporibus, multis variisque modis, figuris et similitudinibus.

2. At his nostris diebus nobis locutus est per unicum Filium suum Jesum Christum, ipsam Dei sapientiam, æternamque veritatem, et ideò prophetarum Prophetam, omnesque prophetas infinitè superantem; quem Filium, ut Verbum caro factum, Deus constituit omnium bonorum suorum hæredem et Dominum; per quem, ut Verbum æternum, quasi per ideam suam, fecit tempora et omnia temporaria : et in his duobus Jesus Christus infinitè major est omnibus patriarchis, Judaïcæ tantùm gentis patribus, et cujusdam terrenæ portiunculæ hæredibus.

3. Qui Dei Filius, cùm sit æternus paternæ gloriæ splendor, ab eo manans lumen de lumine, et sit imago expressa substantiæ illius, æqualis Patri, et qui cum eo, nutu suæ potentissimæ voluntatis, omnia sustentat et regit quæ condidit; et per hæc plusquàm infinitè superat Moysem, populi Israelitici rectorem, et quibusdam, ex Dei consortio, radiis illustrem; nostram tamen naturam humanam assumpsit, in quâ, ut summus Sacerdos, totius mundi peccata in arâ crucis expiavit; non per pecudum sanguinem, sed per proprium sanguinem suum : quâ expiatione peractâ, resurrexit gloriosus, ascendit in cœlum, ubi assidet æqualis Patri, ejusdem cum eo consors summæ majestatis, potestatis et gloriæ : et in his, non Aaronem tantùm superat honore, sed et omnes prorsùs homines et angelos.

4. Angelis, inquam, præstantior est, et eò præstantior, quò nomen filii plus habet dignitatis quàm nomen famuli.

5. Cui enim angelorum, etiam præstantissimorum, dixit aliquandò Deus quod Jesu Christo dixit ab æterno, et quod repetiit in Incarnatione, et in Resurrectione suâ : *Filius meus es tu, ego hodiè genui te;* et rursùs in alio loco : *Ego ero illi Pater, et ille mihi Filius erit ?*

6. Et in psalm. 96, ubi describitur Christi majestas venientis ad judicium, qui secundus erit ejus in mundum adventus, sic Deus loquitur : *Et adorent eum omnes angeli*, utpotè Deum et Dominum.

7. Cæterùm ubi de angelis Scriptura loquitur, eorumque dignitatem exprimit, quid dicit? eos qui naturâ suâ sunt spiritus, Deus facit suos nuntios et ministros ferventissimos, id est, agilissimi sunt Divinæ voluntatis executores.

8. Longè autem magnificentiùs de Filio Scriptura loquitur : Thronus tuus, ô Christe Deus, stabit in æternum, sceptrum æquitatis est sceptrum regni tui.

9. Quia dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea te, ô Christe Deus, Deus tuus unxit oleo exultationis supra omnes regni tui consortes et cohæredes.

10. Et in alio psalm., 101, ut illius nobis potentiam indicet, dicit : Et tu, Domine, initio terræ fundamenta jecisti, et potentiæ tuæ opera sunt cœli.

11. Ipsi cœli, quantùmcumque durabiles, tandem peribunt, tu autem, Christe Deus, immutabilis permanes; omnes cœli suo motu continuo quasi consenescent, sicut vestis usu quotidiano veterascit.

12. Et velut amictum circumvolves eos, et subitò mutabuntur, tu autem idem et immutabilis es, utpote æternus. Ubi, quæso, tale quid de angelis legimus?

13. Ad quem etiam eorum dictum est quod in psalmo 109 Pater æternus Filio suo dicit : Sede ad dexteram meam, mecumque regna, donec omnes inimicos tuos ita tibi subjecero, ut sint quasi pedum tuorum scabellum ?

14. Tantùm abest ut angeli Deo assideant; quin imò omnes, quantùmvis magni, ministerio sunt destinati, illosque reverà mittit in terras ad curandam hominum salutem, maximè verò eorum qui futuri sunt hæredes salutis æternæque gloriæ.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Multifariam. Græc., πολυμερῶς, *multipartitè.*

Multisque modis. Græc., πολυτρόπως, *multimodè.* Duabus his vocibus Apostolus complectitur et ex-

De fide est Epistolam ad Hebræos esse Scripturam canonicam. Ita definit concilium Florentinum et Tridentinum, estque hic Patrum et priscæ Ecclesiæ sensus et consensus. Scripta est hæc Epistola ad Hebræos, hoc fine et scopo, ut nimirùm eis ostendat et demonstret dignitatem Christi et Evangelii, cui cedere debeat Moyses et lex vetus, ut scilicet eos à Judaismo omninò, integrè et perfectè transferat ad christianismum, in eoque confirmet. Scripsit hanc Epistolam, ut ait cap. ult., ex Italiâ, scilicet Româ, cùm in primis vinculis causam suam feliciter apud Neronem perorâsset, ejusque liberandi spes optima affulgeret, ut colligitur cap. ult., anno scilicet Neronis quarto, qui fuit Christi sexagesimus. Ita cum Chrysostomo Galeno et aliis Baronius.

Vers. 1. — *Multifariam multisque modis olim Deus loquens* (id est, locutus) *patribus in prophetis. Multifariam*, id est, multipartitè, quasi partibus mysteriorum distributis, alia aliis inspirata : aliis plura, aliis pauciora; quod additur, *multis modis*, id est, multiformiter, ut signi-

primit universam varietatem personarum, temporum, revelationum, modorum, et similitudinum, etc., quâ Deus in veteri Testamento usus est ad homines docendos divina mysteria. *Multifariam*, per multas partes et varias vices, etc. Non enim omnia mysteria Deus per unum prophetam, simul et eodem tempore revelavit, sed quasi per partes, unam partem, v. g., per Isaiam, alteram per Jeremiam, etc.; unam uno tempore; alteram altero, etc. *Multisque modis*, per varias figuras, varias visiones, varias similitudines, variosque divinos afflatus.

OLIM, id est, in veteri Testamento,

DEUS LOQUENS. Græc. λαλήσας, *locutus est*, PATRIBUS, nostris, Israelitis; IN PROPHETIS, id est, per prophetas, servos suos. NOVISSIMÈ.

VERS. 2. — DIEBUS ISTIS. Græc., in ultimis diebus istis; id est: At his nostris diebus LOCUTUS EST NOBIS IN FILIO, id est, per Filium suum unigenitum, Jesum Christum, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei*, imò qui est ipsa Dei sapientia, ipsaque veritas æterna. Veritatem ergo Evangelicam nos docuit Deus per Veritatem ipsam.

Observatio dogmatica et moralis.

Et hic indicatur Christi super omnes prophetas excellentia; et prima Christianorum supra Judæos prærogativa. Prophetæ fuerunt servi Dei, Christus est Dei Filius, naturalis, consubstantialis. Prophetis Deus sua mysteria revelavit per partes, per figuras, et per similitudines; Christo filio suo Deus simul et universim totam suam scientiam et sapientiam dedit; imò et suum intellectum cum naturâ divinâ per æternam generationem in ipsum transfudit: hinc Filius omnia clarissimè novit quæ novit Pater æternus. Christus itaque prophetarum est propheta, et per excellentiam Propheta, quia omnium veritatum, omnium temporum Propheta, ipsa lux mundi: ipsa plenitudo veritatis.

O nos ergo beatos! quibus Deus, non per servos suos, sed per Filium suum locutus est; non sub figuris obscurè, sed apertè, lucidè, voce sensibili et humanâ; non imperfectè, per partes, sed totam legem evangelicam. Gratias immortales Deo, qui mihi hanc felicitatem contulit, ut Filium suum, veritatem ipsam, audirem in Evangelio loquentem! Christe, prophetarum Propheta, veritas æterna, veritatisque fons et plenitudo, doce me, illumina me, loquere cordi meo, fac me audire vocem tuam, fac me obedire voci tuæ!

QUEM CONSTITUIT. . ., id est, quem Filium, ut hominem, seu ut Verbum caro factum, Deus *constituit*.

HÆREDEM, id est, Dominum omnium, seu cui jure hæreditario dedit omnium omninò rerum dominium. Quia enim Christus, etiam ut homo, naturalis est Dei Filius, hinc et hæres est, et quidem naturalis et primarius omnium Dei bonorum. Cum Patre Dominus est mundi, hocque dominium hæreditario jure debetur etiam humanitati, ut substantialiter unitæ Verbo Dei.

PER QUEM (Filium, ut Verbum æternum) FECIT (quasi per ideam suam) ET SECULA, id est, tempora et omnia temporaria, seu mundum et quidquid in mundo continetur.

Observatio dogmatica et moralis.

Utraque hic indicatur Christi natura, humana et divina. Ut Deus, est omnium creator; ut homo, est universorum hæres: ut Deus, est naturâ omnium Dominus; ut homo, fit per hæreditatem dominus omnium: ut Deus, ab æterno natus est hæres et dominus; ut homo, in tempore factus est hæres, dominus, et ex æquo cum Patre possessor omnium.

Et hic tangitur Christi super antiquos et etiam illustrissimos patriarchas excellentia; et altera indicatur Christianorum super Judæos prærogativa. Patriarchæ fuerunt Judaicæ tantùm gentis patres, Christus autem totius mundi Pater et Creator: patriarchæ facti sunt ad breve tempus hæredes terrenæ cujusdam portiunculæ, Christus factus est in æternum hæres omnium, Dominus cœli et terræ, possessor et Dominus æternæ beatitudinis, cujus figura tantùm erat terra promissa. Judæis, patriarcharum filiis, terrestris hæc et caduca data est ad breve tempus hæreditas; Christianis verò, Jesu Christi filiis et fratribus, promittitur et datur cœlestis et æterna hæreditas Christi.

Non vult solus Patris hæreditatem possidere Filius, hæresque Dei primarius et naturalis vult fratres adoptivos habere, ut et tales habeat cohæredes. Ad hoc nos per baptismum in sanguine suo regeneravit adoptivos filios Dei, suosque fecit fratres ut hæredes simus Dei, cohæredes Christi.

O bonitas Christi! ô felicitas Christiani! Christus hæres Dei: Christianus hæres Dei, cohæres Christi! Christe fili Dei, hæres Dei, frater meus et cohæres meus, fac me per tuam gratiam dignum æterni nostri Patris hæreditate; fac ita vivam, ut aliquando merear audire te dicentem: *Venite, benedicti Patris mei...*!

VERS. 3. — QUI CUM SIT SPLENDOR GLORIÆ... Græc.,

---

ficetur varia fuisse visionum genera, modos ac formas, quibus illuminati prophetæ ventura prædicerent: velut per somnia, per exstases, per ænigmata, etc.

VERS. 2. — *Novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio*, per Filium suum Jesum Christum. Mirificè valet ad benevolentiam provocandam; quasi diceret: O quantò nos patribus feliciores! Quàm beati oculi nostri, qui viderunt, et aures nostræ, quæ audierunt, ea quæ videre et audire patribus nostris non est datum!

Quem constituit hæredem universorum, Dominum totius mundi. B. Thomas universalem hanc Christi hæreditatem esse dicit dominationem quam accepit in totam creaturam.

Per quem fecit et secula. Ab humanâ Christi naturâ ad divinam progreditur: Non solùm, inquit, eum constituit omnium hæredem, verùm etiam (quod est multò majus) per eum ipsum secula condidit, id est, tempora et temporaria omnia, scilicet mundum et quidquid in eo continetur.

VERS. 3. — *Qui cùm sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus.* Pro *splendore*, Græcè est *refulgentia*.

ἀπαύγασμα, *refulgentia*, id in quo refulget gloria et majestas Dei; seu, ut vertit Syrus, *radius gloriæ* (scilicet paternæ).

Hâc voce æternam et mundissimam Filii Dei generationem utcumque repræsentat. Pater æternus soli comparatur, Filius radio; ut indicet quòd Filius à Patre procedit necessariò, ab æterno, continuè, purissimè, immutabiliter, et inseparabiliter, sicut radius emanat à sole necessariò, indesinenter, purè, sine ullâ solis mutatione.

Et figura substantiæ ejus. Græc., χαρακτὴρ, id est, impressa et quasi insculpta imago, non umbratica et accidentalis, sed substantialis et adæquata. Alterâ similitudine, à sigillo sumptâ, cujus forma imprimitur ceræ, æternam Filii Dei generationem, quantùm potest, explicat. Quia divina humanam superant intelligentiam, et per unam similitudinem doceri non potest Divinitatis mysterium, hinc per plures explicat hic veritatis præco, ait Theodoretus: Pater æternus archetypus et exemplar est, Filius autem est Patris character et imago impressa; at imago substantialis, imago viva, subsistens, constans, æterna, adæquata.

Portansque omnia..., id est, conservans, sustentans et regens omnia creata.

Verbo. Græc., ῥήματι, id est, jussu, imperio, nutu suæ potentiæ, seu suâ voluntate potentissimâ, et consequenter maximâ cum facilitate. Verbo creata sunt, nutu Dei conservantur et reguntur.

Observationes morales.

Quid, quæso, Moyses quibusdam gloriæ radiolis illustris, sed Israelitici populi, tantis cum difficultatibus, rector: quid, inquam, Moyses ille cum Christo paternæ gloriæ substantiali splendore, totiusque mundi solo nutu suo rectore, collatus? Gaude ergo, ô Christiane, et glorificare sub tali et tanto doctore, duce, rectore, salvatore; et ut verè Christianus sis, alterque quasi Christus, Christum pro modulo tuo imitare. Quia Dei Filius est, Patris est imago et character, Patremque per suum esse perfectè repræsentat. Talis sit suo modo adoptivus Dei filius, Patris cœlestis sit imago saltem accidentalis; illum sic suis moribus exprimat, ut et in aliis, eloquio, exemplo imprimat.

Jesu, character Patris, sic te cordi meo imprime, ut tuî et Patris æterni fiam imago: *Pone te ut signaculum super cor meum.*

Attende etiam, ô Christiane, ad hæc verba: *Portansque omnia verbo*, etc. *Verbum*, jussus, nutus Dei fulcrum est mundi. Divino verbo ita fulcior, sustentor, conservor et regor, ut sine hoc fulcro continuò in nihilum statim laberer.

Bone Deus! quæ et quanta est ingratitudo mea, cùm te, vitæ meæ fulcrum, obliviscor et offendo! quæ et quanta bonitas tua, cùm obliviscentem, offendentem, sustentas et conservas, et in manu tuâ omnipotenti portas! Hanc tuam in me bonitatem sic in animâ meâ imprime, ut tuî deinceps nunquàm obliviscar, te nunquàm offendam, te continuè geram in corde meo, qui me semper portas in manu!

Purgationem peccatorum faciens. Græc.: *Per seipsum purgationem postquàm fecit peccatorum nostrorum*, ποιησάμενος, in aoristo, sicut λαλήσας, v. 1. Quasi diceret: Idem Jesus Christus, homo Deus, nosterque summus sacerdos, postquàm peccata nostra expiavit, non ut Aaron, per pecudum sanguinem, sed per seipsum, tanquàm hostiam, quam in arâ crucis, Patri pro nobis obtulit; sacerdos enim et victima fuit;

Sedet ad dexteram Majestatis. Græc., *sedit*, id est, resurrexit gloriosus, et in cœlum ascendit, ubi loco, beatitudine et glorià, super omnes creaturas exaltatus *sedet* tanquàm Rex et Judex omnium. *Ad dexteram*, id est, in loco honoratissimo, æqualis Patri, ejusdemque cum eo consors majestatis, potestatis et gloriæ.

In excelsis, id est, in cœlestibus palatiis, ubi cum Patre regnat in æternum.

Observatio dogmatica et moralis.

His verbis tacitè indicat Apostolus quod apertè dicet in sequentibus, cap. 7, 8 et 9, speciatim v. 11, 12, cap. 9, Christi sacerdotium Aaronico præstantius, et Christum Pontificem nostrum Aarone plusquàm infinities superiorem. Aaron semel in anno intrabat in Sancta sanctorum, Christus in cœlum ascendit, ibique sedet in æternum *ad dexteram majestatis*. Aaron pecudes obtulit, Christus, homo Deus, semetipsum, nosque in suo sanguine lavit.

O anima christiana, Dei sanguine abluta et pur-

quomodò radius à sole resplendet. Vocatur ergo Filius *splendor gloriæ* seu claritatis paternæ, quia lumen est de lumine. Hinc colligit Damascenus Filium à Patre esse inseparabilem: sic enim lux et radius à sole inseparabilis est. Filius est figura et expressa imago substantiæ Patris, quia sic Patrem repræsentat, ut essentia seu natura Patris in ipso perfectissimè reluceat. Figura, id est, expressa, et quasi exsculpta imago, signum, et similitudo, ex quâ archetypum, sive exemplar, id est, Deum Patrem, agnoscamus et intucamur, sicut ex imagine in cerâ expressâ agnoscimus et intuemur sigillum quod illam expressit, etc.

Portansque omnia verbo virtutis suæ. Sentit Apostolus Filium Dei, per quem dixerat à Patre facta esse secula, omnia quæ facta sunt sustinere et conservare verbo et imperio suæ potestatis, id est, omnipotenti suâ voluntate; quod ni faceret, omninò relaberentur in nihilum; q. d.: Filius suo verbo et jussu potenti omnia portat, id est, suâ subsistentiâ, nutu et potentiâ sustentat et bajulat totum pondus creaturarum, inquit Theophylactus, quasi Atlas mundi. Deus enim Deique Filius, qui est splendor et virtus gloriæ Dei, quasi summus Rex et moderator omnium, tam portat et sustentat, quàm agit et movet totum hoc universum, *verbo virtutis suæ*, id est, nutu potentiæ suæ, sive potenti suo jussu et imperio quasi potentissimus princeps.

Purgationem peccatorum faciens. In Græco sic habetur: *Per semetipsum purgatione factâ peccatorum nostrorum.* Hic jam à divinâ Christi naturâ ad humanam Apostolus redit; Christus enim, ut homo, passione suâ remissionem et abolitionem omnium pecca-

gătă, căve ne sordescas unquàm, sed amplioris mundîtiei semper æmula, dic sæpè : *Amplius lava me, Domine*, etc. O sanguis Christi pretiose, purga me, sanctifica me ! In te tota spes mea ! O peccatorum purgatio, omnis gratiæ meritum et gloriæ pretium.

Postquàm Christus Filius Dei, totius mundi peccata lavit in sanguine suo, ascendit in cœlum, *sedet ad dexteram majestatis*, sua vulnera pro nobis perpetuò ostendens Patri, et per ea, quasi per quinque ora, causam nostram agens. Hanc tui Salvatoris ideam, ô anima christiana, insculpe menti tuæ, cordique tuo, ut cum fiduciâ ad eum, ad illius sanguinem, ad illius vulnera recurras, et per tam benignum Salvatorem misericordiam obtineas : junge cor tuum contritum cordi Christi pro te sauciato, et per hujus cordis vulnus, quasi per os ora, gemc, suspira ante thronum Dei.

Vers. 4. — Tanto melior angelis effectus. Græc., *tantò præstantior*. Ex dictis, scilicet quòd *Dei Filius*, quòd *splendor Patris*, quòd *sedet ad dexteram*... concludit et præterea probat ex Scripturis, Christum angelis esse præstantiorem, et eò præstantiorem, quò præstantius et excellentius nomen jure hæreditario adeptus est, nomen scilicet naturalis et unigeniti Filii Dei. Hoc nomen Christus hæreditavit à Patre, quia illud habet per suam à Patre originem, sicut solet hæreditas haberi propter naturalem originem.

Vers. 5. — Cui enim dixit aliquando angelorum, id est, cui enim angelorum, etiam præstantissimorum, dixit unquàm Deus quod Jesu Christo dixit ab æterno, et quod repetit in Incarnatione et in Resurrectione illius : Filius meus es tu, scilicet naturalis; Ego hodiè dè meâ substantiâ genui tè ? Psal. 2, v. 7. *Hodiè*, id est, in hâc æternitatis die, semper præsenti, semper totâ simul permanente. *Genui*, et gigno et gignam : eadem enim permanet semper divini Verbi generatio.

Nota quòd, quia triplex est Christi nativitas, scilicet, æterna secundùm divinitatem in sinu Patris, temporalis una secundùm infirmitatem carnis in sinu Deiparæ matris, temporalis altera secundùm gloriam carnis in sinu sepulcri; hinc fit quòd hæc eadem verba à sanctis Patribus intelligantur modò de unâ, modò de alterâ ; imò et ab ipso D. Paulo qui hæc eadem verba applicat Christo resurgenti, Act. 13, v. 33. Potest ergo dici, vel quòd dicta et repetita fuerint hæc verba, vel quòd intelligantur de quâcumque Christi Dei hominis generatione æternâ et temporali.

Et rursum, in alio loco, 2 Reg. 7, 14 : Ego ero...? Hæc quidem verba in sensu litterali sunt de Salomone, sed in sensu mystico sunt de Christo, cujus figura erat Salomon, in hoc scilicet, quòd sapientiâ excelluit, in pace regnavit, gentibus multis imperavit, templum Deo ædificavit. Et hoc notum erat Hebræis, qui sensus hos mysticos intelligebant et recipiebant. Hinc D. Paulus Hebræis loquens, ex mystico sensu eis noto argumentatur.

Vers. 6. — Et cum iterum introducit. Græc.: *Cùm autem iterùm introducit*, etc. Undè patet quòd *iterùm* jungi debeat cum verbo *introducit*, et non separandum ; quasi diceret : *Et iterùm*, seu rursùs, in alio loco, *cùm introducit*.

Ex nomine Filii Dei, probavit Christi super angelos excellentiam, idem nunc probat ex honore, quem Deus Christo judici reddi vult ab omnibus angelis. *Cùm iterùm*...., id est; in secundo ejus adventu, etc., seu in fine seculorum, cùm Christus naturalis Dei Filius, et ideò primogenitus et ante omnes filios adoptivos : cùm, inquam, redibit orbem terræ judicaturus.

Dicit, supple Scriptura, psal. 96 : Et adorent eum, etc., seu adorate, eum, omnes angeli ejus. Tunc ergo Dei jussu, publicè et toto orbe spectante, Christum adorabunt omnes angeli, boni quidem gaudentes ac venerabundi, mali verò dolentes et,

torum nostrorum promeruit, ac pro iis plenissimè satisfecit, offerendo semetipsum Deo Patri pro nobis in sacrificium.

Sedet ad dexteram Majestatis in excelsis. Sentit Paulus Christum consedisse, atque etiamnum sedere ad dexteram Majestatis seu magnitudinis in excelsis, id est, ad dexteram Dei, in eo loco ubi magnitudinem suam et gloriam Deus ostendit, hoc est, in cœlo Christi sessio quietam felicitatis et regni, quod adeptus est, possessionem designat. Ad dexteram Dei sedere dicitur, quia secundùm naturam assumptam quietus jam possidet summam illam dignitatem et gloriam regni, quam habet supra omnem creaturam, proximus Deo.

Vers. 4.— *Tantò melior angelis effectus*, etc.; q. d.: Filius Dei est; ergo multò major angelis. Respicit Apostolus ad glorificationem Christi, quam suâ passione promeruit; quâ nimirùm ut verus Dei filius ubique fuit prædicatus et agnitus, eodem apostolo testante, Philipp. 2 : *Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen*, etc.

Vers. 5. — *Cui enim dixit aliquando angelorum*, id est : Cui angelorum legitur Deus usquàm dixisse hoc quod sequitur :

Filius meus es tu, ego hodiè genui te? Ad æternam

Filii Dei generationem pertinere plerique existimant, Augustinum secuti. Nam æternitas optimè denotatur adverbio *hodiè*, quo præsens dies significatur, quia æternitas unus dies est, idemque totus semper præsens, in quo non est aliud post aliud, sicut in nostro tempore. *Hodiè* ergo, id est, in, et ab æternitate, in quâ unum est hodiè, unum instans, unum nunc, scilicet unum stabile et perenne præsens, ego gigno, et genui, et semper gignam te, quasi Verbum et Filium meum. Alii contendunt intelligi oportere de resurrectione Christi ex mortuis : *Filius meus es tu*, quem novo quodam modo rursùs hodiè genui, quando te mortuum, et ab hominibus reprobatum, ad vitam immortalem suscitavi, et ad tantam gloriam extuli, ut te Filium meum esse, cœli terræque Dominum, et Regem super Sion montem sanctum meum, id est, super Ecclesiam constitutum, omnes agnoscant.

Et rursùm : Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium? Item, de quo angelorum legitur aliquando Deus Pater dixisse : Ego ero ei Pater, et ille erit mihi filius ? De nullo angelorum hoc dictum est; ergo Christus est major angelis.

Vers. 6. — *Et cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ*, etc. Primò inductus est Christus homo

inviti. Omnium ergo angelorum Deus ac Dominus est.

Nota quòd angeli sancti Christum nascentem et resurgentem adorârunt, at in extremo judicio et boni et mali eum publicè adorabunt, ut Dominum et Regem hominum et angelorum. Hinc disce quàm pia et sancta sit illa praxis quâ in choro genuflectimus et Christum adoramus, cùm cantatur : *Judex crederis esse venturus : te ergo quæsumus*, etc. Hujus tunc veritatis recordare, et Dei jussum præveniens, Christum judicem adora gaudens et venerandus, ne dolens et invitus adores aliquando.

VERS. 7. — ET AD ANGELOS QUIDEM DICIT... Eamdem Christi super angelos excellentiam probat ex officio. *Ad angelos*, id est, de angelis dicit Scriptura, psal. 103 :

QUI FACIT ANGELOS SUOS SPIRITUS, id est, eos quorum natura spiritualis est et ignea, id est, admodùm activa, facit nuntios ET MINISTROS SUOS. *Spiritus*, nomen est naturæ; *angelus*, nomen est officii. Sunt ergo semper spiritus, sunt autem angeli, cum mittuntur et nuntiant. Illorum ergo officium ministeriale est. Deus illis utitur pro nuntiis, cursoribus et ministris suis. Longè aliud est officium Christi.

VERS. 8. — AD FILIUM AUTEM : THRONUS TUUS, DEUS... id est, de Filio dicit Scriptura, psal. 44, qui totus est de Messiâ, estque epithalamium quo celebrantur nuptiæ ejus cum Ecclesiâ, undique ex gentibus congregandâ : *O Deus*, seu Christe, qui Deus es et Filius Dei ; *thronus* regni tui permanebit in æternum : VIRGA REGNI TUI EST VIRGA ÆQUITATIS ; sic ordinanda sunt hæc verba, significantque : Justissimè regnum tuum gubernas. Officium ergo Christi regium, et confirmat v. 9, explicans hæc verba *virga regni tui*....

VERS. 9. — DILEXISTI JUSTITIAM ET ODISTI INIQUITATEM... id est, quia justitiam summoperè dilexisti, et iniquitatem sic odisti, ut illam sanguine tuo deleveris.

PROPTEREA. Græc., *propter hoc*, ô Christe DEUS, DEUS TUUS UNXIT TE OLEO *lætitiæ*, id est, glorificavit, lætificavit et exaltavit super omnes regni tui participes, scilicet ad dexteram suam. D. Thomas post S. Augustinum explicat *propterea* quasi sit causalis, id est, ad hoc ut diligeres justitiam, etc., *unxit te Deus*, etc.

VERS. 10. — ET : TU IN PRINCIPIO, DOMINE, TERRAM FUNDÀSTI... Eamdem Christi præcellentiam probat ex ejus potentiâ, confirmatque quod dixit, v. 3 : *Per quem fecit et secula. Et, tu*, ô Christe, Fili Dei, creator mundi, ab initio terræ fundamenta jecisti, eamque nutu tuo firmam et stabilem fecisti.

ET OPERA MANUUM... id, est, potentiæ tuæ SUNT CŒLI; cœlum ergo et terram creâsti.

VERS. 11. — IPSI PERIBUNT, TU AUTEM PERMANEBIS,

in orbem per incarnationem, passibilis et mortalis; iterùm verò, sive secundò, per resurrectionem à morte gloriosus et impassibilis inductus fuit. Vel potiùs iterùm inducit, id est, inducet, Deus Pater Christum in die judicii tanquàm judicem, ut judicet orbem : tuncque angeli omnes, qui primò eum adoraverunt in nativitate, iterùm, sive secundò, eumdem publicè adorabunt in gloriâ, venturum cùm potestate magnâ et majestate, stipatum agminibus angelorum ac virtutum cœlestium.

VERS. 7. — *Et ad angelos quidem dicit*, id est, de angelis dicit, vel Deus vel Scriptura : *Qui*, scilicet Deus, *facit angelos suos spiritus*, etc. : Qui quos decreverat esse suos nuntios ac ministros, eosdem fecit substantias penitùs immateriales seu planè spirituales; eosdem fecit quasi ignem urentem, lucidos nimirùm cognitione, et charitate ardentes. Discrimen inter Christum et angelos ex eo potissimùm statuit Paulus, quòd ille sit Dei Filius, hi ministri, etc.

VERS. 8. — *Ad Filium autem*, hoc est, de Filio dicit Scriptura; nam verba quæ hic adducuntur, non ex personâ Dei, sed prophetæ dicta sunt :

Thronus tuus, Deus, in seculum seculi. Est hic sensus : O Deus, id est, Christe, sponse Ecclesiæ, qui es Deus et Dei Filius, solium regni tui permanebit in seculum seculi, *in æternum* et ultra : *Regnum ejus regnum æternum, quod non dissipabitur*, Dan. 2 : *Regni ejus non erit finis*, Luc. 1.

Virga æquitatis, virga regni tui, id est, virga rectitudinis, justitiæ, æquitatis. De *virgâ* regiâ sermo est, quæ sceptrum vocatur, et regiæ potestatis est insigne. Sceptrum regni tui, ô Christe, æquissimum est : rectissimè et æquissimè judicas, justos promovens et præmians, impios verò puniens et condemnans; quod maximè patefacies in die judicii. Ita Euseb., Cyrill., Basil.

VERS. 9. — *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem*. Quia scilicet Christus in regimine suo diligit justitiam et justos, odit verò punitque iniquitatem et iniquos :

Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis, sive præ consortibus tuis : Quoniam dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, ideò te Deus unxit eâ unctione quâ jam stolâ gloriæ et immortalitatis indutus, ac regio diademate coronatus, in regni possessionem venires. *Oleum exultationis* seu *lætitiæ*, id est, unguentum lætificans atque exhilarans ; q. d. : Gloriam corporis, et famæ hominisque tui celebritatem, ut ab omnibus agnoscaris et colaris quasi Salvator mundi, meruisti, ô Christe, ex eo, quia scilicet dilexisti justitiam, utque justitiæ divinæ satisfaceres, humiliâsti te obediens factus usque ad mortem crucis. Ita Hieron.; quia agit tam Psaltes quàm Paulus de throno regni; hunc enim adeptus est Christus in resurrectione, quando unctus est oleo gloriæ. Quia oleum gloriæ propriè est oleum exultationis, quod accepit Christus propter meritum justitiæ suæ; hoc enim propriè significat vox *propterea*.

Præ participibus tuis; id est, *præ sociis, amicis tuis*. Socios et amicos Christi vocat apostolos, omnesque sanctos, qui uti filiationem et gratiam, ita et regnum et gloriam Christi à Christo ipso participant, dùm ab eo in filios, imò in fratres adoptantur, ac regni sui cœlestis hæredes efficiuntur. Hinc quoque gratia Christi nobis infusa vocatur unctio.

VERS. 10. — *Et : tu in principio, Domine, terram fundàsti;* id est : Terræ fundamenta posuisti, terram fecisti firmam, stabilem atque immobilem, idque *in principio*, hoc est, omnium primò cùm scilicet ante eam nihil factum esset.

Et opera manuum tuarum sunt cœli. Per *manus Dei*, ejus virtus, potentia significatur : Et cœli, inquit, tuæ virtutis sunt opera.

VERS. 11. — *Ipsi peribunt*; non quoad essentiam et formam substantialem, sed quoad formam externam et accidentalem, quia nimirùm quasi vestimentum immutabuntur.

Tu autem permanebis, idem, æternus, et immutabilis. In Hebræo, *et tu stabis*, id est, nunquàm mutaberis. Quod enim aliquo modo mutatur, non omnino stat aut permanet.

Græc., *permanes*, id est, cœli, quantùmcumque durabiles, tandem *peribunt*, id est, in fine mundi mutabuntur saltem quantùm ad qualitates, *tu autem*, ô Christe Deus, immutabilis es.

ET OMNES UT VESTIMENTUM..., id est, omnes cœli suo motu continuo, quasi consenescent, sicut vestis usu quotidiano veterascit; ita ut in fine mundi sint renovandi.

VERS. 12. — ET VELUT AMICTUM MUTABIS. Græc. *complicabis*.

TU AUTEM IDEM IPSE ES, id est, immutabilis, æternus. Hæc omnia summam Christi Dei potentiam innuunt. Cœlum et terram creavit.

Cœlos, ut linteum seu pallium complicabit, id est, tam facilè transformabit, seu renovabit, ac homo linteum complicat, pallium deponit ac mutat. Nihil autem tale legitur de angelorum potentiâ.

Et omnes (cœli) *ut vestimentum veterascent*, suo motu et continuâ agitatione ac mutatione, quasi consenescent, ut videantur veterascere, sicut vestimentum novum quod deteritur et veterascit.

VERS. 12. — *Et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur*; sensus : Sicut amiculum vetus facilè novo commutari solet, ita tu cœlos summâ facilitate mutabis ac renovabis; statim enim ut volueris, fiet.

Tu autem idem ipse es, id est, idem semper, et immutabilis.

Et anni tui non deficient. Significatur ergo Dei stabilis et immutabilis æternitas. Asserit autem manifestè hic locus Christi divinitatem : Deo namque proprium est semper esse et non mutari, juxta id quod ait Malach. 3 : *Ego Dominus et non mutor*.

VERS. 13. — *Ad quem autem angelorum dixit aliquando : Sede à dextris meis*, psal. 109. Dixit Dominus, scilicet Deus Pater, Domino meo, Christo scilicet, cum triumpho ascendenti in cœlum : *Sede à dextris meis*, id est, sede mihi proximus, consors esto honoris et regni mei, in summâ meâ gloriâ mecum regna. Is enim sedet à dextris Dei, qui Deo proximus assidet; hoc est, qui supra omnem creaturam elevatus, quietam felicitatis ac regni cum Deo possessionem obtinet, honoratissimo post eum loco. 1 Cor. 15, pro *sedere ad dextram Dei, regnandi* vocabulum posuit, dicens : *Oportet illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*, etc.

Quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? id est : Usque ad finem seculi, et judicium generale, in quo omnes tam dæmones quàm tyrannos et homines impios, qui te, Christe, tuosque Christianos vexant hic et lacessunt, planè tibi subjiciam.

VERS. 13. — AD QUEM AUTEM ANGELORUM DIXIT... Ex throno denique probat Christi super angelos præcellentiam, qui enim Deo proximus assidet, super omnes est. *Ad quem angelorum dixit* Pater æternus : SEDE A DEXTRIS MEIS...? Vide paraphrasim.

VERS. 14. — NONNE SUNT OMNES ADMINISTRATORII...; quasi diceret : tantùm abest ut angeli assideant Deo, quin imò omnes illi, licèt nobilissimæ substantiæ, sunt ministri Dei, quos sæpè mittit in terras ad hominum salutem curandam, maximè verò eorum qui vitam æternam hæreditaturi sunt. Hinc communiter colligunt doctores angelos omnes aliquando mitti, de quo tamen dubitant D. Dionysius et D. Gregorius; et cujus contrarium asserit D. Thomas, qui vult solos quinque inferiores choros mitti, reliquos quatuor Deo semper assistere. Idem asserit D. Anselmus, hic.

VERS. 14. — *Nonne omnes* (angeli) *sunt administratorii spiritus?* Quorum officium sit, non assidere, sed ministrare : q. d. : Quis enim fidelium ignorat omnes angelos esse spiritus ad ministerium deputatos?

In ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis; semper enim mittuntur in ministerium; nunc hi, nunc alii. Mittuntur autem à Deo et à Christo ejus, ad procurandam hominum electorum salutem. Dionys., Gregor., Ansel., Thomas docent angelos alios esse assistentes, qui scilicet semper Deo assistunt, et nunquàm mittuntur : alios esse ministrantes, qui scilicet mittuntur ad omne ministerium, etc.; verùm probabilior est contraria sententia, scilicet omnes omninò angelos à Deo mitti. Id enim clarè hic dicit Apostolus : Si lex per Michaelem angelorum principem data est, cur non etiam per alios primi ordinis? Quod quidem fieri non potuit, nisi ad hoc à Deo mitterentur. Nam, si supremi mittuntur, quantò magis reliqui? Isaiæ 6, dicitur unus de Seraphim, qui supremus est ordo, missus ad Isaiam. Gen. 3, missus est Cherubim qui secundi est ordinis, ad custodiendum paradisum. Quin Daniel 10, missus fuit Michael; Raphael quoque, qui missus fuit ad Tobiam, dicit se esse unum ex septem qui astant ante Deum, Tob. 12. Sic et Gabriel missus ad Zachariam : *Ego*, inquit, *sum Gabriel qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te*, Luc. 1. Fatemur ergò quòd Apostoli verba diserte sonant, omnes angelos emitti ad ministeria; neque enim tali uteretur interrogatione, *nonne omnes*, etc., nullâ deinceps additâ probatione, nisi significaret eam esse velut notionem fidelium animis impressam, omnes angelos in ministeria mitti.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

Hic et nos, christiani gentiles, juxta D. Pauli mentem, agnoscamus quàm sit nobis gloriosum et quàm utile talem ac tantum habere Prophetam, Patrem, ducem, legislatorem, Pontificem, uno verbo, Salvatorem. Jesus Christus, Salvator noster, Dei Filius est, hæres Dei, creator mundi, nutuque suo rector. Hic Dei Filius, cùm sit ab æterno splendor Patris, illiusque imago substantialis, viva, adæquata, per omnia Patri similis, et in omnibus æqualis, in medio temporum factus est pro nobis homo, nobis per omnia similis, fecit, docuit, passus est. Tandem, ut summus Pontifex, per semetipsum, hostiam Deo dignam, in ará crucis oblatam, totius mundi peccata delevit. Quâ expiatione peractâ, gloriosus resurrexit, in cœlum ascendit, ubi sedet ad dexteram Dei, sua vulnera pro nobis ostendens Patri, et per ea, quasi per quinque ora, causam nostram indesinenter agens. Hanc de tuo Salvatore ideam, ô anima christiana, insculpe menti tuæ, cordique tuo, nunquàm delendam :

1° Ut scias et nunquàm obliviscaris quanti te fecit Deus, quantùmque dilexit, hunc suum filium unigenitum tibi dando doctorem, Patrem, ducem, legislatorem, summum Pontificem, uno verbo, Jesum, hinc que scias et nunquàm obliviscaris ingrata,

quantùm debeas Deum tam beneficum redamare. In Filio suo unigenito quid tibi non dedit? quid ergo ob tale donum non debes?

2° Ut scias, et nunquàm, in quocumque statu, obliviscaris quanti debeas facere talem ac tantum Salvatorem, prophetarum Prophetam, patriarcharum Patriarcham, legislatorum Legislatorem, pontificum Pontificem, hominum et angelorum Dominum et Regem. Quantùm debeas in eum credere : veritas ipsa est, et veritatis plenitudo; quantùm debeas in eum sperare : omnipotens est, ipse mundi creator, ipse mundi solo nutu rector, ipse Dei bonorum possessor est et largitor; quantâ fiducià debeas ad eum recurrere : *sedet ad dexteram Majestatis, interpellans pro nobis,* ostendens sua vulnera.

Quid per talem Mediatorem non obtineas?

PRAXIS CHRISTIANA.

Praxis ergo tua continua, quantùm fieri potest, sit Christum, Filium Dei, splendorem Patris, hæredem Dei, Dominum omnium, hominum et angelorum Regem, sedentem ad dexteram Dei adorare; ad illum, ut doctorem et Prophetam tuum, Patrem, ducem, legislatorem, summum Pontificem, et suo proprio sanguine Salvatorem, cum fiduciâ, in quâcumque necessitate, recurrere; ipsi pro nobis interpellanti, fide, spe, charitate uniri, et in ipso, cum ipso, et per ipsum gratiam et misericordiam à Deo Patre implorare.

Christi vulneribus unire contritus, et per ea, quasi ora, supplex et fide plenus, obsecra, ut v. 3, in fine.

CAPUT II.

1. Propterea abundantius oportet observare nos ea quæ audivimus, ne fortè pereffluamus.

2. Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis prævaricatio et inobedientia accepit justam mercedis retributionem :

3. Quomodò nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est,

4. Contestante Deo signis, et portentis, et variis virtutibus, et Spiritûs sancti distributionibus secundùm suam voluntatem?

5. Non enim angelis subjecit Deus orbem terræ futurum de quo loquimur.

6. Testatus est autem in quodam loco quis, dicens : Quid est homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum?

7. Minuisti eum paulò minùs ab angelis; gloriâ et honore coronâsti eum : et constituisti eum super opera manuum tuarum.

8. Omnia subjecisti sub pedibus ejus. In eo enim quòd omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei : nunc autem necdùm videmus omnia subjecta ei.

9. Eum autem qui modico quàm angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis gloriâ et honore coronatum; ut gratiâ Dei pro omnibus gustaret mortem.

10. Decebat enim eum, propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.

11. Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens :

12. Nuntiabo nomen tuum fratribus meis : in medio Ecclesiæ laudabo te.

13. Et iterùm : Ego ero fidens in eum. Et iterùm : Ecce ego, et pueri mei quos dedit mihi Deus.

14. Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum :

15. Et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.

CHAPITRE II.

1. C'est pourquoi nous devons observer avec encore plus d'exactitude les choses que nous avons entendues, pour n'être pas comme des vases entr'ouverts, qui laissent écouler ce qu'on y met.

2. Car si la loi, qui a seulement été annoncée par les anges, est demeurée ferme; et si tous les violements de ses préceptes, et toutes les désobéissances ont reçu la juste punition qui leur était due,

3. Comment pourrons-nous l'éviter, si nous négligeons une doctrine salutaire, qui, ayant été premièrement annoncée par le Seigneur même, a été confirmée parmi nous par ceux qui l'ont entendue,

4. Auxquels Dieu a rendu témoignage par les miracles, par les prodiges, par les différents effets de sa puissance, et par la distribution des grâces du Saint-Esprit, qu'il a partagées comme il lui a plu?

5. Car Dieu n'a point soumis aux anges le monde futur dont nous parlons.

6. Aussi quelqu'un a dit dans un endroit de l'Écriture : Qu'est-ce que l'homme, pour mériter votre souvenir? et qu'est-ce que le fils de l'homme, pour être favorisé de vos regards?

7. Vous l'avez rendu pour un peu de temps inférieur aux anges, vous l'avez ensuite couronné de gloire et d'honneur : vous lui avez donné l'empire sur les ouvrages de vos mains;

8. Vous avez assujéti toutes choses sous ses pieds. Or, en disant qu'il lui a assujéti toutes choses, il n'a rien laissé qui ne lui soit assujéti : cependant nous ne voyons pas encore que tout lui soit assujéti.

9. Mais nous voyons que Jésus, qui avait été rendu pour un peu de temps inférieur aux anges, a été couronné de gloire et d'honneur, à cause de la mort qu'il a soufferte, Dieu par sa bonté ayant voulu qu'il mourût pour tous.

10. Car il était bien digne de Dieu, pour lequel et par lequel sont toutes choses, que, voulant conduire à la gloire plusieurs enfants, il perfectionnât par les souffrances celui qui devait être l'auteur de leur salut.

11. Car celui qui sanctifie, et ceux qui sont sanctifiés, viennent tous d'un même principe : c'est pourquoi il ne rougit point de les appeler ses frères,

12. En disant : J'annoncerai votre nom à mes frères; je chanterai vos louanges au milieu de l'assemblée de votre peuple.

13. Et ailleurs : Je mettrai ma confiance en lui. Et encore dans un autre endroit : Me voici avec les enfants que Dieu m'a donnés.

14. Et ainsi, parce que les enfants sont d'une nature composée de chair et de sang, il a aussi lui-même participé à cette même nature, afin de détruire par sa mort celui qui était le prince de la mort, c'est-à-dire le diable;

15. Et de mettre en liberté ceux que la crainte de la mort tenait dans une continuelle servitude pendant leur vie.

16. Nusquàm enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.

17. Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.

18. In eo enim, in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis qui tentantur auxiliari.

16. Car il ne s'est pas rendu le libérateur des anges; mais il s'est rendu le libérateur de la race d'Abraham.

17. C'est pourquoi il a fallu qu'il fût en tout semblable à ses frères, afin qu'il fût devant Dieu un pontife compatissant et fidèle en son ministère, afin d'expier les péchés du peuple.

18. Car c'est des souffrances mêmes, par lesquelles il a été tenté, qu'il tire la vertu et la force de secourir ceux qui sont aussi tentés.

ANALYSIS.

Ex Christi Domini, Filii Dei, præcellentiâ, in primo capite expositâ, infert eò venerabiliorem esse christianam legem.

Quatuor itaque primis versibus Hebræos sui admonet officii; attentè Christum audiant, eique studiosè obediant, ne graviter à Deo puniti pereant: si enim lex Mosaica, per angelos ordinata, et subministrata, tantum robur habuit, ut illius prævaricatores Deus debitâ punierit pœnâ, quis justissimam punitionem evadat, qui neglexerit legem à Filio Dei, ipsâ veritate, latam, ab apostolis, ipsius veritatis auditoribus auritis, prædicatam, ab ipso Deo, veritatis fonte, per infinita prodigia confirmatam, denique à Spiritu sancto, per copiosam charismatum suorum effusionem roboratam?

V. 5, hanc illationem ita confirmat, ut et Christi super angelos præcellentiam urgeat. Christo, non angelis, Deus subjecit mundum futurum, de quo agimus: teste David, psal. 8, dicente: Omnia subjecisti sub pedibus ejus, etc.; *ergo Christo ut Domino et Judici parendum. Nec refert quòd nondùm perfectè completa sit hæc prophetia, sed tantùm ex parte: in eo enim quod jam completum est, cætera omnia complenda videmus, v. 9.*

Quia autem Christi passio et mors Judæis erat scandalum, et aliunde Christum angelis inferiorem esse quasi probabat, in reliquo capite Paulus ostendit hanc Christi Domini pro mundi salute passionem et mortem, fuisse divinæ sapientiæ convenientissimam. Harum convenientiarum aliæ sunt ex parte Dei, aliæ ex parte Christi, aliæ ex parte nostrû, quas fusiùs vide in corollario pietatis.

PARAPHRASIS.

1. Quia ergo talis ac tantus est Jesus-Christus Filius Dei, æqualis Patri, eique assidens in regno, nostrum est eò studiosiùs iis attendere quæ accepimus, ejusque doctrinam diligentiùs observare, ne, si negligentes fuerimus, misero pereamus exitio.

2. Etenim si lex Mosaica, per angelos ordinata, ac subministrata, tantum robur et pondus habuit, ut Deus prævaricantes, velut inobedientes, meritâ punierit pœnâ,

3. Quomodò nos Christiani debitas evademus pœnas, si legem adeò salutarem neglexerimus, quæ ipsius Christi Domini ore primò promulgata fuit, deinde per apostolos, ejus auditores auritos, et testes oculatos, apud nos Hebræos confirmata est?

4. Et ne horum prædicatio parùm haberet ponderis, Deus ipse, veritatis fons, illorum prædicationi testimonium perhibuit per varia miraculorum signa, et prodigia, et suæ solius omnipotentiæ opera, et per copiosam sancti Spiritûs charismatum, pro suo beneplacito, effusionem;

5. Et ne, quia angeli fuerunt legis Mosaicæ administratores, suntque hujus præsentis mundi quodammodò gubernatores, ne, inquam, propterea putetis quòd sint et mundi futuri rectores: hunc enim mundum futurum, de quo loquimur, Deus, non angelis, sed Christo, Patri futuri seculi, et bonorum futurorum Pontifici, subjecit.

6. Hujus veritatis testem advoco David, in psal. 8 dicentem: *Quid est homo, quòd memor es illius; aut filius hominis, quoniam* per Incarnationem *visitas eum?*

7. Brevi temporis spatio in suâ passione, angelis minorem exhibuisti, at post suam passionem constituisti eum Principem et Dominum super omnia omnipotentiæ tuæ opera, corporalia, et spiritualia.

8. Omnes omninò creaturas, et consequenter ipsos etiam angelos, ô Pater æterne, Christo filio tuo subjecisti; generalis enim est Psalmistæ locutio: *Omnia*, sine exceptione, *subjecisti*. Christo itaque, omnium rerum Domino, nobis parendum. Equidem nondùm videmus omnia ei subjecta; multos è contra videmus impios et infideles Christo rebellare, fateor itaque quòd hæc prophetiæ pars nondùm sit perfectè completa.

9. At alteram partem jam completam videmus (nimirùm glorià et honore coronàsti eum); Christus enim Jesus qui brevi temporis intervallo minor angelis habitus est, nunc doloriferæ mortis suæ merito glorià et honore coronatus est, victor mortis surrexit immortalis, gloriosus et triumphans in cœlum ascendit, sedet ad dexteram Majestatis, ut Deus ubique adoratur; ex hâc autem parte completâ certò cognoscimus et complendam aliam. Dixi propter passionem mortis: sicut enim ex singulari et gratuitâ Dei in nos benignitate pro nobis passus et mortuus est, sic et jure merito quia ex charitate pro nobis passus est, glorificatur ab omnibus ubique.

10. Cæterùm ne vos scandalizet mors et passio Christi Filii Dei; hic enim fuit salvandi modus fuit divinæ sapientiæ convenientissimus; decebat enim eum qui rerum omnium principium est et finis, Alpha et Omega, cùm ab æterno decrevisset, per Filium suum naturalem multos filios adoptivos ad gloriam adducere; Deum, inquam, decebat ad hujus sui decreti effectum, ut hunc Filium suum primogenitum

et naturalem, salutis aliorum auctorem, omniumque salvandorum caput et antesignanum, per passionem et mortem, gloriâ et honore consummaret.

11. Decet enim pontificem qui sanctificat et eos qui ab illo sanctificantur ejusdem esse naturæ; decebat ergo ut Filius Dei, qui dignatus est noster esse Pontifex, ejusdem nobiscum esset naturæ passibilis, mortalis, et miseriis obnoxiæ. Reverà talis fuit; hinc Dei Filius non erubescit homines vocare fratres suos, dicens ore Davidis, ps. 21 :

12. Annuntiabo nomen tuum fratribus meis; in medio ecclesiæ laudabo te.

13. Et rursùs in alio loco, Isaï 8 : Ego, ut homo, in adversis fiduciam meam ponam in eo. Et rursùs apud eumdem prophetam, discipulos vocat filios suos : Ego, inquit, et filii mei, quos Deus dedit mihi.

14. Quandoquidem igitur hi fratres et filii constant naturâ fragili, corpus habentes carneum et sanguineum, et ideò passibile, voluit et ipse, eorum pater, frater et Pontifex, naturam assumere fragilem et passibilem, ut per passionem et mortem destrueret diaboli potestatem, qui per peccatum habebat mortis imperium.

15. Et ex servis liberos redderet eos quos timor mortis, quasi tyrannus, sub suâ ditione, per totam vitam detinebat, velut mancipia.

16. Nequaquàm enim angelorum naturam impassibilem, et immortalem sibi copulavit Filius Dei, sed humanam suscepit ex semine Abrahæ, Judæus ex Judæis natus.

17. Quia ergo nostram assumpsit naturam, ut noster esset Pontifex, decuit ut in omnibus naturæ nostræ conditionibus similis nobis fratribus suis fieret, ut eò promptiùs miseris succurrat, ipsæ miseriæ non ignarus : et veri Pontificis officium eò fideliùs perageret apud Deum, expiando peccata nostra, Deumque nobis propitium reddendo.

18. Reverà per hoc quod Christus passus est, et per passiones tentatus, promptus est ad succurrendum afflictis.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Propterea..., id est, quia Christus talis est ac tantus, omnium scilicet hominum eminentissimis longè eminentior, omniumque angelorum præstantissimis longè præstantior, ut in primo capite dictum est.

Abundantius oportet observare nos, id est, eò studiosùs debemus ejus doctrinam attendere, retinere et observare,

Quæ audivimus, id est, quam ab ipso Christo et ejus apostolis audivimus ;

Ne forte pereffluamus ; Syr., *ne cadamus* ; Arabs., *decidamus*, id est, ne funditùs pereamus. Metaphora sumpta à vasis rimosis, à quibus sic effluit aqua, aut alius liquor, ut pereat. Itaque sensus est : Ne, adinstar vasis undique rimas habentis, doctrinam Evangelii sinamus effluere, sicque pereamus adinstar aquæ, quam, ubi effluxit in terram, colligere impossibile est.

Vers. 2. — Si enim qui per angelos dictus est sermo..., id est, si lex Mosaica, quæ non per Filium Dei, sed per angelum Dei nomine loquentem data est. *Per angelos* : unus loquebatur, alii comitabantur, tonitrua et fulgura excitabant.

Factus est firmus, id est, auctoritatem, pondus et firmitatem habuit, utpote quæ minas habuit non irritas. *Firmus*, id est, ratus, stabilis in promissis et in minis suis, ait D. Anselmus.

Et omnis prævaricatio..., Deo omnes legis transgressores graviter et pœnâ suis sceleribus condignâ puniente.

Merces, hic pro pœnâ condignâ et æquali peccato.

Vers. 3. — Quomodo nos effugiemus, id est, quomodò nos Christiani pœnas evademus ?

Si tantam neglexerimus salutem, id est, si neglexerimus Christi doctrinam, seu Evangelium, quod obedientibus salutem promittit æternam.

Quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, id est, quod Evangelium (seu quæ salutis æternæ doctrina) per Dominum Jesum, Filium Dei, primò prædicatum est.

Ab eis qui audierunt..., deinde ab apostolis, illius auditoribus et discipulis confirmatum est. *In nos*, id est, usque ad nos, seu nostra tempora, aiunt multi; sed puto naturaliùs : *In nos*, id est, apud nos Hebræos.

Paulus Hebræus Hebræis scribens, more suo sese inter illos interserit, modestiæ causâ, ubi exhortatur.

Vers. 1. — *Propterea abundantiùs* (id est, magis, diligentiùs et vehementiùs) oportet *observare* (id est, attendere et mentem applicare) *nos ea quæ audivimus.* Ostensâ dignitate et præcellentiâ Christi, nunc hortatur et urget Apostolus Hebræos, ut Christi doctrinam et legem attentiùs quàm ante totâ mente excipiant. *Ne fortè pereffluamus.* Duo enim significat, primùm aquam è vase, et sermonem è mente perfluere et elabi ; secundò, aquam è vase, et sermonem è mente elapsum dilabi, diffluere et perire, ut ampliùs recipi non possit. Undè Chrysost., Theoph. sic explicant : *Ne pereffluamus*, id est, ne excidamus à viâ salutis, et percamus.

Vers. 2. — *Si enim qui per angelos dictus est sermo* (id est, quæ per angelos dictata est lex, Exodi 19 et 20) *factus est firmus*, Deo legem confirmante signis illis terribilibus, quæ in eâ ferendâ edidit,

Et omnis prævaricatio et inobedientia accepit justam mercedis retributionem, justam ergo retributionem vocat, lege decretam, quâ scilicet rigori legis satisfiat,

Vers. 3. — *Quomodò nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* Intelligit enim doctrinam Christi, quæ *tantæ*, id est, longè majoris, *salutis* ac felicitatis promissiones continet, quàm lex vetus *continebat.*

Quæ (scilicet salus, id est, salutis Evangelium et annuntiatio) *cùm initium accepisset enarrari per Dominum* (Christum in terris agentem), *ab eis qui audie-*

VERS. 4.—CONTESTANTE DEO SIGNIS ET PORTENTIS..., id est, veritati evangelicæ ab apostolis et Christi discipulis prædicatæ, Deo testimonium perhibente. *Signis...*, id est, per miracula, quæ dicuntur *signa*, quia veritatis indicia; *portenta*, quia contra usum et ordinem naturæ; VIRTUTES, quia divinæ potentiæ opera.

ET SPIRITUS SANCTI DISTRIBUTIONIBUS..., id est, et per dona Spiritûs sancti, v. g., donum linguarum, prophetiæ, sanationum, etc.

SECUNDUM SUAM VOLUNTATEM: Quæ Spiritus sanctus distribuit unicuique pro beneplacito suo, seu quæ, quantùm et quibus vult.

Observatio dogmatica et moralis.

Ex. v. 3, inferunt Calvinus et alii D. Paulum non esse hujus Epistolæ auctorem, quia sibi ipsi contradiceret dicenti ad Galat. 1, v. 12, se ab homine non edoctum. Sed nulla est contradictio in verbis Apostoli benè intellectis, juxta explicationem hic datam, et fusiùs explicatam in præfatione: quam vide, *quarta petita*, etc.

Ex v. 3 et 4, Evangelium à Christo, Dei filio, promulgatum est; ab apostolis, ipsius auditoribus ac discipulis ubique publicatum; à Deo per miracula infinita, et per Spiritûs sancti communicationem confirmatum fuit. Quis prudenter dubitet de mysteriis, ab ipsâ veritate, Christo prolatis, ab apostolis, veritatis auditoribus et discipulis ubique prædicatis, à Deo veritatis fonte confirmatis?

Credo, Domine, ac toto corde, Evangelio tuo, illudque, ut vitæ meæ regulam, amplector. *Lucerna* erit *pedibus* meis, *et lumen semitis meis.*

VERS. 5. — NON ENIM ANGELIS SUBJECIT.

Observatio litteralis.

In quatuor primis hujus capitis versiculis continetur illatio ex dictis in primo capite deducta, et quidem convenientissima ad Hebræos vacillantes, stabiliendos in fide. Hâc autem illatione peractâ, redit Apostolus ad Christi super angelos præcellentiam, et non sine causâ huic Christi super angelos præcellentiæ instat, sed ut apud Hebræos funditùs evertat errorem Simonianorum, angelos Christo præferentium. Adverte autem quòd hanc Christi præcellentiam hìc ita confirmat Apostolus, ut et simul confirmet illationem ex eâ deductam, scilicet Christo, utpote angelis majori et excellentiori parendum esse; sicque benè cohæret textus, qui quibusdam videtur obscurus et intercisus. *Si enim qui per angelos...*, v. 2, *quomodò nos effugiemus?* v. 3; *non enim angelis Deus subjecit mundum futurum*, sed uni Christo, qui propterea dictus est à prophetis, *Pater futuri seculi.*

ORBEM TERRÆ FUTURUM. Græc., *habitatam futuram.* Syrus, *mundum futurum.* Cœlum novum, terram novam, terram viventium futuram, seu mundum post resurrectionem futurum; et ideò præsentem etiam Ecclesiam, quæ eadem est cum triumphante.

DE QUO LOQUIMUR, cap. 1, v. 6 et 12, ubi de judicio, et fusiùs intendo loqui in hâc Epistolâ, ubi de Pontifice futurorum bonorum. Tacitè fatetur quòd angeli quidem fuerint non tantùm legis Mosaicæ administratores, sed et sint hujus orbis quodammodò gubernatores, ut ex Danielis 10, v. 13 et 20, colligi potest. Sed formaliter negat quòd angeli sint novæ legis administratores, mundique novi principes aut rectores, sunt enim tantùm *administratorii spiritus*, et quasi servi, ut cap. 1, v. 14. Tacitè autem subintelligit quòd Deus hunc futurum seu novum mundum subjecit Christo, ideòque solus Christus sit Rex et Dominus, et consequenter ei parendum.

VERS. 6. — TESTATUS EST AUTEM. Hanc tacitam assumptionem de Christi dominio probat ex psal. 8. Circa quam probationem duo notanda sunt: primò, quòd nec auctorem nominet, nec locum Scripturæ citet, quia Hebræis loquitur in Scripturâ doctis, et illam ferè totam memoriter scientibus; secundò, quòd cum Hebræis ex sensu mystico argumentatur, ut pote eis noto et apud eos recepto; hæc enim Psalmistæ verba ad litteram sunt de Adamo et semine ejus, in sensu autem mystico sunt de Messiâ, filio hominis et cujus figura erat Adamus. Judæis autem notum erat quòd Adami et seminis ejus dominium in hunc inferiorem mundum, erat figura dominii supremi quod Messias, Christus Dominus, habet in cœlis et post generale judicium habiturus est in totum orbem. *Testatus est autem* QUIS, scilicet David, IN QUODAM LOCO, psal. 8, DICENS:

QUID EST HOMO? luteus et vilis, ratione corporis.

AUT FILIUS HOMINIS? Christus ipse quoad humanitatem.

QUONIAM VISITAS EUM, per incarnationem. Incarnatio est Dei visitatio: hominem perditum quærit et visitat Verbum incarnatum: *Visitavit nos oriens ex alto.* Visitat omnes quidem homines, at visitat specialiter humanitatem cui hypostaticè Dei Verbum unitur; humanitas ergo Christi dicere potuit: *Quid est homo, aut filius hominis?...* in comparatione Dei, ut uniatur Deo? Quantò justius dicet illud peccator Deo unitus per communionem, et ab eo visitatus quando sanctissima Eucharistia defertur ægroto? Sed hìc puto non omittendum Theodoreti in hæc verba commentarium: *Domine, quid est homo?* Hoc de communi naturâ dictum est: at convenit

---

runt (id est, apostolis) *in nos* (id est, usque ad nostra hæc tempora) *confirmata est*,

VERS. 4. — *Contestante Deo signis, et portentis, et variis virtutibus* (id est, potentibus miraculis), *et Spiritûs sancti distributionibus*, id est, donis linguarum, prophetiæ, et aliis quæ Spiritus sanctus cuique distribuit, *secundùm suam voluntatem.*

VERS. 5. — *Non enim angelis*, etc. Theodor., S. Thom. accipiunt orbem futurum post resurrectionem et judicium generale, quem Deus Pater in suo decreto et prædestinatione subjecit, et actu reipsâ subjiciet Christo in fine mundi.

VERS. 6. — *Testatus est autem in quodam loco quis, dicens*; q. d.: Ille quem nòstis et quotidiè legitis ac teritis, scilicet David, dicit: *Quid est homo, quòd memor es ejus?* Ut tu, Domine, ejus recordari digneris, ità

primitiis ex nobis, Christo nempe, qui ea quæ sunt totius naturæ sibi attribuit; et os naturæ factus, *dicit : Domine, quid est homo?* Sic ex eodem Theodoreto, Christus, ut os naturæ dicit : *Longè à salute meâ verba delictorum meorum.* Psal. 21.

Vers. 7. — Minuisti eum paulo minus. Græc., βραχύ τι, *breve quid*, aut parvum quid. Parvitas autem illa potest intelligi, vel de dignitate, vel de duratione, seu tempore : si psalmus intelligatur litteraliter de homine, quatenùs intellectu et libertate præditus est, par quidem est angelis, at corporis conditione illis est inferior ; si mysticè de Christo intelligatur, ut reverà hìc à D. Paulo intelligitur, significat, brevi temporis spatio, in passione suâ, in quâ et ipsis hominibus inferior quodammodò fuit : *Ego autem vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis.* Psal. 21.

Gloria et honore coronasti eum, post passionem, et constituisti eum principem et Dominum, super opera..., id est, super omnes creaturas, corporales et spirituales, præsentes et futuras.

Vers. 8. — Omnia subjecisti sub pedibus ejus : in eo enim... Syr. : *Nihil omisit quod non sit subjectum*, id est, omnem prorsùs creaturam et consequenter angelum. Sicut ab opere domini nihil excipitur, sic à potestate et dominio Christi nihil eximitur ; Christus ergo omnium omninò creaturarum Dominus.

Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei. His verbis Apostolus occurrit objectioni quæ fieri potest, dicendo quòd manifestum sit non omnia subjici imperio Christi. Fatetur nondùm advenisse tempus, quo prophetia hæc perfectè impleatur, sed certissimè adventurum. Equidem quoad auctoritatem et potestatem, *Christo subjecta sunt omnia : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ*, Matth. 28, 19; quoad executionem verò subjicientur realiter omnia post generale judicium. Interim :

Vers. 9. — Eum autem qui modico... Græc. : *Breve quid præ angelis minoratum*, etc. ; id est : Interim videmus, seu certò cognoscimus, eum qui ad breve tempus fuit minor angelis, Dominum scilicet Jesum, propter passionem, seu tormentum mortis, quam pertulit, *glorià et honore coronatum* ; quasi diceret : Etsi nondùm completa sit perfectè prophetia, ex parte tamen completam videmus; jam enim toto orbe celebris est Christus, jam in ejus nomine *omne genu flectitur* in cœlis, in terris, et in inferis ; jam videmus eum ubique à fidelibus adorari ; et cùm hæc adimpleta videmus, cætera adimplenda non dubitamus. Vide paraphasim.

Ut gratia Dei pro omnibus... Est explicatio ejus quod præcedit : *Propter passionem...*, seu est ratio, et cur passus sit, et cur post passionem evectus sit ad gloriam, quasi diceret : Ex singulari et gratuità Dei in nos bonitate, et ut suum in nos amorem exhiberet, pro omnibus passus et mortuus est, et quia ex charitate passus est, jure merito glorificatus est. Syr... *Nam Deus ipse per gratiam suam pro omnibus gustavit mortem.* Theodoretus et alii, loco χάριτι Θεοῦ, *gratia Dei*, legerunt, χωρὶς Θεοῦ, *absque Deo, pro omnibus gustaret mortem* ; quia, inquit, sola natura divina hoc remedio non indigebat.

Triplex in his versibus indicatur Christi Domini status : primus humiliationis, quando passus est : secundus gloriæ, quam per resurrectionem et ascensionem adeptus est : tertius gloriæ, quam post resurrectionem generalem judiciumque universale, per totam æternitatem obtinebit. In primo statu, non tantùm angelis minor factus, sed et omnium hominum quasi *opprobrium abjectio plebis*, quasi ad nihilum redactus fuit propter nos, seu *propter nimiam charitatem suam* erga nos. In secundo statu, intravit quidem in gloriam suam : *Omnis* ei *data est potestas in cœlo et in terrâ* ; at hæc gloria plena, perfecta, totalis et adæquata erit in tertio statu ; omnia tunc perfectè et universaliter erunt ei subjecta in cœlo et in terrâ.

Domine Jesu, universorum Rex et Domine, etiam nunc tibi perfectè subjiciar, nihil sit in me tibi contrarium : intellectum, voluntatem, corpus, me totum tibi submitto : fiat ergo tua in me voluntas. *Servus tuus sum ego!*

recordari, ut eum lapsum erigere, adeòque Christo Deo unire, et per Christum salvare et glorificare cogites et destines? Celebrat ergo Psaltes hoc psal. 8 exaltationem hominis et humanitatis nostræ factam in Christo, et per Christum, tanquàm naturæ nostræ ducem, principem et reparatorem, etc.

Aut filius hominis, quoniam visitas eum? Quid, inquam, est filius hominis, id est, homo ex homine natus, mortalis ex mortali, miser ex misero, quòd eum beneficentiæ tuæ donis, quæ multa et magna in eum contulisti, dignatus es invisere?

Vers. 7. — *Minuisti eum paulò minùs ab angelis.* Natura humana in Christo in parvâ re, et parvo tempore, minor fuit angelis, quia in hâc vitâ, ac præsertim in morte et cruce habuit corpus mortale et passibile, cùm angeli sint immortales et gloriosi : quia Christus passionem mortis sustinuit (sub quâ tota ejus mortalitas intelligenda est) eum paulò minùs ab angelis minoratum significat, adeò ut ipse dicat in Psal. 21 : *Ego autem sum vermis, et non homo ; opprobrium hominum et abjectio plebis* ; ut de eo dicat propheta : *Vidimus eum despectum et novissimum virorum*, Isaiæ 53. Ita nimirùm exigente negotio procurandæ nostræ salutis : sed tempus illud resurrectione finitum est, et ex eo jam cœpit impleri quod hic sequitur : *Glorià et honore coronâsti eum.* Honor est testimonium excellentiæ. Glorià et honore Christum cumulatè et affluenter ornâsti : glorià quidem, quâ fit ut ejus nomen ubique prædicetur atque laudetur ; honore autem, ut ab omnibus adoretur.

Et constituisti eum super opera manuum tuarum, id est, dominari fecisti, vel dominum eum constituisti operum tuorum, etc.

Vers. 8. — *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Quod ait, *sub pedibus ejus*, perfectam declarat subjectionem.

In eo enim quòd omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei. Intellige, præter ipsum Deum ei omnia subjicientem.

Nunc autem necdùm videmus omnia subjecta ei, sed suo tempore subjicienda : Necdùm futurus orbis (de quo dixi) ad quem suspiramus, apparuit, sed modicum expectate, donec finiatur hoc seculum ; nimirùm in fine mundi cuncta Christus obtinebit, eruntque omnia ei subjecta, etc.

Solum peccatum minuit Christi dominium in nos : quamdiù regnabit peccatum in mortali corpore nostro, Christus non regnabit in nobis : illud itaque destruamus, ut Christus solus in nobis vivat, regnet, imperet, triumphet. Ora sæpè : Etiam rebellem meam compelle voluntatem.

VERS. 10. — DECEBAT ENIM EUM, PROPTER QUEM... Ne ex passione et morte Christi scandalizentur Hebræi, aut saltem hinc minoris illum faciant, et angelis impassibilibus et immortalibus postponant, Apostolus multas affert Christi passionis et mortis convenientias. Primam in v. 9 dixit, quòd ex singulari et eximiâ Dei in nos bonitate id factum est, ut pro nobis et loco nostri Christus pateretur et moreretur; nunc verò docet quantùm hic nos salvandi modus fuerit Deo decens, Christo gloriosus, et nobis utilis. Vide corollarium in fine capitis : *Decebat enim eum propter quem...*, id est, qui rerum omnium finis est et principium, Deum, scilicet ; seu conveniens erat Dei sapientiæ,

QUI MULTOS FILIOS IN GLORIAM ADDUXERAT, id est, qui per Christum multos filios adoptivos ad gloriam ab æterno decreverat adducere.

AUCTOREM SALUTIS EORUM. Syr.,*ipsum principem salutis eorum;* Arab., *caput salutis eorum*, id est, Jesum Christum, primam causam meritoriam salutis hominum ; caput, principem, antesignanum salvandorum.

PER PASSIONEM CONSUMMARE. Syr., *perfectum reddere.* Ad supremam beatitudinem quæ summa est hominis perfectio, per passionem adducere ; seu *per passionem consummare* glorià et honore ; hæc enim consummatio est coronatio de quâ v. 9 ; sensus ergo est : Quia Deus ab æterno decreverat per Filium suum naturalem multos filios adoptivos ad gloriam adducere, conveniens fuit ut hunc Filium primogenitum, aliorum salutis auctorem, per passionem glorià et honore consummaret.

Convenientias tanget in sequentibus : quarum aliæ sunt ex parte Dei, cui fuit in omni rigore justitiæ satisfactum per passionem Filii sui, et qui ejusdem Filii sacrificio dignè fuit glorificatus ; aliæ ex parte Christi, qui, ut sacerdos fidelis, Deum, quantùm potuit, honoravit ; aliæ ex parte nostrâ, ut esset nobis magis misericors et propensior ad opitulan um miseriis. Videbuntur suis locis et in corollario fusiùs.

VERS. 11. — QUI ENIM SANCTIFICAT ET QUI SANCTIFICANTUR... *Qui sanctificat*, id est, Christus, Pontifex noster, et *qui* ab eo *sanctificantur*, scilicet homines,

EX UNO OMNES, id est, ab uno parente Adamo ducunt originem, et ideò sunt ejusdem naturæ. Alii dicunt, *ab uno* patre Deo, qui Christi Pater est naturalis, noster verò adoptivus ; sed primus sensus videtur germanior ; probat enim Apostolus decuisse Christum pati, et per passionem consummari ; quasi diceret : Decet Pontificem qui sanctificat, et eos qui ab illo sanctificantur, ejusdem esse naturæ. Ergo decuit ut Christus qui pontifex ac mediator noster est, ejusdem esset nobiscum naturæ passibilis, mortalis et miseræ.

PROPTER QUAM CAUSAM... Quòd autem Christus reverà fuerit ejusdem nobiscum naturæ, probat ex eo quòd non erubuit ille talis ac tantus, ut cap. 1 dictum, nos fratres suos vocare, DICENS ore Davidis, psal. 21 :

VERS. 12. — NUNTIABO NOMEN TUUM FRATRIBUS MEIS. Quòd hic psalmus ad Messiam pertineat, indicavit ipse Christus in cruce, magnâ voce pronuntians illius initium. *Deus meus, Deus meus*, etc.

VERS. 13. — ET ITERUM..., Isai. 8, 17 : Ego Christus, ut homo, in adversis ERO FIDENS IN EUM, juxta Septuaginta. *Et præstolabor eum*, ait D. Hieronymus, id est, ejus auxilium, in quo consequenter confido. Quâ voce significat se hominem et fratrem nostrum, et miseriis obnoxium.

ET ITERUM..., Isai. 8, 18 : Ego ET MEI spirituales FILII, QUOS MIHI DEDIT PATER ut eos regenerarem : *mihi*, scilicet, ut homini, non ut Deo, quia ut sic, mei erant. Hic textus est conformis Joan. 17, v. 6 : *Tui erant et tu eos mihi dedisti.* Hæc ergo verba dixit Isaias, ut Christi figura et præcursor.

VERS. 9. — *Eum autem, qui modicò quàm angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis, glorià et honore coronatum*, gloriâ et honore undequàque cinctum et coopertum. Meruit autem Christus et sibi gloriam et nobis salutem per mortis passionem, quatenùs eam ex immensâ charitate, humilitate, obedientiâ, patientiâ subivit.

Ut gratiâ Dei, pro omnibus gustaret mortem : Ut per gratuitam Dei Patris bonitatem seu beneficentiam, quâ ille genus humanum dilexit, mortem pro omnibus gustaret. Ita Chrysostomus.

VERS. 10. — *Decebat enim eum*, etc., *auctorem*, id est, principem et ducem ; q. d. : Decebat Deum Patrem, qui multos homines per Christum decreverat adducere ad cœlestem suam gloriam, ut Christum ipsum, quasi auctorem et ducem omnium, passione et morte *consummaret*, id est, ad consummatam gloriam perduceret. *Consummare* idem est quod glorià et honore coronare, sive facere, ut Christus resurgens, gloriosus sit in cœlo, sedens ad dexteram Patris, et in terrâ ab hominibus colatur et adoretur, quasi mundi Salvator et Dominus.

VERS. 11. — *Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes. Ex uno*, id est, ex unâ stirpe, ex unâ et eâdem naturâ, scilicet humanâ, sunt et constant. Loquitur Apostolus de Christo qui nos sanctificat, quasi pontifex, mediator et redemptor noster.

Propter quam causam non confunditur (non erubescit Christus) *fratres eos* (homines ex uno patre Adamo secum natos) *vocare, dicens :*

VERS. 12. — *Nuntiabo nomen tuum* (ô Pater) *fratribus meis*, apostolis aliisque quos fideles et Christianos prædicando efficiam.

In medio Ecclesiæ (christianæ à me congregandæ) *laudabo te.*

VERS. 13. — *Et iterùm : Ego ero fidens in eum ;* omnibus enim commune est, tam ei qui sanctificat, quàm iis qui sanctificantur, in Deo fidere. Ex quibus patet Apostolum hâc citatione et testimonio non tam probare Christum esse ejusdem nobiscum naturæ passibilis (uti probavit testimonio præcedenti) quàm quòd omnes gentes per Christum sanctificentur, itàque in filios et fratres adoptentur, et ad gloriam adducantur.

VERS. 14. — QUIA ERGO PUERI COMMUNICAVERUNT CARNI..., id est, quia homines, quos Christus fratres et filios suos vocat, *communicaverunt*; Syr., *participes fuerunt*, id est, constant naturâ fragili, passibili et mortali : utpote qui corpus habent carneum et sanguineum, et ideò infinitis obnoxium incommodis. Caro et sanguis hic non significant vitiosos affectus, ut alibi sæpè, sed corporis materiam et infirmitates indè sequentes, seu omnia corporis mortalis incommoda.

ET IPSE, id est, Christus eorum pater, frater et sanctificator.

SIMILITER ; Syr., *eodem modo*, id est, verè et realiter,

PARTICIPAVIT IISDEM, id est, carni et sanguini, ut supra intellectis : seu voluit iisdem vitæ mortalis et passibilis participare incommodis.

UT PER MORTEM..., id est, ut per meritum passionis et mortis suæ, DESTRUERET ; Græc., *deloret;* Syr. : *Aboleret diaboli potestatem*, QUI per peccatum HABEBAT MORTIS IMPERIUM.

Diabolus peccatum suadendo, homines reddebat morti obnoxios, et illos per peccatum in mortem trahebat æternam : quisquis enim peccato est obnoxius, et morti obnoxius est. Erat ergo quodammodò princeps mortis et corporis et animæ, seu temporalis et æternæ. Hunc autem mortis principem, Christus, vita et fons vitæ, per mortem ipsam, destruxit, enervavit.

VERS. 15. — ET LIBERARET EOS..., id est, ex servis liberos faceret eos, quos timor mortis, quasi tyrannus, sub suâ ditione, quasi mancipia, per totam vitam detinebat. Ante Christum, timor mortis, quasi tyrannus, homines, quasi servos, continuis cruciabat angustiis. Si, ut Epicurei, credebant mortem omnium rerum finem, illis mors erat terribilium terribilissimum : ad solum nomen mortis expallescebant et vehementer commoveri soiebant Epicurei, Plutarcho teste. Si autem animam credebant immortalem, et illis, quia plerùmque impii, impuri, vitiis dediti, mors erat terribilissimo terribilius. Christus suos ab hoc liberat tyranno, quia eos et à vitiis liberat, et æternæ vitæ certos facit. Mors fideli miseriarum est finis, æternæ felicitatis inchoatio. Hinc : *Cupio dissolvi... Mihi vivere Christus est et mori lucrum.*

VERS. 16. — NUSQUAM ENIM ANGELOS APPREHENDIT... Ex Græco patet quòd utrumque, *apprehendit*, sit in præsenti ἐπιλαμβάνεται. Verbum autem ἐπιλαμβάνειν, significat, manu injectâ apprehendere, retinere, hincque triplici modo explicatur hic locus : *Nequaquàm angelos* à Deo aversos et fugientes *apprehendit*, seu injectâ manu retinet et revocat...; nequaquàm angelos injectâ manu in libertatem vindicat ; nequaquàm angelicam naturam *apprehendit*, et sibi hypostaticè unit Filius Dei ; et hic sensus communior est et menti apostolicæ videtur conformior ; hic enim explicat quod v. 14 dixit : *Communicavit carni et sanguini ;* quasi diceret : noluit angelorum impassibilium frater fieri, sed hominum fragilium, et mille miseriis obnoxiorum.

SED SEMEN ABRAHÆ..., id est, sed naturam humanam ex semine Abrahæ suscepit : homo Judæus, ex Judæis natus est. Hâc voce Hebræis exhibet, primò, quantùm Deo debeant ob hanc sui generis prælationem ; secundò, quantùm debeant Christum consanguineum suum diligere ; tertiò, in Christo completam esse promissionem Abrahæ factam, Genes. 22 : *In semine tuo benedicentur omnes gentes.*

VERS. 17. — UNDE, id est, quia nostram naturam humanam, non angelicam, assumpsit, ut noster Pontifex fieret,

DEBUIT, id est, decuit, ut v. 10, seu debuit ex decentiâ,

Et iterùm : Ecce ego, et pueri mei, quos dedit mihi Deus. Mihi scilicet homini, juxta illud quod ait ad Patrem : *Tui erant, et mihi eos dedisti*, Joan. 17, id est, filii, quos scilicet naturæ meæ passibilis et mortalis consortes, tanquàm pontifex spiritualiter gigno facioque Christianos, cum quibus factus sum ludibrium et portentum Israel.

VERS. 14. — *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem.* Christus habet filios sibi datos à Deo ; atqui filii ejus participes sunt carnis et sanguinis, id est, homines sunt mortales ac miseri ; igitur et ipse carnis et sanguinis particeps factus est, id est, humanam assumpsit naturam morti ac miseriis obnoxiam.

Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, qui per peccatum nos trahebat in mortem corporis et animæ, tam præsentem quàm æternam. Dicitur Christus destruxisse diabolum, quia ejus regnum et imperium destruxit, dùm suâ morte, homines à morte præsenti et æternâ, ac consequenter à potestate dæmonis liberavit, effecitque ut homines à morte ad vitam resurgerent immortalem et æternam.

VERS. 15. — *Et liberaret eos*, etc. Servitutem vocat metum et horrorem mortis, quotidiè oculis et menti obversantis. Hic metus et horror omnes homines quasi servos opprimebat, et quasi vinctos sub se detinebat, mirisque angoribus cruciabat ; q. d. : Christus liberavit homines ab horrore et angore mortis, effecitque ut homines fidentes et alacres accedant ad mortem, tanquàm ad ærumnarum terminum, et melioris vitæ exordium, ut dicant : Vita mihi est in tædio, mors in desiderio : *Cupio dissolvi et esse cum Christo, mihi vivere Christus est, et mori lucrum.*

VERS. 16. — *Nusquàm enim angelos apprehendit*, etc. *Apprehendit* metaphoram habet sumptam ab eo qui magno studio sequitur aliquem, omniaque facit, ut fugientem occupet et apprehendat : nos fugiebamus à Deo, ipse nos insecutus est, et velut injectâ manu apprehendit nos, nec passus est perire. *Apprehendit* ergo idem est quod insequitur, et insequendo apprehendit.

VERS. 17. — *Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum*, id est, ut misereri nostri disceret Christus per experientiam miseriæ nostræ, ejusque sensu tangeretur. *Fidelis*, id est, talis ob experientiam et condolentiam miseriæ nostræ, cui meritò fideremus et crederemus nos omniaque nostra. *Ad Deum*, id est, secundùm ea quæ spectant ad Deum.

Ut repropitiaret delicta populi : Ad propitiandum, id est, ad expiandum, peccata populi.

PER OMNIA, id est, in omnibus humanæ naturæ, ut natura est, conditionibus et infirmitatibus, quæ naturam consequuntur, exceptis morbis, ignorantiâ, peccato, et fomite peccati, quæ Christum non decent,

SIMILARI, id est, similis fieri,

UT MISERICORS FIERET, id est, eò promptiùs nobis miseris succurrat, miseriarum nostrarum non ignarus, sed eas per experientiam edoctus.

ET FIDELIS PONTIFEX AD DEUM. Græc., *in iis, quæ sunt ad Deum*, id est, et eò perfectiùs veri et fidelis Pontificis officium perageret apud Deum, eum per sui sacrificium, dignè et quantùm fieri potest, glorificando, et ejus justitiæ, per idem sacrificium, pro peccatis nostris, in omni rigore, satisfaciendo.

UT REPROPITIARET DELICTA POPULI. Græc., *ad expiandum*. Explicat quid sit *fidelis ad Deum*, id est, ut pro nostris peccatis satisfaciat, et his in suo sanguine deletis Deum nobis reddat propitium.

VERS. 18. — IN EO ENIM, IN QUO PASSUS EST, id est, per hoc enim, quòd Christus ipse, ut homo, passus est, et per afflictiones tentatus.

POTENS EST, id est, idoneus et propensus redditur ad miserendum iis quorum patientia per afflictiones tentatur, illisque opitulandum; seu, ut ait Theophylactus, promptus est ad manum compassionis afflictis porrigendam.

VERS. 18. — *In eo enim, in quo passus est ipse et tentatus*, id est, ideò quòd passus est, vel quia passus est. *Tentatus* idem est quod vexatus et afflictus. *Potens est et eis qui tentantur auxiliari. Potens*, id est, aptus et facilis et proclivis est, ut tentatorum misereatur, iisque auxilietur. Unde et Theophylact.: *Potens*, inquit, id est, pronus, promptus et paratus est ad auxiliandum.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim frequentiùs redigenda.

1° Ex quatuor primis versibus, disce et insculpe menti tuæ quàm enorme sit Christiani peccatum, et consequenter quanto supplicio puniendum. Eò enormius est, quò Christus, legislator noster, excelsior et sublimior est, Filius Dei, ipsa veritas; quò lex christiana sanctior et divinior est in præceptis et promissis suis; quò pluribus miraculis à Deo, veritatis fonte, confirmata; quò majoribus charismatum effusionibus à Spiritu sancto roborata: hæc enim omnia augent Christiani hanc legem violantis ingratitudinem, contemptum, malitiam, et ideò condemnationem.

2° Ex v. 9, disce quòd Christi passio et mors pro peccatis nostris fuit quidem opus summæ Dei gratiæ, et nimiæ charitatis in nos; sed ex sequentibus versibus disce quòd fuerit tamen opus divinæ sapientiæ convenientissimum. Multas hic tangit Apostolus convenientias, quas ut clariùs explicem, ad tria capita reduco: ex parte Dei, ex parte Christi, ex parte nostrâ.

EX PARTE DEI.

Decuit Christum pati pro peccatis nostris, primò, ut suam nobis sanctitatem manifestaret, suumque consequenter implacabile odium erga peccatum; quod nec in Filio suo, innocentissimo quidem in se, sed peccatis mundi onerato, relinquit impunitum, imò quod punit severissimè: *Si hæc in viridi ligno, in sicco quid fiet?* secundò, ut suam in nos nimiam exhibeat charitatem, quâ *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: non pepercit Filio, ut parceret servo; tertiò, ut Deus, propter quem omnia, et per quem omnia, v. 10, per Christum, dignè et quantùm possibile est, glorificetur. In cruce Deus Deo, æqualis æquali, infinitus infinito sacrificatus est: ecce sacrificium Deo dignum: ecce Deus dignè, infinitè, et quantùm potest, glorificatus. Omnes simul creaturæ, Deo comparatæ, nihil sunt; omnia itaque creaturarum quarumcumque sacrificia, in comparatione Dei, nihil sunt, nihil propriè conferunt gloriæ Dei, at Christus est Deus, est æqualis Deo; hic autem Christus Deus, Deo sacrificatur: ecce tantus honorans quantus est Deus honoratus: ecce tanta victima quantus Deus cui immolatur: *Decuit eum...*; Christus igitur patiens, victima Deo decens, conveniens, digna Deo.

EX PARTE CHRISTI.

Decuit eum pati ut esset Pontifex fidelis ad Deum, v. 17.

Primò, fidelis pontificis est Deum, quantùm potest, honorare, illius gloriam zelare zelo sincero, et, si fieri potest, infinito. Decuit ergo Christum, sacerdotem fidelem, Dei gloriam infinito zelo zelantem, pati et sacrificari, ut suo zelo satisfaciens, Deum, quantùm potest, honoraret, et ut sacerdos et ut victima, ut sacerdos infinitus, et ut victima infinita; sacrificio igitur undequàque infinito, Deum infinitum, infinitè honoraret.

Secundò, fidelis pontificis est condolere populo, ejus apud Deum causam agere, pro peccatis ejus satisfacere, Deumque propitium reddere, v. 17; decuit ergo Christum Pontificem nostrum pati et mori pro peccatis nostris, ut in omni rigore divinæ justitiæ satisfaceret, et ut purgatione peccatorum nostrorum in sanguine suo factâ Deum nobis redderet propitium.

Tertiò, ad gloriam Christi decuit ut pateretur et moreretur; sic enim suam clariùs manifestavit potentiam, dùm per mortem destruit, frangit, enervat, et quasi fractis artubus, imponit rotæ, ipsum mortis principem, seu diabolum, v. 14.

EX PARTE NOSTRA.

Decuit pati Christum, primò, *ut misericors fieret*, id est, ut per miseriam addisceret misericordiam, eòque promptior fieret ad opitulandum, quò majores expertus est miserias; secundò, etiam eò propensior

esset in nos, quò majori nos pretio redemit : O anima tanti vales ! hinc et nostræ redemptionis pretium fert in manibus, latere et pedibus impressum : *His plagatus sum in domo eorum qui me diligebant*, Zach. 13, 6 ; tertiò, ut nos liberaret à timore passionum et mortis, v. 15.

Ante Christum nihil erat passionibus et morte horrendius et terribilius : ex quo Christus, Filius Dei, passus et mortuus est, passio facta est pretiosa, mors amabilis, teste D. Andreâ : *O bona crux, diù desiderata... Securus et gaudens venio ad te ;* testibus tot sanctis et martyribus qui passionem desiderârunt et mortem.

Christus patiens, omnes passiones nostras et mortem in suâ personâ sanctificavit, et quasi deificavit ; desiderabile, amabile reddidit et pretiosum, quod erat contemptibile, odibile et horrendum : nunc bonum et honorificum est cum Christo, viro dolorum, pati et mori.

Decuit ergo Christum pati et mori pro nobis, ut esset nobis in afflictionibus et morte exemplum patientiæ, solatium, fortitudo, et vita nostra. Quis adoptivus Dei filius non ferat libenti et forti animo quæ Christus, consubstantialis Dei Filius, ante nos, et pro nobis, in summo gradu pertulit ? *Per patientiam ergo curramus..., aspicientes in auctorem et consummatorem fidei Jesum*, cap. 12.

CAPUT III.

1. Unde, fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate apostolum et pontificem confessionis nostræ Jesum :

2. Qui fidelis est ei qui fecit illum sicut et Moyses in omni domo ejus.

3. Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quantò ampliorem honorem habet domûs, qui fabricavit illam.

4. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo : qui autem omnia creavit, Deus est.

5. Et Moyses quidem fidelis erat in totâ domo ejus tanquàm famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant :

6. Christus verò tanquàm filius in domo suâ : quæ domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.

7. Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus : Hodiè si vocem ejus audieritis,

8. Nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione, secundùm diem tentationis in deserto,

9. Ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt, et viderunt opera mea

10. Quadraginta annis ; propter quod infensus fui generationi huic, et dixi : Semper errant corde. Ipsi autem non cognoverunt vias meas :

11. Sicut juravi in irâ meâ : Si introibunt in requiem meam.

12. Videte, fratres, ne fortè sit in aliquo vestrùm cor malum incredulitatis, discedendi à Deo vivo ;

13. Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodiè cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati.

14. Participes enim Christi effecti sumus ; si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus :

15. Dùm dicitur : Hodiè si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodùm in illâ exacerbatione.

16. Quidam enim audientes exacerbaverunt, sed non universi qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen.

17. Quibus autem infensus est quadraginta annis ? nonne illis qui peccaverunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto ?

CHAPITRE III.

1. Vous donc, mes saints frères, qui avez part à la vocation céleste, considérez Jésus, qui est l'apôtre et le pontife de la religion que nous professons,

2. Qui est fidèle à celui qui l'a établi, comme Moïse lui a été fidèle dans toute sa maison.

3. Car il a été jugé digne d'une gloire d'autant plus grande que celle de Moïse, que celui qui a bâti la maison est plus estimable que la maison même.

4. Car il n'y a point de maison qui n'ait été bâtie par quelqu'un ; et celui qui est l'architecte et le créateur de toutes choses, c'est Dieu.

5. Quant à Moïse, il a été fidèle dans toute la maison de Dieu, comme un serviteur, pour annoncer tout ce qu'il lui était ordonné de dire :

6. Mais Jésus-Christ, comme Fils, a l'autorité sur sa maison ; et nous sommes nous-mêmes sa maison, pourvu que nous conservions jusqu'à la fin une ferme confiance, et une attente pleine de joie des biens que nous espérons ;

7. C'est pourquoi le Saint-Esprit a dit : Si vous entendez aujourd'hui sa voix,

8. N'endurcissez pas vos cœurs, comme il arriva dans le désert, au jour de la tentation, et dans la contradiction,

9. Où vos pères me tentèrent, où ils voulurent éprouver ma puissance, et où ils virent les grandes choses que je fis.

10. J'ai supporté ce peuple avec peine durant quarante ans ; et j'ai dit en moi-même : Ils se laissent toujours emporter à l'égarement de leur cœur ; ils ne connaissent point mes voies.

11. Aussi ai-je fait serment dans ma colère qu'ils n'entreront point dans mon repos.

12. Prenez donc garde, mes frères, que quelqu'un de vous ne tombe dans un déréglement de cœur et dans une incrédulité qui le sépare du Dieu vivant.

13. Mais exhortez-vous chaque jour les uns les autres, pendant que dure ce temps que l'Écriture appelle Aujourd'hui, de peur que quelqu'un de vous, étant séduit par le péché, ne tombe dans l'endurcissement ;

14. Car il est vrai que nous sommes entrés dans la participation de Jésus-Christ, pourvu que nous conservions inviolablement jusqu'à la fin le commencement de l'être nouveau qu'il a mis en nous,

15. Pendant que l'on nous dit : Aujourd'hui, si vous entendez sa voix, n'endurcissez pas vos cœurs, comme il arriva au lieu de la contradiction.

16. Car quelques-uns de ceux qui l'entendirent irritèrent Dieu par leurs contradictions ; mais cela n'arriva pas à tous ceux que Moïse avait fait sortir de l'Égypte.

17. Et qui sont ceux que Dieu supporta avec peine durant quarante ans, sinon ceux qui avaient péché, dont les corps demeurèrent étendus dans le désert ?

18. Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius, nisi illis qui incredùli fuerunt?

19. Et videmus quia non potuerunt introire propter incredulitatem.

18. Et qui sont ceux à qui Dieu jura qu'ils n'entreraient jamais dans son repos, sinon ceux qui n'obéirent pas à sa parole?

19. En effet, nous voyons qu'ils ne purent y entrer à cause de leur incrédulité.

ANALYSIS.

Ex Christi super angelos præcellentiâ, in primo et secundo capite ostensâ, sequitur ejusdem supra Moysem præeminentia : quia tamen apud Hebræos, etiam conversos, ingens erat Moysis auctoritas, hunc que legislatorem suum, angelis parem, aut fortassè superiorem arbitrabantur, ob mirabilia ab eo patrata, et ob singularem illius cum Deo familiaritatem, hinc in hoc tertio capite D. Paulus primò Christum Moysi comparat, deinde longè præfert : primò, quia Moyses pars tantùm, licèt præcipua, domûs Dei, Christus verò domûs illius architectus; secundò, quia Christus non tantùm Synagogæ auctor, sed et universi conditor : Moyses ergo ipse Christi creatura, et ideò cum Christo comparatus, quasi nihil; tertiò, Moyses famulus Dei, Christus Filius Dei; quartò, Moyses famulus in domo alienâ, seu Dei, Christus Dominus in suâ : hinc que Apostolus, v. 7, juxta scopum suum, hortatur Hebræos in reliquo capite, ut in fide Christi constanter perseverent, ne incredulitatis eorum fiat ultor.

Exemplum refert antiquorum Israelitarum, qui ob incredulitatem suam in deserto perierunt, à terrâ promissâ exclusi, v. 8, 9, 10, 11; hocque exemplo deterret Hebræos ne, si patrum suorum incredulorum imitatores, deficiant à fide Christi, à cœlesti hæreditate excludantur, v. 12.

Hoc ne contingat illis, vult ut mutuis et quotidianis semetipsos exhortationibus animent ad perseverantiam, v. 13.

Attendant ad gratiam in baptismo receptam; quæ à perseverantiâ pendet, v. 14.

Denique urget et instat in hunc psal. 94 versiculum : Hodiè si vocem ejus audieritis, nolite, etc.

PARAPHRASIS.

1. Quapropter, fratres, in sanguine Christi per baptismum sanctificati, et à Deo nobiscum ad cœleste regnum vocati, attendite quis et quantus sit Jesus Christus, Apostolus ac Pontifex evangelicæ fidei quam profitemur.

2. Qui hoc utrumque munus fideliter gessit, juxta Dei voluntatem, qui constituit illum legatum suum, et Pontificem nostrum; sicut Moyses in Scripturâ laudatur, quòd in totâ domo Dei, seu synagogâ, in quâ Deus habitabat, fuerit fidelissimus; Num. 12, 7.

3. Jesum, inquam, considerate, non Moysem, licèt Deo fidelem, quia tantò major est gloria Christi præ Moyse, quantò major est honor architecti qui domum ædificavit quàm ipsius ædificii.

4. Omnis siquidem domus ædificatur ab aliquo artifice, at qui rerum omnium artifex est, ut Christus, hic et Deus est, cum quo Moyses collatus, creatura, et ideò nihil.

5. Equidem Moyses in totâ domo Dei fideliter se gessit, non ut dominus, sed ut minister, qui bonâ fide Dei mandata populo Israelitico referebat.

6. Atverò Christus, ut Filius Dei, et ideò ut Pater et Dominus, suam ipsius familiam administrat; hæc Christi familia sumus nos Christiani, per fidem aggregati Ecclesiæ : dummodò usque ad finem vitæ perseveremus in apertâ et gloriabundâ fidei et spei professione; non enim qui incœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

7. Quapropter eâ nunc voce vos admoneo, quâ Spiritus sanctus ore Davidis admonuit patres vestros : Hodiè si vocem Christi Dei audieritis,

8. Ne obduretis corda vestra, sicut fecerunt patres vestri in loco qui propterea vocatus est *Meribah*, exacerbatio, in die tentationis illius famosæ, quæ et loco dedit nomen *Massah*, tentatio.

9. Ubi, inquit idem Spiritus Dei, patres vestri, post tot potentiæ meæ visa miracula, me tamen diffidentes tentaverunt, explorârunt quid agere possem, et potentiæ meæ miracula viderunt.

10. Propter hanc, et tales alias eorum in me diffidentias et incredulitates, quadraginta annis offensus fui generationi illi, et intrà me dixi : Semper aberrat horum cor vagum, suas sequens cupiditates, et non curans de viis à me præscriptis.

11. Et hanc ob causam iratus juravi eos non ingressuros terram, in quâ promiseram illo requieturos.

12. Hujus patrum vestrorum incredulitatis punitionem attendentes, videte, fratres, ne sit in aliquo vestrûm cor malum, obnoxium incredulitati, quæ vos à Deo vivo per apostasiam avertat.

13. Quin potiùs, hoc ne fiat unquàm, mutuis et quotidianis hortationibus vosmetipsos animate ad fortiter perseverandum in fide Christi, quamdiù hodiernus hujus vitæ dies decurrit, ne contingat aliquem vestrûm, fallacibus seductum illecebris peccati, obdurescere.

14. Per baptismum quidem insiti sumus corpori Christi, ipsius spiritûs et gratiæ participes, jus habentes ad æternam illius gloriam; at mementote quòd hæc omnia pendent à fide, per quam Christo quasi consubstantiati sumus, et in eo deificati; hanc itaque salutis nostræ basim, firmam et inconcussam retineamus usque in finem.

15. Fidem, inquam, nostræ felicitatis fundamentum, servemus, et in eâ semper proficiamus, donec nobis dicitur : Hodiè si vocem ejus audieritis; hanc Dei vocem audiamus eique obediamus, ne contingat nobis quod patribus nostris, divinæ voci inobedientibus, quos Deus exacerbatus exclusit à requie promissâ.

16. Quidam enim eorum, auditâ voce Domini, non

obedierunt, suâque inobedientiâ Deum ad indignationem in se provocârunt : non tamen id fecerunt omnes qui ex Ægypto profecti fuerant sub Moysis ducatu, et ideò Deus non fuit iratus in omnes.

17. Quibus ergo per quadraginta annos indignatus est? Nonne illis qui murmurando, Deum tentando, et in ipsum non fidendo, peccaverunt, qui propterea perierunt in deserto, eorumque cadavera, præ multitudine, ibi jacuerunt insepulta?

18. Quibus autem iratus juravit eos non ingressuros in terram quietis et abundantiæ quam eis promiserat? Nonne illis qui divinis ejus de hâc requie promissionibus non crediderunt, sed vociferantes, flentes, et murmurantes dixerunt : Revertamur in Ægyptum? Num. 14, v. 1, 2, 3, 4.

19. Et reverà in Scripturis videmus quod illi propter incredulitatem et diffidentiam suam non potuerunt in terram eis promissam intrare, decreto Dei peremptorio prohibente.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Unde ; Syr., *proinde ; Æthiop., nunc,* id est, propter omnia hactenùs de Christo dicta primo et secundo cap., et speciatim *in fine secundi* capitis.

Fratres, tum cognatione Abrahæ, tum fide Christi.

Sancti, id est, per baptismum in Christi sanguine sanctificati.

Vocationis cœlestis. Græc., *supercœlestis* participes, id est, gratuitâ Dei misericordiâ ad regnum cœleste, sicut et nos vocati.

Considerate ; benè et seriò attendite, ut, quâ par est, reverentiâ colatis,

Jesum, id est, Filium Dei, splendorem gloriæ, etc., cap. 1.

Confessionis nostræ, id est, fidei, seu religionis, quam profitemur.

Apostolum, id est, doctorem, prædicatorem, qui ejus prædicandæ gratiâ missus est à Deo Patre, ad omnes quidem, et speciatim ad vos, ô Hebræi : *Ad oves quæ perierunt domûs Israel,* Matth. 15, 24.

Et pontificem, id est, qui eam proprio sanguine sancivit. Moyses Dei fuit ad Judæos legatus ; Aaron fuit eorum summus sacerdos ; Christus Jesus, Dei Filius et Deus ipse, solus nobis quod Moyses et Aaron Judæis, at longè sublimiùs, ut videbitur ; Christus ergo Dei Filius et Deus ipse, Dei legatus ad nos, Apostolus, Doctor, Legislator noster : ipse Pontifex qui seipsum victimam obtulit Deo Patri pro nobis, quique nos proprio cruore sanctificat : ipse solus auctor et consummator fidei nostræ. Hæc et tu, juxta mentem D. Pauli, sæpè et seriò cogita. Attende quis et quantus Jesus Christus, ut eum ardentiùs ames, adores et colas : attende quæ et qualis religio, quæ talem habet Apostolum et Pontificem, ut eam, sicut par est, æstimes, diligas, observes, ore, corde, opere.

Hìc non omittendam puto D. Anselmi animadversionem : Meritò Paulus illis se non scripsit apostolum, *quibus nunc Jesum nominat Apostolum.*

Vers. 2. — Qui fidelis est ei, id est, Deo, qui fecit, id est, constituit illum tum legatum suum, tum summum Pontificem nostrum, seu qui utrumque munus fideliter juxta Dei voluntatem gessit.

Sicut et Moyses, supple, fidelis fuit : in omni domo ejus, id est, in administratione illi commissâ populi Judaici, seu synagogæ, quæ erat domus seu familia Dei, in quâ habitabat : *Habitabo in medio filiorum Israel.*

De Moyse scriptum est, Num. 12, v. 7 : *In omni domo meâ fidelissimus est.* Ad hoc elogium D. Paulus attendit, illudque tribuit Christo ; Christum ergo cum Moyse comparat, statim illum Moysi prælaturus.

Vers. 3. — Amplioris enim... Dat rationem, cur dixerit v. 1 : *Considerate Jesum*, non verò Moysem, licèt Deo fidelissimum. Hebræos Moysi addictiores avellit à Moyse, ut ad Christum omninò transferat.

Iste enim, id est, quia Christus, *amplioris* gloriæ, id est, tantò ampliori, seu majori gloriâ, præ Moyse, dignus est habitus,

Quanto ampliorem honorem habet domus, in genitivo, more Græcorum, pro ablativo, domo. Syr. : *Longè enim amplior est hujus gloria quàm Moysis, ut et longè amplior est honor ejus qui ædificavit domum quàm ipsius ædificii.*

In hoc ergo Christus supra Moysem excellit : primò, quòd Moyses erat pars domûs, seu familiæ Dei, id est, synagogæ, Christus verò supra familiam, utpote synagogæ et Ecclesiæ fundator, imò et universi conditor, ut in versu sequenti :

Vers. 4. — Omnis namque domus fabricatur ab aliquo, artifice seu architecto.

Vers. 1. — *Unde, fratres sancti, vocationis cœlestis participes.* Dicit autem cœlestis vocationis participes, quòd ad hæreditatem regni cœlestis à Deo vocati sint, non quomodòcumque, sed vocatione efficaci per fidem in Christum.

Considerate Apostolum et Pontificem confessionis nostræ Jesum. Apostolum, id est, legatum Dei, quem scilicet Deus legavit ad homines, maximè Hebræos, ut eos doceret et Deo reconciliaret. *Apostolum et Pontificem nostræ confessionis,* id est, fidei, seu doctrinæ, quam nos profitemur.

Vers. 2. — *Qui* (Jesus Christus) *fidelis est ei qui fecit illum,* scilicet apostolum et pontificem. Christus ergo fidelis Deo fuit apostolus, quia fideliter nuntiavit hominibus Dei voluntatem et leges : fuit fidelis pontifex, quia fideliter redemptionem et expiationem nostrorum peccatorum, etiam cum vitæ suæ dispendio peregit.

Sicut et Moyses in omni domo ejus, id est, in populo Judaico, qui est domus, id est, Ecclesia, in quâ habitat et colitur Deus creator.

Vers. 3. — *Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus,* etc. Christus est fabricator domûs, id est, Ecclesiæ Dei, Moyses autem in eâ tantùm fuit famulus et minister Dei.

Vers. 4. — *Omnis namque domus fabricatur ab*

QUI AUTEM OMNIA CREAVIT. Græc., *construxit*, seu ædificavit : eodem verbo, quod prius translatum est, *fabricatur*, id est : Qui autem omnia prorsùs quæ sunt in mundo fecit, et consequenter synagogam et Ecclesiam, et omnes illarum partes, quantùmlibet eximias, hic DEUS EST. Subintellige : Atqui, ut in primo capite, v. 2, dixi, Christus est omnium creator; ergo et synagogæ, et ipsius Moysis; tantò ergo Moyse excellentior, quantò architectus est præstantior et domo et omni domûs lapide, quamvis præcipuo.

Secundò, excellit Christus supra Moysem in eo quòd Christus est universi et consequenter Moysis creator, et Moyses Christi creatura, et ideò Moyses cum Christo collatus, quasi nihilum est, à Christo dependens in esse et conservari, etc.

VERS. 5. — ET MOYSES QUIDEM FIDELIS ERAT... Vide citatum locum Num. 12, 7. TANQUAM FAMULUS, id est, minister, servus Dei.

IN TESTIMONIUM EORUM... : Ut Dei mandata populo Israelitico annuntiaret, non verò ut populum auctoritate suâ regeret; Moyses enim nec castra, nisi Dei jussu, movebat.

VERS. 6. — CHRISTUS VERO TANQUAM FILIUS, id est, Dei et quidem naturalis, et ideò Deus et Dominus, sicut Pater ipse,

IN DOMO SUA. Syr., *super domum suam*, id est : Familiæ à se genitæ imperat, ut pater et dominus; tertiò itaque excellit Christus supra Moysem, quia Moyses famulus Dei, Christus verò Filius Dei; quartò, quia Moyses famulus fidelis quidem, at in domo alienâ, scilicet Dei, Christus Dominus in suâ. Hæc hucusque dicta sunt ut Hebræos à Moyse avulsos transferat penitùs ad Christum; in sequentibus verò verbis est tacita exhortatio ad retinendam Christi fidem; sensim ergo sine sensu transit Apostolus ad scopum suum, scilicet exhortatur ad perseverantiam, in quâ exhortatione persistit usque ad finem cap. 4.

QUÆ DOMUS SUMUS NOS. Græc., *cujus domûs*, id est, quæ Christi domus sumus nos Christiani; per fidem enim Christus habitat in cordibus nostris :

SI FIDUCIAM. Græc., παῤῥησίαν, Syr., *apertam faciem*, id est, si intrepidam fidei professionem,

ET GLORIAM. Græc., *gloriationem* SPEI, id est, speratæ salutis æternæ : *Gloriamur in spe gloriæ*, etc., Roman. 5, 2.

aliquo, etc. Qui omnia quæ sunt in rerum naturâ fabricavit et creavit, Deus est, ac proinde Christus, quasi creator et Deus, longè nobilior est Moyse, qui cum aliis est Christi creatura, ita Theoph.

VERS. 5. — *Et Moyses quidem fidelis erat*, Moyses testimonium perhibuit verbis Dei, sive iis quæ ex parte Dei dicenda erant populo, quæque Deus Moysen populo dicere et denuntiare volebat.

VERS. 6. — *Christus verò tanquàm filius in domo suâ*. Christus tanquàm filius præest domui ejus, scilicet Dei Patris, eamque ut dominus administrat, cùm Moyses in eâ tantùm fuerit famulus.

Quæ domus sumus nos, id est, quæ domus, puta Ecclesia Dei, sumus nos.

Si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus. Fiduciam, id est, libertatem, per quam

FIRMAM. In Græco refertur *ad fiduciam*, cùm sint ejusdem fem. gen.; καύχημα, neutrius. Sensus ergo est : Si intrepidè, lætanter et gloriabundè in fidei professione, usque ad finem vitæ perseveremus, ita ut nec minis nec suppliciis à fide et spe futurorum bonorum avellamur. Aliàs enim ex hâc Christi domo, seu Ecclesiâ, excludemur, sicut olim rejecti sunt quidam increduli.

VERS. 7. — QUAPROPTER, id est, et quia estis de familiâ Christi, et quia ad hunc servandum honorem constanter vobis in fide perseverandum est, vos nunc alloquor.

SICUT DICIT SPIRITUS SANCTUS, ore Davidis patres nostros alloquentis :

HODIÈ SI VOCEM EJUS, id est, Christi Dei, gratiâ suâ vobis loquentis intùs AUDIERITIS,

VERS. 8. — NOLITE OBDURARE CORDA VESTRA, contra hanc vocem, id est : Ne sitis ei vestrâ infidelitate et inobedientiâ rebelles.

SICUT, patres vestri sua obduraverunt corda,

IN EXACERBATIONE, id est, in loco qui dictus est exacerbatio, *Meribah*, *jurgium*, quia ibi contra Moysem jurgantes Deum exacerbaverunt,

SECUNDUM DIEM TENTATIONIS, id est, in die, seu tempore tentationis illius famosæ quæ et loco nomen dedit *Massah*, *tentatio*.

IN DESERTO, juxta petram Horeb, ex quâ Moyses, jussu Dei, aquam eduxit virgæ percussione. Locus ille vocabatur Raphidin, sed quia ibi Judæi sitientes, magnis jurgiis aquam à Moyse petentes, Deum exacerbaverunt, Deumque tentaverunt, dicentes : *Estne Dominus in nobis aut non?* propterea vocatus est exacerbatio et tentatio, vide Exod. 17.

VERS. 9. — UBI TENTAVERUNT ME...; subintellige : *Ait Dominus;* hìc enim propheta Deum loquentem inducit : ubi patres vestri, licèt tot et tanta vidissent meæ protectionis et potentiæ miracula, tamen ex diffidentiâ dixerunt me tentantes : *Estne Dominus in nobis?* etc.

PROBAVERUNT. Græc., *me*, id est, voluerunt examinare, experiri quid agere possim,

ET VIDERUNT OPERA MEA, id est, potentiæ meæ miracula, quadraginta annis, id est, per quadraginta annos. Hæc verba Græcus textus et Syriaca versio jungunt cum præcedentibus, quæ Vulgata jungit sequentibus; sed in re parùm refert cui versui jungan-

intelligit liberam et intrepidam fidei professionem, ut nec minis, nec pœnis, à fide Christi avellamur. *Gloriam*, id est, gloriationem spei, gloriationem quâ in spe nostrâ firmi et animosi de eâdem gloriamur, inquit Chrysost.

VERS. 7. — *Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus*, etc. *Ejus*, scilicet Christi.

VERS. 8. — *Nolite obdurare corda vestra*, sed molli corde excipite dicta illius, illi obedite, nec ullo pacto ab eo descìscite. *Sicut in exacerbatione secundùm diem tentationis in deserto.* Per quadraginta annos murmurantes et rebellantes, tam contra Mosen quàm contra me.

VERS. 9, 10. — *Ubi tentaverunt me patres... Quadraginta annis : propter quod infensus fui generationi huic*; q. d. : Proximus fui, scilicet ut hostis ad ulciscendum et puniendum duros et rebelles Judæos,

tur, quia verum est, et quòd quadraginta annis Judæi viderunt opera Dei mirabilia, et quòd Deus quadraginta annis fuit Judæis semper incredulis et rebellibus offensus. Reverà Græcus textus qui hìc *quadraginta annis* jungit cum uno, v. 17 jungit cum altero.

VERS. 10. — QUADRAGINTA ANNIS; PROPTER QUOD : Græc., *ideò*, id est, ob hanc et tales alias eorum diffidentias et incredulitates; nam fuerunt frequentes et quasi continuæ.

OFFENSUS FUI : Syr.; *Tædium mihi fuit in generatione illâ*, id est, me pertæsum est eorum, scilicet Judæorum illius ætatis : displicuit mihi generatio illa.

In psalterio Romano ex antiquâ versione habetur : *Proximus fui*, id est, imminens eorum tergo et manu quasi extensâ ad percutiendum.

ET DIXI intra me : SEMPER HI ERRANT CORDE, id est : Vagum cor eorum semper aberrat, suas cupiditates sequens.

IPSI VERO NON COGNOVERUNT, non curant de viis à me præscriptis.

VERS. 11.— JURAVI : Græc., *ut juravi*; Syr., *ita ut juraverim*, id est, quibus iratus juravi :

SI INTROIBUNT..., supple : *Habear mendax*, non sim Deus, aut aliud simile, si ingrediantur in terram promissam.

VERS. 12. — VIDETE, FRATRES : Syr., *cavete igitur*,

NE FORTÈ : Græc., *ne quando*; quasi diceret : Ne fortè tale quid vobis contingat quod patribus vestris; *videte fratres*, NE SIT IN ALIQUO VESTRUM COR MALUM et incredulum quale fuit in illis, quod vos faciat per apostasiam discederet,

A DEO; qui enim Christum deserit, et Deum deserit; tùm quia Christus est Deus; tum quia qui negat Filium, negat et Patrem, qui tot miraculis probavit Christum à se missum, Joan. 6, 27; 1 Joan. 2.

A Deo vivo. Non sine causâ hoc additum ab Apostolo, sed ut indicet horrendum esse à Deo semper vivente discedere, sicut alibi dixit, horrendum esse peccatori in manus Dei viventis incidere; qui enim vivit, semperque vivit, semper potest punire peccatorem qui eum offendit, et apostatam qui ab eo discessit. Non est Deus vivus, ut dii gentium mortui.

VERS. 13. — SED ADHORTAMINI VOSMETIPSOS : Græc., *alii alios*, id est : ut infidelitatem caveatis, mutuis et quotidianis, seu continuis adhortationibus animate vosmetipsos ad constanter perseverandum in fide Christi;

DONEC HODIÈ..., id est, donec hodiernus dies hujus vitæ decurrit.

UT NON OBDURETUR... : Ne contingat aliquem vestrùm suâ incredulitate et inobedientiâ obdurescere,

FALLACIA PECCATI, id est, fallacibus illecebris peccati deceptum.

Pondera hoc *hodiè*, totum vitæ nostræ tempus dies est hodierna, quâ vocamur à Deo, quâ tempus est audiendi Deum; at *hodiè* est, præsens tantummodò certum habemus, crastinum fortassè non habituri. Hinc Christus nos admonet, Joan. 9 : *Ambulate dùm dies est; quia venit nox, in quâ nemo potest operari.*

Christe Jesu, hanc veritatem cordi meo sic imprime, ut *hodiè*, nunc, sine morâ, verè tibi serviam, totus tibi et cum fervore serviam!

Ad hunc excitandum fervorem, dic quotidiè : *Hodiè*, hoc fortè tantùm die, Deo serviam, *venit nox*, etc. Operemur ergo bonum, dùm dies est : ecce nox venit, in quâ non potero ampliùs unquàm operari.

VERS. 14. — PARTICIPES ENIM CHRISTI..., Syr. : *Nam commixti sumus Christo*, id est, per baptismum insiti sumus Christo;

SI TAMEN INITIUM SUBSTANTIÆ EJUS... Quid est initium substantiæ ejus? ait D. Chrysostomus. Fides, per quam constitimus et geniti sumus, et, ut ita dicam, consubstantiati. Idem D. Chrysostomus. Fides, per quam Deus existit in nobis, per quam deificamur et divinæ substantiæ participamus, ait S. Anselmus. Fides igitur est *initium substantiæ*, seu subsistentiæ Christi in nobis, et est initium nostræ subsistentiæ spiritualis in Christo; seu est initium nostræ justificationis, quâ facti sumus nova in Christo creatura.

Observatio moralis.

Insiti sumus igitur Christo, si tamen fidem, per quam incœpimus subsistere in Christo, et Christus in nobis, usque ad finem vitæ, firmam et inconcussam retineamus; quasi diceret : In vestris adhortationibus mutuis rememoramini sæpè dignitatis per baptismum susceptæ : Christi facti estis membra, filii, fratres, ipsi uniti estis, unum corpus cum ipso effecti; ipsius consequenter Spiritûs et gratiæ participes, jus ad æternam illius gloriam habentes : at hæc omnia pendent à fide, quæ basis est et fundamentum nostræ

hoc enim idem est quod infensus fui; *et dixi* : *Semper errant corde*, etc., id est, recordes sunt et dementes, et insaniunt, ut non cognoscant vias meas, id est, mandata mea, quibus quasi viis ad me et ad salutem suam insistant et contendant.

VERS. 11. — *Sicut juravi in irâ meâ*, id est, quibus juravi : *Si introibunt in requiem meam.* Per requiem intellige terram promissam, scilicet Chanaan, in quam induxit eos Josue. Requies æterna in cœlis adumbrata per Chanaan, in quam inducit nos Jesus.

VERS. 12, 13. — *Videte, fratres.....*, *sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies*, ad perseverandum in fide, in spe, et in persecutionum tolerantiâ, quasi generosi milites et athletæ Christi. *Donec hodiè cognominatur*, id est, donec vivitis. *Hodiè* significat tempus præsens vitæ, gratiæ et pœnitentiæ, quod cuique datur. Quamdiù enim spiramus et vivimus, est *hodiè*. Quamdiù licet audire, credere et converti, est *hodiè*.

Ut non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati, id est : Ne illecebris peccatorum fallacibus capti obdurescatis ad vocem Dei.

VERS. 14. — *Participes enim Christi effecti sumus*, q. d. : Christo tanquàm corpori et capiti nos quasi partes et membra insiti sumus, per fidem, baptismum et gratiam. Commixti sumus cum Christo, Christo concorporati, ac consequenter vitæ, gratiæ, gloriæ et hæreditatis Christi participes facti sumus.

Si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus. Si tamen susceptam semel fidem, per quam in viâ hâc spirituali subsistimus (aut quæ est substantia, id est, basis et fundamentum salutis

salutis ; hæc omnia nobis sub conditione data sunt : si perseveremus in fide ; vestræ igitur dignitatis memores, fidem servate.

Tanta bona ne perdamus pro tantillis, pro nihilo, duo nobis sæpè consideranda : primum, nostra in Christo dignitas, jus quod in ipso et per ipsum habemus ad futuram beatitudinem ; secundum, terrenorum parvitas, caducitas, inanitas. Pro rebus tantillis, tam caducis, tam inanibus, ne solida, immensa, æterna Dei bona perdamus. O vanitas ! ô veritas ! ô brevitas ! ô æternitas ! ô nihil ! ô totum et omne bonum!

Vers. 15. — Dum dicitur : Hodiè si vocem ejus audieritis.... id est : Fidem, inquam, retinete, quamdiù dicitur vobis : *Hodiè si vocem ejus audieritis :* hanc Dei vocem audite, eique obedite ; et ne sitis ei rebelles, sicut patres vestri in loco qui dictus est exacerbatio, ne cras sileat in æternum, et exacerbatus vos excludat ab æternâ requie, sicut illos obduratos et rebelles exclusit iratus à requie in terrâ illis promissâ.

Vers. 16. — Quidam enim audientes... vocem Dei ; illi non obedierunt, sed suâ inobedientiâ et obduratione Deum exacerbaverunt, id est, ad iram provocaverunt ; vide Num. 14, 26 ;

Sed non universi.... ; nec enim Josue, nec Caleb, nec levitæ, nec mulieres, nec qui vigesimum annum non attigerant, ubi numeratus est populus, Num. 1. Et isti omnes simul collecti, licèt pauci in comparatione inobedientium qui Deum exacerbaverunt, revcrà tamen sunt quamplurimi et turba magna, quorum debetis exempla sequi et mercedem sperare.

Vers. 17. — Quibus autem infensus est ; Syr. : *Quos pertæsus est*, id est, quibus iratus est Deus ?

Nonne illis qui peccaverunt, murmurando, jurgando, Deo detrahendo, et ipsi non fidendo ? vide Num. 14, v. 1, 2, 3.

Quorum cadavera..., et qui propterea perierunt in deserto, eorumque cadavera, præ multitudine, jacuerunt insepulta. Num. 14, v. 29 et 32.

Vers. 18. — Quibus autem juravit.... ; Syr. : *De quibus autem juravit eos non ingressuros* in requiem suam, id est, in terram quietis et abundantiæ quam illis promiserat,

Nisi illis qui increduli fuerunt, scilicet divinis ac spei nostræ), firmam et inconcussam retineamus usque ad exitum vitæ.

Vers. 15. — *Dùm dicitur : Hodiè si vocem ejus audieritis*, etc. Hortor vos ut fidem constanter retineatis usque ad finem, hoc est, dùm dicitur, seu quamdiù dicitur nobis : *Hodiè si vocem*, etc., donec Hodiè cognominatur, id est, hâc vitâ durante.

Vers. 16. — *Quidam enim audientes exacerbaverunt*, etc., id est, ductore Moyse. Quia non Josue, non Caleb, non parvuli, non mulieres, non levitæ ; hi enim non murmuraverunt contra Moysen, nec exacerbârunt Deum, ideòque uti culpæ, ita et pœnæ expertes fuerunt, salvique et incolumes ingressi de hâc requie promissionibus ? Vide Num. 13, 14.

Vers. 19. — Et videmus, in Scripturis, Num. 14, 28, quia non potuerunt, eos Deo puniente, introire in terram promissam, quia Deo increduli fuerunt.

Horum ergo incredulorum et divinæ voci rebellium exempla ne sequamini, sed eorum qui, nullis adversis territi, fidem et spem firmam retinuerunt.

Nota litteralis in v. 16, 17, etc.

In totâ hâc Scripturâ, sic explicatâ, omnia, ut mihi videtur, satis cohærent, et rectà juxta D. Pauli scopum et mentem procedunt. Non arbitror itaque necessarium Scripturam hanc invertere, et ex negativâ in affirmantem commutare, sicut auctor modernus, qui, super aliqua Theodoreti verba fundatus, asserit versum decimum sextum non legendum cum nostrâ Vulgatâ : *Quidam enim*, etc., sed per interrogationem : *Quinam enim*, etc. ; deinde non dicendum enuntiativè cum Vulgatâ : *Sed non universi*, etc., sed per similem interrogationem respondendum : *Nonne universi*, etc. ; quod et dissertatione satis amplâ conatur astruere. Sed ad nostram Vulgatam servandam sufficit mihi, primò, ipsa Vulgatæ nostræ auctoritas ; secundò, textûs Græci et omnium prorsùs versionum, Syriacæ, Arabicæ et Æthiopicæ, cum nostrâ Vulgatâ conformitas ; tertiò, omnium ominò interpretum Græcorum et Latinorum in hoc consensus, si fortè Theodoretum excipias. Dico si fortè, quia et ipse Gentianus Hervetus, Theodoreti traductor, posuit : *Sed non universi*, etc.

Quidquid ergo sit, si hæc fuit Theodoreti mens, sanè fuit singularis, et ideò non tenenda, et non præ ferenda textui, versionibus et omnium aliorum interpretationibus.

Sed, inquit, sensus erit planior et sub eâdem figurâ hic et duo sequentes versus procedent. Si hæc ratio valeat ac sufficiat, quid non immutabimus in Scripturâ ?

Instat : Sensus erit nervosior et aptior ad terrendum. — Sed timeo ne foret durior et aptior ad desperandum.

Rursùs urget : D. Paulus vult Hebræos incredulos terrere. — Fateor, sed ita ut fidelibus spes salutis affulgeat, et in desperationem non inducat.

sunt terram promissam Chanaan, Numerorum. 14.

Vers. 17, 18. — *Quibus autem infensus est quadraginta annis...? Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius*, etc. ; sensus est : Nisi iis qui post tot et tanta potentiæ divinæ signa exhibita nondùm sibi in animum induxerunt ut promissis Dei crederent ?

Vers. 19. — *Et videmus*, etc. ; q. d. : Uti juravit et comminatus est Deus, ita reipsà executus est, etc. ; q. d. : Idem nobis eveniet, ut, nisi Deo minanti obtemperemus, ipsique credamus et fidamus, reipsà excludamur cœlo.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

EX DIVO PAULO.

Fides est omnium bonorum initium, basis et fundamentum. Infidelitas è contra est omnium malorum caput et origo. Hinc, ex D. Paulo, nihil ita sollicitè servandum, ac fides; nihil tam horrendè fugiendum quàm infidelitas. In his duobus suadendis totus est Apostolus in hoc cap. 3.

BONA FIDEI.

Ut sollicitam fidei conservationem suadeat, exhibet nobis bona quæ per fidem habemus: Dei et Christi domus et habitatio sumus, v. 6: Christo sumus incorporati, consubstantiati, et in eo quasi deificati; ejus Spiritûs et gratiæ sumus participes; ad omnia quæ Christi sunt jus habemus, v. 14. Hoc itaque Christi substantiæ initium, hoc jus ad omnia Christi bona sollicitè servemus, augeamus, perficiamus.

INFIDELITATIS MALA.

Ut horrorem nobis incutiat de infidelitate, indicat quid illa sit in tempore, et quid efficiat in æternitate, v. 13: Infidelitas est cordis humani discessus à Deo vivo; et hoc est omnium malorum initium: infidelitas efficiet ut homo in æternum à Deo vivo rejiciatur: *Discedite, à me maledicti*, 19; et hoc erit omnium malorum consummatio. Hanc igitur horreamus utramque à Deo vivo, omnique bono, separationem, illiusque causam, infidelitatem. Infidelitas in tempore est hominis à Deo vivo discessus; infidelitas erit per totam æternitatem hominis à Deo vivo repulsa: Discede à me in æternum, qui à me in tempore discedere voluisti.

HUJUS FIGURA.

Hoc ut sensibiliùs concipiamus, profundiùs imprimamus in mente, et nunquàm obliviscamur; hoc inquam, D. Paulus nobis exhibet in exemplo, in veteribus scilicet Israelitis qui sub Moysis ducatu ex Ægypto exierunt, ut in terram à Deo sibi promissam irent: Post duorum annorum iter, huic desideratæ terræ appropinquabant, in eam statim ingressuri; at quia de Deo diffidentes, et in eum incredeli, Deum deserere, et in Ægyptum voluerunt regredi, à Deo illis irato repulsi sunt; in hanc quietis terram non introierunt, sed in deserto perierunt, peremptorio Dei decreto.

Omnia in figurâ contingebant illis; hæc ergo nostrî, et nobis contingendorum figura sunt, si Deo ingrati fuerimus et incredeli. Isti viatores in deserto, Christianorum per fidem ambulantium, et ad æternam quietem tendentium figura sunt; illorum incredulitatis punitio temporalis, nostræ, si fuerimus infideles, punitionis æternæ figura. Illis incredulis Deus dixit iratus: *Si introibunt in requiem meam;* nobis infidelibus dicet Christus iratus: *Discedite à me*, etc. Omnes illi incredeli morte temporali puniti sunt, sic qui Christo non credunt, morte punientur æternâ.

Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam. Da mihi credere mente, corde, opere: infidelis enim est, qui moribus et vitâ paganus est.

PRAXIS.

Hoc ne contingat nobis, Ecclesia quotidiè terribilem hanc Judæorum incredulorum punitionem exhibens ob oculos, dicit: *Hodiè si vocem ejus audieritis*, etc., *nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione*, etc.; hæc ergo verba audiens, recordare hujus tremendæ Judæorum punitionis; at recordare et tuæ futuræ multò majoris, si fueris infidelis et ingratus.

Quò majora sunt Dei in nos quàm in Judæos beneficia, eò enormior est ingratitudo nostra, et ideò terribilior erit et punitio. Illis dictum est: *Si introibunt in requiem meam;* nobis dicetur: *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum.*

CAPUT IV.

1. Timeamus ergo ne fortè relictâ pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse.

2. Etenim et nobis nuntiatum est, quemadmodùm et illis; sed non profuit illis sermo auditûs, non admixtus fidei ex iis quæ audierunt.

3. Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus: quemadmodùm dixit: Sicut juravi in irâ meâ: Si introibunt in requiem meam; et quidem operibus ab institutione mundi perfectis.

4. Dixit enim in quodam loco de die septimâ sic: Et requievit Deus die septimâ ab omnibus operibus suis.

5. Et in isto rursùm: Si introibunt in requiem meam.

6. Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, et ii quibus prioribus annuntiatum est non introierunt propter incredulitatem,

CHAPITRE IV.

1. Craignons donc que, négligeant la promesse qui nous est faite d'entrer dans le repos de Dieu, il n'y ait quelqu'un d'entre vous qui en soit exclus.

2. Car on nous l'a annoncée aussi bien qu'à eux; mais la parole qu'ils entendirent ne leur servit de rien, n'étant pas accompagnée de la foi dans ceux qui l'avaient entendue.

3. Pour nous qui avons cru, nous entrerons dans ce repos, selon qu'il est dit: J'ai juré dans ma colère qu'ils n'entreront point dans mon repos, repos où il est entré après avoir achevé ses ouvrages dans la création du monde.

4. Car l'Écriture, parlant du septième jour, dit en quelque endroit: Dieu se reposa le septième jour, après avoir achevé ses œuvres.

5. Et il est dit encore ici: Ils n'entreront point dans mon repos.

6. Puis donc qu'il faut que quelques-uns y entrent, et que ceux à qui la parole en fut premièrement portée n'y sont point entrés à cause de leur incrédulité,

7. Iterùm terminat diem quemdam, Hodiè, in David dicendo, post tantùm temporis, sicut supra dictum est : Hodiè si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.

8. Nam si eis Jesus requiem præstitisset, nunquàm de aliâ loqueretur posthàc die.

9. Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei.

10. Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut à suis Deus.

11. Festinemus ergo ingredi in illam requiem : ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.

12. Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritûs, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis.

13. Et non ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo.

14. Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum filium Dei, teneamus confessionem.

15. Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.

16. Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

7. Dieu détermine encore un jour particulier qu'il appelle Aujourd'hui, en disant, tant de temps après, par la bouche de David, ainsi que je viens de le dire : Aujourd'hui si vous entendez sa voix, n'endurcissez pas vos cœurs.

8. Car si Josué les avait établis dans ce repos, l'Écriture n'aurait jamais parlé d'un autre jour postérieur.

9. Ainsi il est réservé un autre sabbat au vrai peuple de Dieu.

10. Car celui qui est entré dans le repos de Dieu se repose aussi lui-même, en cessant de travailler, comme Dieu s'est reposé après ses ouvrages.

11. Hâtons-nous donc d'entrer dans ce repos, de peur que quelqu'un ne tombe dans une désobéissance semblable à celle de ces incrédules.

12. Car la parole de Dieu est vivifiante et efficace, et elle perce plus qu'une épée à deux tranchants : elle entre et pénètre jusque dans les replis de l'âme et de l'esprit, jusque dans les jointures et dans les moelles ; et elle démêle les pensées et les mouvements du cœur.

13. Nulle créature ne lui est cachée; car tout est à nu et à découvert devant les yeux de celui dont nous parlons.

14. Ayant donc pour grand pontife Jésus, Fils de Dieu, qui est monté au plus haut des cieux, demeurons fermes dans la foi dont nous avons fait profession.

15. Car le pontife que nous avons n'est pas tel qu'il ne puisse compatir à nos faiblesses; mais il a éprouvé comme nous toutes sortes de tentations, hormis le péché.

16. Allons donc nous présenter avec confiance devant le trône de sa grâce, afin d'y recevoir miséricorde, et d'y trouver le secours de sa grâce dans nos besoins.

ANALYSIS.

Hortatur Hebræos ut caveant, ne, sicut antiqui Israelitæ, ob infidelitatem suam, à requie sibi promissâ fuerunt exclusi, sic et ipsi, ob incredulitatem, ab æternâ requie ad quam vocati sunt arceantur. Nobis etenim Christianis, sicut et illis Israelitis, bonum de requie nuntium datum est : at sicut eis non profuit tale nuntium, auditum, et non creditum, sic nec nobis proderit Evangelium audiisse, nisi credamus et obediamus illi, v. 1, 2. *Atverò si crediderimus, ingrediemur in requiem à quâ excluduntur infideles ; requiem, dico, non sabbati, v.* 3, 4, *non Palæstinæ, v.* 7, 8, *sed æternæ beatitudinis, v.* 9. *Ad hanc nos Deus vocat toto vitæ nostræ tempore, quæ dies est ; v.* 7. *Et hæc æterna requies, benè per sabbatum figurata fuit, quia cessatio est ab omni labore, v.* 10.

Festinemus ergo in illum requiem ingredi, credamus et obediamus Evangelio, ne cum incredulis pereamus, v. 11. *Horrendum enim erit Christo, Verbo Dei, Apostolo nostro, non credidisse, et ei, ut Judici, fidei et vitæ rationem reddere. Quia vivus et vita est, omnia videns, omnia penetrans, omnia potens ; hinc nec falli potest nec declinari : hunc ergo Judicem timeat omnis incredulus, v.* 12, 13.

At in eum speret quicumque in fide constans est, licèt adhuc infirmus, et ab omni peccato nondùm plenè sanus ; noster enim summus Pontifex est Deo gratissimus, quia Dei Filius; erga nos misericordissimus, quia omnia nostra expertus, excepto peccato, v. 14, 15. *Ad illum ergo accedamus cum plenâ fiduciâ per eum misericordiam obtinendi pro peccatis, et gratiam pro beneficiis, v.* 16.

PARAPHRASIS.

1. Nos igitur Christiani, quibus facta est promissio de introitu in æternam Dei requiem, timeamus, et timendo caveamus ne, hâc Dei promissione neglectâ, quis ex nobis, ob infidelitatem suam, hoc ingressu frustratus inveniatur.

2. Nobis etenim bonum lætumque de cœlo possidendo nuntium datum est, sicut et Israelitis data fuerat promissio de terrâ Chanaan possidendâ; sed valdè timendum ne contingat nobis quod et illis : sicut eis non profuit audiisse promissionem quietis, quia ei non crediderunt, ita nec prosit nobis Evangelium, cui non crediderimus.

3. At verò nos qui credimus, et credentes Deo obedimus, ingrediemur in requiem, in quam Deus jurat non ingressuros eos qui non crediderint, dicens iratus : Si introibunt in requiem meam. Quæ Dei verba non possunt intelligi de requie sabbati ; cùm Deus ea per os David dixerit longè post opera mundi completa, et ideò longè postquàm homines in illam sabbati quietem fuerant inducti.

4. De sabbati enim requie Scriptura, Genes. 2, v. 2, loquens, dixit : Et requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis, et hoc quidem ab initio mundi.

5. Plurima autem post secula rursùs in psal. citato dicit Deus : Si introibunt in requiem meam. Deus ergo præter sabbati requiem, aliam habet à quâ excludat incredulos.

6. Cùm igitur alia sit quies in quam introducendi sunt aliqui, et Israelitæ illi quibus hæc requies sub figurâ quietis in terrâ promissâ priùs fuit annuntiata, ab eâ propter incredulitatem suam fuerint exclusi;

7. Hinc Deus, post tot annos à possessâ Palæstinâ, aliud quoddam determinat tempus, quod vocat diem, in psal. citato, et per quod, si divinæ vocationi obedierimus, in hanc Dei requiem introibimus.

8. Nec enim Josue hanc veram Dei requiem præstitit Israelitis quos in Palæstinam introduxit, aliàs Spiritus sanctus illam postea non polliceretur, nec ad eam obtinendam diem nobis aliam determinaret.

9. Restat ergo nobis, populo Dei, alia requies, regnum scilicet cœlorum, sabbatum æternum.

10. In quod quicumque semel ingressus est, ab omni labore in æternum quiescit, sicut Deus, orbe condito, quievit à suis operibus.

11. Studeamus ergo, aliisque rebus omissis, hoc agamus, ut ad illam summam futuri seculi tranquillitatem perveniamus; credamus Evangelio nobis annuntiato, ne pereamus cum incredulis.

12. Horrendum enim erit Christo, Filio Verboque Dei, non credidisse, quia vivus est et efficax, et penetrantior quovis gladio utrinque secanti, non corporis membra tantùm incidens, sed et intimos affectus animi, ita ut animam à spiritu dissecet; compages quoque et medullas, seu animi nostri abditissima et magis intima dissecat, exactè discernens arcanas mentis nostræ cogitationes et cordis nostri consilia.

13. Et ideò nulla est usquàm creatura, nec in cœlo, nec in terrâ, quæ non sit oculis ejus manifesta, sed omnia sunt nuda et aperta oculis illius, cui fidei et vitæ nostræ sumus rationem reddituri : illum ergo timeat ut judicem quicumque sincerè non credit in eum; at in eum, ut pontificem, speret omnis verè fidelis.

14. Cùm habeamus igitur Pontificem verè magnum, et omni summo Pontifice longè majorem, Jesum Christum, Filium Dei, qui non tantùm in Sancta sanctorum, ut Judæorum pontifex, sed et in intima cœlorum pervenit, Patrem nobis propitiaturus, in nostrâ professione firmiter perseveremus.

15. Si qua autem nobis remanet infirmitas, non ideò despondeamus animum : non enim habemus Pontificem qui nostris infirmitatibus compati non possit; imò quia illas, excepto peccato, sicut et nos expertus est, ad nobis miserendum est promptissimus.

16. Talem igitur nacti pontificem, apud Deum potentissimum, erga nos misericordissimum, cum bonâ spe et plenâ fiduciâ accedamus ad thronum gratiæ, ut per eum misericordiam seu peccatorum remissionem obtineamus, et gratiam quæ nobis opituletur in tempore opportuno.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Timeamus ergo..., illatio ex antecedentibus. Caput tertium absolvit dicens : *Et videmus quia non potuerunt introire propter incredulitatem;* hinc infert : Illorum ergo punitionis memores, et nos Christiani *timeamus* casto et filiali timore, sicque timentes, sollicitè caveamus.

Ne fortè : Græc., *ne quandoque*, relicta, id est, neglectâ Dei promissione de introitu in æternam Dei requiem, cujus figura tantùm erat requies in terrâ promissâ,

Existimetur aliquis..., id est, quis ex nobis inveniatur hoc ingressu frustratus, ob inconstantiam et infidelitatem nostram.

Vers. 2.—Etenim et nobis nuntiatum est ; Græc., *sumus evangelizati*. Affertur ratio timendi; nobis etenim Christianis bonum et lætum de cœlo possidendo nuntium datum est,

Quemadmodum et illis data fuit promissio de terrâ Chanaan possidendâ.

Sed non profuit illis sermo auditus, seu auditionis, in genitivo, ut patet ex Græco, id est, quem audierunt.

Non admixtus fidei, id est, propterea quòd non fuit admixtus, contemperatus cum fide, seu fide receptus; uno verbo, non creditus.

Ex iis quæ..., id est, secundùm ea quæ audierunt, id est, quia non crediderunt iis quæ audierunt, scilicet, quòd Dei ope et ducatu superaturi essent Chananæos. *Timeamus ergo ne* similiter nobis non prosit Evangelium, nisi ei credamus et obediamus.

Nota hanc D. Pauli locutionem : *Non profuit sermo auditûs non permixtus fidei;* quasi diceret : Sicut cibus et pharmacum non prodest, sed nocet, nisi digeratur et per digestionem nobis commisceatur, ita verbum Dei auditum, sed fide non digestum et nobis non commixtum, nocet magis quàm prodest. Verba Dei sunt per fidem digerenda, sicut cibus per stomachum. Hinc tot Christianis non prodest Evangelium lectum,

Vers. 1. — *Timeamus ergo ne fortè relictâ*, etc. Monet Apostolus Christianos ne excludantur à requie cœli, ut Judæi exclusi sunt à requie Chanaan. *Deesse* tam deficere et desciscere quàm privari significat.

Vers. 2. — *Etenim et nobis nuntiatum est, quemadmodùm et illis*, id est, etenim sumus evangelizati, id est, Evangelium sive lætum nuntium accepimus æquè ut illi. Hebræi enim acceperunt evangelium de possidendâ terrâ Chanaan, nos verò Christiani accepimus Evangelium de possidendo regno cœlorum.

Sed non profuit illis sermo auditûs non admixtus fidei ex iis quæ audierunt : Sermo divinæ promissionis quem audierunt, nihil ipsis profuit, propterea quòd non esset contemperatus fidei conceptæ ex iis quæ audierant; non enim ex iis fidem conceperunt, sed audita respuerunt per infidelitatem.

vel auditum, propterea quòd sermo auditu receptus per fidem non digeritur, eisque non commiscetur. Legendum ergo, audiendum quidem, at præterea meditandum, fide digerendum, nobisque commiscendum.

Paulò aliter in Græco : *Sed non profuit sermo auditûs illis non admixtus fidei audientibus*, id est, non admixtus fidei in audientibus, seu in iis qui audierunt. Syr. : *Propterea quòd non fuit cum fide temperatus iis qui ipsum audierunt.* Et hæc ad litteram non multùm discrepant à nostrâ Vulgatâ et explicatione superiùs factâ. Ultima tamen verba sic interpretatur Theophylactus : Non profuit illis sermo auditûs, quia per fidem non se conjunxerunt audientibus, seu obedientibus, Josue scilicet et Calebo.

Vers. 3. — Ingrediemur enim : Græc., *ingredimur*, etc., qui credidimus : Græc., *credentes.*

Juxta hunc textum fides est initium ingressûs in requiem Dei, sicut in cap. 3, v. 14 : *Est initium substantiæ Christi.* Per fidem vivam et operantem ingredimur, incipimus ingredi, jus habemus ad introitum, etc.

Syrus etiam : *At introimus in requiem nos qui credimus.* Meliùs tamen juxta nostram Vulgatam, *ingrediemur*, ut probat Estius, estque sensus : Etenim nos Christiani, quibus bonum et lætum datum est nuntium, v. 2, et qui Evangelio huic credidimus et credimus, et credentes obedimus, *ingrediemur* in æternam Dei requiem.

Quemadmodùm dixit, supple : *Deus.*

Sicut juravi in ira mea : si introibunt... Hoc textu probat quòd fideles ingredientur ; idque probat argumento à contrario ; quasi diceret : Incredulis tantùm negata est hæc requies promissa, *quemadmodùm* testatur ipse Deus, in psal. *dicens : Sicut juravi*, etc. Ergo nobis credentibus concedetur : quia sicut ab eâ excludit infidelitas, ita fides introducit in illam.

Et quidem operibus ab institutione : Græc., à *fundatione*, etc. His posterioribus verbis incipit explicare quæ sit illa requies, de quâ loquitur Psaltes in loco citato, et in quam nos credentes ingressuri sumus. Triplex enim in Scripturis reperitur requies : requies sabbati ; requies *in terrâ promissâ* ; requies æternæ beatitudinis figurata per alias. Ostensurus ergo quòd hanc æternam beatitudinem ingrediemur, si fidem vivam et operantem habuerimus, ostendit primò, quòd Dei verba in citato psalmo non possint intelligi de requie sabbati ; deinde v. 8 ostendet quòd nec de requie in Palæstinâ ; hæc ergo verba Dei : *Si introibunt in requiem meam*, de requie diei septimæ, seu sabbati, non intelliguntur, quia Deus ea per os David dixit, *operibus* à primâ mundi *constitutione completis* ; ergo longè postquàm homines in illam sabbati requiem erant inducti.

Vers. 4. — Dixit enim..., id est, de hâc enim sabbati quiete loquens Scriptura *dixit* : Et requievit Deus.., hocquè ab initio mundi, completis operibus creationis.

In quodam loco : Græc., *alicubi*, scilicet Genes. 2, v. 2. Sed quia Hebræis in Scripturâ versatissimis, et eam ferè totam memoriter scientibus, loquitur, nec librum citat, nec caput.

Vers. 5. — Et in isto rursum..., id est, post multa autem secula, rursùs *in psalmo jam sæpè citato*, requies indicatur, in quam admittuntur fideles, à quâ excluduntur infideles ; hæc ergo requies, de quâ in psalmo, alia est à primâ, de quâ in Genesi ; Deus ergo præter requiem sabbati aliam habet requiem, à quâ excludat incredulos, dicens ; Si introibunt in requiem meam.

Vers. 6. — Quoniam ergo superest introire quosdam... id est, quandoquidem ergo, ut ex verbis Davidicis colligitur, alia superest requies, in quam quidam à Deo sunt introducendi : *Superest introire quosdam*, id est, futurum est ut quidam introeant, seu introducendi sunt.

Et ii, id est, et Israelitæ, quibus prioribus annuntiata est ; Græc. : *et ipsi, priùs annuntiatione moniti non introierunt* ; id est, et illi quibus priùs annuntiata est, scilicet sub figurâ quietis in terrâ promissâ, ab eâ fuerunt exclusi, propter incredulitatem suam.

Vers. 7. — Iterum terminat ; Syr. : *Rursùs diem alium præfinit*, id est, determinat, seu designat quoddam aliud tempus, quod vocat diem, hodiè, in David psal. citato, dicens :

Post tantum temporis, quod inter Moysen et Davidem intercessit,

Sicut supra dictum est, cap. 3, v. 7, 8, etc. : Hodiè, in hoc tempore, si vocem *Domini*, ne sitis ipsi re-

Vers. 3. — *Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus : quemadmodùm dixit : Sicut juravi in irâ meâ : Si introibunt in requiem meam* : Nos igitur in requiem nobis promissam ingrediemur, si crediderimus : nam si infidelitas excludit ; ergo fides introducit.

Et quidem operibus ab institutione mundi perfectis, id est, factis. Est occupatio, per quam ascendit Apostolus ad explicandum anagogen sabbati, restare Christianis tertiam requiem in cœlo ; q. d. : Duplex requies olim promissa fuit à Deo patribus nostris : prima requies fuit sabbati, quâ Deus in honorem et memoriam suæ creationis et quietis jussit homines quiescere *ab operibus die* septimo ; secunda requies fuit in Chanaan ; atqui David, psalm. 94, loquitur de tertiâ requie in cœlo, eamque promittit fidelibus et Christianis, si in fide Christi perstent.

Vers. 4. — *Dixit enim in quodam loco* (Genes. 2)

de die septimâ sic, etc. Jussit Deus homines quiescere in sabbato, quia ipse eodem die quievit ab operibus suis.

Vers. 5. — *Et in isto rursùm* : etc. Ac rursùm, inquit, in hoc psalmi loco, idque post tot secula ab orbe condito, dicit Scriptura ex Dei personâ : *Si introibunt in requiem meam.* Nota *rursùm* ; q. d. : Præter requiem sabbati habet Deus aliam requiem, quam hominibus præparavit, et à quâ incredulos exclusit.

Vers. 6. — *Quoniam ergo superest introire quosdam in* (requiem) *illam*, etc., itaque relinquitur sabbatismus.

Vers. 7. — *Iterùm terminat diem quemdam*, etc. *Terminat*, id est, præfinit et determinat, hoc est, signat quoddam spatium temporis, scilicet, *hodiè*, puta tempus vitæ nostræ, quo possumus intrare in hanc Dei requiem, ut auscultemus Deo ducenti nos in requiem suam, puta in cœlo æternam, quam nobis præstat Jesus Christus, per Josue adumbratus.

belles et incredulî. Paucioribus verbis : Quia superest alia requies, à quâ exclusi fuerunt Judæi increduli; hinc Deus, ne vacua remaneat illa requies, fideles, id est, Christianos invitat ad illam, dicens per Davidem : *Hodiè si vocem Domini* AUDIERITIS, etc. *Post tantùm temporis,* quo scilicet facta fuit terræ promissæ distributio. Ilis verbis indicat etiam quòd de quiete in hâc terrâ non agatur in psalmo, sed de aliâ per hanc figuratâ. *Iterùm terminat diem,* id est, spatium vitæ nostræ, quo, si Deo obedierimus, introibimus in requiem Dei.

VERS. 8. — NAM SI EIS JESUS : Syr. addit : *Filius Nun,* id est, Josue, EIS, id est, antiquis Israelitis.

REQUIEM PRÆSTITISSET, de quâ Spiritus sanctus in sensu sublimiore et mystico intelligit verba Davidis in psal. 94, profectò NUNQUAM idem Spiritus sanctus.

POSTHAC, adverbium, id est, postea; Græc., *post hæc,* seu post illud tempus, requiem alteram pollicerétur, nec DE ALIA die loqueretur; quia Judæi terram promissam possidebant, cùm David dicebat : *Hodiè si vocem. . .*

VERS. 9. — ITAQUE RELINQUITUR SABBATISMUS POPULO DEI. Conclusio ex dictis. Cùm nec de requie sabbati, nec de requie in Palæstinâ loquatur David in psalmo citato, restat igitur alia major et præstantior requies, indicata per sabbatum et figurata per quietem in terrâ promissâ : scilicet æterna futuri seculi quies, quæ benè vocatur sabbatum, quia

VERS. 10. — QUI ENIM INGRESSUS EST IN REQUIEM EJUS... Quicumque in illam æternam et cœlestem *requiem ingressus est,* ILLE QUIESCIT ab omni labore et opere, SICUT DEUS die septimâ requievit ab opere; quies ergo Dei, nostræ quietis æternæ est exemplar.

O felix ! ô æterna Dei requies ! omnibus promissa, ab omnibus ferè neglecta et quasi oblita, mentem meam imple, cor meum posside, totam animam sic occupa, ut tui nunquàm obliviscar; sed ad te continuè anhelans et suspirans, Christo fide vivâ et operante credam et obediam, sicque, tui felici possessione frustratus non inveniar.

VERS. 11. — FESTINEMUS ERGO INGREDI IN ILLAM REQUIEM. . . Indicatâ requie ad quam nos Deus vocat, nunc ad illam nos urget et accendit. *Festinemus;* Græc., *studeamus,* id est, enitamur, totisque contendamus animis, illam assequi et *in illam ingredi.*

UT NE IN IDIPSUM QUIS INCIDAT. . . Caveamus ne eodem concidamus modo quo veteres Hebræi, qui Deo non crediderunt. Ad hoc ostenduntur nobis præteritæ pœnæ aliorum, ut caveamus, ait D. Thomas. Credamus itaque verbo Dei nobis annuntiato, ne pereamus cum incredulis. Horrendum enim est Dei judicium. Vivus est sermo Dei, etc.

Observatio moralis.

Festinandum est, ait D. Thomas, hîc, primò, quia longinqua via; secundò, quia tempus est valdè breve; tertiò, quia urget Christi vocatio per charitatis stimulum; quartò, quia periculum in morâ, ut patet *in fatuis virginibus.* Matth. 25. D. Chrysostomus hîc in morali, hom. 7, ait cursu, eoque vehementi opus esse, et quò seniores et cœlo viciniores sumus, eò magis et concitatiùs currere debere; quod illustrat similitudine currentis in stadio, qui ad præmium attentus, non consistit, non languet metæ vicinus, sed cursum intendit. Attende quòd Hebræi jam ferè totam deserti longitudinem emensi, et terræ promissæ jam vicini, ob suam de Deo diffidentiam, retroacti sunt, et ab eâ exclusi. *Timeamus ne in idipsum incidamus incredulitatis exemplum. Festinemus ergo...*; non immoremur hæsitantes.

Ad hoc, ô Deus, *adauge fidem* et charitatis ardoribus accende et dilata cor meum : *viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatâsti cor meum.*

VERS. 12. — VIVUS EST ENIM SERMO DEI. . .

Observatio litteralis.

In hujus loci explicatione bipartiuntur interpretes. Aliqui enim totum hunc locum explicant de verbo Dei ad homines prolato, præcipuè evangelico; alii de Christo, æterno Dei Verbo.

Juxta primos, hic sensus est : Demus operam ingrediendi in requiem; credamus verbo nobis evangelizato, ne cum incredulis pereamus; nec enim verbum Dei nunc minoris est virtutis et efficaciæ quàm olim. Si ergo *omnis tunc prævaricatio justam accepit mercedem,* ita nunc accidet nobis, *si tantam neglexerimus salutem.* Ut autem omnia adaptent verbo Dei, tribuunt sermoni quod Dei proprium est. Hujus opinionis est Estius. Videatur.

Juxta alios, sensus hic est : Credamus Dei Verbo, etc., ne pereamus, etc.; quidquid enim Christus, Verbum Dei, Filius Dei, propheta, doctorque noster, vide cap. 1, v. 1, nobis locutus est, sive promittens,

VERS. 8, 9. — *Nam si eis Jesus* (Josue) *requiem præstitisset..... Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei,* id est, : Ex dictis sequitur, aliud sabbatum, id est, aliam requiem, relinqui et restare populo fideli et christiano, puta requiem, gaudium et solemnitatem cœlestem, figuratam per quietem et festum sabbati veteris et Judaici.

VERS. 10. — *Qui enim ingressus est in requiem ejus,* etc. Reverà illa est requies ubi fugit dolor, tristitia, gemitus, etc.

VERS. 11. — *Festinemus ergo ingredi in illam requiem; q. d.* : Dùm in vitæ hujus deserto, instar Hebræorum, peregrinamur et tendimus ad requiem et terram promissam in cœlis, non consistamus, non respectemus, non lassemur, non cadamus animo ob labores, et hostium incursus ac persecutiones, sed forti et constanti animo pergamus, imò festinemus ingredi in illam requiem.

Ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum, id est : Ne quis fiat simile incredulitatis exemplum, quale scilicet fuerunt Hebræi : ne quis ob incredulitatem corruat, uti illi corruerunt et prostrati sunt in deserto.

VERS. 12. — *Vivus est enim sermo Dei et efficax,* id est : Non est otiosus, aut actionis expers, ut ea quæ mortua sunt; non est irritus, non frustratur effectu suo, quemadmodùm nostris verbis sæpè contingit, sed vivit, ac vim suam exerit in reddendis tam præmiis promissis quàm suppliciis comminatis.

Et penetrabilior omni gladio ancipiti. Est igitur sermo Dei quovis ancipiti gladio penetrantior, quia Deus qui nobis loquitur, oculis suæ cognitionis omnia pe-

sive comminans, illud efficiet, quia vivus et omnipotens; et consequenter incredulos damnabit, fideles alvabit.

Hunc sequor sensum, tum quia, cap. 1, v. 1, Christus indicatur Verbum Dei : *Locutus est nobis in Filio*; tum quia totus v. 13 non potest nisi coactè de verbo Dei prolato explicari.

Singula attende verba : *Etenim*; hæc particula hunc versum nectit cum præcedente, datque rationem ob quam Hebræi debeant timere ne suâ infidelitate puniantur sicut patres eorum. Ratio autem est, quia Christus *vivus est*, vita et fons vitæ, Deus vivus, vide capitis 3, v. 12, et consequenter omnia videns, omnia penetrans, falli non potest.

Et efficax : Syr., *omninò efficax*, id est, omnipotenter agens, seu efficaciter exequens quidquid aut promisit, aut comminatus est.

Penetrabilior : Syr., *longèque penetrantior*. Hoc penetrans dicitur quod ingreditur profunda rei; nihil autem tam profundum quod Christus non penetret; ad intima pervadit.

Omni gladio ancipiti : Græc., *δίστομος, qui duo habet ora*, seu utràque parte acutus, in utramque partem secans;

Et pertingens usque ad divisionem animæ, id est, suâ penetratione dividens animam à spiritu; id est, distinguens cogitationes et motus animæ, seu partis animalis, à cogitationibus et actibus spiritus, seu partis superioris; et consequenter omnia quæ sunt in homine magis unita distinctissimè cognoscens.

Compagum quoque ac medullarum. Per hæc, quæ sunt in corpore nostro intima, intellige animi nostri abditissima oculis Christi patere.

Et discretor : Græc., κριτικὸς, *censor*, id est, severè et exactè discernens, quâ intentione, quo fine cogitamus ac volumus.

Vers. 13. — Et non est ulla creatura invisibilis : Græc., ἀφανὴς, *inapparens*, non manifesta, apud eum nulla latet hypocrisis.

Sed omnia nuda et aperta sunt... Apertum plus dicit quàm nudum. Nudum dicitur quod non est vestitum, apertum verò cujus viscera et intestina patent. Quod nudum est videtur in superficie, quod apertum est videtur in profundo : sicut fit in pecudibus mactatis, vel in corporibus humanis, quæ à chirurgo dissecantur anatomicè.

Ad quem..., id est, de quo loquimur, Syr. : *Cui reddunt rationem*; D. Chrysostomus : *Cui reddituri sumus actuum nostrorum rationem*; id est, cui Verbo, tanquàm nostro judici, reddenda ratio fidei et vitæ nostræ; λόγος non sermonem tantùm significat, sed etiam rationem.

Observatio litteralis et moralis.

Metaphoricus est totus hic sermo, sed ad Apostoli scopum aptissimus. Postquàm enim Christum prophetam, doctoremque nostrum, Moysi, Hebræorum doctori et prophetæ, contulit et prætulit, postquàm et requiem indicavit excellentiorem, quam suis Christus promisit et ad quam nos invitat, urgere volens Hebræos christianos, sed in fide vacillantes, ad perseverantiam in fide, ne, si patrum suorum sint imitatores, in simile cadant incredulitatis exemplum, terret eos, Christum illis exhibens, cui reddituri sunt fidei suæ rationem : at judicem exhibet tremendum, utpote qui semper vivit, semper omnia videt, semper omnia potest, etc., quem nullus potest fallere, nullus declinare.

Metaphoras autem sumit Apostolus à rebus quæ Hebræis erant notissimæ, à victimis et à sacrificiis. Levitæ in sacrificiis gladio utebantur ancipiti, quo discernebant in victimis quæ Dei essent, quæ hominum, alia pars enim Deo cedebat, alia sacerdotibus, alia iis pro quibus sacrificabatur. Hinc Christus judex exhibetur, quasi peccatores justitiæ Dei immolans, et ideò gladio ancipiti comparatur, quia exactè discernit quæ Dei, quæ hominum, quæ bona, quæ mala, in singulo homine. Leviticus cultor ad minima et intima, ad nervos et ad medullas victimarum pervenebiat, sic et Christus judex intima, minima et abditissima penetrat animi. In sacrificiis non tantùm victimarum abstrahebatur pellis, sed sic aperiebantur victimæ, ut omnia earum interiora paterent, sic in judicio, non tantùm nudi, sed aperti erimus : nihil erit occultum, sed Christus judex, quasi chirurgus omnia intima anatomicè dissecans, cor et viscera nuda et aperta exhibebit omnibus, cogitationes, intentiones, consilia cordis.

Heu quis non contremiscat? quis cum Prophetâ non clamet tremebundus : *Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?* Psal. 129, 3 : *Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo.* Psal. 18, 13.

netrat, et ad intima quæque pervadit, multò magis quàm gladius anceps acie suâ penetrare queat usque ad abstrusa viscera; tum verò ob id etiam, quia transgressiones quantùmvis occultas acerrimè puniet. In hâc ergo similitudine duo quædam attenduntur : ut enim gladius penetrat et lædit, ita sermo Dei intuetur et punit. Itaque significatur cognitio non nuda, sed qualis est judicis examinantis et cognoscentis ut puniat.

Et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritûs, compagum quoque ac medullarum; q. d. : Verbum hoc, sive sermo Dei, puta Filius, examinat et discernit motus et cogitationes tam animales quàm spirituales. *Compages quoque et medullas*, id est, intimas hominum partes; quasi dicat : Omnia omninò etiam abditissima et intima videt, penetrat, examinat, judicat et vindicat Christus Dei Filius : nihil est tam absconditum quò non penetrent oculi et manus Christi.

Et discretor cogitationum et intentionum cordis. Scit et pervidet quid quisque cogitet et velit, et quo fine, perspicit fundum animæ nostræ, intima nostra desideria, hoc fine ut ea judicet et præmiet, aut puniat et vindicet.

Vers. 13. — *Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Invisibilis*, quasi dicas, inapparens, id est, quæ non sit manifesta et conspicua.

Omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus. Ostendit etiam intimas animorum cogitationes Deo patere. Hinc etiam apparet cur post *nuda* dixerit *aperta*,

Vers. 14. — Habentes ergo pontificem magnum... Mirâ prudentiâ, ubi terruit Apostolus, statim spem erigit. Ne igitur Hebræi ob suas infidelitates, Christo Judici notas, desperent, aut nimiùm terreantur periculo punitionis, Christum illis exhibet ut Pontificem, Deo gratissimum, et erga nos misericordissimum, ad quem confugiant; itàque transit Apostolus ad Christi sacerdotium. Hucusque illum, ut Apostolum, cum Moyse contulit, hocque longè majorem ostendit, melioremque nobis ab eo quietem promissam, quàm Judæis à Moyse; nunc Christum, ut Pontificem, cum Aarone confert, huicque longè præfert; hoc tamen quasi tacitè, ne videatur Judæis cum lege bellum agere, ait Theodoretus. Infra tamen, cap. 7, expressiùs præferet.

Theodoretus hic titulum habet, tom. 2.

Habentes ergo, id est, cùm habeamus summum Pontificem, omni Aaronico sacerdote longè majorem atque præstantiorem,

Qui penetravit cœlos. Pontifex legalis transibat per atrium et per basilicam templi, usque ad intima penetrabat, scilicet, Sancta sanctorum. Christus, summo pontifice legali major, per aerem et ætherem transiens, penetravit cœlos, usque ad intima cœlorum pervenit.

Jesum Filium Dei, non adoptivum, sed consubstantialem, et eo nomine Deo gratissimum.

Teneamus confessionem, id est, firmiter illius fidem teneamus, quam professi sumus in baptismo, in eâque perseveremus.

Vers. 15. — Non enim habemus pontificem... Ne autem tanti Pontificis nostri supradicta majestas deterreat Hebræos, statim Apostolus ostendit illius erga nos propensionem et ad miserendum promptitudinem, ex eo quòd omnibus modis sicut et nos tentatus est, atque afflictus. Repetit quæ dixit cap. 2, v. 18.

Pro similitudine : Græc., *juxta similitudinem*, nam plus est *aperta* quàm *nuda; nudum* enim dicitur quod non est vestitum aut velatum, *apertum* verò cujus etiam interiora conspicua sunt.

Ad quem nobis sermo, id est, de quo Dei sermone sermo nobis institutus est. Græci sic exponunt : *Cui sermoni Dei, id est, Filio Dei, reddituri sumus rationem omnium actionum et cogitationum nostrarum.*

Vers. 14. — *Habentes ergo pontificem magnum*, etc.; q. d.: Agite, Hebræi, persistite in fide Christi, ad requiem in cœlis properate, facilè eos conscendemus et penetrabimus, duce Christo, qui eos penetravit, eosque nobis pervios fecit, dummodò confessionem, id est, professionem, scilicet fidei et spei nostræ, constanter retineamus.

Vers. 15. — *Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum per omnia*, id est, per omnes infirmitates nostras; *absque peccato*, id est, excepto peccato.

Vers. 16. — *Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ*; q. d. : Cùm habeamus Christum Pontificem, qui ita condoleat et compatiatur omnibus infirmitatibus nostris, non timidi, non diffidentes, sed audacter et fidenter, eum in cœlesti throno ad dexteram Patris considentem et regnantem adeamus et invocemus in omni tentatione, tribulatione et persecutione; jam enim placabilis sedet in throno gratiæ, postea terribilis sessurus est in throno judicii, inquit Theophylactus.

Ut misericordiam consequamur, scilicet à Deo per Christum pontificem et intercessorem nostrum.

Et gratiam inveniamus in auxilio opportuno; q. d.: Ut si in peccatum lapsi sumus, illius veniam misericorditer à Christo consequamur : rursùm ut gratiam inveniamus, id est, ut Christi gratiam, favorem et benevolentiam nobis conciliemus. *In auxilio opportuno*, ut scilicet opportuno tempore, puta tempore tentationis et persecutionis, cùm Christi auxilio indigebimus, illud ipse nobis conferat, ad omnes difficultates fortiter superandas.

supple nostram : Syrus, *sicut et nos*, seu similiter ac nos.

Absque peccato, id est, excepto peccato, cui nunquàm fuit obnoxius.

Vers. 16. — Adeamus ergo cum fiducia : Syr., *revelato oculo*, id est, talem igitur nacti Pontificem, Deo gratissimum, quia Filius Dei; nobis misericordissimum, quia nostras expertus est infirmitates, *accedamus cum fiduciâ* et plenâ spe in ipsum, seu ipsius et potentiâ apud Deum, et bonitate in nos, freti.

Ad thronum gratiæ. Syrus addit *ipsius;* juxta quam lectionem benè posset intelligi tribunal pœnitentiæ, à Christo institutum in Ecclesiâ; hic enim thronus, verè thronus est gratiæ Christi; sed juxta Græcum, nostram Vulgatam, et omnes alias versiones, Arabicam, Æthiopicam : *Ad thronum gratiæ*, id est, ad thronum Dei, qui dicitur *thronus gratiæ*, seu gratiosus, quia Christus Pontifex noster juxta illum, hìc, sicut et alibi, repræsentatur *interpellans pro nobis*. Dicitur etiam nunc thronus gratiæ, seu misericordiæ, quia toto vitæ nostræ tempore Deus nobis misereri paratus est, ob Christi mediatoris nostri merita; ad differentiam throni justitiæ, in quo sedere concipitur ut judex, in fine vitæ et mundi. *Nunc est tempus miserendi ejus : accedamus ergo*, etc.

Ut misericordiam, id est, peccatorum remissionem, etc.

Et gratiam in auxilio opportuno. Græc., *in opportunum auxilium :* Syr., *ad auxilium in tempore afflictionis*, id est, auxilium opportunum, seu gratiam auxiliantem in tempore opportuno, tempore scilicet tentationis. *Accedamus* ergo cum *fiduciâ* per Christum assequendi *misericordiam* seu remissionem peccatorum pro præterito; et obtinendi *gratiam* ad vitanda peccata et ad bona opera facienda in præsenti et in futuro. Accedentes ad Deum recordemur quòd pontificem, mediatorem, *advocatum habemus apud Patrem, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, etc., Joan. 2, v. 2 et 3.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

Relinquitur *Sabbatismus populo Dei*; v. 9.

1° De hâc æternâ requie sæpè cogita, et frequentes circa eam actus exerce fidei. Ad æternam Dei requiem creatus sum! O felix requies! quando te fruar! *Pater noster qui es in cœlis*, etc., *adveniat regnum tuum.*

2° Recordare quòd fides sit ingressus in illam; v. 3 : *Ingredimur in requiem credentes*, at credentes fide vivâ, et per charitatem operante. Crede itaque, dilige; credens, diligens operare, patere.

3° Tota hæc vita præsens, *hodiè*, v. 7, seu dies est nobis data ad hanc requiem promerendam, per actus fidei, spei, charitatis, et per opera bona virtutibus his animata; hanc ergo totam diem insume laboriosus; et cave ne tibi dicatur : *Quid stas totâ die otiosus?*

4° Dies dominica ad hunc sacrum laborem specialiter destinata; frequentiùs in eâ cogitandum de æternâ requie, et charitas ardentiùs exercenda. Hæc dies dominica figura est æternæ requiei in Deo : in hâc post hujus vitæ labores quiescemus in Domino. Sic in sabbato à laboribus corporalibus, ab operibus servilibus, id est, peccatis cessandum, et in Deo per pietatem quiescendum : qui peccat, sabbatum violat; è contra qui nunc à peccatis cessavit, et in Deo per charitatem quiescit, hic sabbatum æternum incipit; qui verò creaturis adhæret, et in illis quiescit, æternâ Dei requie indignum se præbet. In Deo solo vera requies; extra Deum ubique inquietudo; itaque in Deo quiesce per fidem, per charitatem, per orationem, per divini verbi lectionem, et assiduam meditationem. Hoc veri sabbati initium.

5° Festina in illam requiem ingredi, v. 2; cave socordiam; sicut in stadio curre, et quò vicinior es cœlo palmamque quasi tangis, eò concitatiùs curre. Tot Israelitas terræ promissæ jam vicinos, ab eâ tamen exclusos videns, time, et tremebundus ora sæpè cum Davide : *Ne projicias me in tempore senectutis cùm defecerit virtus mea; Deus, ne derelinquas me.* Psal. 70.

PRAXIS.

Ad fervorem excitandum, languoremque vitandum, duplicem sæpè cogita thronum Christi : thronum gratiæ, in quo nunc sedet misericordiam pro te implorans; thronum justitiæ, in quo sedebit aliquando, vitæ rationem à te exposciturus. Nunc, ut Pontifex misericordissimus, tuis compatitur infirmitatibus, auxilium suum offert tibi : *Semper vivit ad interpellandum pro nobis;* Heb. 7, 23; at brevi è throno gratiæ surgens, sedebit in throno judicii, te judicaturus *in justitiâ et in veritate. In veritate, quia omnia nuda et aperta*, etc., omnia videns, omnia penetrans, etc., falli non potest; *in æquitate*, quia efficax et omnipotens est, semper vivens, semper omnipotens, semper punire valens.

Hoc ut vitemus, *adeamus cum fiduciâ ad thronum gratiæ*, etc., eique fideliter serviamus.

CAPUT V.

1. Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis :

2. Qui condolere possit iis qui ignorant et errant : quoniam et ipse circumdatus est infirmitate,

3. Et propterea debet, quemadmodùm pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.

4. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquàm Aaron.

5. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret : sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu, ego hodiè genui te :

6. Quemadmodùm et in alio loco dicit : Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.

7. Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro suâ reverentiâ.

8. Et quidem cùm esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est obedientiam :

9. Et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ,

10. Appellatus à Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech.

11. De quo nobis grandis sermo et ininterpretabilis ad dicendum : quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.

12. Etenim cùm deberetis magistri esse propter

CHAPITRE V.

1. Car tout pontife est pris d'entre les hommes et est établi pour les hommes, en ce qui regarde le culte de Dieu, afin qu'il offre des dons et des sacrifices pour les péchés,

2. Et qu'il puisse être touché de compassion pour ceux qui pèchent par ignorance ou par erreur, comme étant lui-même environné de faiblesse.

3. (Et c'est ce qui l'oblige d'offrir pour lui-même, aussi bien que pour le peuple, les sacrifices pour l'expiation des péchés;)

4. Et nul ne s'attribue à soi-même cet honneur; mais il faut y être appelé de Dieu comme Aaron.

5. Ainsi Jésus-Christ ne s'est point élevé de lui-même à la dignité de souverain pontife, mais il l'a reçue de celui qui lui a dit : Vous êtes mon Fils, je vous ai engendré aujourd'hui.

6. Comme il lui a dit dans un autre endroit : Vous êtes le prêtre éternel selon l'ordre de Melchisédech :

7. Aussi durant les jours de sa chair, ayant offert, avec un grand cri et avec larmes, ses prières et ses supplications à celui qui pouvait le tirer de la mort, il a été exaucé de son humble respect pour son Père.

8. Et quoiqu'il fût le Fils de Dieu, il a appris l'obéissance par tout ce qu'il a souffert!

9. Et par sa consommation il est devenu l'auteur du salut éternel pour tous ceux qui lui obéissent;

10. Dieu l'ayant déclaré pontife selon l'ordre de Melchisédech.

11. Sur quoi nous aurions beaucoup de choses à dire, mais qu'il est difficile de bien expliquer, parce que vous vous êtes rendus peu capables de les entendre.

12. Car au lieu que, depuis le temps qu'on vous

tempus, rursùm indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei; et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.

13. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ : parvulus enim est.

14. Perfectorum autem est solidus cibus; eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.

instruit, vous devriez déjà être maîtres, vous auriez encore besoin qu'on vous apprît les premiers éléments par où l'on commence d'expliquer la parole de Dieu; et vous êtes devenus comme des personnes à qui on ne devrait donner que du lait, et non une nourriture solide.

13. Or quiconque n'est nourri que de lait est incapable d'entendre les discours de la justice; comme étant encore enfant.

14. Mais la nourriture solide est pour les parfaits, pour ceux dont l'esprit, par un long exercice, s'est accoutumé à discerner le bien et le mal.

ANALYSIS.

Probaturus quod capite quarto, v. 14, *dixit, Christum Pontificem esse, quasdam assignat veri pontificis notas : primam, à naturâ,* ex hominibus, v. 1; *secundam, ab officio,* ut offerat, v. 1; *tertiam, ab affectu,* qui *peccatoribus* compatiatur, v. 2; *quartam, ab electione, v.* 4, qui vocatur. *In harum pontificis notarum applicatione, primam ut satis cognitam supponit Apostolus; secundam differt, fusiùs acturus de eâ. Duas alias hìc applicat Christo, incipiens ab ultimâ.*

Versu itaque quinto probat ex Scripturis Christum sibi non arrogâsse pontificatum, sed ad illum fuisse elevatum à Deo, et quidem Patre suo, v. 5 *et* 6.

V. 7 *et* 8, *tertiam applicans pontificis notam, ostendit et quòd in nostrâ constitutus infirmitate, oravit pro se et pro nobis; utque fieret ad miserendum pronior, pati, obedire voluit, experientiâ nôsse quàm arduum sit obedire.*

V. 9, *per passiones itaque consummatus, obedientiæ suæ merito, factus est nobis causa salutis æternæ, et declaratus Pontifex secundùm ordinem Melchisedech, v.* 10.

De hoc ordine et sacerdotio multa hìc haberet dicenda, at differt tantisper ob auditorum infirmitatem, quos increpat, ut eorum attentionem acuat, v. 12, 13, 14, *et ad perfectiora excitet, ut patet in capite sexto.*

PARAPHRASIS.

1. Ut Christum verè Pontificem esse noscatis, et per eum ad Dei misericordiam recurratis, has observate pontificis notas : Omnis pontifex ex hominum numero selectus, constituitur quasi medius inter ipsos et Deum, ad res ipsorum apud Deum agendas, ut offerat Deo populi dona, et sacrificia pro peccatis à lege præscripta.

2. Qui pronus et facilis sit ad condolendum peccatoribus ex ignorantiâ et errore seductis, suæ propriæ memor infirmitatis; etenim et ipse, sicut alii, suâ circumdatus est et quasi indutus infirmitate.

3. Et ob hanc causam debet ex præscripto legis, Lev. 4, 3, Aaronicus sacerdos pro suis peccatis immolare, quemadmodùm et pro populi peccatis hostias immolat.

4. Porrò nullus legitimus pontifex pontificalem sibi dignitatem arbitratu suo vindicat, sed ille legitimus est, quem Deus tanto destinat officio; sicut Aaron divino vocatus est judicio.

5. Christus ergo verus Pontifex, qui semetipsum ad pontificatum non extulit, sed Pater æternus, qui primò Jesum verè Filium suum naturalem agnovit, cùm in psal. 2 dixit ei : *Filius meus es tu, ego hodiè genui te.*

6. Deinde et sacerdotalem contulit ei dignitatem, quemadmodùm in alio psal. 109, dicit : *Tu,* Fili mi, *sacerdos es in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* (Ecce divinam Christi Pontificis ordinationem; hunc Pontificem nunc videte pro semetipso orantem.)

7. Cùm adhuc in hâc nostrâ infirmâ et mortali carne viveret, preces, easque valdè submissas obtulit Deo Patri, qui poterat illum à morte suscitare; obtulit, inquam, ingenti affectu, voce magnâ clamans, et præ dolore illacrymans; exauditus est pro suâ erga Patrem reverentiâ, et pro paternâ tam venerandi Pontificis reverentiâ. (Videte et nobis condolentem.)

8. Quamvis esset Dei Filius, et quidem naturalis, cui felicitas et gloria connaturalis erat; pati tamen elegit et humiliari; et experiri quàm sit arduum usque ad mortem obedire.

9. Per passiones ergo consummatus, obedientiæ suæ merito factus est omnibus sibi obedientibus causa salutis æternæ, quam nobis in cruce moriens promeruit.

10. Declaratus à Deo Pontifex in æternum juxta ordinem Melchisedech.

11. De quo Melchisedech, et de ejus cum Christo similitudine, multa haberem vobis dicenda, sed quæ vobis essent intellectu difficilia; quoniam ob titubantem fidem vestram segnes facti estis in addiscendo Dei verbo.

12. Etenim cùm tot annis jam Christum professi sitis, ejusque Evangelium audieritis, ut pro temporis modo deberetis aliorum doctores esse, rursùs indigetis ut ego vos doceam elementa ejusdem Evangelii, sicque more parvulorum, lacte nutriendi estis, non solido cibo.

13. Porrò qui puerili adhuc indiget instructione, is incapax est doctrinæ, quæ de perfectâ justitiâ et de sanctitate christianâ traditur perfectis :

14. His enim velut adultis, solidus datur cibus; perfectos autem voco eos qui longo usu, velut habitu inducto, mentem habent habilem quâ bonum et malum discernant.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — OMNIS NAMQUE PONTIFEX... Particula *num* hæc nectit cum præcedentibus, et indicat quòd Apostolus probet hic quod cap. 4, v. 14, dixit, Christum esse pontificem, etc., et ad eum cum fiduciâ accedendum. Probat autem ostendendo quòd Christus habeat, et quidem excellentissimo modo, quæ ad verum pontificem, requiruntur.

Omnis pontifex EX HOMINIBUS ASSUMPTUS. Juxta Græc., *assumptus*, est præsentis temporis, assumitur: Syr., *est ex hominibus*: Æthiop., *ex hominibus assumitur*, id est, ex hominum numero assumitur; nec enim in munus obeunt angeli.

PRO HOMINIBUS, id est, ut eorum causam agat.

CONSTITUITUR IN IIS QUÆ SUNT AD DEUM, id est, quasi medius inter homines et Deum, ad res hominum apud Deum agendas,

UT OFFERAT DONA, quæ scilicet populus offert sponte Deo, quibus illum ut omnium bonorum auctorem et largitorem palàm profitetur,

ETS ACRIFICIA PRO PECCATIS, à lege præscripta. Vide Levit. 4, 5, 6, 7. Erant et alia sacrificia, et alia sacerdotalia munia, sed generalitatem per aliquas species hìc explicat Apostolus.

VERS. 2. — QUI CONDOLERE: Græcè, μετριοπαθεῖν, mensuratè pati potens, δυνάμενος, id est, idoneus, pronus ad compatiendum et miserendum peccatoribus,

IIS QUI IGNORANT, id est, qui ex ignorantiâ peccant,

ET ERRANT, extra viam mandatorum. Hoc ad omnes extenditur peccatores, ait Theophylactus; quia, inquit, omnis peccator, tempore transactionis, peccati tenebris circumfusus, ignorantiâ et errore languet, voluptatis illecebris præcipitatus.

QUONIAM ET IPSE CIRCUMDATUS EST, Syr., *indutus est*, INFIRMITATE, id est, suam ipse, sicut et alii, circumfert infirmitatem; suæ itaque imbecillitatis et ad peccandum proclivitatis memor, compatiatur aliis.

VERS. 3. — ET PROPTEREA: Græcè, *et propter hanc*, scilicet infirmitatem, quâ et ipse circumdatus est,

DEBET, ex legis præscripto, Levit. 4, v. 3,

QUEMADMODUM PRO POPULI peccatis immolat, ita et pro suis immolare. Hinc et sacerdos in missâ percutiendo pectus, dicit altâ voce: *Nobis quoque peccatoribus*. In hoc Christus excellit non Aaronicum tantummodò Pontificem, sed et omnem sacerdotem, quòd non pro suis, sed tantùm pro alienis peccatis oravit et obtulit. Ipse enim sanctus sanctorum: *Talis quippe decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus*, etc., cap. 7, 26. Condoluit autem nobis ratione allatâ, cap. 4, v. 15: *Tentatus per omnia*.

VERS. 4. — NEC QUISQUAM SUMIT SIBI HONOREM, scilicet pontificatûs, id est, nemo verus et legitimus pontifex pontificalem sibi vindicat dignitatem.

SED QUI VOCATUR A DEO, vel immediatè, ut Aaron, apostoli; vel mediante ordinatione, quam Deus instituit.

VERS. 5. — SIC ET CHRISTUS... In quatuor primis versibus, quatuor veri pontificis expressi sunt quasi characteres. Quorum primus pontificis naturam indicat: ex hominibus assumitur et quasi dignior seligitur; secundus officium: ut offerat; tertius affectum compatiendi. Quartus divinam vocationem. Horum quatuor characterum primum Christo convenire, ut rem per se notam supponit Apostolus; ideò non probat hìc quòd sit homo. Secundum differt, de ipso fusiùs acturus, capite 7, 8 et 9. Duos reliquos characteres hìc applicat Christo, ab ultimo incipiens. Probat ergo quòd Christus pontificatum sibi non arrogavit, sed Pater æternus ei contulit, idque probat ex Scripturis.

NON SEMETIPSUM CLARIFICAVIT: Græc., *glorificavit*, id est, non semetipsum extulit ad gloriam pontificalem; illam non ambivit, non usurpavit;

SED QUI LOCUTUS EST..., id est, sed Pater æternus, qui in psalm. 2 Jesum agnovit et glorificavit, ut Filium, dicens ei; FILIUS MEUS ES TU naturalis, EGO HODIÈ, id est, in hoc æternitatis semper stantis die, GENUI TE, ex meâ substantiâ. Vide cap. 1, v. 5.

A Deo natum esse, præparatio est ad hoc, ut à Deo etiam ordinatus sit, ait Theophylactus.

Eumdem Jesum Pontificem constituit, et ut Pontificem glorificavit in alio psal., scilicet, 109.

Hæc psal. 2 citatio: *Filius meus es tu...*, secundùm aliquos probat pontificatum Christo competere jure suæ generationis æternæ: quæ est quædam Christi primogenitura; primogeniti autem familiarum, ante legem erant familiæ suæ sacerdotes, ait D. Hieronymus, epist. ad Evagrium. Secundùm alios, qui de hoc primogenitorum jure non satis conveniunt, hâc citatione D. Paulus non tam probat Christi sacerdotium quàm ipsius Christi supra omnes sacerdotes excellentiam; utpote qui Dei Filius et Deus est. Alii quidem à Deo vocati sunt, sed non à Deo Patre suo; Christus à Deo et quidem Patre suo.

VERS. 6. — QUEMADMODUM ET IN ALIO LOCO..., psal. tem Apostolus opponit hominibus infirmitatem habentibus, quos lex sacerdotes constituebat.

VERS. 3, 4. — *Et propterea debet... Nec quisquam sumit sibi honorem*, etc., scilicet quòd debeat non se ingerere et instruere, sed assumi et eligi à Deo ad sacerdotium, sicut electus est Aaron ejusque posteri.

VERS. 5. — *Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret*, id est, glorificavit, gloriam, claritatem et dignitatem non ambivit, non usurpavit, sed ad eam electus et evectus est à Deo Patre.

Sed qui locutus est ad eum, qui dixit ad Christum, psal. 2: *Filius meus es tu, ego hodiè genui te*.

VERS. 1. — *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, etc. In iis quæ sunt ad Deum*, id est,: Ut hominum causam agat apud Deum, tanquàm eorum mediator, pro eisque oret et interpellet.

VERS. 2. — *Qui condolere possit iis qui ignorant et errant. Possit*, id est, aptus, pronus, facilis sit ad condolendum. *Condolere*, id est, moderatè, leniter se gerere, ut scilicet peccantes non aspernetur, non irascatur, non excandescat, sed ad eorum miseriam se dimittat, iis se humanum et benignum exhibeat.

Quoniam et ipse circumdatus est infirmitate, id est, infirmitatem etiam suam circumfert, sicut cæteri homines. Ubi Christum pontificem, ut peccati exper-

109, DICIT, idem Pater æternus : TU ES SACERDOS SECUNDUM ORDINEM ; Syr., *secundùm similitudinem*, etc. Vide capite 7, v. 15. Hæc est formalis probatio quòd Christus sit sacerdos et consequenter Pontifex summus : quis enim Filio Dei præponeretur? A Deo Patre suo vocatus, ordinatus et consecratus est Pontifex.

Videamus nunc divinum hunc Pontificem in nostrâ infirmitate constitutum, pro semetipso orantem.

VERS. 7. — QUI IN DIEBUS CARNIS SUÆ ; Syr., *cùm carne indutus esset*, id est, qui Christus Pontifex noster, cùm in hâc infirmâ et mortali carne adhuc viveret, malis obnoxius,

PRECES, SUPPLICATIONÈSQUE, id est, preces non vulgares, sed valdè submissas. Supplicatio, à supplicandis, seu complicandis genibus, dicitur ; *supplicationes* igitur sunt preces humillimæ.

AD EUM, id est, Patrem suum,

QUI POSSIT ILLUM SALVUM FACERE A MORTE ; scilicet, illum à morte resuscitando,

OFFERENS ; Græc., *cùm obtulisset*,

CUM CLAMORE VALIDO ET LACRYMIS, præ dolore nimio,

EXAUDITUS EST PRO SUA REVERENTIA. In Græco, non est *suâ*, sed et exauditus pro reverentiâ.

Observatio litteralis et dogmatica.

Plerique Latini reverentiam sumunt activè, seu exauditus est propter suam religiosam erga Patrem reverentiam, seu reverentiam quâ Christus Patrem suum prosequebatur. Alii sumunt passivè, pro reverentiâ quâ Pater Christum, utpote sibi consubstantialem et coæqualem prosequebatur. Alii utrumque jungunt : Tantâ reverentiâ Christus Pontifex noster Patrem suum exoravit, ut et ipse Pater tam venerandum Pontificem sit reveritus, et pro reverentiâ exaudierit. Ita D. Chrysostomus : Tanta, inquit, fuit ejus reverentia ac pietas, ut ideò eum Deus revereretur. Theophylactus D. Chrysostomum sequitur.

Probabilius est quòd D. Paulus hic ad orationem aspiciat quâ Christus in cruce pendens, et semetipsum ut Pontifex offerens pro salute mundi, oravit et pro se, ut per resurrectionem à morte eriperetur, sive cùm clamavit voce magnâ : *Deus, Deus meus, respice in me : quare me dereliquisti?* sive etiam cùm iterùm clamans dixit : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, scilicet immortali corpori statim restituendum. Ob quam orationem Christus post triduum fuit à morte liberatus ; circa hoc videatur Estius. Idem Estius probat ἀπὸ τῆς εὐλαβείας benè traductum pro reverentiâ, contra Calvinum et Bezam traducentes : A metu, scilicet damnationis æternæ, in quo erat, inquiunt, Christus, dùm clamavit : *Deus, Deus meus*, etc. ; quod blasphemum, et à Cornelio à Lapide benè refutatur. Et sanè D. Chrysostomum, Theophylactum, et alios Græcos qui habent, *pro reverentiâ*, æquius est audire quàm nostrates hæreticos.

Videamus Christum Pontificem nostrum nobis condolentem.

VERS. 8. — ET QUIDEM ; Græc., *quamvis esset Filius ;* Syr., item. Id est : quamvis ESSET DEI FILIUS, et quidem naturalis, cui consequenter connaturalis erat felicitas, gloria, libertas.

DIDICIT EX IIS QUÆ PASSUS EST, id est, pati tamen elegit, humiliari, obedire usque ad mortem, mortem autem crucis ; sicque experientiâ didicit, seu expertus est, quàm grave sit et arduum pati et obedire.

VERS. 9. — ET CONSUMMATUS ; Syr. : *Et sic perfectus redditus est*, id est, per passiones et obedientiam adductus in gloriam. Vide c. 2 v. 10 : *Per passionem consummare*.

FACTUS EST OMNIBUS OBTEMPERANTIBUS SIBI, CAUSA SALUTIS ÆTERNÆ, quam in cruce patiens promeruit.

VERS. 10. — APPELLATUS A DEO PONTIFEX... Syr. : *Ac nominatus est à Deo*, etc., id est, constitutus et declaratus à Deo Pontifex, ob hoc scilicet sui sacrificium, quod ipsemet pro peccatis nostris ad Dei gloriam obtulit. Quia passus est, propterea appellatus est Pontifex, veluti semet ipse offerens, ait Theophylactus.

VERS. 6. — *Quemadmodùm et in alio loco dicit :* etc., scilicet Deus Pater ad Deum Filium hominem factum, cùm eum elegit et constituit sacerdotem. Nota : Cùm dicit Christum esse sacerdotem secundùm ordinem, id est, ritum, Melchisedech, hoc ipso præfert Christum Aaroni ; Melchisedech enim dignior fuit Aarone.

VERS. 7. — *Qui in diebus carnis suæ ;* qui dùm in carne hâc mortali et fragili inter homines viveret,

Preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido et lacrymis offerens ; nusquàm enim convenientiùs Christus pontifex noster pro suâ salute preces offerre Deo potuit, quàm ubi et semetipsum pro salute mundi Deo sacrificavit, hoc est, in arâ crucis, tanquàm destinato sacrificii loco.

Exauditus est pro suâ reverentiâ ; Christus à Deo exauditus est, pro eâ reverentiâ ac pietate quam erga Deum habebat, quâ nimirùm dignus erat ut ab eo exaudiretur. Quâ oravit pro implendâ Patris voluntate circa passionem suam, ejusque fructum ; scilicet, ut suâ passione et morte mereretur sibi resurrectionem à morte, nobis salutem tam corporis quàm animæ.

VERS. 8. — *Et quidem cùm esset Filius Dei*, etc. Quamvis Filius esset, eoque solo nomine dignus quem Pater exaudiret, tamen, ut misericors fieret pontifex nobis ad Deum per ea quæ ex voluntate Patris passus est, obedientiam ostendit et exercuit, quasi discipulus.

VERS. 9. — *Et consummatus*, etc. ; consummatum dicit, non morte finitum, sed perfectum redditum ; est igitur sensus : Christum per passiones ad gloriam adductum, omnibus sibi suoque Evangelio obedientibus, causam et auctorem factum esse salutis æternæ. Quæ quidem obedientia consistit in observatione mandatorum Christi, quorum primum est, ut in eum credatur ; nam obedientiam etiam ad fidem referri, patet ex aliis Scripturæ locis, ut Act. 6 ; Rom. 1 et 16.

VERS. 10. — *Appellatus à Deo*, etc. ; q. d. : Christus nobis est causa salutis, quia à Deo constitutus et appellatus est pontifex noster, cùm scilicet dixit ad

Hic itaque duplicem adverte Christi passionis effectum : nostram salutem, Christi claritatem, seu illius summi pontificatûs declarationem. Adde tertium effectum, summam Dei gloriam. Hucusque animalia Deo oblata fuerant, hic Deus immolatur Deo; dignum sanè Deo sacrificium.

VERS. 11. — DE QUO NOBIS GRANDIS ; Græc., *multus sermo*, id est, de quo Melchisedech, et de ejus cum Christo, cujus figura fuit, similitudine, multa vobis possem dicere.

ET ININTERPRETABILIS AD DICENDUM. Græc. : *Et difficilis interpretatu dicere;* Syr., *et explicatu difficilia;* id est : Et quæ si dicerem, ægrè et vix intelligeretis.

QUONIAM IMBECILLES. Græc. : *Segnes facti estis auribus;* Syr. : *Quoniam infirmi estis auditu vestro.*

Hic erat locus de ordine Melchisedech agendi et convenientias explicandi quæ sunt inter hunc Melchisedech et Christum, at prudenter differt Apostolus propter infirmitatem auditorum, quos interim arguit ut eorum attentionem excitet et acuat. Hebræi facti fuerant segnes in addiscendo Dei verbo, fortè ob persecutiones; probabiliùs ob suam titubantem fidem.

VERS. 12. — ETENIM CUM DEBERETIS ESSE MAGISTRI propter tempus..., id est : Cùm tamdiù Evangelium audieritis, ut jam deberetis idonei esse ad illud alios docendum,

RURSUM INDIGETIS..., adhuc tamen opus habetis ut ego vos doceam ejusdem Evangelii ELEMENTA, id est, prima principia, rudimenta, symbolum fidei christianæ;

ET FACTI ESTIS QUIBUS LACTE OPUS SIT... Aliâ similitudine idem explicat; quasi diceret : Sicque more parvulorum lacte nutriendi estis, non solido cibo.

VERS. 13. — OMNIS ENIM QUI LACTIS EST PARTICEPS, supple *tantùm*, seu qui rudem tantùm et faciliorem fidei doctrinam capere potest;

EXPERS EST SERMONIS JUSTITIÆ ; Græc., *inexpertus*, id est, incapax est doctrinæ, quæ de perfectâ justitiâ et sanctitate traditur sapientibus et perfectis.

PARVULUS ENIM EST in Christianismo ; Græc., *infans*. Infanti autem lac tantùm convenit.

VERS. 14. — PERFECTORUM AUTEM EST SOLIDUS CIBUS, id est, adultorum verò, seu eorum, qui in Christianismo profecerunt, solida et perfecta doctrina, seu sublimiora mysteria sunt; ad eos pertinent, illis traduntur.

EORUM, scilicet, seu illos voco perfectos,

QUI PRO CONSUETUDINE : Græc., *per habitum*, scilicet discendi, meditandi, docendi,

EXERCITATOS HABENT SENSUS, scilicet internos, seu intellectum; Græc., *sensoria*, quæ propriè sensus externos significant; et ad animum translata, significant mentem, intellectum exercitatum et habilem ad discretionem boni et mali, ad discernendum quid bonum, quid malum, quid catholicum, quid hæreticum.

eum Deus, psal. 109: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

VERS. 11. — *De quo nobis grandis sermo*, etc.; q. d. : De Melchisedech multa et magna dicenda forent, sed vobis, ô Hebræi, explicatu difficilia, quia ad hæc rudes et imbecilles estis; magis enim capitis Aaronem vestrum quàm Melchisedech. *Imbecilles*, id est, segnes, ignavi negligentes facti estis ad audiendum et cognoscendum res christianas et divinas.

VERS. 12. — *Etenim cùm deberetis magistri esse propter tempus*, id est, pro longitudine temporis, quo tam in lege Moysi quàm in Christianismo estis eruditi, *Rursùm indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei;* Græcè, *eloquiorum Dei*, id est, doctrina quæ de Deo est. *Elementa exordii sermonum Dei* vocat rudimenta à quibus initium sumitur instituendi homines in doctrinâ sacrâ.

Et facti estis quibus lacte opus sit, id est, qui indigetis instructione infirmæ, simplicis et puerilis doctrinæ, de Christi humanitate, de baptismo, de resurrectione, de judicio;

Non solido cibo, id est, non altiori et perfectiori eruditione de Christi divinitate, de Melchisedech, de perfectione christianâ.

VERS. 13. — *Omnis enim qui lactis est particeps*, id est, qui puerili institutione et doctrinâ est erudiendus et fovendus, *expers*, id est, inexpertus, rudis, imperitus, *est sermonis justitiæ*, id est, sermonis qui fit de perfectâ justitiâ et sanctitate; hic enim solis perfectis convenit. Ita Theophyl. et Anselm.

Parvulus enim est, id est, infans, scilicet in Christo et Christianismo.

VERS. 14. — *Perfectorum autem est solidus cibus*, id est, solida et perfecta doctrina et institutio.

Eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. Perfectos, inquit, eos voco qui longo usu, velut habitu comparato, mentem habent exercitatam ad discernendum in unaquâque re quid bonum sit, quid malum, verum et falsum, quia de doctrinâ ad fidem pertinente, potissimum sermo est.

Corollarium pietatis, seu în hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

1° Omnis Dei et Ecclesiæ minister attendat ad ea quæ in primis versibus de pontifice dicuntur, ut illa sibi propria faciat : *Omnis pontifex ex hominibus;* v. 1. Sacerdos itaque recordetur se hominem esse, et consequenter peccatorem : *Pro hominibus constituitur;* v. 1. Recordetur et se pro hominibus, seu peccatoribus esse constitutum inter ipsos et Deum, quasi medium; ut divina referat ad homines, et homines ad divina traducat : homines ergo doceat verbis, et factis ædificet, seu verbo et exemplo ducat ad Deum : *In iis quæ sunt ad Deum;* v. 1. Recordetur et se ideò constitutum esse sacerdotem, ut pro peccatoribus oret, pœnitentiam agat, preces et vota populorum offerat : at præcipuè ut sacrificium expiationis frequenter offerat pro peccatoribus, sacrificium, in quo, corporis et sanguinis Christi, Agni Dei pro peccatis nostris immolati. Sacerdotis ergo deliciæ sint oratio; tota ejus vita sit pœnitentia; centrum illius sit altare; felicitas, sacrificium.

Qui condolere possit iis qui ignorant et errant; v. 2.

Sacerdos ergò suæ propriæ memor infirmitatis, et ad peccandum proclivitatis, compatiatur peccatoribus, non irascatur inclementer in eos, non loquatur eis durè, sed affectuosè et clementer eos sublevet, pro eis pœnitentiam agat et pro se, quia ipse peccator, et pro peccatoribus est.

Nec quisquam sumit sibi honorem; v. 4. Non præsumat ergo mortalis homo divinum sibi ministerium arrogare ob honorem, ob divitias, ob requiem, aut otium, sed à Deo vocatus suscipiat illud ad laborem, ad functiones supra dictas sedulò et cum humilitate peragendas.

Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret; v. 5, sed à Deo, Patre suo, sacerdos constitutus, v. 6, infirma nostra sensit, nobis condoluit, pro nobis oravit, supplicavit, gemuit, clamavit, lacrymatus est; v. 7. Et licèt Dei Filius, cui imperium, felicitas et honor debebantur, pro nobis tamen pati, humiliari, et obedire voluit usque ad mortem, mortem autem crucis, in quâ, velut in arâ, semetipsum pro nobis obtulit; ibique passionibus et opprobriis consummatus, nostræ salutis causa factus est, et summus noster Pontifex in æternum declaratus; v. 9.

PRAXIS.

Summum hunc Pontificem æternum, omnium pontificum et sacerdotum Principem et exemplar, oculis fidei jugiter intucamur, ut in eo sacerdotii nostri regulas studeamus. Singulatim ergo hæc omnia à S. Paulo descripta perpendat apud se omnis sacerdos Christi, summi Pontificis vicarius, et sese cum hoc sacerdotum prototypo et exemplari absolutissimo comparans, videat num, sicut ille, fuerit à Deo constitutus sacerdos; num peccatoribus compatiatur, pro illis oret, gemat, lacrymetur, laboret, patiatur, etiam mori paratus, ut illorum sit causa salutis æternæ.

Hâc saltem sui cum Christo comparatione confundatur, humilietur, annihilietur; confusus, humiliatus, annihilatus, concipiat tandem veri sacerdotis ideam, quam pro suo modulo, secundùm datam sibi gratiam, adimpleat, orando, gemendo, lacrymando, patiendo, moriendo, si necesse fuerit, pro peccatorum æternâ salute.

2° Omnis Christianus, seu Christi discipulus, attendat ad ea quæ de Christo, Doctore nostro, ad nostram doctrinam et consolationem scripta sunt; v. 8 et 9.

Christus, licèt Dei Filius, cui connaturalis erat potestas, gloria et felicitas, pati tamen, humiliari, obedire voluit, et experientiâ sciré quàm arduum sit ei grave mœrere, tædere, tristari, timere, pati, mori. Quare? Primò, ad nostram consolationem; scilicet ut erga nos mœstos, patientes, humiliatos, afflictos, esset propensior, et ad miserendum proclivior; vide dicta cap. 2, ad v. 18, et cap. 4, ad v. 15; secundò, ad nostram doctrinam: ne scilicet, cùm talia sentimus, nos propterea putemus à Deo despectos atque derelictos. Sicut enim Christus patiens, mœstus, tristis ad mortem, doloribus et opprobriis derelictus, non ideò minùs Dei Filius, non ideò minùs Deo charus, quinimò Filius Dei semper dilectus, in quo sibi complacuit; sic et Christianus patiens, pauper, humiliatus, opprobriis onustus, doloribus et morti traditus, non ideò minùs Dei filius, non ideò minùs Deo charus, sed eò charior, quò Christo patienti conformior. *Si compatimur, et conglorificabimur.* Si Christo conformes fuerimus in patientiâ, et ei conformes erimus in glorià.

PRAXIS.

Nobis ergo in hoc infirmitatis et passionum statu constitutis quid faciendum?

1° Aspiciamus in auctorem salutis nostræ, per passiones consummatum; et consolemur quòd, sicut et ipse, per passiones consummemur. Passio est consummatio, seu perfectio, et per hoc oportet ad perfectionem pervenire, ait D. Chrysost. Patior; ergo consummor, perficior, Christo fio similis, quodammodò deificor, fingor ad æternam beatitudinem. Gaudebo itaque et gloriabor in infirmitatibus et passionibus meis per quas me Deus consummat, perficit, fingit ad Christi, Salvatoris mei, similitudinem, et consequenter ad æternam cum eo beatitudinis hæreditatem possidendam.

2° Aspiciamus in auctorem salutis nostræ, ut eum patienter imitemur. Patiens Christus oravit, supplicavit humiliter et ferventer, cum clamore, et lacrymis cordis contriti et humiliati; sic nobis in tali statu constitutis ad Deum confugiendum est precibus, supplicationibus, gemitibus, lacrymis, corde contrito et humiliato, at præcipuè hâc reverenti ac venerabundâ pietate ob quam Christus exauditus est. Si Christus, æqualis Patri, tantâ reverentiâ Patrem precatus est, quantâ nos homunciones, et verè nihil, Deum orare debemus! Quò plus humiliati sumus exteriùs, eò humiliores interiùs oremus.

CAPUT VI.

1. Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursùm jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, et fidei ad Deum,

2. Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, et judicii æterni.

3. Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus.

4. Impossibile est enim eos qui semel sunt illumi-

CHAPITRE VI.

1. Quittant donc les instructions que l'on donne à ceux qui ne font que de commencer à croire en Jésus-Christ, passons à ce qui est le plus parfait, sans nous arrêter à établir de nouveau ce qui n'est que le fondement de la religion, comme est la pénitence des œuvres mortes, la foi en Dieu,

2. Et ce qu'on enseigne touchant les différentes sortes de baptêmes, l'imposition des mains, la résurrection des morts, et le jugement éternel.

3. C'est aussi ce que nous ferons, si Dieu nous le permet.

4. Car il est impossible que ceux qui ont été une

nati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritûs sancti,

5. Gustaverunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi,

6. Et prolapsi sunt, rursùs renovari ad pœnitentiam, rursùm crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes.

7. Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo :

8. Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima; cujus consummatio in combustionem.

9. Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti : tametsi ita loquimur.

10. Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministràstis sanctis et ministratis.

11. Cupimus autem unumquemque vestrùm eamdem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usque in finem;

12. Ut non segnes efficiamini, verùm imitatores eorum qui fide et patientiâ hæreditabunt promissiones.

13. Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum,

14. Dicens : Nisi benedicens benedicam te, et multiplicans multiplicabo te.

15. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem.

16. Homines enim per majorem sui jurant ; et omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem, est juramentum.

17. In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum;

18. Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem :

19. Quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis,

20. Ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, secundùm ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum.

fois éclairés, qui ont goûté le don du ciel, qui ont été rendus participants du Saint-Esprit,

5. Qui se sont nourris de la sainte parole de Dieu et de l'espérance des grandeurs du siècle à venir,

6. Et qui après cela sont tombés; il est impossible qu'ils se renouvellent par la pénitence; parce que, autant qu'il est en eux, ils crucifient de nouveau le Fils de Dieu, et l'exposent à l'ignominie.

7. Car lorsqu'une terre étant souvent abreuvée des eaux de la pluie qui y tombe, produit des herbages propres à ceux qui la cultivent, elle reçoit la bénédiction de Dieu :

8. Mais quand elle ne produit que des ronces et des épines, elle est abandonnée, elle est proche de la malédiction ; et à la fin on y met le feu.

9. Or, nous avons une meilleure opinion de vous et de votre salut, mes très-chers frères, quoique nous parlions de cette sorte.

10. Car Dieu n'est pas injuste pour oublier vos bonnes œuvres et la charité que vous avez témoignée par les assistances que vous avez rendues en son nom et que vous rendez encore aux saints.

11. Or, nous souhaitons que chacun de vous fasse paraître jusqu'à la fin le même zèle, afin que votre espérance soit accomplie;

12. Et que vous ne soyez pas lents et paresseux ; mais que vous vous rendiez les imitateurs de ceux qui, par leur foi et par leur patience, sont devenus les héritiers des promesses.

13. Car Dieu, dans la promesse qu'il fit à Abraham, n'ayant point de plus grand que lui par qui il pût jurer, jura par lui-même,

14. Lui disant : Assurez-vous que je vous comblerai de bénédictions, et que je multiplierai beaucoup votre race.

15. Et ainsi Abraham ayant attendu avec patience, a obtenu l'effet de cette promesse.

16. Car comme les hommes jurent par celui qui est plus grand qu'eux, et que le serment est la plus grande assurance qu'ils puissent donner pour terminer tous leurs différends,

17. Dieu, voulant aussi faire voir avec plus de certitude aux héritiers de sa promesse la fermeté immuable de sa résolution, a ajouté le serment à sa parole,

18. Afin qu'étant appuyés sur ces deux choses inébranlables, par lesquelles il est impossible que Dieu nous trompe, nous ayons une puissante consolation, nous qui avons mis notre refuge dans la recherche et l'acquisition des biens qui nous sont proposés par l'espérance,

19. Laquelle sert à notre âme comme d'une ancre ferme et assurée, et qui pénètre jusqu'au sanctuaire qui est au-dedans du voile,

20. Où Jésus, comme notre précurseur, est entré pour nous, ayant été établi pontife éternel selon l'ordre de Melchisédech.

ANALYSIS.

Hortatur Hebræos ut ab infantiâ exeuntes, ad perfectionem contendant. Propterea ipse Paulus in hâc Epistolâ omittit christianæ fidei rudimenta, de sublimioribus divinæ sapientiæ mysteriis acturus; v. 1, 2, 3.

V. 4 : *Ad quid enim vos per catechismum rursùs instituere, et ad baptismum disponere? cùm impossibile sit semel baptizatos, et deinde prolapsos, iterùm ad pœnitentiam renovari, seu ad novam vitam regenerari.*

V. 7 : *Tales à baptismo lapsi divinam timeant maledictionem; sicut enim terra sæpiùs irrigata, si fruges ferat utiles, benedicitur, sin autem spinas proferat, maledicitur et tandem incendio cum spinis deputatur, ta anima cœlesti rore imbuta, nisi bonorum operum fructus producat, maledicto proxima est; v.* 8.

V. 9 : *Absit ut hæc dicens, malè de vobis ominer, vosque terram arbitrer infrugiferam, imò verò meliora et feliciora de vobis persuasus sum; novi enim quæ fuerit, et quæ sit adhuc vestra in sanctos, propter Deum, charitas, et hanc Deus justus nunquàm obliviscetur; v.* 10.

V. 11 : *Cur ergo nobis hæc duriora dicis? Primò, ut unusquisque vestrùm eumdem charitatis fervorem habeat, non desit unus; secundò, ne fortè segnes in posterum efficiamini; tertiò, ut è contra, sanctorum imitatores, fide et patientiâ perseveretis, et proficiatis in bono sicque cum illis, promissa bona hæreditetis; v.* 12.

V. 13 : *Recordamini Abrahæ, quantâ fide credidit; quantâ patientiâ Dei promissa expectavit, et tandem adeptus est, v.* 14, 15.

V. 16 : *Attendite ad ipsamet promissa Abrahæ facta; Deus promisit, Deus promissum suum juramento firmavit. Quare? Ut nos, spirituales Abrahæ filii, promissionis hæredes, firmiùs crederemus, patientiùs expectaremus; et securi de promissione Dei juramento firmatâ, bona nobis promissa spe amplecteremur, et tenacissimè apprehenderemus, v.* 17, 18; *hæcque spes, quasi anchora, nostras animas in hujus seculi tempestatibus redderet firmas; sic tamen earum fluctuationem impediens, ut eas ad portum æternæ beatitudinis perduceret, v.* 19, *quò Jesus Christus, prodromus noster, introivit, factus in æternum Pontifex, secundùm ordinem Melchisedech, v.* 20.

PARAPHRASIS.

1. Quoniam, sicut mox dixi, perfectorum solidus est cibus; ut vos ab infantiâ exeuntes, ad perfectionem contendatis, omissis christianæ doctrinæ rudimentis, ad altiora ejusdem doctrinæ mysteria feramur; non rursùm vos instituentes in iis, quæ sunt Christianismi fundamenta, quales sunt pœnitentia baptismum præcedens, quâ recedituur à peccatis, quæ sunt opera mortua et mortem promerentia; fides, quâ acceditur ad Deum, qui est animæ vita, et vitæ fons.

2. Qualia sunt et ea quæ spectant ad doctrinam catechisticam de baptismo, de sacramento confirmationis, de resurrectione mortuorum, et de judicio universali, in quo boni æternâ felicitate præmiabuntur, mali verò suppliciis cruciabuntur æternis.

3. His, inquam, et talibus elementis omissis, ad altiora feremur, si Deus concesserit. (Quid enim necesse est per catechismum vos rursùs instituere de his initialibus, et ad baptismum disponentibus?)

4. Siquidem impossibile est, ex Dei ordinatione, eos qui semel baptizati sunt, quique condonatis per baptismum peccatis, experti sunt spiritualem illam dulcedinem quâ Deus solet animæ sanctæ gustum reficere; et qui per manuum impositionem acceperunt Spiritum sanctum,

5. Et per hunc Spiritum gustaverunt spiritualem divinæ gratiæ dulcedinem, et in illâ dulcedine quasi prægustârunt æternam futuri seculi felicitatem,

6. Et deinde, his Dei donis spretis, relapsi sunt, sive in antiquam perfidiam, à fide Christi deficientes, sive in dedecora prioris vitæ, voluptuosè viventes; impossibile est, inquam, eos illam iterùm novitatem consequi quam priùs sin baptismo receperunt; quia, cùm baptismus sit nobis vice crucis, sitque nostra cum Christo crucifixio, baptismi reiteratio esset nova Christi crucifixio in nobis, nova opprobriorum Christi in nobis renovatio: hoc autem absurdum, quia sicut semel pro nobis mortuus est Christus, ita semel cum illo mortui sumus in baptismo.

7. (Talibus ergo prolapsis non est speranda baptismi renovatio, sed timenda Dei maledictio et punitio; sicut) enim terra, quæ pluviam frequenter in se venientem combiberit, et herbam suis colonis utilem genuerit, ampliorem accipit benedictionem à Deo, qui fruges ejus ad maturitatem adducit,

8. At quæ sæpiùs irrigata, benè culta, spinas profert et tribulos, reprobatur, affinis maledictioni, illiusque finis combustio (ita erit de animâ proficiente in doctrinâ Christi, et de animâ suam negligente salutem).

9. Absit autem, fratres dilectissimi, ut hæc dicens, vos arbitrer terram sterilem et maledicto affinem; imò de vobis meliora persuasi sumus, et quæ salutem promittant, non exitium, Deo vobis usque in finem auxiliante.

10. Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur benefactorum vestrorum, et speciatim charitatis quam ob nominis illius gloriam exhibuistis erga sanctos, quibus ministrâstis olim, et adhuc ministratis hodiè.

11. (Sed hâc usus sum similitudine, hæcque duriuscula dixi vobis, quia) vestrûm omnium salutem vehementer exoptans, opto etiam ut unusquisque vestrûm eumdem charitatis fervorem exhibeat usque ad finem vitæ, ut quod speratis, in vobis omnibus et singulis impleatur æternæ felicitatis possessione.

12. Hæc etiam duriora dixi, ut stimulos vobis subjiciam, quibus vos excitem, ne fortè segnes efficiamini et languidiores quàm vellem; sed è contra magis ac magis in bono proficiatis, sanctorum imitatores, qui Christi promissis firmiter credentes, et in bonorum operum exercitio et malorum patientiâ longanimiter perseverantes, æternam felicitatem hæreditario tandem jure possident.

13. Unum exemplum profero, Abrahæ scilicet, omnium credentium patris; Deus namque illi maxima promisit, promissaque sua etiam juramento firmavit; et quia Deus neminem sibi superiorem habet per quem juret, per semetipsum juravit.

14. In hunc ergo modum juravit: *Per memetipsum juravi, quia fecisti hanc rem*, etc., Genes. 22, 16. *Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum*, etc., Genes. 22, 17.

15. Abraham autem, hâc Dei promissione acceptâ, Dei juramento securus, longo et patienti animo inter adversa perseverans, rem sibi promissam adeptus est. (Ita erit et de vobis, si credentes, in bonorum exercitio et malorum patientiâ perseveretis.)

16. (Ad hoc scilicet, ut in fide et in patientiâ perseveretis, Deus Abrahæ loquens juravit, quia) enim homines solent per majorem se jurare, ut veritatem à se assertam confirment, ita ut apud illos juramentum sit omnis controversiæ finis et veritatis confirmatio.

17. Hinc Deus humanum morem imitatus, cùm vellet nobis, spiritualibus Abrahæ filiis, et promissionis ei factæ hæredibus, insigniter declarare consilii sui firmitatem, promissionem suam juramento interposito confirmavit;

18. Ut per duas res, promissionem scilicet et ju-

ramentum, quæ sunt immutabiles, quibusque Deus, prima veritas, et summa veracitas, nec falli potest, nec fallere, maximam et firmissimam habeamus consolationem *in hujus vitæ procellis*, nos qui hoc naufragum relinquentes seculum, Christique fidem amplexi, confugimus ad apprehendendam, et firmissimè tenendam spem futurorum bonorum nobis propositorum, et pro hæreditate promissorum.

19. Hanc bonorum æternorum spem habemus, quasi anchoram tutam et firmam, *quæ animam nostram* in hujus seculi tempestatibus ita stabilem reddit, ut illius tamen cursum non retardet, sed fluctationem impediens, eam continuè perducit ad portum cœlestis gloriæ, *seu usque in empyreum cœlum, cujus* figura erat Sanctum sanctorum, pars interior templi, oppanso velamine ab aliis partibus, velut sacratior, separata.

20. In hoc verè Sanctum sanctorum Jesus Christus prior, tanquàm noster præcursor, introivit, nobis locum paraturus, nosque membra sua secum citò accersiturus; *introivit prior et pro nobis* Patrem oraturus, æterno quippe donatus est sacerdotio, factus Pontifex, secundùm ordinem Melchisedech, semper vivens ad interpellandum pro nobis; c. 7, v. 25.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Quapropter. Hæc illatio deducitur ex omnibus à v. 11 dictis in cap. 5; quasi diceret: Quia perfectorum solidus est cibus, infantium verò lac, et ne vos diutiùs tales maneatis, quales dixi, infantes ac parvuli, sed è contra ut viri tandem perfecti esse nitamini, ideò *omittamus*. Hebræorum enim infirmitatem exprobravit Apostolus, non ut animum despondeant, sed ut eos excitet et acuat.

Intermittentes, id est, omittentes; Syr., *omittamus*,

Inchoationis; Græc., *initii Christi sermonem*, id est, rudimenta christianæ doctrinæ, *seu principia* quibus rudes *in* Christo, seu catechumeni, initiantur;

Ad perfectiora; Græc., *ad perfectionem feramur*, id est, ad altiora ejusdem doctrinæ mysteria feramur; Syr., *veniamus*; quasi diceret: Jam diutiùs infantes fuistis, jam diutiùs quasi parvuli rudimentis adhæsistis; jam tandem sublimiora divinæ sapientiæ arcana ut viri perfecti intelligite, id est, ut ex cap. 7 patebit, figuras in veteri Testamento latentes et ad Evangelium pertinentes, v. g., Melchisedechi sacerdotium, Christi sacerdotii figuram, intelligite.

Non rursum jacientes fundamentum..., id est: Non iterùm vobis ea repetentes, quæ jam pridem didicistis, et sunt Christianismi *fundamentum*;

Pœnitentiæ ab operibus mortuis, v. g., non repetam quæ didicistis de pœnitentiâ baptismum præcedente, quâ receditur à peccatis, quæ sunt opera mortua et mortem promerentia.

Et fidei ad Deum. Hic et in secundo versiculo subintellige: *Non rursùm jacientes fundamentum fidei*, seu: Non repetam quæ vobis dicta sunt de fide, quâ acceditur ad Deum, qui est animæ vita et fons vitæ.

Vers. 2. — Baptismatum doctrinæ, id est: *Nec rursùm jacientes fundamentum doctrinæ* catechisticæ de baptismo, quæ catechumenis tradi solet. Dicit *baptismatum*, sive propter trinam immersionem, sive propter tria baptismata, fluminis, flaminis, et sanguinis; sive etiam quia varia et diversa erant tunc baptismata, Judaica, Joannis et Christi; et hoc ab aliis valdè distinguendum erat in doctrinâ catechisticâ.

Impositionis quoque manuum, id est, sacramenti confirmationis, quod per manuum impositionem confertur, solebatque tunc adultis conferri statim à baptismo;

Ac resurrectionis mortuorum, de quâ scilicet in Symbolo fidei; et quæ in ipso baptismo repræsentatur, Rom. cap. 6, v. 4;

Et judicii æterni, in quo boni præmiabuntur, mali punientur *in æternum*. Hinc *docemur* ordinem quo solebant apostoli christianam tradere doctrinam. Primò, excitabant ad pœnitentiam de peccatis; deinde fidem in Deum et in Christum exigebant; postea baptismum proponebant, cujus virtutem explicabant; baptizatis postmodùm manus imponebant, ut per sacramentum confirmationis Spiritum sanctum et robur gratiæ reciperent, quò generosiùs pro fide decertarent; denique ad constantiam excitabant spe gloriosæ resurrectionis et æternæ vitæ; et ab apostasiâ deterrebant damnationis æternæ metu.

Vers. 3. — Et hoc, id est, scilicet, ut omissis fidei rudimentis, ad altiora feramur; *hoc, inquam*, favente Dei gratiâ, quam spero, faciam in sequentibus.

Vers. 4. — Impossibile est enim... Dat rationem ob quam de fundamentalibus Christianismi veritatibus hic non agat; ne scilicet hujus doctrinæ repetitione

Vers. 1. — *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur. Inchoationis Christi sermonem*, id est, rudimenta Christianismi; *ad perfectiora feramur*, ut scilicet perfecta dogmata proponamus, nominatim de Melchisedech, ejusque sacerdotio, tanquàm antitypo sacerdotii Christi.

Non rursùm jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis; non rursùm vobis tradentes doctrinam religionis christianæ fundamentalem, quæ est de pœnitentiâ, fide, etc.; q. d.: Hæc vobis ab initio tradita sunt, tanquàm fundamenta spiritualis ædificii, nec iterùm tradenda, sed ab his assurgere debetis ad altiora.

Et fidei ad Deum, vel in Deum, puta Symbolum apostolorum, etc.

Vers. 2. — *Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum*, etc., id est, sacramentum confirmationis.

Vers. 3. — *Et hoc faciemus*, hoc scilicet ad perfectionem feremur, *si quidem permiserit Deus*, si Deus concesserit.

Vers. 4. — *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati*. Impossibile est semel baptizatos ite tim baptizari. Vocabatur Baptismus antiquis Ecclesiæ temporibus sacramentum illuminationis, quia per illud transtulit nos Deus de tenebris in admirabile lumen suum, quod est lumen gratiæ.

Gustaverunt etiam donum cœleste, hoc est, remissionem peccatorum, inquit Chrysost.; percipitur enim occulto quodam gustu suavitas illius doni, re-

foveret errorem quorumdam Hebræorum putantium quòd, sicut in Judaismo sæpiùs baptizabantur ut à legalibus immunditiis sanctificarentur, sic et in Christianismo multoties possent baptizari, et priorem assequi gratiam; hinc que liberiùs peccabant et dissolutè viventes, et à fide deficientes. De hoc errore Hebræorum vide D. Chrysostomum, Theodoretum, Theophylactum, Erasmum etiam in annotationibus, D. Thomam in v. 6, Gagnæum. Hunc ergo errorem, ut prorsùs extinguat Apostolus, et Hebræos ab apostasiâ penitùs deterreat, ait : IMPOSSIBILE EST ENIM ; quasi diceret : Frustra vos de his initialibus et ad baptismum disponentibus rursùm instruerem ; impossibile est enim semel baptizatos, et deinde à fide prolapsos, per pœnitentiam baptismalem ad novam vitam regenerari. Hic sensus clariùs patebit ex singulorum verborum explicatione. *Impossibile est ;* non dixit inutile, indecorum, sed *impossibile*, ut ad desperationem eos injiciat, et ne omninò sperent se denuò posse baptisma consequi, Theophylactus post D. Chrysostomum.

EOS QUI SÈMEL ILLUMINATI SUNT ; Syr. : *Qui semel ad baptismum descenderunt.* Baptismus à Græcis vocabatur φωτισμός, à Latinis illuminatio ; hinc et Apostolus infra, cap. 10, v. 31, baptizatos vocat illuminatos. Itaque sensus est : *Qui semel illuminati sunt* lumine fidei per baptismum, in quo habituale fidei lumen infunditur baptizato, et per quem Christus *nos de tenebris transfert in admirabile lumen suum*, id est, in Ecclesiam, 1 Pet. 2, v. 9.

GUSTAVERUNT ETIAM DONUM CŒLESTE ; Syr. : *Donum illud, quod è cœlis est*, id est, sanctam Eucharistiam, ait Primasius, quæ baptizatis conferri solebat ; vel, juxta D. Chrysostomum : Qui perceptâ per baptismum remissione peccatorum, gustaverunt et experientiâ cognoverunt conscientiæ pacem, et spiritalem illam dulcedinem quæ solet animæ sanctæ gustum reficere ;

ET PARTICIPES FACTI SUNT SPIRITUS SANCTI ; Syr. : *Et acceperunt Spiritum sanctum*, scilicet per confirmationis sacramentum : tunc autem plerùmque communicabantur et charismata Spiritûs sancti ;

VERS. 5. — GUSTAVERUNT NIHILOMINUS BONUM... ; Græc. : *Et pulchrum gustaverunt*, etc. ; Syr. : *Gustaveruntque bonum*, etc. ; *nihilominùs* itaque hìc idem est ac missionis, inquam, peccatorum, quoties eam conscientiæ pax et serenitas cum internâ spiritûs consolatione consequitur. Nonnulli panem cœlestem intelligunt, id est, Sacramentum corporis et sanguinis Domini, quod est verè donum cœleste, datum nobis ad gustandum ab eo qui dicit : *Ego sum panis qui de cœlo descendi*, Joan. 6. Meritò enim *donum cœleste* appellatur, quoniam corpus Domini est cœleste ; et ipse Christus cœlestis, 1. Cor. 15.

Et participes facti sunt Spiritûs sancti, charismatum Spiritûs sancti. Hujusmodi charismatum in Ecclesiâ primitivâ multi fiebant participes, ut vel linguis loquerentur, vel interpretarentur, vel prophetarent, etc.

VERS. 5. — *Gustaverunt nihilominùs bonum Dei verbum*, qui doctrinam cœlestia bona promittentem cum suavitate et gaudio perceperunt. Dicitur enim *etiam ;* sensus ergo est : Gustaverunt etiam spiritualem divini verbi suavitatem, juxta illud psal. 118 : *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua!* et ex illo præsenti gustu interno verbi Dei, et spirituali gratiæ Dei suavitate, agnoverunt quasi ex prægustu

VIRTUTES SECULI FUTURI, id est, quid Deus possit per gloriam in futuro seculo, seu quid divina virtus operatura sit in animabus et corporibus sanctorum, post resurrectionem per totam æternitatem ; seu quanta futura sit sanctorum in cœlis æterna beatitudo, cùm tantam et mortalibus conferat felicitatem ;

VERS. 6. — ET PROLAPSI SUNT, id est, et postea, his omnibus spretis, prolapsi sunt in antiquam perfidiam, seu à fide deficientes, sive in dedecora prioris vitæ relabentes.

RURSUS RENOVARI AD PŒNITENTIAM, id est : Impossibile est, inquam, tales in pœnitentiam, id est, per pœnitentiam baptismalem, seu quæ præcedit baptismum, de quâ v. 1, *rursùs renovari*, id est, eam iterùm novitatem consequi quam priùs in baptismo receperunt. In Græco hodierno est *renovare*, juxta quem est subintelligendum : Sese renovare ; vel fieri non potest ut sacerdotes eos renovent ; sed Syriaca versio et Arabica et Æthiopica habent *renovari*. D. etiam Chrysostomus. Non negat Apostolus quin tales apostatæ et peccatores possint resipiscere, et per pœnitentiæ sinceræ dolores et lamenta possint ad Dei gratiam redire, sed negat quòd possint *rursùs renovari*, id est, peccatorum suorum veniam rursùs recipere per viam regenerationis, seu renovationis, sicut in baptismo receperunt, ubi culpâ et pœnâ omninò dimissis, nova facti sunt in Christo creatura. Hoc inter baptismum et pœnitentiam discrimen benè D. Chrysostomus explicat dicens : « Renovare, seu novos facere, solius est baptismi ; pœnitentiæ autem est eos qui novi facti sunt et à peccatis deinde inveteraverunt, à vetustate liberare » (quasi diceret : Non renovat, sed quasi resarcit). Addit idem Chrysostomus : Ad illum autem, id est, ad priorem splendorem non licet reducere ; illic enim totum est gratia ; quasi diceret : Homo per baptismum renovatus, totus est gratia : in illo nihil restat nec culpæ, nec pœnæ solvendæ : ad hunc splendorem non reducit pœnitentia ; sic enim culpam delet, ut non omnem pœnam ordinariè dimittat. Homo per baptismum renovatus, culpis et pœnis omnibus *gustari verbum Dei*, inquit S. Thomas, quando non solùm illuminat intellectum, verùm etiam reficit affectum.

Virtutesque seculi venturi ; virtutes, id est, potentias. Significare videtur immortalitatem et gloriam electis promissam in regno Christi, etc. ; quæ vocantur *virtutes*, quia Dei virtus et potentia per ea mirificè declaratur. *Gustâsse* dicuntur has *virtutes*, qui eas fide, amore et magno desiderio perceperunt. Illum prægustum futuræ vitæ habebat S. August., utì ipse affectuosè narrat lib. 9 Confess., cap. 10.

VERS. 6. — *Et prolapsi sunt*, scilicet, post hæc omnia, post tanta dona, lumina, suavitates et dulcedines, in apostasiam, aliave peccata prolapsi sunt.

Rursùs renovari ad pœnitentiam, id est, per pœnitentiam. Ita Chrysost., Ambros., Hieron., August. Hi censent Apostolum loqui de pœnitentiâ Baptismi,

dimissis, securus est de suâ salute æternâ : non ita de pœnitente, qui nunquàm de veniâ securus est, qui et de propitiato peccato non debet esse sine metu, sed qui gemens et tremens debet expectare terribile Dei judicium, ut cap. 10.

RURSUM CRUCIFIGENTES SIBIMETIPSIS..., id est : Hâc baptismi reiteratione, *rursùm* ad suam propriam utilitatem, FILIUM DEI, in imagine *crucifigentes*, ET OSTENTUI HABENTES ; Syr. : *Ignominiâ afficientes*, infamantes, id est, et illum opprobriis et ludibrio publicè exponentes. His verbis D. Paulus ex D. Chrysostomo rationem reddit cur non possit reiterari baptismus, hæcque ratio sanè fundamentalis est in doctrinâ D. Pauli : etenim ut ipse, Rom. 6, docet, baptismus est nostra cum Christo crucifixo mors et sepultura : *In morte Christi baptizati sumus;* ergo qui secundâ vice baptizatur, quantùm est in se, rursùs Christum affigit cruci, ejusque renovat opprobria in imagine saltem et signo. Hoc autem absurdum, quia tunc signum et sacramentum mortis Christi non concordat cum re significatâ ; semel enim tantùm mortuus est Christus : sicut ergo unica fuit mors Christi, ita et unicum est baptisma, quod est illius mortis sacramentum. Et hæc est interpretatio D. Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti, imò communis est apud antiquos Patres, tum Græcos, tum Latinos. Hanc sequitur D. Thomas, eamque tribuit D. Augustino ; Estius attribuit et D. Ambrosio, D. Damasceno ; et sanè videtur Apostolicæ menti valdè conformis, tum ex ipso contextu, tum ex singulorum verborum proprietate, ut supradicta legenti patere potest. Est tamen alia inter recentiores valdè communis expositio, quâ per *impossibile* intelligitur difficile, per *prolapsos* intelliguntur quilibet post baptismum gravissimi peccatores, per *renovari* in *pœnitentiam* intelligitur pœnitentia propriè dicta, quæ talibus peccatoribus est valdè difficilis et moraliter impossibilis. Juxta hanc interpretationem, hæc verba *rursùm crucifigentes..., ostentui habentes*, non referuntur ad *renovari*, sed ad *prolapsi sunt*, hujusque lapsûs sunt exaggeratio ; quasi diceret Apostolus quòd peccatores isti peccatis suis Christum, quantùm est in se, rursùs crucifigunt, ejusque renovant opprobria, quia peccatum, opprobriorum et mortis Christi causam, renovant.

Utraque interpretatio catholica et vera est, id est, nihil non verum affirmat : verum enim est et quòd non reiteretur baptismus, sicque ex Dei ordinatione impossibilis sit per baptismalem pœnitentiam renovatio ; et verum est quòd ii qui post multas acceptas à Deo gratias graviter et obstinatè peccant, vix et rarò per veram pœnitentiam convertantur ; tum quia ex unâ parte retinet eos in peccatis sua propria habitualis malitia, tum quia ex alterâ parte fons gratiæ et ros misericordiæ (specialis scilicet) quasi exsiccatur illorum exorbitante ingratitudine. Adeò terribile est Deum contemnere et quasi irridere ! Sed quænam apostolicæ menti conformior ? Id ex contextu et ex verborum apostolicorum proprietate judicet lector. Primæ expositioni favet verbum *impossibile*, quod D. Paulus in hâc Epistolâ sumit non pro re difficili, sed pro re verè impossibili. Vide in hoc cap. 6, v. 18 ; cap. 10, v. 4 ; cap. 11, v. 6 : favent et hæc verba *semel illuminati*, et *rursùm renovari*, quæ apud D. Paulum conveniunt baptismo, quo per excellentiam illuminamur, et qui lavacrum est renovationis ; favet denique *rursùm crucifigentes*, quia baptismus est nobis vice crucis, et sacramentum Christi mortis, ex eodem D. Paulo, Rom. 6. Secundæ expositioni favet hæc locutio *renovari in pœnitentiam*, favet et, v. 7 et 8, similitudo, quæ pœnitentiæ meliùs convenit.

VERS. 7. — TERRA ENIM SÆPÈ VENIENTEM... Rem illustrat eleganti similitudine : homo comparatur terræ ; gratia cœlestiaque dona, de quibus v. 4 et 5, comparantur imbri ; bona opera comparantur frugibus ; dominus terræ et fructuum Deus est, à quo majorem benedictionem accipiunt qui benè operantur. *Terra* igitur, si pluviam in se sæpiùs effusam exceperit, et herbas genuerit iis A QUIBUS COLITUR utiles, majorem ACCIPIT A DEO BENEDICTIONEM ; *quia libentiùs* et diligentiùs à suis dominis culta, majorem etiam accipit à Deo frugum et fructuum abundantiam, vel *quia* Deus fruges ejus adducit ad maturitatem.

VERS. 8. — PROFERENS AUTEM SPINAS. Mali sunt terra proferens spinas ; spinæ autem et tribuli sunt

seu quæ præit Baptismum, tantùmque damnare hoc loco iterationem Baptismi. Hùc spectant quæ tradit synodus Tridentina, sess. 14, c. 2, doctrinæ de Differ. Sacram. Bapt. et Pœnit. Qui locum præsentem restringunt ad apostatas, aut ad eos *qui peccaverunt* in Spiritum sanctum, generaliter accipiunt *pœnitentiam*, et hanc volunt esse Apostoli mentem : Impossibile est ut tales ad veram adducantur pœnitentiam ; Deo videlicet, aut nunquàm, aut quàm rarissimè iis qui in talia peccata lapsi fuerint, salutarem pœnitentiam inspirante.

Rursùm crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, q. d. : Prolapsi sunt, *quia rursùm* crucifigunt Christum. Omnis qui in pristina peccata, ac præsertim qui à fide in Judaismum et hæresim, aut infidelitatem relabitur, iterùm quasi crucifigit Christum, etc.

Et ostentui habentes, id est, paradigma sive exemplum statuentes, quod ab hominibus videatur et rideatur ; hoc est, infamantes, irrisioni et ludibrio exponentes. Unde Syrus habet : *Contemnunt, despiciunt, contumeliâ et ignominiâ afficiunt.* Qui enim apostatat et in peccata relabitur, hoc ipso contemnit, vilipendit et ridet Christum, Christique crucem et redemptionem.

VERS. 7. — *Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam*, id est, utilem et accommodam *illis à quibus colitur*, etc. *Benedictionem* vocat continuam fertilitatem. Hâc terræ similitudine significat Apostolus homines, qui imbrem gratiæ divinæ excipiunt, eique cooperantes, fructus bonorum operum producunt, à Deo benedici, id est, majori gratiæ et consolationis cœlestis influxu, virtutum et meritorum copiâ cumulari.

VERS. 8. — *Proferens autem spinas ac tribulos*, etc. *Spinas*, tanquàm aborsum, cùm per se generare deberet herbam utilem..*Reproba*, id est, rejicienda et inculta relinquenda, ut fiat horridum vepricetum. *Maledicto proxima*, ut, nisi meliora ferat germina, maledictioni, id est, sterilitati et squalori perpetuo subjaceat.

christianæ religionis contemptus, mala opera; maledictio heri, damnatio; incendium, pœna inferni, seu infernus. Si autem postquàm venientem in se pluviam sæpè biberit, spinas profert et herbas cultoribus suis importunas, oneratur MALEDICTO, et deputatur incendio cum suis spinis et tribulis.

CUJUS CONSUMMATIO; Græc., *finis;* Syr., *sed finis ejus est combustio*, id est, illius finis et exitus erit ut comburatur. Per metonymiam dicitur terra comburi, cùm spinæ, tribuli et inutiles herbæ, quæ terræ superstant, comburuntur.

Observationes dogmaticæ et morales.

Ex utràque sexti versûs interpretatione, collige quòd perversè hoc loco abutebantur Novatus et Novatianus, qui *lapsis post baptismum denegabant* pœnitentiam; et manifestè contra D. Pauli mentem, qui eam incestuoso Corinthio non denegavit, et qui præterea in hâc et in aliis Epistolis suis fideles ad pœnitentiam frequenter hortatur.

Ex enumeratione gratiarum in v. 4 et 5 factâ à D. Paulo, *collige quòd non catechumeni tantùm*, aut recens baptizati, lapsui sint expositi, verùm etiam et qui plurimùm in Christianismo profecerunt; hinc que collige quòd cum timore et tremore continuo tuam debeas salutem operari: quia nullus est status, nullusque profectus in hâc vitâ, qui nos planè securos et à periculo reddat *immunes*.

Ex comparatione in v. 7 et 8 contentâ, collige quantâ fidelitate debeas cœlestis gratiæ pluviam recipere, eique cooperari; et ex illo cœlesti succo fructus bonorum operum producere, ut à Deo benedicaris. In te reflexus attende et vide an terra sis frugifera, an *sterilis*; et ideò quid debeas expectare, an benedictionem, an maledictionem. Time ne tibi dicatur à Christo quod ficulneæ infructuosæ: *Nusquàm ex te fructus nascatur. Ut quid terram occupat?*

VERS. 9. — CONFIDIMUS AUTEM DE VOBIS; Græc., *persuasi sumus*. Temperat Apostolus posteriorum verborum duritiem; quasi diceret: Absit ut hæc dicens, talia de vobis arbitrer: nimirùm quòd sitis *terra spinas proferens, maledicto proxima*, etc. Persuasi mihi DE VOBIS, id est, de plerisque vestrûm,

MELIORA ET VICINIORA; Græc., *proxima saluti;* Syr., *pvopinqua*, id est, quæ salutem promittunt, non exitium.

TAMETSI ITA LOQUIMUR de quibusdam terræ infrugiferæ similibus; ut divinæ gratiæ fideliter respondeatis, ne tales sitis unquàm.

VERS. 10. — NON ENIM INJUSTUS EST DEUS... Dat rationem cur benè speret de illis: scilicet, quia benè cœperunt, multaque charitatis opera propter Deum exercuerunt et adhuc actu exercent. *Non injustus est Deus;* justitiæ est implere promissa: Deus ergo injustus quodammodò dici posset, si oblivisceretur bonorum operum, eisque promissam mercedem non retribueret.

UT OBLIVISCATUR OPERIS VESTRI, id est, bonorum vestrorum operum in gratiâ factorum.

ET DILECTIONIS; Græc., *et laboris dilectionis*, id est, *dilectionis* cum laboribus et molestiis conjunctæ: putatur tamen à librariis intrusum nomen *laboris;*

QUAM OSTENDISTIS IN NOMINE IPSIUS, id est, propter Deum, vinctis et afflictis, vide cap. 10, v. 33 et 34.

QUI MINISTRASTIS, silicet vitæ necessaria,

SANCTIS, id est, Christianis vinctis et afflictis, vide cap. 10, v. 33 et 34.

ET MINISTRATIS, id est, et etiam nunc ministratis pauperioribus. Hinc collige quòd stantibus et nondùm lapsis loquitur Apostolus, sed in periculo labendi.

VERS. 11. — CUPIMUS AUTEM. Mira est Apostoli nostri prudentia, modò terret, modò erigit; erectos iterùm monet; quasi diceret: Etsi de plerisque vestrûm optimè sentiam, propter illa charitatis opera, quæ cum Dei gratiâ hactenùs egistis, hæc tamen duriora dixi ut vobis stimulos subjiciam, quibus unumquemque vestrûm ad perseverantiam adhorter et excitem, nullusque deficiat. *Cupimus;* non dixit: Volo, quod erat præceptoriæ auctoritatis; sed: Cupio, quod est paterni affectûs, ait Theophylactus post D. Chrysostomum; magno itaque charitatis affectu desidero.

UNUMQUEMQUE VESTRUM. Non dixit simpliciter: Pro vobis, sed: Pro unoquoque vestrûm: adeò omnium, sive majorum, sive minorum curâ tangebatur, omnesque nôrat, idem Theophylactus.

EAMDEM OSTENTARE SOLLICITUDINEM; Græc., *idem studium;* Syr., *hanc ipsam sedulitatem ostendat*, id est, eumdem in exercendâ charitate fervorem ostendere; quidam enim refrixerant, quos vult reaccendere;

USQUE IN FINEM, scilicet vitæ vestræ,

AD EXPLETIONEM SPEI, id est, ut quod speratis impleatur in vobis, æternæ beatitudinis possessione; quasi diceret: Vestram salutem æternam vehementer exopto; hinc et vestram in bonis operibus perseverantiam ardenter desidero: *Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

VERS. 12. — UT NON SEGNES EFFICIAMINI; Syr., *neque torpescatis*, id est: Ut non sitis pigri et tepidi; te enim sanctâ vitâ, crescit et spes, et quantùm illa, tantùm et hæc perficitur et consummatur.

VERS. 12. — *Ut non segnes efficiamini.* Nam qui præ torpore et ignaviâ cessant à bonis operibus, expertes erunt hæreditatis promissæ.

Verùm imitatores eorum qui fide et patientiâ hæreditabunt promissiones. Fide scilicet quâ credunt, si Deo fideles sint, se ab eo bona æterna accepturos; hæc enim fides est quæ spem excitat et sustentat ad quævis ardua suscipienda et perferenda.

VERS. 9. — *Confidimus autem de vobis*, etc., id est, persuasimus nobis, vos scilicet non esse instar terræ, quæ germinat spinas et tribulos, etc.

VERS. 10. — *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur... dilectionis*, etc. Quam dilectionem ipso opere exhibuistis propter nomen Dei, id est, propter Deum, quem sincerè colitis et amatis.

VERS. 11. — *Cupimus autem unumquemque.... ostentare*, etc., idem ostendere studium. Spem enim vult esse perseverantem usque ad mortem; crescen-

ne vobis improperetur quòd primam vestram charitatem perdidistis, Apoc. 3;

VERUM IMITATORES..., sed è contra proficientes in bono, imitatores sitis sanctorum novi Testamenti, quibus ministrâstis, et sanctorum veteris Testamenti, quorum estis filii.

QUI FIDE ET PATIENTIA; Græc.: *Per fidem et longanimitatem*, id est, qui Dei promissis firmiter credentes, et ea longanimiter expectantes,

HÆREDITABUNT, id est: Velut hæreditatem possidebunt æterna bona illis promissa, quæ crediderunt, quæ speraverunt, et quæ, in bonis operibus perseverantes, multa interim mala passi, longanimiter exspectaverunt. Fides salutem æternam inchoat; bona opera fide vivâ, seu per dilectionem operante, facta, salutem efficiunt; perseverantia in bono, patientia in adversis, salutem consummant. Hinc Hebræos Apostolus hortatur exemplo sanctorum ad fidem, ad charitatis opera, ad perseverantiam in bonis operibus, ad patientiam in afflictionibus, ut sicut et illi beatitudinem æternam hæreditent. In Græco hodierno est *qui hæreditant*, id est, hæreditare solent, seu jus habent hæreditarium.

VERS. 13. — ABRAHÆ NAMQUE DEUS PROMITTENS... Abrahæ, credentium patris, exemplo, probat quod dixit, fide et patientiâ promissiones Dei hæreditandas; id est: Cùm Deus Abrahæ pollicerctur, scilicet multiplicationem seminis, possessionem terræ Chanaan, omnium gentium in semine benedictionem,

QUONIAM NEMINEM HABUIT MAJOREM, id est, sibi superiorem, et majoris veracitatis et auctoritatis, per quem juraret,

JURAVIT PER SEMETIPSUM, Genes. 22, v. 16: *Per memetipsum juravi*, dicit Dominus, etc.; et hoc est quod Scriptura vocat juramentum Dei. Quippe Deus propriè non jurat; juramentum enim est actus religionis quo creatura Deum honorat, dùm eum, ut primam veritatem, advocat in testem veritatis alicujus assertæ. Hoc Deo non convenit, sed dicitur jurare dùm facit quod homines jurando solent facere, seu dùm suam divinam veritatem et auctoritatem citat: *Per memetipsum juro.*

VERS. 14. — DICENS: NISI; Græc., *certè*; BENEDICENS BENEDICAM TE, id est, beneficiis te cumulabo; ET MULTIPLICANS MULTIPLICABO TE, id est, infinitâ filiorum multitudine te ditabo, quorum pater eris carnali generatione, aut spirituali per Christum filium tuum; in quo *benedicentur omnes gentes*, v. 18.

VERS. 15. — ET SIC, scilicet acceptâ Dei promissione sub juramento,

FIRMITER CREDENS, longanimiter ferens, longo et patienti animo inter adversa perseverans et patienter expectans,

ADEPTUS EST PROMISSIONEM, id est, rem sibi promissam; inchoativè in se, suisque carnalibus filiis; consummativè verò in Christo, suisque spiritualibus filiis, scilicet Christianis. Ita igitur et vos, si firmiter credatis, si longanimiter feratis et non deficiatis, bonum promissum consequemini.

VERS. 16. — HOMINES ENIM JURANT... Dat rationem cur juraverit Deus, scilicet quia loquebatur hominibus; homines autem jurant dùm volunt suas promissiones reddere firmiores. Juravit ergo Deus, quia voluit hominum incredulitatem juramento certam reddere, ait D. Anselmus. Syr.: *Siquidem homines per majorem seipsis jurant, ac de omni contentione quæ accidit inter eos, vera solutio fit per jusjurandum.*

PER MAJOREM SUI, id est, se; Græcismus est;

ET OMNIS CONTROVERSIÆ EORUM..., id est, et quidquid inter eos litis et contentionis agitatur, juramento sedatur; AD CONFIRMATIONEM, scilicet veritatis. In rebus de quibus aliter constare non potest, in divino statur testimonio, tanquàm in primo et firmissimo ad probandum testimonio. Deus ipsa veritas est, omnia certissimè videt, et ad omne mendacium puniendum potentissimus est.

VERS. 17. — IN QUO; Syrus., *quapropter*, id est, quare; quia scilicet homines jurant ad confirmationem veritatis, hinc DEUS VOLENS..., ut nostris sese moribus accommodaret, ABUNDANTIUS, id est, quàm nudâ et simplici promissione; vel abundantiùs in hâc, quàm in aliis promissionibus,

OSTENDERE POLLICITATIONIS HÆREDIBUS, id est, omnibus veris Abrahæ filiis, benedictionis hæredibus,

IMMOBILITATEM, id est, immutabilitatem promissionis suæ, seu, ut ait Syr., *pollicitationem suam esse immutabilem*,

---

VERS. 13. — *Abrahæ namque promittens Deus.* Abraham patrem vestrum vobis imitandum propono: ut, sicut ipse fide et patientiâ promissionem sibi à Deo factam et juratam tandem consecutus est, ita et vos eamdem longâ fide, spe et patientiâ consequamini. Promissio enim Abrahæ facta, vobis quoque, omnibus fidelibusque facta est.

Quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per semetipsum. Ostendit promissionem Dei esse certam et firmam, nec quemquam de eâ posse dubitare, quia Deus eam juramento confirmavit, jurans per semetipsum.

VERS. 14. — *Dicens: Nisi benedicens benedicam te*, etc.; q. d.: Nisi te benedicens benedixero, id est, nisi beneficiis meis cumulatè tibi benefecero, iisque abundè te cumulavero. Hoc enim significat illa geminatio: *Benedicens benedicam.* Jam verò cùm benedicere Deo attributum sit idem quod benefacere, consequitur hunc esse sensum juramenti: Per meipsum juro me cumulaturum te beneficiis, et numerosam posteritatem daturum. Supple et subaudi: Non habeat Deus verax, fidelis. Jurat enim hic Deus, ut ait Apostolus, per semetipsum, seque quasi devovet. Idcircò promissionem hanc non de solis beneficiis terrenis ac posteritate carnali debemus accipere, sed etiam ac præcipuè de beneficiis à Deo per Christum præparatis atque exhibitis.

VERS. 15. — *Et sic longanimiter ferens* (expectans), *adeptus est repromissionem*, id est, posteaquàm patienter expectàsset, consecutus est rem promissam.

VERS. 16, 17. — *Homines enim per majorem sui jurant.... In quo* (in quâ re, scilicet promissione suâ, vel *in quo*, id est, propter quod) *abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus* (filiis Abrahæ,

INTERPOSUIT JUSJURANDUM, Syr. : *Eam obstrinxit jurejurando;* quasi diceret : Suam Deus ipse fidem fulcit jurejurando;

VERS. 18. — UT PER DUAS RES IMMOBILES, scilicet promissionem et juramentum,

QUIBUS ; Græc., *in quibus* ; Syr., *in quibus,* scilicet duabus rebus,

IMPOSSIBILE EST MENTIRI DEUM, qui, cùm prima sit veritas, et maximè verax, nec falli potest nec fallere,

FORTISSIMUM SOLATIUM HABEAMUS, id est, maximam et tutissimam in hujus vitæ adversis et angustiis consolationem inveniamus, securi scilicet de Dei promissione juramento confirmatâ.

QUI CONFUGIMUS... Nos spirituales Abrahæ filii, *qui, relicto hoc seculo naufrago*, Christi fidem amplexi, *confugimus* AD TENENDAM PROPOSITAM SPEM, id est : Confugimus in præterito ad apprehendendam et firmissimè amplectendam spem futurorum bonorum nobis propositorum et pro hæreditate promissorum. *Spem* per metonymiam vocat hìc objectum spei, seu rem quam speramus, scilicet æternam gloriam nobis pro bonorum operum mercede propositam et promissam.

VERS. 19. — QUAM, scilicet *spem,* SICUT ANCHORAM HABEMUS ANIMÆ...; Syr. : *Quæ quidem est nobis velut anchora, quæ retinet animam nostram ne commoveatur;* id est : *Quam spem habemus* velut *anchoram animæ,* non qualemcumque, sed TUTAM, id est, infallibilem, ET FIRMAM, id est, quæ firmiter retinet quod apprehendit : sicut anchora tuta navim sistit, ne vi tempestatum, hùc et illùc agitata, conquassetur, sic spes animam firmat inter hujus seculi tempestates, ne demergatur;

ET INCEDENTEM ; Græc., *ingredientem;* id est : Ita firmat et stabilem reddit animam, ut illius fluctuationem impediens, cursum non retardet, sed illam perducit

USQUE AD INTERIORA VELAMINIS, id est, usque ad Sanctum sanctorum, quod erat intra velum ; id est, usque ad cœlum empyreum, cujus figura erat Sanctum sanctorum.

VERS. 20. — UBI PRÆCURSOR, id est : quò Jesus Christus primus INTROIVIT, idque nostro bono, propter nos, ut locum nobis pararet ; prodromus, antecursor, *præcursor*, quem, ut membra, citò secuturi sumus ;

SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH PONTIFEX..., id est : PRO NOBIS, inquam, ingressus est, æterno donatus sacerdotio, *secundùm ordinem Melchisedech, ad interpellandum pro nobis.*

---

puta fidelibus) *immobilitatem* (firmitatem et immutabilit. tem) *consilii sui,* promissionis suæ, *interposuit jusjurandum.*

VERS. 18. — *Ut per duas res immobiles,* per promissionem et jusjurandum, inquit Theophyl.

Quibus impossibile est mentiri Deum. Sensus est Deum nec simplici promissione, nec juramento mentiri aut fallere posse, cùm sit ipsa veritas.

Fortissimum solatium habeamus id est, validam consolationem, vel validam exhortationem habeamus, scilicet ut respicientes in promissa Dei tanta tamque certa, in persecutionibus et tribulationibus animo non frangamur, sed tantorum bonorum spe excitati, alacres ad res arduas accedamus.

Qui confugimus ad tenendam propositam spem. Qui ex quo Christi fidem sumus amplexi, relicto fallacis seculi amore, confugimus ad spem bonorum cœlestium et æternorum, quæ nobis proposita est, firmiter ac mordicùs retinendam.

VERS. 19. — *Quam* (spem) *sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Spes verò in summo, scilicet in cœlo, Deoque ipso defigitur.

Et incedentem usque ad interiora velaminis. Anchora animæ spes nostra non satis habet in vestibulum pervenisse, id est, non est contenta bonis terrenis et visibilibus; sed penetrat usque ad ea quæ sunt intra velum, videlicet in ipsa Sancta sanctorum, id est, Deum ipsum et cœlestia bona apprehendit, atque in iis figitur.

VERS. 20. — *Ubi præcursor pro nobis introivit Jesus.* Significat Christi ascensionem et introitum in regnum cœleste. *Præcursor* noster, quem scilicet ipsi mox secuturi simus. *Introivit Jesus,* idque non tam pro se et suâ glorià quàm pro *nobis* et nostrâ glorià,

Secundùm ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum, ut ibi quasi pontifex æternus Patri assistat, illique suam crucem et mortem repræsentet, offerat, atque fidelibus suis omnem gratiam, omniaque media quibus in cœlum contendant, impetret. Quæ res quantùm ad spem nostram corroborandam valeat, per se manifestum est.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

1° Ex v. 6 collige et observa quanto studio conservanda sit baptismalis gratia. Primò, quia nihil illâ pretiosius ; est enim renovatio quâ homo fit nova in Christo creatura, initium substantiæ Christi, filius Dei, hæres Dei, cohæres Christi, jus habens ad omnia Dei bona, totus gratia, nihil damnationis habens. Secundò, quia illius jactura est irreparabilis. Non reparatur per baptismum, qui ex Dei ordinatione unicus est, et non reiteratur ; sicut mors Christi fuit unica, nunquàm reiteranda. Non reparatur per labores et lamenta pœnitentiæ, quæ sarcimen est, non renovatio ; non dat eumdem splendorem ; restat semper aliquis nævus, aliqua post peccatum infirmitas in animâ ; sicut in corpore post vulnus restat cicatrix aut callosa caro ; non dat eamdem securitatem, sed terribilis restat expectatio judicii. Vide dicta in commentario, v. 6. Utinam hæc intelligerent, et saperent recens baptizati ; hæc sapientes, intelligentes, et insuper novissima providentes, baptismalem gratiam conservarent studiosiùs !

2° Ex eodem v. 6 collige et nota quantum malum sit relapsus in peccatum, peccandique consuetudo, quæ pœnitentiam reddunt moraliter impossibilem ; tum ex parte peccatoris, tum ex parte Dei. Vide commentarium, ibidem.

3° Ex v. 7 et similitudine ibi allatâ, collige et

nota quantâ cum sedulitate debeas cœlestem divinæ gratiæ pluviam recipere eique cooperari. Anima tua ager Dei est; Evangelium, verbum Dei, semen est quod Deus in animâ tuâ velut in agro suo disseminavit; gratia per sacramenta tibi tam sæpè collata, ros est et pluvia cœlestis, quâ Deus agrum suum, animam tuam, verbo fœtam irrigat. Tuum est hanc pluviam recipere, combibere, cavere ne defluat; ei consentire, cooperari, curare ut ex eâ et per eam germinent et adolescant semina pietatis in te indita, fructusque producant Deo gratos. Hoc si facias, à Deo benediceris : sin autem anima tua, hâc rejectâ pluviâ cœlesti, et suffocato pietatis semine, spinas proferat et tribulos, maledictioni proxima est, et incendio statim deputanda, nisi citò emendaveris. Non sunt hæ minæ Pauli, non sunt verba hominis; sunt Spiritûs sancti, sunt Christi, qui in ipso loquitur, ait D. Chrysostomus. Itaque seriò attende tibi, et vide an pietatis fructus producas, an spinas; time et cura ne germinent spinæ. Semper bibimus, addit Chrysostomus, semper audimus, sed humorem statim perdimus : propterea oriente sole spinas perducimus. O Deus misericors! da ut anima mea, tuo sanguine tam sæpè irrigata, sit à spinis munda, et fructus tuâ gratiâ pariat tibi gratos.

4° Ex v. 17 disce cum gaudio, et nota quòd promissio Dei facta Abrahæ sub juramento, spectet ad nos Christianos, ut firmior sit spes nostra. Deus nobis spiritualem et æternam in Christo et per Christum benedictionem promisit; Deus, veritas ipsa, hanc suam promissionem juramento firmavit. O nos beatos! quorum causâ Deus jurat; sed ô miseros! si nec juranti Deo credimus. Itaque crede, credens spera firmiter. Promissio Dei infallibilis est, ubi impleta est conditio sub quâ promisit : juramentum Dei immutabile est, Deus mentiri non potest; his itaque duobus immobilibus innixus, spera immutabiliter, semper spera, dic cum beato Job : *Etiamsi me occiderit, sperabo in eum.* Hæc spes sit anchora, ipsi Deo, imò Dei ipsius cordi infixa, cor tuum inter undas et seculi tempestates firmum tenens; at sic firmum et stabile, ut directè et continuè ad cor Dei, portum æternæ felicitatis perducat. Hæc spei praxis omnibus quidem Christianis convenit, qui in baptismate seculo renuntiantes per affectum, confugerunt ad tenendam propositam fidem; specialiùs convenit omnibus religiosis, qui de facto per votum paupertatis omnia relinquentes, ad propositam spem confugerunt; at specialissimè convenit alumno D. Francisci, qui per strictissimæ paupertatis votum, omnibus omninò bonis, et in communi, et in particulari, renuntians, confugit *ad tenendam propositam spem.* Itaque inter hujus seculi fluctus et tempestates, te ab omnibus omninò creatis bonis separatum, et soli Deo, omnium bonorum fonti, per spem unitum respiciens, dic cum lætitiâ : *Mihi adhærere Deo bonum est, et ponere in Domino Deo spem meam.* Omnia quippe creata, instar aquæ, fluxa sunt, tu Deus solus stas et perstas immobilis; omnia creata propriè nihil sunt, tu solus es, solus à te, solus omne ens, solus propter te; *Deus itaque cordis mei* (rupes cordis mei, Hebraicè, ait Fromondus), *et pars mea Deus in æternum.*

5° Ex v. 20 collige et nota duo quæ hanc spem nostram in promissione et juramento Dei fundatam acuunt et excitant : Jesus Christus, in quo nos Deus *benedixit omni benedictione spirituali*, in cœlestem gloriam prior introivit, ut noster præcursor et noster Pontifex. *Introivit*, ecce non tantùmmodo promissum, sed et exemplar. *Introivit pro nobis;* sicut propter nos factus est homo, sicut propter nos mortuus est, ita et propter nos resurrexit, ascendit, et introivit in cœlum. *Ut præcursor,* locum nobis paraturus; citò nos quoque adventuros, ascensuros significaturus. Non est multum interstitium inter præcursorem et eos qui sequuntur; alioqui non esset præcursor, ait D. Chrysostomus; necesse est ergo ut nos quoque sequamur et ascensum consequamur, Theodoretus. *Ut Pontifex noster,* Patrem pro nobis rogaturus. Sicut pontifex semel in anno in Sanctum sanctorum ingrediebatur ut pro populo interpellaret, ita Christus, Pontifex æternus, introivit in cœlum, Patri suo mortem suam, semel obitam, perpetuò oblaturus ac repræsentaturus, ut nos reconciliet, nobisque omnia auxilia ad secum ascendendum in cœlum necessaria impetret ac submittat. Quis Christianus non speret?

CAPUT VII.

1. Hic enim Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso à cæde regum, et benedixit ei :

2. Cui et decimas omnium divisit Abraham : primùm quidem qui interpretatur rex justitiæ; deinde autem et rex Salem, quod et rex pacis :

3. Sine patre, sine matre, sine genealogiâ, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.

4. Intuemini autem quantus sit hic, cui et decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha.

5. Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere à populo secun-

CHAPITRE VII.

1. Car ce Melchisédech, roi de Salem, prêtre du Dieu très-haut qui vint au-devant d'Abraham lorsqu'il retournait de la défaite des rois, et qui le bénit,

2. Auquel aussi Abraham donna la dîme de tout; ce Melchisédech qui s'appelle, selon l'interprétation de son nom, premièrement roi de justice, puis roi de Salem, c'est-à-dire, roi de paix,

3. Sans père, sans mère, sans généalogie; qui n'a ni commencement, ni fin de sa vie, étant ainsi l'image du Fils de Dieu, demeure prêtre pour toujours.

4. Considérez donc combien grand il doit être, puisque le patriarche même Abraham lui donna la dîme de ses dépouilles.

5. Il est vrai que ceux qui, étant de la race de Lévi, entrent dans le sacerdoce, ont droit, selon la loi, de prendre la dîme du peuple, c'est-à-dire, de leurs

dùm legem, id est, à fratribus suis : quanquàm et ipsi exierint de lumbis Abrahæ.

6. Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, et hunc qui habebat repromissiones benedixit.

7. Sine ullâ autem contradictione, quod minus est à meliore benedicitur.

8. Et hìc quidem decimas morientes homines accipiunt; ibi autem contestatur, quia vivit.

9. Et (ut ita dictum sit) per Abraham et Levi, qui decimas accepit, decimatus est.

10. Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech.

11. Si ergo consummatio per sacerdotium leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit), quid adhuc necessarium fuit, secundùm ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, et non secundùm ordinem Aaron dici?

12. Translato enim sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat.

13. In quo enim hæc dicuntur, de aliâ tribu est, de quâ nullus altari præsto fuit.

14. Manifestum est enim quòd ex Judâ ortus sit Dominus noster; in quâ tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est.

15. Et ampliùs adhuc manifestum est, si secundùm similitudinem Melchisedech exsurgat alius sacerdos

16. Qui non secundùm legem mandati carnalis factus est, sed secundùm virtutem vitæ insolubilis.

17. Contestatur enim : Quoniam tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.

18. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, et inutilitatem;

19. Nihil enim ad perfectum adduxit lex; introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum.

20. Et quantùm est non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt :

21. Hic autem cum jurejurando, per eum qui dixit ad illum : Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum);

22. In tantum melioris Testamenti sponsor factus est Jesus.

23. Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere :

24. Hic autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.

25. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum; semper vivens ad interpellandum pro nobis.

26. Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus et excelsior cœlis factus :

27. Qui non habet necessitatem quotidiè, quemadmodùm sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit semel, seipsum offerendo.

28. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes; sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.

frères, quoique ceux-ci soient sortis d'Abraham aussi bien qu'eux.

6. Mais celui qui n'a point de place dans leur généalogie a pris la dîme d'Abraham, et a béni celui à qui les promesses ont été faites.

7. Or, il est sans doute que celui qui reçoit la bénédiction est inférieur à celui qui la donne.

8. Aussi dans la loi, ceux qui reçoivent la dîme sont des hommes mortels; mais celui qui la reçoit ici n'est représenté que comme vivant.

9. Et de plus, Lévi, qui reçoit la dîme des autres, l'a payée lui-même, pour le dire ainsi, dans la personne d'Abraham;

10. Puisqu'il était encore dans Abraham son aïeul, lorsque Melchisédech vint au-devant de ce patriarche.

11. Car si le sacerdoce de Lévi, sous lequel le peuple a reçu la loi, avait pu rendre les hommes justes et parfaits, qu'était-il besoin qu'il se levât un autre prêtre, qui fût appelé prêtre selon l'ordre de Melchisédech, et non pas selon l'ordre d'Aaron?

12. Car le sacerdoce étant changé, il faut nécessairement que la loi aussi soit changée.

13. Car celui dont ces choses ont été prédites est d'une autre tribu, dont nul n'a jamais servi à l'autel;

14. Puisqu'il est certain que Notre-Seigneur est sorti de Juda, qui est une tribu à laquelle Moïse n'a jamais attribué le sacerdoce.

15. Et ceci paraît encore plus clairement, en ce qu'il s'élève un autre prêtre selon l'ordre de Melchisédech,

16. Qui n'est point établi par la loi d'une succession charnelle, mais par la puissance de sa vie immortelle,

17. Ainsi que l'Écriture le déclare par ces mots : Vous êtes le prêtre éternel selon l'ordre de Melchisédech.

18. Ainsi la première loi est abolie, à cause de sa faiblesse et de son inutilité;

19. Parce que la loi n'a rien conduit à la perfection. Mais aussi une meilleure espérance, par laquelle nous nous approchons de Dieu, a été substituée en sa place.

20. Et de plus, ce sacerdoce n'a pas été établi sans serment; car au lieu que les autres prêtres ont été établis sans serment,

21. Celui-ci l'a été avec serment, Dieu lui ayant dit : Le Seigneur a juré, et son serment demeurera immuable : Vous êtes le prêtre éternel.

22. Tant il est vrai que l'alliance dont Jésus est médiateur est plus parfaite que la première.

23. Aussi y a-t-il eu autrefois successivement plusieurs prêtres, parce que la mort les empêchait de l'être toujours;

24. Mais comme celui-ci demeure éternellement, il possède un sacerdoce qui est éternel.

25. C'est pourquoi il peut toujours sauver ceux qui s'approchent de Dieu par son entremise, étant toujours vivant pour intercéder pour nous.

26. Car il était convenable que nous eussions un pontife comme celui-ci, saint, innocent, sans tache, séparé des pécheurs, et plus élevé que les cieux;

27. Qui ne fût point obligé, comme les autres pontifes, d'offrir tous les jours des victimes, premièrement pour ses propres péchés, et ensuite pour ceux du peuple, l'ayant fait une fois en s'offrant soi-même.

28. Car la loi établit pour pontifes des hommes pleins de faiblesses : mais la parole de Dieu, confirmée par le serment qu'il a fait depuis la loi, établit pour pontife le Fils, qui est saint et parfait pour jamais.

ANALYSIS.

Aggreditur Apostolus grandem de sublimi Christi sacerdotio sermonem, promissum cap. 5, v. 11, ad quem ab eo loco, mentes Hebræorum præparavit, et ad quem transitum sibi fecit ultimo versu cap. 6. Et quia Christus sacerdos est secundùm ordinem Melchisedech, hinc primo versu historiam Melchisedech breviter exponit ex Genesi.

Secundo et tertio versu illam Christo mysticè sic applicat, ut ostendat omnia in Melchisedech fuisse Christi figuras; et nomen, et civitas, et status, et generatio, et duratio fuerunt Christi et ejus sacerdotii prophetica.

A quarto versu ad undecimum, duo præcipua nobis exhibet consideranda, quæ manifestè probant Melchisedech figuram Christi, super Abraham, et consequenter super Levi et Leviticos sacerdotes, Abrahæ posteros, excelluisse. Primum, quòd Abraham lubens, et nullâ lege coactus, Melchisedecho, Christum repræsentanti, decimas dedit pro se, et pro totâ suâ prosapiâ, et consequenter pro Levi, tunc in Abraham incluso; hâcque decimarum pensione Melchisedechum et consequenter Christum agnovit et professus est Abraham se et suis omnibus posteris sacratiorem et præstantiorem. Secundum, quòd Melchisedech, ut Christi figura, ipsum Abraham, patrem patrum, Deo charissimum, cui Deus tot eximia bona promiserat, benedixit, tanquàm se minorem. Ex his duobus benè consideratis, colligite quantus et qualis fuerit Melchisedech, aut potiùs Christus à Melchisedecho repræsentatus; et hinc agnoscite quàm præstantius sit Melchisedechi seu Christi sacerdotium Levitico.

A v. 11 ad 18, probat per Christum, sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, Leviticum sacerdotium et legem Mosaicam, quæ huic sacerdotio annexa est, fuisse abrogata. Individua est sacerdotii Levitici et legis Mosaicæ concordia; ablato itaque hoc sacerdotio, et in excellentius translato, et lex ipsa cessit, et in meliorem translata fuit: ablatum autem sacerdotium à Levi probat Apostolus ex mutatione tribûs, v. 14, ex mutatione ordinis, v. 15, ex mutatione ordinationis, v. 16.

V. 18 et 19, hujus translationis profert rationes: Lex et sacerdotium antiqua abrogata sunt, quia ad salvandum infirma; nova lex et Christi sacerdotium introducta, quia ad salutem potentissima, et nos ad Deum approximantia.

V. 20, 21, 22, aliam, novi sacerdotii novique Testamenti præcellentiam assignat ex juramento quo Deus illorum perpetuitatem affirmat.

V. 23, 24, aliam dat ex immortalitate Christi, sempiternum ideò sacerdotium habentis, et consequenter fideles perfectè salvare semper potentis.

V. 26, 27, 28, hujus novi sacerdotis describit qualitates, quibus cæteros omnes longè præcellit. Ipse solus, quia ex omni parte perfectus et nullum habet peccatum, reconciliatione non indiguit, sed uno suî sacrificio omnia totius mundi expiavit peccata.

PARAPHRASIS.

1. Hoc tandem Christi sacerdotium secundùm ordinem Melchisedech aggredior explicare vobis; ac primò Melchisedech historiam breviter refero. Hic igitur Melchisedech rex erat civitatis dictæ Salem, pontifex Dei summi, qui Abrahamo à cæde regum revertenti obviàm venit in signum amicitiæ, eique more sacerdotum benedixit.

2. Cui etiam Abraham de omni prædâ suâ decimas dedit. (Allegoriam nunc intelligite, et in Melchisedech Christum agnoscite.)

Primò Melchisedech idem est, juxta nominis etymon, ac rex justitiæ (quod Christo perfectè convenit; ipse enim regnum justitiæ statuit), deinde rex est Salem, seu rex pacis: Christus rex est pacificus,

3. Tertiò dicitur sine patre, sine matre: Christus patrem in terris non habet, nec matrem in cœlis; quartò, sine genealogiâ dicitur: Christi autem generationem quis enarrabit? quintò, dicitur neque initium dierum, neque finem vitæ habens: Christus nec esse cœpit, nec esse desinet; Melchisedech ergo in his omnibus Filii Dei gestavit similitudinem; at præsertim æternum illius repræsentavit sacerdotium, in hoc, quòd in Scripturis sacerdotium Melchisedech exhibetur quasi perpetuum.

4. Nunc autem attendite, et expendite quantus fuerit hic Christi typus, cui ipse Abraham, tantus patriarcha, gloriosus et victor rediens, decimas dedit ex optimis quibusque spoliis.

5. Equidem Aaronici sacerdotes, ex decreto legis, jus habent decimas sumendi à suis popularibus, id est, à suis fratribus, Abrahæ posteris, sicut et ipsi filii sunt Abrahæ; et lex populo præcipit decimas sacerdotibus dare.

6. Verùm Melchisedech, alienus à genere Judaico, ab Abrahamo decimas accepit; et Abrahamus, gentis nostræ pater, nullâ lege jussus, decimas ei lubens dedit; insuper et Melchisedech Abrahamum, tantum et talem patriarcham, in quo, juxta Dei promissum, gentes erant benedicendæ, benedixit velut se minorem.

7. Extra controversiam enim est quòd qui minor est ab eo qui præstantior est ipso benedicitur.

8. Et quidem juxta legem Leviticam, decimas accipiunt sacerdotes mortales: in Genesi autem is decimas accipit, de quo testatum est quòd vivat, et velut immortalis exhibetur, et perpetuo fungitur sacerdotio.

9. Quin, ut ita dicam, ipse Levi, qui nunc decimas accipit, tunc in Abrahamo, patre suo, decimas obtulit Melchisedecho.

10. Levi enim, cum totâ tribu suâ, adhuc erat in lumbis patris sui; et per eum decimas pendebat oblatas, hâcque decimarum pensione, Melchisedech Christi figuram, se et suis superiorem agnoscebat.

11. Quòd si perfectum erat sacerdotium Leviticum, vimque perficiendi seu justificandi habebat

(tempore enim hujus sacerdotii lex populo data est), quid opus erat præterea alium exoriri sacerdotem, qui non secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech diceretur?

12. Etenim cùm individua sit sacerdotii Levitici et legis Mosaicæ societas, translato sacerdotio à Levi, necesse est ut et legis forma commutetur.

13. (Translatum autem à Levi sacerdotium probat ps. 109.) Is enim de quo loquitur ille psalmus, non est ex tribu Leviticâ, sed ex eâ tribu unde nullus hactenùs astitit altari:

14. Palàm enim est quòd Dominus noster Jesus Christus ortus sit è tribu Judâ, cui Moyses sacerdotium non attribuit; constat ergo de tribu in tribum translatum esse sacerdotium.

15. Et hoc evidentiùs adhuc apparet, ex eo quòd alius exurgat novus sacerdos, à Deo promissus et datus, secundùm ordinem Melchisedech;

16. Qui non secundùm legem carnalis successionis creatus sit, sed secundùm vim vitæ immortalis; ita ut nec cuiquam successerit, nec successori det locum,

17. Juxta Davidicum vaticinium: *Tu es sacerdos in æternum*, etc.

18. Porrò rejicitur Aaronicum sacerdotium et lex Mosaica, non quòd mala sint, sed quia imperfectiora et insufficientia ad justificandos homines:

19. Nullum enim hominem lex potuit ad veram justitiam perducere; sacerdotium verò Christi et lex nova subintroducta sunt, quia sunt ad justificandum potentissima, spemque dant nobis certissimam veræ justitiæ, per quam Deo proximi reddimur et grati.

20. Et in quantum Jesus Christus non sine jurejurando factus est sacerdos (nam Aaronici quidem sine juramento facti sunt sacerdotes,

21. Christus verò sacerdos cum juramento constitutus est à Patre, qui, teste David, dixit ad eum: *Tu es sacerdos*, etc., et non solùm dixit, sed et juravit, quia ratum et fixum esse decrevit),

22. In tantum idem Jesus Christus nobilioris et præstantioris testamenti mediator institutus est.

23. Et sacerdotes quidem Levitici, etiam summi, plures successivè facti sunt, eò quòd non permanerent, sed per mortem alter alteri succedebat;

24. Jesus autem eò quòd immortalis est, et sacerdos à Patre in æternum constitutus, sacerdotium non transmittit.

25. Unde et eos qui per ipsum accedunt ad Deum potest perfectè salvare, quia semper vivit, perpetuumque sacerdotium exercens semper intercedit pro nobis.

26. (Et sanè in hâc perfectâ et cœlesti lege gratiæ) decebat ut talis esset nobis Pontifex, pius et omni justitiâ plenus, absque ullâ malitiâ, nullâ peccati maculâ inquinatus, à peccatorum moribus longè positus, supra omnem creaturam, non tantùm humanam, sed et angelicam, sublimatus;

27. Qui non egeret, sicut Mosaici pontifices, quotidiè pro peccatis propriis hostias offerre, deinde pro delictis populi: noster enim Pontifex unam semel victimam obtulit, non pro suis peccatis, quia nullum habuit, sed pro totius mundi peccatis; non pecudem, sed semetipsum.

28. Nam lex Mosaica, quia infirma, et imperfecta, sacerdotes constituit infirmos, mortales, ad peccatum pronos: at sermo Dei juratus, qui post legem ore Davidis fuit pronuntiatus, licèt æternus, sacerdotem constituit, non hominem quemlibet, sed Filium Dei; non ad breve tempus, sed in æternum; non infirmum, sed ex omni parte perfectum.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — HIC ENIM MELCHISEDECH...; Syr., *porrò hic*, etc. En grandis ille sermo promissus in capite 5, v. 11, ad cujus intelligentiam Hebræorum mentes multis abhinc acuit Apostolus, et ad quem in ultimo capitis sexti versu commodum sibi transitum fecit: *Hic* igitur *Melchisedech*, quem proximè memoravi, et de quo etiam supra.

Illius historiam breviter refert ex Genesi:

REX SALEM, id est, urbis quæ primùm dicta est Salem, id est, pacifica; deinde Jebus, tandem ex utroque nomine, unâ litterâ mutatâ, Jerusalem. Hæc est communior inter veteres et recentiores opinio; non desunt tamen qui, post D. Hieronymum, velint esse alteram Salem, quæ Genes. 38, v. 18, Sichimorum dicitur. Hujus opinionis sunt D. Anselmus, Gagnæus, quam refutant Estius, Cornelius à Lapide.

SACERDOS DEI SUMMI, id est, Dei veri et excelsi, non idolorum; itàque Dei veri cultor, licèt inter idololatras Chananæos vivens.

QUI OBVIAVIT ABRAHÆ REGRESSO, id est, redeunti à cæde regum, de quâ Genes. 14, v. 17; illi autem obviavit in signum amicitiæ;

ET BENEDIXIT EI, id est, et Melchisedech, ut Dei summi sacerdos, benedixit Abrahæ. Vide citatum Genes. locum, ex quo etiam apparet quòd et Deo gratias egerit ob victoriam, oblato panis et vini sacrificio.

VERS. 2. — CUI ET DECIMAS OMNIUM DIVISIT..., id

VERS. 1. — *Hic enim Melchisedech, rex Salem.* Irenæus, Hippolytus, Pererius, docent Salem hanc esse Jerusalem, unde et Chaldæus, Genes. cap. 14, vertit: *Et Melchisedech, rex Jerusalem.* Imò Jerusalem conditam esse à Melchisedech tradit Josephus, à quo vocata est Salem; deindè ab aliis Jebus; ac denique ex Salem et Jebus dicta est Jerusalem. Congruè enim in Jerusalem rex et sacerdos fuit Melchisedech, ut adumbraret Christum in eâdem urbe regnaturum à ligno, et sacrificaturum seipsum in arâ crucis pro redemptione totius mundi.

Sacerdos Dei summi, id est, altissimi. Citat verba Genes. 14. *Dei altissimi*, id est, Deo dicatus et consecratus; quod sacerdoti convenit.

Qui obviavit Abrahæ regresso à cæde regum, et benedixit ei. Abraham revertens à cæde regum redibat ad convallem Mambre, ubi habitabat; inde autem non longè aberat à Jerusalem, ad quam licet paulò remotiorem ire voluit, tum ut gratias Deo ageret pro victoriâ adeptâ, idque Hierosolymæ, ubi colebatur verus Deus, cùm in reliquâ Chanaân colerentur idola; tum excitatus famâ Melchisedech, qui erat rex et sacerdos

est, cui Abraham de omni prædâ suâ decimam dedit in honorem summi Dei, cujus sacerdos erat Melchisedech; hocque facto Abraham, qui et ipse Dei sacerdos erat et sæpè ei sacrificaverat, Melchisedechum agnovit sibi superiorem et suum quasi pontificem;

PRIMUM QUIDEM QUI INTERPRETATUR... Hic Apostolus incipit historiam breviter relatam *mysticè explicare*, eamque Christo sic applicare, ut ostendat in Melchisedecho omnia fuisse prophetica, et Christi figuras: et nomen proprium, et nomen civitatis, et status, et generatio, et duratio fuére prophetica. Primò, nomen proprium, *Melchisedech*, cujus etymon, *rex justitiæ; melchi* enim *regem*, *sedech* autem *justitiam* valet, quod Christo per excellentiam convenit, tum quia in omni rigore justitiæ pro nobis satisfecit, um quia perfectam nobis attulit justitiam;

DEINDE AUTEM ET REX SALEM... Secundò, nomen urbis cujus rex erat Melchisedech; *Salem* enim significat *pacem;* Christus autem rex pacificus: *Ipse pax nostra; pacificavit ea quæ sunt in cœlis, et quæ super terram.* Civitas in quâ regnat, seu Ecclesia, civitas est pacis, quam habet cum Deo, et quam quærit inter homines. Ecclesia autem triumphans, Jerusalem cœlestis, est civitas pacis æternæ. Christus rex justitiæ, et rex pacis, de quo prædictum est in Psal.: *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis.* Utramque, Christe rex, cordi meo, tibi subdito, impertire.

VERS. 3. — SINE PATRE, SINE MATRE; Græc.: ἀπάτωρ, ἀμήτωρ. Syr.: *Cujus neque pater neque mater scribuntur in generationibus;* id est cujus neque pater, neque mater exprimitur in Scripturis; quo benè figuratus est Christus, qui patrem non habet in terris, nec matrem in cœlis;

SINE GENEALOGIA, ἀγενεαλόγητος, cujus genus et origo tacetur; sed quì introducitur quasi de cœlo delapsus; quo clarè repræsentatur Christus, qui de cœlo venit, et cujus ineffabilis est generatio, tum æterna, tum humana: *Generationem ejus quis enarrabit?* prima sine matre, secunda sine patre, inexplicabilis utraque;

NEQUE INITIUM DIERUM, NEQUE FINEM VITÆ HABENS, scilicet in Scripturis, seu cujus ortus et interitus ignorantur; quo benè significatur æternitas Christi, tum à parte ante, tum à parte post.

ASSIMILATUS AUTEM FILIO DEI..., id est: Et hoc ipso Christum Filium Dei repræsentans, et æterni illius sacerdotii gestans imaginem: sicut enim reipsâ Christus est Sacerdos in æternum, ita sacerdotium Melchisedech in Scripturis repræsentatur quasi perpetuum, cùm nullam faciant mentionem nec de illius initio, nec de illius fine; sicut nec de vitæ illius initio et fine.

Observationes litterales, morales et dogmaticæ.

Ex his collige et nota quòd in Scripturis nihil mysterio vacet, cùm non nomina tantùm personarum et locorum, sed et ipsum *silentium* significent aliquid mysticum, ut patet ex supradictis. Quantâ ergo cum reverentiâ, quantâ et cum circumspectione legendæ sunt Scripturæ, in omnibus mysticæ et divinæ? Divinæ sunt in omnibus; ergo ut intelligantur, nobis eas legentibus necessarius est continuus ad Deum recursus; humiliter et assiduè à nobis invocandus Spiritus sanctus, illarum auctor, ut dignetur verborum suorum, suique silentii intelligentiam donare.

In his iisdem versibus nota et intellige ipsiusmet D. Pauli silentium, qui tot recensens similitudines inter Melchisedech et Christum Dominum, omittit silentioque tegit similitudinem in hostiâ, quæ fuit panis et vinum, Eucharistiæ figura. Ex hoc silentio Calvinus argumentum sumpsit missæ sacrificium negandi, sicut ex Moysis silentio de ortu et interitu Melchisedech alii hæretici sumpserunt occasionem negandi quòd fuerit *homo*, sed vel angelus, vel Dei Filius, vel Spiritus sanctus. Siluit ergo D. Paulus hâc in re, ut ex se clarâ, formaliter expressâ in Genesi 14, et in Evangelistis, et in suâ ad Corinthios Epistolâ primâ, cap. 11, v. 23. Siluit et quia hujus similitudinis mentio nihil ad suum institutum faciebat. *Scopus* Apostoli est eminentiam Christi Sacerdotis secundùm ordinem Melchisedech ostendere supra Leviticos sacerdotes; ideò recenset ea in quibus præcellebat Melchisedech Aaronicis sacerdotibus; in hostiâ verò non videbatur præcellere, quia panis et vinum non præcellunt animalibus vivis, quæ Levitici sacerdotes mactabant. Siluit denique, quia litteris committendum non erat secretum Eucharistiæ sacra-

Dei altissimi, illo tempore celeberrimus; Melchisedech autem audiens adventare Abraham, ei benevolentiæ et honoris causâ occurrit.

VERS. 2. — *Cui et decimas omnium* (spoliorum quæ cæsis quinque regibus ceperat) *divisit Abraham*, q. d.: Abraham, licèt esset sacerdos, et sæpè sacrificâsset, agnovit tamen Melchisedech esse sacerdotem et pontificem; unde illi tanquàm se superiori et pontifici decimas dedit.

Primùm quidem qui interpretatur rex justitiæ. Primùm, inquit, Melchisedech ipso nomine magnæ cujusdam rei figuram prætulit; idem enim valet quod rex justitiæ, id est, rex justus, vel justissimus, quod quàm verè in Christum competat, in parte sequenti exponemus.

Deindè autem et rex Salem, quod est rex pacis, id est, rex pacificus. Christus est rex justitiæ et rex pacis, quia pacificator noster est, reconcilians nos Deo et angelis ejus. Ephes. 2: *Qui factus est nobis justitia, et sanctificatio, et redemptio.*

VERS. 3. — *Sine patre, sine matre, sine genealogiâ.* Josephus, S. Dionys., Epiphan., Theodor., Melchisedech aiunt fuisse aliquem ex regulis Chananæorum, scilicet regem Salem, sive Jerusalem, ex eisque fuisse oriundum; dicit tamen sine patre et matre, non quasi iis caruerit, sed quia ejus pater, mater et genealogia non describitur in Scripturis, et quia Genes. 14 repentè eum inducit Scriptura, non præmissâ ejus stirpe et genealogiâ, nec nativitate aut morte ejus indicatâ, imò nullâ uspiam alibi, vel ante, vel post, ejus factâ mentione, idque non sine causâ et mysterio; ut hoc ipso significaret Christum, qui in terris, quà homo, est sine patre, in cœlis, quà Deus et Dei Filius, sine matre. Ita Chrysostomus.

Neque initium dierum, neque finem vitæ habens, scilicet in Scripturâ; q. d.: Scriptura non meminit

mentum ; litteris inquam, ad Judæos etiam infideles, facilè perventuris : primis enim Ecclesiæ temporibus maximè cavebatur ne infidelibus et non initiatis mysteria proderentur ; hinc Paulus ipse Philipp. 3 : *Nolite sanctum dare canibus*, hinc toties apud sanctos Patres illud nôrunt fideles.

Vers. 4. — Intuemini autem quantus sit hic...; Syr. : *Considerate verò quàm magnus hic fuerit*, etc. Ex omnibus supra enumeratis, in quibus Melchisedech erat figura Christi, duo præsertim Apostolus vult à nobis considerari, decimas scilicet quas Abraham Melchisedecho dedit, et benedictionem quam Melchisedech dedit Abrahamo ; quia hæc duo manifestè probant Melchisedechum, Christi figuram, excelluisse super Abrahamum et consequenter super Levi et Leviticos sacerdotes ; et à fortiori probant Christum Dominum, ipsam veritatem, cujus figura tantùm erat Melchisedech, super ipsos excellere. *Intuemini*, id est : Seriò considerate quantæ dignitatis fuerit hic Christi typus ;

Cui et decimas dedit..., id est, cui ipse Abraham, pater patrum nostrorum, et totius Judaici generis auctor, dedit decimas ex optimis quibusque spoliis. Decimæ solent ab inferioribus et laicis dari sacratioribus et dignioribus personis ; quantus ergo et quàm sacer hic, etc.

Vers. 5. — Et quidem de filiis Levi... Ut hæc Melchisedechi excellentia clariùs elucescat, comparat decimas ei datas ab Abrahamo cum decimis quas Levitæ ex lege jus habent sumendi, et illas his præfert in tribus : Primò, Aaronici sacerdotes à suis fratribus ; secundò, ex legis mandato ; tertiò, à suis contemporaneis decimas sumunt ; Melchisedech ab extraneo, nullâ ad id lege coacto ; imò ab omnibus etiam in perpetuum futuris sacerdotibus, v. 8. *Et quidem* : Græc., *et illi quidem de filiis Levi*, id est, Aaronici sacerdotes ; omnes enim sacerdotes erant ex Aarone, Aaron autem ex Levi.

Mandatum habent, id est : Jus habent ex decreto legis pro ipsis condito, Num. 18, 21 ; Deut. 18, 3 ;

Decimas sumere a populo, id est, à toto populo, etiam a fratribus suis Leviticis ; licèt illi omnes et Levitæ et Judæi ex eodem patre Abraham essent prognati. Levitæ decimas sumebant à populo ; et ipsi Levitæ decimam partem decimæ offerebant Domino, Num. 18, 26 ; itaque sacerdotes Aaronici decimas sumebant à suis popularibus et à suis fratribus, non autem ab externis ; et has decimas sumebant ex lege, quæ jus dabat sacerdotibus sumendi, et populo dare præcipiebat.

Vers. 6. — Cujus autem generatio... Græc. : *Ille autem non genealogizatus ex eis decimavit Abraham ;* Syr. : *Is autem qui scriptus non est in genealogiis eorum, decimas tulit ab Abraham ;* id est, Melchisedech autem alienigena, cujus genus neque ab Aarone, neque à Levi, neque ab Abrahamo deducitur,

Decimas sumpsit ab Abraham, tanquàm eo et omnibus illius posteris major et sacratior. Subintellige : Et Abraham nullâ lege coactus, sed divinitùs edoctus quis esset ille Melchisedech, Christi scilicet summi Pontificis figura ; Abraham, inquam, hujus sacerdotii reverentiâ motus, decimas lubens et gaudens dedit Melchisedecho ;

Et hunc qui habebat repromissiones benedixit... Alteram Paulus nobis exhibet considerandam Melchisedechi excellentiam, ex eo quòd Abrahamum benedixit : *Et hunc*, id est : Abrahamum, patrem patrum, Deo charissimum, cui Deus toties et tam eximia

quando natus, quando mortuus sit Melchisedech, ut adumbraret Christum, qui verè et realiter non habet initium nec finem dierum, sed est æternus.

Assimilatus autem Filio Dei manet sacerdos in perpetuum, scilicet Melchisedech antitypus Christi, quia nimirùm in Scripturâ nulla fit mentio mortis, ac consequenter finis sacerdotii Melchisedech, qui nullum legitur sacerdotii sui habuisse successorem, uti Aaron habuit Eleazarum. Ita Theodor. Syrus vertit : *Sed in similitudinem Filii Dei permanet pontificatus ejus in æternum.* Hoc ipso similitudinem et typum gerit Christi, qui reipsà neque initium, neque finem dierum habet, sed manet sacerdos in perpetuum ; quia in Ecclesiâ suâ Christus per ministros suos, scilicet per sacerdotes à se institutos, perpetuò offert, et offeret in æternum usque ad finem mundi. Quare rectè concil. Trident. ex hoc Apostoli loco probat missam esse sacrificium. Probat autem sic : Sacerdotium Christi ejus morte extinctum non fuit, sed semper durat, ut hic dicit Apostolus ; ergo et sacrificium Christi semper durat et durabit ; atqui illud non potest esse sacrificium crucis, quia hoc jampridem transiit et desiit ; ergo hoc sacrificium Christi semper durans est Eucharistiæ et missæ ; nec enim aliud hic dari aut fingi potest. Notandum est enim quòd Christus in missâ sit principalis offerens, tum quia missæ sacrificium instituit, tum quia in cœlo Patri suo nostras missas, quas celebramus, actu et reipsà offert. Est enim mediator et advocatus noster, qui nostram causam apud Deum agit, et pro nobis interpellat, tum quia suâ omnipotentiâ in singulis missis transsubstantiationem panis et vini, in corpus et sanguinem suum, in quâ consistit essentia sacrificii nostri, operatur et perficit.

Vers. 4. — *Intuemini autem quantus sit hic*, id est, contemplamini, speculamini, exponite mysteria quæ latent in cortice historiæ et personæ Melchisedech ; q. d. : Hic mecum expendite quantus sit Melchisedech, videlicet in typo et significatione, ut qui ipsi etiam Abrahamo videatur prælatus. Hoc enim est quod sequitur :

Cui et decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha. Decimas sacerdotales dedit Abraham Melchisedecho, tanquàm sacerdoti et pontifici. *Patriarcha* idem est quod princeps patrum, sive à quo multi patres cum suis familiis descendunt.

Vers. 5. — *Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes*, hoc est, et *ii* quidem qui ex filiis Levi sacerdotio funguntur. Ita loquitur, quia non omnes Levitæ sacerdotes erant ; sed ex iis soli filii Aaron, ejusque posteri ; reliqui filii Levi fiebant Levitæ, serviebantque sacerdotibus, ut jam serviunt diaconi nostri.

' *Mandatum habent decimas sumere à populo secundùm legem, id est, à fratribus suis ; quanquàm et ipsi* (scilicet fratres) *exierint de lumbis Abrahæ.* Probat cum qui dat decimas minorem esse illo qui eas accipit, scilicet Abraham esse minorem Melchisedecho, etc. Nota hebraismum : exire de lumbis alicujus, est idem quod gigni ab eo. In lumbis enim est origo seminis, etc. In Scripturâ jubemur lumbos restringere, id est, concupiscentiam edomare, ut docet S. Gregor.

Vers. 6. — *Cujus autem generatio non annumeratur*

bona promiserat, et præcipuè quòd in ipso benedicendæ forent omnes gentes; hunc, inquam, talem et tantum benedixit Melchisedech, tanquàm se minorem.

VERS. 7. — SINE ULLA CONTRADICTIONE...; Syr.: *Porrò absque controversiâ qui minor est benedicitur ab eo qui præstantior est ipso*: intellige, benedictione solemni et auctoritativâ. Melchisedech ergo, quia typus erat Christi, cujus sacerdotium singulari modo repræsentabat, ipso Abrahamo, qui etiam sacrificaverat, et qui promissiones habebat, melior erat et præstantior. Quantò dignior ergo Christus ipse; si enim tanta fuit umbra Christi, quantus est Christus, ipsa veritas. Hinc et collige quanta sit dignitas et præstantia in summo pontifice, in episcopis, in sacerdotibus, ipsummet Christi sacerdotium Christi vice gerentibus.

VERS. 8. — HIC QUIDEM, DECIMAS MORIENTES..., ὧδε hìc adverbium. Tertia hìc exhibetur excellentia decimarum à Melchisedech sumptarum, et consequenter ejus sacerdotii eminentia super Aaronem; scilicet ex perpetuitate. *Et hìc*, id est, inter Judæos, seu in lege Leviticâ, ubi de decimis. *Decimas* ACCIPIUNT *morientes*, id est, mortales sacerdotes et quorum mortem exprimit lex, quæ vult sacerdotes sacerdotibus succedere.

IBI AUTEM, id est, in Genesi, ubi de Melchisedech.

CONTESTATUR..., id est: Scriptura, mortem Melchisedech silentio tegens, et de ejus tantùm vitâ mentionem faciens, *testatur*, QUIA VIVIT: scilicet tantùm, id est: quasi immortalem illum exhibet, ejusque sacerdotium quasi æternum seu perpetuum; quasi diceret: Quia Aaronici mortales et temporanei tantùm, hinc à suis tantummodò contemporaneis decimas sumunt; Melchisedech verò, quia quasi semper vivens, hinc ab omnibus in perpetuum sumpturus repræsentatur.

In Græco paulò aliter: *Ibi autem* μαρτυρόμενος, *contestatus*, id est, is de quo testatum est quòd vivat; Syr.: *Illìc autem de quo testata est Scriptura ipsum vivere*. Infer et consequenter sacerdotium ejus fore perpetuum.

VERS. 9. — ET (UT ITA DICTUM SIT), id est, ut ita dicam, vel imò, si dicere licet.

PER ABRAHAM ET LEVI..., id est: Et Levi et omnes Levitæ et sacerdotes Levitici, qui decimas ab aliis accipiunt, decimas Melchisedecho dederunt per Abraham progenitorem suum; et ipsi qui benedicunt alios, in Abraham benedictionem à Melchisedecho receperunt, tanquàm minores à majore.

VERS. 10. — ADHUC ENIM IN LUMBIS PATRIS ERAT.... Levi enim erat adhuc in lumbis Abrahæ, etc. Si ergo jus decimarum et benedictio superioritatem denotant, Melchisedech, figura Christi, fuit non Abrahamo tantùm, sed etiam et Levi et Levitis omnibus superior et excellentior; à fortiori ergo Christus, verus Melchisedech, altissimi Dei verè summus Sacerdos, Abrahamo et Levi et omnibus Leviticis sacerdotibus est longè præstantior.

Observationes dogmaticæ.

Sed, inquies, nonne Christus, utpote Davidis et Abrahæ filius, erat sicut et Levi in lumbis Abrahæ? distinguit D. Thomas hìc post D. Augustinum; erat quidem secundùm substantiam corporalem; non erat autem secundùm rationem seminalem. Erat secundùm substantiam corporalem, quia Christus corporis sui materiam accepit ex semine Abrahæ; non erat secundùm rationem seminalem, quia materia illa non fuit ex vi naturali Abrahæ proseminata, neque ex virtute agentis naturalis conformata, sed modo prorsùs supernaturali, per Spiritum sanctum genitus est Christus, et ideò non erat in lumbis Abrahæ sicut Levi.

At, inquies rursùs, nonne propter hanc suam corporalem substantiam Christus dici potest decimatus in Abraham? — Resp. negativè, quia Christus de Spiritu sancto conceptus, ita corporalem substantiam, seu carnem suam traxit ex Abraham, ut carnis vitium non contraxerit; imò verò, ut ait Augustinus, materiam medicaminis traxit, ideòque nec decimatione contra culpam, nec benedictione contra maledictionem indiguit.

Ut hæc responsio quæ ex mysticâ decimarum ratione sumitur meliùs intelligatur, ex D. Augustino, lib. 10, de Genesi, ad litteram, capite 20, notandum est quòd decimæ sacerdotibus offeruntur, ut ipsi pro

in eis, decimas sumpsit ab Abraham, id est, Melchisedech, cujus genus et genealogia non attexitur Hebræis filiis Abrahæ, id est, qui ex Hebræis non fuit oriundus, hic decimas sumpsit ab Abraham. Ita Anselm., utpote cui Abraham, in cujus lumbis continebatur Aaron, decimas tanquàm pontifici se digniori dederit. Ergo Melchisedech major est Abrahamo. Quòd Abraham ita honorârit Melchisedech, eique decimas dederit, causa fuit quòd Melchisedech typus esset Christi. Movit ergo Spiritus sanctus Abrahamum ad honorandum Melchisedech, ut Judæi Abrahæ posteri scirent sibi præ Aarone honorandum esse Christum, cujus typum fuisse Melchisedech sciebant ex Davide, Psal. 109, ubi ait: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*. Videtur autem Abraham idipsum cognovisse, quòd spiritu prophetico prævideret illum esse typum Christi, ut non tam Melchisedech quàm Christum in Melchisedech repræsentatum honorare et colere voluisse videatur.

Et hunc qui habebat repromissiones, benedixit, q. d.: Melchisedech benedixit Abrahamum, quasi se minorem, cui tamen Deus promiserat tanta bona, adeòque in ipso benedicendas esse omnes gentes, Genes. 12.

VERS. 7. — *Sine ullâ autem contradictione*, etc., id est, majore, digniore, præstantiore.

VERS. 8. — *Et hic quidem*, etc., *contestatur*, Scriptura. Sensus est: *Ibi verò*, id est, in historiâ Genesis, decimas accepit is cui testimonium perhibet Scriptura, quòd vivat, quatenùs scilicet introducitur vivens, nullâ de morte eius aut successore factâ usquàm mentione, etc.

VERS. 9. — *Et ut ita dictum sit* (id est, ut ita loquar) *per Abraham et Levi* (Leviticus quilibet sacerdos) *qui decimas accepit* (accipere solitus est in veteri Testamento) *decimatus est*, id est, decimas solvit.

VERS. 10. — *Adhuc enim in lumbis patris* (Abrahæ) *erat* (Levi) *quando obviavit ei* (Abrahæ) *Melchisedech*, q. d.: Abraham agnoscens Melchisedech esse se ma-

peccatis offerentium orent, Deique benedictionem pro eis impetrent. Christus nullum peccatum contraxit, nec potuit contrahere; decimatione ergo non indiguit. Christus è contra futurus erat medicamentum vulneris peccati, Salvator mundi, fonsque omnis benedictionis in omnes gentes; et hoc Abraham divinitùs edoctus, Christo decimas dedit in Melchisedech. Christo itaque vero Melchisedecho, Christo, inquam, vero et unicè summo altissimi Dei Sacerdoti, decimas dedit Abraham pro se et pro totâ suâ prosapiâ; hâcque decimarum pensione se et suos ab eo benedicendos fore gaudens et exultans protestatus est. Hinc Christus, Joan. 8, v. 57 : *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit et gavisus est.* Et tu, Christiane, spiritualis Abrahæ fili, gaudens, exultans et gratias agens, Christum benedictionis fontem adora, in quo jam te *Deus benedixit omni benedictione spirituali in cœlestibus,* ipsumque supplex ora ut te benedicere pergat, usque dùm audias : Veni, benedicte, etc., posside, etc.

VERS. 11. — SI ERGO CONSUMMATIO... Hucusque Melchisedechum, ejusque sacerdotium Levitico prætulit Apostolus, hic verò incipit probare sacerdotium Leviticum, imò et legem ipsam, abrogata esse per Christum, sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech : *Si ergo consummatio,* id est, perfectio, justificatio, hominum cum Deo reconciliatio, ERAT, id est, fiebat PER SACERDOTIUM LEVITICUM, id est, per sacrificia, et ritus Levitici sacerdotii.

(POPULUS ENIM SUB IPSO LEGEM ACCEPIT) id est : Hujus enim sacerdotii Levitici tempore, populus legem accepit. Hoc per parenthesim inserit Apostolus ut legis Mosaicæ et Aaronici sacerdotii connexionem indicet, et ex unius abrogatione inferatur et alterius abrogatio.

QUID ADHUC NECESSARIUM...., id est : Quid necesse fuit ut ad homines sanctificandos alius novo ordine sacerdos exurgeret, qui scilicet diceretur et esset secundùm ordinem Melchisedech, et non secundùm ordinem Aaron. Talem autem Sacerdotem futurum noverant omnes ex psal. 109, quem de Christo intelligebant Judæi. Vide Matth. 23, v. 43. Potest argumentum sic in formam redigi : Si perfectum fuisset Levi sacerdotium, et homines sanctificare potuisset, frustra Deus aliud et secundùm ordinem Melchisedech instituisset : atqui Deus, qui nihil frustra facit, aliud et secundùm ordinem Melchisedech instituit sacerdotium; ergo primum sanctificare non poterat, ideòque perfectum non erat.

VERS. 12. — TRANSLATO ENIM SACERDOTIO... Alii putant hanc particulam *enim* esse causalem, et respicere verba præcedentia per parenthesim dicta : *Populus enim,* v. 11; alii putant eam idem hic significare ac *autem* vel *atqui.* Quoad sensum parùm refert. Ex sacerdotii mutatione sequitur legis mutatio, quia individua est Aaronici sacerdotii et legis Mosaicæ concordia; si ergo sacerdotium in aliquem non Aaronicum fuit translatum, necesse est ut lex ipsa, quæ hoc vetat, mutetur in aliam quæ huic novo sacerdotio sit proportionata. Constat autem quòd translatum et mutatum sit sacerdotium, quod probat primò ex mutatione tribûs.

VERS. 13. — IN QUO ENIM : Græc., *in quem;* Syr., *is enim de quo hæc,* id est, is in quem competunt, vel de quo dicitur : TU ES SACERDOS, etc., vel etiam ad quem dicitur à Deo : *Tu es,* etc., id est, Christus Dominus.

DE ALIA TRIBU EST, scilicet, quàm Leviticâ, nimirùm de tribu de quo nullus ministravit altari; Græc., *nullus attendit altari.*

VERS. 14. — MANIFESTUM EST ENIM, scilicet, ex genealogiis familiarum : hoc et infideles Judæi, qui Christum putabant filium Josephi, concedebant, scientes Joseph esse de domo David;

QUOD EX JUDA, tribu, ut Rex sit et Sacerdos, sicut ejus figura Melchisedech;

EX QUA TRIBU : Græc., *in quam tribum,* id est, cui tribui Moyses sacerdotium non attribuit. Hinc rex Osias, ex tribu Judâ, leprâ fuit percussus, quia thus adolevit. 2 Par., 26.

VERS. 15. — ET AMPLIUS ADHUC MANIFESTUM EST; Syr. : *Eòque magis adhuc notum,* etc. Probat secundò,

---

jorem, et typum Christi, illi decimas dedit, et ab eo benedictionem accepit, ut profiterctur se omnesque suos posteros, ac consequenter et Levitas et sacerdotes Aaronicos ex se nasciturос, minores esse Melchisedech, Christoque subjectos; perinde enim Abraham se gessit cùm Melchisedech, atque princeps qui pro se et pro totâ suâ posteritate obedientiam regi præstat et offert, etc.

VERS. 11. — *Si ergo consummatio pro sacerdotium Leviticum,* etc. *Consummatio,* id est, perfectio, quasi dicas : Si vetus sacerdotium Aaronicum habebat vim perficiendi, id est, justificandi homines, salvandi, et ad vitam æternam perducendi, qui est ultimus finis et summa perfectio hominis, etc., quid opus fuit surgere alium sacerdotem, scilicet Christum, cujus sacerdotium non est secundùm ordinem Aaron, sed Melchisedech? Cùm enim Deus Christum promisit, Psal. 109, dicens : *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech,* et jam reipsà eumdem exhibuit, ut succederet Aaronicis sacerdotibus, hoc ipso declaravit illis aliquid deesse, quod supplendum esset per Christum, scilicet illos non posse hominem perficere et sanctificare, sed hoc à Christo expectandum esse.

VERS. 12. — *Translato enim sacerdotio,* etc. D. Thomas : Mutato, inquit, sacerdotio, necesse est et legem mutari, quia mutato fine, necesse est mutari et media; lex autem Moysis, utpote divina, ordinatur quasi medium ad regimen divinum, tanquàm ad finem suum; hoc autem regimen divinum fit et designatur per sacerdotium; ergo, mutato sacerdotio ac regimine divino, necesse est et legem mutari. Hinc illud Jeremiæ 31 : *Feriam vobiscum pactum novum.*

VERS. 13. — *In quo* (id est, de quo, vel ad quem) *enim hæc dicuntur,* etc. Præstò fuit, id est, astitit, accessit, ministravit, id est, sacerdotio functus est.

VERS. 14. — *Manifestum est enim quòd ex Judâ ortus sit Dominus noster,* etc., scilicet Jesus Christus. Hic docet Christum non potuisse esse sacerdotem leviticum, ex eo quòd oriundus esset ex Judâ.

ex mutatione ordinis; id est : Et hoc quod dixi de sacerdotii et legis mutatione, adhuc etiam evidentiùs apparet, si, id est, quòd, vel ex eo quòd ALIUS SACERDOS SURGAT, vel surrexit, à Deo promissus et datus, SECUNDUM SIMILITUDINEM, seu ordinem MELCHISEDECH.

VERS. 16. — *Qui non secundum legem mandati carnalis.* Probat tertiò ex discrimine institutionis, seu ordinationis, id est, qui non factus sit sacerdos per carnalis successionis legem. Juxta legis Mosaicæ præscriptum, sacerdotium erat successioni alligatum : alter alteri succedebat in sacerdotio ; et hoc præscriptum Apostolus vocat *legem mandati carnalis.* Alii tamen totam legem Mosaicam intelligunt, quæ carnalibus tantùm et externis mandatis constabat.

SECUNDUM VIRTUTEM..., sed qui factus est sacerdos per potentiam divinam, quæ vitam ei tribuit immortalem et indissolubilem, ita ut nusquàm successori det locum.

VERS. 17. — CONTESTATUR ENIM..., id est : Attestatur enim Pater æternus Filio suo per os Davidis loquens : QUONIAM TU ES SACERDOS IN ÆTERNUM, etc.

VERS. 18. — REPROBATIO QUIDEM..., Græc., *abrogatio.* ; Syr., *mutatio.* Pergit probare legem Mosaicam esse abrogatam, et novam introductam ; et utriusque dat rationem : *Reprobatio* FIT..., id est : Abrogata est lex vetus, seu Mosaica, et consequenter sacerdotium Aaronicum, per quod ipsa administrabatur ; ex unius enim abrogatione sequitur et alterius abolitio, ut v. 12 dictum est.

PROPTER INFIRMITATEM..., id est quia infirma et imbecillis erat, seu vires exiguas habebat :

ET INUTILITATEM, id est, et quia insufficiens erat ad homines justificandos.

VERS. 19. — NIHIL ENIM AD PERFECTUM ADDUCIT. Græc., *perficit lex*, id est, nullum enim hominem LEX potuit perficere, seu ad veram et internam justitiam perducere. Non abolita est ergo, vel quia mala, vel quia planè inutilis ; à Deo enim erat instituta, qui nihil facit frustra ; sed quia imperfecta et salutem tantùm initians, et futurorum umbra, pædagogus ad Christum.

INTRODUCTIO VERO MELIORIS SPEI. Syr. : *Introiit autem loco ipsius spes præstantior ipsâ* ; id est : Spes autem melior introducta est in illius locum, seu lex nova, sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedech subintroducta sunt quæ spem habent meliorem annexam : quia enim potentissima sunt ad justificandum et salvandum, spem dant nobis certissimam veræ justitiæ ;

PER QUAM PROXIMAMUS AD DEUM, id est, per quam justitiam proximi Deo reddimur, verè pii, amici Dei, filii et hæredes. A novâ ergo lege, et à Christi sacerdotio, quia ad justificationem potentissima sunt, speramus veram justitiam, quâ Deo vero proximi reddimur et grati.

VERS. 20. — ET QUANTUM EST, NON SINE JUREJURANDO. Ex juramento Dei ostendit firmitatem et æternitatem sacerdotii Christi : *Et quantùm*, id est, et in quantum non sine jurejurando Jesus Christus factus est Sacerdos. Huic parti respondet *in tantum*, v. 22 ; cætera per parenthesim legenda.

ALII QUIDEM, id est, Aaron et alii sacerdotes Levitici sine juramento facti sunt sacerdotes ; in Scripturis enim non paret ;

VERS. 21. — HIC AUTEM, id est, Christus autem constitutus est Sacerdos cum juramento,

PER EUM, id est, per Patrem æternum, qui, teste David, dixit ad illum :

JURAVIT DOMINUS..., firmiter decrevit, ET NON PŒNITEBIT EUM, id est, non mutabit decretum ; pœnitentia enim Dei, mutatio sententiæ, seu potiùs quando instar hominis destruit quod ante

VERS. 15. — *Et amplius adhuc manifestum est*, etc. Scilicet legem transferendam atque mutandam esse.

VERS. 16. — *Qui non secundùm legem mandati carnalis factus est*, etc. *Mandatum carnale*, vocat legem Mosaicam, de carne circumcidendâ et lustrandâ, etc. Huic opponit mandatum, id est, legem Christi, quæ est *secundùm virtutem vitæ insolubilis*, id est, quæ dat et tribuit vitam æternam, tum gratiæ, tum gloriæ.

VERS. 17. — *Contestatur enim*, subaudi Deus, per Davidem loquens ad Filium, *quoniam tu es sacerdos in æternum*, etc. Si enim Christus est sacerdos in æternum, indissolubile habet sacerdotium ; q. d. : Christus est sacerdos excellentissimo quodam genere sacerdotii æterni, cujus singularis typus et similitudo fuit Melchisedech. Hinc demonstratur evidenter missam esse sacrificium, quia nullo alio loco declaravit Christus se esse sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech (qualem eum fore prædixit et promisit David, Psal. 109), nisi in cœnâ, in quâ se obtulit sub specie panis et vini, nobisque eadem in missâ pari modo offerenda præcipit.

VERS. 18. — *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus et inutilitatem*, q. d. : Vis scire causam abolitæ legis et sacerdotii ? Cur facta sit reprobatio præcedentis mandati, et abrogatio veteris legis ? Causa est legis illius infirmitas et inutilitas, quia lex illa non poterat peccata expiare, salvare et beare homines.

Nihil enim ad perfectum adduxit lex. Nihil, id est, nullum hominem ad perfectionem adduxit. *Perfectionem* autem intellige veram justitiam, quæ constituit hominem Deo gratum et acceptum ad vitam æternam.

VERS. 19. — *Introductio verò melioris spei* (supple fit, vel facta est per Christum) *per quam proximamus ad Deum.* Loco præcedentis mandati introducitur aliquid multò melius nempe lex et sacerdotium Christi, spem nobis certissimam faciens appropinquandi ad Deum per veram justitiam.

VERS. 20. — *Et quantùm est non sine jurejurando*, factus est sacerdos. In tantùm præstantior sacerdos, legislator et mediator est Jesus, quàm fuerit Moyses et Aaron.

Alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt, q. d. : Aaroni et posteris Deus dedit sacerdotium sine juramento, quasi rem minoris momenti et temporaneam, quam firmare juramento Deus non est dignatus.

VERS. 21. — *Hic autem cum jurejurando*, etc. Christus autem cum jurejurando, quasi res et negotium Christi Pontificis, scilicet hominum reconciliatio et salus, magni esset momenti, etc.

fecerat : Deus enim propriè sententiam non mutat, quia unâ et eâdem voluntate, secundùm hominum mutationem, et temporum diversitatem, alia et alia facienda disponit.

VERS. 22. — IN TANTUM MELIORIS TESTAMENTI, id est, in tantum idem JESUS *Christus* FACTUS EST SPONSOR, fidejussor, mediator præstantioris, et excellentioris, et firmioris pacti inter Deum et homines, in æternum scilicet valituri. Ratiocinatio Apostoli hæc est : Quod statuitur cum juramento firmius est quàm illud quod sine juramento statuitur : atqui sacerdotium Christi institutum est à Deo cum juramento, teste David psalm. 109, sacerdotium verò Leviticum sine juramento ; ergo sacerdotium Christi Levitico firmius et excellentius est : sicut autem sacerdotium est excellentius, ita et testamentum ; pariter enim procedunt.

VERS. 23. — ET ALII QUIDEM PLURES FACTI SUNT.... Altera probatio et excellentia. Christi sacerdotium præstat Aaronico, quantùm immortale præstat mortali : *Et alii*, id est, Aaronici sacerdotes *plures* successivè *facti sunt* summi pontifices; unus alteri successit.

IDCIRCÒ QUOD MORTE; Græc., *propter mortem...*, id est : Quia per mortem, quæ uniuscujusque eorum vitam finiebat, impediebantur ne perpetuò permanerent in sacerdotio.

VERS. 24. — HIC AUTEM EO QUOD... Syr. : *Hic verò propterea quòd in æternum stat, non præterit pontificatus ejus;* id est : Jesus autem quia immortalis est, sacerdotium non transmittit ad alium : Christus sacerdotium habet intransibile, seu insuccessivum; vicarios habet, non successores.

VERS. 25. — UNDE ET SALVARE IN PERPETUUM POTEST... *Unde*, id est : Quia semper vivit et sempiternum habet sacerdotium ; hinc semper potest perfectè et perpetuò *salvare*, gratiam conferre et gloriam.

ACCEDENTES PER SEMETIPSUM ; Græc., *per ipsum*, id est, fideles, qui per Christum mediatorem accedunt ad Deum, ejusque gratiam postulant per Filium.

SEMPER VIVENS AD INTERPELLANDUM PRO NOBIS : Græc., *pro eis;* Syr. : *Vivit enim ipse semper et offert oblationes pro illis*, id est, quia semper vivit et orat pro nobis, sacerdotis semper munere fungens.

VERS. 26. — TALIS ENIM DECEBAT UT NOBIS ESSET PONTIFEX... Altera probatio et excellentia. Levitici erant peccatores, Christus autem sanctus, etc. ; ipsi soli perfectè conveniunt conditiones in sacerdotibus requisitæ. Conveniebat talem nobis dari Pontificem, et apud Deum mediatorem.

SANCTUS, qui sanctus, erga Deum pius, Deo sacer et devotus ;

INNOCENS, erga proximum, Græc., ἄκακος, *carens malitiâ ;* Syr., *absque malitiâ*, qui nemini noceat, sed omnibus benefaciat ;

IMPOLLUTUS, in se purus et immaculatus ; Syr., *absque maculâ.*

SEGREGATUS A PECCATORIBUS, id est, longè distans à peccatorum moribus ; Syr., *semotus à peccatis.*

ET EXCELSIOR CŒLIS FACTUS. Syr., *sublimior cœlis*, id est, et ipsos angelos longè superans ; *sedens ad dexteram Majestatis.*

VERS. 27. — QUI NON HABET NECESSITATEM... Altera excellentia Christi supra sacerdotes Aaronicos. Hi, quia peccatores erant, pro suis et pro populi delictis hostias offerebant : Christus non pro suis, quia nullum habuit, sed pro totius mundi peccatis, semel seipsum litavit.

Observatio dogmatica.

Hoc de cruento crucis sacrificio intelligitur, nec obest incruento missæ sacrificio, quod unum et idem est sacrificium cum cruento ; eadem enim utrobique hostia, idem offerens ; hocque illius est commemoratio, repræsentatio et applicatio. Christus itaque duo quidem celebravit sacrificia, cruentum unum, incruentum alterum ; unum in sanguine effuso, alterum

VERS. 22. — *In tantùm melioris Testamenti*, etc. Dicitur Jesus novi Testamenti sponsor, seu fidejussor, id est, mediator ; quia Christus, tanquàm sacerdos, inter homines et Deum medius suo ipsius sanguine, quem fudit in arâ crucis, fœdus hoc novum sanxit et confirmavit.

VERS. 23. — *Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes*, etc. Demonstrat Christum præstare Aaronicis. Christus autem est immortalis : licèt enim sit mortuus, mox tamen quasi victor resurrexit ad vitam gloriosam et immortalem.

VERS. 24. — *Hic* (Christus) *autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum* (quod præterire, vel in alium successivè transire non potest) *habet sacerdotium*, q. d. : Christus non habet successorem, sicut habuit Aaron, quia ipse semper vivit ut sacerdos et mediator noster usque in æternum. Sanctus Petrus autem successit Christo, non ut par, sed ut vicarius et minister.

VERS. 25. — *Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum. Accedentes* vocat fideles, qui per fidem et obedientiam quam Christo præstant accedunt ad Deum Patrem, ejusque gratiam et amicitiam.

Semper vivens ad interpellandum pro nobis. Est enim sacerdos semper vivens, ut semper agat sacerdotis officium, id est, semper pro nobis apud Deum interpellet.

VERS. 26. — *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex*, scilicet, qui semper vivens, semper interpellaret pro nobis, ac proinde qui sanctus esset, innocens, etc.

Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, hoc est, ab eorum moribus et vitâ longissimè distans, ac nihil cum illis habens commune.

Et excelsior cœlis factus, hoc est, qui penetravit omnes cœlos usque ad summum ; qui secundùm naturam assuptam supremum in rebus obtinet locum.

VERS. 27. — *Qui non habet necessitatem quotidiè, quemadmodùm sacerdotes* (Levitici) *priùs pro suis delictis*, etc. Hoc enim fecit semel, cùm semetipsum obtulit. Semel seipsum in arâ crucis Deo Patri obtulit Christus, semel pro peccatis mortuus est, semel tantùm, unâque oblatione omnia omnium hominum peccata expiavit.

Missa autem sacrificium est, non redemptorium et satisfactorium, sed applicatorium redemptionis et satisfactionis Christi in cruce peractæ. In missâ enim non novum offerimus pro peccatis pretium, sed primævum crucis pretium et lytrum nobis applicamus.

in pane et vino. Primum, seu sacrificium crucis, fuit redemptionis sacrificium, per quod Christus nos redemit, et omnia nostra expiavit peccata; secundum, seu sacrificium altaris, religionis est sacrificium, per quod nobis applicatur redemptio, expiatio, gratia, quam Christus nobis in cruce promeruit. In hoc autem versiculo D. Paulus de solo redemptionis sacrificio loquitur, quia, ut legenti patet, hìc de peccatorum expiatione agitur : *Qui non habet*, inquit, *necessitatem quotidiè*, etc. Christus ergo semetipsum semel litavit cruentè pro peccatorum nostrorum expiatione; et hoc sacrificium unicum est, quia valoris infiniti, et ad redemptionem totius humani generis à Patre fuit acceptatum : unde nulla reiterationis necessitas. Quo non obstante, singulis diebus, juxta prædictionem Malach. 1, v. 11 : *In omni loco, ab ortu solis usque ad occasum*, usque ad finem mundi, Christus incruentè litatur, ut per hoc incruentum sacrificium ubique celebratum, ubique diffundatur et applicetur gratia Salvatoris. Sacrificium ergo cruentum Christi communis est quidam gratiæ fons, sacrificium verò incruentum est tanquàm canalis per quem aqua gratiæ salit et diffunditur in animas nostras, ut ait concil. Tridentin., sess. 22, cap. 1. D. Paulus de hoc fonte loquitur, quia fons est, et de eo est quæstio.

VERS. 28. — LEX ENIM HOMINES CONSTITUIT SACERDOTES, Græc., *pontifices*, id est : lex enim Mosaica, sine juramento prolata, constituit pontifices mortales, peccatores, omnibus mortalitatis miseriis subjectos,

SERMO AUTEM JURISJURANDI, id est, verbum autem Dei juratum, seu juramento Dei confirmatum, psalmo 109.

QUI POST LEGEM EST, id est, quod post legem, ore Davidis, fuit pronuntiatum, sed in Deo conceptum ab æterno,

FILIUM, supple : Constituit Pontificem, non ad breve tempus, sed *in æternum;* non infirmum, sed ex omni parte PERFECTUM, sanctum, innocentem, etc., et qui unico sacrificio totum redemit mundum.

VERS. 28. — *Lex enim homines constituit sacerdotes* (id est, pontifices sacrorum et sacerdotum principes), *infirmitatem habentes*, id est, mortales, miseros et peccatores, quique non valeant suis sacrificiis peccata expiare.

Sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum, supple, constituit pontificem. Nota. Sermo jurisjurandi est juramentum quo, Psal. 109, juravit Dominus Christo : *Tu es sacerdos in æternum*. Hoc juramentum datum est per Davidem, post datam legem Moysi et Aaroni, ut significaretur vetus sacerdotium cessurum novo Christi, qui perficeret ea quæ veteri deerant. *Perfectum*, id est, consummatum, idque in æternum, etc. Opponit Apostolus has Christi perfectiones et consummationes infirmitati sacerdotum veterum.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

1° Concipe Christum realiter et verè summum altissimi Dei sacerdotem, omnis sanctificationis auctorem omnisque benedictionis fontem, à quo sanctitas, salus et benedictio in omnes quicumque sunt sancti, salvi et benedicti. Et hunc verè summum Dei Pontificem Christum, Abraham, spiritu prophetico ductus, et sacro impulsus instinctu, vidit, agnovit et veneratus est in Melchisedecho, Christi Pontificis figurâ; huic omnis sanctificationis principio, decimas pro se et pro suis dedit; ab hoc benedictionis fonte voluit se et suos benedici, cùm à Melchisedecho benedictionem accepit. Ab Abraham ergo, patre fidei nostræ summo, discamus et nos hunc nostrum summum Pontificem Christum, in omnibus illius ministris intueri; ad hunc sanctificationis auctorem per omnes nostros pietatis actus recurrere; ab hoc benedictionis fonte sacramentorum ab ipso institutorum et per ejus ministros nobis collatorum benedictionem expectare. Discat speciatim omnis fidelis ab Abraham, fidelium patre, Christum in suis vicariis revereri, ei decimas solvere; ab eo per eorum ministerium benedictionem et peccatorum remissionem petere. A Melchisedech autem discat Christi vicarius, seu sacerdos christianus, Christum fideliter exhibere. Primò, sit *rex*, cor regium habeat, à peccati servitute penitùs alienum, affectuumque suorum dominus; secundò, sit verè *altissimi Dei sacerdos;* Deo verè sacer et totus devotus; illi soli verè serviat cui servire regnare est; illi soli militet, illius gloriam quærat in omnibus; ejusque regnum, quantùm illi fas est, extendat, sicque verè rex et sacerdos; tertiò, sit *sine patre, sine matre*, quasi parentes non habeat; quartò, *sine genealogiâ;* non attendat ad genus, quasi sine carne, sine sanguine; Christo soli attentus, splendori gloriæ, et unde vera gloria. Denique quasi æternus, et ad æternitatem solam natus, temporalia spernat, sola quærat æterna.

2° Concipe Melchisedech Christi summi Pontificis figuram quidem; at concipe Christum illius figuræ veritatem, complementum et consummationem; concipe ergo in utroque sacerdotium quidem simile; at multò sublimius sacerdotium Christi sacerdotio Melchisedech. Melchisedech fuit Christi Pontificis typus, figura, et similitudo singularis; quia sicut ille panem et vinum Deo, in gratiarum actionem, pro victoriâ ab Abrahamo reportatâ, obtulit, ac deinde illa Deo oblata in milites Abrahæ libanda, id est, participanda, et comedenda distribuit, ita Christus in ultimâ cœnâ panem et vinum sumens, consecrans, et in suum corpus et sanguinem transsubstantians, in sacrificium eucharisticum obtulit, eaque deinde tribuit apostolis libanda, et similiter offerenda et libanda præcepit. Ritus itaque prorsùs idem; uterque enim panem et vinum obtulit; at longè alius effectus : panem enim nudum, et solum vinum obtulit Melchisedech; Christus autem, qui veritas est et plenitudo, veritatis præfiguratæ imaginem adimplevit, et sub symbolo panis et vini suum pro nobis corpus et sanguinem in sacrificium obtulit. Sacerdotium itaque Christi sa-

cerdotio Melchisedech eò sublimius et excellentius est, quò Christus ipse, Homo-Deus, præstantior est Melchisedech homine, et quò Christi corpus et sanguis sunt nudo pane, et solo vino præstentiora.

Hinc colligat fidelis quantam debeat christianis sacerdotibus reverentiam; quò sublimius sacerdotium, eò major debetur honor sacerdoti : itaque si Melchisedecho, Christi figuræ, tantam reverentiam exhibuit Abraham, fidelium patriarcha, quantò majorem quisque fidelis exhibere debet Christi vicariis, idem cum illo sacerdotium gerentibus ? At hinc colligat omnis sacerdos christianus quantæ debeat esse sanctitatis et puritatis : Christi sacerdotium habet, unus et idem cum illo et in illo Dei summi sacerdos est, sit itaque, sicut et Pontifex noster, *sanctus, innocens, et impollutus*, etc.; in ipso Christo, non in Christi tantùm figurâ, quærat sanctitatis suæ regulam.

3° Concipe Christum summum Dei Pontificem unicum, qui prædecessorem non habuit, qui successorem non habet : præivit Melchisedech, ut figura, non ut in eodem pontificatu prædecessor; subsecuti sunt Petrus, Linus, etc., ut vicarii, non ut successores : *Sacerdos* est *in æternum; sacerdotium habet sempiternum*, intransibile, insuccessivum, incommutabile, v. 24.

4° Concipe autem ita sacerdotem, ut et eumdem concipias hostiam : *seipsum obtulit*, v. 27; non bruta animalia, non alias à se hostias, sed *semetipsum*. Et hinc cape, si potes, saltem mirare sacrificii Christi meritum, undequàque infinitum, et plusquàm infinitum. Hujus sacrificii sacerdos est Deus-Homo; victima est Homo-Deus; Deus victima, à Deo sacerdote ad Dei gloriam immolatus pro peccatis nostris. Ecce sacrificium Deo dignum! ecce sacrificium, non nostra tantùm peccata, sed et totius mundi, imò et infinitorum mundorum, si forent, delere sufficiens! Quanta ergo debet esse nostra fiducia in talem et tantum Pontificem, in talem et tantam victimam, in tale et tantum Christi sacrificium? *unde et salvere in perpetuum potest accedentes*, etc., v. 25.

5° Concipe hunc nostrum summum Pontificem in continuo sui pontificatûs ministerio : *Semper vivit ad interpellandum pro nobis*, v. 25; munera et hostias semper offert, cap. 8, v. 3. Hinc disce huic summo Pontifici nostro frequenter, et, si potest, continuè uniri, et in ipso, cum ipso et per ipsum, Deum glorificare, Deo gratias agere, peccatorum remissionem petere, gratias necessarias postulare.

Praxis explicabitur fusiùs in fine capitis octavi in corollario.

CAPUT VIII.

1. Capitulum autem super ea quæ dicuntur : Talem habemus pontificem, qui consedit in dexterâ sedis magnitudinis in cœlis,

2. Sanctorum minister, et tabernaculi veri, quod fixit Dominus, et non homo.

3. Omnis enim pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur; unde necesse est et hunc habere aliquid quod offerat.

4. Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos, cùm essent qui offerrent secundùm legem munera,

5. Qui exemplari et umbræ deserviunt cœlestium, sicut responsum est Moysi, cùm consummaret tabernaculum : Vide, inquit, omnia facito secundùm exemplar quod tibi ostensum est in monte.

6. Nunc autem melius sortitus est ministerium, quando et melioris testamenti mediator est, quod in *melioribus repromissionibus sancitum est*.

7. Nam si illud priùs culpâ vacâsset, non utique secundi locus inquireretur.

8. Vituperans enim eos dicit : Ecce dies venient, dicit Dominus; et consummabo super domum Israel et super domum Juda, testamentum novum,

9. Non secundùm testamentum quod feci patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum ut educerem illos de terrâ Ægypti; quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus.

10. Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus : dando leges meas in mentem eorum, et in corde eorum superscribam eas; et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum;

CHAPITRE VIII.

1. Tout ce que nous venons de dire se réduit à ceci : Que le pontife que nous avons est si grand, qu'il est assis dans le ciel à la droite du trône de la divine majesté.

2. Etant le ministre du sanctuaire, et de ce véritable tabernacle que Dieu a dressé, et non pas un homme.

3. Car tout pontife est établi pour offrir des dons et des victimes : c'est pourquoi il est nécessaire que celui-ci ait aussi quelque chose qu'il puisse offrir.

4. Si donc il n'avait dû être prêtre que sur la terre, il ne l'aurait point été du tout, puisqu'il y en avait déjà d'établis pour offrir des dons selon la loi,

5. Et qui rendent en effet à Dieu le culte qui consiste en des figures et des ombres des choses du ciel, ainsi qu'il fut dit à Moïse, lorsqu'il devait dresser le tabernacle : Ayez soin de faire tout selon le modèle qui vous en a été montré sur la montagne.

6. Mais quant à notre pontife, il a obtenu une sacrificature d'autant plus excellente, qu'il est le médiateur d'une meilleure alliance, et qui est établie sur de meilleures promesses.

7. Car s'il n'y avait rien eu de défectueux à la première alliance, il n'y aurait pas eu lieu d'y en substituer une seconde.

8. Et cependant Dieu parle ainsi, en blâmant ceux à qui la première avait été donnée : Il viendra un temps, dit le Seigneur, auquel je ferai une nouvelle alliance avec la maison d'Israël et avec la maison de Juda.

9. Non selon l'alliance que j'ai faite avec leurs pères, au jour où je les pris par la main pour les faire sortir de l'Egypte; parce qu'ils ne sont point demeurés dans cette alliance que j'avais faite avec eux; et c'est pourquoi je les ai méprisés, dit le Seigneur.

10. Mais voici l'alliance que je ferai avec la maison d'Israël, après que ce temps-là sera venu, dit le Seigneur : J'imprimerai mes lois dans leur esprit, et je les écrirai dans leur cœur; et je serai leur Dieu, et ils seront mon peuple;

11. Et non docebit unusquisque proximum suum, et unusquisque fratrem suum dicens : Cognosce Dominum : quoniam omnes scient me, à minore usque ad majorem eorum ;

12. Quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum eorum jam non memorabor.

13. Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est.

11. Et chacun d'eux n'aura plus besoin l'enseigner son prochain et son frère, en disant : Connaissez le Seigneur ; parce que tous me connaîtront, depuis le plus petit jusqu'au plus grand ;

12. Car je leur pardonnerai leurs iniquités, et je ne me souviendrai plus de leurs péchés.

13. Or, en appelant cette alliance une alliance nouvelle, il a montré que la première se passait et vieillissait. Or, ce qui se passe et vieillit est proche de sa fin.

ANALYSIS.

Pergit Christum Pontificem nostrum supra pontifices Aaronicos extollere : Summa, inquit, et præcipua Christi excellentia, et quæ cæterarum anacephalæosis est ; Christus tantæ dignitatis est, ut à dextris Dei sedeat, v. 1, *sitque sacrorum minister, non in tabernaculo typico, et ab hominibus facto, ut Aaronici, sed in tabernaculo vero, à Deo fundato, et cujus typus erat tabernaculum Moysi, scilicet in ecclesiâ triumphante et militante, v.* 2. *In utrâque Christus offert, quia correlativa sunt sacerdos et oblatio, v.* 3 ; *offert autem, non terrena, nam ad hæc sufficiunt Levitici, sed semetipsum cœlestem et divinum, v.* 4, 5.

V. 6, *plusquàm sufficienter et abundè probatâ mutatione sacerdotii Levitici in excellentius Christi sacerdotium transit ad testamenti veteris commutationem in novum, et eò melius quò meliora promittit, cœlum scilicet et regnum æternum, v.* 7.

V. 8, *hanc immutationem brevi futuram prævidit Jeremias propheta, eamque sic prædixit, ut excellentias novi testamenti supra vetus expresserit, v.* 9, 10, 11, 12.

Ex allato Jeremiæ testimonio ratiocinans Apostolus, infert veteris testamenti abrogationem, temporibus Jeremiæ brevi futuram, jam factam esse, v. 13.

PARAPHRASIS.

1. Cæterum eorum quæ hactenùs de præstantiâ sacerdotii Christi dixi, caput ac summa est, quòd tantæ dignitatis Pontificem habemus, ut in cœlis dexter assideat throno Dei, divinæ consors Majestatis.

2. Sacerdos et Pontifex sanctuarii et tabernaculi, non typici et umbratici, quale fuit tabernaculum à Moyse factum, quod fixerat homo, sed veri sanctuarii, verique tabernaculi, quod fixit Deus, ut in eo adoretur in spiritu et veritate.

3. In hoc, inquam, cœlesti sanctuario, pontificatûs sui ministerio fungitur Christus, interpellando et offerendo ; cùm enim ad hoc omnis pontifex instituatur, ut donaria et victimas offerat Deo, necesse est ut et hic Pontifex noster, etiam in cœlo collocatus, et ad dexteram Dei sedens, habeat aliquid quod offerat.

4. Quòd si super terram versaretur, et terrenum quid offerendum haberet, non fuisset necesse ut fieret sacerdos, quia multi jam erant alii super terram, qui hujusmodi terrena offerrent, juxta legis præscriptum.

5. Scilicet Aaronici sacerdotes, qui deserviunt tabernaculo, quod obscura tantùm est delineatio et umbra veri tabernaculi, de quo v. 2, et rerum cœlestium quæ fiunt in eo ; quod Deus Moysi significavit cùm illi formam extruendi tabernaculi præscribens, dicit : Vide ut omnia facias secundùm exemplar quod tibi in monte Sinai monstratum est.

6. Atverò Jesus Christus nunc sacerdotium accepit tantò præstantius Letivico, quantò testamentum novum, cujus mediator est, excellentius est Mosaico, et promissa hujus novi testamenti magnificentiora promissionibus veteris.

7. Quòd si prius illud testamentum tale fuisset, ut in eo nihil desideraretur, nequaquàm quæsitus fuisset secundo locus.

8. At tamen Deus Judæos accusans, vetusque testamentum infirmum supponens, novum efficacius promittit his Jeremiæ verbis : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, consummabo super domum Israel et super domum Juda testamentum novum.*

9. Non juxta testamentum quod feci patribus eorum, in die quâ, quasi apprehensâ manu eorum, illos eduxi de captivitate Ægypti : quoniam pactum meum non servaverunt, eos contempsi, dicit Dominus.

10. Hoc autem est testamentum quod paciscar cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus ; indam legem meam mentibus illorum, et in cordibus eorum inscribam eam ; et ero illis verè Deus, et ipsi vicissim erunt mihi verè populus.

11. Nec opus erit ut cogatur quisque concivem suum et fratrem suum docere, dicens : *Cognosce Dominum,* quoniam omnes, idololatriâ contemptâ, me cognoscent unum verum Deum, omnes, inquam, à minimo ad maximum, me cognoscent et colent.

12. Propitius eis reddar, veniam ita tribuens sceleribus eorum, ut ne peccatorum quidem recorder amplius.

13. Audistis quòd Deus novum testamentum per os Jeremiæ promiserit ; porrò novum dicens, significavit primum esse vetus et antiquum : quòd autem antiquum et senex est, in propinquo est ut evanescat, seu intereat ; quod ergo Jeremiæ temporibus jam senuerat, nunc interiit.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — CAPITULUM AUTEM SUPER EA QUÆ DICUNTUR ; Græc., *super dictis ;* Syr. : *Summa autem horum omnium est ;* Arab. : *Cæterùm, summa eorum quæ dicta sunt. Capitulum,* id est, caput, summa, maquæ dixi et dico de præstantiâ sacerdotii Christi, id est, quod sequitur ;

VERS. 1. — *Capitulum autem super ea quæ dicuntur ;* q. d. : Caput, summa et compendium eorum

ximum, et præcipuum omnium quæ dicta sunt, à capite quinto hujus Epistolæ, de præstantiâ sacerdotii Christi, eorumque compendium, est hoc quod sequitur :

TALEM HABEMUS PONTIFICEM, id est, tantæ dignitatis et excellentiæ.

QUI CONSEDIT, id est, ut consideat tanquàm rex, et judex, et æqualis Deo,

IN DEXTERA SEDIS, id est, in dexterâ parte throni,

MAGNITUDINIS, id est, Majestatis seu à dextris Dei Patris. *Cui enim dixit : Tu es sacerdos*, etc., eidem dixit : *Sede à dextris meis*, utpote divinæ consors majestatis et potentiæ. Habemus itaque Pontificem Deum, et à dextris Dei sedentem.

VERS. 2. — SANCTORUM MINISTER. Syr., *minister sanctuarii. Minister*, Græc., λειτουργός, id est, sacrorum minister, sacerdos, pontifex. *Sanctorum*. D. Chrysostomus sumpsit in masculino, hominesque sanctos intellexit ; sed verba sequentia reddunt probabilius quòd *sanctorum* sit neutrius generis, idemque sit ac Sancti sanctorum, seu ac sanctuarii, ut Syrus.

ET TABERNACULI VERI, id est, non typici et umbratici, quale fuit tabernaculum à Moyse factum, et templum à Salomone ædificatum, sed veri tabernaculi quod repræsentabatur per tabernaculum Moysis et templum Salomonis, scilicet Ecclesiæ, tum triumphantis, tum militantis,

QUOD FIXIT DOMINUS, id est, à Deo fundatæ.

Observationes dogmaticæ.

Totum vetus testamentum novi fuit umbra et figura, speciatim verò tabernaculum Moysis, templumque Salomonis, Ecclesiæ christianæ fuit umbra et figura. Vide v. 5. Ecclesia itaque Christi verum est sanctuarium et tabernaculum, in quo vera exercetur religio, et ubi Deus adoratur in spiritu et veritate. Ecclesia triumphans est verum sanctuarium; Ecclesia militans est verum tabernaculum ; utriusque autem Christus est summus Pontifex. Hinc collige quantùm Pontifex noster omnibus supereminet Aaronicis pontificibus. Aaronicus, seu legalis pontifex, ministerium suum peragebat in terris ; Christus suum ministerium peragit partim in terris, partim et præcipuè in cœlo empyreo. Typici tabernaculi, quod in terrâ manibus hominum figebatur, minister erat pontifex Aaronicus, Christus verò tabernaculi veri, quod fixit seu perpetuum et immobile reddidit manus Dei. In tabernaculum typicum interius, seu in Sancta sanctorum, semel in anno, non sine timore intrabat legalis pontifex, ibique stabat tremens apud arcam Dei ; Pontifex noster in vero sanctuario sedet in æternum ad dexteram Majestatis. Cum Deo considet ut Deus ; Dei minister est, ut Deus-Homo.

O Deus sacerdos ! ô sacerdos verè summe ! summè sanctus, summè potens, etc., quæ peccata non expias? Quis ergo peccator in te non confidat, ad te non recurrat, in te totam spem suam non reponat? *In te, Domine, speravi, non confundar*, etc. Vide plura in fine capitis in corollario.

VERS. 3. — OMNIS ENIM PONTIFEX... Probat quod dixit v. 2, Christum in cœlesti sanctuario, licèt à dextris Dei sedentem, esse tamen ibi publicum sacrorum ministrum, seu Pontificem ; ibique sui pontificatûs ministerio fungi, non tantùm interpellando, ut dixit cap. 7, v. 25, sed et offerendo.

OMNIS PONTIFEX CONSTITUITUR AD OFFERENDUM, scilicet Deo,

MUNERA, id est, hostias incruentas, panem, vinum, fruges, etc.,

ET HOSTIAS, id est, victimas cruentas, seu mactandas, et per ignem sacrificandas.

UNDE NECESSE EST ET HUNC.... Cùm ergo, ut supra ex psalm. probatum est, Christus sit sacerdos in æternum, et aliunde correlativa sint sacerdos et oblatio, necesse est ut Christus Pontifex noster etiam in cœlo collocatus, et ad dexteram Dei sedens, habeat aliquid, seu munus, seu hostiam, quod offerat. Quod in formam potest ita redigi : Omnis pontifex constituitur ad offerendum munera et hostias ; atqui Christus est Pontifex in æternum ; ergo offert Deo munera et hostias etiam in cœlo.

Observatio dogmatica.

Sed quænam est illa victima, quam offert Pontifex noster? D. Paulus eam negativè describit in versu sequenti, dicens non esse quid terrenum; sed positivè describit in cap. 9, v. 12, v. 25 : *Apparet vultui Dei pro nobis*. Seipsum ergo Deo Patri continuè offert, et in cœlis et in terris. In cœlo seipsum offert, tanquàm olim in cruce occisum : *Apparet nunc vultui Dei pro nobis ;* vulnerum passionis suæ vestigia Deo repræsentando, et per ea, quasi per tot ora, interpellando, ut hujus suæ passionis merita nobis applicentur. In terris autem semetipsum offert super altare per missæ sacrificium, in quo sese tanquàm primarius

Talem habemus Pontificem, qui consedit in dexterâ sedis magnitudinis in cœlis. Caput et summa dictorum est, inquit, quòd *talem*, id est, tantæ dignitatis et excellentiæ Pontificem habemus, qui sedeat ad dexteram solii majestatis divinæ in cœlo. Hæc enim longè sunt supra dignitatem pontificis levitici, ministrantis in tabernaculo.

VERS. 2. — *Sanctorum minister, et tabernaculi veri*, ut pontifex in cœlo, tanquàm in sanctis locis et in tabernaculo ministret, id est, pontificis officium agat pro nobis apud Deum, videlicet interpellando, et humanitatem in quâ passus est illi repræsentando, etc.

Quod fixit Dominus, et non homo. Quod tabernaculum fixit ille cui nomen est Dominus. Christus autem veri tabernaculi minister est, quod fixit manus Dei, id est, perpetuum atque immobile fecit. Quo simul innuitur, sacerdotium Christi perpetuum et immobile permanere.

VERS. 3. — *Omnis enim pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur. Munera*, id est, dona et sacrificia.

Unde necesse est et hunc habere aliquid quod offerat. Christus, etsi in cœlo regnans, offert quotidiè seipsum adhuc in terris, per ministros ac vicarios suos sacerdotes. Offert idem munus eucharisticum ab ortu solis usque ad occasum per vicarios suos sacerdotes. Christus in cœlo offert sacrificia missæ, quæ toto orbe quotidiè celebrantur. In his enim primus et primarius sacerdos qui consecrat, offert, et transsubstantiationem peragit, est Christus.

sacerdos immolat, et transsubstantiationem peragit. Christus mortalis obtulit munus, id est, Eucharistiam *in ultimâ cœnâ*; obtulit hostiam, seipsum, in cruce; Christus immortalis offert eucharisticum munus per *universum orbem terræ*; *offert* et *hostiam* in cœlis, sese, ut olim crucifixum exhibens per vulnerum cicatrices, sicque *ministerium suum* exercet *et in cœlis* et in terris.

Fateor equidem quòd D. Paulus Eucharistiam hic tacere videatur, quia mysterium; vide dicta in cap. 7, ad v. 3, fidelibus tamen mysteriorum conscius, illam satis exprimit hâc universali propositione : *Omnis pontifex constituitur ad offerendum munera*, id est, incruenta sacrificia; *et hostias*, id est, cruenta sacrificia : maximè verò cùm hanc propositionem universalem enuntiet Apostolus, postquàm multoties in cap. 7 dixit Christum sacerdotem in æternum secundùm ritum sacrificandi Melchisedech, qui incruentè sacrificavit in pane et vino, hocque sacrificio præfiguravit eucharisticum sacrificium.

Vers. 4. — Si ergo esset super terram... Græc., *siquidem enim esset super terram, nec utique esset sacerdos*. Satis communiter in hoc versiculo subintelligitur offerens, seu Christus, sic : *Si* Christus *esset super terram*, ne sacerdos quidem esset, multò minùs pontifex.

Cum essent, id est, quandoquidem jam essent alii super terram à Deo constituti, scilicet Aaronici sacerdotes, qui offerrent juxta legis præscriptum; itaque nihil opus esset ut Messias fieret sacerdos et ad hoc mitteretur. Sed sensu non minùs proprio subintelligitur victima, sic : *Si illud quod offertur esset super terram*, seu aliquod terrenum, Christus *non esset sacerdos*, id est, nulla necessitas esset ejus sacerdotii, quia multi essent qui talia offerrent. Hanc expositionem, quæ est secundùm Glossam, D. Thomas pluribus aliis, quas refert, videtur præferre ut magis litteralem, seu, ut ait, continuativam litteræ. Potest autem hæc utraque relata expositio jungi ut in paraphrasi : Si Christus super terram versaretur, nihilque nisi terrenum haberet offerendum, non fuisset necesse ut fieret sacerdos, quia jam multi sunt, qui talia offerant. Paulus ergo negativè describit victimam quam offert Pontifex noster; non est quid terrenum; obscurè autem et indirectè insinuat esse cœlestem et divinam, scilicet seipsum, veritatem et exemplar veteris testamenti.

Vers. 5. — Qui exemplari et umbræ deserviunt...

id est, scilicet Levitici sacerdotes, qui deserviunt tabernaculo, quod est, ὑπόδειγμα, *subostensio*, obscura repræsentatio, et umbratilis delineatio, Theophylactus.

Cœlestium, id est, rerum quæ fiunt in Ecclesiâ, seu triumphante, seu militante; nostra enim etiam cœlestia sunt, *quia spiritualia et digna cœlestibus*, ut ait D. Chrysostomus et Theophylactus.

Sicut responsum est Moysi; Græc. : *Sicut responso edoctus est Moyses*. Cum consummaret; Græc. : *Futurus absolvere*, id est, cùm consummaturus esset tabernaculum.

Vide (inquit), omnia facito, id est, vide, ô Moyses, et fac omnia, id est, tabernaculum et cuncta ad illud spectantia.

Secundum exemplar; Græc., *typum*, seu formam, quod tibi, cùm in monte Sina varsareris ostensum est. Tabernaculum itaque Moysis et templum Salomonis nihil aliud erant, quàm umbræ et obscuræ repræsentationes eorum quæ per Christum fieri debebant in Ecclesiâ, tum triumphante, tum militante. Et hoc Moyses fuit divinitùs edoctus : intellexit enim non materialem tantùm formam, quâ tabernaculum, arcam, propitiatorium, etc., conficere debebat, sed et formalem istorum omnium significationem, nempe quod typi et figuræ essent tabernaculi spiritualis et cœlestis quod Christus aliquando constructurus erat, Ecclesiæ scilicet tum militantis, ejusque sacramentorum ac sacrificii, tam triumphantis, illiusque splendoris et gloriæ.

Vers. 6. — Nunc autem melius; Græc., *præstantius*, excellentius, etc., id est : Atverò Jesus Christus, in cœlesti nunc tabernaculo, ad dexteram Patris sedens, sacerdotium habet longè præstantius hoc sacerdotio Levitico terreno; quasi diceret, non terrenum et temporale, et *umbraticum* habet *sacerdotium*, sed cœleste, verum, æternum et verè divinum, infinitè præstantius Levitico.

Quanto et melioris testamenti mediator est. Plusquàm sufficienter et abundè probatâ, ex omnibus hucusque dictis, mutatione sacerdotii Levitici in sacerdotium Christi longè excellentius, Apostolus subtiliter et dexterè transit ad veteris testamenti commutationem in novum, veteri quoque multò præstantius. Cap. 7, v. 12, incœpit dicere legem esse mutatam, hic probat id fuisse prædictum, simul et breviter ostendit novi testamenti supra vetus præcellentiam : *Quantò et melioris testamenti mediator est*; id est :

Vers. 4. — *Si ergo esset super terram*, etc. Ex hisce colligit Apostolus Christum non tantum in terrâ, sed et in cœlo esse pontificem et sanctorum ministrum, uti præcessit.

Vers. 5. — *Qui exemplari et umbræ deserviunt cœlestium*. Chrysost. et Theophyl. notant sacerdotium leviticum fuisse tantùm obscuram et tenuem repræsentationem sacerdotii nostri, nostrumque hîc ab Apostolo vocari cœleste, quia cœlestem habet hostiam, scilicet Christi corpus, ideòque angelos habet præsentes.

Sicut responsum est, id est, divino oraculo dictum est,

Moysi, cùm consummaret tabernaculum, id est, consummare vellet, vel cogitaret. Græcè : *Cùm esset consummaturus tabernaculum*, id est, facturus.

Vide (inquit) omnia facito secundùm exemplar, quod tibi ostensum est in monte, quod tibi hisce quadraginta diebus, quibus mecum in Sinâ versaris, vivâ voce descripsi, et ideâ aliquâ sensibili intuendum proposui.

Vers. 6. — *Nunc autem melius sortitus est ministerium*, etc., q. d. : Christus melius et præstantius accepit sacerdotium, quàm levitici et legales sacerdotes; præstantius, inquam, tantò, quantò novum testamentum, cujus Christus mediator est, antecellit veteri,

Sacerdotium Christi eò præstantius est Levitico, quò novum testamentum, cujus mediator est Christus, præcellit veteri.

QUOD IN MELIORIBUS... ; Syr. : *Et cum excellentioribus quàm illius promissionibus datum est ;* id est : Et quò meliora bona suis promittit, spiritualia scilicet et cœlestia, regnum cœlorum, vitam æternam, Dei ipsius possessionem ; cùm vetus testamentum terrena tantùm proponeret : *Bona terræ comedetis,* et his similia.

VERS. 7. — NAM SI ILLUD PRIUS CULPA VACASSET ; Græc. : *Inculpabile esset ;* Syr. : *Non fuisset obnoxium culpæ ;* Arab. : *Vitio careret ;* id est : Si prius testamentum defectu caruisset ; vel, si perfectum fuisset ; et ad perfectionem adducere potuisset : si in eo nihil desiderandum defuisset.

NON UTIQUE SECUNDI LOCUS... Syr. : *Nullus relictus fuisset huic secundo locus ;* id est : non fuisset necessarium aliud testamentum, seu prius illud non fuisset amotum, ut secundum ei succederet. Supposuit in capite 7, v. 18, infirmitatem legis Mosaicæ, illam hic probat.

VERS. 8. — VITUPERANS ENIM EOS ; Syr., *culpans enim eos ;* id est, accusans Judæos, non legem ; legis tamen indicans infirmitatem, cùm perfectiorem promittat.

DICIT, Jerem. 31, v. 31 : ECCE DIES VENIENT, id est, brevi aderunt, ET CONSUMMABO, feriam, perficiam fœdus novum.

VERS. 9. — NON SECUNDUM TESTAMENTUM, id est : Novum hoc testamentum non erit tale, quale fuit prius, sed longè perfectius.

majoraque bona suis promittit ; vetus enim testamentum terrena, novum verò cœlestia bona spondet, promittit et præstat.

VERS. 7. — *Nam si illud priùs culpâ vacâsset*, etc. Quod subrogatur alteri defectum habenti, melius esse oportet ; atqui secundo testamento locus promittitur rejecto veteri propter ejus defectum (nisi enim aliquid ei deesset, secundi locus non quæreretur) ; ergo hoc illo melius est.

VERS. 8. — *Vituperans enim eos*, scilicet Judæos. Cùm Judæcs vituperat, legem eorum vituperat, quasi infirmam et imbecillem, quæ scilicet Judæos sibi obsequentes, bonos efficere non potuerit.

Dicit : Ecce dies venient, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel et super domum Juda testamentum novum. Consummabo, id est, percutiam et feriam testamentum, id est, fœdus novum.

VERS. 9. — *Non secundùm testamentum quod feci patribus eorum ;* q. d. : Novum hoc testamentum non erit tale quale fuit vetus cum patribus initum, sed longè præstantius illo quod pepigi cum Moyse.

In die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terrâ Ægypti, hoc est, quo tempore eos velut apprehensâ manu eduxi ex Ægypto, ubi durâ premebantur servitute.

Quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus, et proinde eos ego neglexi, contempsi, reprobavi eos. Illâc sententiâ repellitur et vetus populus, et vetus lex, et vetus testamentum, etc.

VERS. 10. — *Quia hoc est testamentum quod disponam* (pangam et sanciam) *domui Israel ;* q. d. : Hoc autem est testamentum et fœdus, scilicet novum,

IN DIE QUA APPREHENDI, id est, circa illud tempus, cùm, quasi manu eorum apprehensâ, illos eduxi de captivitate Ægypti.

QUONIAM IPSI NON PERMANSERUNT..., id est : Quoniam non servaverunt pactum meum, contempsi eos ; neglexerunt me, ET EGO vicissim EOS NEGLEXI. D. Paulus citat juxta Septuaginta ; hinc paulò aliter quàm in Bibliis ex Hebræo per D. Hieronymum translatis.

VERS. 10. — QUIA HOC EST TESTAMENTUM... Syr. : *Hoc autem est testamentum quod dabo familiæ domûs Israel,* etc.

UTRIUSQUE TESTAMENTI DIFFERENTIÆ.

Nota differentias utriusque testamenti quæ prioris infirmitatem simul et novi excellentiam demonstrant.

DANDO LEGES MEAS IN MENTEM EORUM... Syr. : *Indam legem meam in mentibus illorum, et in cordibus illorum inscribam eam.* Vetus erat in tabulis lapideis scriptum, oculis corporeis expositum, novum in mente et in corde, cognitionis, amoris et obedientiæ principiis : hoc itaque potentius ad amorem et obedientiam. Apostoli nihil scriptum acceperunt, sed in cordibus suis acceperunt legem spiritûs. Theophylactus.

ET ERO EIS IN DEUM. Syr. : *Et ero illis ego Deus, ipsique erunt mihi populus.* Judæi erant quasi servi, et Deus ut Dominus erat inter illos. Christiani sunt quasi filii, et Deus ut Pater inter illos : novum itaque testamentum nos hic, et in futuro replet benedictionibus.

VERS. 11. — ET NON DOCEBIT UNUSQUISQUE PROXIMUM ; Syr., *concivem suum.* Vetus testamentum imperfectam Dei cognitionem dabat, omnia in figurâ

quod pro veteri inducam et statuam. *Post dies illos*, id est, postquàm neglexero et rejecero à me meâque Ecclesiâ Judæos incredulos. Hinc dicitur novum, quia nova affert promissa, præcepta, Sacramenta, novam gratiam, novam vitam, novum hominem.

Dicit Dominus : Dando leges meas in mentem eorum, et in corde eorum superscribam eas. Dando, id est, dabo. Nota. Res quam novo suo fœdere et testamento promisit nobis Deus, est Spiritus sanctus, sive lex gratiæ et charitatis menti aspirata et inscripta. Unde S. Augustinus : Quæ, ait, sunt aliæ leges à Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritûs sancti ? Contra in fœdere veteri lex scripta in tabulis non erat res promissa, sed conditio fœderis. Deus ergo jam legem et consilia sua inscribit ipsi menti et intellectui Christianorum, quando illi imprimit fidem et prudentiam agendorum, crebrasque illuminationes et illustrationes, quibus ostendit menti quàm pulchra sit lex Christi, quàm utilis, divina, suavis ; quàm turpe sit peccatum, quàm facilis pœnitentia, quàm jucunda sit vita pia et christiana.

Et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum ; q. d. : Ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus, scilicet selectus, singularis et peculiaris. *Ero eis Deus*, id est, ero eis clementissimus pater, provisor, protector, largitor gratiæ, gloriæ, beatitudinis et bonorum omnium ; vice versâ, *ipsi erunt mihi populus*, quia me agnoscent, colent, servient, colent, obedient, purè ac sincerè mihi colendo, legesque meas observando. Alludit ad illud Exod. 19 : *Eritis mihi in peculium de cunctis populis, et in regnum sacerdotale, et gens sancta.*

VERS. 11. — *Et non docebit unusquisque proximum*

contingebant; perfectam et facilem dat novum; per Spiritum sanctum repleta est terra scientiâ Domini. Hoc præsertim apostolorum temporibus adimpletum est in quibus statim accepto Spiritu, fideles nullo labore docebantur quæ ad fidem spectabant, ait Gagnæus. Nostris adhuc temporibus aliquo modo verum est : destructâ enim idololatriâ, omnes Christiani sciunt unum esse Deum; et per simplicem catechismum, qui scitu facilis est, plura de Deo sciunt nunc pueri quàm noverint unquàm doctissimi philosophi, imò et plerique Judæi.

VERS. 12. — QUIA PROPITIUS ERO... Syr. : *Et veniam eis, tribuam*, etc. Vetus testamentum imperfectum et infirmum erat in peccatorum remissione, quam non dabat, ut cap. 10 videbitur; novum peccata sic delet, ut nec eorum recordetur Deus. Hanc prophetiam ex Jeremiæ 31, v. 31, desumptam, Judæi referunt ad tempus Esdræ, quo lex fuit renovata : sed perperàm, tum quia illa renovatio tunc facta est in membranis, non autem in cordibus, tum quia tunc non institutum est novum testamentum, sed vetus fuit redintegratum; debet igitur intelligi de testamento novo per Christum condito.

VERS. 13. — DICENDO AUTEM NOVUM... Syr. : *In hoc autem quod dicit novum*, etc. Ex allato Jeremiæ testimonio de novo testamento futuro, D. Paulus infert veteris abrogationem, hoc ratiocinio : Deus per Jeremiam dicens : *Consummabo testamentum novum*, etc.; VETERAVIT, id est, antiquum et vetus esse declaravit PRIUS; quod autem antiquum et vetus est.

PROPE INTERITUM EST; Græc. : *Prope evanescentiam est;* Syr. : *Prope est ut corrumpatur.* Quod ergo tempore Jeremiæ senescebat, nunc tempore Christi interiit.

suum, etc. Loquitur tam Propheta quàm Apostolus de cognitione et gratiâ quam affert fidelibus novum testamentum in hâc vitâ. Quasi dicat : Omnes per catechesin et baptismum effecti Christiani, tum in primitivâ Ecclesiâ, tum deinceps habebunt unius veri Dei cognitionem, amorem, cultum et timorem, contemnentque omninò pristinam suam idololatriam; Deus enim ita interiùs suâ gratiâ mentem illorum illuminabit, et cor voluntatemque accendet, ut spontè abjectis idolis, omnique superstitione, Deum verum agnoscant, colant et ament. *Cognosce Dominum*, et cognitum cole, time et redama. Nota. Quò quis magis cor suum purificat, Deoque per orationem conjungit eò magis à Deo interiùs docetur.

VERS. 12. — *Quia propitius ero iniquitatibus eorum*, etc. Denique, ut nihil desit ad gratiam, nihilque relinquatur impedimenti ad vitam æternam, omnia eis peccata tam priora quàm posteriora condonabo.

VERS. 13. — *Dicendo autem novum, veteravit*, id est, antiquavit, antiquum et vetus esse declaravit. Hæc omnia ideò dicit Paulus, ut Hebræos à Moyse ad Christum abducat, doceatque eos non mirari debere quòd Deus vetus testamentum à se datum abrogaverit (utpote infirmum et insufficiens ad justitiam et salutem) per novum novi Messiæ Salvatoris, cùm id promissum et prædictum sit ante tot secula à Jeremiâ.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

1° Ex v. 1, *talem habemus Pontificem, qui*, etc., disce, nota et menti imprime Christi Pontificis nostri dignitatem, ut in eum confidas. Dexter assidet Deo in magnificentissimo majestatis throno; et in hoc ipso throno pontificatûs sui ministerium peragit in cœlis et in terris, beatorum Pontifex ac noster. Illorum equidem in primis, quia et Christus, et christiana religio maximè propter æternitatem, ut scilicet Deus in æternum dignè colatur in cœlis; at noster reverà sicut illorum Pontifex, quia sub ipso, et cum ipso, et per ipsum, verè et eâdem religione Deum colimus in terris ac beati in cœlis, ut infra fusiùs. In hoc ergo gloriæ throno, Christus Ecclesiæ christianæ Pontifex, Deum cum beatis laudat, adorat, benedicit, etc. In hoc eodem throno nostri curam gerit, nostras res agit, nostræ saluti providet, pro nobis interpellat et offert. Quanta ergo nostra debet esse fiducia in talem, ac tantum Pontificem? quàm frequens ad eum recursus? quantus amor? quanta spes? *In manibus tuis sortes meæ!*

2° Ex v. 2, disce et nota quòd Ecclesiâ Christi sit verum sanctuarium, et verum tabernaculum in quo Deus verè colitur. Ecclesia triumphans est verum sanctuarium in quo Deus verè et perfectè colitur à Christo, et ab omnibus sanctis. Ecclesia militans est tabernaculum in quo Deus verè quidem, at minùs perfectè, colitur à fidelibus viatoribus. Eadem est nostra hìc militantium ac in cœlis triumphantium religio; idem nobis Deus, idem sacerdos, eadem victima. Christus pontificatûs sui ministerium exercet in terris et in cœlis; hìc super altare semetipsum offert, sicut ad dexteram Majestatis *apparet vultui Dei pro nobis*. Eadem itaque religio nostra et beatorum; eadem est Ecclesia militans et triumphans, cum hoc discrimine, quòd non viatores simus quasi pueri, tyrones, et novitii; comprehensores verò sint perfecti, professi, etc. In cœlis vera et perfecta exercetur religio; in terris vera quidem, at imperfecta, et quasi tyrocinium veræ religionis. Quid ergo nobis tyronibus faciendum ut religionem perfectè exerceamus? Fide et charitate frequenti, et, si fieri potest, continuâ Christo, totique Ecclesiæ triumphanti uniamur, ut in illo, cum illo, et per illum perfectè Deum colamus : Ecclesiæ triumphanti sic uniti, offeramus Deo omnes perfectissimè religionis actus, quos illa in Christo, cum Christo, et per Christum exercet et exercebit in æternum; adoremus, laudemus, gratias agamus, etc.; saltem ad omnes actus quibus Deum colunt respondeamus : Amen.

3° Ex v. 3, *omnis pontifex ad offerendum*, etc., dicisti quòd Christus, Pontifex noster, et in cœlis, et in terris, Deo semetipsum jugiter offert; hujus nunc oblationis continuæ disce rationem, ut hinc doceaaris praxim verè christianam. Nihil unquàm Deum æquè

glorificavit ac sacrificium crucis. Hujus sacrificii sacerdos, Christus Deus-Homo; hujus ejusdem sacrificii victima, idem Christus Homo-Deus; Deus victima à Deo sacerdote ad Dei gloriam immolatus; ecce sacrificium omninò divinum, Deo verè dignum, Deum infinitè, et quantùm fieri potest, glorificans. Ut hanc gloriam Deo dignam, Deo proportionatam Christus Patri suo, non semel tantùm, et quasi transitoriè reddat, sed permanenter, continuè, et ubique, quid facit? Hoc suæ mortis sacrificium in omni terrarum loco, omni temporis momento, per sanctissimam Eucharistiam renovat in terris; hoc idem suæ mortis sacrificium jugiter exhibet et repræsentat in cœlis, cum vestigiis vulnerum suorum *apparens vultui Dei pro nobis*. Deum ergo Pontifex noster, qui et Deus est, sui ipsius oblatione incruentâ, et quasi cruentâ dignè, infinitè, et quantùm possibile est, glorificat; et hunc puto præcipuum incarnationis dominicæ finem.

Praxis verè christiana.

Sed hæc continua Christi Pontificis nostri praxis quid nos Christianos docet? Praxim verè christianam, et quæ continua Christi praxis est; modum scilicet Deum dignè, infinitè, in Christo, cum Christo et per Christum glorificandi. Ad hunc finem Christo Pontifici nostro fide et charitate unire, sive in cœlis ante thronum Dei, tanquàm occiso pro nobis apparenti, sive in sanctissimâ Eucharistiâ suæ passionis sacrificium mysticè et incruentè continuanti, et sic Christo Pontifici nostro unitus, offer Deo quod offert summus ille Dei Pontifex; et sic in illo, cum illo et per illum, dignè et infinitè Deum glorificabis. Si Christo ante thronum Dei pro nobis interpellanti uniaris, per ipsum et cum ipso interpella, ora, etc.; omnia religionis officia in illo, et cum illo persolve; cum ipso Deum adora, ama, lauda, Deo gratias age; à Deo per ipsum peccatorum tuorum remissionem pete, omniaque tibi necessaria; offer Deo quidquid illi Christus offert, omnes illius actus amoris, laudis, adorationis, etc. Si coram altari, ubi sanctissima Eucharistia, astas, ibi passionis Christi memor, offer Deo Christum mysticè crucifixum, et sese Deo offerentem ad Dei gloriam, ad peccatorum nostrorum remissionem, ad totius mundi salutem; offer Deo omnem gloriam quam illi Christus in omni terrarum loco mysticè immolatus procurat et offert; omnem gloriam quam ab institutione sanctissimæ Eucharistiæ in hoc sacramento procuravit et obtulit, omnem gloriam quam illi in hoc eodem sacramento ubique procurabit et offeret usque ad finem mundi. Si reverà non potes ad ecclesiam pergere, perge spiritu; et in quocumque loco sis, spiritu vertere versùs altare, fide Christo ibi immolato unire, et hunc dignum Dei adoratorem continuum intùs saltem adora, omnesque ejus adorationes, laudes, amoris actus offer. Lauda Deum Christi mente, adora Deum Christi corde, adora Deum Christi adoratione, et continâ ipsius ante Dei pedes annihilatione, sicque Deum dignè adorabis. Plura de hâc praxi in sequentis capitis corollario, et in capitis decimi tertii corollario, vide, et in Epistolâ ad Romanos cap. 16, in corollario.

CAPUT IX.

1. Habuit quidem et priùs justificationes culturæ, et sanctum seculare.

2. Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, et mensa, et propositio panum, quæ dicitur sancta.

3. Post velamentum autem secundum, tabernaculum quod dicitur Sancta sanctorum:

4. Aureum habens thuribulum, et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in quâ urna aurea habens manna, et virga Aaron, quæ fronduerat, et tabulæ testamenti;

5. Superque eam erant cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium: de quibus non est modò dicendum per singula.

6. His verò ita compositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes;

7. In secundo autem semel in anno solus pontifex, non sine sanguine, quem offert pro suâ et populi ignorantiâ:

8. Hoc significante Spiritu sancto, nondùm propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum.

9. Quæ parabola est temporis instantis, juxta quam munera et hostiæ offerantur, quæ non possunt juxta

CHAPITRE IX.

1. La première alliance a eu des lois et des règlements touchant le culte de Dieu, et un sanctuaire terrestre;

2. Car dans le tabernacle qui fut dressé, il y avait une première partie où était le chandelier, la table, et les pains de proposition; et cette partie s'appelait le Saint.

3. Après le second voile, était le tabernacle appelé le Saint des Saints,

4. Où il y avait un encensoir d'or, et l'arche de l'alliance couverte d'or, dans laquelle étaient une urne d'or pleine de manne, la verge d'Aaron qui avait fleuri, et les tables de l'alliance.

5. Au-dessus de l'arche, il y avait des chérubins de gloire, qui couvraient le propitiatoire; mais ce n'est pas ici le lieu de vous en parler en détail.

6. Or, ces choses étant ainsi disposées, les prêtres entraient en tout temps dans le premier tabernacle, lorsqu'ils exerçaient les fonctions de leur ministère:

7. Mais le grand pontife seul entrait dans le second, et une seule fois l'année, non sans y porter du sang qu'il offrait pour ses ignorances et pour celles du peuple;

8. Le Saint-Esprit nous montrant par là que la voie du vrai sanctuaire n'était point découverte, pendant que le premier tabernacle subsistait.

9. Et cela même était l'image de ce qui se passait en ce temps-là, pendant lequel on offrait des dons et et des sacrifices qui ne pouvaient purifier la conscience

conscientiam perfectum facere servientem, solummodò in cibis et in potibus,

10. Et variis baptismatibus, et justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis.

11. Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis;

12. Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in sancta, æternâ redemptione inventâ.

13. Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis,

14. Quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi!

15. Et ideò novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.

16. Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.

17. Testamentum enim in mortuis confirmatum est; alioquin nondùm valet, dùm vivit qui testatus est.

18. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est.

19. Lecto enim omni mandato legis à Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum, cum aquâ et lanâ coccineâ et hysopo, ipsum quoque librum et omnem populum aspersit,

20. Dicens : Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus.

21. Etiam tabernaculum et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit.

22. Et omnia penè in sanguine secundùm legem mundantur; et sine sanguinis effusione non fit remissio.

23. Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari, ipsa autem cœlestia melioribus hostiis quàm istis.

24. Non enim in manufacta sancta Jesus introivit, exemplaria verorum : sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis;

25. Neque ut sæpè offerat semetipsum, quemadmodùm pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno;

26. Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi; nunc autem semel in consummatione seculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit.

27. Et quemadmodùm statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium,

28. Sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; secundò sine peccato apparebit expectantibus se, in salutem.

de ceux qui rendaient à Dieu ce culte, puisqu'ils ne consistaient qu'en des viandes et en des breuvages,

10. En diverses ablutions, et en des cérémonies charnelles, et qui n'avaient été imposées que jusqu'au temps que cette loi serait corrigée.

11. Mais Jésus-Christ, le pontife des biens futurs, étant venu dans le monde, est entré une fois dans le sanctuaire, par un tabernacle plus grand et plus excellent, qui n'a point été fait par la main des hommes, c'est-à-dire qui n'a point été formé par la voie commune et ordinaire.

12. Et il est entré, non avec le sang des boucs et des veaux, mais avec son propre sang, nous ayant acquis une rédemption éternelle.

13. Car si le sang des boucs et des taureaux, et l'aspersion de l'eau mêlée avec la cendre d'une génisse sanctifie ceux qui ont été souillés, en leur donnant une pureté extérieure et charnelle,

14. Combien plus le sang de Jésus-Christ, qui par le Saint-Esprit s'est offert lui-même à Dieu comme une victime sans tache, purifiera-t-il notre conscience des œuvres mortes, pour nous faire rendre un vrai culte au Dieu vivant?

15. C'est pourquoi aussi il est le médiateur du testament nouveau, afin que, par la mort qu'il a soufferte pour expier les iniquités qui se commettaient sous le premier testament, ceux qui sont appelés reçoivent l'héritage éternel qu'il leur a promis.

16. Car où il y a un testament, il est nécessaire que la mort du testateur intervienne.

17. Parce que le testament n'a lieu que par la mort, n'ayant point de force tant que le testateur vit.

18. C'est pourquoi le premier testament même ne fut confirmé qu'avec le sang.

19. Car Moïse, ayant récité devant tout le peuple toutes les ordonnances de la loi, prit du sang des veaux et des boucs, avec de l'eau et de la laine teinte en écarlate, et de l'hysope, et en jeta sur le livre même, et sur tout le peuple,

20. En disant : Voici le sang du testament que Dieu a fait en votre faveur.

21. Il jeta encore du sang sur le tabernacle, et sur tous les vases qui servaient au culte.

22. Et, selon la loi, presque tout se purifie avec le sang; et les péchés ne sont point remis sans effusion de sang.

23. Il était donc nécessaire que ce qui était la figure des choses célestes fût purifié par le sang des animaux; mais que les célestes mêmes le fussent par des victimes plus excellentes que n'ont été les premières.

24. En effet Jésus-Christ n'est point entré dans ce sanctuaire fait par la main des hommes, lequel n'était que la figure du véritable; mais il est entré dans le ciel même, afin de se présenter maintenant pour nous devant la face de Dieu.

25. Et il n'y est pas aussi entré pour s'offrir lui-même plusieurs fois, comme le grand-prêtre entre tous les ans dans le sanctuaire, portant un sang étranger;

26. Car autrement il eût fallu qu'il eût souffert plusieurs fois depuis la création du monde; au lieu qu'il n'a paru qu'une fois vers la fin des siècles, pour abolir le péché, en s'offrant lui-même pour victime.

27. Et comme il est arrêté que les hommes meurent une fois, et qu'ensuite ils soient jugés,

28. Ainsi Jésus-Christ a été offert une fois pour effacer les péchés de plusieurs; et la seconde fois il apparaîtra sans péché, pour le salut de ceux qui l'attendent.

ANALYSIS.

In fine capitis 8 *dixit vetus testamentum per novum abrogatum fuisse : ne videatur autem illud damnâsse velut inutile, multas hìc illius ad Dei cultum utilitates refert. Fatetur ergo quòd et ritus et cæremonias ad Dei cultum pertinentes habuerit et tabernaculum in quo his ritibus coleretur Deus, v.* 1. *Hoc tabernaculum describit quoad partes et quoad ea quæ continebat, sive in Sancto, sive in Sancto sanctorum, v.* 2, 3, 4, 5, *et quoad sacrificia et ministeria quæ fiebant in utroque, v.* 6, 7.

V. 8, 9, 10, *hæc ipsa quæ dixit interpretatur, et ex illis ipsis ostendit ipsius Testamenti veteris infirmitatem et insufficientiam ad sanctificandas animas, et ad cœlum eis aperiendum. Hi duo effectus Christo Pontifici nostro erant reservati.*

V. 11 *et* 12, *novi pontificatûs efficaciam sic exprimit, ut et Christi Pontificis super omnes legales pontifices excellentiam exprimat. Pontifex est, non temporalium, sed æternorum bonorum ; transiit, non per tabernaculum hominum manibus factum, sed à Spiritu sancto formatum; non cum sanguine pecorum, sed cum suo sanguine proprio intravit in Sancta sanctorum , non terrena, sed cœlestia ; non semel in anno, sed semel omninò ; non annuâ tantùm legali sanctificatione procurandâ, sed æternâ et perfectâ animarum sanctificatione peractâ.*

V. 13 *et* 14, *hanc sanguinis Christi efficaciam probat ex efficaciâ hircorum et vitulorum sanguini à Judæis attributâ. Si poterat sanguis pecorum legaliter sanctificare, quantò magis sanguis Christi, immaculati Agni Dei, conscientias à peccatis emundabit ?*

V. 15, *ob hanc sui sanguinis efficaciam, Christus novi testamenti mediator factus est, ut per sui sanguinis effusionem omnia totius mundi peccata deleret, etiam quæ sub priori testamento commissa sunt, et ut omnes, à peccatis liberi, possent æternam hæreditatem sibi promissam possidere.*

V. 16 *et* 17. *Ut hanc hæreditatem possideremus, debuit mori Christus testator ; viventis enim nulla hæreditas.*

V. 18, 19, 20, 21, 22, *hoc præfiguratum ostendit in veteri testamento quod cum sanguine fuit dedicatum.*

V. 23, *cum hoc discrimine, quod sicut illud erat typicum, ita typico pecorum sanguine, seu Christi sanguinis præfigurativo, fuit sancitum ; novum verò, quia verum, vero Christi sanguine confirmatum; typica ergo typico sanguine mundanda fuerunt : spiritualia verò, cœlestia et divina vero, cœlesti et divino Christi sanguine mundata.*

V. 24 *et sequentibus explicat quæ sint Sancta sanctorum, in quæ Christus Pontifex noster introivit, scilicet cœlum ipsum. Ad quid ? Ut continuè gerat pro nobis officium Pontificis, non sui sacrificii reiteratione, sed continuâ hostiæ semel oblatæ repræsentatione : Christus enim Pontifex noster in sanguine , non alieno, sed proprio, litavit semel, in fine temporum, ad abolitionem peccati, sed eamdem victimam coram Deo sistit in æternum. Rursùs equidem apparebit, non ut hostia, sed ut justitia, bonos præmians, improbos damnans.*

PARAPHRASIS.

1. Ne quis autem, quia dixi vetus testamentum interiisse, putet quòd vana fuerit illius religio : etenim fuerunt in illo ritus et cæremoniæ ad divinum cultum pertinentes ; fuit et tabernaculum sanctum quidem, at terrenum, materiale et temporaneum in quod conveniebat populus ut Deum institutis ritibus coleret.

2. In duas partes dividebatur hoc tabernabulum ; quarum prima , seu quæ prior intrabatur, Sanctum simpliciter vocabatur ; in hâc erat candelabrum in quâ septem lucernæ, et mensa in quâ panes ante Dominum ponebantur.

3. Post secundum autem velum, erat altera pars tabernaculi, et quidem sanctissima : et ideò dicebatur Sancta sanctorum.

4. In hoc sancto Sancto sanctorum erant sanctiora religionis monimenta ; scilicet thuribulum aureum, seu altare thure fragans proximè collocatum ; erat ibi et arca quam vocant Testamenti, intùs et foris auro obducta purissimo ; in hâc arcâ erat urna aurea in quâ servabatur manna ; erat et juxta illam virga Aaron, quæ miraculosè fronduerat ; inerant autem duæ testamenti tabulæ, in quibus decem præcepta digito Dei erant insculpta.

5. Et super ipsam arcam erant duo cherubim majestatem et divinitatem spirantia, et suis alis propitiatorium , seu arcæ operculum , thronum Dei , obumbrantia : quæ quidem omnia et singula suis plena sunt mysteriis ; sed quorum explicatio non est hujus loci : hæc attigisse modò sufficit.

6. His itaque sic dispositis et ordinatis, in priorem tabernaculi partem quotidiè ingrediebantur quilibet sacerdotes, per suas vices sacra ministeria, suaque officia peracturi.

7. In posteriorem verò tabernaculi partem , quæ Sancta sanctorum dicitur, solus sacerdotum princeps semel duntaxat singulis annis ingrediebatur , non sine vituli et hirci sanguine, quem illic Deo offerebat pro suis et pro populi peccatis.

8. Per hoc ipsum autem, quòd solus pontifex in Sancta sanctorum ingrediebatur, mysticè significabat Spiritus sanctus nondùm tempore legis Mosaicæ manifestatam esse veri Sancti sanctorum, scilicet , cœli viam , stante adhuc legali sacerdotio, et Christi pontificatum expectante.

9. Et hoc erat etiam imago illius temporis tunc existentis : quod enim tunc fiebat , ex æquo respondebat repræsentationi tabernaculi ; quia sicut non poterat quis ex Sancto in Sanctum sanctorum ingredi , ita nec hostiæ illius temporis poterant conscien-

tiam offerentis expiare, et consequenter in cœlum deducere. Quid enim tunc in sacro fiebat ministerio, nisi quædam ciborum et potuum observatio,

10. Et multiplicium lotionum, et corporalium seu externarum munditiarum huic populo rudi imposita, usquedùm veniret Christus, qui spiritualem Dei cultum instituens, corrigeret hos carnales et externos ritus ? et hæc est summaria veteris testamenti religio.

11. Christus autem adveniens, Pontifex æternorum bonorum, per dignius et excellentius tabernaculum, non hominum manibus factum, seu non naturaliter constructum, sed divinâ virtute formatum,

12. Non ferens secum sanguinem hircorum aut vitulorum, quo Deum placaret, sed proprium sanguinem pro nobis in arâ crucis effusum, introivit semel, non in anno, sed omninò, in Sancta, non typica et terrena, sed vera et cœlestia ; non annuâ legali sanctificatione procurandâ, sed verâ, plenâ et æternâ nobis redemptione comparatâ.

13. Quæ enim collatio sanguinis Christi, Hominis-Dei, cum sanguine pecudum ? si ergo sanguis hircorum et vitulorum, et cinis vitulæ aspersus super inquinatos sanctificat eos, corporalem afferens purgationem,

14. Quantò magis divinus Christi sanguis, qui semetipsum, Agnum Dei immaculatum, Spiritu sancto auctore et movente, obtulit Deo Patri suo, conscientias nostras emundabit ab omnibus peccatis, ut ab operibus mortuis et mortiferis liberi, Deo vivo serviamus ?

15. Et quia divinus hic sanguis infinitæ virtutis est ad animarum sanctificationem, propterea Christus novi Testamenti factus est mediator, ut per mortem suam, sanguinisque sui effusionem, abolitis totius mundi peccatis, quæ sub priori testamento per sanguinem pecorum aboleri non poterant spem habeant æternæ hereditatis promissæ possidendæ quicumque ad eam vocati sunt.

16. Dixi, morte intercedente ; nam ubi de testamento agitur, mors ejus qui testatus est ad hæreditatem possidendam requiritur.

17. Testamentum enim testatoris morte confirmatur ; quod certum robur non habet quamdiù vivit testator, qui potest illud mutare aut irritum reddere :

18. Unde nec vetus testamentum dedicatum est sine morte et sanguine.

19. Nam, ut Exodi 24 legimus, cùm Moyses totam legem universo populo legisset, sanguinem hircorum et vitulorum unà cum aquâ miscuit in cratere et intinctâ lanâ coccineâ et hyssopo aspersit, et librum in quo legerat, et omnem simul populum,

20. Dicens : Hic est sanguis testamenti quod vobiscum pepigit Deus, et meo confirmat ministerio.

21. Insuper et ipsum tabernaculum, et omnia sacra vasa, quibus in sacrificiis utebantur, similiter aspersit sanguine.

22. Quin et omnia ferè, secundùm legem, purificantur in sanguine ; et sine sanguinis effusione nulla est peccatorum remissio.

23. Et sanè congruebat ut hæc quæ dixi, tabernaculum, vasa, sacerdotes, populus Judaicus, etc., quæ Ecclesiæ et rerum quæ fiunt in Ecclesiâ typi erant et figuræ, typico pecorum sanguine mundarentur : at verò res figurata, Ecclesia, spiritualis, cœlestis et divina, spirituali ac divino sanguine Christi debuit sanctificari.

24. Neque enim Christus ingressus est in Sancta sanctorum, manibus hominum fabricata, et quæ typus erant et figura verorum Sanctorum, sed in ipsum cœlum, quod est verissimum sanctuarium, ut illic habitans, appareat coram Deo, res nostras illi commendans.

25. Non semetipsum quotannis immolando, sicut pontifex legalis per singulos annos hircum et vitulum immolabat, sed continuâ hostiæ semel oblatæ repræsentatione ; quæ hostia semel oblata infinitis etiam mundis redimendis est sufficiens.

26. Alioquin nisi infinitæ virtutis esset unica ejus oblatio, oportuisset ipsum pati ab initio mundi per singulos annos : at verò non ita factum est, non sæpè passus est, sed semel tantùm, idque in fine seculorum, ad abolitionem omnium peccatorum ; patiens apparuit Deo per hostiam suam quam obtulit in cruce ; passus et in sanctuarium ingressus, apparet Deo stigmatizatus, sese hostiam repræsentans, suæque passionis ac mortis fructum reposcens.

27. Sicut igitur semel ex Dei decreto moriuntur homines, post hoc autem expectandum est judicium,

28. Ita semel Christus pro nostris abolendis peccatis mortuus est : post quod expectandum quòd rursùs appareat, non judicandus, sed ut Judex, utque expectantibus eum sit salus æterna.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Habuit quidem et prius, scilicet testamentum, ut ex præcedentibus intelligitur,

Justificationes culturæ ; Græc., *latriæ ;* Syr., *præcepta ministerii ;* Arab., *statuta ministerii*, id est, ritus et cæremonias, quibus Deus coleretur.

Et sanctum seculare ; Græc., κοσμικὸν, *mundanum;* Syr., *et ædes sancta mundana*, id est, et sanctuarium, seu tabernaculum, duabus constans partibus quarum una, Sanctum simpliciter vocabatur ; altera, Sanctum sanctorum, de quibus statim. Hoc autem tabernaculum D. Paulus vocat *seculare*, mundanum, id est, hujus seculi et mundi, seu terrenum : *Manu-*

Vers. 1. — *Habuit quidem et prius, justificationes culturæ*, id est, mandata ad cultum Dei pertinentia, velut de sacrificiis eorumque ritibus. *Justificationes culturæ*, non veras, sed pro modo culturæ carnalis, carnales. Per *sanctum* hoc *seculare*, accipias totum vetus tabernaculum sive sanctuarium.

factum, hujus terrenæ creationis, ut illud distinguat à tabernaculo et sanctuario vero, non manufacto : *Non hujus creationis*, de quo in cap. 8, v. 2; et in hoc, v. 11. D. Chrysostomus *cosmicum* seu mundanum tabernaculum voluit esse atrium, ante ostium tabernaculi sub dio, in quo erat altare holocaustorum, quod seculare et mundanum vocatur ab Apostolo, quia in illud gentiles seu mundani poterant introire : sed ab aliis negatur hoc fas fuisse gentilibus. Videatur Estius, Cornelius à Lapide. His itaque verbis significat Apostolus, omnia in lege veteri fuisse mundana, temporanea, caduca, et typica : in Ecclesiâ verò Christi omnia esse cœlestia, æterna, vera et solida.

Vers. 2. — Tabernaculum enim factum est primum... Græc.: *Tabernaculum enim apparatum est primum.* Explicat formam illius sanctuarii, quale erat Moysis tempore : *Tabernaculum primum*, id est, prima pars tabernaculi, seu quæ prior intrabatur, et Sanctum simpliciter vocabatur, sic constructa et disposita erat :

In quo erant candelabra, id est, in eo erat candelabrum septiceps, in quo septem lucernæ : hinc *candelabra* dicitur, licèt unicum; reverà in Græco *candelabrum*.

Et mensa, et propositio : Syr., *et mensa, et panis facierum*, id est, et mensa, et duodecim in eâ panes positi, qui vocabantur *propositionis*; quia ponebantur ante Dominum : *et panes facierum*; quia ante faciem Domini, seu ante faciem arcæ. Isti panes erant azymi, duodecim, sicut duodecim tribus, seni ac seni supra se positi; singulis sabbatis novi ponebantur, et veteres in sacerdotum usus cedebant. Vide Levit. 24, v. 5. Hâc cæremoniâ significabatur quòd fruges et omnia alimenta Deo debemus.

Quæ dicitur Sancta; Syr. : *Et vocabatur ædes sancta;* id est, et hoc tabernaculum dicitur Sanctum, seu *Sancta* in plurali numero.

Vers. 3. — Post velamen autem secundum, tabernaculum... Græc. : *Post autem secundum velamentum, tabernaculum dictum Sancta sanctorum*; Syr. : *Tabernaculum verò interius, quod erat intra superficiem portæ secundæ, vocabatur Sanctum sanctorum.* Nota quòd erant duo velamina in tabernaculo, primum appensum erat foribus Sancti; secundum, foribus Sancti sanctorum : igitur *post velamentum secundum*, id est, appensum inter Sanctum et Sancta sanctorum, erat sanctissima tabernaculi pars. Hoc velum scissum est in templo Salomonis, Christo moriente, Matth. 27, ut significaretur cœlum esse apertum Christi morte.

Vers. 4. — Aureum habens thuribulum... Syr.: *Et erat in eo thuribulum*, etc. Communiter dicitur thuribulum illud fuisse altare thymiamatis, quod erat quasi magnum thuribulum, concavum, solumque continebat ignem quo aromata incenderentur. Erat quidem ex lignis Setim, sed ex auro undique tectis; et illud erat prope Sanctum sanctorum, ut thuris fumus in illud ingrederetur, sanctumque locum obnubilaret, et suo odore suavissimo repleret. Illud thymiamatis altare erat reverà in Sancto, ut ad illud quotidiè sacerdotes, mane et vespere horâ incensi, thus possent adolere (illis enim non licebat in Sanctum sanctorum ingredi). D. tamen Paulus illud Sancto sanctorum attribuit, quia Sanctum sanctorum suffumigabat, suoque suffitu Deum in Sancto sanctorum residentem honorabat. Hanc opinionem sequor, quia non videtur mihi credibile quòd aliàs D. Paulus hujus altaris oblitus fuisset.

Et arcam Testamenti, id est, dicitur Testamenti, seu fœderis, quia constructa ad recondendum Testamentum, sive legem Decalogi, cujus observantia conditio erat fœderis inter Deum et Judæos sanciti. Et hæc arca erat in Sancto sanctorum.

In qua, scilicet, arcâ, erat urna aurea habens manna, et virga Aaron, de quâ vide Num. 17. Laborant interpretes in conciliando hoc textu cum eo 3 Reg. cap. 8, v. 9, ubi dicitur in arcâ nihil fuisse præter duas tabulas lapideas. Communior recentiorum opinio est, quòd reverà in arcâ fuerint tantùm duæ tabulæ lapideæ; virga autem et urna fuerint juxta arcam vel cum arcâ. Hanc explicationem Estius et Cornelius à Lapide probant ex aliis Scripturæ locis, ubi præpositio *in* amplè sumitur, et significat tam ea quæ sunt *in* quàm ea quæ sunt *cum*, vel *circa*.

Vers. 5. — Superque eam : Græc., *super autem eam*; Syr., *super hanc autem*, id est, arcam scilicet.

Erant Cherubim gloriæ, id est, gloriosi, splendi-

Vers. 2. — *Tabernaculum enim factum est primum*, q. d. : Hoc sanctum seculare duas habuit partes, scilicet, Sanctum et Sanctum sanctorum. *In quo* (tabernaculo primo, id est, Sancto) *erant candelabra*, etc. Erat autem candelabri locus in australi parte tabernaculi, et quidem è regione mensæ in aquilonari parte collocatæ : panes bi erant duodecim, juxta duodecim tribus Israel, ut quæque quasi suum panem daret Deo.

Vers. 3. — *Post velamentum autem secundum*, etc. Secunda tabernaculi pars dicebatur Sancta sanctorum, id est, Sanctitas sanctitatum, id est, Sanctissimum.

Vers. 4. — *Aureum habens thuribulum, et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro.* Dico cum Origene, Riberâ et aliis, thuribulum hoc esse altare thymiamatis; nam hoc altare erat quasi magnum quoddam thuribulum; erat enim concavum, solumque ignem continebat, quo aromata incenderentur et adolerentur Domino perindè ut fit in thuribulo.

Nota hoc altare fuisse compactum ex lignis setim, quæ imputribilia et incorruptibilia sunt; dici tamen aureum, quia auro undique erat vestium et obtectum. Dicitur *arca testamenti*, sive fœderis, quia continebat tabulas legis, quæ erat conditio fœderis inter Deum et Hebræos : hinc dicitur quoque *arca testimonii*, id est, legis, quæ testis est voluntatis divinæ, sive quid Deus velit à nobis fieri.

In quâ urna aurea habens manna, et virga Aaron quæ fronduerat. Fuit autem hæc virga eadem cum virgâ Moysi, Num. 20; communiter enim, ad edenda signa et prodigia, Moyses et Aaron hâc virgâ pro instrumento utebantur, Deo videlicet per eam operante; propter quod et virga Dei dicta est, Exod. 4 et 17; jam ex eo quòd Scriptura refert flores ejus, dilatatis foliis, in amygdalas fuisse deformatos, benè colligunt interpretes amygdalinum baculum fuisse. *Et tabulæ testamenti*, id est, legis.

Vers. 5. — *Superque eam* (arcam) *erant cherubim*

di, seu duæ effigies Cherubim majestatem spirantium.

Obumbrantia propitiatorium, id est, qui suis alis expansis et ita inter se consertis, ut dextera ala unius sinistræ alterius, et sinistra dexteræ jungerentur, obumbrabant *Propitiatorium*, seu tabulam auream, quæ arcæ sursùm imminebat, et erat quasi sedes et thronus Dei : arca verò scabellum pedum ejus, ait D. Thomas. *Propitiatorium* illud ita dictum est, quia Deus se populo propitium ostendebat, cùm præsentiæ suæ signum ostendebat inter Cherubinos, seu super arcam. Ex propitiatorio Deus dabat oracula : hinc dicitur *Oraculum*.

De quibus, id est, omnibus scilicet memoratis non est hic locus fusiùs loquendi, illorum mysticas significationes singulatim et per partes explicando : hæc ad nostrum institutum attigisse sufficit. Hæc allegoricè explicant D. Anselmus, D. Thomas, Lyranus, Cornelius à Lapide.

Vers. 6. — His verò ita compositis, id est, his, quæ de tabernaculi exterioris et interioris structurâ dixi, ita dispositis et ordinatis.

In priori quidem tabernaculo; Græc. : *In quidem prius tabernaculum*; Syr. : *Et verò in tabernaculum exterius*, etc.

Semper, id est, quotidiè : non semel tantùm in anno introibant sacerdotes.

Sacrificiorum officia : Græc., τὰς λατρείας; Syr., *ministerium suum*, id est, ritus sacros et culturas in Sancto peragi solitas, quæ ad tria reducuntur : Lucernas accendere, aromata adolere, panes proponere et mutare sabbatis. Porrò adoletio thuris, seu thymiamatis oblatio erat omnium totius diei sacrificiorum consummatio ; hinc benè *sacrificiorum officia* consummantes. Alia erat matutina, alia vespertina. Sacrificia cruenta fiebant in atrio tabernaculi, ubi erat altare holocaustorum, de quo non loquitur Apostolus.

Vers. 7. — In secundo autem : Græc., *in autem secundum*; Syr., *in tabernaculum verò interius*.

Semel in anno, id est, uno tantùm die, qui erat dies expiationis et pœnitentiæ generalis apud Judæos: hoc autem die pluries intrabat et exibat peragendi ministerii sui causâ,

Solus pontifex, id est, summus sacerdos ; quo ritu, videatur in Levit., cap. 16 ;

Non sine sanguine, scilicet, vituli et hirci, de quo vide Levit. 16.

Quem offert pro sua ; Græc., *suî ipsius et populi ignorantiis*, id est, pro suis et pro populi peccatis. Omnia peccata sunt ignorantiæ. Pro suis et suæ familiæ peccatis vitulinum sanguinem offerebat, hircinum pro populi peccatis, Levit. 16, v. 11 et 15.

Vers. 8. — Hoc significante Spiritu sancto..... Syr. : *Per hoc autem patefaciebat Spiritus sanctus nondùm revelatam esse viam sanctorum*. Explicat quæ dixit de veteris Testamenti religione, et ex ipsâmet ostendit hujus Testamenti insufficientiam ; quasi dicat : Per hoc ipsum, quòd in Sancta sanctorum solus pontifex cum sanguine semel intrabat, Spiritus sanctus mysticè significabat,

Adhuc priore tabernaculo habente statum, id est, durante legali sacerdotio, et lege Mosaicâ adhuc stante in suo robore,

Nondum propalatam esse, id est, nondùm manifestatam esse veri Sancti sanctorum, cœli scilicet viam; quia nondùm facta erat per sanguinem Christi vera peccatorum expiatio; nondùm prædicatum Evangelium Christi, qui via, veritas et vita. Joan. 14, v. 6. Christo moriente velum templi scissum est, *quia* tunc cœlum, hactenùs clausum, apertum fuit.

Vers. 9. — Quæ parabola est temporis instantis ; Græc. *Quæ parabola in tempus præsens;* Syr.: *Erat autem hoc exemplar pro tempore illo, in quo oblationes*, etc.; id est : Et illud quod in priore tabernaculo fiebat, *erat parabola*, id est, typus, figura, repræsentatio, *temporis* tunc *instantis*, seu præsentis ; momentum enim præsens vocatur instans ; quasi diceret : Et hoc ipsum erat etiam repræsentatio, imago temporis illius, seu temporis legis Mosaicæ.

Juxta quam, scilicet parabolam, figuram, imaginem, repræsentationem. Græc., *juxta quod*, id est, tempus ; Syr., *in quo*, scilicet tempore.

Munera et hostiæ offeruntur, id est, munera incruenta, et hostiæ mactandæ ;

Quæ non possunt juxta conscientiam, id est, verè et coram Deo,

gloriæ obumbrantia propitiatorium, etc., id est, cherubim gloriosa, quòd multùm majestatis ac venerationis afferrent illi loco in quo Deus suam quodammodò præsentiam exhibebat. Dicuntur cherubim à multitudine roboris, gloriæ, scientiæ et sapientiæ, uti docet S. Dionys., cap. 7 cœlest. Hierarch. Arca testamenti erat ex lignis setim, auro obtectis ; *propitiatorium* verò erat ipsum arcæ operculum, altè super arcam elevatum, factum non ex lignis setim, sed ex solido auro. Porrò *propitiatorium* erat tabula aurea paris longitudinis et latitudinis cum arcâ testamenti, quam totam operiebat. Dictum est propitiatorium, ex eo quòd Deus exoratus inibi se placatum et propitium exhibebat. Rursùm cherubini hi alis expansis obumbrabant, id est, velabant propitiatorium.

Vers. 6. — *His verò ita compositis*, id est, his ita paratis, fabricatis et ordinatis, *in priori quidem tabernaculo semper* (id est, quotidiè) *introibant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes*, id est, cæremonias, culturas et ritus sacros in Sancto peragi solitos, etc.

Vers. 7. — *In secundo* (tabernaculo scilicet, puta in Sancto sanctorum) *autem semel in anno solus pontifex* (introit) *non sine sanguine, quem offert*, etc., id est, quem offerret. S. Thomas, Anselmus, et alii, per ignorantiam intelligunt quodvis peccatum.

Vers. 8. — *Hoc significante Spiritu sancto*, etc.; ut per hoc significaret Spiritus sanctus nondùm patefactam esse viam et aditum in cœlum, quod repræsentabatur per judaica Sancta sanctorum, *illamque* patefaciendam esse per Christum. Unde Christo in cruce moriente, velum templi scissum est, Matth. 27, quâ re indicabatur, cœlum antea nobis velatum, clausum *et impervium*, *per mortem Christi pandi* et aperiri. Ita Chrysost., Theophyl.

Vers. 9. — *Quæ parabola est temporis instantis.* Chrysost. et Syrus per *tempus instans*, intelligunt tempus præsens, non Ecclesiæ et Christo, sed tabernaculo et Moysi. Sic 1 Cor. 7, instantem necessita-

PERFECTUM FACERE SERVIENTEM, id est, justificare offerentem, seu ministrantem, Græc., λατρεύοντα, *cultorem*; Syr.: *Quæ non poterant perficere conscientiam illius qui offerebat eas;*

SOLUMMODO IN CIBIS ET IN POTIBUS. Junge cum verbo præcedente, *servientem;* quasi diceret: Hæc, inquam, munera et sacrificia legalia non possunt animam justificare illius qui Deo servit, non in spiritu et verâ mentis pietate, sed solummodò *in cibis*, scilicet, quamdam oblati sacrificii partem comedendo, quæ corpus quidem reficiebat, animam non sanctificabat, *et in potibus*, quia à vino et sicerâ abstinebant sacerdotes cùm ministrabant per suas vices in tabernaculo.

VERS. 10. — ET VARIIS BAPTISMATIBUS, id est, lotionibus corporeis.

ET JUSTITIIS CARNIS, id est, justificationibus carnem mundantibus, non animam, seu justitiam tantùm externam et legalem conferentibus;

USQUE AD TEMPUS CORRECTIONIS IMPOSITIS, usque ad tempus adventûs Christi, seu usque ad tempus legis novæ, quæ correctio est veteris, quia illâ perfectior. Hæc ergo sacrificia, et hæ legales cæremoniæ non sanctificabant animam, sed imposita erant huic rudi populo usque dùm veniret Christus, qui spiritualem Dei cultum instituens, corrigeret carnales et externos illos ritus.

Notæ litterales.

Ad clariorem versuum præcedentium intelligentiam, nota primò, in illis describi tabernaculum, à Moyse Dei jussu factum, non templum à Salomone ædificatum; secundò, illud tabernaculum, seu tentorium fuisse quasi templum portatile, in quo Judæi peregrinantes per desertum Deum colebant, et in quo Deus, quasi in domo, inter Judæos habitabat, ut illos protegeret; tertiò, hoc tabernaculum habuisse triginta cubitos in longitudine, decem in latitudine, et decem in altitudine. Ejus longitudo in duas partes per velum intermedium dividebatur. Pars prima, seu Sanctum, habebat in longitudine viginti cubitos; pars secunda, seu Sanctum sanctorum habebat longitudinis decem cubitos; de utràque D. Paulus; illius autem forma videatur Exod. cap. 26.

De arcâ.

Nota quartò quòd arca fuit è tabernaculo in templum à Salomone delata, ibique usque ad tempus captivitatis Babylonicæ perseveravit: ignoratur autem quid de eâ factum fuerit. Alii putant à Chaldæis ablatam, alii à Jeremiâ in monte Nebo absconditam ubi sepultus fuerat Moyses. Vide 2. Machab. 2, v. 5. Quidquid sit de ejus inventione aut recuperatione, nihil apud auctores invenitur ab eo tempore, ait Estius. Tempore Christi non erat in templo Jerosolymitano, ædificato ab Herode; Josephus enim testatur Sanctum sanctorum templi, suo tempore inane fuisse, sine arcâ, sine Cherubin et Propitiatorio. An fuerit in templo à Zorobabele post captivitatem ædificato, negant probabiliùs Estius, Fromondus, quia de hoc nullibi fit mentio. Ribera tamen putat probabile quòd post captivitatem Babylonicam inventa fuerit et in templo Zorobabelis exposita et ab Antiocho Epiphane capta cum cæteris templi vasis; sed de hoc nec historia sacra, nec alius auctor loquitur.

VERS. 11. — CHRISTUS AUTEM ASSISTENS: Græc., παραγενόμενος, *accedens*, adveniens, seu cùm advenisset: est enim aoristus vim habens præteriti; hinc Syr.: *Christus autem qui venit, exstitit summus Pontifex;* Arab.: *Cùm autem advenisset Christus Pontifex.* Hic Christi pontificatûs ita describitur efficacitas, ut singula verba quamdam illius indicent excellentiam supra legales pontifices: *Christus accedens*, adveniens, seu cùm advenisset Pontifex. Alii omnes primò nascuntur, adolescunt, instruuntur, tandem pontifices constituuntur. Christus verò advenit, nascitur Pontifex: adventu suo, incarnatione suâ fit Pontifex, ipsâ Divinitatis unctione inauguratus. Hinc *ingrediens mundum dixit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptâsti mihi...* semetipsum offert.

FUTURORUM BONORUM, id est, *æternorum bonorum quæ sperantur*, ut habet Arabica versio, id est, bonorum gratiæ et gloriæ. Legalis pontifex præsentium, seu terrenorum bonorum erat pontifex, ad terrena bona procuranda constitutus. *Christus autem Pontifex futurorum*, seu æternorum; quia ideò Pontifex, ut pontificatu suo bona æterna nobis mereatur, vitam æternam: hinc *Pater futuri seculi.*

PER AMPLIUS: Græc., *majus*, dignitate scilicet dignius;

ET PERFECTIUS, id est, excellentius;

TABERNACULUM, scilicet corpus suum, in quo habitabat plenitudo Divinitatis, et quod idcò Christus ipse templum appellavit, dicens: *Solvite templum hoc;*

NON MANU FACTUM, id est, non ædificatum manibus artificum, ut tabernaculum Moysis;

NON HUJUS CREATIONIS: Syr., *nec ex his creaturis*, id est, non naturalis et humanæ structuræ, facturæ, seu non naturaliter genitum, sed supernaturali modo conceptum virtute Spiritûs sancti. Legalis pontifex in Sancta sanctorum ingressurus, per primam tabernaculi partem, quæ Sanctum dicebatur, transibat: Christum; vocavit Apostolus præsentem necessitatem q. d.: Fabrica illa et dispositio veteris tabernaculi primi, id est, sancti, atque sacerdotum in illud ingressus, ministerium et occupatio, erant *parabola*, id est, typus et repræsentatio eorum quæ toto tempore legis veteris futura erant, etc.

Juxta quam munera et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodò in cibis et in potibus. Sensus est: Quæ sacrificia non poterant coram Deo, qui conscientiam, intuetur, justificare ministrantem, hoc est, non poterant veram conferre justitiam.

VERS. 10. — *Et variis baptismatibus et justitiis carnis*, etc. Cibi et potus legales, ac reliquæ justitiæ carnis fuerunt impositæ usque ad tempus correctionis, id est, usque ad tempus adventûs Christi, qui vetera correcturus erat novis ac melioribus institutis.

VERS. 11. — *Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum, non manu factum*, etc., sed per proprium cor-

stus in cœlum ingressurus transivit per corpus suum, quod erat verè tabernaculum Dei, id est, per oblationem et passionem corporis sui, paravit sibi ingressum in gloriam cœlestem. *Oportuit pati Christum, et ita intrare*, etc. Plures alii interpretes intelligunt per *tabernaculum*, de quo hìc Apostolus, Ecclesiam militantem, per quam Christus transivit in triumphantem ingressurus : et reverà Ecclesiæ convenit quòd sit *tabernaculum majus et perfectius* tabernaculo Mosaico, *non hujus creationis*, id est, non opus humani opificii, sed divini. Vide Cornelium à Lapide, Menochium, Tirinum. Sed cum multis aliis existimo probabilius hìc Apostolum loqui de corpore Christi mortali et passibili, et hoc textui videtur congruentius ; sicut enim proprium Christi sanguinem in versu sequenti opponit hircorum sanguini, ita tabernaculum corporis Christi mortalis et passibilis opponit tabernaculo Mosaico. Mysticâ itaque circumlocutione, aptâ ad persequendam cœptam cum legali sacerdote similitudinem, Christi per corporis sui passiones transitum, vocat transitum *per tabernaculum*, quia reverà hoc sacrum Christi corpus, Dei tabernaculum erat majus et perfectius Mosaico, ob inhabitantem Divinitatem, et hypostaticam illius cum divino Verbo unionem.

Vers. 12. — Neque per sanguinem hircorum aut (Græc. et Syr. etc.) vitulorum. Legalis pontifex cum sanguine hirci et vituli priùs immolatorum, Levit. 16. Christus cum suo proprio sanguine pro nobis effuso ; fuit enim hostia simul et sacerdos ;

Introivit semel. Legalis semel in anno, seu quotannis, Christus *semel* omninò, *semel* pro semper ;

In sancta. Legalis in Sancta terrena, typica, Christus in cœlum, verum Dei sanctuarium.

Æterna redemptione inventa ; Græc. : *Æternam redemptionem inveniens*. Syr. : *Et invenit redemptionem æternam*, id est : comparatâ nobis per sui sanguinis effusionem plenâ et æternâ redemptione, non ad annum, ut in expiatione legali, sed æternâ. Legalis externam tantùm dabat sanctificationem ; Christus veram et æternam, in æternum duraturam, seu omnium seculorum peccata expiantem ; quia sanguis ejus infiniti valoris est, unicâ oblatione æternam omnibus hominibus meruit redemptionem. Confide, Christiane, spera in talem, tantum et tam misericordem Pontificem et divinam hostiam.

pus. Docet Christum nos sanctificâsse, et in cœlum introiisse, per oblationem sui corporis, opponens illud hostiis veteris testamenti. Dicitur autem per corpus suum illuc introivisse, quia per passionem et oblationem sui corporis ingressum sibi paravit in gloriam cœlestem, juxta ea quæ dicta sunt cap. 2, de Jesu per passionem mortis gloriâ et honore coronato.

Vers. 12.—*Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum*, etc., *æternâ redemptione inventâ*, id est, verâ et solidâ, semperque mansurâ gloriâ. Nota *inventâ* ; hæc enim vox significat hanc fuisse expectatam nobis, et à Christo magno studio, dolore et labore partam, quasi gemmam in fundo maris perditam, quæsitam et inventam.

Vers. 13. — *Si enim sanguis hircorum et taurorum*, etc., quæ proinde carnalis et externa tantùm erat purificatio, etc.

Vers. 13.—Si enim sanguis hircorum et taurorum. Vocat *tauros* quos versu præcedenti vocavit *vitulos*, id est, vitulos grandes, qui et tauri nomen possunt habere.

Et cinis vitulæ, de quâ lib. Num. 19, v. 2,

Aspersus, scilicet, super eos qui sunt inquinati, Sanctificat *eos non juxta conscientiam*, v. 9, *sed* ad emundationem carnis, id est, tollebat immunditiam legalem, v. g., contractam ex contactu cadaveris ; Græc. : *Aspergens inquinatos, sanctificat ad*, etc. ; Syr. : *Aspergebatur super eos qui impuri erant, et sanctificabat eos ad purificationem carnis ipsorum*. Probat in hoc versiculo Christi sanguine nobis comparatam esse plenam redemptionem, idque probat à fortiori.

Vers. 14. — Quanto magis sanguis Christi, Hominis-Dei, et ideo valoris infiniti.

Qui per Spiritum sanctum : Græc., *Spiritum æternum* ; Syr., idem, id est, qui, Spiritu sancto movente et incitante, se obtulit Deo ut agnum immaculatum. In victimis nulla debebat esse macula, nullum vitium.

Emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, id est, à peccatis, quæ sunt opera mortua, et mortem dantia.

Ad serviendum Deo viventi ! Syr. : *Ut serviamus Deo viventi*, scilicet in verâ justitiâ et sanctitate.

De Christi sacrificio epitome.

Hinc disce abbreviatam de Christi sacrificio doctrinam. Quis sacerdos illud obtulit ? Christus ipse *obtulit*. Quæ victima, seu quis oblatus ? Dei Filius *semetipsum obtulit*. Cui oblatum est hoc Filii Dei sacrificium ? *Deo*. Per quem ? quo auctore ? Spiritu sancto, seu *per Spiritum sanctum*. Ad quid ? Ut nos à peccatis emundatos Deo consecret. Cujus virtutis est istud Filii Dei sacrificium ? Infinitæ, utpote agni *immaculati*, sanctitatis infinitæ. Per quod signum agnoscere possumus an hujus sacrificii simus participes ? Si peccatis mortui, et à mundo segregati, Deo vivimus, Deo vivo verè et in spiritu servimus. Christe Jesu, mundi Redemptor ! hanc mihi dona vitam ; per tuum pretiosissimum sanguinem tribue ut ab operibus mortuis liber Deo viventi vivam, eique in spiritu et veritate serviam.

Vers. 15. — Et ideo, id est, quia sanguis Christi *emundat conscientiam ab operibus mortuis*, quod om-

Vers. 14. — *Quantò magis sanguis Christi*, etc., *per Spiritum sanctum*, id est, Spiritu sancto eum movente et incitante, ad se sponte suâ offerendum Patri, pro peccatis nostris ! Cùm dicitur Spiritus, ille est cui uti Christi conceptio, ita et oblatio ac redemptio, omnisque sanctificatio nostra, tanquàm primo omnis gratiæ et sanctitatis fonti tribuenda est. *Opera mortua* vocat peccata, quia nimirùm finis et stipendium illorum mors est. *Conscientiam*, id est, animam, seu mentem ab operibus mortuis expurgat sanguis Christi, ut serviamus Deo viventi. *Emundabit* animas nostras à peccatis mortiferis, ut Deo vivo in verâ sanctitate et justitiâ serviamus.

Vers. 15. — *Et ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente*, ut morte factâ, scilicet ipsius Christi, hoc est, ut cùm priùs mortuus fuerit. *In redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub*

nia veteris legis sacrificia præstare non poterant, *ideo Christus* NOVI TESTAMENTI MEDIATOR *factus* EST; UT MORTE INTERCEDENTE. Quia ex Christi morte plurimùm offendebantur Judæi, hinc D. Paulus ostendit mortem Christi et hominibus necessariam fuisse et sibi gloriosam; utpote quæ hominum peccata delevit, et Christum fecit Dei et hominum mediatorem. *Ut mediatoris*, seu testatoris ipsius *morte intervenient*e. Vetus Testamentum pecudum sanguine sancitum fuit; novum verò ipsius mediatoris sanguine.

IN REDEMPTIONEM EARUM PRÆVARICATIONUM, QUÆ ERANT SUB PRIORI TESTAMENTO. Ut, inquam, per mortem ipsius redimerentur, non sui tantùm populi peccata, sed et eorum, seu Judæorum, qui sub primo Testamento peccaverunt. Hic de Judæis loquitur, quia scribit ad eos; sed ut alibi sæpè dixit, et speciatim 1 Timoth. 2 : *Christus dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.*

REPROMISSIONEM ACCIPIANT... : Ut qui sic à peccatis liberati sunt, accipiant æternam hæreditatem sibi promissam, ad quam vocati sunt.

VERS. 16 et 17. — UBI ENIM TESTAMENTUM EST... Vide paraphrasim. Urget Christi mortis necessitatem, gloriam et lucrum; supposito scilicet quòd Christus ita sit mediator novi Testamenti, ut sit etiam ipse testator, seu Testamenti auctor et hæreditatis promissor, sic argumentatur : Ubi hæreditas testamento legatur, necesse est mori testatorem, priusquàm hæreditas legata possideatur; testamentum enim non valet, dùm vivit testator, seu nullius est usus, ut ait Syrus. Testamentum à Quintiliano definitur voluntas defuncti; et, ut lib. 1, D, de Hæred. dicitur, viventis nulla est hæreditas.

VERS. 18. — UNDE NEC PRIMUM QUIDEM... Confirmatur ratio præcedens ex eo quòd Testamentum vetus, quod erat figura novi, fuit etiam sanguine dedicatum, cum hoc discrimine, quòd sicut typicum erat testamentum, seu typus novi; ita typicam habuit mortem testatoris, scilicet, sanguinem victimarum, quæ Christi sanguinem et mortem repræsentabant.

VERS. 19 et 20. — LECTO ENIM OMNI MANDATO LEGIS.., Hoc factum habetur Exodi 24, 7 et 8; hic tamen multa D. Paulus addit quæ non habentur in loco citato, sed quæ ex aliis locis desumpsit. Vide paraphrasim.

priori testamento. Ait mortem Christi factam, id est, Christum mortuum esse, ut suâ morte redimeret prævaricationes, transgressiones, sub priori testamento perpetratas, id est, ut nos ab illis redimeret, solvendo pœnas pro hujusmodi transgressionibus debitas, etc.

Repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Hic est finis mortis, redemptionis et mediationis Christi, totiusque novi testamenti, à Christo instituti, ut scilicet adipiscamur æternam hæreditatem per Christum promissam. Nota. *Vocatos* vocat tam eos qui sub veteri erant, quàm qui sub novo sunt testamento.

VERS. 16. — *Ubi enim testamentum est*, etc. Ergo necesse fuit Christum mori, ut morte suâ sanciret et confirmaret novum hoc suum testamentum. Ut idem ipse etiam testator sit, id est, testamenti auctor, et hæreditatis promissor, juxta quod loquitur ad discipulos, Luc. 22 : *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum.*

Notæ litterales et dogmaticæ.

Nota primò quod aspersio à Moyse facta figura fuit aspersionis interioris per Christi sanguinem nobis faciendæ : populus Judaicus figura erat christiani populi; sanguis animalium, figura sanguinis Christi. Nota secundò quòd Christus novum Testamentum condens, iisdem verbisusus est ac Moyses antiquum condens, scilicet : *Hic est sanguis meus novi Testamenti...*, ut figuratum figuræ responderet. Sicut autem verba Moysis in sensu litterali sumuntur, seu verum sanguinem significant, ita et verba Christi debent ad litteram intelligi; illorum sensus est quòd sit verè sanguis, non autem signum sanguinis.

Porrò ne quis ad evertendam præcedentem Apostoli ratiocinationem, fundatam in nomine Latino, *testamentum*, et Græco διαθήκη, dicat vocem Hebræam *berith*, Exodi 24, et aliorum locorum, ad quæ hìc respicitur, significare pactum, seu fœdus. Respondebitur enim primò, vocem *berith* equidem significare *pactum*, seu *fœdus;* secundò, pactum, seu fœdus sumi posse vel genericè, pro quolibet pacto, sive morte confirmetur, sive non; vel specificè, pro pacto testamentario, quod morte testatoris confirmatur; tertiò, septuaginta interpretes, qui Judæi erant et linguam Hebraicam optimè noverant, vocem *berith*, et Jeremiæ 31, v. 31, et aliorum locorum, in quibus novi et veteris fœderis fit mentio, vertisse in διαθήκην, seu pactum testamentarium, *testamentum*. Et hoc non sine causâ, nec absque Dei consilio, quia reverà pactum, quod Deus iniit cum Judæis de dandâ illis terrâ Chanaan in hæreditatem, fuit verè testamentum; et fœdus quod Christus cum fidelibus iniit de dandâ nobis æternâ hæreditate, verè testamentum est; cum hoc discrimine, ut dictum est v. 18, quòd prius Testamentum typicum fuit, seu figura novi; et ideò typicam testatoris mortem habuit; novum autem Testamentum verum testamentum est, et ideò Christi sanguine et morte sancitum. D. ergo Paulus juxta hanc Septuaginta interpretationem, et apud Judæos, et apud Christianos, apostolorum tempore, receptissimam, maximè verò ab omnibus ad quos scribit receptam, argumentatur. Malè itaque Erasmus hinc dixit hujus Epistolæ scriptorem Hebraicè nesciisse; pejus Melchior Canus ab Estio citatus, lib. 2 de Loc. theol., cap. 2, dixit Paulum in nomine Hebraico lu-

VERS. 17. — *Testamentum enim in mortuis confirmatum est*, ut intelligi possit mortem testatoris causam esse firmitatis testamenti, idque ratum efficere.

Alioquin nondùm valet, dùm vivit qui testatus est. Nondùm valet, id est, robur ac firmitatem non habet, jus nullum tribuit. Nam cœlestem hæreditatem cuique dari ante mortem et glorificationem Christi, nequaquàm fuit conveniens.

VERS. 18. — *Unde nec primum quidem sine sanguine* (victimarum, Exod. 24) *dedicatum est*, ut primum, id est, vetus testamentum significaret secundum, id est, novum testamentum, quod scilicet morte testatoris Christi confirmatum est.

VERS. 19, 20. — *Lecto enim omni mandato legis*

dere rhetorum more; pessimè Cajetanus hinc negat hanc Epistolam esse D. Pauli, imò dubiam reddit ejus auctoritatem. D. enim Paulus scivit significationem vocis Hebraicæ *berith*, sed scivit etiam quòd speciali Dei providentiâ et singulari sancti Spiritûs assistentiâ, Septuaginta interpretes genericam ejus significationem specificaverint, pro pacto *testamentum* vertentes. Et hinc Apostolus, à Deo inspiratus, ex voce Græcâ, διαθήκη, Latinè, *testamentum*, occasionem arripit mortis Christi necessitatem, gloriam et lucrum Hebræis, hanc septuaginta versionem in pretio habentibus, exhibendi.

Vers. 21. — Etiam tabernaculum et omnia... similiter aspersit. Hanc aspersionem non expressit Moyses; supplet D. Paulus, et Josephus docet lib. 3 Antiq., cap. 9.

Vers. 22. — Et omnia penè in sanguine... Dicit, *omnia penè*, quia aliqua per aquam solam purificabantur. Exod. 19, 10; Lev. 16, 28; Num. 31, 23.

Et sine sanguinis effusione... Per victimarum sanguinem fiebat remissio peccatorum, ut patet Levit. 4; quod tamen intelligi debet de remissione legali, quam suprà, v. 10, appellavit *emundationem carnis*, *justitias carnis*. Per quid ergo remittebatur reatus culpæ coram Deo? Per actum contritionis cum fide et spe in Messiam venturum.

Vers. 23. — Necesse est ergo, scilicet ex ordinatione divinâ,

Exemplaria, id est, tabernaculum, vasa ministerii, sacerdotes Aaronicos, populum Judaicum, etc., de quibus suprà.

Quæ sunt exemplaria : Græc., ὑποδείγματα, id est, tenues et obscuræ delineationes. Vide cap. 8, 5.

Cœlestium, id est, Ecclesiæ, seu rerum quæ fiunt in Ecclesiâ, tum militante, tum triumphante, v. 16;

His mundari, scilicet legalibus et carnalibus hostiis, seu sanguine vitulorum, hircorum, etc., de quibus v. 19, 20, 21;

Ipsa vero cœlestia, id est, Ecclesiam verò christianam, quæ spiritualis, cœlestis ac divina est, et quæ corpus et veritas est, cujus synagoga umbra fuit et figura;

Melioribus hostiis, quam istis. Græc. : *Præ istis*; Syr. : *Sacrificiis quæ istis sunt præstantiora*; id est, nobiliori sanguine sanctificari, scilicet sanguine Jesu Christi pro nobis crucifixi. Hic sanguis sanctificat Ecclesiam militantem, *mundans eam lavacro aquæ*, etc., Ephes. 5, 26; sanctificat Ecclesiam triumphantem, dùm eam in suo sanguine sanctificatam Christus exhibet sibi gloriosam, seu dùm cœlum replet hominibus in hoc sanguine in æternum sanctificatis. Sed quare de Christi sacrificio loquens Apostolus dicit in plurali : *Melioribus hostiis?* Primò quia licèt unica sit hostia realiter, infinitarum virtutem continet, imò superat; secundò quia hæc eadem hostia diversimodè, cruentè et incruentè, oblata est; tertiò quia et quotidiè à multis sacerdotibus offertur; unde licèt una sit realiter, virtualiter est multiplex.

Vers. 24. — Non enim in manufacta; Syr : *In sanctuarium manufactum*. Hostiam hostiis comparavit, pontificem pontificibus, nunc sanctuarium sanctuario; non enim ingressus est Jesus Christus in Sancta sanctorum, humanâ arte fabrefacta, in quæ ingrediebatur semel in anno pontifex Aaronicus;

Exemplaria verorum : Græc., ἀντίτυπα, id est, quæ erant typus et figura verorum Sanctorum, seu supremi cœli : ad similitudinem enim cœlestium efformata sunt, cùm dictum est Moysi : *Aspice et fac secundùm exemplar*.

Sed in ipsum cœlum, quod est verissimum Sanctum sanctorum, introivit.

Ut appareat, id est, ut illic habitans, *appareat* nunc, continuè, semper, vultui Dei; Syr., *ante faciem Dei*, id est, coram solio divinæ Majestatis; *interpellans* pro nobis. *Ut appareat nunc vultui Dei*... Hâc locutione indicatur officium pontificis et mediatoris, quod Christus continuè gerit pro nobis. Pontifex Aaronicus in Sancta sanctorum ingressus, stabat coram Propitiatorio, orans pro populo : ita Christus in cœlum ingressus, stat coram solio divinæ Majestatis, res nostras Deo commendans, fructumque suæ passionis ac mortis reposcens.

Vers. 25. — Neque ut sæpè offerat semetipsum...; Syr. : *Non quidem ut offerat semetipsum pluries, sicut faciebat summus sacerdos*, etc., id est, Jesus Christus pontifex noster introivit in cœlum, non ut hinc egrediatur, et semetipsum Deo rursùs offerat in sacrificium cruentum : quemadmodum pontifex Aaronicus, in Sancta sanctorum per singulos annos, cum sanguine non suo, sed hirci et vituli, quos priùs immolaverat.

Itaque quædam afferuntur hìc dissimilitudines. Legalis pontifex in sanctuarium intrabat, non semel, sed pluries, singulis scilicet annis : Christus intravit in cœlum, inde nunquàm abiturus. Legalis pontifex secum ferebat sanguinem hircorum et vitulorum quos immolaverat, et hæc sacrificia quotannis ad Dei placationem instaurabat : Christus semetipsum, qui victima factus est in arâ crucis; at victima unica, præstans infinitum aliis victimis toties repetitis, nec

à Moyse universo populo..... Dicens : Hic sanguis testamenti, etc. Hyssopus verò typus erat charitatis et gratiæ Christi.

Vers. 20, 21, 22. — *Etiam tabernaculum..... Et omnia penè in sanguine secundùm legem mundantur; necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari*, etc. Per *cœlestia* intellige Ecclesiam, id est, fideles et filios Christi, ex quibus Ecclesia, id est, fidelium congregatio, coalescit et consurgit. *Ipsa cœlestia*, id est, tota Ecclesia tam triumphantem quàm militantem complectens, *mundantur*, id est, munditiam ac sanctitatem suam omnem continuò accipit *ab hostiâ meliore*, quæ est Christus in cruce oblatus.

Vers. 24. — *Non enim in manufacta sancta Jesus introivit*, etc., id est, ut apud Deum pro nobis interpellet, quasi pontifex, ut gratiam, virtutes, gloriam, omniaque bona cœlestia nobis impetret, ut semper reservatæ in corpore Christi plagæ salutis humanæ exigant pretium, et obedientiæ donativum requirant.

Vers. 25. — *Neque ut sæpè offerat semetipsum*,

reiteranda; Christus itaque, pontifex noster, suum proprium sanguinem, semel pro nubis fusum, continuè, ut pontifex, repræsentat Patri, ad nostram salutem : hæc autem sanguinis illius effusio nunquàm reiterabitur.

Vers. 26. — Alioquin oportebat eum frequenter pati... *Alioquin*, id est : Si unica Christi oblatio, ejusque sanguinis effusio, non esset infinitè sufficiens ad omnium prorsùs hominum salutem, sed iis tantùm prodesset qui tunc vivebant, expediisset non tamdiù Christum promitti, sed statim ab initio mundi mitti, ut sæpè posset pati, singulis, v. g., seculis, pro singulis generationibus.

Nunc autem semel... Atverò non ita factum est, nec sæpè passus est Christus, nec sæpè se ostendit in cœlesti sanctuario, sed *semel* tantùm, idque in fine seculorum; semetipsum obtulit ad abolitionem peccati : postquàm autem victima nostra ipse factus est, in sanctuarium ingressus est, suumque sanguinem offert, ut gratiam nobis impetret, quâ peccatum in nobis aboleatur.

Dicitur in consummatione seculorum, seu, ut ait Syrus, *in fine mundi*, quia Christi seculo nullum aliud succedet; est ultimus mundi status, ultima ætas. Prima mundi ætas ab Adamo ad Noe, secunda ad Abrahamum, tertia ad Davidem, quarta ad transmigrationem Babylonicam, quinta ad Christi nativitatem, sexta inde ad finem mundi. Hæc divisio est à D. August., lib. 4, de Trin., cap 4. Alii dividunt aliter : Primum seculum est legis naturæ, inquiunt; secundum legis Mosaicæ; tertium, et ultimum, legis Evangelicæ, seu Christi.

Vers. 27.—Et quemadmodum statutum est hominibus... Alio argumento confirmat Christum semel, et non sæpiùs debere immolari, similitudine scilicet sumptâ à communi hominum conditione, quibus semel moriendum est, non sæpiùs; deinde Deo sistendum. Quemadmodùm igitur propter primi hominis peccatum, divinâ sententiâ decretum est ut semel moriantur omnes homines : post hoc autem judicium, id est : postea verò sistentur Deo judicandi, in judicio scilicet universali, post resurrectionem; quasi diceret : Sicut postquàm semel mortui resurrexerint, non ampliùs morientur, sed judicabuntur,

Vers. 28. — Sic et Christus..., qui peccata hominum expianda et exhaurienda susceperat, semel oblatus, immolatus, et mortuusest,

Ad multorum exhaurienda peccata, id est, ut morte suâ omnium hominum peccata, quantùm ad sufficientiam, auferret : multorum verò, quantùm ad effectum. Cur multorum, et non omnium? Quoniam non omnes crediderunt. Divus Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus. Pro omnibus quidem est mortuus, quantùm ad ipsum attinet : mors illa ex æquo respondet omnium interitui; non exhausit autem omnium peccata, quoniam ipsi noluerunt. D. Chrysostomus, hic.

Secundo, sine peccato, id est : Postea veniet, conspicietur, non portans peccatum, sicut in primo adventu peccatis nostris onustus erat, ut illa expiaret, et victimam se offerret pro illis : et quia sine peccato, ideò sine morte, sed immortalis et gloriosus; non judicandus, sed judicaturus universum orbem; salutem afferens fidelibus qui expectant eum; incredulis autem damnationem. Christus ergo semel mortuus est, sicut semel moriuntur omnes homines, cum hoc discrimine, quòd propter peccata nostra mortuus est, non propter suum. Christus similiter semel comparebit in extremo judicio, sicut cæteri semel comparebunt, cum hoc discrimine, quòd parebit Judex, nos judicandi.

etc., *in sanguine alieno*, scilicet hircorum et vitulorum quos immolaverat, non semel, sed singulis annis. Christus verò semel tantùm se offerens, peccata omnia abolevit, tum præteritorum, tum futurorum seculorum, nobisque omnibus æternam redemptionem invenit.

Vers. 26. — *Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi*, etc. *Ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit.* Vult Christum apparuisse ad destitutionem peccati, id est, ut peccatum per hostiam quâ seipsum pro nobis obtulit, aboleret. Est sensus : Christus non est ingressus in cœlum, ut sæpiùs offerat seipsum; nihil enim opus erat ut qui semel, idque tempore consummationis seculorum, apparuit, ac manifestatus est mundo per hostiam suam; tunc scilicet, quando palàm obtulit semetipsum in cruce. Sic, inquam, apparuit, ut illâ suâ oblatione peccatum semel ac prorsùs aboleverit atque contriverit.

Vers. 27. — *Post hoc autem judicium*, supple superest; q. d.: Posteaquàm semel mortui resurrexerint, non iterùm morientur, sed judicium tunc in eos exercebitur de factis vitæ prioris.

Vers. 28. — *Sic et Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata*, vel ad tollenda peccata. Oblatus ut auferret, destitueret ac destrueret peccata. Dicendum potiùs Christum oblatum fuisse ut peccata multorum portaret, id est, pœnam peccatis eorum debitam in se reciperet, et per hoc ea tolleret atque deleret. *Multorum*, id est, omnium hominum, qui multi sunt, inquit Theophyl. Ex hoc Apostoli loco concilium Valentinum docet, cap. 4, Christum non fudisse sanguinem pro omnibus omninò hominibus, sed tantùm pro iis qui credunt, damnatque erroris eos qui secùs sentiunt.

Secundò sine peccato apparebit expectantibus se, in salutem. Quod ait, *sine peccato*, non est sensus, non habens peccatum; nam et in primo adventu peccatum non habuit; sed, *non portans peccatum.* Primo enim adventu, quando se obtulit in cruce, portavit ac sustulit in se multorum peccata; at in secundo adventu nihil tale. Quoniam autem sine peccato apparebit, ideò et sine morte, nimirùm immortalis jam et gloriosus. Cùm iterùm veniet, *apparebit in salutem*, id est, palam conspicietur afferens salutem iis qui patienter ac perseveranter inter hujus vitæ persecutiones et adversitates eum expectaverint.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

Ut integram habeas ideam de summo Christi Domini pontificatu, præter dicta in corollariis cap. 7 et 8, concipe primò quòd Christus Pontifex est natus. *Christus assistens Pontifex*, id est, accedens, adveniens Pontifex in mundum, seu adventu suo factus Pontifex; vide v. 11 : hanc Apostolicam locutionem ponderans Theophylactus, sic loquitur : Non dixit (Apostolus scilicet) : factus et electus, sed *accedens Pontifex*, hoc est, in hoc ipsum veniens; non priùs accessit et deinde, casu ita veniente, factus est Pontifex, sed scopus cur in terram deveniret pontificatus erat; secundò quòd natus est *Pontifex futurorum bonorum*, id est, ut æterna nobis bona, oratione suâ et sacrificio suo, gratiam et gloriam impetraret; tertiò quòd hæc bona nobis promeruit per sui sacri corporis passiones et mortem, per sui pretiosissimi sanguinis effusionem; quartò quòd, quia hic sanguis infiniti valoris est, unicâ oblatione, æternam omnibus hominibus omnium seculorum redemptionem promeruit; v. 11 et 12.

Et hinc disce quid à Christo Pontifice nostro debeas principaliter sperare et petere; gratiam scilicet et gloriam æternam : propter hæc noster est Pontifex; disce et per quam viam debeas ad hæc æterna bona tendere ; per Christi passiones et mortem, per quas, transiens Christus, intravit in cœlum.

Passio Christi via ducens ad cœlum; via nova, via vivens, via à Dei sinu procedens, ad Dei sinum rectè perducens. Væ ergo illi qui aliam præter Christum patientem viam quærit ad cœlum. Da mihi, ô summe et divine Pontifex, tecum pati, tecum mori, tecum humiliari, ut tuis passionibus communicans, et tuæ gloriæ communicem.

Concipe, ex v. 14, hujus nostri pontificis sacrificium. Quis illud obtulit? *Christus*, Deus-Homo; quid obtulit? *semetipsum*, Hominem-Deum, *Agnum immaculatum;* per quem? *per Spiritum sanctum*, æternum et Deum; cui? Deo Patri æterno, *Deo vivo et vero.* O sacrificium undequàque divinum, et ideò verè Deo dignum! Ad quid divinum hoc oblatum est sacrificium? Ut à peccatis liberaremur, ut *ab operibus mortuis liberi Deo vivo sanctè* et purè *serviremus*, ut divinam hæreditatem nobis promissam, et ad *quam vocati sumus*, possideremus. O bonitatem verè divinam, immensam, infinitam, ineffabilem! *Propter nimiam charitatem*, etc., *proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis*, etc. Attende quomodò huic respondeas divinæ bonitati; an à peccatis liber, servis Deo vivo? an talis es, cui dicat aliquando Christus : *Veni, benedicte*, etc., *posside?* etc.

Concipe continuam hujus divini sacrificii repræsentationem. Postquàm per mortis suæ sacrificium Christus Pontifex noster Deo Patri, summo jure, ad terunicum usque, debita nostra persolvit, *introivit in cœlum, ut nunc*, et usque in finem mundi, *appareat vultui Dei pro nobis;* v. 24, id est, ut apparendo oret et interpellet pro nobis. Per vulnerum vestigia in corpore reservata, quasi per tot ora, veniam postulat pro nobis; semper reservatæ in corpore Christi plagæ salutis humanæ exigunt pretium, et obedientiæ donativum requirunt, ait auctor serm. de Bapt. Chr., inter opera sancti Cypriani. Hoc per fidem edoctus, animum et spem in Deum erige; appare sæpè Deo cum Christo; ora cum ipso, in ipso et per ipsum; per ejus vulnera pro te veniam postula ut peccator, pro aliis ut sacerdos; junge vocem tuam voci Christi interpellantis; junge cor tuum vulnerato cordi Christi pro te deprecantis, suamque mortem repræsentantis. Quid non obtineat tam sanctus Pontifex, tam potens Mediator, salutem nostram ita zelans, ut eam per sua vulnera postulet? Ora itaque in Christo, cum Christo et per Christum.

PRAXIS VERÈ CHRISTIANA, QUIA ET IPSIUS CHRISTI.

Continuè Christus Pontifex noster apparet vultui Dei pro nobis; et tu, Christiane, hanc continuam Christi pro te crucifixi oblationem Deo jugiter, si potes, offer, et per eam Deo redde quæ debes religionis officia. Quatuor sunt hæc religionis officia : adoratio, gratiarum actio, expiatio, petitio.

ADORATIO.

E nihilo creatus à Deo, et in esse conservatus ab illo, Creatori et conservatori tuo debes gloriam, adorationem, laudem, reverentiam, etc. ; Deum ergo glorificaturus, unire per fidem vivam Christo Pontifici tuo, Deum in cœlis infinitè glorificanti per suæ mortis repræsentationem, et in terris per mysticam suæ mortis continuationem in sanctissimâ Eucharistiâ ; Christo sic unitus, offer Deo omnem quam illi Christus reddit gloriam et laudem, per suam continuam quasi annihilationem in terris, et quasi occisionem in cœlis : adora in eo et cum eo; annihilare in eo et cum eo, etc., sicque Deum quodammodò glorificabis infinitè.

GRATIARUM ACTIO.

Oneratus undique Dei beneficiis, et solâ ejus bonitate et misericordiâ subsistens, perpetuam debes ei gratiarum actionem. Quid igitur Deo dabis in gratiarum actionem, tu qui nihil es, nihil habes, nihil vales? Corde grato unire Christo Pontifici tuo; sive in terris, ubi Eucharistia, seu continua gratiarum actio, sive in cœlis, ubi continua laus et benedictio Dei sicque corde unitus Christo, offer Deo omnes quas illi reddit laudes, gratiarum actiones, Deum in eo dignè laudabis.

EXPIATIO.

Peccator es, tuaque debes expiare peccata et divinæ pro eis justitiæ satisfacere ; quomodò id præstabis? Corde contrito et humiliato offer Agnum Dei, qui tollit peccata mundi; super altare continuò misericordiam pro te petit; coram solio Dei semper apparet, tanquàm occisus pro peccatis tuis, et inter-

pellans pro te ; illi ergo unitus corde, clama in ipso et cum ipso : *Miserere, miserere mei, Deus, secundùm magnam*, etc.

PETITIO.

Omnibus debes, nec habes quo solvas ; offer Christum, totius mundi pretium ; offer illum Deo pro benefactoribus, amicis, etc., vivis et mortuis. Semper et ubique indiges gratiâ Dei, illam jugiter debes implorare : ad hoc unire Christo, dilecto Filio Dei, in quo sibi benè complacuit ; et in ipso et per ipsum pete gratiam et misericordiam, pro te, pro aliis.

De hâc praxi vide corollarium cap. 8 ; vide et corollarium cap. 13 ; vide et in Epistolâ ad Romanos, cap. 15, in corollario ; Epistolâ ad Ephesios, cap. 4, post v. 16 ; Epistolâ ad Philippenses, cap. 1, v. 8 et 21.

CAPUT X.

1. Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquàm potest accedentes perfectos facere ;

2. Alioquin cessâssent offerri, ideò quòd nullam haberent ultra conscientiam peccati, cultores semel mundati :

3. Sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit.

4. Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata.

5. Ideò ingrediens mundum, dicit : Hostiam et oblationem noluisti ; corpus autem aptâsti mihi :

6. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt ;

7. Tunc dixi : Ecce venio : in capite libri scriptum est de me : Ut faciam, Deus, voluntatem tuam.

8. Superiùs dicens : Quia hostias et oblationes, et holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundùm legem offeruntur :

9. Tunc dixi : Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam ; aufert primum, ut sequens statuat.

10. In quâ voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.

11. Et omnis quidem sacerdos præstò est quotidiè ministrans, et easdem sæpè offerens hostias, quæ nunquàm possunt auferre peccata :

12. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dexterâ Dei,

13. De cætero expectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus.

14. Unâ enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.

15. Contestatur autem nos et Spiritus sanctus. Postquàm enim dixit :

16. Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas,

17. Et peccatorum et iniquitatum eorum jam non recordabor ampliùs.

18. Ubi autem horum remissio, jam non est oblatio pro peccato.

19. Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi,

20. Quam initiavit nobis viam novam et viventem per velamen, id est, carnem suam,

21. Et sacerdotem magnum super domum Dei ;

22. Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientiâ malâ, et abluti corpus aquâ mundâ,

CHAPITRE X.

1. Car la loi n'ayant que l'ombre des biens à venir, et non l'image même des choses, ne peut jamais, par l'oblation des mêmes hosties qui s'offrent toujours chaque année, rendre parfaits ceux qui s'approchent de l'autel.

2. Autrement on aurait cessé de les offrir, parce que ceux qui rendent ce culte n'auraient plus senti leur conscience chargée de péchés, en ayant été une fois purifiés.

3. Cependant en offrant ces sacrifices on parle de nouveau tous les ans de péchés à expier.

4. En effet il est impossible que le sang des taureaux et des boucs ôte les péchés.

5. C'est pourquoi le Fils de Dieu entrant dans le monde dit : Vous n'avez point voulu d'hostie ni d'oblation ; mais vous m'avez formé un corps ;

6. Vous n'avez point agréé les holocaustes et les sacrifices qu'on vous offre pour le péché ;

7. Alors j'ai dit : Me voici ; je viens selon qu'il est écrit de moi dans le livre, pour faire, ô Dieu, votre volonté.

8. Après avoir dit : Vous n'avez point voulu ni agréé les hosties, les oblations, les holocaustes, et les sacrifices pour le péché, qui sont toutes choses qui s'offrent selon la loi,

9. Il ajoute ensuite : Me voici ; je viens pour faire, ô Dieu, votre volonté. Donc il abolit ces premiers sacrifices, pour établir le second.

10. Et c'est cette volonté qui nous a sanctifiés, par l'oblation du corps de Jésus-Christ, qui a été faite une seule fois.

11. Aussi, au lieu que tous les prêtres se présentent tous les jours pour sacrifier et pour offrir plusieurs fois les mêmes hosties qui ne peuvent effacer les péchés,

12. Celui-ci, ayant offert une seule hostie pour les péchés, s'est assis à la droite de Dieu pour toujours,

13. Où il attend ce qui reste à accomplir : que ses ennemis soient réduits à lui servir de marche-pied.

14. Car, par une seule oblation, il a rendu parfaits pour toujours ceux qu'il a sanctifiés.

15. Et c'est ce que le Saint-Esprit nous déclare lui-même ; car, après avoir dit :

16. Voici l'alliance que je ferai avec eux après que ce temps-là sera arrivé, dit le Seigneur ; j'imprimerai mes lois dans leur cœur, et je les écrirai dans leur esprit ;

17. Il ajoute : Et je ne me souviendrai plus de leurs péchés, ni de leurs iniquités.

18. Or, quand les péchés sont remis, on n'a plus besoin d'oblation pour les péchés.

19. Puis donc, mes frères, que nous avons la confiance d'entrer dans le sanctuaire par le sang de Jésus-Christ,

20. En suivant cette voie nouvelle et vivante qu'il nous a le premier tracée par l'ouverture du voile, de sa chair,

21. Et que nous avons un grand-prêtre qui est établi sur la maison de Dieu,

22. Approchons-nous de lui avec un cœur vraiment sincère, et avec une foi parfaite, ayant les cœurs purifiés des souillures de la mauvaise conscience, par une aspersion intérieure, et les corps lavés dans l'eau pure,

23. Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem (fidelis enim est qui repromisit),

24. Et consideremus invicem in provocationem charitatis et bonorum operum:

25. Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam; sed consolantes, et tantò magis quantò videritis appropinquantem diem.

26. Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia,

27. Terribilis autem quædam expectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.

28. Irritam quis faciens legem Moysi, sine ullâ miseratione, duobus vel tribus testibus moritur;

29. Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?

30. Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, et ego retribuam. Et iterùm: Quia judicabit Dominus populum suum.

31. Horrendum est incidere in manus Dei viventis.

32. Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum:

33. Et in altero quidem, opprobriis et tribulationibus spectaculum facti; in altero autem, socii taliter conversantium effecti.

34. Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam.

35. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.

36. Patientia enim vobis necessaria est, ut, voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.

37. Adhuc enim modicum aliquantulùm, qui venturus est, veniet, et non tardabit.

38. Justus autem meus ex fide vivit; quòd si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.

39. Nos autem non sumus subtractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.

23. Demeurons fermes et inébranlables dans la profession que nous avons faite d'espérer ce qui nous a été promis, puisque celui qui nous l'a promis est très-fidèle dans ses promesses.

24. Et considérons-nous les uns les autres, afin de nous entre-exciter à la charité et aux bonnes œuvres.

25. Et, loin de nous retirer des assemblées des fidèles, comme quelques-uns ont coutume de faire, exhortons-nous au contraire les uns les autres, d'autant plus que vous voyez que le jour s'approche.

26. Car si nous péchons volontairement après avoir reçu la connaissance de la vérité, il n'y a plus désormais d'hostie pour les péchés,

27. Mais il ne leur reste qu'une attente effroyable du jugement et un feu vengeur qui doit dévorer les ennemis de Dieu.

28. Celui qui a violé la loi de Moïse est condamné à mort sans miséricorde, sur la déposition de deux ou trois témoins,

29. *Combien donc croyez-vous que celui-là sera* jugé digne d'un plus grand supplice, qui aura foulé aux pieds le Fils de Dieu, qui aura tenu pour une chose vile et profane le sang de l'alliance par lequel il avait été sanctifié, et qui aura fait outrage à l'Esprit de la grâce?

30. Car nous savons qui est celui qui a dit: La vengeance m'est réservée, et je l'exercerai; et qui a dit encore: Le Seigneur jugera son peuple.

31. Il est terrible de tomber entre les mains du Dieu vivant.

32. Or, rappelez en votre mémoire ce premier temps auquel, après avoir été éclairés, vous avez soutenu de grands combats et de grandes afflictions,

33. Puisque d'une part vous avez servi de spectacle au monde, par les opprobres et les mauvais traitements que vous avez soufferts, et que, de l'autre, vous êtes devenus les compagnons de ceux qui ont souffert de pareils outrages.

34. Car vous avez compati à ceux qui étaient dans les chaînes; et vous avez vu avec joie tous vos biens pillés, sachant que vous aviez d'autres biens plus excellents, et qui ne périront jamais.

35. Ne perdez donc pas la confiance que vous avez, et qui doit être suivie d'une grande récompense.

36. Car la patience vous est nécessaire, afin qu'en faisant la volonté de Dieu, vous puissiez obtenir les biens qui vous sont promis.

37. Encore un peu de temps, et celui qui doit venir viendra; et il ne tardera point.

38. En attendant, le juste qui m'appartient vit de la foi; que s'il s'éloigne, il ne me sera plus agréable.

39. Pour nous, nous n'avons garde de nous retirer et de nous affaiblir; ce qui serait notre ruine; nous demeurons fermes dans la foi pour le salut de nos âmes.

ANALYSIS.

In hoc capite tria conficit Apostolus. A v. 1 *usque ad* 19, *legalium sacrificiorum ad peccatorum remissionem insufficientiam demonstrat, at unius christiani sacrificii, ad exhaurienda peccata, redundantem sufficientiam confirmat.*

A v. 19 *usque in finem, Hebræos hortatur ad constantiam in fide, eosque ab apostasiâ deterret. Legalium sacrificiorum insufficientiam probat primò, quia lex et legalia erant tantùm futurorum umbra, non ipsa veritas; annuum, v. g., expiationis sacrificium erat Christi in cruce sacrificii pro peccatorum expiatione umbra et figura: et ideò virtus ei tantùm erat significandi, non sanctificandi. Secundò, hanc eamdem insufficientiam probat ex continuâ eorum repetitione pro iisdem peccatis; tertiò, quia impossibile erat sanguine pecudum auferri peccata, eo modo quo putabat Judæus carnalis, v.* 1, 2, 3, 4.

V. 5, *ex hâc legalium impotentiâ probat christiani sacrificii necessitatem et redundantiam, idque ex psal.* 39, *ubi Christus à primo vitæ instanti, sese Dei voluntati consecrans, mortemque ex obedientiâ acceptans, et abrogat vetera sacrificia, et suum in illorum locum substituit, mundumque per sui corporis oblationem peractam sanctificavit, v.* 6, 7, 8, 9, 10.

V. 11, *idem de jugis sacrificii repetitione infert quod de annui sacrificii repetitione dixit, illorum scilicet insufficientiam: Christus autem unicâ oblatione omnes redemit et sanctificavit in sempiternum, v.* 12, 13, 14. *Hoc probat ex citato Isaiæ loco, v.* 15, 16, 17, 18.

V. 19, *probatâ abrogatione legis et legalium sacri-*

ficiorum, provatâ et eminentiâ sacerdotii Christi præ sacerdotibus Leviticis, et oblationis ab ipso factæ præ legalibus oblationibus, concludit Hebræos exhortans ad constantiam in fide, v. 20, 21, 22, 23, 24; *eos ab apostasiæ crimine deterret, tum ob horrendam hujus sceleris enormitatem, quam exaggerat, tum ob horrendum Dei judicium in taliter à fide deficientes; v.* 25, 26, 27, 28, 29, 30, 31.

Denique terrorem lenit commemorationi pristinæ illorum fortitudinis, quâ et constanter pro fide passi sunt, et aliis pro fide patientibus intrepidè succurrerunt; v. 32, 33, 34. *Igitur tanta passi, tantasque apud Deum opes consecuti, ne mercedem perdatis, adhuc modicùm in tribulationibus perseverate; Christus brevi venturus est, præmia perseverantibus, supplicia deficientibus repensurus; v.* 35, 36, 37, etc.

PARAPHRASIS.

1. Una Christi *mors multorum* exhausit peccata, non ita de multiplicatis legalibus sacrificiis; quia enim lex Mosaica erat umbra tantùm futurorum in novo Testamento bonorum, non autem ipsa rerum veritas, hinc non poterat in conscientiâ sanctificare summum sacerdotem, multò minùs alios sacerdotes et populum, per sacrificia quæ singulis annis jugiter offerebant; talibus sacrificiis virtus erat tantùm significandi, non efficiendi.

2. Si enim lex per hostias quas *singulis annis* offerebat peccata verè expiâsset, cessâssent hæc sacrificia pro iisdem peccatis offerri, cessâsset et in iisdem sacrificiis eorumdem peccatorum commemoratio fieri: quia semel mundati, tum sacerdos, tum populus, expiatione non indiguissent.

3. At constat quòd de facto offeruntur singulis annis pro iisdem peccatis, et quòd eorumdem peccatorum sit in illis confessio.

4. Et sanè cùm peccatum sit *in animâ*, *non potest* crassus et materialis brutorum sanguis illud naturaliter auferre: hoc divino Jesu Christi sanguini erat reservatum.

5, 6. Propter quod mundum per incarnationem ingrediens, Deo Patri sic loquitur in psal. 39: Sacrificium et oblationem, et holocausta, et pro peccato *noluisti*, *corpus* autem mihi dedisti aptum immolationi:

7. Ecce adsum, ô Deus, ut juxta quod *in Scripturis* de me prænuntiatum est, tuam voluntatem faciam.

8. Duo in his Christi verbis notate. Primò dicit: Hostias et oblationes, et holocausta, et pro peccato noluisti, nec tibi placet quidquam eorum quæ tibi juxta veterem legem offeruntur;

9. Deindè *adjicit*: Ecce adsum, ô Deus, ut faciam voluntatem tuam. Per prima verba abrogat vetera sacrificia, per posteriora suum in illorum *locum* substituit.

10. Per quam Dei voluntatem, cui faciendæ sese obtulit Christus, et quam reverà moriens adimplevit, sanctificati sumus per unicam oblationem cruentam corporis Domini nostri Jesu Christi in cruce peractam.

11. Et in hoc Christi sacrificium valdè differt, non *tantùm ab annuo*, *sed* et à *jugi*, seu *quotidiano* sacrificio; omnis quippè sacerdos astat et ministrat quotidiè, suum ministerium repetens, et easdem sæpè offerens hostias, sed abluendis peccatis semper invalidas, quantùmvis multiplicatas:

12. Christus autem unicâ semel oblatâ pro peccatis omnium hostiâ, jam gloriosus et *quietus* sedet in æternum ad dexteram Dei.

13. *In illâ felici* sessione expectans ut fiat quod *in* psalmo prædictum est: nimirùm quòd divinâ virtute inimici illius fiant scabellum pedum ejus.

14. Sedet, inquam, quietus, nunquàm ampliùs hoc modo ministraturus, quia hâc unicâ cruentâ suî ipsius oblatione consummavit sanctitate et justitiâ eos omnes qui in quocumque tempore sanctificantur, aut *sunt sanctificandi*.

15. Quod autem vobis dico, hoc ipsum Spiritus sanctus suo confirmat testimonio; postquàm *enim*, loco Jeremiæ 31 jam citato, dixit:

16. Hoc est testamentum quod paciscar erga illos post dies illos, dixit Dominus: Indam leges meas in cordibus eorum, et illas inscribam in mentibus eorum;

17. Nec ampliùs recordabor peccatorum, aut iniquitatum *illorum*; *tantùm aberit ut illa punire velim*. Unde concludo:

18. Postquàm peccata verè remissa sunt et oblita, jam non opus est novâ pro iisdem peccatis abolendis oblatione.

19. Cùm igitur nobis, fratres, acquisita sit per Christi sanguinem fiducia sancta cœlestia ingrediendi,

20. Cùm et habeamus viam stratam, illùcque rectà ducentem; viam novam, quam Christus ipse primus *calcavit*; *viam viventem*, *et quæ ducit* ad vitam; viam quam nobis aperuit per carnem suam, quæ est quasi januæ velum per quod ingrediendum est;

21. Cùm etiam habeamus sacerdotem verè magnum, per Melchisedech figuratum, à Deo toti domui suæ præpositum, semperque pro nobis interpellantem;

22. Accedamus ad hunc benignum Pontificem, corde sincero, cum plenâ et firmissimâ fide; aspersi, *non sanguine pecudum juxta corpus*, *sed sanguine* Jesu Christi aspersi, et à peccatis mundati, juxta conscientiam; imò et abluti etiam corpore aquâ baptismi, corpus et animam simul mundante.

23. Perseveremus in confessione fidei et spei, quam in baptismo professi sumus; nec in eâ tantisper vacillemus, hoc uno freti, quòd Deus verax est, et constans in promissis suis:

24. Et quoniam alter alterius membra sumus, alii *aliorum actus observemus*, *ut mutuis exemplis* excitemus et excitemur ad majorem pietatem, et ad bona opera.

25. Ecclesiasticos conventus ne negligatis, multò

minùs ab ipsâ Ecclesiâ ne deficiatis, sicut quidam solent et audent; sed potiùs vosmetipsos ad perseverantiam adhortamini, consolantes vos tantò magis in spe retributionis æternæ, quantò magis videritis appropinquare diem Domini.

26. Horrete, inquam, et ante omnia cavete defectum à fide; nobis enim speciatim Hebræis, post acceptam veritatis christianæ notitiam, ab eâ deficientibus et ad Judaismum redeuntibus, in tali jam statu nulla relinquitur pro peccatis nostris hostia; non proderit mors Christi, quem abnegavimus; non proderunt legalia sacrificia, quæ scimus abrogata et inutilia;

27. Sed solùm nobis relinquitur expectandum terribile Dei judicium, et ignis infernalis æmulatio, quæ eò sævius torquebit apostatam, quò divinam bonitatem ille magis contempsit.

28. Si tanta est apud Judæos animadversio, ut qui legem Moysi transgreditur per contumaciam, duorum vel trium testium convictus testimonio, absque ullâ misericordiâ interficiatur;

29. Quantò gravius supplicium mereri putatis eum qui Jesum Dei filium abjecit et conculcavit, qui divinum illius sanguinem, in quo novum testamentum dedicatum est, velut rem profanam contempsit, præsertim verò postquàm in hoc sacro sanguine per baptismum sanctificatus est; qui denique Spiritum, gratiæ auctorem et largitorem, contumeliosè rejecit!

30. Nos enim sacris Scripturis instructi, novimus eum qui dixit: Mihi vindicta competit et ego rependam; novimus et ibidem scriptum esse: Quia judicabit Dominus populum suum.

31. Hinc ergo judicemus quàm horrendum sit, talibus admissis criminibus, incidere in manus Dei viventis, et ideò semper punire valentis.

32. Hoc ne fiat in vobis, in memoriam vestram revocate præteritum primi fervoris vestri tempus, quo recens illuminati fidei lumine per baptismum, pro hâc fide tuendâ, frequens et magnum afflictionum certamen fortiter sustinuistis;

33. Partim quidem opprobriis et tribulationibus palàm expositi; partim verò talia ferentium participes per charitatem effecti.

34. Nam et iis qui pro Christo vincti erant compassi estis, eorumque dolore doluistis; et direptionem facultatum vestrarum, non patienter tantùm tulistis, sed et hilariter; fide scientes vos meliora et nunquàm peritura bona possessuros in cœlis.

35. Tanta passi tantasque apud Deum opes meriti, ne per infidelitatem perdatis fiduciam tantâ mercede fruendi: state itaque et perseverate.

36. Patientia enim et perseverantia vobis necessaria est, ut, usque in finem Dei voluntatem facientes, promissam percipiatis mercedis remunerationem.

37. Citò, citò qui venturus est veniet, et non tardabit; et unicuique juxta merita rependet justus judex.

38. Interim, dùm veniat liberator Christus, qui Dei gratiâ justus, rectusque est, ex fide et per fidem, in mediis etiam tribulationibus, vivit, crescit, et perficitur: quòd si è contra per pusillanimitatem se subtrahat à fide, non mihi placebit.

39. Spero autem et confido quòd non erimus ex iis qui se per ignaviam à fide subducunt ad suam ipsorum perditionem, sed ex iis qui constanter credunt, et fortiter patiuntur ad æternam animæ suæ salutem.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — UMBRAM ENIM HABENS LEX. Syr.: *Siquidem in lege erat umbra futurorum bonorum.* Probatâ sanguinis Christi virtute *ad exhaurienda peccata*, ut cap. 9, v. 28, dixit, hic legalium sacrificiorum impotentiam ad hunc effectum ostendit, hujusque impotentiæ rationem reddit: *Umbram enim habens*, id est: Lex enim Mosaica erat tantùm umbra BONORUM in novo testamento FUTURORUM, v. g., gratiæ, justitiæ et salutis per Christum dandæ;

NON IPSAM IMAGINEM RERUM. Syr.: *Non ipsamet substantia earum rerum.* Æthiop.: *Non erat ipsa forma*, id est, non ipsa veritas, ait D. Chrysostomus; seu non ipsa res quæ in se spectetur, seu non ipsa forma rei in propriâ specie conspectæ;

PER SINGULOS ANNOS... Syr.: *Idcircò etsi quotlibet anno illa ipsa sacrificia offerrentur, nunquàm potuerunt perficere eos qui ipsa offerebant.* Respicit Apostolus ad sacrificia quæ singulis annis in die expiationis offerebat summus sacerdos, sanguinem hirci scilicet et vituli, et quæ ipsum pontificem in conscientiâ sanctificare non poterant, cap. 9, v. 9, multò minùs alios sacerdotes et populum. Hujusque rei ratio est, quòd hoc annuum expiationis sacrificium erat tantùm umbra futuri in cruce sacrificii pro peccatorum omnium expiatione, cui futuro Christi in cruce sacrificio reservata erat virtus homines in conscientiâ et coram Deo sanctificandi. Lex erat umbra, sive metaphora à picturâ ducatur; pictores enim primùm carbone, aut cretâ rem aliquam rudi modo delineant, hancque rudem picturam vocant *umbram*. Ita Deus, inquiunt aliqui, in veteri testamento rudem et umbratilem novi testamenti picturam dedit; sive, quod apostolico stylo conformius est, Col. 2, v. 17, metaphora ducatur à corporibus et illorum umbris, quo sensu: Christus et Evangelium est velut *corpus*, seu soliditas et substantia; lex verò istius corporis *umbra*, seu imago.

VERS. 1. — *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Vox *enim* probat et dat causam cur lex legisque sacrificia non potuerint peccata expiare et homines sanctificare. Ergo salus est à Christo exspectanda, non ex lege. Nam *lex* inquit, *umbram habens*, etc., perfectos facere non potest, legem utique intelligens cæremonialem, præsertim quod ad sacrificia. Umbra autem non est res ipsa, sed tantùm umbra rei.

Per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt

perfectissima similitudo. Equidem Theodoretus hunc versum paulò aliter explicat, umbram tribuens legi, imaginem Evangelio, ipsam veritatem cœlo : at minùs ad mentem Apostoli, qui hic de cœlo non agit, sed tantùm de lege comparatâ ad Evangelium per respectum ad remissionem peccatorum, quam lex per sua expiationis sacrificia non dabat, quia hæc sacrificia erant tantùm adumbrationes, quam verò dedit sacrificium Christi, quia veritas ipsa et corpus.

Vers. 2. — Alioquin cessassent offerri. Syr. : *Si enim perfecissent, jam diù sanè cessâssent ;* Gr. : *Alioquin non utique cessâssent oblatæ ;* Theophylactus : Per interrogationem lege : *Nonne desiissent offerri?* quod idem est. *Alioquin*, id est, si vim habuissent justificandi, *cessâssent offerri*, pro iisdem scilicet peccatis.

Ideò quòd nullam, id est, ideò quòd illi qui Deum his sacrificiis colerent, semel per ea verè à peccatis purgati, nullam ultra peccati conscientiam haberent ; sicque expiatione non indigerent : quod enim verè expiatum, non eget ampliùs expiatione.

Vers. 3. — Sed in ipsis commemoratio ; Græc. : *Recommemoratio ;* Syr.: *Verùm in ipsis sacrificiis commemorant peccata sua quolibet anno.* Id est : *Sed in ipsis* sacrificiis quolibet anno, in die expiationis, fit iterata *commemoratio* peccatorum præteritorum, pro quibus etiam annis præcedentibus oblatum fuit eodem die sacrificium : unde inferendum quòd non fuerint verè remissa.

Observationes litterales.

Tota vis hujus argumenti consistit in eo quòd pro iisdem peccatis repetebatur expiationis sacrificium, et in eo fiebat quolibet anno eorumdem peccatorum memoriæ repetitio : ex hâc enim repetitione et oblationis et commemorationis, illorum inefficaciam probat Apostolus argumento quod sic potest in formam redigi : Si lex per hostias quas singulis annis offerebat peccata verè expiâsset, cessâssent hæc sacrificia pro iisdem peccatis offerri, cessâsset et in iisdem sacrificiis fieri eorumdem peccatorum commemoratio, quia semel à peccatis *mundati cultores*, id est, tum sacerdos, tum populus, expiatione non indigerent : atqui de facto constat quòd singulis annis fit peccatorum omnium confessio, etiam eorum pro quibus jam oblatum est expiationis sacrificium, et hoc juxta legis mandatum ; ergo lex per has hostias peccata verè non expiabat.

Hoc autem factum omnibus notum supponit Apostolus ex lege Lev. 16, ubi præcipitur ut summus sacerdos, etiam idem, singulis annis, idem sacrificium offerat pro se, sive peccaverit de novo, sive non peccaverit : ab hoc enim lex abstrahit. Ex eâdem lege Lev. 16, v. 21, præcipitur ut in isto sacrificio sacerdos confiteatur omnia peccata populi, etiam pro quibus oblatum jam fuerat sacrificium ; lex enim loquitur generaliter, *omnes iniquitates, universa delicta.* Hæc itaque sacrificia repetebantur, quia inefficacia ad peccatorum remissionem, et ad eorum confessionem tantùm efficacia ; hâcque eorum repetitione monebantur fideles aliunde remissionem peccatorum expectare, scilicet à Christi venturi sacrificio, cujus adumbrationes erant illa expiationis sacrificia. Cruentum autem Christi sacrificium, per has expiationes annuas adumbratum, quia virtutis infinitæ, unicâ oblatione *omnium exhausit peccata,* ut in cap. præced., v. 28, dictum est, et in hoc cap., v. 14, dicetur, sicque nunquàm repetendum.

Observationes dogmaticæ.

Quid verò ? objicit hìc sibi D. Chrysostomus, hom. 17, nos non quotidiè offerimus ? Offerimus quidem, ait, sed ejus mortem revocamus in memoriam ; et ipsa una est, non multæ. Nota illustre hoc antiquitatis de missâ testimonium, quam D. Chrysostomus fatetur sacrificium, et quod dicit non esse à sacrificio crucis diversum, quia eadem est numero hostia quæ in memoriam prioris sacrificii quotidiè offertur.

Sed, urgebis, ad quid hæc oblationis repetitio ? nonne inefficaciam ostendit, vel in ipso cruento sacrificio Christi, vel in toties repetitis oblationibus incruentis ? — Vide jam dicta in capite 7, v. 28, de duobus Christi sacrificiis, uno cruento, altero incruento ; quorum primum est redemptionis sacrificium, alterum verò religionis, per quod nobis applicatur redemptio ; hincque disces incruentam oblationem ubique celebrari, ut per hanc ubique diffundatur et applicetur gratia redemptionis. Cruentum Christi sacrificium fons est inexhaustus gratiæ : incruentum verò sacrificium canalis est per quem salit ad nos aqua gratiæ. Tantùm abest ergo ut hujus incruenti sacrificii oblatio denotet inefficaciam in cruento ; imò supponit in eo infinitam virtutem, et inexhauribilem gratiæ thesaurum ; tantùm abest etiam ut hæc repetitio quotidiana denotet inefficaciam in incruento sacrificio, imò supponit illud efficacissimum ; quandoquidem per illud realiter et efficaciter nobis applicatur redemptionis sacrificium : ita ut in uno sacrificio perficiat Christus quod inchoavit in altero. Per corporis in cruce immolationem semel factam nobis Christus meruit peccatorum remissionem et Dei gratiam ; per corporis ejusdem in Eucharistiâ mysticam immolationem et realem manducationem applicat et confert quod in cruce meruit. Et quia quotidiè peccamus, et Dei gratiâ semper indigemus, hinc quotidiè Christum mysticè immolamus, ut per hoc incruentum sui sacrificium Christus operetur in nobis quod pro nobis meruit in cruce per suum sacrificium cruentum, scilicet mori peccato, vivere gratiæ. Perperàm itaque hanc D. Pauli ratiocinationem in legalia sacrificia hæretici retorquere conantur in missæ sacrificium,

indesinenter, nunquàm potest accedentes perfectos facere, id est, perfectè expiatos, et à peccatis purgatos, justos et sanctos efficere suis hostiis non potest lex.

Vers. 2. — *Cultores semel mundati.* Cultores vocat

Judæos, qui suis victimis, lustrationibus et cæremoniis colebant Deum.

Vers. 3. — *Sed in ipsis commemoratio*, etc. Ergo sacrificia hæc vetera tantùm erant protestationes quæ-

quasi sit aut inutile, aut Christi morti injuriosum : quasi verò fides, baptismus, pœnitentia, et alia salutis nostræ media, per quæ nobis applicatur virtus crucis sint inutilia, aut virtutis crucis diminutiva. Vide infra, v. 14, et in fine coroll.

Vers. 4. — Impossibile est enim sanguine... In Græco et Syriaco est activa locutio : sanguinem hircorum, etc., auferre, purgare peccata, id est : Nec mirum si sacrificia repetant, et in eis fiat nova semper eorumdem peccatorum confessio, *quia impossibile est*, si naturam spectes, *sanguine* vili, crasso et materiali, auferri peccatum, quod est in animâ. *Impossibile* ergo debet intelligi eo sensu quo Judæus carnalis intelligebat, per se, scilicet, et secundùm propriam institutionem : Deus enim hanc virtutem eis non dederat, sicut habet nunc, v. g. aqua baptismalis, sed virtutem tantùm habebant significandi. Hinc Judæus spiritualis illa sacrificia cum fide Mediatoris offerens, fructum remissionis percipiebat virtute sanguinis Christi in illis præfigurati.

Vers. 5. — Ideò ingrediens mundum. Syr. : *Quapropter cùm introit in mundum. Ideò*, id est : Quia vetera sacrificia non poterant expiare peccata, nec erant ad hoc instituta, sed tantùm ad cruentum Christi sacrificium præfigurandum, *hinc Christus ingrediens*, id est, in primo post incarnationem suam instanti, dixit Deo : Hostiam cruentam et oblationem incruentam noluisti propter se, sed propter me, cujus erant figuræ. Non enim reverà talibus hostiis delectatus est Deus, sed præcepit eas ad significandam hostiam Christi, et ut per eas Judaicum populum retineret à sacrificiis idolorum. Nec unquàm odoribus illis delectatus est, nisi in fide et devotione offerentium, ait D. Anselmus.

Corpus autem aptasti mihi. Syr. : *Corpore autem induisti*, id est, per incarnationem corpus mihi dedisti aptum immolationi : corpus scilicet passibile, mortale, sed unitum Verbo divino, et ideò hostiam infiniti valoris, Deo dignam. D. Paulus septuaginta interpretum versionem hic sicut et alibi secutus est. D. Hieronymus juxta Hebræum vertit : *Aures autem perfodisti;* alii : *Perfecisti mihi.* Hæ lectiones, quanquàm diversæ, eumdem tamen sensum habent, scilicet : Per incarnationem corpus mihi dedisti, fecistique me servum tibi perpetuum. Aurium perfossio est allusio ad id quod habetur Exodi. 21, v. 6, ubi servi qui septennio exacto heris suis volentes se mancipabant, aurium perfossione notabantur; idem vide Deuter. 15, v. 17, hæc itaque expressio notat perfectam et perpetuam Christi obedientiam usque ad mortem crucis.

Vers. 6. — Holocautomata, id est, sacrificia pro peccato, quorum tota hostia in honorem Dei cremabatur.

Et pro peccato, id est, sacrificia pro peccato, quorum una pars hostiæ cremabatur in altari, altera cedebat in usum ministrorum; hinc Osee 4, 8 : *Peccata populi mei comedent.*

Non tibi placuerunt, Syr., *non postulâsti :* id est, per se tibi non placuerunt, sed propter me, cujus erant figuræ, ut supra *noluisti*, v. 5. Et præcipuè ab adventu Domini noluit Deus illa sacrificia, quoniam omnia illa erant quasi verba promittentis; et verba promissiva, cùm venerit quod promittunt, jam evacuanda, etc. Sacrificia ergo illa, tanquàm verba promissiva, ablata sunt, quia exhibita est veritas, id est, sacrificium Christi, quod per ea promittebatur, et hæc fuit causa quare Deus illa primò jussit, et post noluit, ita D. Anselmus.

Vers. 7. — Tunc, id est, in hoc primo Incarnationis instanti, ubi video hæc tibi non placere, et corpus immolationi aptum à te mihi datum ut illud in arâ crucis offeram ad abolitionem peccatorum : Dixi tibi, ô Pater : Ecce venio, id est : Ecce cum assumpto corpore me tibi sisto; juxta quod in capite libri, seu in volumine libri legis, id est, in totâ Scripturâ prænuntiatum est, quòd venturus essem in mundum, tuam, ô Deus, voluntatem facturus. Varie explicatur illud *in capite libri.* Juxta Hebræum est, in volumine libri, quia chartæ volvebantur. Fusè hâc de re disserit Estius. Probabilior explicatio videtur, in totâ Scripturâ prænuntiatum est; vel summa Scripturarum est ut, etc., seu omnes Scripturæ testantur, etc.

Observatio moralis.

Ex his verbis *ecce venio*, disce quis fuerit primus Christi cogitatus, primusque cordis illius motus. *Ingrediens mundum dixit...* Primus Christi voluntatis usus fuit obedientia et votum per totam vitam obediendi, seu Dei voluntatem in omnibus faciendi. Egregium sanè exemplar vitæ, nunquàm à nobis non aspiciendum. Quotidiè ergo, mane, vel mediâ nocte, Deum statim adora, temetipsum cum Christo, in Christo et per Christum offer Deo, dicens : *Ecce venio ut faciam, ô Deus, voluntatem tuam.* Renova votum obedientiæ cum Christo obedientiam vovente. Ad hoc

---

dam quibus protestabantur Judæi se aliud requirere sacrificium, putà Christi, per quod fieret peccatorum remissio, etc.

Vers. 4. — *Impossibile enim est sanguine*, etc. Sicut ergo de lege dixit, Rom. 8, impossibile fuisse ut justificatio per eam impleretur in nobis, ita hic dicit de sacrificiis legis, impossibile esse ut per ea auferantur peccata.

Vers. 5. — *Ideò ingrediens mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti.* Christus ut peccata auferret, veniens et ingrediens mundum per suam incarnationem, dicit Deo Patri : *Hostiam*, scilicet cruentam hircorum et taurorum, atque *oblationem*, scilicet incruentam, similæ, vini, panis, olei, etc., *noluisti*, ô Pater.

Corpus autem aptâsti mihi, quod tibi in sacrificium pro peccato offeram.

Vers. 6. — *Holocautomata* (et hostiæ) *pro peccato non tibi placuerunt*, non postulâsti, nec placita sunt tibi, quasi ea per se tibi placerent, teque peccatis hominum offensum placarent.

Vers. 7. — *Tunc dixi : Ecce venio*, quia vidi legis sacrificia non tibi placere, nec illis placari te posse; ideò meipsum, assumpto corpore quod mihi aptâsti, paratum obtuli ad faciendam tuam voluntatem.

In capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus,

unum ingressus es in mundum, sicut et Christus, ut facias Dei voluntatem; ad hoc unum sanctificatus es per oblationem Christi in sinu matris inchoatam, in præsepe confirmatam, in cruce consummatam, ut Dei voluntatem adimpleas, sicut et ipse in omnibus adimplevit, et ut Deo in omnibus, licèt arduis, obedias usque ad mortem. Christe Jesu, à primo vitæ instanti usque ad mortem crucis obediens, hanc assiduam obedientiam mihi dona; da servo tuo cor docile, cor rectum, *cor humile, cujus vita sit in voluntate Dei*, vivendo in obedientiâ et ex obedientiâ.

VERS. 8. — SUPERIUS DICENS : QUIA HOSTIAS... In superioribus Christi verbis duo distinguit Apostolus, hincque suum colligit intentum, scilicet veterum sacrificiorum abrogationem; Christi obedientiæ et sacrificii in eorum locum substitutionem. Itaque *superiùs dicens*, id est : Postquàm Christus, v. 6, *dixit : Hostias*, etc., *oblationes noluisti*, etc., *nec placita sunt*,

QUÆ SECUNDUM LEGEM..., id est, quæ juxta legis præscriptum OFFERUNTUR;

VERS. 9. — TUNC DIXI; Græc., *dixit;* Syr. : *et postea dixit*, id est, adjecit :

ECCE VENIO UT FACIAM, DEUS...

AUFERT PRIMUM, id est : Per prima illa verba, v. 5 et 6, annullat, aufert primum illud sacrificiorum genus, quod Deo non placere dixit : per posteriora verò suum sacrificium et obedientiam statuit et firmat, seu in illorum locum substituit; Syr. : *In hoc oblitterat primum, ut statuat secundum.*

VERS. 10. — IN QUA VOLUNTATE...; id est : Per quam Dei voluntatem, ad quam faciendam venit Christus, et quam reverà adimplevit :

SANCTIFICATI SUMUS PER OBLATIONEM... Syr. : *Per unicam oblationem corporis Jesu Christi*; id est : Per oblationem corporis Jesu Christi, corporis scilicet illi ad hoc aptati, de quo, v. 6, semel in cruce peractam : sicque per unam hostiam, sed infiniti valoris, obtinuimus quod per tot legalia sacrificia obtineri non potuit.

Resumptio supradictorum.

Resume dicta. Christus mundum ingrediens sese Dei voluntati faciendæ subjecit : voluntas autem Dei erat ut Christus mundum per sui sanguinis effusionem sanctificaret; huic voluntati Dei Christus obedivit. Per hanc ergo Dei Patris voluntatem, à Christo adimpletam, oblatione sui corporis in cruce semel factâ, sanctificati sumus; sanctificationis ergo nostræ origo, bona Dei voluntas, quâ sic *dilexit mundum ut Filium unigenitum daret;* causa meritoria, oblatio voluntaria Christi in arâ crucis pro nobis immolati. Pro hâc ineffabili bonitate Dei gratias age; hanc autem voluntariam oblationem Christi, sanctificationis causam, *tu tibi applica per media* à Deo destinata. *Ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Crede, spera, dilige, operare.

VERS. 11. — ET OMNIS QUIDEM SACERDOS PRÆSTO EST : Græc., *stat.* Hic benè notat D. Thomas in lege duo fuisse solemnia sacrificia; unum annuum, seu quod fiebat singulis annis, in die expiationis; hocque à summo pontifice offerebatur, de quo hactenùs; alterum juge, quod per singulos dies offerebatur mane et vespere, de quo Num. 28; et hoc per omnem seu per quemlibet sacerdotem in ordine vicis suæ fiebat. Nunc igitur Apostolus de jugi sacrificio dicit quod de annuo supra dixit, scilicet, ex ejus jugi repetitione infert illius ad delenda peccata impotentiam; *Omnis quidem sacerdos*, scilicet legalis. Syr. : *Omnis enim summus sacerdos*, cui favent quidam Græci codices, in quibus habetur ἀρχιερεὺς, *pontifex*. Parùm refert, poterat enim pontifex, si vellet, juge sacrificium offerre; in omni quippe sacrificio primæ erant ejus partes, cæteri verò erant ejus adjutores. PRÆSTO EST, seu stat, QUOTIDIÈ MINISTRANS; ET EASDEM HOSTIAS, agnum scilicet, bis in die OFFERENS;

QUÆ NUNQUAM POSSUNT..., ut ex hâc jugi repetitione satis indicatur.

VERS. 12. — HIC AUTEM, id est, Christus autem, UNAM PRO PECCATIS OFFERENS. Syr. : *Obtulit hostiam;* id est : Postquàm unam obtulit pro peccatis hostiam, hâcque unicâ oblatione suo redemptoris munere functus est,

SEDET, scilicet gloriosus, IN DEXTERA DEI, sedebitque in æternum.

VERS. 13. — DE CÆTERO EXPECTANS. Syr. : *Et expectat deinceps usque dùm*, etc., id est : Expectans in illâ felici sessione, donec virtute Dei omnes ejus adversarii, *velut scabellum, subjiciantur sub pedibus ejus.*

voluntatem tuam. Deus meus, volui ut facerem, id est, volui facere voluntatem tuam. Quæres in cujus libri capite hæc de Christo scripta sunt? *In capite* seu volumine *libri scriptum est de me*, id est, totus index legis me respicit, tota lex me spectat, suaque sacrificia et omnia quæ habet dirigit ad meum sacrificium meamque redemptionem significandam et repræsentandam. *In libro*, id est, in lege et prophetis, de eo scriptum est, ut Dei faceret voluntatem, illam præcipuè quâ Deus statuerat per Filii sui incarnationem et passionem electos suos sanctificare.

VERS. 8. — *Superiùs dicens* (scilicet David in personâ Christi, psal. 39) : *Quia hostias, et oblationes, et holocaustomata* (victimas) *pro peccato noluisti*, etc.

VERS. 9. — *Tunc dixi : Ecce venio*, ut me tibi in cruce immolando, *faciam voluntatem tuam*, ô Pater. *Ecce venio*, id est, prestò sum, *ut faciam, Deus, voluntatem tuam;* quibus verbis,

Aufert primum, ut sequens statuat, q. d. : Secundum statui non potest, nisi sublato priore.

VERS. 10. — *In quâ voluntate sanctificati sumus*, etc. Nam credentes sanctificati per oblationem Unigeniti, in voluntate Patris sanctificati sumus. Intelligendum præbet hanc fuisse Dei voluntatem, ut Christus corpus suum offerret pro nobis sanctificandis, id est, justificandis.

VERS. 11. — *Et omnis quidem sacerdos* (veteris legis)... *easdem... offerens hostias.* Dicit *easdem*, quia semper agnum offerebat bis quotidiè.

VERS. 12. — *Hic autem unam pro peccatis offerens* (id est, postquàm obtulit) *hostiam, in sempiternum sedet in dextrâ Dei;* q. d. : Christo non est opus pluribus hostiis. Unicâ enim hostiâ omnia expiavit, cœlumque sibi et nobis reseravit, ut in eo jam gloriosus sedeat à dextris Dei.

VERS. 13. — *De cætero expectans*, etc., id est,

VERS. 14. — UNA ENIM OBLATIONE... Syr. : *Perfecit eos, qui sanctificantur in ipso in æternum,* id est : Sedet, inquam, quietus, non ampliùs ministraturus, quia hâc unicâ sui ipsius oblatione in cruce factâ, utpote infiniti et plusquàm infiniti valoris,

CONSUMMAVIT, perfecit, sanctitate scilicet et justitiâ.

Observationes dogmaticæ.

Intellige : Quantùm est ex parte Salvatoris, qui hâc sui oblatione consummatum et perfectum redemptionis dedit pretium, immensum et inexhaustum constituit sanctificationis fontem.

IN SEMPITERNUM, id est, quo fonte semper inexhausto, et usque ad finem mundi, imò in æternum valituro, sanctificat et Deo consecrat,

SANCTIFICATOS, id est, eos qui quocumque tempore sanctificantur, seu qui ad Christum accedunt per fidem, per baptismum, per alia sacramenta et bona opera. Itaque Christi oblatio in cruce facta, est sanctificationis fons inexhaustus, æternus, quo omnes omninò homines, licèt infiniti et in æternum nascerentur, sanctificari et consummari possent. Fides, baptismus, pœnitentia, Eucharistia, alia sacramenta, pia et bona opera, sunt quasi canales à Christo ordinati, quibus quisque fidelis sanctitatem hauriat in hoc sanctificationis fonte; Christus ergo per sacrificium crucis nos sanctificavit quantùm est ex parte suâ, in actu primo : sanctificat autem in actu secundo et reipsà per fidem, per baptismum, pœnitentiam, et pia opera generale crucis meritum unicuique applicantia.

VERS. 15. — CONTESTATUR AUTEM NOS ET SPIRITUS SANCTUS ; Græc., *nobis.* Syr. : *Cæterùm testis est nobis Spiritus sanctitatis,* id est veritatis jam allegatæ, *unâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* Testis nobis est Spiritus sanctus ; Jerem. 31, v. 34, supra citati, cap. 8, v. 8, etc. : *Postquam enim dixit :*

VERS. 16. — HOC AUTEM TESTAMENTUM... Vide hæc verba explicata, cap. 8, v. 8, 9, 10, etc.

VERS. 17. — ET PECCATORUM ET INIQUITATUM... NON RECORDABOR... Vide ibidem.

VERS. 18. — UBI AUTEM HORUM REMISSIO, JAM NON EST OBLATIO... Syr. : *Non opus est oblatione, quæ fiat pro peccatis,* id est : Ubi peccata verè remissa sunt, jam non est opus novâ pro iisdem peccatis oblatione repetendâ. Hinc benè sequitur non esse reiterandum cruentum Christi sacrificium, sicut in lege repetebantur Mosaica sacrificia. Hoc tamen non obstat incruenti sacrificii reiterationi, per quod fit nobis applicatio cruenti sacrificii, et per quod fit nobis nova recentium, seu de novo commissorum peccatorum remissio : quia enim quotidiè peccamus, quotidiè per incruentum sacrificium Deum nobis propitium reddimus. Vide v. 14, et coroll.

VERS. 19. — HABENTES ITAQUE, FRATRES, FIDUCIAM... Hic incipit secunda pars hujus Epistolæ, quâ à dogmatibus ad mores fit transitus.

Apud Theodoretum est tomus tertius.

Probatâ itaque abrogatione legis Mosaicæ, probatâ et eminentiâ sacerdotii Christi præ Leviticis sacerdotibus, et oblationis ab ipso factæ præ illorum oblationibus, concludit per exhortationem ad fideliter perseverandum in professione christianæ religionis.

HABENTES ITAQUE FIDUCIAM. Græc. : *Libertatem in introitum,* etc. ; id est : Cùm habeamus fiduciam, spem magnam, jus ad introeundum in Sancta sanctorum, id est, in cœlum ;

IN SANGUINE CHRISTI, id est, per merita sanguinis Christi pro nobis effusi ;

VERS. 20. — QUAM INITIAVIT NOBIS VIAM. Syr. : *Quam dedicavit nobis nunc per velum januæ,* id est, PER CARNEM SUAM, id est : quo sanguine Christus *initiavit,* dedicavit *nobis viam* in hæc cœlestia Sancta sanctorum ; quando scilicet, ipsemet per eam intravit : *viam* NOVAM, id est, nullius vestigiis pressam, et quam ipse primus calcavit ;

ET VIVENTEM, id est, quæ ducit ad vitam,

PER VELAMEN, id est, quam viam nobis aperuit per suam carnem, quæ est quasi velum januæ, per quod est ingrediendum. Ideò in morte Christi velum tem

donec omnes ejus adversarios ipsi perfectè subjiciat, velut pedibus calcandos, ut ultra nocere nequeant.

VERS. 14 — *Unâ enim oblatione consummavit,* etc. Consummare eos qui sanctificantur, est ad perfectum adducere omnes quotquot sanctificandi sunt. Id Christus præstitit unâ oblatione, quia ad omnium sanctificationem hæc una sufficiebat; q. d. : Oblatio ejus semel facta vim habet infinitam, ut et semper sanctificare possit, et sanctitatem conferre semper duraturam. Hic intellige *unam oblationem* primariam et independentem, quâ perficiatur omnis sanctificatio. Quæ autem in cœnâ facta fuit oblatio, dependebat ab eâ quæ in cruce facta est, et non nisi per eam fuit acceptabilis ; sicut et Baptismus et alia Sacramenta, si qua per Christum fuerunt administrata.

VERS. 15. — *Contestatur autem nos et Spiritus sanctus,* id est, testimonium perhibet ejus veritatis, scilicet veteris testamenti sacrificia non potuisse auferre peccata, sed hoc beneficium servari novo testamento, etc.

VERS. 16. — *Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus,* etc. Quod hìc interpres vertit *testabor,* et cap. 8 *disponam,* in Græco idem est verbum : *Testamento disponam.*

VERS. 17. — *Et peccatorum,.... Ubi autem horum* (peccatorum) est *remissio, jam non est oblatio,* etc. *Oblatio,* scilicet, quâ satisfiat pro peccato, quâque lytrum peccatorum condignum persolvatur, pretiumque comparetur, etc. Non excludit hìc Paulus oblationem missæ, quæ æquè ut fides, Baptismus et Pœnitentia, hoc oblationis in cruce peractæ lytrum et pretium nobis iterùm et iterùm applicat, dùm iterùm et iterùm in peccata relabimur.

Habentes itaque, etc., *in sanguine Christi,* id est, per sanguinem Christi, non autem per sanguinem hircorum et vitulorum legis veteris. Cùm igitur, fratres, data sit nobis fiducia et spes bona ingrediendi in Sancta per sanguinem Christi, etc. ; q. d. : In ipso Christi introitu in Sancta sanctorum, id est, in cœlum habemus spem nos etiam in illud introituros.

VERS. 20. — *Quam initiavit nobis viam novam,* etc. Christus ergo nobis *initiâsse* dicitur viam novam ad sancta, quia per eam primus ingressus est, ut nos post eum ingrederemur. *Viam novam,* id est, nullius pede

pli scissum est; quia, carne Christi per mortem scissâ, patuit in cœlum aditus.

Vers. 21. — Et sacerdotem magnum..., id est, habentes Christum sacerdotem verè magnum, æternum, semper paratum ad nos recipiendos et Deo reconciliandos;

Super domum Dei, id est, præpositum, constitutum super totam Ecclesiam, quæ est domus Dei.

Observatio litteralis.

Nota tria bona nobis per Christum data, quibus nos Christiani fruimur, et quibus privantur Judæi. Primum est libertas in Sancta sanctorum, id est, in cœlum introeundi; secundum est via strata et illùc rectà ducens; tertium est Sacerdos magnus, rerum nostrarum apud Deum perpetuus commendator. Hæc tria in superioribus probavit Apostolus; hìc ea paucis resumit, ut illa quasi fundamenta statuat hujusce ad perseverantiam exhortationis; quasi diceret: Christus per *proprium sanguinem* in cœlum introivit, cap. 9, v. 12, et nos per sanguinem Christi jus habemus in cœlum intrandi. Caro Christi oblata in cruce via est quà Christus Pontifex noster ingressus est in cœlum: *Oportuit pati Christum*, etc.; eadem caro pro nobis immolata, mors et passio Christi, via est quà in cœlum debemus ingredi: *Si compatimur, et conregnabimus.* Christus Pontifex noster in cœlum ingressus, *apparet nunc vultui Dei pro nobis*, cap. 9, v. 23; carnem in quâ passus est pro nobis offert continuè Patri suo; interpellans, omniaque pro nobis obiens pontificis munia: his positis et pro fundamento stabilitis,

Vers. 22. — Accedamus cum vero corde, id est, accedamus ad hunc benignum et misericordem Pontificem, corde sincero, cum plenâ et firmissimâ fide.

Aspersi corda, Græcismus est, pro *aspersi cordibus.* Alludit ad aspersionem quâ fiebat legalis purgatio, de quâ cap. 9, v. 13 : aspersi ergo et mundati cordibus, seu secundùm animam,

A conscientia mala, id est, à peccatis, effectu sumpto pro causâ; conscientia enim mala est ob peccata;

Et abluti corpus. Syr. : *Et abluto corpore nostro aquis mundis*, scilicet baptismi, quæ mundant corpus et animam. Aspersionem et aquam mundam vocat baptismum, ait Theodoretus. Aliqui hunc versum 22 intelligunt de catechumenis, quos ad baptismum suscipiendum hortatur Apostolus, versum autem 23 de baptizatis, versum 25 de utrisque.

Vers. 23. — Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem. Syr. : *Et perseveremus in confessione spei nostræ, neque vacillemus.* Spei confessio est fidei professio in baptismo facta; dicitur *spei*, quia spem æternæ vitæ comitem habet : hanc ergo fidei et spei professionem retineamus inconcussam; non vacillemus in eâ. Hoc dixit ut nutantes confirmet et à desertione cohibeat; multi enim à fide defecerant malorum metu.

Fidelis enim est qui repromisit, id est, verax et constans est Deus in promissis suis. Quia spes in Dei promissis fundatur; ut spem Hebræorum vacillantem roboret, eos Dei fidelitatis admonet.

Vers. 24. — Et consideremus invicem : Græc., *alii alios*, etc.; gradatim ascendit Apostolica exhortatio, à fide ad spem, à spe ad charitatem : itaque in spiritu charitatis, alii aliorum actus observemus ad excitationem charitatis, et ad æmulationem bonorum operum, tam activam quàm passivam, ut quasi zelo sancto accensi, et excitemus et excitemur ad dilectionem et

hactenùs calcatam, *et viventem*, id est, permanentem, seu perpetuæ efficaciæ, vigentem semper et florentem, quæ ad vitam æternam ducit. *Viventem*, quia hæc via vivens et animata est caro Christi, et Christus ipse, qui dicat : *Ego sum via, veritas et vita. Caro Christi*, rectè per velum significatur, quia sicut velum operiebat arcana sanctuarii, et tamen ingressum illùc præbebat, ita caro Christi divinitatem obtexit quodammodò. Latebat enim in homine Deus, et tamen per eam ad Deum adducimur. Quò pertinet quòd in morte Christi velum templi scissum est in duas partes, Matth. 27, quia nimirùm carne Christi per mortem conscissâ, patere cœpit aditus in cœlum.

Vers. 21. — *Et sacerdotem magnum super domum Dei*, supple, habentes. Cùm habeamus sacerdotem magnum præfectum domui Dei, hoc est, Christum, quem Deus constituit super totam Ecclesiam, quæ est domus ejus. Intellige sacerdotem adhuc agentem ea quæ sacerdotis sunt, id est, carnem suam in quâ passus est, adhuc offerentem Patri, et in eâ pro nobis interpellantem; denique, qui apud Patrem omnia possit, ut cui Pater omnia dederit in manus. Quæ domus, inquit, sumus nos, id est, fidelium multitudo. Uno nomine *domùs Dei* videtur comprehendere totum Christi regnum; quod partim militat, partim triumphat.

Vers. 22. — *Accedamus cum vero corde. Cor verum*, vocat cor sincerum, correctum. Sensus est : Accedamus ad Deum, vel tendamus ad sancta, purè et sincerè, atque ex animo id agentes quod exteriùs profitemur.

In plenitudine fidei, id est, cum plenâ fide, cum fiduciâ fidei, id est, cum fiduciâ fideli, sive quam parit recta, plena et certa fides. Sensus est : Cum plenâ certissimâque fide promissorum Dei. Fidelis est enim qui promisit.

Aspersi corda, id est, in cordibus et mentibus nostris lustrati sanguine Christi eoque emundati *à conscientiâ malâ*, id est, à peccatis quæ conscientiam malam et vitiosam efficiunt, q. d.: Puris cordibus accedamus ad Deum. *Et abluti corpus aquâ mundâ*, id est, gratiâ Spiritûs sancti. Non enim Apostolus his verbis hortatur ut baptizari se curent, sed ut accedant cum eâ munditiâ quam ex institutione Christi præstat Baptismus corpori adhibitus. Hoc vult Apostolus, priùs esse ut animus mundetur ab effectu peccati, etc.

Vers. 23. — *Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.* Sensus est : Retineamus quoque eam spem et fiduciam quam professi sumus in Baptismo; nec ab eâ professione per diffidentiam declinemus. *Indeclinabilem*, id est, firmam et inconcussam, quæ non vacillet.

Fidelis enim est qui repromisit. Spes nostra, quâ speramus ac confidimus nos ingressuros in sancta cœlestia, nititur fide quâ credimus Deum esse fidelem, id est, veracem et constantem in suis promissis, ut qui mentiri non potest. Promisit autem introitum illum credentibus, sperantibus, benè operantibus, denique perseverantibus.

Vers. 24. — *Et consideremus invicem in provocationem charitatis*, etc. Invicem vos consideretis secundùm ea quibus ad charitatem et bona opera mutuò præstanda provocemini.

ad pia opera. Ferrum ferrum acuit et lapis cum lapide collisus flammam parit. Theodoretus post D. Chrysostomum.

VERS. 25. — NON DESERENTES COLLECTIONEM NOSTRAM... Græc., ἐπισυναγωγὴν, *aggregationem*, seu congregationem *in unum locum*. Per *collectionem* Græci post D. Chrysostomum intelligunt cœtus seu conventus ecclesiasticos. Huic sensui favet quod sequitur : SICUT CONSUETUDINIS EST..., favet etiam et pronomen, ἑαυτῶν quod Latinus interpres traduxit, *nostram;* sed alii significantiùs, *nostram ipsorum*, seu mutuam ; itaque juxta hunc sensum hortatur Apostolus ut non se subtrahant à cœtibus ecclesiasticis, ubi per sacram synaxim et per verbum Dei et preces publicas charitas accenditur. Plerique Latini per *collectionem* intelligunt ipsam fidelium congregationem, seu Ecclesiam ; hortaturque Apostolus ut ab Ecclesiâ per apostasiam non deficiant. Huic sensui favet quod sequitur, v. 26 : *Voluntariè enim peccantibus....* quod de apostasiâ à fide intelligi probabilius est. Uterque sensus connexus est et unus alteri subordinatus ; nam desertio conventuum ecclesiasticorum est quoddam defectionis initium ; et qui ab illis sese subducunt, facilè, urgente persecutione, Ecclesiam deserunt ; hinc Apostolus utitur verbo utrique convenienti. Hortatur itaque Apostolus ut hos fidelium cœtus publicos non negligant, sive ob metum, sive ob desidiam, multò minùs à fide deficiant, sicut solent et audent quidam.

SED CONSOLANTES : Syr., *sed adhortamini* : sed potiùs vosmetipsos ad invicem adhortamini ad patientiam et perseverantiam, consolantes vos in spe retributionis propinquæ.

QUANTO MAGIS VIDERITIS APPROPINQUARE DIEM. Syr., *diem illum*, id est, diem judicii, diem mortis, diem retributionis æternæ ; quasi diceret : *Ecce appropinquat redemptio vestra.*

VERS. 26. — VOLUNTARIÈ ENIM PECCANTIBUS NOBIS... Quæ dixit supra de professione retinendâ, de collectione non deserendâ, indicant hìc Apostolum loqui de peccato apostasiæ : *Teneamus spei nostræ confessionem..: non deseramus collectionem nostram..; voluntariè enim..*, id est : Nobis enim scienter et voluntariè, scilicet POST ACCEPTAM NOTITIAM VERITATIS christianæ ; *nobis*, inquam, Hebræis sic *peccantibus*, id est, deficientibus, seu apostatantibus à Christianismo et ad Judaismum redeuntibus : loquitur enim Hebræis, ἐξ quorum est numero :

JAM NON RELINQUITUR PRO PECCATIS HOSTIA, id est : In tali statu, nulla nobis spes est veniæ, quia nec prodest nobis Christus, quem abnegavimus ; nec alter proderit Messias, qui nullus est ; nec legis proderunt sacrificia, quæ, ut hactenùs probatum est, infirma sunt et justificare non valent, et aliundè abrogata sunt

Notanda ad intelligentiam.

Tria in his verbis notanda. Primum, quòd Hebræis loquatur et quidem *fide illuminatis, qui et gustaverunt*, seu experientiâ cognoverunt *bonum Dei verbum*, ut dixit cap. 6, et postea scienter et voluntariè deficiant à fide, sicque omni carent excusatione ; secundum, quòd Apostolus non dicat : iis qui peccaverunt, sed : Peccantibus, id est, *in* peccato sine resipiscentiâ permanentibus, ait Theophylactus ; tertium, quòd dicat in tali statu *non relinqui hostiam pro peccatis*, non autem pro peccato : et hâc locutione Apostolus indicat mentem suam non esse quòd pro apostasiæ peccato non sit hostia, seu spes veniæ ; potest enim talis peccator pœnitere, sed quòd supradicto Hebræo, in hoc apostasiæ statu permanenti, nulla relinquatur pro peccatis suis, sive præteritis, sive futuris, hostia, quia legales hostiæ quæ omnibus quidem Hebræis ad hoc sunt inutiles, huic eò sunt inutiliores quò veritatis christianæ lumine fuit instructior, sicque nullâ ignorantiâ excusabilis.

VERS. 27. — TERRIBILIS AUTEM EXPECTATIO JUDICII ET IGNIS..., id est, tali Hebræo, in tali statu, relinquitur expectandum terribile Dei judicium, *et ignis* ÆMULATIO : Græc., *zelus;* per prosopopœiam ignis infernalis exhibetur quasi vivus et animatus, zelo gloriæ Dei talem apostatam majori quo potest ardore comburens.

Æmulatio hæc est vis seu vehementia ignea activitatis, flatu Dei seu omnipotentiâ Dei excitatæ.

QUÆ CONSUMPTURA EST : Græc., *devorare futuri* (ignis scilicet) ; Syr. : *Qui devoraturus est.* De hoc igne seu æmulatione ignis loquitur quasi de ferâ pessimâ, seu belluâ exacerbatâ, ait Theophylactus.

VERS. 28. — IRRITAM QUIS FACIENS LEGEM MOYSI... Syr.: *Si enim qui transgressus est*, etc. Probat à minori ad majus talis apostatæ horrendum fore judi-

VERS. 25. — *Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam.* Quasi dicat : Non alienantes vos à cœtibus ad quos Christiani mutuò conveniunt. *Sicut consuetudinis est quibusdam.* Insinuat Apostolus aliquos tepidiores et torpidiores à fide et Ecclesiâ Christi metu Judæorum defecisse, ut notat Theodoretus....

Et tanto magis quanto videritis appropinquantem diem. Diem autem intelligit adventûs Domini, seu futuræ retributionis, cujus certâ expectatione vult ut se mutuò consolentur.

VERS. 26.—*Voluntariè enim peccantibus nobis*, etc., q. d. : Voluntariè peccantibus, peccato scilicet apostasiæ, sive desciscentibus voluntariè à Christo et collectione nostrâ, id est, Ecclesiâ : *non relinquitur*, id est, ægrè et vix relinquitur, hostia pro peccato, quâ peccatum illud expietur, tum quia tales apostatæ planè indigni sunt veniâ, tum quia suâ certâ malitiâ et infidelitate claudunt fontes divinæ misericordiæ.

VERS. 27. — *Terribilis autem quædam expectatio judicii. Terribilis*, formidabilis, ad expectationem pertinet, pro eo quod diceret : Sed relinquitur expectandum terribile judicium. Ubi nomine *judicii* damnatio seu punitio videtur intelligenda.

Et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Ignis, zelus et *æmulatio*, vocat ignis vehementiam et impetum ulciscendi, etc.

VERS. 28. — *Irritam quis faciens legem Moysi*, etc., id est, cùm quis legem contempserit, violaverit et transgressus fuerit.

cium : si enim qui transgressus est legem Moysis, crimine scilicet capitali,

SINE ULLA MISERATIONE, id est, irremissibiliter, interficitur.

DUOBUS VEL TRIBUS..., si duo vel tres testes illud coram judice probaverint ; alii : Si quis legem mosaicam rejecerit et ad deos alienos transierit, *sine ullâ miseratione*, etc.

VERS. 29. — QUANTO MAGIS PUTATIS DETERIORA..... Græc.: *Quantò putatis deteriore dignus judicabitur supplicio*, etc. ; Syr.: *Quantò majus putatis supplicium capitale recipiet*, etc., qui scilicet per suam apostasiam tria simul gravissima commisit peccata :

FILIUM DEI, Jesum Christum, abjecit, et pedibus CONCULCAVIT tanquàm vilem et inutilem,

ET SANGUINEM TESTAMENTI, id est, et sanguinem Christi, in quo fœdus de novo sancitum est inter Deum et homines,

IN QUO SANCTIFICATUS EST, id est, et per quem, seu per cujus meritum in baptismo à peccatis mundatus est, et gratiâ Dei sanctificatus ;

POLLUTUM DUXERIT, id est, velut rem profanam ac sordidam contempsit. *Pollutum* ; Græc., *communem* ; Syr. : *Tanquàm cujuslibet hominis*, id est, nihil habentem singulare, sed instar cujusvis sanguinis.

ET SPIRITUI GRATIÆ CONTUMELIAM... Græc. : *Spiritum gratiæ contumeliâ afficiens* ; idem Syr. ; id est, et Spiritum sanctum, gratiæ auctorem, quem summo Dei beneficio receperat, contumeliâ affecit, suæ scilicet vocationis et justificationis donum nullius æstimans pretii. Hæc apostolica exaggeratio ad apostasiæ quidem crimen propriè pertinet ; non malè tamen accommodari potest cuilibet peccatori post baptismum aut pœnitentiam in grave peccatum voluntariè recidenti, qui suo modo hæc tria committit : *Filium Dei conculcat*, etc. Reverà D. Chrysostomus de quolibet Christiano voluntariè et graviter peccante, hæc omnia supradicta interpretatur, cui ait non relinqui hostiam, id est, secundum baptisma in quo rursùs immoletur Christus ; hunc versiculum 26 cap. 10 explicans sicut versiculum 6 cap. 6. Ipsum sequuntur Theodoretus, Theophylactus, D. Anselmus, D. Thomas. Sed expositio supra posita videtur naturalior, textui et scopo Apostoli conformior. Quia enim, ut in præfatione dictum est, hanc Epistolam Apostolus scripsit præcipuè ad Hebræos in fide confirmandos, et ad eorum à fide defectionem impediendam, convenienter suam moralitatem dirigit in crimen apostasiæ ; à quo deterret tum enormitatis illius exaggeratione, tum quia taliter deficientibus Hebræis nec hostia nec venia, sed terribilis manet ultio Dei.

VERS. 30. — SCIMUS ENIM (nos Hebræi sacris Scripturis instructi) QUI DIXIT : MIHI VINDICTA ; Deuter. 32, v. 35, *mihi vindicta competit*, ET EGO *rependam in tempore*.

ET ITERUM, id est, scimus etiam ibidem scriptum esse : QUIA JUDICABIT DOMINUS POPULUM SUUM. Hinc igitur agnoscamus qualis futura sit eorum punitio qui veritate rejectâ tam graviter in Filium Dei peccant.

VERS. 31. — HORRENDUM EST (talibus scilicet commissis criminibus) INCIDERE IN MANUS DEI VIVENTIS, et ideò peccata videntis, sentientis, dignè et in æternum punientis. Homo, quia mortalis, ultionem ultra mortem non potest extendere ; Deus autem, quia vivit et in æternum vivit, potest semper et semper in æternum punire. Ad hæc attendite ; et attendentes, à tali lapsu horrete ; qui Deum pro se morientem spreverit, Deum viventem pavebit ; qui victimam misericordiæ Christum contempserit, et ipse æterna erit victima justitiæ Dei viventis.

VERS. 32. — REMEMORAMINI PRISTINOS DIES. Syr. : *In memoriam itaque revocate primos illos dies*, etc. D. Apostolus, ubi medicorum more secuit et per incisionem dolorem auxit, mitioribus medicamentis dolorem mitigat, ait D. Joannes Chrysostomus, terrorem gehennæ lenit commemoratione propriæ ipsorum fortitudinis : *Rememoramini...*, id est, in memoriam vobis revocate pristinos conversionis vestræ dies.

IN QUIBUS ILLUMINATI, fidei lumine per baptismum,

MAGNUM CERTAMEN, id est, pro hâc fide tuendâ, omnis generis adversa forti tolerâstis animo : hæc mala specificat in versu sequenti.

VERS. 33. — ET IN ALTERO QUIDEM, Græc., *hoc quidem*, seu partim quidem, OPPROBRIIS, seu conviciis et contumeliis ;

ET TRIBULATIONIBUS, id est, et afflictionibus corporeis,

SPECTACULUM FACTI. Græc. : *In theatrum producti*, id

VERS. 29. — ... *Spiritui gratiæ contumeliam fecerit. Spiritum gratiæ* vocat Spiritum sanctum gratiæ auctorem. Nam gratuita Dei dona in Scripturis appropriatè tribuuntur Spiritui sancto. *Gratia* potissimùm hic intelligatur beneficium vocationis ad fidem christianam.

VERS. 30. — *Scimus enim qui dixit*, q. d : Vobis loquor Hebræis, qui in lege et Scripturis instituti, mecum nostis eum qui dixit. Scitis hanc esse Dei vocem.

Mihi vindicta et ego retribuam, q. d : Ut sciatis tales apostatas gravissimè puniendos, scitote et cogitate Deum esse terribilem, utpote qui dixit, Deuter. 32 : *Mihi vindictam*, scilicet reservo.

Et iterùm : *Quia judicabit Dominus populum suum. Et iterùm*, subaudi : Scimus scriptum esse.

VERS. 31. — *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Vivens est Deus quia immortalis et æternus in perpetuum vivit et viget, ut nunquàm ipsius oculos, memoriam aut manus effugere possis. Ita Theophyl.

VERS. 32. — *Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati*, etc. id est, baptizati. Nam baptisma veteribus dicebatur sacramentum illuminationis. Sensus : Recordamini pristini temporis, quando primùm facti Christiani dura et ardua pro Christi nomine certamina sustinuistis, fortiter ferendo afflictiones à persecutoribus illatas.

VERS. 33. — *Et in altero quidem, opprobriis et tribulationibus spectaculum facti*, id est, publicè infamati, ab omnibus quasi in theatro irrisi estis.

In altero autem, socii taliter conversantium effecti.

est : Coram omnibus in theatris publicis ad ludibrium expositi fuistis. Duo malorum genera in semetipsis tolerârunt Hebræi. Primò, infamati sunt et quasi rei plectendi, publicè per theatrum traducti et ab omnibus irrisi ; secundò, bonis suis spoliati sunt et tribulationibus afflicti. Gravis res est opprobrium, et idonea ad animam subvertendam, ait D. Chrysostomus, sed multò gravior quando coram omnibus quis exprobratur ; gravissima quando publicè quis irridetur simul et tribulatur, et à tribulante irridetur. Hæc autem omnia exprimit Apostolus dicens : *Opprobriis et tribulationibus spectaculum facti.*

In altero autem ; Græc., *hoc autem*, seu partim verò taliter conversantium socii : Græc., *communicantes* ; Syr. : *Et consortes fuistis hominum qui talia pertulerunt* ; id est : Et per compassionem communicâstis aliis hæc malorum genera patientibus, iisque intrepidè succurristis, necessaria suppeditando. Itaque Hebræi pro fide et in se realiter passi sunt, et in aliis per charitatem compassi sunt, quod clariùs in versu sequenti ordine inverso :

Vers. 34. — Nam et vinctis. Græc. : *Etenim vinculis meis* ; et ita S. Chrysostomus : δεσμοῖς μου, sed Syr. et noster interpres δεσμίοις legerunt, id est, fidelibus propter fidem incarceratis. Gravem persecutionem Judæi Christiani Jerosolymis passi sunt post mortem D. Stephani, de quâ Act. 11, 19.

Et rapinam bonorum vestrorum ; Græc. : *Subsistentium vestrorum*, seu substantiarum, id est, bonorum etiam ad subsistentiam necessariorum.

Cum gaudio, quia fide sciebatis vos meliorem habere substantiam, firmam, stabilem, et quæ perire non potest, Deum nempe et æterna Dei bona, in quem jus habet qui persecutionem patitur propter justitiam.

Vers. 35. — Nolite itaque amittere confidentiam : Græc., *fiduciam* ; per metonymiam, quâ ponitur actus pro objecto, id est : Ne perdatis itaque thesauros tot laboribus et præliis acquisitos, et quos confidistis recepturos in cœlis tanquàm mercedis retributionem.

Vers. 36. — Patientia vobis necessaria est, id est, ut explicat D. Chrysostomus : Uno solo vobis opus est, ut perseveretis, *patientia*, longanimitas, *vobis necessaria est*, ut postquàm usquè in finem Dei voluntatem feceritis, participes sitis bonorum cœlestium promissionis.

Vers. 37. — Adhuc enim modicum aliquantulum... Hæc verba desumpta sunt ex Abacuc, cap. 2, v. 3, id est : citò, citò veniet Christus ad judicium, præmia perseverantibus, pœnas deficientibus repensurus. Comparatione æternitatis, quâ remuneratio durabit, omne tempus finitum breve est et instar puncti. *Mille anni in conspectu Dei, tanquàm dies hesterna quæ præteriit*, psal. 89, 4.

Vers. 38. — Justus autem meus. Græc. : *At justus ex fide vivet*. Syr. : *Cæterùm justus ex fide meâ ipsius vivet. Justus meus*, id est, qui per gratiam meam justus est et rectus.

Ex fide vivit, id est, verâ animæ vitâ vivit ex fide, in fide et per fidem. Vita gratiæ incipit à fide, crescit in fide, perficitur per fidem, per quam in mediis tribulationibus respirat, gaudet, proficit.

Quod si subtraxerit se, id est : Quòd si per pusillanimitatem *se subtraxerit à fide*, non placebit animæ meæ, Græc. : *Non benè gaudet anima mea in eo* ; Syr. : *Non erit gratus animæ meæ.*

Vers. 39. — Nos autem non sumus subtractionis, id est : Non sumus ex iis qui se per ignaviam subducunt à fide ad perditionem suam, sed fidei, id est, sed ex eis qui constanter credunt et fortiter ferunt ad æternam animæ salutem.

Participes autem in eo quòd aliis patientibus condolebant, et tam rebus quàm verbis solatium afferebant.

Vers. 34. — *Nam et vinctis compassi estis.* Et doluit vobis propter eos qui erant vincti.

Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cùm scilicet bona vestra publico magistratûs Judaici edicto, eò quòd Christiani essetis, fisco addicta sunt.

Cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam, id est, in cœlis.

Vers. 35. — *Nolite itaque amittere confidentiam vestram*, q. d. : Magnas spes, magnas opes habetis repositas apud Deum in cœlis ; nolite eas abjicere et profundere per pusillanimitatem, impatientiam, etc.

Quæ magnam habet remunerationem. Simul intelligi vult opera ex fiduciâ ac spe cœlestium bonorum profecta, cujusmodi erant opera patientiæ jam commemorata.

Vers. 36. — *Patientia enim vobis necessaria est.* Patiens expectatio, cùm videlicet spe præmii fortiter mala sustinemus.

Ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem, id est, ut cùm feceritis et compleveritis usque ad finem voluntatem Dei, quæ est ut perseveretis et crescatis in fide, patientiâ et charitate Christi, tunc reportetis promissam vobis substantiam et opes in cœlis.

Vers. 37. — *Adhuc enim modicum aliquantulum*, etc., id est, post modicum tempus, brevi et citò veniet.

Vers. 38. — *Justus autem meus ex fide vivit.* Justus in fide suâ vivet. Est enim eades fidem et ipsius justi, qui credit assensu suo, et Dei, in quem credit, et quo donante habet ut credat. Idem quoque est, *in fide et ex fide*. Rectè etiam ex personâ Dei dicitur, *justus meus*, hoc est, per gratiam meam justus factus. Apostolus hoc loco præcipuè spectat illud officium fidei, quod est erigere, sustentare et solari hominem in mediis malis, ne in iis ferendis fatigetur ac deficiat, sed cum patientiâ duret usque in finem donec apprehendat bona promissa.

Quòd si subtraxerit se, non placebit animæ meæ, non complacet anima mea in ipso, id est, non mihi placebit. Est igitur observanda latens antithesis inter eum qui credit et sustinet, et per hoc justus est Deoque placens, et eum qui non credit, ideòque subtrahit se, et per hoc injustus est, ac Deo displicens.

Vers. 39. — *Nos autem non sumus subtractionis filii*, etc. *Filii subtractionis*, id est, incredulitatis, sunt filii Belial, id est, sine jugo, qui à jugo fidei et obedientiæ se subtrahunt et subducunt. *In perditionem*, q. d. : Si subtrahamus nos à fide Christi, imus in perditionem et gehennam. *Sed fidei*, supple, filii sumus, id est, fideles sumus, credentes et sperantes in Christum. *In acquisitionem* sive *possessionem animæ*, id est, salutem animarum nostrarum, ut scilicet anima nostra fiat possessio Christi, utque nos ipsi animam nostram in hâc vitâ inchoatè per patientiam, sed in futurâ plenissimè et felicissimè possideamus eam per gloriam in æternâ beatitudine. Ita Anselm.

Corollarium dogmaticum et pium, seu in hoc capite ad fidem et ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

1° Tota lex Mosaica fuit Christi et Evangelii velut umbratilis repræsentatio; annuum, v. g., expiationis sacrificium fuit cruenti crucis sacrificii in peccatorum omnium expiationem futuri figura; juge seu quotidianum sacrificium in quo unus agnus offerebatur mane, et alius vespere, Num. 28, figurabat Christum, Agnum Dei immaculatum, ab originè mundi occisum. Hinc per se Deo non placuerunt hæc carnalia sacrificia, sed ut Christi figuræ; v. 5 et 6; hinc, Christo præsente, Deo non placuerunt, v. 5, 6; hinc non justificabant offerentem nisi per fidem in Christum quem figurabant, v. 1; hinc Judæi Deum per sua legalia colentes, in Christum aspicere debebant; sine quo respectu, nec Deo placebant, nec salutem assequebantur: *Nec enim fuit* unquàm *aliud sub cœlo datum, in quo oporteat nos salvos fieri.* Christus itaque fons est salutis omnibus omninò hominibus, sive præcesserint, sive subsecuti sint; Christus ergo centrum est religionis, in quod confluere et convenire debent omnes veri cultores Dei, extra quod nullus verus Dei cultus. In eum venturum credere debuerunt Judæi; in eum pro nobis natum et mortuum credere debent omnes unquàm futuri. Sed quàm facilior hæc fides nobis Christum in Evangelio intuentibus, quàm Judæis in umbrâ tantùm cernentibus? Deo itaque æternas age gratias, qui tibi claram dedit, non umbratilem Christi cognitionem; qui te ad hæc tempora reservavit, in quibus Christus clarè cognitus, palàm adoratus, religio solidè stabilita, salus facilis, si Christo credas, si juxta Christum vivas.

2° Christus, qui religionis centrum est et religionis exemplar, in ipso primo incarnationis suæ momento, religiosæ dedit nobis vitæ et mortis exemplum: *Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam*, v. 7, 9. Quibus verbis et totam suam vitam Dei voluntati faciendæ consecrans, et mortem juxta Dei voluntatem acceptans, religiosæ nobis dedit vitæ et mortis exemplar; docuit enim nos, et vitam nostram Dei faciendæ voluntati consecrare, et mortem Dei voluntati obedientes acceptare.

Habes in commentario, v. 7, modum te, vitamque tuam Deo, in Christo, cum Christo et per Christum, quotidiè manè offerendi: hìc disce modum quotidiè, sive vesperi, sive de die, in missâ, sive post missam, in gratiarum actionem, mortem acceptandi ex obedientiâ, illamque in Christo, cum Christo et per Christum offerendi Deo ad expiationem peccatorum tuorum; ut illis per Christi sanguinem expiatis, in æternum vivas Deo. Christus à primo vitæ suæ instanti usque ad ultimum fuit peccatorum tuorum victima, quid æquius quàm ut tandem tuorum peccatorum cum illo sis victima, Deoque cum illo ad abolenda peccata tua sacrificeris?

Christe Jesu, peccatorum meorum victima, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, patere ut ego peccatorum meorum victima sim, mortemque meam sanctissimæ morti tuæ conjungam; da ut in spiritu tuo, in spiritu charitatis et obedientiæ moriens, me peccatorem, tecum Agno immaculato, per Spiritum sanctum Deo offeram in peccatorum meorum expiationem. Per passionem et mortem Christi, Filii tui, ô Deus magne, Deus sancte, Deus misericors, miserere meî; miserere meî, reum me fatcor; mortem merui, mortem accepto, mortem meam sanctissimæ Christi mort unitam offero tibi in peccatorum meorum luitionem.

Per Christum pro me morientem, parce mihi pro peccatis meis cum Christo libenter morienti.

3° Oblatio Christi voluntaria in sinu matris, à primo vitæ instanti inchoata, in præsepe statim à nativitate confirmata, in cruce tandem consummata, fuit sacrificium infiniti, et plus quàm infiniti valoris et meriti, ob dignitatem divinam offerentis et oblati, et ob charitatem divinam quâ semetipsum Christus obtulit, cap. 9, v. 14; hoc ergo unico sacrificio cruento omnia peccata Christus *exhausit*, cap. 9, v. 28; omnes, quocumque tempore, præsenti, præterito, futuro, sanctificatos, aut sanctificandos, sanctitate et justitiâ *consummavit*. Vide v. 14 hujus capitis. Hinc ne cum hæreticis inferas: Ergo inutile sacrificium Missæ; hoc, inquam, ne inferas, quia Christus per cruentam sui corporis immolationem ita nobis peccatorum remissionem et Dei gratiam meruit, ut per incruentam ejusdem corporis immolationem et realem manducationem hæc nobis applicari et conferri voluerit. Vide dicta v. 3 et v. 14.

Hic addo quòd sicut in omni sacrificio (holocaustum excipio) duæ partes erant, scilicet immolatio victimæ, et communio seu participatio, quam offerens et is pro quo offerebatur habebant cum victimâ, sic et in Christi sacrificio sacrificium crucis est immolatio Christi, Eucharistia est istius sacrificii communio, participatio; per eam enim communicatur victimæ crucis usque ad consummationem seculi. Idem itaque sacrificium, eadem victima duobus modis oblata; et quâ Christus perficit in uno quod inchoavit in altero. In cruce Christus salutem nostram inchoavit, nobis per sanguinem suum meruit gratiam et justitiam; in altari Christus salutem nostram perficit, gratiam et justitiam nobis per Eucharistiam confert. In altari igitur et in cruce non aliter Christus à Christo separandus quàm sol à radiis: sol omnia operatur in terris, at per radios; Eucharistia, quasi radius crucis.

4° In lege quatuor erant sacrificiorum genera, in v. 5 et 6 notata; oblatio, holocaustum, pro peccato, pacificorum. Vel enim, ut ait D. Thomas, sacrificium erat de inanimatis, pane, thure, etc., et dicebatur oblatio; vel de animatis, idque vel ad placandum Deum, et dicitur holocaustum, quod erat dignissimum, quia totum cremabatur in honorem Dei; vel pro expiatione peccati, et dicitur sacrificium pro peccato: hujus autem sacrificii una pars comburebatur, altera cedebat in usum ministrorum: vel erat

pro beneficiis Dei, et illud erat minùs dignum, quia tertia tantùm pars comburebatur, et ministris dabatur una, alia offerentibus; et istud dicitur sacrificium pacificorum. Figuræ erant quatuor diversorum religionis officiorum; adorationis, gratiarum actionis, expiationis, petitionis, quæ omnia nunc exercemus per unum Christi sacrificium. Hinc perperàm hæretici ex frequenti eucharistici sacrificii repetitione, illius inferunt inefficaciam; efficacissimum est enim sacrificium illud, per quod omnem religionis actum exercemus, omnibusque nostris debitis erga Deum satisfacimus. Sacrificium quippe missæ, non tantùm est expiatorium, seu pro peccato; sed et holocaustum est in honorem Dei, et eucharisticum; et sacrificium pacificorum, seu pro beneficiis Dei. Illud igitur offerimus jugiter ut peccata quidem expiemus quæ de novo jugiter committimus: at præterea jugiter illud offerimus ut Deo gratias pro beneficiis agamus, ut ab eo nova beneficia impetremus, ut illum continuè et infinitè honoremus. Hinc benè vocatum est religionis sacrificium, per quod omnis exercetur religionis actus. Vide in fine capitis noni modum hos actus exercendi in Christo, cum Christo, per Christum.

CAPUT XI.

1. Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.

2. In hâc enim testimonium consecuti sunt senes.

3. Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.

4. Fide plurimam hostiam Abel quàm Caïn obtulit Deo; per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo, et per illam defunctus adhuc loquitur.

5. Fide Henoch translatus est ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus; ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo.

6. Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.

7. Fide Noe, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domûs suæ, per quam damnavit mundum: et justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus.

8. Fide qui vocatur Abraham, obedivit in locum exire quem accepturus erat in hæreditatem: et exiit, nesciens quò iret.

9. Fide demoratus est in terrâ repromissionis, tanquàm in alienâ, in casulis habitando, cum Isaac et Jacob, cohæredibus repromissionis ejusdem.

10. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem; cujus artifex et conditor Deus.

11. Fide et ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis; quoniam fidelem credidit esse eum qui repromiserat.

12. Propter quod et ab uno orti sunt (et hoc emortuo), tanquàm sidera cœli in multitudinem, et sicut arena quæ est ad oram maris, innumerabilis.

13. Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram.

14. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere.

15. Et si quidem ipsius meminissent de quâ exierunt, habebant utique tempus revertendi;

16. Nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem. Ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum; paravit enim illis civitatem.

CHAPITRE XI.

1. Or, la foi est le fondement des choses que l'on doit espérer, et une pleine conviction de celles qu'on ne voit point.

2. Car c'est par la foi que les anciens pères ont reçu un témoignage si avantageux dans l'Ecriture.

3. C'est par la foi que nous savons que le monde a été fait par la parole de Dieu; et que d'invisible qu'il était auparavant, il est devenu visible.

4. C'est par la foi qu'Abel offrit à Dieu une plus excellente hostie que Caïn; et qu'il est déclaré juste, Dieu lui-même rendant témoignage à ses dons; et c'est à cause de sa foi qu'il parle encore après sa mort.

5. C'est par la foi qu'Énoch a été enlevé pour ne pas mourir; et on ne l'a plus vu, parce que Dieu l'avait transporté ailleurs: car l'Ecriture lui rend témoignage, qu'avant d'avoir été ainsi enlevé, il plaisait à Dieu.

6. Or, il est impossible de plaire à Dieu sans la foi; car pour s'approcher de Dieu, il faut croire premièrement qu'il y a un Dieu, et qu'il récompense ceux qui le cherchent.

7. C'est par la foi que Noé ayant reçu avertissement du ciel, et appréhendant ce qu'il ne voyait pas encore, bâtit l'arche pour sauver sa famille; et la bâtissant, condamna le monde, et devint héritier de la justice qui naît de la foi.

8. C'est par la foi que celui qui a reçu le nom d'Abraham obéit à Dieu, en s'en allant dans la terre qu'il devait recevoir pour héritage; et qu'il partit sans savoir où il allait.

9. C'est par la foi qu'il demeura dans la terre qui lui avait été promise, comme dans une terre étrangère, habitant sous des tentes, comme firent aussi Isaac et Jacob, héritiers d'une même promesse.

10. Car il attendait cette cité bâtie sur un fondement dont Dieu même est le fondateur et l'architecte.

11. C'est aussi par la foi que Sara étant stérile reçut la vertu de concevoir dans son sein, lorsqu'elle n'était plus en âge d'en avoir; parce qu'elle crut fidèle celui qui le lui avait promis.

12. C'est pourquoi il est sorti d'un homme seul, et qui était déjà comme mort, une postérité aussi nombreuse que les étoiles du ciel, et que le sable innombrable qui est sur le bord de la mer.

13. Tous ceux-ci sont morts dans la foi, sans avoir reçu l'effet des promesses; mais les voyant, et les saluant de loin, et confessant qu'ils étaient étrangers et voyageurs sur la terre.

14. Car ceux qui parlent de la sorte font voir qu'ils cherchent leur patrie.

15. Que s'ils avaient eu dans l'esprit celle dont ils étaient sortis, ils auraient eu assez de temps pour y retourner;

16. Mais ils en désiraient une meilleure, qui est la patrie céleste. Aussi Dieu ne rougit point d'être appelé leur Dieu, parce qu'il leur a préparé une cité.

17. Fide obtulit Abraham Isaac cùm tentaretur, et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones,

18. Ad quem dictum est : Quia in Isaac vocabitur tibi semen.

19. Arbitrans quia et à mortuis suscitare potens est Deus; unde eum et in parabolam accepit.

20. Fide et de futuris benedixit Isaac, Jacob et Esau.

21. Fide Jacob moriens singulos filiorum Joseph benedixit; et adoravit fastigium virgæ ejus.

22. Fide Joseph moriens de profectione filiorum Israel memoratus est, et de ossibus suis mandavit.

23. Fide Moyses natus occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eò quòd vidissent elegantem infantem, et non timuerunt regis edictum.

24. Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis,

25. Magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem.

26. Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem.

27. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis; invisibilem enim tanquàm videns sustinuit.

28. Fide celebravit Pascha, et sanguinis effusionem; ne qui vastabat primitiva, tangeret eos.

29. Fide transierunt mare Rubrum tanquàm per aridam terram; quod experti Ægyptii devorati sunt.

30. Fide muri Jericho corruerunt, circuitu dierum septem.

31. Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.

32. Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel et prophetis;

33. Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum,

34. Extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum;

35. Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem;

36. Alii verò ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres,

37. Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt; circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti;

38. Quibus dignus non erat mundus : in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terræ.

39. Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem,

17. C'est par la foi qu'Abraham, lorsque Dieu voulut le tenter, lui offrit Isaac son fils unique : et quoiqu'il eût reçu en lui les promesses,

18. Et qu'il eût été dit : C'est d'Isaac que sortira la race qui portera votre nom.

19. Mais il pensait en lui-même que Dieu pourrait bien le ressusciter après sa mort : et ainsi il le recouvra pour servir de figure.

20. C'est par la foi qu'Isaac donna à Jacob et à Esaü une bénédiction qui regardait l'avenir.

21. C'est par la foi que Jacob, en mourant, bénit chacun des enfants de Joseph, et qu'il s'inclina profondément devant le bâton de commandement que portait son fils.

22. C'est par la foi que Joseph, en mourant, parla de la sortie des enfants d'Israël hors de l'Égypte; et qu'il ordonna qu'on en transportât ses os.

23. C'est par la foi qu'après que Moïse fut né, son père et sa mère le tinrent caché durant trois mois, ayant vu que c'était un bel enfant; ils n'appréhendèrent point l'édit du roi.

24. C'est par la foi que lorsque Moïse fut devenu grand, il renonça à la qualité de fils de la fille de Pharaon,

25. Et qu'il aima mieux être affligé avec le peuple de Dieu que de jouir du plaisir si court qui se trouve dans le péché;

26. Jugeant que l'ignominie de Jésus-Christ était un plus grand trésor que toutes les richesses de l'Égypte, parce qu'il envisageait la récompense.

27. C'est par la foi qu'il quitta l'Égypte, sans craindre la fureur du roi; car il demeura ferme, comme s'il eût vu le Dieu invisible.

28. C'est par la foi qu'il célébra la Pâque, et qu'il fit l'aspersion du sang de l'agneau, afin que l'ange, qui tuait les premiers nés, ne touchât point aux Israélites.

29. C'est par la foi qu'ils passèrent au travers de la mer Rouge, comme sur la terre ferme; au lieu que les Egyptiens, ayant voulu tenter le même passage, furent engloutis dans les eaux.

30. C'est par la foi que les murailles de Jéricho tombèrent par terre, après qu'on en eut fait le tour sept jours durant.

31. C'est par la foi que Rahab, auparavant courtisane, ayant sauvé les espions de Josué qu'elle avait reçus chez elle, ne fut point enveloppée dans la ruine des incrédules.

32. Que dirai-je davantage? Le temps me manquera, si je veux parler encore de Gédéon, de Barac, de Samson, de Jephté, de David, de Samuel et des prophètes,

33. Qui par la foi ont conquis les royaumes, ont accompli les devoirs de la justice, ont reçu l'effet des promesses, ont fermé la gueule des lions,

34. Ont arrêté la violence du feu, ont évité le tranchant des épées, ont été guéris de leurs maladies, ont été remplis de force et de courage dans les combats, ont mis en fuite les armées des étrangers,

35. Et ont rendu aux femmes leurs enfants morts, les ayant ressuscités. Les uns ont été cruellement tourmentés, ne voulant point racheter leur vie présente, afin d'en trouver une meilleure dans la résurrection :

36. Les autres ont souffert les moqueries et les fouets, les chaînes et les prisons.

37. Ils ont été lapidés, ils ont été sciés, ils ont été éprouvés en toute manière, ils sont morts par le tranchant de l'épée : ils étaient errans, couverts de peaux de brebis et de peaux de chèvres, étant abandonnés, affligés, persécutés,

38. Ceux dont le monde n'était pas digne erraient dans les déserts et dans les montagnes, et se retiraient dans les antres et dans les cavernes de la terre.

39. Cependant toutes ces personnes, à qui l'Écriture rend un témoignage si avantageux à cause de leur foi, n'ont point reçu la récompense promise;

40. Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.

40. Dieu ayant voulu, par une faveur singulière qu'il nous a faite, qu'ils ne reçussent qu'avec nous l'accomplissement de leur bonheur.

ANALYSIS.

Ut Hebræos Apostolus, juxta scopum suum, in fide Christi corroboret, eosque ad omnia fortiter ferenda propter fidem servandam animet,

V. 1, *declarat quid sit fides.*

V. 2, *asserit omnes antiquos fidem habuisse, et ob eam in Scripturis laudatos fuisse.*

V. 3, *ipsis Hebræis et omnibus fidelibus insinuat tantam fidei necessitatem, ut sine ipsâ nec prima Scripturæ verba :* In principio Deus fecit cœlum et terram, *possumus intelligere.*

V. 4, *incipiens ab Abel, et usque ad prophetas descendens, ostendit omnes sanctos per fidem mira gessisse, et ob fidem horrenda fortiter passos esse.*

V. 33 *et sequentibus, mirâ brevitate et eloquentiâ, sanctorum gesta et passiones exprimit.*

Tandem v. 39 *et* 40, *notat Apostolus quòd licèt hi omnes tanta fecerint et passi fuerint, promissam tamen mercedem non sunt, sine nobis Christianis, nisi per spem, consecuti.*

Diutiùs fuit illis expectanda : adest verò nobis ; nunc enim patet aditus cœlorum : nos ergo pudeat si fuerimus pusillanimes.

PARAPHRASIS.

1. Dixi justum ex fide vivere : à nobis igitur agnoscenda hæc virtus à quâ nascitur justitia, quæ est præsens animæ vita, et cui promissa est æterna vita. Est autem fides certa et firma rerum quas speramus in intellectu nostro subsistentia, et rerum sensibus non conspicuarum demonstratio, seu convictio, ex verbo Dei scilicet.

2. Per hanc vixerunt omnes antiqui patres qui justi fuerunt ; etenim ob illam testimonium justitiæ consecuti sunt à Deo, in sacris nimirùm Scripturis.

3. Nobis autem non minùs quàm illis necessaria est hæc virtus, sine quâ nec prima Scripturæ verba concipimus ; per fidem enim intelligimus mundum solo Dei constructum imperio ; sic autem constructum, ut ex informi priùs et invisibili, excultus, ornatus et visibilis factus fuerit.

4. Dixi patres antiquos per fidem consecutos esse justitiæ testimonium. Abel primus omnium hinc justi cognomen habuit ; per fidem enim uberiorem et pretiosiorem hostiam obtulit Deo quàm Cain frater ejus ; et ideò justitiæ testimonium meruit in Scripturis, Deo ipso testante quòd grata sibi fuerit illius hostia ; imò et per fidem Deo et hominibus, etiam mortuus, loquitur : Deo per merita, hominibus per exemplum.

5. Propter eamdem fidem Henoch translatus est, nec communem vidit mortem ; nec ampliùs visus, quia de humano illum Deus commercio transtulit : transtulit autem, quia, Scripturâ teste, ambulavit coram Deo, et ideò illi placuit.

6. At sine fide Deo nemo placere potest : ut quis enim Deum verè colat, illique placeat, ante omnia credere debet quòd Deus sit, rerumque nostrarum curam agat, et quòd obedientibus sibi futurus sit remunerator. Hoc ergo credidit Henoch, qui Deo placuit : fidei ergo debet quòd à Deo translatus est, et cum Deo vivit.

7. Noe divino monitus oraculo de futuro diluvio, nunquàm viso, et cujus nulla tunc erat apparentia, credidit Deo, fide metuit, metu ex fide concepto condidit arcam, ad suam suæque familiæ salutem : et per hanc fidem suam aliorum incredulitatem damnavit, et ipse veræ justitiæ, quæ ex fide est, factus est possessor et hæres.

8. Patriarcha noster qui, cùm priùs Abram vocaretur, à Deo vocatus est Abraham : ille, inquam, per fidem obedivit Deo dicenti : Exi de terrâ tuâ ; obediens exivit et venit in terram quam in filiis suis possessurus erat tanquàm hæreditatem : exivit autem nesciens quò eundum, et quo tandem loco sibi consistendum.

9. Eâdem fide habitavit in terrâ illâ, toties sibi promissâ, tanquàm in alienâ, in tentoriis habitans, more viatorum ; sicut Isaac et Jacob, ejusdem hæreditatis promissæ consortes, in tentoriis habitaverunt ut peregrini.

10. Nimirùm expectabat stabilem ac perpetuam civitatem, cœlestem Jerusalem, à quâ nunquàm foret depellendus, et in quâ summa felicitas, utpote cujus auctor ac conditor est Deus.

11. Sic et Sara, cùm esset sterilis, et ætatem generationi convenientem prætergressa esset, per fidem accepit virtutem producendi filium ; quia Deum, qui promiserat, in suis promissis veracem esse credidit.

12. Propter quam fidem ab uno Abrahamo, et quidem quoad generandi facultatem emortuo, orti sunt posteri innumerabiles, sicut stellæ cœli, et sicut arena quæ est in littore maris.

13. In fide perseverantes mortui sunt hi patriarchæ nostri, non acceptis rebus sibi promissis, terram enim Chanaan non possederunt, nisi in posteris, post annos quadringentos : regnum verò cœlorum, per hanc terram figuratum, non nisi post Christi mortem adepti sunt ; sed morituri, hæc sibi promissa oculo fidei à longè aspiciebant, et præ gaudio salutabant, et sese peregrinos et hospites esse fatebantur.

14. Qui autem peregrinos se dicunt, hoc dicentes, significant patriam se desiderare : quam ergo patriam desiderabant patres nostri ?

15. Sanè si Chaldæam desiderâssent, tempus habebant illuc revertendi ; vita enim longa, via verò brevis.

16. Fatendum est igitur quòd meliorem desiderabant patriam, nempe cœlestem : et ob hanc illorum fidem per quam cœlum et Deum inquirebant, Deus non erubescit, imò gaudet vocari Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob ; hinc illis, ut præcipuis amicis suis, et omnium fidelium patribus, paravit Jerusalem cœlestem, in quâ cum Deo regnant in æternum.

17. Fide impulsus Abraham, cùm Deus illius obedientiam omnibus notam facere vellet, illique ideò jussisset Isaacum immolare, accinxit se ad illum immolandum, licèt unigenitum, per quem complenda erant promissa quæ de innumerâ prole susceperat,

18. Quandoquidem ad Abraham dictum fuerat : Per Isaac erit tibi posteritas clarissima.

19. Licèt ergo divinæ huic promissioni contrarius videretur esse Dei jussus de mactando Isaaco, invictâ fide tamen obedivit Abraham, firmiter credens Deum omnipotentem, et ideò, si velit, Isaacum posse à mortuis suscitare, et per eum sua promissa complere. Unde hujus fidei merito Abraham illum vivum recepit, et quidem in magni typum mysterii.

20. Per fidem Isaac sic benedixit filiis suis, ut benedicendo promitteret bona futura quæ non videbat : sic autem ea, Deo dirigente, largitus est illis, ut potiora assignârit juniori, et Jacobum prætulerit Esau primogenito.

21. Eâdem fide Jacob morti proximus, et futuri non ignarus, sic utrumque filiorum Joseph benedixit, ut juniorem Ephraim prætulerit Manasse majori : at longiùs aspiciens oculo fidei, in virgâ regiâ Joseph, filii sui, Christum Regem adoravit.

22. Simili fide Joseph credens Dei promissioni patribus suis factæ, in morte meminit de exitu filiorum Israel ex Ægypto : et de illo certus, mandavit de ossibus suis in terram promissam transferendis.

23. Eâdem fide inspirati parentes Moysis recens nati, et grande quid ex ipsâ puelli elegantiâ ominati, occultaverunt illum per tres menses, nec regis edictum de necandis infantibus masculis timuerunt.

24. Eâdem fide Moyses ipse, cùm à filiâ Pharaonis adoptatus esset, ubi vir factus est, respuit hunc regiæ cognationis honorem,

25. Malens Hebræum se palàm profiteri, et cum populo Dei malis afflìgi quàm in aulâ regiâ transitoriis frui deliciis cum peccato, vel cum peccati periculo,

26. Improperium Christi, quem fide videbat multa passurum, feliciores reputans divitias quàm omnes Ægyptiorum opes; oculo quippe fidei aspiciebat in beatitudinis æternæ remunerationem.

27. Eâdem fide cum universo populo discessit ex Ægypto, nec regis visibilis furorem reformidavit, quia Deum invisibilem quasi intuebatur, et ita præsentem habebat animo ac si videret oculis.

28. Sic et fide Pascha celebravit, et paschalis agni sanguine superliminaria et postes domûs aspersit, ne angelus primogenita vastans quemquam suorum tangeret.

29. Fide omnes Israelitæ ingressi sunt in mare, et illæsi per illud transierunt quasi per siccam : quod ausi infideles Ægyptii, in aquis sunt absorpti.

30. Fide Josue et populi corruerunt muri Jericho septimo die, septies ambiti.

31. Quin et Rahab meretrix, fidei suæ merito, quâ exploratores hospitio recepit et abscondit, non periit cum incredulis Jericho civibus.

32. Quid plura congeram priscorum fidelium exempla? quis enim finis, si singula referam, et loquar de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, et prophetis,

33. Qui per fidem divinam expugnârunt regna, justè vixerunt, et justa pronuntiârunt judicia; promissam occupârunt terram, concluserunt ora leonum;

34. Vim ignis compresserunt, hostilem evaserunt gladium, lethalem morbum effugerunt, bellicam demonstrârunt fortitudinem, inimicas subverterunt et dissipaverunt acies;

35. Mortuos suscitaverunt, et matribus filios de resurrectione venientes reddiderunt?

36. Mira sunt quæ per fidem et ob fidem passi sunt; alii in eculeis distenti, flagris et loris pulsati, maluerunt in cruciatibus expirare quàm acceptare liberationem à malis oblatam sibi sub impietatis conditione; meliorem vitam sperantes, beatam immortalitatem; alii eamdem ob fidem ludibrio fuerunt et derisi, et verberibus cæsi; alii in vincula conjecti, in carceres detrusi.

37. Alii lapidati sunt, dissecti sunt, expositi periculo, gladio occisi : alii ab ædibus expulsi, ex oppidis ejecti, circuierunt hùc et illùc aberrantes, ovinis aut caprinis pellibus induti, rebus necessariis destituti, angustiis ubique et undique pressi, malis omnibus obsessi.

38. Tanti tamque sancti viri, quorum consortio dignus non erat mundus, errabant in solitudinibus et in montibus, latitabant in speluncis et cavernis terræ.

39. Et hi omnes, licèt ob tam præclarè gesta, et tam horrenda ob fidem tolerata, divino testimonio sint in Scripturis approbati, tunc tamen temporis non receperunt promissam pietatis suæ mercedem ;

40. Deo per singularem in nos bonitatem ita providente, ut hi antiquiores sancti non ante tempora nostra Deo fruerentur in cœlis, et non sine nobis consummatam in resurrectione mortuorum gloriam consequerentur.

COMMENTARIA.

VERS. 1.—EST AUTEM FIDES SPERANDARUM SUBSTANTIA... Syr. : *Est autem fides certitudo de iis quæ sunt in spe, ac si jam existerent actu, et revelatio earum quæ non videntur.* Est etiam rerum timendarum, v. g., inferni, sed de sperandis tantùm loquitur Apostolus, quia per illarum existentiam et aspectum vult Hebræos ad perseverantiam animare. *Substantia* : Græc., ὑπόστασις, *subsistentia*, id est, fides facit ut bona futura, quæ nondùm existunt, subsistant in intellectu, eaque tam certa habeamus ac si de facto jam existerent.

ARGUMENTUM : Græc., ἔλεγχος, *ostensio*, demonstratio, manifestatio NON APPARENTIUM, id est, earum etiam rerum, quæ non sunt conspicuæ sensibus : quædam enim res conspicuæ creduntur, v. g., mors ; sed propter rationem jam dictam, loquitur Apostolus præcipuè de bonis quæ speramus, et quæ non sunt conspicua, et quæ oculo fidei quasi cernimus velut præsentia. Hæc autem fidei demonstratio non est in rebus ipsis, sed in Deo attestante ; evidens enim est certum esse quod Deus revelat. Fides itaque est quasi oculus vel quasi dioptra quâ res remotissimæ et aliis non apparentes quasi proximæ videntur. Hâc dioptrâ sancti martyres et confessores æternæ vitæ bona conspicientes, contempsère vitæ præsentis commoda, tormentaque fortiter sustinuêre. Hæc est ergo veræ et vivæ fidei descriptio, non frigidæ et dormientis, ut non dicam, mortuæ, plerorumque hominum in quibus *fascinatio nugacitatis obscurat bona.*

VERS. 2. — IN HAC ENIM, puto hoc *enim* respicere versiculum capitis præcedentis : *Justus autem meus ex fide vivit.* Vide paraphrasim. Per hanc ergo fidem, SENES, id est, antiqui patres qui ante legem et in lege fuerunt illustres,

TESTIMONIUM, bonum scilicet, ASSECUTI SUNT in sanctis Scripturis, quòd Deo placuerint ; seu fidem habuerunt, ob fidem Deo placuerunt, ob fidem benè audierunt, et à Deo et ab hominibus laudati sunt.

VERS. 3. — FIDE INTELLIGIMUS, id est : Et nosquoque Hebræi et fideles omnes, qui vivimus, per fidem *intelligimus* et credimus,

SECULA, id est, tempora et temporaria, seu mundum, cœlum, terram, mare et omnia quæ sunt in mundo,

VERBO DEI, id est, jussu Dei,

APTATA ESSE : Græc., *constructa* ; Syr., *ordinata*, id est, creata et compaginata, in ordinem digesta, omnibusque suis partibus constructa ;

UT EX INVISIBILIBUS : Græc., *ex non apparentibus*, id est, ex non existentibus, nisi in mente divinâ, fierent existentia et visibilia. Cajetanus et alii per invisibilia intelligunt chaos et abyssum. Primâ die *Deus creavit cœlum et terram ; terra autem erat inanis et vacua*, seu, ut aiunt Septuaginta, erat invisibilis et incomposita ; ex hoc autem chao, Deus cætera fecit, inquiunt illi auctores. Quidquid sit, creationem mundi nec sensus, nec ratio, sed sola fides docet ; hinc eam non intellexerunt philosophi. Hinc etiam mihi probabile videtur, quòd hæc verba D. Paulus de antiquis patribus disserens interserat, ut insinuet ipsis Hebræis et nobis tantam fidei necessitatem, ut sine ipsâ nec prima Scripturæ verba intelligamus, scilicet : *In principio Deus fecit cœlum et terram.* D. Paulo de Abele, Henoch, etc., locuturo tota Genesis in mentem venit, et consequenter prima illius verba ; hinc que sumit occasionem Hebræis insinuandi necessitatem fidei ; et ideò interrumpit sermonem de antiquis incœptum, ut dicat : *Fide intelligimus*, etc.

VERS. 4. — FIDE PLURIMAM, id est, copiosiorem, præstantiorem, Græc., enim est comparativum, πλείονα, quasi *plurem* ; sed quia Latinè dici non potest, interpres noster dixit *plurimam*, pluris et majoris pretii, scilicet gregis sui primogenita et adipes eorum, Gen. 4, v. 4.

QUAM CAIN, qui fructus terræ, sed non meliores obtulit ;

PER QUAM, seu fidem, seu hostiam, vel utrumque, seu per quam hostiam fide majori oblatam,

TESTIMONIUM justitiæ meruit in Scripturis, seu, ut ait Syrus : *Propterea extat de illo testimonium quòd justus fuerit.*

TESTIMONIUM PERHIBENTE ; Græc. : *Testante in muneribus ejus Deo.* Syr. : *Atque testimonium perhibuit de oblatione ejus Deus : Respexit enim Dominus ad Abel*, Gen. 4, v. 24. *Respexit* Theodotion vertit *in-*

VERS. 1. — *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, id est, eorum quæ non videntur. Dicitur enim fides *argumentum* sive convictio, hoc est, ostensio ac demonstratio earum rerum quæ à nobis non videntur, id est, quas nec sensu percipimus, nec ratione comprehendimus. *Substantia*, idem est quod subsistentia et existentia ; q. d : Fides facit ut bona futura quæ nondùm existunt certa habeamus, certòque futura credamus et speremus, perinde ac si jam subsisterent, eaque coram nobis cerneremus. Fides enim illa ipsa quasi præsentia et certissima oculis mentis subjicit, sicque per suam certitudinem quamdam subsistentiam dat rebus speratis et futuris in intellectu et mente fidelium.

VERS. 2. — *In hâc enim testimonium consecuti sunt senes. Senes* intelligit antiquos, id est, eos qui fuerunt antiquis temporibus : ut Abel, Henoch, Noe, Abraham, etc.

VERS. 3. — *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei*, id est, solo Dei imperio, quo voluit ut ita fieret. Hoc enim Scriptura nos docet, Gen. 1. *Fide intelligimus*, id est, credimus, secula esse aptata, id est, mundum partibus inter se coaptatis factum esse atque constructum. *Secula*, id est, tempora et omnia temporaria, puta mundum et omnia quæ in mundo sunt.

Ut ex invisibilibus visibilia fierent. Sapiens dixit Deum creâsse orbem terrarum ex materiâ invisâ, vel mundum ex materiâ informi, Sapient. 11, materiam invisam sive informem vocans cœlum et terram luce adhuc ornatuque carentem. Patet igitur quo sensu dicat Apostolus, *ex invisibilibus visibilia facta esse ea quæ facta sunt*, nempe quia cœlum et terra primùm tenebris horrida atque informia facta sunt ; deinde lumine illustrata, rerumque formis adornata fuerunt. Videtur enim sub *invisibili* comprehendere duo illa quæ Septuaginta expresserunt, *invisibile et incompositum.*

VERS. 4. — *Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo. Plurimam*, id est, plurem, ampliorem, præstantiorem, pluris et majoris pretii ; q. d : Fides,

flammavit, ignivit super munera ejus. Flammâ ergo cœlesti Abelis hostiam Deus consumpsit, hocque signo ostendit eam sibi gratam.

ET PER ILLAM DEFUNCTUS ADHUC LOQUITUR. Syr. : *Et ideò etiam mortuus loquitur.* Quod duobus modis verum ; statim post mortem sanguis ejus locutus est : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me*, Gen. 4; nunc autem Abel per fidem suam loquitur re et exemplo, ob quod in omnium ore versatur. Hinc docemur sanctos post mortem vivere et loqui : vivunt et loquuntur Deo per merita sua, hominibus per exempla.

VERS. 5. — FIDE HENOCH TRANSLATUS EST. Syr. : *Per fidem translatus est Henoch et mortem non gustavit; neque inventus est, quia transtulit eum Deus.* Quòd per fidem translatus sit Henoch, probat Apostolus.

ANTE TRANSLATIONEM ENIM TESTIMONIUM HABUIT..., id est, Scriptura testatur quòd ante translationem placuit Deo; dicit enim Genes. 5, 24 : *Ambulavit cum Deo*, id est, Deo vacavit, Deo paruit, illi semper præsenti adhæsit : hoc autem fieri non potest sine fide.

VERS. 6. — SINE FINE AUTEM IMPOSSIBILE EST PLACERE DEO. Syr. : *Atqui sine fide nemo potest placere Deo.*

Probatur minor.

CREDERE ENIM OPORTET ACCEDENTEM AD DEUM..., id est : Etenim ut quis Deum colat, illique placeat, ante omnia credere *oportet*, primò, quòd Deus sit, rerumque humanarum curam gerens; secundò QUOD OBEDIENTIBUS SIT futurus REMUNERATOR. Primum, sine fide non potest, secundum sine spe. Duo itaque sunt hìc notanda justæ et patientis animæ solamina et quasi fulcra. Primum : *Deus est;* secundum : *Deus est* justus, et consequenter *remunerator;* ergo benè operantibus reddet mercedem ; non hìc plerùmque reddit, ergo in futurâ vitâ reddet.

VERS. 7. — FIDE NOE, RESPONSO ACCEPTO... Græc. : *Fide divinitùs monitus Noe de nondùm visis*, id est, per fidem Noe de cœlo monitus de futuro diluvio, quod non modò nondùm videbatur, sed nec unquàm visum fuerat, et cujus nulla erat apparentia.

METUENS : Syr., *metuit*, id est, et metu ex fide concepto,

APTAVIT ; Syr. : *Et condidit sibi arcam ad salutem filiorum suæ familiæ.*

PER QUAM, scilicet arcam ; alii per quam fidem ; perinde est ;

DAMNAVIT : Syr. : *Reum peregit mundum*, qui scilicet non credidit. Cùm enim Noe arcam construebat, illius arcæ causam omnibus dicebat ; at illi nec crediderunt, nec resipuerunt : hinc fides Noe fuit incredulitatis aliorum damnatio. Simile quid accidit quotidiè : sicut arcam salutis ædificans Noe non credebatur, sed irridebatur, sic et hodiè fideles, saluti bonis operibus vacantes, ab aliis irridentur : hoc expectandum quidem, at hoc ipsum erit condemnatio mundi non credentis, salutemque suam negligentis.

ET JUSTITIÆ QUÆ PER FIDEM..., id est, et veræ justitiæ quæ ex fide est, factus est possessor ; hujus enim fidei actibus justitia et sanctitas ejus aucta est ; hinc Genes. 6 : *Noe vir justus atque perfectus*, etc. Alii in nomine HÆRES fundati sic explicant : Et sanctitatis patrum suorum, Henoch, Enos, Seth, etc., quæ per fidem acquiritur et augetur, suâ fide factus est hæres ; seu remansit hæres, cæteris omnibus in aquis diluvii submersis. Juxta hunc sensum S. Anselmus dixit : Idcircò factum est diluvium, ut finis imponeretur vitiis et justitia quam Abel, Henoch, et sancti tenuerant, permaneret ; et hujus hæres factus est beatus Noe.

---

quæ longè major et ardentior erat in Abel quàm in Cain, excitavit Abelem ut majores et præstantiores hostias Deo offerret quàm Cain, etc.

Per quam testimonium consecutus est esse justus. Sensus est : Abel per fidem, ex quâ meliorem obtulit hostiam Deo, meruit testimonium quòd esset justus.

Testimonium perhibente muneribus ejus Deo. Testimonium hoc habetur Gen. 4, ubi dicitur : *Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus*, etc., *et inflammavit Dominus super Abel et super sacrificium ejus ; super Cain verò et sacrificium ejus non inflammavit.* Per ignem ergo à se missum, quo combussit Deus hostias Abelis, non Cain, ostendit Abelem ejusque munera sibi placere, non Cain, ut tradunt Hebræi ; ita Chrysost., Theoph. et alii.

Et per illam defunctus adhuc loquitur, quia fides fecit eum usque hodiè vivere in hominum memoriâ cum laude justitiæ ; tanquàm si ipse loquatur et dicat : Imitamini me, mortales, ut et vos fide justificati Deo placeatis, accepturi gloriam etiam in hoc seculo.

VERS. 5. — *Fide Henoch translatus est ne videret mortem.* Nota : Communis Patrum sententia est Henoch et Eliam translatos esse in paradisum, ut tempore Antichristi redeant et contra eum pro Christo decertent, etc.

Et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus ; ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. Probat Henoch merito fidei translatum fuisse, ne mortem videret. *Cum Deo ambulavit*, Gen. 5, id est, Deo per omnia consensit. *Cum Deo ambulare* phrasi Scripturæ dicuntur quorum vita concordat cum voluntate legeque divinâ.

VERS. 6. — *Sine fide autem impossibile est placere Deo.* Probat Henoch translatum esse per vel propter fidem, hâc ratione : Henoch translatus est quia placuit Deo ; atqui non potuit placere Deo, nisi per fidem, ergo per fidem translatus est, id est, propter meritum fidei.

Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit. Si accedentem ad Deum aliquid de Deo credere oportet, igitur nemo potest ei placere sine fide. Nullus enim Deo placet, nisi ad eum accesserit ; acceditur autem ad Deum ipsâ fide velut initio motûs quo tenditur in Deum ut finem ac terminum. Cùm enim fides circa Deum resque divinas versetur, hoc utique est quod omnium primò credendum occurrit : esse Deum, et Deum remuneratorem, in eo quòd suis cultoribus retribuit *bona promissa* vitæ æternæ, etc.

VERS. 7. *Fide Noe responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens. Responso accepto*, id est, divinâ revelatione admonitus, *de iis quæ non videbantur*, de futuro orbis diluvio. *Metuens*, id est, reveritus Deum ; ipsius Dei timore ac reverentiâ correptus fecit quod sequitur.

Aptavit arcam in salutem domûs suæ. Fide aptavit, id est, inductus atque impulsus eâ fide, quâ credebat vera esse quæ Deus ipsi revelaverat, arcam fabricavit, quâ *domum*, id est, familiam suam ex octo animabus constantem, ab aquarum inundatione servaret immunem, Genes. 6.

VERS. 8. — FIDE QUI VOCATUR ABRAHAM... Græc.: *Fide vocatus Abraham obedivit.* Syr. : *Per fidem Abraham, cùm vocatus est, dicto audiens fuit.* Juxta nostrum interpretem hic sensus est : Is qui, cùm priùs vocaretur Abram, id est, pater excelsus, à Deo vocatus est *Abraham*, id est, pater multarum gentium; ille, inquam, per fidem OBEDIVIT Deo, ipsum primò ex Chaldæâ, scilicet ex Ur Chaldæorum, patriâ suâ; secundò ex Mesopotamiâ, seu ex Haran evocanti in terram Chanaan, quam ipse in posteris suis erat possessurus tanquàm hæreditatem;

ET EXIIT NESCIENS QUÒ IRET, in quam partem terræ Chanaan, quæ ampla erat : vel nesciens quæ et qualis esset illa terra Chanaan.

VERS. 9. — FIDE DEMORATUS EST IN TERRA PROMISSIONIS. Syr. : *Per fidem fuit inquilinus in terrâ illâ quæ fuerat ei promissa, tanquàm in extraneâ;* id est : Per fidem habitavit in terrâ illâ sibi, seu suo semini promissâ, tanquàm in alienâ; non ut civis, sed ut peregrinus, nec domum, nec agros in eâ possedit.

IN CASULIS HABITANDO. Syr. : *Et in tentoriis habitavit;* Gr.: *In tabernaculis habitans;* scilicet more viatorum et peregrinorum, qui domos in alienâ terrâ non ædificant.

CUM ISAAC ET JACOB, id est, non solus Abraham ita demoratus est ibi, sed similiter *Isaac et Jacob*, quibus illa quoque terra promissa erat in hæreditatem. Habitaverunt etiam in tentoriis, tum vivente adhuc Abrahamo mortuus est enim cùm Jacob esset quindecim annorum; tum post mortem Abrahami, successivè scilicet, alius post alium, ut peregrini habitaverunt ibi. His verbis laudatur Isaaci et Jacobi fides.

VERS. 10. — EXPECTABAT ENIM FUNDAMENTA... Græc., *illam fundamenta*, etc. Datur hic supradictorum ratio : *Fide demoratus est*, etc., *habitavit in tentoriis* ut peregrinus, quia *expectabat* civitatem illam, cœlestem Jerusalem, benè fundatam, firmam, immobilem, æternam.

CUJUS ARTIFEX..., id est, quam Deus, ut architectus, faciendam disposuit, et quam ut artifex condidit. Qui cœlum verè credit, terram facilè contemnit.

VERS. 11. — FIDE ET IPSA SARA. In Græco hodierno, non est STERILIS. Syr. : *Per fidem Sara, quæ erat sterilis.* Utrumque sexum ad fidem excitaturus Apostolus, à virorum exemplis venit ad feminas. Duo notat in Sarâ conceptionis impedimenta, naturalem scilicet sterilitatem et præterea provectam ætatem. Utrumque autem Sara per fidem vicit. Licèt enim primò riserit, ubi tamen ab angelo edocta fuit rem seriam esse et non jocum, credidit Deum in promissis veracem et fidelem; et per hanc fidem accepit à Deo virtutem producendi filium.

VERS. 12. — PROPTER QUOD : Græc., *ideò;* Syr., *quapropter*, id est, propter quam fidem, AB UNO, scilicet Abrahamo, ET HOC quoad generandi facultatem EMORTUO, orti sunt posteri innumerabiles, sicut stellæ cœli et sicut arena quæ est in littore maris. Hyperbolica locutio quâ significatur maxima multitudo. Unum quidem filium habuit Sara, scilicet Isaacum, sed ex illo et per illum orti sunt infiniti filii Abrahæ, tum naturales, tum spirituales, inter quos Christiani.

VERS. 13. — JUXTA FIDEM... Syr. : *In fide mortui sunt hi omnes...*, id est, OMNES ISTI, Abraham scilicet, Isaac et Jacob, quibus facta est promissio tum de terrâ Chanaan, tum de patriâ cœlesti, in fide et cum fide

---

Per quam (arcam) *damnavit* (Noe) *mundum.* Arcam fecit, quâ familiam suam servavit, et mundum condemnavit; q. d. : Noe ipso facto et rerum eventu damnavit incredulitatis homines sui ævi, qui nolebant credere futurum diluvium, et agere pœnitentiam ideòque fabricam arcæ ejus irridebant, etc.

Et justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus. Consecutus est justitiam quæ est per fidem, atque ex fide justificatus fuit, scilicet eâ ratione quâ justificatus legitur Abraham dicente Scripturâ : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam*, Gen. 15. Non enim prima, sed secunda justificatio significatur, quâ per egregium opus fidei, justitia utriusque non solùm declarata ac probata, verùm etiam aucta coram Deo fuerit. Sensum hunc tradit Theophylactus.

VERS. 8. — *Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum* (in terram Chanaan) *exire quem accepturus erat in hæreditatem.* Is *qui vocatur Abraham*, fide excitatus atque impulsus quâ credebat Dei promissis, obedivit ei præcipienti ut exiret de terrâ suâ, in eum locum quem Deus ei promiserat, et ipse accepturus erat in hæreditatem, id est, possessionem perpetuam, non quidem ipsemet, sed semen ipsius.

Et exiit nesciens quò iret, quò venturus esset. *Quò*, id est, in quam determinatam regionem, agrum vel urbem. Licèt enim sciret se à Deo evocari in Chanaan, tamen nesciebat in quam partem Chanaan vocaretur. Erat enim terra Chanaan admodùm vasta, multasque in regiones et populos divisa.

VERS. 9. — *Fide demoratus est in terrâ repromissionis*, id est, accola, sive advena fuit aut factus est; habitavit ut peregrinus in terrâ quam Deus ipsi et semini ejus promiserat.

Tanquàm in alienâ, quia, ut sequitur, domum in eâ ædificare noluit, nec agros in eâ possedit, sed semper in casulis, id est, tabernaculis et tentoriis, habitavit.

In casulis habitando. Peregrinantium est non in domibus habitare, sed tabernacula sive tentoria circumferre, in quibus interim commorentur.

Cum Isaac et Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem, cum Abraham, quoniam eadem promissio terræ Chanaan dandæ in possessionem, etiam illis facta fuerat, in eorum tamen semine complenda.

VERS. 10. — *Expectabat enim fundamenta habentem civitatem*, etc.; q. d.: Abraham cum suis civis erat non Chanaan, sed cœli; hinc in Chanaan domum habere noluit, sed in mobili semper habitavit tabernaculo, quia tendebat, et oculos jugiter conjiciebat in cœlestem civitatem, quasi patriam suam, immobilem, firmam et æternam.

VERS. 11. — *Fide et ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit*, etc.; notat Paulus duo impedimenta conceptionis in Sarâ : prius in naturâ, quòd esset sterilis; posterius in ætate, quòd jam esset planè senex et vetula. Utrumque superavit fides, quâ credidit Deo super naturam promittenti conceptionem et partum Isaac.

VERS. 12. — *Propter quod et ab uno orti sunt*, etc., q. d. : Propter hanc fidem factum est ut Sara ex Abraham conciperet, et ex uno viro eoque emortuo orirentur proles et posteri innumerabiles. Mysticè per stellas cœli, spirituales aut electos Abrahæ filios intellige.

VERS. 13. — *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti;* id est, per fidem, cum fide, retinentes fidem, et fideles usque ad mortem defuncti sunt, quia sicut in fide vixerunt, ita et in fide mortui sunt. Bona enim à Deo

defuncti sunt; seu, ut ait D. Thomas, juxta se habentes fidem suam quasi sociam inseparabilem. Firmissimè perseveraverunt in fide usque ad mortem, et nos itaque perseveremus. Hic enim Apostolus juxta scopum suum Hebræos stimulat ad perseverantiam.

Non acceptis repromissionibus. Syr. : *Nec acceperunt sibi promissum*, tum de terrâ Chanaan, quam non possederunt ipsi, sed eorum posteri post quadringentos annos sub Josue ; tum de regno cœlesti quod non sunt adepti, nisi post mortem Christi ;

Sed a longè eas aspicientes et salutantes ; Græc. : *Aspicientes et persuasi et salutantes*, id est, *à longè* oculo fidei *aspicientes*, et per fidem *persuasi* se tandem eas possessuros, et præ gaudio eas salutantes sicut navigantes terram à longè salutant : ita hi patres per fidem obscurè patriam cœlestem videntes, eam crebrò salutabant ad eam anhelantes.

Et confitentes... ; hinc tam sæpè peregrinos se dicebant, Genes. 23, 4, et 47, 9.

Vers. 14. — Qui enim hæc dicunt. Græc. : *Nam hujusmodi dicentes, ostendunt palàm quòd patriam inquirunt* ; id est, qui se peregrinos dicunt, patriam desiderant, seu affectu inquirunt.

Vers. 15. — Et siquidem ipsius meminissent..., Syr. : *Quòd si civitatem illam ex quâ prodierunt, quæsivissent.*

Habebant tempus ut iterùm revertentes eam adirent; nec enim Chaldæa longè distabat à Chananæâ, circiter quinquaginta leucis.

Vers. 16. — Nunc autem meliorem, id est, fatendum igitur quòd meliorem desiderant patriam, cœlestem scilicet, non terrenam.

Ideò non confunditur vocari... Græc. : *Ideò non erubescit eos Deus, Deus invocari eorum...* ; Syr. : *Propterea non erubescit Deus vocari Deus illorum* ; id est : Ob quam illorum fidem, per quam cor et animus eorum in cœlo fixa semper erant, solique Deo vacabant, Deus non erubescit, imò gaudet vocari Deus Abraham, Isaac et Jacob. Hæc verba indicant manifestè quòd superiora (*Juxta fidem defuncti sunt omnes isti*) ad Abraham, Isaac et Jacob, restringenda sint ; cæterorum enim Deus nullibi vocatur.

Paravit enim illis civitatem, id est, hinc *illis* tanquàm præcipuis amicis suis et omnium fidelium patriarchis, *paravit civitatem*, Jerusalem cœlestem, de quâ v. 10 dictum est : *Cujus artifex et conditor Deus*, et in quâ regnant unà cum Deo ; *multique ab oriente et occidente recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob*, Matth. 8, v. 11. Civitas hæc, Deus ipse. O felix commutatio ! pro domo terrestri, sinum Dei inhabitare, per totam æternitatem Deo Deique deliciis frui !

Vers. 17. — Fide obtulit Abraham Isaac, id est : per fidem *Abraham obtulit Isaac*, effectu imponens eum alligatum super altare ; animo paratus enim erat immolare ;

Cum tentaretur à Deo, non ut Deus ejus obedientiam nôsset, sed ut eam omnibus notam faceret et imitandam proponeret ;

Et unigenitum offerebat..., id est : obtulit, inquam, Isaac, illum unigenitum, per quem complendæ erant promissiones quas de innumerâ prole susceperat.

Vers. 18. — Ad quem dictum est ; Syr. : *Siquidem dictum illi fuerat*, etc., id est, *ad quem* Abraham *dictum* erat à Deo : in Isaac, etc. Per filium tuum Isaac erit tibi posteritas multiplicanda sicut stellæ cœli et arena maris ; cui divinæ promissioni contrarius videbatur Dei jussus de mactando Isaaco : et ob quam contrarietatem poterat Abraham aliquâ dubitatione percuti : sed invictâ fide credidit, obedivit, obtulit, seu ad illum sacrificandum sese accinxit.

Vers. 19. — Arbitrans quia et a mortuis..., id est, animo reputans et firmiter credens, quòd Deus filium suum mactatum posset à mortuis suscitare, et

promissa non viderunt, dùm viverent, sed post mortem illa se accepturos crediderunt.

Non acceptis repromissionibus. Qui promissiones hìc intelligunt cœlestes, ii, ni fallor, Apostoli mentem præcurrunt. Nam de iis paulò post opportunè loquitur.

Sed à longè eas aspicientes et salutantes. Hi patres, cùm per fidem obscurè viderent, id est, crederent patriam cœlestem, eam crebrò cum desiderio salutabant.

Et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram. Cæterùm omnes sic peregrini fuêre super terram, ut nec animo eam quærerent, sed ad cœlestem patriam semper aspirarent. Ad hos et horum similes respexisse videtur et ille qui dixit : *Advena sum et peregrinus, sicut omnes patres mei*, Psal. 38.

Vers. 14. —*Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere :* nullus enim est peregrinus, ait S. Thomas, nisi qui est extra patriam et ad eam tendit.

Vers. 15. — *Et si quidem ipsius meminissent*, etc. Memorem esse non nudam significat recordationem, sed eam quæ cum amore ac desiderio rei conjuncta est.

Vers. 16. — *Nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem.* Itaque fatendum est eos meliorem appetere patriam, id est, non terrenam, sed cœlestem.

Ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum. Apostolus rationem indicat, excellentem eorum fidem quâ meruerunt inter amicos et cives atque domesticos Dei haberi præcipui.

Paravit enim illis civitatem, scilicet eam quam fide expectabant, id est, cœlestem, cujus artifex et conditor Deus.

Vers. 17. — *Fide obtulit Abraham Isaac, cùm tentaretur.* Tanta fuit Abrahæ fides, ut eâ suadente et impellente non dubitaverit Isaac filium Deo victimam immolare ; q. d. : Cùm Deus tentavit obedientiam et pietatem Abrahæ, dicens, Genes. 22 : *Tolle filium tuum unigenitum quem diligis, et vade*, etc.

Et unigenitum offerebat, quia solus ipse erat filius promissionis unicè dilectus, hæresque Abrahæ designatus.

Qui susceperat repromissiones, id est, cui promissiones à Deo factæ fuerant ; intellige complendæ in hoc ipso filio, quem jussus erat immolare.

Vers. 18. — *Ad quem dictum est.* Ad quem, scilicet Abraham, dictum est à Domino :

Quia in Isaac vocabitur tibi semen, id est, ex Isaac, non autem ex Ismael, excitabitur tibi posteritas quæ censenda et vocanda sit posteritas tua, ut scilicet sit hæres promissionum mearum, quas tibi et semini tuo pollicitus sum.

Vers. 19. — *Arbitrans quia et à mortuis suscitare potens est Deus. Arbitrans*, id est, secum reputans ; quod propriè refertur ad modum implendæ promis-

per eum sua promissa complere. Deus promiserat Isaaci posteritatem fore arenæ maris similem : idem Deus jubet Isaacum immolari; à duabus contrariis cogitationibus tunc obsessus erat Abrahamus, et præterea naturam habebat quovis lictore sævius eum excruciantem, at hæc omnia fide superavit et hostiam obtulit, credens etiam occisum filium posse revivi-scere, si Deus velit; ex Theodoreto.

UNDE EUM ET IN PARABOLAM ACCEPIT, id est, hujus tantæ fidei merito Abraham Isaacum vivum accepit in magni typum mysterii, scilicet in typum et figuram Christi morituri et resurrecturi; ita cap. 9, v. 9, explicata est *parabola*. Alii volunt : In imaginem resurrectionis à mortuis; alii : Ut esset proverbium et exemplum admirabilis obedientiæ. Primus sensus naturalior videtur.

Observatio litteralis et moralis.

Isaac unigenitus Abrahæ, lignum ferens, ligatus, lignis superpositus, mori paratus, fuit typus Christi, unigeniti Filii Dei crucem ferentis, cruci affixi, ac denique immolati : in hoc enim veritas figuram superavit, quòd reverà Christus fuit immolatus. Isaac à morte liber, vivus Abrahæ redditus, Christi post immolationem à morte resurrecturi figura fuit, et ut talem illum à Deo recepit Abraham. In hoc sacrificio quid magis mirabor? an fidem Abrahæ, an obedientiam Isaac? Hic juvenis validus, utpote annorum circiter viginti quinque, patri seni, ideòque minùs robusto, facilè poterat resistere; at ubi voluntatem Dei novit, tanquàm agnus se ligari sinit, sese ligno superponit, collumque patri præbet præcidendum. Quanta et quàm mirabilis obedientia! Abraham verò videt in Isaaci morte annihilari promissiones sibi toties factas; at fidei lumine penetrat Dei potentiam; et licèt resurrectionem nullam viderit, scit Deum omnipotentem; hoc credens et de Dei promissis nullatenùs dubitans, brachium erigit filio caput amputaturus. Quanta et quàm invicta fides! Da mihi, ô Deus, Abrahæ fidem; dona et Isaaci obedientiam.

VERS. 20. — FIDE ET DE FUTURIS BENEDIXIT ISAAC..., id est : Eâdem fide animatus Isaac, filiis suis bona futura benedicendo pollicitus est; at, Deo dirigente, sic ea largitus est, ut Jacobum juniorem prætulerit, eique potiora assignârit, terram nimirùm Abrahæ promissam.

VERS. 21. — FIDE JACOB MORIENS..., id est : Fide Jacob moribundus, seu morti proximus, utrumque filiorum Joseph benedixit. Videatur hæc benedictio Genes. 48, v. 14. Commutat manus, et minorem, Ephraim scilicet, præfert majori Manasse. Præsignabat regnum Ephraim et decem tribuum subjectionem, ait Theodoretus. Ex tribu Ephraim fuit Josue, dux omnium ad terram promissam, ex eâdem tribu fuit Jeroboam et omnes ejus posteri, reges Israel. Potest et dici quòd in hâc utrâque benedictione, v. 20 et 21, ubi minor majori prælatus est, D. Paulus figuram videt populi Judaici et Christiani, quam in Epistolâ ad Rom., cap. 9, explicat.

ET ADORAVIT FASTIGIUM VIRGÆ EJUS, id est, adoravit summitatem sceptri regii quod Joseph velut suæ dignitatis insigne manu gerebat. Sic Esther adoravit virgam Assueri.

Observationes litterales.

Hæc adoratio virgæ respectiva erat, transibat enim in ipsum Joseph, et per ipsum in Christum, cujus erat figura et in humilitate et in glorià. Sicut enim Joseph fuit venditus, in cisternâ absconditus, ejus tunica sanguine tincta, calumniatus; ita Christus venditus, suo sanguine tinctus, opprobrium factus, in sepulcro absconditus. At sicut Joseph postmodùm gloriosus, potens, salvator, Ægyptum nutriens; ita Christus tandem glorià et honore coronatus, omnia potens in cœlo et in terrâ, Salvator mundi, Ecclesiam suam Eucharistiâ nutriens. Et hoc fide prospiciens Jacob adoravit in Joseph; potestatem Christi præfigurabat potestas Joseph, ait D. Thomas. Hæc adoratio habetur Genes. 47, v. 31; circa quam notandum quòd ubi septuaginta interpretes, quos secutus est. D. Paulus, ex Hebræo verterunt : *Adoravit fastigium* seu summitatem *virgæ ejus*, D. Hieronymus ex eodem Hebræo vertit : *Et adoravit ad lectuli caput.* Hujus autem diversitatis ratio est, quòd idem nomen Hebræum, mutatis punctis, significat modò lectum, modò virgam; matte, *virga;* mitta, *lectus.* Juxta D. Hieronymum sensus est : Adoravit Israel Deum conversus ad lectuli caput; fortè quia spectabat versus orientem, ad quem olim se vertebant adoraturi Deum. Datur et alia explicatio in Græco hodierno fundata. Græc. : *Adoravit super summitatem virgæ suæ;* Syr. : *Et adoravit super fastigium virgæ ejus,* id est, inquiunt, Jacob adoravit Deum innixus baculi suo. Αὐτοῦ, variato spiritu, significat et *suæ* et *ejus.*

sionis, non ad potentiam Dei. Cùm enim certissimè sciret Deum posse etiam mortuos suscitare, ita cogitabat apud se : Poterit Deus, si velit, filium meum extinctum revocare ad vitam, idque omninò facturum credo, si non sit alius modus quo suam impleat promissionem; et cum hoc animo et hâc fide sese accinxit ad filium sacrificandum. Quæ fides eò laudabilior, quòd eo seculo nullum adhuc auditum esset exemplum hominis à morte resuscitati.

Unde eum et in parabolam accepit, sive recepit, recuperavit. *In parabolam*, id est, in figuram Christi, inquit Chrysost., id est, cum significatione magni mysterii, nimirùm resurrectionis Christi : nam Isaac non tantùm fuit figura Christi immolati, verùm etiam à morte ad vitam revocati.

VERS. 20. — *Fide et de futuris benedixit Isaac, Jacob et Esau.* Ab Abraham transit ad Isaac, qui ex Dei revelatione prævidens futura bona filiis suis Jacob et Esau obventura, eadem illis moriens imprecatus est, itàque per fidem benedixit.

VERS. 21. — *Fide Jacob moriens singulos filiorum Joseph benedixit*, qui duo erant, Manasses et Ephraim. *Jacob moriens*, id est ægrotus ac morti vicinus, benedixit duobus filiis Joseph filii sui, manus commutans et minorem majori præponens, utrique magna bona promittens, quorum nihil adhuc apparebat; fides effecit, quâ illustratus certò credebat ea ventura. Fide prævidebat Jacob futurum ut ex Ephraim omnes reges Israelis, id est, decem tribuum, nascerentur.

Et adoravit (Jacob) *fastigium virgæ ejus*, scilicet

Jacob, inquiunt, preces facturus surrexit è lecto, Deumque super baculum suum innixus adoravit. Genes. 49, v. 32, dicitur quòd pedes suos retulerit in lectum : surrexerat ergo, aut saltem in lectulo consederat, inquiunt. Et hoc totum potest stare, ait D. Thomas, quia ipse erat senex, et ideò portabat virgam : vel recepit sceptrum Joseph, etc., et adoravit Deum super *fastigium virgæ ejus;* ex consideratione potestatis Christi, quam potestas Joseph præfigurabat.

Vers. 22. — Fide Joseph moriens : Græc., *finiens,* de egressione, etc., id est : Joseph vitam finiens, credidit promissioni divinæ patribus suis factæ, et post centum quadraginta quatuor annos à morte suâ complendæ; et in hâc fide meminit de exitu filiorum Israel.

Et de ossibus suis mandavit, id est, et de hoc exitu certus, adjuravit fratres suos, ut ossa sua secum transferrent in terram promissam.

Vers. 23. — Fide Moyses natus... Syr. : *Per fidem parentes Moysis,* etc., id est : Parentes Moysis fide instructi, seu, ut ait Josephus, lib. 2, Antiq. Judaic., cap. 5, divino instructi oraculo ex ipsis oriturum, qui populum suum liberaret, tribus mensibus eum natum occultârunt;

Eo quod vidissent elegantem..., id est : Videntes quòd infans mirum in modum pulcher esset, non dubitârunt quin is esset, per quem liberandus esset Israel.

Et non timuerunt... : Hâcque fide animati, non timuerunt regis edictum, quo jubebatur ut Judæi parentes filios suos exhiberent interficiendos. Exod. 1, v. 23.

Vers. 24.—Fide Moyses grandis factus. Syr. : *Cùm in virum evasisset;* ætate quadraginta annorum. Act. 7 28.

Negavit se esse... Græc. : *Negavit dici filius;* Syr. : *Renuit vocari,* id est, sprevit honorem quem habebat dici filium

Filiæ Pharaonis, Thermutidis; sic eam vocat Josephus. Thermut erat unica et hæres Pharaonis, prole carens, et adoptaverat Moysen; vel, secundùm Philonem, finxerat se gravidam, Moysemque peperisse.

Vers. 25. — Magis eligens afflici : Græc., *malis affligi;* Syr. : *Et elegit sibi in afflictione cum populo Dei esse,* id est, Hebræus dici et cum Hebræis affligi.

Quam temporalis peccati habere jucunditatem. Græc. : *Quàm temporarium habere peccati emolumentum;* Syr. : *Potiùs quàm ad modicum tempus jucunditate frui in peccato;* id est : Potiùs quàm in aulâ regiâ frui brevi transitoriis deliciis, quæ vix sunt unquàm sine peccato; et quæ Moysi fuissent peccatum tum quia Hebræos deseruisset, quibus liberandis se destinatum noverat, tum quia crudelia Pharaonis edicta, Dei voluntati contraria, observâsset, quod in se quidem grande peccatum est; sed quod in Moyse fide instructo fuisset gravissimum.

Vers. 26. — Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum. Græc. : *Illis in Ægypto thesauris;* Syr. : *Et existimavit longè potiores esse divitias opprobrii Christi, quàm thesaurum Ægyptiorum;* id est : opprobrium Christi prætulit Ægyptiorum divitiis, quibus in aulâ potiri potuisset. Spiritu prophetico novit Moyses Christum opprobria multa pro mundi redemptione passurum; et ut Christo patienti similior esset, maluit cum Hebræis pati et opprobriis affici, quàm honoribus, opibus et deliciis abundare.

Aspiciebat enim, scilicet oculo fidei, in remunerationem beatitudinis æternæ. Mira fides ante Christum, opes, delicias, regnum, etc., spernere! Quod Moyses, ut Christi præcursor, fecit, hoc faciamus ut Christi imitatores et discipuli. Aspice cœlum, et terram contemnes : cogita felicitatem æternam, et temporalem

Josephi filii sui dominantis in Ægypto. Hieron. sic ait: *Et adoravit Israel ad caput lectuli,* quòd scilicet, postquàm ei juraverat filius, securus de petitione quam rogaverat, adoraret Deum contra caput lecti sui; et utrumque verum esse potest, Jacob adorâsse versùs caput lectuli, et adorâsse fastigium virgæ Josephi stantis ad lectuli caput. Non enim pugnant hæc duo. Adnotant qui in Genesim scribunt, Josephum à rege proximum, virgam seu spectrum, videlicet potestatis insigne, gestâsse. Hujus ergo summitatem adoravit Jacob, id est, ad eam incurvavit se, potestatem honorans in filio. Dicunt Jacob in Josepho filio suo Christum significatum prospexisse, et in virgâ Josephi, regiam Christi potestatem agnovisse; denique ejus virgæ fastigium seu caput adorâsse, quia caput Christi Deus, 1 Cor. 2.

Vers. 22. — *Fide Joseph, moriens,* etc.; q. d. : Per fidem Josephus moriturus revocavit in memoriam exitum et liberationem Hebræorum fratrum et filiorum suorum ex Ægypto, eorumque introductionem in terram Chanaan, ad eam possidendam.

Vers. 23. — *Fide Moyses, natus,* etc., *eò quòd vidissent elegantem infantem.* Viderunt illi elegantiam plus quàm naturalem à Deo inditam esse. Per hanc elegantiam Moysis, non tam humanam quàm divinam, in fide suâ confirmati sunt parentes, et animati ad eum occultandum, nec dubitârunt hâc ratione eum ab aquis Deo tutore incolumem evasurum, uti et factum est. Ita Chrysostomus.

Vers. 24. — *Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis,* id est, renuit vocari filius filiæ Pharaonis. Fides effecit ut Moyses vir factus adoptionem filiæ Pharaonis ac regiam cognationem contemneret, malletque palàm vocari Hebræus et hominis Hebræi filius quàm filius reginæ aut filiæ regis.

Vers. 25. — *Magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem,* id est, temporalem, sive modici temporis fruitionem; q. d. : Maluit Moyses cum Hebræis affligi quàm vivere in deliciis regis impii Pharaonis.

Vers. 26. — *Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi;* id est, opibus Ægyptiis, quibus abundare et cum quiete frui poterat, improperium Christi prætulit, tanquàm majores divitias.

Aspiciebat enim remunerationem æternæ gloriæ in cœlis; fidei suæ oculos attollebat ad bona cœlestia, quæ Deus cultoribus suis pro mercede ac præmio piorum laborum se redditurum promisit. Docet Apostolus Moysen afflictiones et opprobria ferentem in remunerationem aspexisse, et ejus ac patriarcharum exemplis Hebræos suos ut idem

aspernaberis. *Aspiciebat in remunerationem* : ita in adversis intuere patientiæ mercedem ; et libenter feres. Sic amara potio sumitur libenter, non propter se, sed habendo oculum ad sanitatem futuram, ait Lyranus.

VERS. 27. — FIDE RELIQUIT ÆGYPTUM... Non agitur hìc de fugâ Moysis in terram Madian, tunc enim fugit ex timore regis : hìc autem dicitur quòd NON SIT VERITUS... Agitur itaque de exitu cum omni populo, et sensus est : *Fide*, quâ credidit oraculo rubi et aliis, ausus est populum educere ex Ægypto ; nec reformidavit iram regis visibilis ; INVISIBILEM ENIM... ; quia Deum invisibilem ita præsentem habebat animo, ac si reverà eum conspiceret oculis. Syr. : *Sed spem habuit, perinde ac si videret Deum invisibilem.* Quid non faceret Dei nos intuentis præsentia, si fidem haberemus?

VERS. 28. — FIDE CELEBRAVIT PASCHA..., id est, fide Pascha celebravit, et agni sanguine super liminaria domûs et postes aspersit. Sine fide enim quomodò credidisset mortem ovis sanguine prohiberi? sed per typum prævidebat veritatem, et mortis dominicæ cogitabat potentiam. Theodoretus.

NE QUI VASTABAT... Græc. : *Ne ille perimens primogenita*, etc. ; Syr. : *Ne accederet ad eos qui destruebat primogenita.* Vide historiam, Exod. 12. Angelus vastator seu exterminator videns sanguinem agni super postes, transilibat domos Judæorum : et ab hoc transitu, seu transilitu, tam agnus quàm festum dicta sunt Pascha. Agnus paschalis erat figura Christi immolati, utpote cujus sanguine ab angelo percutiente, id est, à diabolo salvati sumus. Timuit sanguinem angelus, sciebat enim cujus esset typus, horruit, mortem Domini cogitans, propterea non tangebat postes. D. Chrysostomus.

VERS. 29. — FIDE TRANSIERUNT MARE... ; fide, quâ Moyses et Judæi crediderunt Deo. Vide Exod. 14, 15, 16, etc. Ingressi sunt in mare, et illæsi per illud *quasi* PER ARIDAM transierunt.

QUOD EXPERTI ÆGYPTII. Græc. : *Cujus experimentum accipientes Ægyptii, absorpti sunt*, id est, quod infideles Ægyptii tentare volentes, perierunt in aquis.

VERS. 30. — FIDE MURI JERICHO... Historiam vide Josue 6. Tubarum sonitus cum fide editus, fuit machinarum instar, ait Theodoretus.

VERS 31. — FIDE RAHAB MERETRIX... Auditis prodigiis transitûs Judæorum per mare Rubrum, submersionis Ægyptiorum, etc., Rahab credidit in Deum, cujus cultores erant Israelitæ ; hinc recepit eos cum pace et benevolentiâ ; et propterea NON PERIIT CUM aliis INCREDULIS, id est, civibus Jericho, qui tot prodigiis non crediderunt. Et non prohibuit vitæ improbitas salutem, quia fides contexit vulnera peccati, Theodoretus.

VERS. 32. — ET QUID ADHUC DICAM? Græc., *dico?* Syr. : *Quid amplius dicam?* id est : Quid opus est hâc de re me plura loqui? Multos itaque prætermittit ; aliquos tamen recenset, sed ordine non servato, nam Barach ante Gedeonem fuit, et Jephte ante Samsonem, et Samuel ante Davidem : porrò hi omnes per fidem magna gessêre. Historiam Gedeon vide Judic. 6 ; Barach, 4 ; Samson, Jud. 14 ; Jephte, Jud. 11.

VERS. 33. — QUI PER FIDEM VICERUNT REGNA... Chananæorum, Philistinorum, etc. ;

faciant hortatur. Ne verò per hoc vel gratiæ vel gloriæ Dei derogatum quidquam videatur, certissimè teneamus hæc duo, omne meritum nostrum esse Dei donum, et omne præmium nostrum ad Dei gloriam esse referendum.

VERS. 27. — *Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis*, id est, iram et furorem. Significat impetum animi ebullientis ad vindictam. Moyses per fidem reliquit Ægyptum, cùm ex eâ Hebræos Deo jubente eduxit. Tunc enim fide credidit se cum populo per Dei opem evasurum manus Pharaonis insequentis, populumque feliciter penetraturum in Chanaan, ut Deus promiserat.

Invisibilem enim tanquàm videns sustinuit. Iram hominis visibilis contempsit, quia fide Deum invisibilem, tanquàm videret, *sustinuit*, hoc est, expectavit, scilicet adjutorem et remuneratorem.

VERS. 28. — *Fide celebravit pascha*, etc. *Pascha*, à phase, quod transitum significat. Rationem nominis ipse Dominus adjecit dicens, Exod. 12 : *Et transibo per terram Ægypti nocte illâ, percutiamque omne primogenitum*, etc., *et videbo sanguinem, et transibo vos*, id est, præteribo. Porro *sanguinis effusionem* agni immolati intellige. Nam de sanguine ejus effuso linebant vel aspergebant quisque suæ domûs utrumque postem et superliminare, sicut eis fuerat præceptum.

VERS. 29. — *Fide transierunt mare Rubrum*, etc. Fide enim, quâ credebant Hebræi Moysi Dei nomine promittenti miraculosum et felicem maris sicco pede transitum, hâc, inquam, fide excitati Hebræi, ipsum mare Rubrum fidenter et securè ingressi, quasi aridam terram calcârunt et transgressi sunt.

VERS. 30. — *Fide muri Jericho corruerunt*, etc. Crediderunt enim præcipienti ac promittenti Domino, si urbem Jericho circumirent septem diebus, futurum ut mœnia civitatis spontè corruerent.

VERS. 31. — *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis*, etc. Fide, quâ scilicet Rahab credidit Jerichuntem et reliquas urbes Chanaan à Deo, uti promiserat, tradendas esse Hebræis.

VERS. 32. — *Et quid adhuc dicam?* etc. Gedeon enim fide, quâ credidit Deo, sibi et suis promittenti victoriam de Madianitis, eamdem obtinuit, Judic. 7. *Barach* fide quâ credidit Debboræ, nomine Dei mandanti ut pugnaret contra Sisaram, eumdem instar fulminis profligavit, Judic. 4. Sic Samson, Jephte, David et alii, fide quâ credebant Deo se excitanti ad prælium contra Philisthæos, Ammonitas, aliosque hostes populi Dei, eosdem prostraverunt. *Et prophetis*, intellige cæteris. Nam et David et Samuel prophetæ fuerunt, Hieronymus in Jeremiæ cap. 7. Quòd si Jephte obtulit filiam suam virginem Deo, non sacrificium placuit, sed animus offerentis. August., q. 49 super Judic., in hoc propensior est ut censeat Jephte malè vovisse, et pejùs implêsse quod voverat, rectèque admonet, id quod dicitur factum fuisse super eum Spiritum Domini, referendum esse non ad votum quod fecit, sed ad ea quæ adversùs hostes fortiter gessit. Quare cum B. Thomâ dicendum videbitur eum peccâsse quidem hoc facto, sed pœnitentiâ peccatum diluisse. Vixit enim postea sex annis ; nec enim tenebatur temerario et illicito voto.

VERS. 33. — *Qui per fidem vicerunt regna* (Chananæorum, Philistinorum, Ammonitarum et alio-

OPERATI SUNT JUSTITIAM, id est : non solùm honestam et justam vitam agentes, sed et jus suum cuique tribuentes, ut justi judices, et rectores populi Dei.

ADEPTI SUNT REPROMISSIONES, id est, bona cœlitùs promissa, v. g., Josue et Caleb terram promissam ;

OBTURAVERUNT ORA LEONUM : Samson, David, Daniel ;

VERS. 34. — EXTINXERUNT IMPETUM IGNIS ; Græc., *vim ignis*, v. g., tres pueri ;

EFFUGERUNT ACIEM ; Græc., *ora gladii*, v. g., Elias Jezabelis gladium, David gladium Saülis, etc. ;

CONVALUERUNT DE INFIRMITATE, v. g., Ezechias, Tobias, Job ;

FORTES FACTI SUNT IN BELLO, CASTRA VERTERUNT EXTERORUM ; hoc ad reges et belli duces pertinet ;

VERS. 35. — ACCEPERUNT MULIERES DE RESURRECTIONE.... Et reddiderunt mulieribus filios ipsarum ex resurrectione mortuorum : ut Sareptana vidua et Sunamitis, quarum illa ab Eliâ, hæc ab Elisæo filium suum mortuum recepit vivum ;

ALII AUTEM DISTENTI SUNT ; Græc., *tympanizati sunt*. Tympanum autem erat tormenti genus, quo homines distendebantur, et sic distenti, fustibus, flagris et loris feriebantur, velut tympana ;

NON SUSCIPIENTES REDEMPTIONEM, id est, liberationem à tormentis, quam offerebant tyranni, ut patet in Eleazaro et in Machabæis (si sancti vellent justitiam seu fidem deserere), UT MELIOREM ; Syr., *præstantiorem*, scilicet vitâ præsente, quæ offerebatur, RESURRECTIONEM HABERENT, in fine seculorum : hoc se sperare palàm, mediis in suppliciis, professi sunt tertius et quartus Machabæorum frater.

VERS. 36. — ALII VERÒ LUDIBRIA ET VERBERA..... Alii *ludibria* subierunt et *verbera*, alii vinculis sunt onerati et in carceres detrusi ;

VERS. 37. — LAPIDATI SUNT, ut Naboth ; SECTI SUNT, ut Elias ; TENTATI SUNT, ut Job, IN OCCISIONE GLADII. . . ; gladio occisi sunt, ut prophetæ Domini à Jezabele occisi, 3. Reg. 18, v. 4 ;

CIRCUIERUNT IN MELOTIS, id est, hùc illùc circuierunt oberrantes, ovium pellibus induti : *melota* est pellis ovina, μῆλον significat ovem ;

IN PELLIBUS CAPRINIS : talis fuit prophetarum habitus ;

EGENTES, id est, rerum inopes, ipso pane quotidiano indigentes ;

ANGUSTIATI, id est, angustiis ubique et undique pressi,

rum), *operati sunt justitiam*. *Operari justitiam* est specialiter accipi pro eo, quod est jus dicere, justa exercere judicia. Sic enim propriè pertinet ad judices ; cujusmodi præter alios ac præ cæteris insignes fuêre Moyses, Samuel, David. De Davide sunt hæc verba : *Faciebat judicium et justitiam omni populo suo*, 2 Reg. 8, et 1 Par. 18, et ipsius de se Psal. 118 : *Feci judicium et justitiam*.

Adepti sunt repromissiones, v. g., cùm Josue, Caleb, aliique Hebræi ingressi sunt, possederuntque terram Chanaan sibi promissam.

Obturaverunt ora leonum. Ad Samsonem et Davidem plerique referunt, quorum uterque leonem interfecisse legitur ; et Daniel, qui suâ præsentiâ et sanctitate clausit ora leonum fame rabidorum, ut eum contingere non auderent, Dan. 6.

VERS. 34. — *Extinxerunt impetum ignis*, scilicet, tres socii Danielis, Sidrach, Misach et Abdenago in fornace Babylonicâ, Dan. 3.

Effugerunt aciem gladii ; fugerunt ora gladii, liberati sunt ab ore gladii. Nam *os* pro acie cultri seu gladii dicunt Hebræi, quòd eâ parte mordeat. Sensus est : Evaserunt hostiles gladios. Sic Elias effugit gladium Jezabelis, David, Saülis, etc.

Convaluerunt de infirmitate, id est, à morbo, uti Ezechias et Tobias à cæcitate, et Job à suâ plagâ.

Fortes facti sunt in bello. Ad judices et reges pertinet, qui rebus bello fortiter gestis in populo Dei claruerunt. Item ad fortes Davidis, quorum nomina et heroica facta recensentur, 2 Reg. 23, et 1 Paralip. 11 ; denique ad Judam Machabæum et fratres ejus, etc.

Castra verterunt exterorum, id est, inclinaverunt, hoc est, in fugam compulerunt. De Gedeone et Jonathâ filio Saûl quorum ille cum trecentis viris castra Madianitarum ingressus, ea percussit et contrivit, Judic. 7 ; hic verò, comitatus armigero suo, cùm ad stationem Philistinorum transiisset, multis prostratis tumultu ac cæde castra eorum complevit, 1 Reg. 14.

VERS. 35. — *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos*. Sareptanam viduam et Sunamitidem mulierem intelligit, quarum illa ab Eliâ, hæc ab Elisæo filios suos mortuos receperunt vivos, 3 Reg. 17, et 4 Reg. 4.

Alii autem distenti sunt. Notat Eleazarum et Machabæos, qui ab Antiocho Epiphane dirè cruciati sunt. D. Eleazaro enim dicitur : *Voluntariè præibat ad supplicium*, 2 Machab. 6. Hinc ista Machabæorum vox : *È cœlo ista* (corporis membra) *possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero*.

Non suscipientes redemptionem ; ut meliorem invenirent resurrectionem ; q. d. : Eleazarus, Machabæi et similes voluntariè hæc tormenta subierunt : poterant enim, si vel verbulo Antiocho cessissent, omnibus pœnis redimi et liberari, etc.

VERS. 36. — *Alii verò ludibria et verbera experti*, etc. Ludibrio et derisui sunt habiti Samson, effossis oculis à Philisthæis, et Elisæus à pueris inclamantibus : *Ascende, calve*, 4 Reg. 2 ; Job quoque et Tobias non solùm irrisi, sed et probris impetiti sunt ab amicis et propriis uxoribus ; flagris cæsi sunt Israelitæ ab Ægyptiis qui præerant operibus, Exodi 5 ; in carcere clausus Joseph, Genes. 39, cæsi, vincti et incarcerati Michæas et Jeremias.

VERS. 37. — *Lapidati sunt*, ut Naboth Jezraelites, 3 Reg. 21, et Zacharias Joiadæ filius, 2 Par. 24, aliique multi. Item Jeremias, juxtà Hebræorum traditionem. De quo Tertull., Scorpiaci 8 : *Jeremias*, inquit, *lapidatur*.

Secti sunt. De Isaiâ penè omnes intelligunt, quem à Manasse rege serrâ aiunt ligneâ dissectum fuisse. Machabæis manus et pedes resecti et præcisi sunt, 2 Machab. 7.

Tentati sunt, ut Abraham, inquit Theodoretus. Est igitur aptius exemplum sancti Job, à Satanâ tentati.

In occisione gladii mortui sunt. Sacerdotes in Nobe Saûl occidit, totamque civitatem percussit in ore gladii, 1 Reg. 22. Prophetas Domini Jezabel interfecit, 3 Reg. 19. Manasses sanguine innoxio replevit Jerusalem usque ad os, 4 Reg. 21. Uriam quoque prophetam gladio percussit rex Joachim, Jerem. 26.

Circuierunt melotis, in pellibus caprinis. Respicit

AFFLICTI; Græc., *malè habiti*, id est, omnibus modis vexati;

VERS. 38. — QUIBUS DIGNUS NON ERAT MUNDUS..., id est : Viri tanti, et quorum consuetudine et consortio dignus non erat mundus, ex urbibus et vicis expulsi *errabant* IN SOLITUDINIBUS. . ., MONTIBUS; latitabant in SPELUNCIS ET CAVERNIS, etc.

VERS. 39. — ET HI OMNES TESTIMONIO FIDEI PROBATI. Græc. : *Testimonio probati per fidem*; Syr. : *De quibus extitit testimonium quoad fidem eorum*; id est : *Et hi omnes*, de quibus in toto hoc capite, etsi ob fidem servatam et propugnatam, divino testimonio in Scripturis fuerint approbati et laudati,

NON ACCEPERUNT REPROMISSIONEM, id est, tunc tamen temporis, seu toto veteris Testamenti tempore, non receperunt bona promissa, cœlestem scilicet hæreditatem,

VERS. 40. — DEO PRO NOBIS ALIQUID MELIUS PROVIDENTE; Deo per singularem in nos bonitatem, providente, ut usque ad tempora nostra, nimirùm usque ad ascensionem Christi, nemini sanctorum pateret aditus cœlorum.

UT NON SINE NOBIS CONSUMMARENTUR, id est : ut non ante novi Testamenti tempus, quod nostrum est, consummatam consequerentur beatitudinem; animæ quidem, quam consecuti sunt per visionem Dei, quâ fruuntur ab ascensione Christi; corporis verò, quâ fruentur nobiscum in resurrectione generali. Itaque neutram *sine nobis*, id est, ante tempora nostra, recipiunt beatitudinem. Feliciora itaque tempora nostra. Tempus veteris Testamenti fuit laboris et expectationis, tempus nostrum est præmiationis et fruitionis. Nos ergo pudeat, si pusillo simus animo mercedem jamjam recepturi, cùm omnes antiquiores sancti tanta mala et tam fortiter passi sint, licèt diù præmium expectaturi.

Apostolus ad prophetas, potissimùm ad Eliam, et pallii ejus hæredem Elisæum, qui etiam, 4 Reg. 1, vocatur *homo pilosus, et zonâ pelliceâ accinctus renibus*. Porrò usi sunt prophetæ melote, quasi vili et aspero amictu. Ita S. Joannes Baptista prædicans vestitus erat cilicio è pilis camelorum confecto, et zonâ pelliceâ cinctus. Hinc et sancti eremitæ olim melote sunt usi.

Egentes, id est, destituti rebus necessariis. Talis fuit Elias fugiens Jezabelem, quem Deus pane per corvum submisso alere debuit; item Judas Machabæus, qui cum sociis inter feras vitam degens fœni cibo vescebatur, 2 Mach. 5.

Angustiati, id est, angustiis pressi, ut David, quando à Saüle coarctatus desperabat se posse evadere, 1 Reg. 23, et Elias, quando fugiens à facie Jezabel petivit animæ suæ ut morereturr, 3 Reg. 19.

Afflicti, id est, malè habiti, malè tractati et mulctati, cujus exemplum afferunt Amos prophetam, quem Epiphanius narrat ab Amasio sacerdote Bethel assiduè vapulâsse, tandemque ab ejus filio secundùm tempora fuste percussum occubuisse.

VERS. 38. — *Quibus dignus non erat mundus*; q. d. : Hi viri sancti tantæ dignitatis erant, ut mundus eos habere non mereretur. Ipsi enim suis apud Deum precibus urbes et provincias, imò mundum totum conservabant. Unde Eliæ, cùm raperetur, succlamavit Elisæus : *Pater mi* (tu es), *currus Israel et auriga ejus.*

In solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ. Ita David fugit Saülem, latuitque in speluncâ Odollam, inde in Ziph, inde in deserto Engaddi, 1 Reg. 22. Ita centum prophetæ occultati sunt, et gladio Jezabelis subducti per Abdiam, 3 Reg. 18. Nota Eliam, Elisæum et filios prophetarum, communiter in montibus versatos esse, ac præsertim Carmelum adamâsse.

VERS. 39. — *Et hi omnes testimonio fidei probati*, etc. Illam scilicet quæ antonomasticè dicitur repromissio, nimirùm bonorum cœlestium et consummatæ beatitudinis.

VERS. 40. — *Deo pro nobis melius aliquid providente. Melius*, id est, præstantius aliquid nobis quàm priscis patribus providit Deus, hoc ipso quo disposuit ut tempus beatitudinis et resurrectionis non foret apud illos in veteri, sed apud nos in novo Testamento.

Ut non sine nobis consummarentur. Non acceperunt promissionem, scilicet perfectè seu consummatè : perfectè enim accipietur promissio, quando resuscitatis ad immortalitatem corporibus, sancti homines cum Christo regnabunt in cœlis; nam ante id tempus animæ solæ regnant et beatæ sunt, non homines, nisi synecdochicè; loquitur autem Apostolus de hominibus : deinde, quia paulò ante de quibusdam dixit : *Ut meliorem invenirent resurrectionem*; agit ergo de consummatione quæ per resurrectionem fieri debeat.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

CIRCA FIDEM.

Primò notandum quàm necessaria sit; quandoquidem sine fide nunquàm salus facta est. Ab initio mundi quicumque Deo placuerunt, per fidem placuerunt; per fidem scilicet in Deum, seu quâ Dei dictis crediderunt et confiderunt; ita ut *sine fide impossibile sit placere Deo*, v. 6. Hinc fides initium creaturæ Dei, radix salutis, ex quâ nascitur justitia et sanctitas quâ Deo placemus, et cui promissa est salus æterna. Quanta itaque debet esse nostra sollicitudo de fide? quàm frequenter et quàm ardenter orandum : Domine, da fidem, adauge fidem. Secundò notandum quàm necessaria sit Christiano, præsertim in afflictionibus, ut constanter patiatur et cum merito. Recordare tunc egregiæ hujus descriptionis quam D. Paulus Hebræis afflictis exhibet, ut eos soletur, roboret et ad perseverantiam animet. *Fides est sperandarum substantia*, hypostasis, subsistentia et existentia *rerum* : dat quamdam substantiam et existentiam rebus speratis, facit eas stare et subsistere. Utere ergo fide tuâ; fac ut in mente tuâ existat et subsistat per fidem æterna beatitudo, regnum cœlorum patientibus promissum; et patieris cum gaudio : *Communicantes Christi passionibus gaudete*. . . Fides est *argumentum*, elenchus, demonstratio, convictio *non apparentium* : est quasi dioptra quâ res remotissimæ et aliis non conspicuæ quasi proximæ videntur. Hâc ergo patiens utere dioptrâ divinâ, oculo fidei æternæ vitæ bona conspice dicque

tibi cum Apostolo : *Momentaneum et leve tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in me.* Quò major erit fides tua, eò major patientia et in tribulatione lætitia. Sicut astronomi per dioptram, mira in cœlestibus animadvertunt, antiquis ignota, sic sancti per fidem vident quæ non vident infideles : et sicut quò major et melior dioptra, eò plura nova et clariùs vident astronomi, sic quò major fides sanctorum, eò major est eorum sanctitas, major rerum præsentium contemptus, major in adversis patientia. Dic ergo sæpissimè : *Domine, adauge mihi fidem.*

CIRCA MUNDI CONTEMPTUM.

Mirum habes de contemnendo mundo documentum in sanctis patriarchis Abraham, Isaac et Jacob ; qui licèt longam ducturi essent vitam, terram tamen non possederunt, domum non ædificaverunt, in casulis, in tabernaculis mobilibus habitârunt, ut hoc ipso significarent se peregrinos et viatores esse, et aliò tendere, nempe ad civitatem firmam, fundatam, immobilem, æternam. Si hoc ante Christum, si tanta tunc mentis et cordis fuit à temporalibus sequestratio, quid nunc Christiani *cives sanctorum et domestici Dei ?*

Recordare te cœli civem, terræ autem advenam ; terrena consequenter despice, cœlestia suspice : ab omnibus terrenis mente et corde sequestratus, expecta, desidera, anhela ad civitatem cujus artifex et conditor est Deus ; imò cujus opes, deliciæ, beatitudo, Deus. Heu quàm terra sordet, cùm cœlum aspicio ! Illic vanitas, cupiditas, momentaneitas ; ibi rex veritas, lex charitas, modus æternitas : hæc ultima verba sunt D. Aug., epist. 5, ad Marcellinum.

CIRCA FORTITUDINEM.

Falsò dicitur ab impiis fidem et fortitudinem esse incompatibiles : imò nulla major fortitudo quàm quæ ex fide, quæ nec ferrum, nec ignem, nec arma, nec leones timet, ut habes in v. 33, 34, etc. Mirum habes hujus fidei et fortitudinis exemplum in Moyse, qui regnum, opes, delicias Ægypti postposuit opprobrio Christi, qui regis edictum non timuit, Exod. 10, v. 28. Hujus fortitudinis præsagium dedit Moyses infans ; cùm enim Pharao suum illi diadema per jocum imposuisset, illud in terram abjecit Moyses, ait Joseph., Antiq. 2, 5. Duo Moysen roborârunt ad agendum et ad patiendum. Primum, aspectus remunerationis æternæ : *Aspiciebat enim in remunerationem*, v. 26 ; secundum, aspectus Dei continuus, divinique adjutorii certa expectatio : *Invisibilem quasi videns sustinuit*, v. 27. Hæc duo sint animæ tuæ in actionibus et passionibus fulcra : invisibilem quasi videns sustine, et nihil timebis ; æternam aspice remunerationem, nihil terrenum amabis, nulla mala temporalia reformidabis. O Deus, mihi semper et ubique præsens, da mihi continuam tuæ præsentiæ fidem ; te cogitem, te diligam, in te confidam, coram te ambulem : *Non timebo mala, quoniam tu mecum es, Domine.*

CAPUT XII.

1. Ideòque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen :

2. Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contemptâ, atque in dexterâ sedis Dei sedet.

3. Recogitate enim eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversùm semetipsum contradictionem : ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.

4. Nondùm enim usque ad sanguinem restitistis, adversùs peccatum repugnantes.

5. Et obliti estis consolationis quæ vobis tanquàm filiis loquitur, dicens : Fili mi, noli negligere disciplinam Domini ; neque fatigeris dùm ab eo argueris.

6. Quem enim diligit Dominus, castigat ; flagellat autem omnem filium quem recipit.

7. In disciplinâ perseverate ; tanquàm filiis vobis offert se Deus ; quis enim filius quem non corripit pater ?

8. Quòd si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri, et non filii estis.

9. Deinde patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus, et reverebamur eos ; non multò magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus ?

10. Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundùm voluntatem suam erudiebant nos ; hic au-

CHAPITRE XII.

1. Puis donc que nous sommes environnés d'une si grande nuée de témoins, dégageons-nous de tout ce qui nous appesantit, et des liens du péché qui nous serrent si étroitement, et courons par la patience dans cette carrière qui nous est ouverte,

2. Jetant les yeux sur Jésus, comme sur l'auteur et le consommateur de la foi, qui, dans la vue de la joie éternelle qui lui était proposée, a souffert sur la croix, en méprisant la honte, et qui est maintenant assis à la droite du trône de Dieu.

3. Pensez donc en vous-mêmes à celui qui a souffert une si grande contradiction de la part des pécheurs qui se sont élevés contre lui, afin que vous ne vous découragiez point, et que vous ne tombiez point dans l'abattement,

4. Car vous n'avez pas encore résisté jusqu'à répandre votre sang, en combattant contre le péché.

5. Et avez-vous oublié cette exhortation qui s'adresse à vous, comme étant enfants de Dieu : Mon fils, ne négligez pas le châtiment dont le Seigneur vous corrige ; et ne vous laissez pas abattre lorsqu'il vous reprend ?

6. Car le Seigneur châtie celui qu'il aime, et il frappe de verges tous ceux qu'il reçoit au nombre de ses enfants.

7. Ne vous lassez donc point de souffrir : Dieu vous traite en cela comme ses enfants : car qui est l'enfant qui ne soit point châtié par son père ?

8. Et si vous n'êtes point châtiés, tous les autres l'ayant été, vous êtes donc des bâtards, et non pas de vrais enfants.

9. Et de plus, si nous avons eu du respect pour les pères de notre corps, lorsqu'ils nous ont châtiés, combien plus devons-nous être soumis à celui qui est le père des esprits, afin que nous vivions ?

10. Car quant à nos pères, ils nous châtiaient

tem ad id quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus.

11. Omnis autem disciplina, in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris : postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.

12. Propter quod remissas manus ut soluta genua erigite,

13. Et gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.

14. Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Deum :

15. Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei; ne qua radix amaritudinis sursùm germinans impediat, et per illam inquinentur multi.

16. Ne quis fornicator aut profanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua.

17. Scitote enim quoniam et postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est : non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquàm cum lacrymis inquisisset eam :

18. Non enim accessistis ad tractabilem montem, et accensibilem ignem, et turbinem, et caliginem, et procellam,

19. Et tubæ sonum, et vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbum.

20. Non enim portabant quod dicebatur : Et si bestia tetigerit montem lapidabitur.

21. Et ita terribile erat quod videbatur; Moyses dixit : Exterritus sum et tremebundus.

22. Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam ;

23. Et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum,

24. Et testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem meliùs loquentem quàm Abel.

25. Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur, multò magis nos, qui de cœlis loquentem nobis avertimus :

26. Cujus vox movit terram tunc, nunc autem repromittit, dicens : Adhuc semel, et ego movebo non solùm terram, sed et cœlum.

27. Quod autem, adhuc semel, dicit, declarat mobilium translationem tanquàm factorum, ut maneant ea quæ sunt immobilia.

28. Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam, per quam serviamus placentes Deo, cum metu et reverentiâ.

29. Etenim Deus noster ignis consumens est.

comme il leur plaisait, par rapport à une vie qui dure si peu ; mais Dieu nous châtie autant qu'il nous est utile, pour nous rendre capables de participer à sa sainteté.

11. Or, tout châtiment, lorsqu'on le reçoit, semble être un sujet de tristesse et non de joie; mais ensuite il fait recueillir dans une profonde paix le fruit de la justice à ceux qui auront été ainsi exercés.

12. Relevez donc vos mains languissantes, et fortifiez vos genoux affaiblis.

13. Conduisez vos pas par des voies droites, afin que, s'il y en a quelqu'un qui soit chancelant, il ne s'écarte point du véritable chemin, mais plutôt qu'il se redresse.

14. Recherchez la paix avec tout le monde, et la sainteté sans laquelle nul ne verra Dieu.

15. Prenez garde que personne ne manque à la grâce de Dieu, de peur que quelque racine amère, poussant en haut ses rejetons, n'étouffe la bonne semence, et ne souille l'âme de plusieurs.

16. Qu'il ne se trouve parmi vous quelque fornicateur, ou quelque profane, comme Ésaü, qui vendit son droit d'aînesse pour un seul plat.

17. Car vous savez qu'ayant depuis désiré d'avoir, comme premier héritier, la bénédiction de son père, il fut rejeté; et il ne put lui faire changer de résolution, quoiqu'il l'en eût conjuré avec larmes.

18. Car vous ne vous êtes pas approchés d'une montagne matérielle, d'un feu brûlant, d'un nuage obscur et ténébreux, des tempêtes et des éclairs,

19. Du son d'une trompette, et du bruit d'une voix qui était telle, que ceux qui l'entendirent supplièrent qu'on ne leur parlât plus.

20. Car ils ne pouvaient porter la rigueur de cette menace : Que si une bête même touchait la montagne, elle serait lapidée.

21. Et ce qui paraissait était si terrible, que Moïse dit lui-même : Je suis tremblant et saisi d'effroi.

22. Mais vous vous êtes approchés de la montagne de Sion, de la ville du Dieu vivant, de la Jérusalem céleste, d'une troupe innombrable d'anges,

23. De l'assemblée et de l'Eglise des premiers-nés qui sont écrits dans le ciel, de Dieu qui est le juge de tous, des esprits des justes qui sont dans la gloire;

24. De Jésus qui est le médiateur de la nouvelle alliance, et de ce sang dont on a fait l'aspersion, qui parle plus avantageusement que celui d'Abel.

25. Prenez garde de mépriser celui qui vous parle; car si ceux qui ont méprisé celui qui leur parlait sur la terre n'ont pu éviter la peine, nous pourrons bien moins l'éviter, si nous rejetons celui qui nous parle du ciel;

26. Lui dont la voix alors ébranla la terre, et qui maintenant déclare ce qu'il doit faire, en disant : J'agirai encore une fois, et non seulement j'ébranlerai la terre, mais le ciel même.

27. Or, en disant encore une fois, il déclare qu'il fera cesser les choses mobiles, comme étant faites seulement pour un temps, afin que celles qui sont immobiles demeurent pour toujours.

28. C'est pourquoi, commençant déjà à posséder ce royaume qui n'est sujet à aucun changement, conservons la grâce, par laquelle nous puissions rendre à Dieu un culte qui lui soit agréable, étant accompagné de respect et d'une sainte frayeur ;

29. Car notre Dieu est un feu dévorant.

ANALYSIS.

V. 1, *tot sanctorum veterum de fidei potentiâ et utilitate testium exemplis Hebræos provocat ad alacritatem et ad constantiam in fide.*

V. 2, *antiquos transiliens, transcendit usque ad Christum, nostræ fidei auctorem ; ejusque voluntariæ passionis exemplo Hebræos ad patientiam animat.*

V. 3 *et* 4 : *Attendant ergo quis sit, quæ et à quibus passus sit, et ipsos pudebit tam levia patientes, malis levioribus vinci : Nondùm usque ad sanguinem, etc.*

V. 5, 6, 7, 8, 9 *et* 10, *variis eos consolatoriis ratio-*

nibus demulcet; Deus ut pater illos castigat, v. 5; hæc castigatio amoris paterni probatio, v. 6; adoptionis divinæ testimonium, imò et necessaria conditio, v. 6, 7, 8. Si ergo patres nostros carnales cum reverentiâ tulimus in pueritiâ nos pro suo arbitrio et ad vitam brevem et miseram castigantes, quantò magis patrem animarum nostrarum pro suâ sapientiâ ad æternam salutem nos castigantem sustinebimus? v. 10. Equidem amara nunc afflictio, at dulces erunt fructus illius; ipsa enim mater pacis æternæ, v. 11.

Hinc, v. 12, concludit, ut excussâ socordiâ viriliter et per viam rectam currant ad hanc beatitudinem æternam; sint pacifici, sint sancti, v. 14; attendant ne quis eorum desit gratiæ Dei, v. 15, ne quis sit scortator, ne quis profanus, Esau similis, v. 16, 17, quia, v. 18, tantò sanctiores et puriores esse debent, quantò ad perfectius et melius Testamentum pertinent; non ad vetus, quod v. 18, 19, 20, 21, describitur, sed ad novum, de quo v. 22, 23, 24.

A v. 25 usque in finem, urget eos ad obediendum Christo, tum ex punitione eorum qui legi Mosaicæ non obedierunt, tum ex rigore futuri judicii; Deus enim in suæ legis violatores ignis est flagrantissimus, qui in momento urit, torquet, consumit.

PARAPHRASIS.

1. Cum igitur tantum habeamus agmen illustrium de fidei potentiâ et utilitate testium, qui nos nubium in morem undique sepiunt, abjiciamus à nobis onera omnia, et præsertim peccatum, nos quasi vestis circumstans; totisque viribus alacres et expediti curramus cum patientiâ cursum nobis propositum, cujus bravium æterna beatitudo.

2. Curramus, inquam, oculos à Christo, fidei nostræ auctore et consummatore, non dimoventes, qui, loco gaudii, quo frui poterat, liberè et voluntariè crucem præelegit, ignominiâ tali supplicio conjunctâ, non retardatus: et propterea assidet nunc dexter magnifico Dei Patris throno.

3. Assiduè igitur et seriò cogitate quis ille sit, quæ et à quibus, nimirùm à sceleratis, passus sit probra, tormenta, vulnera; quibus si quæ patimini conferatis, vos pudebit tam levia patientes animo deficere.

4. Ne minimam quidem sanguinis guttulam hactenùs fudistis in certamine quod peccato resistentes sustinuistis; Christus verò totum suum sanguinem fudit pro vobis: hanc ergo Filii Dei pro vobis passionem seriò perpendite, et vos in vestris passionibus animo non deficietis.

5. Anne obliti estis divinæ illius Scripturæ in quâ Deus vos tanquàm filios suos adhortatur et solatur his verbis: Fili mi, ne rejicias correptionem Domini, nec deficias ad ejus castigationem, quæ divinæ ejus in te benevolentiæ signum est?

6. Quem enim Dominus diligit, hunc hujus vitæ malis corripit, ut erudiat, emendet, et exerceat (nostræ etiam adoptionis à Deo signum est), flagellat enim Deus omnem quem recipit in filium.

7. His ergo consolatoriis verbis instructi, castigationem vestram constanter sustinete: Deus exhibet se vobis ut patrem, et vobiscum agit quasi cum filiis, quos æternæ hæreditati percipiendæ adaptat; hinc vestram agnoscite felicitatem: quis enim germanus filius, quem aliquando pater non corripiat?

8. Quòd si è contra absque castigatione, quæ omnibus veris Dei filiis est communis, estis aut esse cupitis; ergo adulterini, spurii, et illegitimi estis.

9. Et sanè si parentes, à quibus corpus tantùm habemus, cùm nos in pueritiâ castigarent, non modò passi sumus, sed etiam reveriti, quantò æquiùs ut Deo, Patri cœlesti, non corporum tantummodò, sed et spirituum nostrorum auctori, subjiciamur, eumque nos corripientem revereamur, cùm hæc ejus correptio vitam nobis pariat sempiternam?

10. Hoc eò æquius, quòd parentes nostri carnales erudiebant nos ad vitam paucorum tantummodò dierum, nosque castigabant pro suo arbitratu, et sæpè ex errore: at Pater cœlestis, pro suâ sapientiâ et bonitate castigat nos, ad veram utilitatem nostram, scilicet ut nobis suam in hoc mundo sanctimoniam conferat, et in futuro suam æternam felicitatem.

11. Fateor quòd omnis quidem castigatio eo ipso tempore quo fit non videtur esse gaudii, sed tristitiæ, quia doloris sensu nos afficit; ipsa tamen postea illis qui per eam exercitati probatique fuerint fructum affert pacatissimum justitiæ in hâc vitâ, et beatitudinis in æternitate.

12. His igitur omnibus attentè consideratis, excussâ socordiâ, manus languidas excitate, et genua nutantia erigite, ut per patientiam curratis alacres et expediti.

13. Recto cursu properate ad metam, ne quis hùc et illùc deflectens aberret; quinimò, si quid aberratum est, hâc rectitudine et alacritate reparetur.

14. Pacem cum omnibus, si fieri potest, habete; studete cordis puritati, sine quâ nemo Deum videbit;

15. At propriâ salute vestrâ non contenti, communi studio pro aliis solliciti estote, attendentes ne quis vestrùm in viâ decidat à gratiâ Dei; caventes etiam ne qua radix amaritudinis, vel falsæ doctrinæ, vel pravi exempli, inter vos pullulans, et succrescens, vobis ad cœlestia currentibus obstet; et latiùs serpens plures alios suo inficiat veneno.

16. Ne quis sit inter vos scortator; ne quis sit profanus, gulæ et ventri deditus, ut Esau, qui sibi datum à Deo primogenituræ honorem vendidit, idque pro uno vili edulio.

17. Etenim meminisse debetis quòd postea cupiens ut primogenitus benedictionem à patre jure hæreditario consequi, rejectus est, nec suis lacrymis obtinere potuit ab Isaac ut benedictionem primogenituræ Jacobo datam revocaret. (Hoc edocti exemplo, videte ne sicut ille, jus vestrum ad hæreditatem cœlestem vendatis pro pulmento, pro delectatione, aut utilitate temporali: sed è contra terrenis omnibus spretis, omnimodæ, ut dixi v. 14, sanctimoniæ studete.)

18. Quò sanctior est vestra professio, eò perfectior

esse debet sanctitas vestra : non enim, sicut olim patres vestri, pedibus accessistis ad montem Sina, qui corpore tangi potest, nec ad ignem incensum quo visibiliter ardebat ille mons, nec ad turbinem et caliginem et procellam quæ sensibus percipiebantur ;

19. Nec ad tubæ sonum, nec ad vocem, quâ Deus per angelum sua præcepta proclamabat; cujus tantus erat fragor, ut eam audientes expavefacti, deprecati sint ne pergeret eis loqui Deus, sed Moyses ipse loqueretur eis :

20. Ne Moysis quidem vocem ferre poterant dicentis : Cavete ne ascendatis in montem, etc. ; omnis qui tetigerit montem, morte morietur, etc., sive jumentum fuerit, sivè homo, Exod. 19, v. 12, 13 ; et quomodò ipsius Dei vocem ferre potuissent ?

21. Etenim adeò terribilis erat species rerum quæ fiebant in hoc monte, ut Moyses ipse, Deo familiaris et prodigiis assuetus, dixerit : Exterritus sum et tremebundus.

22. Ad hæc, inquam, terribilia spectacula non accessistis, sed per fidem et baptisma accessistis ad res eò præstantiores, quò magis spirituales ; ad spiritualem montem Sion, ad civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, ad innumerabilium angelorum cœtum,

23. Ad Ecclesiam apostolorum et martyrum, primorumque Christi fidelium, qui primitias Spiritûs acceperunt, quique jam vitâ functi regnant in cœlis, ad Judicem universorum Deum, qui charitate uniti estis, ad spiritus patriarcharum, prophetarum et omnium sanctorum, qui per fidem mira operati et passi sunt,

24. Ad novi Testamenti Pontificem Jesum, cui velut membra capiti, incorporati estis, ad hujus Pontificis sanguinem, cujus aspersione sanctificati estis, et qui non vindictam postulat, ut sanguis Abel, sed misericordiam impetrat.

25. Tantâ, et tam multiplici gratiâ præventi, videte ne Christum Christique sanguinem adeò clementer pro vobis loquentem aspernemini, ab ejus fide deficientes : etenim si patres vestri, Moysi homini in terrâ loquenti non obedientes, divinam ultionem non effugerunt, multò minùs nos Christiani supplicium vitabimus, si Christum Filium Dei, è cœlo nobis loquentem non audiamus, sed aversemur.

26. Cujus Christi Dei vox terram movit, cùm lex in monte Sinâ daretur ; at cujus vox, juxta Aggæi prophetiam, rursùs aliquando, non Sina tantùm et terram, sed et ipsum cœlum movebit.

27. Porrò cùm per Aggæum dicit : Adhuc semel, et ego movebo, non solùm terram, sed et cœlum, significat ea quæ moventur, terram scilicet et cœlum, esse transmutanda, ut deinceps in æternum maneant cœli novi et terra nova, regnum scilicet Christi consummatum : nec mirum sit illa à Christo transmutari, quæ ad id facta sunt à Christo.

28. Cùm hæc ita sint, quòd Christus sit cœlum et terram immutaturus, ut regnum sibi paret immutabile, nos Christiani fide vivâ et spe firmâ hoc immobile Christi regnum suscipientes, Christianismi gratiam constanter teneamus, per quam Deo placere studentes, ipsi serviamus cum metu pudico, veriti quid turpe coram eo facere, et cum reverentiâ religiosâ illum sinceré colentes ; etenim Deus noster, instar ignis flagrantissimi, legis suæ violatores, ubi vult, urit, torquet, consumit ; nec minùs graviter Christianos puniet quàm Judæos, imò eò graviùs, quò lex evangelica præstantior est Mosaicâ.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Ideòque ; Syr., *quamobrem;* quasi diceret : Quandoquidem patres nostri tanta per fidem et ob fidem fecerunt et passi sunt, *ideò* et nos Hebræi, eorum filii, ad Christi fidem conversi,

Tantam habentes impositam, id est, capiti nostro superpositam ; Græc. : *Circumpositam vel circumjacentem ;* Syr. : *Qui nos undique sepiunt ;* id est : Non tantùm capiti nostro imminentem, sed et nos undique circumdantem, ut fit in temporibus nebulosis, quando nubes densa totum hemisphærium occupat.

Nubem, copiosam sanctorum multitudinem, de quibus in capite præcedenti ; vocat *nubem* ob densitatem et ob refrigerium : illorum enim exemplum afflictos refrigerat et solatur in æstu tribulationis, ait D. Chrysostomus ;

Testium, scilicet de potentiâ et utilitate fidei,

Deponentes omne pondus ; Syr. : *Abjiciamus à nobis onera omnia :* scilicet onera rerum terrenarum, omnes affectus seculi, qui nos ad ima deprimunt. Est similitudo sumpta à stadio ; qui enim cursuri sunt, omnia quæ sunt oneri deponunt.

Et circumstans nos peccatum ; Syr. : *Et peccatum quod semper nobis est in promptu ;* Arab. : *Et peccatum facile patratu ;* id est, quo quasi cingimur, circum-

Vers. 1. — *Ideòque et nos tantam habentes impositam nubem testium. Impositam,* id est, circumpositam, id est, undique nos continentem et circumdantem. *Nubem testium,* id est, nubem martyrum. *Testes* verò sanctos memoratos appellat, qui per fidem et pro fide vel dura sunt perpessi, vel heroica opera perfecerunt. Horum itaque testium nubes imposita, sive circumposita ac circumfusa nobis dicitur, quia tam multi sunt, ut quòcumque nos vertimus, obvia sint eorum exempla. Cùm igitur, inquit, tantâ nube testium simus undique circumsepti, faciamus quod sequitur.

Deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum. Pondus vocat sollicitudinem conservandi et augendi suas opes, omnemque sarcinam terrestrium negotiorum et curarum, inquit Theophylactus. Peccatum nos circumstat, ut nos comprehendat, implicet ac teneat, ne in cursu cœpto progrediamur ; ut si quis currentem injecto laqueo retineat. Monet ergo ut peccati laqueos et implicamenta quæ cursum remorentur excutiant abjiciantque.

Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. Vocatur autem *certamen,* quia non sine adversario curritur, non qui etiam currat, sed qui, quan-

damur, et ideò cursuris est obstaculum. Duo currentibus cavenda sunt, onus scilicet et obstaculum. Cura, affectus rerum terrenarum, est onus et quidem grave. Peccatum nos circumstans sicut vestis, vel undique cingens, instar retis, est obstaculum ; utrumque ergo deponendum.

PER PATIENTIAM ; Syr., *cum pattentiâ*. Erant afflicti, et ut cap. 10, v. 36, dictum est : *Patientia vobis est necessaria* ; Apostolique scopus est eos ad patientiam hortari : *Per patientiam* ergo.

CURRAMUS, alacres et expediti ;

AD PROPOSITUM NOBIS CERTAMEN, id est, in stadium, seu certamen cursûs nobis propositum. In Græco et in Syro non est *ad*, sed : *Curramus propositum nobis certamen*, scilicet certamen cursûs, id est, sic curramus cursum nobis propositum, ut bravium comprehendamus. Vide. 1 Cor. 9, 24. Vita christiana cursus et certamen est : cursu certamus ; hujus cursûs via difficilis et aspera ; per spinas et tribulos nobis currendum. Hinc Apostolus nobis ait : *Per patientiam curramus*.

VERS. 2. — *Aspicientes in auctorem* ; Græc., *in illum auctorem*, etc. ; Syr. : *Et respiciamus in Jesum, qui fuit principium et perfectio fidei nostræ*. Pergit in metaphorâ stadii et cursûs : *Curramus aspicientes in Jesum*, qui suo nobis præit exemplo, et qui sicut absolutissimum est nostri cursûs exemplar, ita et coronator erit. *In auctorem*, inceptorem fidei : Christus est auctor fidei, quia credenda docuit, et dat gratiam ut credamus ;

ET CONSUMMATOREM, finitorem, perfectorem, coronatorem. Est consummator fidei, quia fidem gloriâ coronat ; actum fidei obscuræ in claram visionem commutando.

QUI, PROPOSITO SIBI GAUDIO, id est, *qui gaudio* ex passione suâ secuturo, *sibi* per angelum *proposito* in horto, scil cet Gethsemani,

SUSTINUIT CRUCEM, id est, passus et crucifixus est, ut tale gaudium mereretur ;

CONFUSIONE CONTEMPTA, id est, crucis infamiam parvi pendens.

ATQUE IN DEXTERA DEI SEDET, id est, et propterea ad supremam evectus est gloriam : nempe ad dexteram Dei. Juxta hunc sensum, qui nostræ Vulgatæ est, hæc est mens Apostoli : Sicut Christo in agoniâ constituto, angelus gaudium proposuit ex morte secuturum ; nempe resurrectionem, gloriam corporis, salutem hominum, etc. ; Salvatoris enim gaudium est hominum salus, ait Theodoretus ; et sicut Christus propter hoc gaudium sibi propositum crucis ignominiam amplexus est, ita et nos in animum nostrum gloriam æternam in passionibus, vividè revocemus.

Observatio litteralis et moralis.

Sed et alius est sensus juxta Græcum et Syriacum, et quem D. Chrysostomus et alii Græci sequuntur, imò quem multi Latini præferunt ; putantes præpositionem *pro* deesse textui nostro Latino. Græc. : *Qui pro proposito sibi gaudio*, etc. ; Syr. : *Qui pro gaudio quod habebat*, etc. ; Arab. : *Qui vice propositi sibi gaudii* ; id est : Qui loco gaudii, quo frui poterat, crucem prælegit, ignominiâ tali supplicio conjunctâ non retardatus. Ut hic sensus meliùs intelligatur : Filio De liberum erat incarnari, vel non : elegit incarnari. Incarnato liberum fuit pati, mori, vel corpus suum reddere impassibile, immortale, et optio data est ei à primo Incarnationis instanti, ait Rupertus ; prælegit Christus pati et mori. Morituro liberum fuit communi morte mori, vel crucifigi, prætulit et *sustinuit crucem, confusione contemptâ*, et ob hanc mortem et ignominiam toleratam *sedet ad dexteram Dei*. Vides præmium certaminis, ait D. Chrysost., vides finem patientiæ quò perducit, ait Theophylact. Si Christus propter nos (libens et volens) crucifixus est ; quantò magis par est ut nos omnia fortiter feramus, ait D. Chrysostomus.

VERS. 3. — RECOGITATE ENIM EUM ; Græc., *talem sustinentem* ; Syr : *Videte ergo quanta sustinuerit*, etc. Tria in carne Christi attendenda : Quis ille ? quæ et à quibus est passus ? Itaque perpendite, assiduè et seriò cogitate *eum*, id est, quis, qualis et quantus sit is, qui

TALEM, emphatica est ista dictio, ait Theophylactus ; *talem*, id est, tam multiplicem, tam gravem, tam ignominiosam ;

SUSTINUIT A PECCATORIBUS ; Syr., *à sceleratis*. In versiculo præcedenti patientiam Christi extulit ex

tùm potest, currentem impediat. *Per patientiam*, id est, patienter et constanter curramus.

VERS. 2. — *Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum*. Monent ut aspiciant in Christum, velut certaminis sui præsidem ac præmiatorem. Quem *fidei* vocat *auctorem*, quia nobis fidem per gratiam suam inspirat (*est* enim *fides Dei donum*, Ephes. 2). Item Christus *fidei consummator* est, vel quia fidem cujus initia dedit, per eamdem gratiam consummat in nobis ac perficit ; vel quia certamen hoc fidei, decurrentibus, postquàm ad metam pervenerint, reddit constituta præmia. Potest etiam, ni fallor, meliùs, dictio *consummatorem* seorsùm accipi. Christus consummator noster, quia per oblationem crucis nos consummat et perficit, non solùm justificando, verùm etiam ad consummatam beatitudinem perducendo.

Qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contemptâ. Sensus est : Qui loco gaudii quo frui poterat, crucis passionem elegit. *Gaudium* intellige à molestiis et doloribus secretum, ut *gaudium* intelliga-

tur vitæ temporalis. Poterat enim non mori, si vellet ; poterat etiam se eximere omni molestiâ, vitamque degere felicem et omnibus bonis affluentem. Item poterat turbis regem se facere volentibus acquiescere, et gloriosè regnare. Sed pro his omnibus crucem elegit ac pertulit, etc. ; *confusione contemptâ*, hoc est, ignominiam supplicii non reveritus.

Atque in dexterâ sedis Dei sedet. Dicitur autem Christus *in dexterâ*, sive ad dexteram *sedis Dei sedere*, quia *Deus eum exaltavit* supra omnem creaturam, ac summo honore dignatus est, dato ei nomine *quod est supra omne nomen*.

VERS. 3. — *Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùs semetipsum contradictionem*, ut qui eum seductorem vocârint, ac dæmoniacum, et legis transgressorem, denique post irrisiones et improperia adversùs eum inclamaverint Pilato præsidi : *Crucifige, crucifige*. Nam ideò proposuit exemplum Christi passi et glorificati, ut illud recogitent.

Ut ne fatigemini, animis vestris deficientes, hoc est,

parte optionis liberæ; hìc ex parte persecutorum indignitatis, qui peccatores erant et scelerati.

ADVERSUS SEMETIPSUM CONTRADICTIONEM; Græc., *in semet*, etc. Nomine contradictionis comprehendit irrisiones, calumnias, improperia, blasphemias, imò totam passionem.

UT NE FATIGEMINI... Pergit in metaphorâ cursûs : Christum, inquam, talia et tanta pro vobis patientem attendite; ne fatigatione victi cadatis in medio cursu, seu, ut simile quid patientes non deficiatis animo.

VERS. 4. — NONDUM ENIM USQUE AD SANGUINEM...; Syr. : *Nondùm pervenistis usque ad sanguinem in certamine quod fit adversùs peccatum;* quasi diceret : Parva sunt quæ patimini, si cum Christi passionibus conferantur : nondùm enim usque ad sanguinis effusionem passi estis. Bonorum equidem vestrorum rapinam tulistis, vitam nondùm dedistis in certamine quod fit adversùs peccatum.

REPUGNANTES, ἀνταγωνιζόμενοι, instar athletæ decertantes adversùs peccatum apostasiæ, scilicet, ad quod Judæi vos sollicitant. Peccatum antagonista noster est : summum mundi malum est; nec homo, nec dæmon, nec Deus ipse tantùm mali nobis inferre potest, quantùm nobis unum tantummodò peccatum infert; malum enim pœnæ tantùm inferre possunt, quod malo culpæ seu peccato longè minùs est. Hinc quasi athletæ totis viribus contra peccatum antagonistam nostrum, naturæ malum, certare debemus, usque ad sanguinem et mortem ipsam. Aut vincendum, aut moriendum : malo mori quàm inquinari peccato.

VERS. 5. — ET OBLITI ESTIS CONSOLATIONIS; Græc., παρακλήσεως, *exhortationis*, vel consolationis; utrumque enim significat; Syr., *doctrinæ;* id est : An obliti estis adhortationis, seu consolationis quâ Deus, Prov. 3, v. 11, VOBIS TANQUAM FILIIS charissimis LOQUITUR, DICENS :

FILI MI, NOLI NEGLIGERE; Græc., *ne parvipendas* DISCIPLINAM DOMINI, id est, eruditionem quâ à Domino, ut patre, per flagella instrueris,

NEQUE FATIGERIS; Græc., *fatiscas;* Syr., *consternaris;* id est : Ne deficias animo, cùm ab eo flagellaris, corrigeris. Superiùs exemplo Christi Domini Hebræos ad patientiam animavit; nunc illos erigit ex consideratione auctoris malorum quæ patiebantur : horum enim auctor Deus ipse, ut pater.

VERS. 6. — QUEM ENIM DILIGIT DOMINUS, CASTIGAT, scilicet, ut erudiat, emendet, exerceat.

FLAGELLAT AUTEM OMNEM FILIUM. Nota *omnem;* nullus excipitur.

QUEM RECIPIT, in filium scilicet. Syr. : *Flagellat filios illos quibus oblectatur.* Hic benè notat D. Chrysostomus quòd omnis filius flagellatur, non omnis tamen qui flagellatur filius est; puniuntur enim aliqui ut pessimi; sed non est filius aliquis qui non flagelletur.

VERS. 7. — IN DISCIPLINA PERSEVERATE; Syr. : *Sustinete igitur correptionem;* Arab. : *Patientes estote in castigatione;* Æthiop. : *Castigationem vestram sustinete.* Græcus tamen hodiernus habet : *Si disciplinam sustinetis;* similiter D. Chrysostomus, Theod., Theophyl.; id est : Castigationem ergo Domini sustinete, et in eâ constantes perseverate;

TANQUAM FILIIS VOBIS SE OFFERT DEUS; Syr. : *Quandoquidem tanquàm apud filios agit apud vos Deus;* id est : Deus agit vobiscum tanquàm cum filiis, non tanquàm cum alienis, aut nothis : exhibet se vobis ut patrem.

QUIS ENIM EST FILIUS QUEM NON CORRIPIT PATER?

VERS. 8. — QUOD SI EXTRA DISCIPLINAM ESTIS; Græc. : *Si autem estis absque disciplinâ*, id est, absque castigatione, quæ communis est omnibus veris Dei filiis.

ERGO ADULTERI; Græc. : *Utique nothi estis;* Syr. : *Extranei et non filii.*

Observatio consolatoria.

Et obliti estis consolationis... Quinque consolationis rationes in afflictionibus tuis adverte. Primam, Deus ut pater afflictionum nostrarum est auctor, v. 5; secundam, Dei castigatio amoris ejus paterni probatio est, v. 6; tertiam, adoptionis nostræ testimonium est, v. 6; quartam, adoptionis nostræ conditio necessaria; quia nullum Deus adoptat non castigatum; et ab eo non castigari, reprobari est ut spurium, v. 8. Disciplina probat legitimos Dei filios et à spuriis discernit, sicut solis aspectus intuitivus pullos aquilæ legitimos

ne similia patientes à contradictoribus et irrisoribus christianæ religionis, defatigemini præ languore et dissolutione animi, id est, ne fatigatione victi cadatis, et in medio cursu resistatis, etc.

VERS. 4. — *Nondùm enim usque ad sanguinem restitistis*, etc. Quamvis, inquit, multa pro Christi nomine tolerâstis adversa, nondùm tamen, sicut ille, sanguinem fudistis in hoc agone christiano, nondùm martyres facti estis, sicut Jacobus frater Joannis, sicut et alii, quos indicat cap. seq., dicens : *Quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.*

VERS. 5. — *Et obliti estis consolationis*, etc. Videmini obliti, nimirùm prop er animi torporem qui vos occupavit. *Fili mi;* blandâ appellatione lectorem allicit. Monet ergo filium Sapiens ne quis disciplinam Domini, quâ scilicet ab eo eruditur, et vel durâ increpatione vel etiam flagellis castigatur, negligat, parvipendat, spernat, abjiciat.

VERS. 6. — *Quem enim diligit Dominus, castigat;* q. d. : Existimate afflictiones vestras non tam procedere ab irâ Dei quàm ab amore, quippe qui propterea vos affligit et percutit, ut erudiat, purget et probet. Similis planè sententia, Apoc. 3 : *Ego quos amo, arguo et castigo.* Nam castigatio pertinet ad emendationem ejus qui castigatur.

Flagellat autem omnem filium quem recipit. Sensus est : Flagellis afflictionum et adversitatum erudit et corrigit Deus omnem filium quem recipit in disciplinam, atque ex eo tempore quo recipit.

VERS. 7. — *In disciplinâ perseverate. Tanquàm filiis vobis offert se Deus.* Deus offert se vobis ut patrem, agnoscet vos filios, nec ab hæreditate excludet. Exhibet se vobis patrem magis quàm vindicem; non pœnas cogitat, sed correctionem vestram, ut aptet vos hæreditati percipiendæ.

Quis enim filius, quem non corripit pater? Corripit, id est, castigat.

VERS. 8. — *Quòd si extra disciplinam* (id est, absque castigatione) *estis, cujus participes facti sunt omnes* (genuini et dilecti filii), *ergo adulteri et non*

distinguit ab illegitimis. Quintam, castigationis tristitia erit æterni gaudii fons et causa, v. 11 : castigatio utilissima, v. 10. Ad hæc attende patiens, et quandoquidem Deus te castigans se tibi ut filio patrem exhibet, et tu castigatus subdere ei tanquàm filius optimo patri : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terrâ.*

VERS. 9. — DEINDE PATRES QUIDEM CARNIS NOSTRÆ..., id est, patres à quibus carnem tantùm habemus, non animam.

ERUDITORES HABUIMUS; Græc., *castigatores.* Argumentatur à minori ad majus : si parentes carnales, cùm nos in pueritiâ castigarent, cum reverentiâ et timore tulimus,

MULTÒ MAGIS, id est : Quantò magis, vel multò justiùs.

OBTEMPERABIMUS PATRI SPIRITUUM, id est, Deo animarum nostrarum creatori, ejusque correctionem reverenter feremus,

ET VIVEMUS ; Syr., *ut vivamus*, id est, nunc vitâ gratiæ, aliquandò vitâ gloriæ.

VERS. 10. — ET ILLI QUIDEM IN TEMPORE PAUCORUM DIERUM. Instat in eâdem comparatione et urget ab utili : *Et illi*, id est, parentes nostri carnales ERUDIEBANT seu castigabant nos, *in tempore paucorum dierum*, id est, ad vitam temporalem et valdè brevem ; Syr., *ad modicum tempus*,

SECUNDUM VOLUNTATEM, id est, pro arbitratu suo, non semper ad utilitatem nostram attendentes, sæpè ex errore, aliquando vitia pro virtutibus instillantes ;

HIC AUTEM, id est, Pater spirituum, seu Deus, verus pater castigat nos,

AD ID QUOD UTILE EST, id est, ad utilitatem nostram, quia Pater optimus et sapientissimus, qui nec errat, nec pravis affectibus abripitur ;

UT PARTICIPES EFFICIAMUR...; Græc.: *Ad recipiendum sanctificationem ejus ;* id est : Ut participes fiamus sanctitatis ejus, et consequenter æternæ beatitudinis illius ; quo quid utilius ?

VERS. 11. — OMNIS AUTEM DISCIPLINA, id est, castigatio divina,

IN PRÆSENTI QUIDEM, id est, in hujus vitæ tempore, seu, ut ait Syrus, *eo ipso tempore quo fit*,

VIDETUR, secundùm sensus, scilicet,

NON ESSE GAUDII, SED MŒRORIS ; causat enim dolorem in præsenti ;

POSTEA AUTEM FRUCTUM PACATISSIMUM ; Græc., *pacificum.* Syr. : *Fructus pacis et justitiæ datura est illis qui per eam exercitati fuerint.* Itaque non ex sensu judicandum de passionum pretio, sed ex fructibus pacis, justitiæ, beatitudinis et gloriæ æternæ. Deus castigans fingit nos, erudit, perficit, ut simus filii sancti, perfecti, ei similes, ejus æternæ felicitatis capaces Est pater, pædagogus, amicus. Hæc penetra, et omne gaudium existimabis pati sub Deo Patre, etc., ut sis filius Dei, etc.

VERS. 12. — PROPTER QUOD REMISSAS MANUS.... Ex principiis supra positis concludit pergens in metaphorâ athletarum ; et Hebræos hortatur, primò, ut excussâ socordiâ viriliter pugnent et current : *Remissas manus*, id est, languidas et pendentes,

ET SOLUTA ; Syr., *mutantia ;* GENUA ERIGITE, ut scilicet per patientiam curratis, etc. Christiani vita pugna et cursus est, ut dictum est v. 1, et dicetur in corollario.

VERS. 13. — ET GRESSUS RECTOS FACITE ; Syr., *et semitas rectas.* Secundò, ut currant per viam rectam, quæ semper brevior est.

UT NON CLAUDICANS QUIS ERRET ; Græc. : *Ut non claudum abducatur ;* Syr. : *Ne membrum claudum aberret ;* id est : Ne si quis inter Christianismum et Judaismum claudicet, in utramque partem vacillans, erret à rectâ fidei et vitæ viâ.

MAGIS AUTEM SANETUR. Tertiò, ut si cui pes læsus sit per impatientiam, *sanetur*, rectitudini et constantiæ christianæ restituatur, id est : Ut qui ob persecutiones à fide in apostasiam deflectunt, statim sanentur et confortentur.

filii estis? Si vos subducere vultis disciplinæ, cujus participes facti sunt omnes filii Dei, id est, quicumque Deo placuerunt aut placent, ergo subtrahitis et abdicatis vos à numero eorum qui sunt germani filii Dei, et proinde censendi estis inter filios adulterinos ac degeneres, et paternæ hæreditatis exsortes.

VERS. 9. — *Deinde, patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus, et reverebamur eos; non* (nonne) *multò magis obtemperabimus patri spirituum, et vivemus? Reverentia* significat subjectionem cum amore conjunctam, qualis esse debet omnium subditorum, ac nominatim filiorum erga parentes. An non *multò magis obtemperabimus*, id est, submittemus ac permittemus nos patri spirituum, Deo, atque in ejus beneplacito acquiescemus, persuasi flagella, quibus nos cædit, ab animo paterno, nostræque salutis cupido, proficisci, et ad vitam nobis profutura? *Vitam* intelligit quæ est secundum spiritum, id est, vitam sanctificationis et justitiæ. Hanc vitam opponit vitæ carnali, quæ sita est in commodis hujus seculi, ad quam solent patres carnis erudire filios suos.

VERS. 10. — *Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundùm voluntatem suam eruditebant nos*, sive castigabant nos ad paucos dies, id est, propter vitam hanc temporalem, cujus pauci sunt dies; id est, breve tempus.

Hic autem ad id quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus. Deus autem, ut verus Pater, nos erudit et castigat ad veram nostram utilitatem, quæ in eo consistit ut participes simus sanctimoniæ ejus.

VERS. 11. — *Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii*, etc. Et erit opus justitiæ pax, hoc est, cultores justitiæ magnâ fruentur pace conscientiæ.

VERS. 12. — *Propter quod remissas manus*, etc. Monet his verbis ut excussâ ignaviâ quæ animos eorum obsederat, alacritatem assumant, ac seriò sese comparent ad patientiam et pias actiones.

VERS. 13. — *Et gressus rectos facite pedibus vestris*, etc. Monet ut, si qui inter eos sint claudicantes, id est, ad defectionem proni propter afflictiones quas fidei causâ patiebantur, statim adhibitâ paternâ curâ per medicamenta doctrinæ, consolationis atque exhortationis, sanentur et confortentur, ne neglecti longiùs abducantur et corruant.

VERS. 14. — *Pacem sequimini cum omnibus*, id est,

VERS. 14. — PACEM SEQUIRINI...; Syr. : *Cursa properate ad pacem;* Græc., *persequimini ;* id est, magno et ardenti studio pacem etiam fugientem persequimini.

CUM OMNIBUS, id est, etiam inimicis, ET SANCTIMONIAM, id est, cordis puritatem, vitam per omnia sanctam, SINE QUA NEMO DEUM VIDEBIT ; Syr., *videt : Beati mundo corde,* etc.

VERS. 15. — CONTEMPLANTES NE QUIS DESIT.... Græc., *deficiat à fide;* id est : Attendite ne quis vestrùm desit gratiæ Dei, suæ divinæ vocationi non respondens. Vult Apostolus debiles in fide à fortioribus adjuvari. Non hoc tantùm requiro, ait D. Chrysostomus, ut vos soli perveniatis, sed ut etiam inspiciatis cæteros ; ne scilicet remanentes in viâ, vel virium defectu, vel segnitie retardati.

NE QUA RADIX AMARITUDINIS...; id est : Item cavete ne qua radix amara falsæ doctrinæ, vel pravi exempli GERMINET, pullulet et crescat inter vos, sicque IMPEDIAT, obstet ; Syr. : *Lædat vos, eâque multi contaminentur ;* Arab. : *Quæ noceat, et per quam multi homines inquinentur.* Duæ sunt in hoc versu metaphoræ. Prima ducta à viatoribus in comitatu multo, v. g., in exercitu, ubi duces invigilant, ne quis in viâ deficiat et pereat. Secunda sumitur ex arbustis, quorum radices germinant et bonum semen impediunt. Itaque si *qua sit* inter vos *radix amàritudinis*, videte ut non germinet, sed recidatur, ne vobis obstet et ne polluat alios.

VERS. 16. — NE QUIS FORNICATOR, id est, ne quis sit apud vos scortator,

AUT PROFANUS, id est, ne quis sit qui sacra negligat et conculcet, UT OLIM ESAU,

QUI PROPTER UNAM ESCAM, id est, qui uno edulio vendidit jus suæ primogenituræ, quod singulare Dei donum reputabatur.

VERS. 17. — SCITOTE ENIM QUONIAM ET POSTEA.... ; Græc., *scitis enim ; ἴστε*, æqualiter significat *scitis* et *scitote ;* Syr. : *Scitis enim ;* vide Genes. 27, *quod postea* CUPIENS BENEDICTIONEM hæreditario jure consequi,

REPROBATUS EST à patre suo dicente : *Benedixi ei,* Jacobo scilicet, *et erit benedictus,* etc.

NON ENIM INVENIT PŒNITENTIÆ LOCUM, scilicet apud patrem suum ; id est : Nec lacrymis suis obtinere potuit ut patrem facti pœniteret, et benedictionem Jacobo datam revocaret, licèt ignorans et deceptus eam dedisset.

QUANQUAM CUM LACRYMIS INQUISISSET EAM, scilicet benedictionem primogenituræ. Isaac nihil immutare voluit, quia, ut propheta, novit rem à Deo gestam esse. D. quidem Chrysostomus intelligit pœnitentiam quam, inquit, Esaü non invenit, qui non quomodò oportuit quæsivit, quod ostendit invidia : *Venient dies luctùs*, etc. Hinc quod ad animi institutum, Jacob interfecit. Inutiles ergo fuerunt Esaü lacrymæ, quia non de peccato doluit, sed de damno : non ex amore Dei procedebant, sed ex cupiditate boni temporalis quod ex benedictione sperabat. Quòd autem ex charitate non essent, patet ex eo quod fratrem suum vult occidere : *Venient dies luctùs patris mei, et occidam Jacob fratrem meum,* Genes. 17, 21.

VERS. 18. — NON ENIM ACCESSISTIS... Superioris exhortationis hìc ratio redditur, estque eadem quæ cap. 2, v. 2, jam data est, et sumitur ex legis evangelicæ præstantiâ supra Mosaicam : *Non enim accessistis,* sicut patres vestri,

AD TRACTABILEM MONTEM, id est, ad montem corporeum, terrenum et manibus tangibilem, Sina scilicet,

ET ACCENSIBILEM IGNEM, id est : Græc., *accensum ;* Syr., *ardentem ;* id est, nec ad ignem accensum et ad accendendum aptum : *accensibilem,* activè quo mons ille ardebat ;

ET TURBINEM, ET CALIGINEM, ET PROCELLAM, vide Exod. 19 et 20, et Deuter. 4 ;

VERS. 19. — ET TUBÆ SONUM, Exod. 19, v. 16,

ET VOCEM VERBORUM..., id est : Et vocem quâ Deus per angelum suæ præcepta proclamabat.

QUAM QUI AUDIERUNT...; Græc. : *Quam audientes de-*

persequimini. Præcipit ut pacem sectentur, id est, habere studeant cum omnibus.

Et sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Deum. Per *sanctimoniam* accipias puritatem animi, ut animus sit sanctus, id est, purus ab omni peccato. Alludit ad illud Matth. 5 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Nam visio Dei, non solis nec omnibus castis, sed omnibus iis qui à peccato puri sunt, promittitur.

VERS. 15. — *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei,* id est, inspicientes, curam habentes, scilicet alii de aliis, perfecti de imperfectioribus, ne quis sit deficiens à gratiâ Dei, id est, ne quis destituatur aut frustretur gratiâ Dei, ne cui illa desit. Frustratur autem quis et excidit ab eâ gratiâ per peccatum præsertim infidelitatis.

Ne qua radix amaritudinis sursùm germinans, impediat, et per illam inquinentur multi. Radix amaritudinis, id est, amara, est peccatum, quod amaricat conscientiam per remorsum et reatum pœnæ, inquit Chrysostomus. Ad doctrinæ perversitatem et fidei corruptelam pertinet hæc radicis metaphora, potiùs quàm ad alia vitia.

VERS. 16. — *Ne quis fornicator, aut profanus, ut Esaü. Profanus* est qui nihil habet sacri, qui sacra negligit, violat, conculcat.

Qui propter unam escam vendidit primitiva sua. Esaü fuit adeò mundanus, carnalis et ventri deditus, ut spiritualia non curaret, sed negligeret ac parvi penderet, etc.

VERS. 17. — *Scitote enim quoniam et postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est,* id est, rejectus est à suâ petitione et benedictione paternâ, quam cupiebat et petebat à patre Isaac.

Non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquàm cum lacrymis inquisisset eam. Esaü nihil profecit hâc suâ pœnitentiâ, quamvis etiam cum lacrymis benedictionem requisivisset à patre ; neque enim obtinere eam potuit. Accepit quidem alteram benedictionem minorem, sed non illam quæ primogeniti erat.

VERS. 18 et 19. — *Non enim accessistis ad tractabilem montem, et accensibilem ignem ;* q. d. : Non accessistis ad Sina corporeum et terrestrem montem, sed ad Ecclesiam Christi, quæ mons est spiritualis et cœlestis.

Et turbinem, et caliginem, et procellam, et tubæ sonum. Tantus erat fragor clangentis hujus tubæ, sive buccinæ, ut humanæ vix ferrent aures.

precati sunt; Syr. : *Quam qui audierunt, effugerunt ne*, etc.; id est : Cujus tubæ seu vocis tantus erat fragor et terror, ut Judæi oraverint ne rursùs eorum terribili voce alloqueretur. Exod. 20, v. 19.

Vers. 20. — Non enim portabant quod dicebatur ; Græc., *imperium ;* id est : Non enim ferre poterant illius comminationis rigorem.

Et si bestia tetigerit montem, id est, non homo tantùm, sed et bestia si tetigerit montem, lapidabitur. Exod. 19, 13.

Vers. 21.— Et ita terribile erat quod videbatur ; Græc.: *Et ita terribile erat apparens;* Syr.: *Et adeò terribilis erat visio;* id est: Ita terribile erat quod fiebat et videbatur ;

Moyses dixit : Exterritus sum, id est, ut ipse Moyses, Deo familiaris et prodigiis assuetus, dixerit : *Exterritus sum*, etc. Hæc ultima verba non sunt in Exodo, sed D. Paulus ea adjecit, vel ex majorum traditione, vel ex Spiritûs sancti revelatione.

Vers. 22. — Sed accessistis ad Sion montem.... Sed per fidem et baptisma accessistis ad montem spiritualem, ad Ecclesiam, quæ cœpit in Sion, ubi lex nova promulgata est in die Pentecostes, per descensum Spiritûs sancti in apostolos. Ecclesiam intellige tum militantem, tum triumphantem.

Et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem ; id est : Ad Jerusalem cœlestem, quæ est civitas Dei viventis ; ita dicitur, quia *Deus illius est* auctor et *artifex*, ut dictum est supra, cap. 11, v. 16.

Et multorum millium; Græc., *myriadum angelorum;* frequentiam ; Græc., πανήγυριν, id est, celebrem ac lætum conventum. Opponitur hic gaudium et lætitia angelorum, fulgetris ac tonitruis montis Sina per angelos ad terrorem excitatis.

Vers. 23. — Et ecclesiam primitivorum ; Græc., *primogenitorum*, id est, fide uniti estis cum apostolis, martyribus, primisque Christi fidelibus, vitâ functis. Primogeniti dicuntur apostoli, quia primi à Christo regenerati; primitivi, quia primitias et abundantiam Spiritûs acceperunt.

Qui conscripti sunt in cœlis, id est, quorum non nomina tantùm sunt in libro vitæ, sed et ipsi actu et reipsà regnant in cœlis.

Et judicem omnium Deum. Hoc dicitur non ad terrorem, sed ad consolationem : Accessistis per fidem et charitatem ad Deum, cui gratiâ Christi reconciliati estis, cui charitate uniti estis. Charitas autem est quædam hominis cum Deo amicitia; judicis itaque vestri facti estis amici.

Et spiritus justorum perfectorum ; seu, ut ait Syrus, *qui perfecti fuerunt*. Intellige animas patriarcharum, prophetarum et sanctorum, de quibus in capite præcedenti, qui per fidem mira gesserunt, sed ante Christum non consummati fuerunt, ut dictum est ibi, v. 40. Cum his omnibus societatem habemus, quia ejusdem Ecclesiæ membra sumus, cujus caput est Christus.

Vers. 24. — Et Testamenti novi mediatorem Jesum. Denique ad Jesum, filium Dei, novi et æterni Testamenti mediatorem, cui, tanquàm membra capiti, incorporati estis.

Et sanguinis aspersionem ; Græc., *sanguinem aspersionis*, id est : ad sanguinem Christi super nos effusum et aspersum. Sanguis Christi pro nobis in cruce fusus est; singulis autem quasi quâdam aspersione per fidem et sacramenta applicatur. Est hìc allusio ad aspersionem sanguinis factam à Moyse, Exod. 24.

Melius loquentem quam Abel, Græc.: *Præstantiora loquens præ Abel;* id est, qui meliora loquitur quàm sanguis Abel, qui vindictam postulat; sanguis autem

Et vocem verborum, scilicet eorum quibus lex ad populum pronuntiata est ac promulgata.

Quam (vocem tubæ) *qui audierunt, excusaverunt sè, ne eis fieret verbum.* Petierunt ne adderetur, ut fieret sermo cum ipsis, id est, ne amplius secum loquentem Deum ipsum audirent.

Vers. 20. — *Non enim portabant quod dicebatur*, scilicet edicto publico. *Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur;* q. d. : Non ferebant terrorem et terribilia signa Dei jam dicta, quæ eis dans legem exhibuit in Sinâ, maximè cùm aditum et contactum montis Sina, quasi is foret tribunal Dei terribilis, sub pœnâ mortis eis, imò bestiis inhibuit dicens : *Et si bestia*, etc.

Vers. 21. — *Et ita terribile erat quod videbatur*, etc., ut ipse etiàm populi dux, ille, inquam, qui familiariùs cum Deo colloqui solebat, fateretur se expavescere et contremiscere.

Vers. 22. — *Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, cœlestem Jerusalem.* Jam docet quòniam per fidem accesserint, hoc est, ad quam pertineant societatem, et cui populo sint aggregati, nimirùm filiorum novi Testamenti. Montem Sion Ecclesiam intelligunt, quatenùs militantem simul et triumphantem comprehendit. Dicitur *Jerusalem cœlestis*, propter originem et finem : nam et de cœlo descendit, Apoc. 21. Vocatur autem *civitas Dei viventis*, quòd ejus conditor et opifex sit non homo mortalis, sed Deus vivus et verus.

Et multorum millium angelorum frequentiam, ut non simpliciter multa millia, sed valdè multa millia sanctorum angelorum significare voluerit Apostolus. Ostendit hic locus etiam angelos pertinere ad Ecclesiam Christi, et unam nobiscum Dei civitatem constituere, sicut docet Augustinus, lib. 10 de Civit. Dei, cap. 7, non quòd et ipsi redempti sint sanguine Christi, sed quia Christus suâ passione promeruit ut tam angelis quàm hominibus in unam Ecclesiam collectis, ipse tanquàm omnium caput præficeretur, Eph. 1.

Vers. 23. — *Et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis.* Sensus est : Aggregati estis et ascripti in societatem eorum qui præ cæteris mortalibus electi sunt à Deo, et ab aliis separati, tanquàm primogeniti, et in cœlis, tanquàm beatitudinis cœlestis hæredes, conscripti.

Et judicem omnium Deum; q. d. : Per fidem accessistis ad Deum, qui est judex omnium, qui per Christum judicaturus est vivos et mortuos.

Et spiritus justorum perfectorum. Rectè plerique omnes intelligunt piorum hominum animas suis corporibus exutas, et apud Deum viventes. Sed quomodò Hebræi ad justorum perfectorum spiritus accesserant? utique per charitatem, quâ illis conjungebantur, et per spem quâ ad eamdem felicitatem aspirabant.

Vers. 24. — *Et testamenti novi mediatorem Jesum.* Accessistis ad Christum, qui bona cœlestia, quæ ipse novo suo testamento promisit, reipsà præstat, conciliat et exhibet. Nam ideò novi testamenti mediator est,

Christi misericordiam loquitur etiam pro suis interfectoribus.

VERS. 25. — VIDETE NE RECUSETIS LOQUENTEM. Comparationem exhortatione concludit : Tantâ præventi gratiâ, *videte ne* Christum, per suum sanguinem meliora, scilicet remissionem peccatorum, *loquentem recusetis*, id est, ne aspernemini, ne repellatis, à fide deficientes.

SI ENIM ILLI, id est, patres vestri, NON EFFUGERUNT, scilicet divinam ultionem, RECUSANTES EUM, id est, angelum QUI SUPER TERRAM in monte Sinâ ipsis LOQUEBATUR.

MULTO MAGIS, supple, non effugiemus, seu multò minùs effugiemus supplicium,

Nos Christiani, QUI Christum DE CŒLIS, ubi regnat, NOBIS LOQUENTEM, AVERTIMUS, id est, repellimus; ejus doctrinam et mandata respuentes. In Græco est tantùm : *Nos illum de cœlis aversati.* Christus nobis de cœlo loquitur per Evangelium, per suos legatos et ministros, per miracula, per internas inspirationes.

VERS. 26.— CUJUS, id est, Christi ut Dei, VOX MOVIT TERRAM TUNC, scilicet, cùm daretur lex in monte Sinâ,

NUNC AUTEM, id est, pro tempore novi Testamenti,

REPROMITTIT ; Græc., *denuntiavit*, id est, promisit per Aggæum prophetam, DICENS : ADHUC SEMEL ET NON Sinæ *tantùm et terram*, SED ET CŒLUM MOVEBO. D. Paulus pro suo more Septuaginta sequitur. Juxta Hebræum D. Hieronymus vertit : *Adhuc unum modicum*, id est : Adhuc *unum* tempus, et quidem *modicum*, et *commovebo*, etc. Diversitas est in explicandis hîc Aggæi verbis; Aggæus enim loquitur de primo Christi adventu; hinc multi mentem Apostoli hîc de eodem adventu explicant. At vero similius est Apostolum hîc loqui de commotione futurâ in judicio generali, seu in secundo adventu Christi. Nec mirum est quòd per accommodationem, seu per extensionem, secundo Christi adventui applicet Apostolus quod propheta de primo dixit, cùm exhortans, non disputans, hîc agat. Duabus igitur rationibus utitur ut Hebræos excitet ad obediendum Christo. Prima sumitur ex punitione eorum qui legi Mosaicæ non obedierunt; secunda ex rigore judicii futuri; quasi diceret : Videte ne recusetis Christum vobis loquentem, alioquin non evadetis pœnas ab eo tanquàm judice infligendas.

VERS. 27. — QUOD AUTEM : ADHUC SEMEL, DICIT; Græc. : *Illud autem*, adhuc semel, *declarat*, etc.; Syr. : *Per hoc autem quod dicit*, semel, *ostendit immutationem eorum quæ moventur, ut permaneant ea quæ sunt motûs expertia.*

DECLARAT MOBILIUM TRANSLATIONEM. Qui explicant Aggæi verba de primo Christi adventu, *per mobilia* hîc intelligunt pertinentia ad vetus Testamentum, de quibus cap. 9, scilicet tabernaculum, arcam, mensam, etc.; qui autem explicant de secundo Christi adventu, *per mobilia* intelligunt cœlum et terram; sensusque, hæc esse transmutanda, ut deinceps maneant in æternum cœli novi, terra nova, scilicet regnum Christi consummatum. Nec mirum est si transmutentur à Christo, utpote ab ipso facta, et ad id facta.

VERS. 28. — ITAQUE, id est : Cùm hæc ita sint, Christus scilicet sit cœlum et terram immutaturus, ut regnum sibi paret immutabile,

REGNUM IMMOBILE SUSCIPIENTES, id est, nos Christiani regnum illud spe firmâ suscipientes, apprehendentes.

HABEMUS GRATIAM ; Græc., *habeamus;* Syr., *amplectamur;* id est, constanter teneamus Christianismi gratiam ;

ut promissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis, cap. 9.

Et sanguinis aspersionem, id est, sanguinem Christi super nos effusum et aspersum. Hùc autem accesserant Hebræi, quando per fidem et Baptismum incorporati fuerant Christo.

Meliùs loquentem quàm Abel, meliùs loquentem quàm loquebatur sanguis Abel. Sanguis enim Abel vindictam loquebatur, Gen. 4; sanguis autem Christi meliùs loquitur, quia veniam loquitur et gratiam. Clamat misericordiam, gratiam et remissionem peccatorum.

VERS. 25.— *Videte ne recusetis loquentem*, scilicet Christum ipsum, qui, ut sequitur, è cœlis loquitur nobis, omnibus veniam proponens, omnesque ad salutem per Evangelii sui ministros invitans; aut simpliciter recusetis, aut (quod deterius est) etiam contemnatis, sed vocem ejus audite perseveranter, donec *Hodiè* cognominatur, sicut admonuit supra, cap. 3.

Si enim illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur. Deum potiùs quàm Moysen intelligere convenit per eum qui loquebatur super terram. Igitur cum Lyrano angelum hîc intelligi puto per eum qui loquebatur super terram, et quidem angelum populi ductorem atque custodem, de quo Dominus ita præcepit, Exod. 23 : *Observa eum, et audi vocem ejus, nec,* etc. Eumdem angelum, quem in monte, ex Dei personâ loquentem audiverant et recusaverant dicentes : *Non loquatur nobis Dominus*, postea senserunt vindicem suarum transgressionum.

Multò magis nos, qui de cœlis loquentem nobis avertimus, subaudi, non effugiemus ; qui scilicet aversamur et repellimus Deum et hominem, qui è cœlo locutus est nobis, cùm post ascensionem suam legem evangelicam promulgavit in Sion in Pentecoste, et è cœlo misit Spiritum sanctum.

VERS. 26. — *Cujus vox movit terram tunc. Movit*, id est, concussit. Christum vult voce suâ, quam angeli ministerio excitabat, tunc quando data est lex, terram concussisse ; q. d : Videte ne recusetis Christum loquentem, quia Christus potentissimus est legislator, judex et vindex.

Nunc autem repromittit dicens : Adhuc semel; et ego movebo non solùm terram, sed et cœlum, scilicet adventu meo ad judicium. Tunc enim, ut totius mundi fiat innovatio, necnon ad terrorem venientis judicis, omnia elementa commovenda sunt, cœlum, terra, mare.

VERS. 27. — *Quòd autem, adhuc semel,* etc. Propheta eâ parte, *adhuc semel*, declaravit quòd elementa (quæ nomine cœli et terræ comprehenduntur) concutienda sint, et in aliam faciem transmutanda, ut illa maneant in alium statum non ampliùs commutanda, quæ iis succedent, id est, novi cœli et nova terra, in quibus justitia habitat. Per hæc autem intelligitur regnum Christi consummatum.

VERS. 28.—*Itaque regnum immobile suscipientes,* etc,

PER QUAM SERVIAMUS...; Græc., *gratè Deo;* Syr., *ac placeamus Deo;* id est : Per quam ita Deo serviamus, ut et ipsi placeamus;

CUM METU ET REVERENTIA; Græc.: *Cum reverentiâ et religione,* id est : Serviamus, inquam, *cum metu* pudico, ne quid turpe coram eo faciamus, *et cum reverentiâ* religiosâ coram eo ambulantes :

VERS. 29. — ETENIM DEUS NOSTER IGNIS CONSUMENS EST, Deut. 4, 24; Syr.: *Ignis devorans est;* id est, instar ignis flagrantissimi, legis suæ violatores in momento urere, torquere et consumere potest. Deus, ut charitas, ignis est consummans creaturam sibi fidelem; ut justitia, est ignis torquens, consumens rebelles. Alterutrum necessariò eligendum, aut consummari, aut consumi. O Deus charitas, ure modò cor et renes meos tui amoris igne quo aliquando in te transformatus consummer, et nunquàm justitiæ tuæ igne consumar in æternâ morte.

Regnum immobile vocat legem evangelicam, per quam Christus regnat in nobis, nosque in eâ reges facit, hic per gratiam, et in futuro per gloriam, quâ regnum Dei, sive regnum cœlorum possidebimus.

VERS. 29. — *Etenim Deus noster ignis consumens est.* Vox *etenim* dat causam cur Deo cum metu et reverentiâ servire debeamus. Causa hæc est, quòd Deus noster instar ignis punit, urit et consumit eos qui carent hoc suo metu et reverentiâ.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

1° Recordare quòd vita christiana cursus et certamen est; cursu certamus : quod hujus cursûs via difficilis est et aspera; per spinas, per tribulationes, per cruces, per medios hostes, per exilia, per bonorum rapinam nobis est currendum. Hinc omnibus Christianis Apostolus dicit : *Per patientiam curramus,* etc.

2° Recordare quòd ad hanc patientiam habendam aspiciendus sit Jesus Christus, fidei nostræ auctor et consummator. Primus hanc vitam iniit, illius asperitates suo sanguine delinivit; primus ad metam pervenit : hinc que nos hic currentes spectat, nobisque coronas præparat. *Ecce video cœlos apertos et Jesum stantem à dextris Dei,* ait D. Stephanus patiens et per patientiam currens. Sedebat Christus in dexterâ Dei, ut sæpè D. Paulus ait; at ubi suum discipulum per patientiam vidit currentem, surrexit, stans sollicitus pro imitatore suo; præparat illi triumphum, obviàm venit eum coronaturus. Hæc tu cogita patiens, aspice Christum ducem tuum, exemplar tuum, coronatorem tuum : curre post ipsum; ad hoc tibi præit : curre sicut ipse, ipsius sequere vestigia; ideò passus est : curre ad ipsum, est enim meta, terminus et præmium.

Tria cogita in passione Christi, ait, D. Thomas, juxta secundum versiculum hujus capitis : *Qui proposito sibi gaudio.* Quid contempsit? gaudium, gloriam, opes, etc.; et tu temporalia contemne. Quid sustinuit? crucem, mortis cruentæ acerbitatem : compara passionem, crucemque tuam cum passione et cruce Christi, et te pudebit tam levia patientem deficere animo : *Nondùm usque,* etc. Quid promeruit? sessionem ad dexteram Patris : si te labor terret, merces invitet; si compateris, et conglorificaberis. Itaque ne deficias in passionibus, cogita et recogita Christum. Quis ille? Filius Dei. Quæ passus est? cruciatus, probra, mortem acerbam. Quomodò? liberè, voluntariè; quia dilexit nos, proposito sibi gaudio prætulit crucem, etc. A quibus? à peccatoribus. Pro quibus patiebatur? pro nobis omnibus, et consequenter pro te. Hæc tibi benè cogitanti quid durum esse poterit?

3° In passionibus recordare divinæ hujus consolationis de quâ v. 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11. Deus nos castigans est pater amantissimus; magister nostri profectûs zelantissimus : nos fingit, erudit, perficit, ut simus filii, sancti, puri, perfecti, sicut ipse sanctus, purus, perfectus est; ut simus æternæ illius felicitatis consortes. Vide quinque consolationis rationes in afflictionibus ex D. Paulo collectas, in comm. v. 8. Hinc que disce non secundùm sensum de passionibus judicare, sed secundùm fidem.

4° Observa notas et proprietates Ecclesiæ in versibus 22, 23, 24. Est visibilis, ut mons; una, ut civitas Dei Spiritu unita; sancta, ut Jerusalem cœlestis, in quâ Deus adoratur in spiritu et veritate; catholica, angelos et sanctos omnes complectens; apostolica, per Spiritum sanctum, apostolorum ministerio, fundata et gubernata; christiana, habens Christum mediatorem, pontificem et victimam, cujus sanguis clamat pro nobis; divina, opus, sedes et domus Dei. Vide, ô Christiane, cujus civitatis sis civis, cujus domûs sis domesticus, cujus corporis sis membrum; et consequenter vide cujus sanctitatis debeas esse particeps. Tuæ ergo vocationi responde; vide ne recuses Christum tibi de cœlo loquentem.

5° Ibidem observare poteris veteris et novæ legis convenientias et disconvenientias. Conveniunt quòd utraque promulgata est quinquagesimo die à Paschate, illa in Sinâ, hæc in Sion : ibi terræ motu mons contremuit; hic domus apostolorum : ibi inter flammas ignium et micantia fulgura turbo ventorum et fragor tonitruum personuit; hic cum ignearum visione linguarum sonitus pariter de cœlo, tanquàm spiritûs vehementis advenit : ibi clangor buccinæ legis verba perstrepuit; hic tuba evangelica apostolorum ore insonuit; S. Hieronymus ad Fabiolam. Disconveniunt in multis, quæ D. Paulus habet v. 22, 23, 24.

Multò præstantior est lex Christi; hanc præcellentiam vide ibidem.

Brevis ex D. Augustino differentia legis et Evangelii est timor et amor.

Fusè D. Thomas hic explicat et veteris legis terrorem, et novæ legis amorem.

CAPUT XIII.

1. Charitas fraternitatis maneat in vobis :

2. Et hospitalitatem nolite oblivisci; per hanc enim latuerunt quidam, angelis hospitio receptis.

3. Mementote vinctorum, tanquàm simul vincti, et laborantium, tanquàm et ipsi in corpore morantes.

4. Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus; fornicatores enim et adulteros judicabit Deus

5. Sint mores sine avaritiâ, contenti præsentibus; ipse enim dixit : Non te deseram, neque derelinquam :

6. Ita ut confidenter dicamus : Dominus mihi adjutor; non timebo quid faciat mihi homo.

7. Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei; quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.

8. Jesus Christus heri, et hodiè; ipse et in secula.

9. Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratiâ stabilire cor, non escis; non profuerunt ambulantibus in eis.

10. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.

11. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra.

12. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.

13. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.

14. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.

15. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus.

16. Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus.

17. Obedite præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri : ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes : hoc enim non expedit vobis.

18. Orate pro nobis : confidimus enim quia bonam conscientiam habemus in omnibus benè volentes conversari.

19. Ampliùs autem deprecor vos hoc facere, quò celeriùs restituar vobis.

20. Deus autem pacis qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum,

21. Aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem; faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum; cui est gloria in secula seculorum. Amen.

22. Rogo autem vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii. Etenim perpaucis scripsi vobis.

23. Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum; cum quo (si celeriùs venerit) videbo vos.

CHAPITRE XIII.

1. Conservez toujours la charité envers vos frères,

2. Et ne négligez pas d'exercer l'hospitalité; car c'est en la pratiquant que quelques-uns ont reçu pour hôtes des anges sans le savoir.

3. Souvenez-vous aussi de ceux qui sont dans les chaînes, comme si vous étiez vous-mêmes enchaînés avec eux; et de ceux qui sont affligés, comme étant vous-mêmes dans un corps mortel.

4. Que le mariage soit traité de tous avec honnêteté; et que le lit nuptial soit sans tache; car Dieu condamnera les fornicateurs et les adultères.

5. Que votre vie soit exempte d'avarice ; soyez contents de ce que vous avez; puisqu'il dit; Je ne vous laisserai point, et je ne vous abandonnerai point.

6. C'est pourquoi nous disons avec confiance : Le Seigneur est mon secours; je ne craindrai point ce que les hommes pourront me faire.

7. Souvenez-vous de vos conducteurs, qui vous ont prêché la parole de Dieu; et considérant quelle a été la fin de leur vie, imitez leur foi.

8. Jésus-Christ était hier, il est aujourd'hui, et il sera le même dans tous les siècles.

9. Ne vous laissez point emporter à une diversité d'opinions et à des doctrines étrangères; car il est bon d'affermir son cœur par la grâce, au lieu de s'appuyer sur des discernements de viandes qui n'ont point servi à ceux qui les ont observés.

10. Nous avons un autel dont ceux qui rendent encore un culte au tabernacle n'ont pas pouvoir de manger.

11. Car les corps des animaux, dont le sang était porté par le souverain pontife dans le sanctuaire pour l'expiation du péché, sont brûlés hors du camp.

12. Et c'est pour cette raison que Jésus-Christ, devant sanctifier le peuple par son propre sang, a souffert hors de la porte.

13. Sortons donc hors du camp; et allons à Jésus-Christ, emportant l'ignominie de sa croix.

14. Car nous n'avons point ici de ville permanente, mais nous cherchons celle où nous devons habiter un jour.

15. Offrons donc par lui sans cesse à Dieu une hostie de louange, c'est-à-dire le fruit des lèvres qui rendent gloire à son nom.

16. Souvenez-vous d'exercer la charité, et de faire part de vos biens aux autres; car c'est par de semblables hosties qu'on se rend Dieu favorable.

17. Obéissez à vos conducteurs, et demeurez soumis à leurs ordres, afin qu'ainsi qu'ils veillent pour le bien de vos âmes, comme devant en rendre compte à Dieu, ils s'acquittent de ce devoir avec joie, et non en gémissant; ce qui ne vous serait pas avantageux.

18. Priez pour nous, car nous croyons, selon le témoignage que notre conscience nous rend, que nous n'avons point d'autre désir que de nous conduire saintement en toutes choses.

19. Et je vous conjure de le faire avec une nouvelle instance, afin que Dieu me rende plus tôt à vous,

20. Que le Dieu de paix, qui a ressuscité d'entre les morts Jésus-Christ notre Seigneur, qui, par le sang du testament éternel, est devenu le grand Pasteur des brebis,

21. Vous rende disposés à toute bonne œuvre, afin que vous fassiez sa volonté, lui-même faisant en vous ce qui lui est agréable par Jésus-Christ, auquel soit gloire dans les siècles des siècles, Amen.

22. Je vous supplie, mes frères, d'agréer ce que je vous ai dit pour vous consoler, ne vous ayant écrit qu'en peu de mots.

23. Sachez que notre frère Timothée est en liberté; et s'il vient bientôt ici, j'irai vous voir avec lui.

24. Salutate omnes præpositos vestros, et omnes sanctos. Salutant vos de Italiâ fratres.

25. Gratia cum omnibus vobis. Amen.

24. Saluez tous ceux qui vous conduisent et tous les saints. Nos frères d'Italie vous saluent.

25. Que la grâce soit avec vous tous. Amen.

ANALYSIS.

Hebræos ad omnem hortatur virtutem, tum erga proximum, tum erga semetipsos, tum erga religionem.

Erga proximos, in charitate fraternâ perseverent; hospitalitatem exerceant; vinctos Christi causâ, tanquàm semetipsos, adjuvent; omnibus patientibus compatiantur, v. 1, 2, 3. *Erga semetipsos, castitatem conjugalem servent, avaritiam fugiant, præsentibus sint contenti, de futuro confidant in Domino, v.* 4, 5, 6. *Erga religionem, defunctorum suorum apostolorum memores, eorum vitam et fidem imitentur; nec variis et peregrinis sinant se doctrinis abduci: sicut Jesus Christus semper idem est, ita eadem sit de Christo doctrina, v.* 7, 8, 9.

Caveant speciatim à doctrinâ de discrimine ciborum, et de comestione victimarum legalium, quæ suis observatoribus nihil profuerunt: curent verò cor suum divinâ stabiliri gratiâ, quam percipiant ex esu victimæ altaris quod nobis Christus dedit, et de quo legalium observatoribus edere non licet, v. 9, 10.

Hoc figurabat illa cæremonia, quâ hostia pro peccato extra castra cremebatur; et de quâ nec sacerdos legalis, nec populus edebat. Hæc hostia pro peccato Christi pro peccato morientis figura fuit, et idcò, ut hanc figuram impleret, extra portam passus est: sicut ergo de figurâ non comedebant Judæi legales, ita nec de figurato licet eis edere, v. 11, 12.

Extra synagogæ castra exeundum, ad Ecclesiæ novæ castra accedendum, improperium Christi portandum, ut christiani sacrificii participes simus, et cruentarum hostiarum vice per Christum hostiam laudis Deo semper offeramus, v. 13, 14, 15.

Liberalitatem erga pauperes commendat, obedientiam erga prælatos, Hebræorum orationes pro se postulat, demùm epistolam apprecatione concludit ac salutatione, 16, 17, 18, etc.

PARAPHRASIS.

1. Perseverate vos invicem ut fratres diligere.

2. Et à consuetâ hospitalitate ne cessetis, licèt ob bonorum vestrorum rapinam pauperiores : per hanc enim virtutem quidam digni fuerunt qui exciperent angelos, cùm putarent homines tantùm hospitio recipere.

3. Fratribus qui ob Christi fidem sunt in vinculis eo affectu compatimini ac si vos ipsi cum eis essetis in vinculis ; imò et omnibus quocumque malo corporali pressis succurrite, memores vos in carne infirmâ et iisdem malis obnoxiâ habitare.

4. Conjugati connubii honestatem in omnibus servent, thorumque maritalem nullo spurcitiei genere contaminent : Deus enim, qui fornicatores puniet, adulteros judicabit severiùs.

5. Absint ab avaritiâ mores vestri, naturæ necessaria habentes in præsenti, contenti estote, et de futuro confidite in Domino : ipse enim dixit Josue et omnibus ipsi confidentibus : *Non te deseram, neque derelinquam.*

6. Hoc itaque Dei promisso freti, confidenter dicamus cum Psalmistâ : *Dominus mihi adjutor; hinc non timebo quid mihi faciat homo.*

7. Memores estote antistitum vestrorum, qui vobis fidei doctrinam tradiderunt; animisque vestris revolventes sanctitatem quam in omni quidem vitâ, at præsertim in morte, exhibuerunt, illorum in fide constantiam subsequamini, ut vobis sit par et vita et mors.

8. Jesus Christus semper idem est; qualis fuit heri tempore præterito, talis est hodiè in præsenti, et talis semper erit ; ergo et eadem esse debet de Christo doctrina et fides.

9. In Evangelio itaque vobis prædicato persistite firmi, et doctrinis hæreticorum variis et extraneis ne circumferamini, hùc et illùc fluctuantes. Præsertim verò cavete à doctrinâ judaizantium, qui pietatem constituunt in cibis corporalibus : optimum enim est gratiâ Dei stabilire cor suum, non escis, quæ suis observatoribus non profuerunt coram Deo.

10. Nec tamen nos Christiani sine escis et sacrificiis sumus : habemus altare, habemus et victimam, cujus esu cor nostrum gratiâ Dei fulcitur, at quam judaizantibus et legalibus tabernaculi ministris non licet comedere.

11. Hoc mirè figuratum fuit illâ cæremoniâ quâ juxta legis præscriptum nec sacerdos legalis nec populus comedebant de hostiâ expiatoriâ peccatorum : vituli etenim et hirci, quorum sanguinem summus sacerdos in Sancta sanctorum inferebat pro suorum et populi peccatorum expiatione, horum, inquam, animalium carnes extra castra cremabantur, et de eis nec sacerdos nec populus edebat.

12. Hæc hostia peccatorum expiatoria Christi pro peccatorum nostrorum expiatione morientis figura fuit : hinc Jesus Christus, ut hanc figuram impleret, extra portam urbis Jerosolymitanæ passus est, proprio sanguine populum suum sanctificans : sicut ergo de figurâ non licuit legalibus comedere, sic nec eis licet comedere de figurato.

13. Nobis igitur et omnibus qui volunt Christiani sacrificii participes fieri; nobis, inquam, extra veteris Testamenti castra, seu extra synagogam exeundum; nobis ad Ecclesiæ novæ castra accedendum; nobis improperium Christi cum ipso portandum.

14. Nec nos terreat hic è Jerusalem et è synagogâ exitus; nos, inquam, qui fixam civitatem in hoc seculo non habemus, sed qui tanquàm peregrini hic viventes, futuram Jerusalem cœlestem inquirimus.

15. Christo itaque uniti et incorporati, per ipsum, ut summum Pontificem nostrum, dignam laudis hostiam et gratiarum actionem Deo semper offeramus, sanctissimam Eucharistiam, opus labiorum sacerdotalium, nomen Dei benedicentium ; hymnos etiam et psalmos, fructus labiorum fidelium, nomen Dei laudantium.

16. Hanc autem in Deum pietatem exercentes, mementote et pietatis erga proximum, et pro vestris facultatibus pauperes adjuvate : talibus enim hostiis conciliatur Deus.

17. Exactam prælatis vestris obedientiam reddite, et reverentiam impendite ; ipsi enim, utpote pastores et custodes vestri, vigilant pro animabus vestris, et saluti vestræ consulunt, ut qui de vobis rationem Deo reddituri sunt : eis ergo obedite ex animo, ut cum gaudio hoc grave munus impleant, et non cum tædio sustineant : quod sanè vobis non expedit, quia gemitus illorum iram Dei in vos provocat.

18. Vestris orationibus me commendo, et hanc gratiam eò securiùs à vobis spero, quòd conscientia mihi testis est quoniam de nullo vestrûm demeritus sim, imò omnibus prodesse sincerè volui.

19. Et instantiùs rogo vos orare pro me, ut citiùs possim vobis reddi, et apostolicâ curâ vobis opitulari.

20. Deus autem pacis auctor, qui revocavit à mortuis Jesum Christum, magnum illum Pastorem ovium spiritualium, quas sanguine suo redemit et pascit, quo et Testamentum novum, et æternum sancivit ;

21. Deus, inquam, vos perficiat in omni opere bono, vobisque præstet ut divinam ejus voluntatem exequentes, faciatis opera ipsi placentia, per merita Jesu Christi Filii sui, cui æterna sit gloria.

22. Obsecro autem vos, fratres, ut boni ducatis hanc meam epistolam consolatoriam simul et exhortatoriam : scripsi paucis, consideratâ materiâ, ut qui, sicut spero, vos brevi sim visurus et vivo sermone huic brevitati suppleturus.

23. Scitote et gaudete mecum, quòd charissimus frater noster Timotheus sit à vinculis solutus ; cum eo, si citò redierit ad me, vos invisam.

24. Nomine meo salutate omnes qui vobis præsunt, et omnes fideles qui sub eis Christo serviunt. Salutant vos Itali Christiani, optantque prosperitatem et pacem.

25. Gratia Dei sit semper cum vobis omnibus. Amen.

COMMENTARIA

Vers. 1.— Charitas fraternitatis ; Græc., φιλαδελφία id est, charitas fraterna, seu amor fraternus, amor fratrum,

Maneat. In Græco non est *in vobis*, Syrus tamen habet ; id est : Perseverate in fraternâ charitate, seu vos invicem ut fratres diligere.

Vers. 2. — Et hospitalitatem nolite oblivisci ; Syr. : *Et dilectionis peregrinorum ne sitis immemores ;* id est : Et à consueto hospitalitatis officio ne cessetis, licèt pauperiores effecti ;

Per hanc enim latuerunt..., ; id est : Per hanc enim virtutem quidam nescientes exceperunt angelos ; seu cùm putarent homines hospitio recipere, angelos exceperunt. Respiciuntur historiæ Genes. 18, 2, et 19, 1, ubi Abraham et Lot exceperunt angelos hospitio. Græc. : *Latuerunt excipientes angelos*, est locutio Græca pro : Inscii et nescientes exceperunt ; sicut dicunt : Lateo senescens, id est, inscius et non sentiens senesco. Hoc benè Syrus : *Per hanc enim digni fuerunt quidam, quamvis non sentientes, qui exciperent angelos.* Nota quòd nefas erat Christianis apud gentiles divertere, sed in episcoporum domibus excipiebantur et à viduis curabantur. Hinc D. Paulus, 1 Timoth. 3, et ad Tit. 1, hospitalitatem inter episcopi virtutes recenset ; et de viduis 1 Timoth. 5, 10 : *Si sanctorum pedes lavit.* Erat apud Christianos tessera hospitalitatis, etc. Hic mos adhuc vigebat anno 1020 ; hæc vide apud Cornelium à Lapide, hìc.

Vers. 3. — Mementote vinctorum, tanquam...; id est : Eo affectu compatimini fratribus qui Christi causâ sunt in vinculis ac si cum eis essetis iisdem vinculis corporaliter vincti : eisque subvenite sicut vobis subveniri velletis.

Et laborantium, tanquam et... ; Græc., *et malis pressorum ;* id est : Et compatimini iis qui malè habent, seu quocumque corporali malo sunt afflicti, tanquàm qui et ipsi sitis in corpore iisdem malis obnoxio ; seu cogitantes vos in carne infirmâ habitare et iisdem incommodis obnoxiâ, et consequenter simili malo vos affligi posse.

Vers. 4. — Honorabile connubium in omnibus, id est : *Connubium* vestrum sit in omnibus rebus ad id spectantibus *honorabile*, seu honestatem servate in omni re conjugali :

Et thorus immaculatus, id est, et thorus maritalis nullâ maculâ, aut spurcitie contaminetur.

Fornicatores enim et adulteros.... ; quia fornicatores et adulteros judicabit, damnabit, punietque

Vers. 1. — *Charitas fraternitatis maneat in vobis. Maneat ;* q. d. : Pergite uti cœpistis invicem juvare et fovere, nec permittite ut ob persecutiones, exilia et expilationes hæc charitatis officia intepescant.

Vers. 2. — *Et hospitalitatem nolite oblivisci*, hoc est, ab officio consuetæ hospitalitatis nolite cessare.

Per hanc enim latuerunt quidam, angelis hospitio receptis. Legendum est, *latuerunt*, id est, non sunt visi à Sodomitis, cùm illi in domum Lot irruentes cæcitate percussi sunt.

Latuerunt, angelis receptis, id est, latenter, vel nescientes angelos receperunt ; latuit illos quòd hospites essent angeli, non senserunt esse angelos, sed putabant esse homines.

Vers. 3. — *Mementote vinctorum tanquàm simul vincti.* Ita vinctorum Christi miseremini, ac si vos ipsi vincti esseti ; putatote vos simul cum eis teneri in vinculis.

Et laborantium, tanquàm et ipsi in corpore morantes. Memores sitis afflictorum, ac si essetis in ipsorum corporibus eadem patientes quæ illi.

Vers. 4. — *Honorabile connubium in omnibus, et*

Deus. Hunc sensum et præcedentia et sequentia indicant. Nugantur ergo sectarii cùm hic volunt conjugium *omnibus præcipi*, quasi dicat Apostolus conjugium in omnibus personis, et consequenter sacerdotibus et religiosis esse honorabile, quod hæreticum et ab Ecclesiâ damnatum. Debet ergo intelligi, ut dictum est : Connubium sit in omnibus suis rebus, seu omninò, omnibus modis honorabile; vel sit in omnibus conjugatis honorabile, id est, omnes conjugati servent omnem in conjugio honestatem. Equidem aliqui catholici, quibus favet Syriaca versio, aiunt : Honorabile *est conjugium in omnibus*. Sed meliùs suppletur *sit*, quia sermo exhortatorius est, non dogmaticus, ut legenti patet ex præcedentibus et ex sequentibus. Et meritò sanè conjugatos ad omnem honestatem hortatur Apostolus; ut enim ipse docet alibi, scilicet Ephes. 5, v. 32 : *Sacramentum hoc magnum est*, et ideò omnia in eo debent esse honesta, sancta, magno digna sacramento. Requiritur intentio pura, honestas in modo, moderatio in usu. Timendum autem ne pervertantur hæc omnia, et ex magno sacramento fiat magnum sacrilegium, ex intentione malâ, ex inhonestate, ex immoderatione. Hoc ut vitetur à Christianis : *Honorabile sit in omnibus*, id est, omni ex parte *conjugium* apud conjugatos. De sanctitate matrimonii et de conjugatorum muneribus vide Ephes. 5, in fine cap.

Vers. 5. — Sint mores sine avaritia, Græc. : *Pecuniæ non appetens mos;* Syr. : *Ne diligat pecuniam mens vestra;* Arab. : *Animus vester non sit pecuniæ cupidus;* id est : *Mores* vestri (mos enim in singulari non dicitur à Latinis) absint à studio quærendæ pecuniæ, seu ne studeatis augendis rebus vestris.

Contenti, supple sitis, præsentibus, id est, ha-

bentes quæ in præsenti necessaria sunt, contenti estote;

Ipse enim dixit, id est, siquidem ipse Dominus dixit, Josue 1, 5 : Non te deseram, etc.; divinæ ergo *bonitati fidendum*.

Vers. 6. — Ita ut confidenter dicamus... Ita ut ex sincerâ fiduciâ dicere possimus quod cecinit David psal. 117 : Dominus mihi adjutor, ideò non timebo quid mihi faciat homo : Hoc D. Paulus Hebræis applicat, qui ob fidem suis sæpè spoliabantur bonis.

Vers. 7. — Mementote præpositorum vestrorum; Græc., *ducum vestrorum;* Syr. etiam; Arab., *gubernatorum*. Hæc verba de prælatis defunctis intelligi debent, ut patet ex ultimis verbis. Hortatur itaque ut recordentur D. Jacobi, Stephani, aliorumque divini verbi apud eos præconum.

Quorum intuentes exitum..., id est : Ut animis vestris revolventes finem laudabilis illorum conversationis, seu sanctitatem quam in omni vitâ suâ exhibuerunt, et in quâ usque ad mortem persteterunt,

Imitamini fidem, id est, *illorum in fide constantiam* subsequamini ut vobis par sit vita et mors. Hinc disce nihil utilius esse quàm sanctorum vitam et mortem intueri, seu, ut ait D. Chrysostomus, recogitare, animo revolvere, iterùm iterùmque considerare, ut illorum imitemur vivendi rationem et moriendi modum.

Vers. 8. — Jesus Christus heri et hodiè...; Syr. : *Jesus Christus heri et hodiè idem ipse est, et in æternum*. His verbis redditur ratio et præcedentium et sequentium, seu cur debeant præpositorum suorum fidem imitari, et cur non debeant variis agitari doctrinis. Jesus Christus semper idem est, ac sibi similis : qualis fuit heri, tempore præterito præpositorum vestrorum, talis est nunc hodiè, et talis semper erit;

thorus immaculatus. Thorus, id est, cubile. Conjugium sit in omnibus vobis honorabile, et thorus immaculatus; hoc est : Præcipio ut omnes qui in conjugio estis, servetis honorem conjugii, et thorum sine maculâ, neque cubile ullo stupri genere contaminetur.

Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus. Omnes quidem fornicarios, sed speciatim adulteros, *judicabit*, id est, condemnabit, *Deus*, scilicet æternæ mortis supplicio. Hinc sequitur fornicationem etiam simplicem, esse peccatum æternâ damnatione dignum.

Vers. 5. — *Sint mores sine avaritiâ*. Dehortatur ab avaritiâ, quòd sit omnium malorum radix, 1 Tim. 6. Jam quid sit avaritia, ne in eâ re fallant *seipsos*, docet ex virtute contrariâ, dicens :

Contenti præsentibus; contenti sitis iis quæ habetis, quæque sufficiunt necessitati vestræ; nec velitis ditiores fieri. Eò ergo magis eris dominus rerum tuarum, imò totius mundi, quò minùs es cupidus; avarus enim terrena esurit ut mendicus, fidelis contemnit ut dominus, ait S. Bernardus.

Ipse (Deus) *enim dixit : Non te deseram, neque derelinquam*. Sunt verba Dei ad Josue, cap. 1 : *Sicut fui*, inquit, *cum Moyse, ita ero tecum, non demittam, neque derelinquam te*; q. d. : Nolite esse solliciti de congregandis opibus ad vitam tuendam necessariis, fidite Deo, ipse de necessariis vobis providebit; ipse enim dixit Josue, et in Josue omnibus suis fidelibus servis et amicis promisit et dixit : *Non te deseram, nec derelinquam*.

Vers. 6. — *Ita ut confidenter dicamus*, ita ut cum bonâ spe et fiduciâ possimus dicere :

Dominus mihi adjutor; non timebo quid faciat mihi homo, psal. 117. Sentit autem, non timendum ne mali homines nobis prævaleant, etiam temporaliter affligendo, quasi per hoc admodùm nobis noceant; id enim *non futurum, nisi in compensationem majoris* ac melioris boni, cujusmodi sunt exercitium patientiæ, purgatio peccatorum, gratiæ et gloriæ augmentum.

Vers. 7. — *Mementote præpositorum vestrorum*, etc. Præcipit ergo ut episcoporum suorum memores sint, qui eis locuti fuerant verbum Dei, id est, doctrinam fidei tradiderant, qui doctrinam à se traditam sanguine suo *obsignaverant; eorum sanctam conversationem*, fidem eorum, fideique constantiam imitemini.

Vers. 8. — *Jesus Christus heri*, etc. Sensus est : Jesus Christus, in quem credidistis, et quem pro Christo recepistis, non est alius atque alius; non subinde mutatur; sed qui fuit superiore tempore, idem et nunc est, idemque permansurus in omne *tempus et seculum futurum*. Jure vos *adhortor* ad imitandam fidem fideique constantiam præpositorum vestrorum qui excesserunt ex hâc vitâ. Nam idem est Jesus Christus, qui sicut illis adjutor fuit, ita et vobis adjutor sperandus est. Fides vestra est in Jesum Christum, sicut et fuit vestrorum præpositorum; atqui Jesus Christus semper idem est; ergo et fides vestra *eadem esse debet* cum fide illorum, ideòque necesse est ut illorum fidem imitemini.

Vers. 9.—*Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci*. *Varias doctrinas* appellat quæ divisæ sunt atque inter se dissident; *peregrinas* verò, forinsecùs advectas, adventitias, et à doctrinâ domesticâ, ecclesiasticâ,

ergo et eadem sit fides vestra; ergo *et variis doctrinis*, etc.

Vers. 9. — Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci, Græc., *ne circumferamini* : Nolite agitari, hùc et illùc fluctuare. Nota hìc tres hæreseos proprietates : varia est non tantùm à veritate, sed et à seipsâ; semper divisa est in multas sectas et opiniones. Peregrina est, adventitia, *forinsecùs adducta*. Abducit à veritatis rectitudine, demens est et avia.

Optimum est enim gratia stabilire cor ; Græc. : *Pulchrum enim gratiâ stabilire cor;* Syr. : *Melius est enim ut per gratiam confirmemus corda nostra, quàm per cibos.* D. Paulus à genere descendit ad certam speciem, seu dato generali monito de cavendo à variis hæreticorum doctrinis, monet specialiter ut caveant à doctrinâ de discrimine ciborum lege vetitorum, et de manducatione ciborum sacrificalium, seu de comestione victimarum legalium. Quod ut meliùs intelligas, nota quòd judaizantes magnam religionis partem collocabant in esu ciborum Deo oblatorum, quasi vim haberent sanctificandi, animumque roborandi. Ut hanc doctrinam à christianâ doctrinâ alienam evertat Apostolus : *Optimum est*, inquit, *gratiâ stabilire cor;* quasi diceret : Gratia Dei est cordis humani fulcrum et stabilimentum, non verò talis aut talis cibi discretio, aut usus ; hæc enim et similia nihil coram Deo profuerunt observatoribus suis.

Quæ non profuerunt..., Græc. : *In quibus non sunt adjuti ambulantes;* Syr. : *Nullam enim utilitatem perceperunt qui versati sunt in illis.*

Vers. 10. — Habemus altare... Solatur Hebræos ex privatione istorum ciborum legalium ; quasi diceret : De cætero non vos pœniteat hæc reliquisse, nec propterea doleatis, aut tabernaculi ministris invideatis : si enim nobis non licet de illorum sacrificiis comedere, *habemus* et nos *altare*, θυσιαστήριον, *sacrificatorium.*

De quo edendi non habent, ἐξουσίαν, *jus*, libertatem,

Qui tabernaculo..., legis veteris sacerdotes, et qui legalia custodiunt ; è synagogâ enim exeundum est, ut quis de altari Christi edere jus habeat.

Observatio litteralis et dogmatica.

Sed quodnam est hoc altare? Plerique tum antiquiores, tum recentiores intelligunt altare eucharisticum, in quo Christus sub specie panis et vini quotidiè immolatur. Ita Theodoretus, Theophylactus, D. Anselmus. D. Thomas intelligit primò aram crucis, in quâ Christus pro nobis immolatus et cruentè oblatus est ; secundò Christum ipsum, in quo et per quem preces nostras offerimus Deo, estque *altare aureum* de quo Apoc. 8. *Habemus itaque altare* ligneum crucis in quo Christus cruentè oblatus est : *habemus* altare lapideum in quo Christus incruentè sacrificatur : *habemus altare* aureum, Deoque dignum, ipsam Christi personam, in quo humanitatem suam, tanquàm victimam Deo dignam, sacerdos in æternum Christus immolat.

Sed quis germanior Apostoli sensus? Præter jam citatos, Estius censet esse primum, de arâ crucis; Cornelius à Lapide, Menochius, Tyrinus censent esse secundum, de arâ eucharisticâ; Gagnæus utrumque jungit et amplectitur : *Habemus*, inquit, *altare*, id est, hostiam in arâ crucis oblatam, ipsum, scilicet, Christi corpus, *de quo edere non possunt qui tabernaculo deserviunt*... Hæc est vera hostia per quam sanctificantur et de quâ spiritualiter et sacramentaliter vesci possunt quicumque in eum credunt; non qui fiduciam in veteri lege habentes, *veteri tabernaculo deserviunt.*

Reverà cùm utriusque altaris eadem sit hostia ; et aliundè comestio eucharistica sit communio, participatio, comestio hostiæ in cruce pro nobis immolatæ, potest D. Paulus utrumque altare cogitâsse, hæc verba dicens : *Habemus altare.* Verbum tamen de præsenti, *habemus*, expressiùs significat illud altare cujus præsens sit usus in aliquo Ecclesiæ christianæ sacrificio : et hinc antiquiores multi hæc D. Pauli verba intellexerunt de altari in quo nunc offerimus sacrificium corporis et sanguinis Christi, pro nobis olim in cruce immolati. Porrò hæc antiquiorum expositio, etsi non foret ad D. Pauli mentem, multùm tamen hæreticos premeret; ex eâ enim manifestum est quòd mysticum Christi sacrificium et sacrificatorium agnoscebant in Eucharistiâ.

Vers. 11. — Quorum enim animalium infertur sanguis... ; Syr. : *Si quidem animalium illorum, quorum inferebat sanguinem summus pontifex in sanctuarium pro peccatis, caro concremabatur extra castra.* Probat è synagogâ exeundum ut quis fiat particeps

---

apostolicâ alienas ; ut vocantur peregrinæ merces quæ non sunt domi natæ.

Optimum est enim gratiâ stabilire cor, non escis ; quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Quasi dicat : Ne abducamur et circumferamur variis doctrinis ; optimum remedium est, ut *gratiâ*, id est, sanctitate et probitate stabiliamus in fide cor nostrum, *non escis.* Dicit ergo multò meliùs esse si cordis stabilimentum ac firmitatem quærant in gratiâ Dei quam novi Testamenti mediator Christus attulit, quàm si in observantiâ ciborum quam tradidit Moyses. Per escas intelligunt observantias certarum escarum et ciborum lege Mosaicâ præscriptas, Levit. 11. Hæ enim non profuerunt, id est, non justificârunt comedentes, nec mentibus eorum robur gratiæ addiderunt.

Vers. 10. — *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem* (id est, facultatem, licentiam) *qui tabernaculo deserviunt. Altare*, scilicet, in quo offerimus sacrificium corporis et sanguinis Christi, olim in cruce immolati, quod edunt et participant non Levitæ et Judæi sed sacedrotes et fideles christiani, dùm sumunt S. Eucharistiam, hoc fine ut gratiam cor stabilientem consequantur, cibumque sumant corpus Christi, qui eos vivificet in æternum. Ita Chrysost., Theod., Theoph., Anselm. Nullum enim aliud altare habent Christiani, de quo edant, nisi mensam Dominicam. Neque ii qui legi inhærent, habent jus edendi de altari quod habent Christiani.

Vers. 11. — *Quorum enim animalium infertur*, etc. Sicut vetus pontifex de sacrificio quod pro suo populique peccato obtulerat, non comedebat, sed animalium immolatorum corpora cremabantur extra castra,

sacrificii, seu cruenti, seu incruenti, Christi, idque probat cæremoniâ à Moyse ordinatâ in expiationis sacrificio, quod sacrificium erat figura sacrificii Christi : *Quorum enim animalium...*, id est : Vituli et hirci, quorum sanguis expiatorius peccatorum, tum pontificis, tum populi, *infertur* IN SANCTA *sanctorum*, PER SUMMUM PONTIFICEM ;

HORUM CORPORA CREMANTUR, in holocaustum, et de eorum carnibus nec sacerdotes nec populus comedebant,

EXTRA CASTRA. Quando solemne hoc expiationis sacrificium institutum est, populus Dei agebat in deserto, ubi castra erant illi urbis vice ; imò urbs quædam mobilis et ambulans per desertum, in cujus medio erat tabernaculum. Hinc dicitur : *Extra castra.* Quidquid autem tunc non licuit intra castra, postea non licuit intra urbem.

VERS. 12. — PROPTER QUOD ET JESUS UT SANCTIFICARET PER SUUM : Græc., *per proprium.* Syr., *sanguine proprio. Propter quod*, id est : Quia hæc animalia Christi figuræ erant, seu repræsentabant corpus et sanguinem Christi, quæ debebant in sacrificium offerri pro expiatione peccatorum totius mundi, *ideò*, id est, ut has figuras adimpleret Christus.

EXTRA PORTAM, urbis Jerusalem, PASSUS EST, *ut* per proprium sanguinem, POPULUM SUUM *sanctificaret.*

VERS. 13. — EXEAMUS ERGO AD EUM EXTRA CASTRA ; Syr. : *Enimverò nos quoque exeamus ad eum extra castra ;* id est : Exeundum itaque nobis et omnibus qui volunt ipsius sacrificii participes fieri, exeundum, inquam, extra castra, veteris scilicet Testamenti, extra synagogam et Judaismum : accedendum ad novæ christianæ Ecclesiæ castra ; accedendum ad Christum ;

IMPROPERIUM EJUS PORTANTES ; Syr. : *Induti opprobrio ipsius,* id est, ignominiam passionis illius ferentes. Erat tunc non modicum opprobrium Christianum dici, discipulum et sectatorem Crucifixi nominari.

VERS. 14. — NON ENIM HABEMUS HIC MANENTEM... : Nec turbet aut terreat nos hoc voluntarium è Jerusalem aut synagogâ exilium nostrum ; nec enim nos Christiani fixam ac stabilem habemus in hoc seculo civitatem, sed velut peregrini in tabernaculis habitantes, futuram inquirimus, cœlestem nempe Jerusalem.

Nota ex quatuor causis quæ dari possunt de hâc cæremoniâ, cur scilicet hircus et vitulus extra castra comburerentur, tres à D. Paulo in versibus præcedentibus assignari. Primò allegoricam, significabat Christum extra portam passurum, v. 12 ; secundò tropologicam, significabat nos extra castra exire debere ut ad Christum accederemus ; tertiò anagogicam, significabat nos in hâc vitâ civitatem non habere. Litteralem omisit : hæc autem erat, ut hâc cremationè excitaretur horror peccati ; significabatur enim quòd peccatum et peccator deberent extra mundum cremari, scilicet in inferno.

VERS. 15. — PER IPSUM ERGO OFFERAMUS HOSTIAM LAUDIS SEMPER ; Græc., *per omne*, DEO ; id est : Cruentarum hostiarum vice, per Christum pontificem et mediatorem nostrum *semper offeramus Deo hostiam laudis,* hymnos, psalmos, gratiarum actiones.

FRUCTUM LABIORUM, primò quia labiis pronuntiantur ; secundò quia quasi fructibus in agro nostro natis, et Deo in sacrificium oblatis, ipsum laudamus et glorificamus. Benè etiam per *hostiam laudis* sanctissima Eucharistia potest intelligi, quæ per excellentiam est hostia laudis et gratiarum actio, *estque fructus labiorum* CONFITENTIUM NOMINI EJUS, id est, opus labiorum sacerdotalium, Dei nomen benedicentium. Et hunc sensum videtur exigere v. 10 : *Habemus altare ;* hinc in paraph. primus est.

VERS. 16. — BENEFICENTIÆ AUTEM ET COMMUNIONIS... ; Syr. : *Nec obliviscamini commiserationis et communicationis in pauperes. Beneficentiæ*, id est, liberalitatis, et *communionis*, id est, communicationis facultatum vestrarum in pauperes.

NOLITE OBLIVISCI, licèt vos ipsi sitis effecti pauperes, rapinis bonorum vestrorum ; quasi diceret, ait D. Thomas : Olim opere exhibebatis opera misericordiæ, nunc autem saltem corde, si non potestis opere. Hinc *nolite oblivisci*, quasi ob eorum paupertatem non audeat præcipere.

TALIBUS ENIM HOSTIIS PROMERETUR DEUS ; Græc. : *Benè placet sibi Deus ;* Syr. : *Per has hostias homo gratus est Deo. Promeretur*, passivè, id est, conciliatur.

---

sic quicumque tabernaculo deserviunt, edere non possunt de altari crucis, id est, fructum percipere de sacrificio super illud altare oblato, præsertim cùm extra portam fuerit igne passionis consumptum, etc.

VERS. 12. — *Propter quod et Jesus*, etc. *Propter quod*, id est, ut impleretur illa figura quæ est de carnibus extra castra cremandis, etiam Jesus, ut per suum proprium sanguinem populum sanctificaret, extra portam civitatis Hierosolymæ passus est.

VERS. 13. — *Exeamus igitur ad eum extra castra*, vel extra civitatem ; vitæ scilicet ac morum conformatione faciamus quod ille fecit, patiamur quæ passus est.

Improperium ejus portantes. Ejus, inquam, qui extra portam passus est ; nam qui ducebantur extra portam, ignominiosâ morte mulctabantur. *Improperium* Christi, propriè illud Apostolo dicitur, quo vocabantur Christiani, de quo Petrus 1. Epist., 4 : *Si autem ut Christianus, non erubescat ; glorificet autem Deum in isto nomine.* Erat enim magnum probrum vocari sectatorem ac discipulum Christi crucifixi.

VERS. 14. — *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*, improperium ejus portantes. Ad quod ideò hortatur, quia non habemus, inquit, nos Christiani in hoc seculo, *manentem*, id est, fixam ac stabilem *civitatem ;* sed, inquit, velut in tabernaculis agentes, ad eam civitatem tendimus quæ nobis in futuro promittitur, id est, ad Jerusalem cœlestem.

VERS. 15. — *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo*, etc. *Per ipsum ergo*, Christum scilicet tanquàm pontificem et mediatorem nostrum, qui hæc omnia bona nobis conciliavit, quique nostra vota Deo offert, offeramus hostiam laudis, id est, sacrificium missæ ; quæ rectè dicitur hostia laudis, quia à Christo Domino Deo Patri primùm fuit oblata in gratiarum actionem et laudem, idemque Christus nobis, ut imitaremur, præscripsit et instituit, indeque dicta est Eucharistia, id est, gratiarum actio.

VERS. 16. — *Beneficentiæ autem, et communionis nolite oblivisci.* Dicit autem : *Nolite oblivisci*, sicut et supra de hospitalitate, scilicet in pauperes et egentes.

Talibus enim hostiis promeretur Deus. Hostia hæc offertur Deo per manus pauperum, qui ex eâ vivunt ;

tur Deus, placetur Deo, placatur Deus; possumus promereri Deum.

VERS. 17. — OBEDITE PRÆPOSITIS VESTRIS; Græc., *ducibus vestris*; Syr., *gubernatoribus; obedite* ET SUBJACETE, et debitam reverentiam exhibete. Duo debentur prælatis, obedientia et honor; idque duas ob rationes: prima respicit prælatos, IPSI ENIM PERVIGILANT; secunda respicit subditos, UT CUM GAUDIO, id est, ut cum alacritate munere tam gravi fungantur, et NON GEMENTES, *quod* sanè NON EXPEDIT VOBIS, imò noxium est, quia, ut ait D. Chrysostomus, gemitus prælati omni ultione deterior est; invocat enim Dominum, ut ipse puniat; cui Theophylactus addit: Metue, quia Deo te tradit. Nota in præcedente versu triplex sacrificii genus, laudis Deo, v. 15; charitatis proximo, 16; obedientiæ prælatis, quæ melior est quàm victimæ; per victimas enim, ut ait D. Greg. Magnus, aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur.

VERS. 18. — ORATE PRO NOBIS, seu pro me. Si Hebræorum adhuc in viâ, imò in lubrico stantium, preces implorat Apostolus, quis dubitet nos sanctorum cum Christo regnantium orationes utiliter implorare?

CONFIDIMUS ENIM... Prudenter amovet impedimentum quod ex falsis rumoribus poterat apud illos contraxisse, quasi legis esset inimicus et apostata; simul et insinuat quòd mereatur eorum orationibus adjuvari, ut qui nihil non facit, ut omnibus prosit: *Confidimus*, quòd nullius in vos commissi criminis sim conscius; testis est mihi conscientia; imò benè meritus sum, quia in omnibus sincerè processi, et ex bonâ voluntate, ut omnibus prosim.

VERS. 19.—AMPLIUS AUTEM DEPRECOR VOS...; Græc., *hoc facere*; id est: Impensiùs autem rogo vos pro me orare;

QUÒ CELERIUS, id est, ut ad vos citiùs revertar, *quod vehementer exopto*. Hinc conjicitur hanc Epistolam Romæ scriptam fuisse à D. Paulo in primis vinculis, paulò antequàm liberaretur et in Judæam rediret; quod tamen non videtur omninò certum, ob absolutum loquendi modum, v. 23: *Videbo vos*, qui non convenit homini in vinculis detento, nisi fortè de liberatione jam certo. Hinc etiam infertur, ex verbo scilicet RESTITUAR VOBIS, quòd ab Hebræo scripta sit hæc Epistola.

VERS. 20. — DEUS AUTEM PACIS, id est, auctor et amator,

QUI EDUXIT DE MORTUIS PASTOREM MAGNUM OVIUM, id est: qui Jesum Christum à mortuis suscitavit, magnum illum pastorem ovium spiritualium, id est, principem pastorum, cujus omnes alii sunt vicarii;

IN SANGUINE; Syr., *per sanguinem*, id est, pastorem ovium per sanguinem suum, seu quem fudit pro ovibus suis, seu quas pascit sanguine suo;

TESTAMENTI ÆTERNI, et per quem sancivit novum et æternum Testamentum, seu quod durabit usque ad finem mundi.

VERS. 21. — APTET VOS, id est: Deus, inquam, suâ gratiâ vos reddat aptos,

IN OMNI BONO, id est, ad omne bonum opus;

gratissima autem est Deo, adeò ut Deus sibi dari et offerri æstimet id quod datur pauperi. *Promeretur Deus*, id est nos promeremur Deum.

VERS. 17. — *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis.* Constat autem Apostolum loqui de præpositis ecclesiasticis, id est, episcopis. Præpositos vocat pastores et episcopos, hisce obedientiam humilem, submissam et supplicem exhibere jubet.

Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Pervigilant, id est, pervigilare debent, etverò, cùm boni sunt, uti jam sunt reipsà, pervigilant.

Ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes. Obediens leve onus facit præposito, ut scilicet gaudeat in ejus obedientiâ et profectu, inquit Theoph. Sensus est: Ut curam vestri agant cum alacritate et gaudio, et non gemant sub onere, sed leviùs illud ferant, dùm vident se non inaniter in vobis laborare.

Hoc enim non expedit vobis, scilicet, ut gementes id faciant, quia, ut ait Chrysostomus, gemitus prælati ob inobedientiam subditi invocat Dominum, ut ipse eam graviter ulciscatur.

VERS. 18. — *Orate pro nobis.* Apostolus, more suo, sub finem Epistolæ commendat se precibus eorum ad quos scribit.

Confidimus enim quia bonam conscientiam habemus, in omnibus benè volentes conversari. In omnibus, id est, per omnia studentes benè conversari, ut ne cuiquam dictis aut factis meis ullum præbeam offendiculum.

VERS. 19. — *Amplius autem deprecor vos hoc facere*, etc. *Deprecor vos hoc facere*, id est, pro me orare. Non enim apud vos inutilis ero, si vobis restituar. *Vobis* autem intellige, in Judæâ morantibus. Nam Epistola ad Hebræos scripta quò perferenda erat, nisi in Judæam? Quia multo jam tempore ab illis abuerat.

VERS. 20. — *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium.* Vicissim benè eis precatur, ac pro eis orat. Cur hic meminit magni pastoris à morte reducti? Ideò magni pastoris, quia de parvis et secundariis pastoribus, hoc est, præpositis, jam semel et iterùm verba fecerat, tum quia pacem nominaverat, cujus inter Deum et homines conciliandæ causâ, pastor ille magnus pro omnibus mori dignatus est. Meminit autem ejusdem à *morte* resuscitati, ut ostendat eum adhuc vivere, semperque victurum.

In sanguine testamenti æterni. Christum ait à morte reductum ac resuscitatum esse, virtute ac merito sanguinis ipsius in morte effusi, quo confirmatum est testamentum æternum. Ipse enim, inquit Thomas, per suam passionem meruit sibi et nobis gloriam resurrectionis.

Dominum nostrum Jesum Christum. Benè *Dominum* vocat, post factam mentionem mortis ejus et sanguinis, quo nos redemit ac servos suos fecit; 1 Cor. 6: *Non estis vestri; empti enim estis pretio magno.*

VERS. 21.—*Aptet vos in omni bono.* Deus pacis vos, tanquàm unius corporis membra, componat, aptet ac perficiat in omni genere bonorum operum, sic ut alius in hoc, alius in alio opere juxta suam vocationem sedulò se exerceat.

Ut faciatis ejus voluntatem. Deus aptet vos in omni bono, præstans nimirùm ut voluntatem ejus faciatis.

Faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum, hoc est, per gratiam suam efficiens, efficaciter operans in vobis opera sibi placentia; optat enim et precatur Apostolus ut Deus hæc in illis efficiat et præstet per meritum Christi Filii sui, quod et Ecclesia passim in suis orationibus imitatur.

Syr. : *Ipse vos perfectos reddat in omni opere bono;*

Ut faciatis ejus voluntatem, id est, ut exequamini quod à vobis vult fieri;

Faciens in vobis, per suam scilicet inspirationem et cooperationem,

Quod placeat coram se ; Græc. : *Benè placitum coram se;* Syr. : *Quod bonum est coram ipso.* Deus dicitur facere id cujus faciendi dat gratiam.

Per Jesum Christum, id est, per merita Jesu Christi, filii sui, cui est gloria...

Vers. 22. — Rogo autem vos, fratres, ut (licèt non sim tam vester quàm gentium Apostolus)

Sufferatis verbum solatii, id est : grato tamen animo recipiatis hanc Epistolam exhortatoriam simul et consolatoriam.

Etenim perpaucis...; Græc. : *Per brevia misi vobis;* id est : Perpaucis consideratâ materiâ scripsi vobis, ne fâtigarem.

Vers. 23. — Cognoscite, id est : Scitote et gaudete mecum fratrem nostrum Timotheum dimissum ; Græc., *absolutum;* Syr., *solutum esse,* scilicet à vinculis. Ignoratur ubi fuerit in vinculis : aliqui interpretantur dimissum ab amicis, à negotiis, quibus detinebatur.

Si celerius venerit. Non erat tunc cum Paulo : Si citò redierit ad me, *brevi* videbo vos ; Syr. : *Cum eo vos invisam* : de hâc absolutâ locutione vide v. 19.

Vers. 24. — Salutate omnes præpositos ; Græc., *duces;* Syr. : *Postulate pacem eorum omnium qui præsunt vobis ;* scilicet omnes qui in singulis oppidis præsunt in Judæâ et in Syriâ.

Salutant vos de Italia fratres ; Syr., *quotquot sunt ex Italiâ,* qui ad Paulum ex totâ Italiâ confluebant.

Vers. 25. — Gratia cum omnibus vobis. Amen. Græc. : *Ad Hebræos scripta est ab Italiâ per Timotheum.* Syr. : *Epistolæ ad Hebræos ex Italiâ Romanâ scriptæ, missæque per Timotheum, finis.* Quod tamen non est certum, cùm, ut dictum est v. 23, Timotheus Romæ tunc non esset, nec cum D. Paulo ; dubitatur ergo per quem missa sit.

Cui est gloria in secula seculorum. Amen. Non minùs verè ad Jesum Christum, qui et ipse Deus est, quàm ad Deum Patrem referri potest. *Amen* vim habet confirmandi id quod dicitur vel optatur, ut si dicas : Ita fiat.

Vers. 22. — *Rogo autem vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii ;* q. d. : Ergo Paulus, non impero, sed rogo vos, ut æquo animo suscipiatis hanc meam consolatoriam et exhortatoriam ad majora pro fide Christi certamina obeunda Epistolam.

Etenim perpaucis scripsi vobis. Perpaucis, si videlicet spectetis rei argumentum et dignitatem; meumque erga vos, ô Hebræi, zelum et affectum. Hoc dicit Paulus, ait Chrysost., quòd Hebræi pusillo essent animo in suis tribulationibus : nam talium est non ferre sermonem longum.

Vers. 23. — *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum.* Significat Timotheum fuisse alicubi in vinculis, licèt id alibi non narretur. Ita Chrysost., Theoph., Primas., Anselm.

Cum quo (si celerius venerit) videbo vos. Cum illo, inquit, comite, si maturè ad me venerit aut redierit, vos invisam ; alioqui, sine eo ad vos iturus, moræ longioris impatiens. Indicant hæc verba magnum in Paulo desiderium invisendi fratres suos Judæos.

Vers. 24. — *Salutate omnes præpositos vestros*, id est, episcopos Ecclesiarum, maximè per Judæam et Syriam.

Et omnes sanctos, id est, omnes fideles, qui apud vos sunt, id est, Christianos, qui vocatione, professione, officio et debito sancti sunt, id est, esse debent.

Salutant vos de Italiâ fratres. Significat Judæos christianos per varias urbes Italiæ dispersos ; unde plus dicit quàm si scriberet : Salutant vos Romani. Utrùm autem Romæ scripta sit Epistola, an in aliâ quâpiam Italiæ parte, non liquet.

Vers. 25. — *Gratia cum omnibus vobis. Amen.* Concludit Epistolam apprecatione gratiæ, significans eo nomine beneficentiam Dei, quatenùs ab eo nobis omnia dona salutis proveniunt.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim rediganda.

Primum. Honorabile *connubium in omnibus*, v. 4. Recordentur conjugati connubium magnum esse sacramentum ; de quo vide Ephes. 5, ubi fusè explicantur ea quæ ad illud pertinent. Et quia magnum est sacramentum, recordentur quòd sanctum et honorabile esse debeat. *In omnibus*, omninò conjugatis, non in solis provectioris ætatis hominibus, sed et in juvenibus, ait Theophylactus. *In omnibus* quæ ad conjugium spectant ; omninò, omni ex parte, et omnibus modis. Sit puritas in intentione, honestas in modo, moderatio in usu. Caveant ergo conjugati ne thorum maritalem contaminantes, ex magno sacramento magnum faciant sacrilegium. Vide dicta v. 4.

Secundum. *Obedite præpositis vestris et subjacete eis; ipsi enim pervigilant pro animabus*, etc., v. 17. His verbis instruuntur subditi simul et prælati. Subditi duo debent prælatis, obedientiam et reverentiam ; hic utrumque præcipit Apostolus. Obedientiam quidem : *Obedite;* quidquid vobis pastores sanctum præcipiunt, hoc facite. Reverentiam : *Subjacete ;* Græc., ὑπείκετε. Intensam obedientiam indicat, ait Theophylactus ; quasi diceret : Etiam in operibus servite. Reveremini et honorate tanquàm parentes, ait D. Thomas.

Subjacete, honorem illis exhibentes, qualem minores reddunt majoribus, qualem, v. g., filii parentibus Adest subditorum officium obedire, revereri ; at si malus est prælatus, numquid obediemus ? ait S. Chrysostomus. Ipse respondet distinguendo malignum qualiter dicis. Si in causâ fidei, fuge illum, non solùm si homo fuerit, sed etiam si angelus de cœlo descenderit. Si verò in vitâ et moribus malignus est, noli scrutari. Audi Christum dicentem : *Super cathedram Moysi sederunt,* etc. ; *omnia ergo,* etc. ; quasi diceret. Habent dignitatem, hanc reverere, et ob illam eis obedi. Obediendum ergo etiam dyscolis et malis prælatis, honorque ipsis ob dignitatem exhibendus ; *ipsi enim pervigilant....* Rationem nostræ subjectionis et

reverentiæ dat Apostolus : Debemus eis obedire, eosque revereri, quia propter nos incumbit eis labor et periculum.

Instruit eisdem verbis prælatos : *Ipsi enim pervigilant...* Audiant ergo principes, prælati, rectores ; quoniam sicut obedientes oportet esse subditos, sic vigilantes et sobrios oportet esse rectores, ait D. Chrysostomus.

Quasi rationem reddituri..., id est : Imminet periculum ejus capiti, propter te subjiciuntur pœnis peccatorum tuorum, idem D. Chrysostomus. Hoc est maximum periculum de factis alterius rationem reddere, qui pro suis non sufficit, ait D. Thomas. Ad hoc attendat prælatus et contremiscat, omnium quos regit rationem redditurus est. Miror an fieri possit ut aliquis ex rectoribus sit salvus, ait D. Chrysostomus, quem vide hic, hom. 24 in Epist. ad Heb., cap. 13.

Ut cum gaudio hoc faciant et non gementes... quod non, etc. In his etiam verbis instruuntur et subditi et prælati. Prælati quidem quid facere debeant cùm inobedientes sunt subditi, scilicet gemere, orare. Sic medicus contemptus ab ægroto, plorat, ingemiscit, non se ulciscitur, ait D. Chrysostomus. Non sinit Apostolus prælatum erumpere ad probra, ad contumelias ; sed oportet eum ingemiscere cùm despicitur, etc. Hoc est prælati officium. Adest subditorum monitio : *Hoc autem non expedit vobis*, quia, ait D. Chrysostomus, gemitus prælati quàvis ultione deterior est ; gemens enim Deum ultorem advocat. D. Chrysostomus hìc docet quomodò debeat unusquisque se circa prælationem gerere. Considerantes periculum oportet fugere ; comprehensos tamen oportet obedire. Præsentiens ergo fuge ; comprehensus obedi, at nunquàm temetipsum in tantam molem ultrò te conjice, caput tuum tanto subjiciens supplicio.

Tertium. *Per ipsum ergo offeramus hostiam...*, 15. In totâ hâc Epistolâ sæpè dixit Apostolus et probavit quòd habemus pontificem, cap. 8, v. 1 ; cap. 9, v. 11, etc. ; dixit et multoties quòd habemus victimam, capite 9, v. 14 : *Semetipsum obtulit immaculatum Deo ;* cap. 6, v. 27 ; dixit in hoc capite 13, v. 10 : *Habemus altare*, hocque triplex, ut ibi dictum est : ligneum in quo Christus, Agnus Dei, cruentè pro nobis immolatus est ; lapideum in quo Christus *secundùm ordinem Melchisedech sacerdos* semetipsum immolat incruentè ; *aureum* in quo idem Pontifex Christus, Deo dexter assidens, ministerium suum peragit in cœlis ; capite 8, v. 1 et 2 ; et Apoc., cap. 8, v. 3 ; sed ex his omnibus quæ conclusio ?

Exeamus igitur ad eum extra castra, id est, exeamus è nobis, ad Pontificem nostrum accedamus affectu ; ipsique fide et charitate uniti, per ipsum, cum ipso et in ipso *offeramus hostiam laudis semper Deo.* Per ipsum, cum ipso et in ipso offeramus semper Deo immaculatum Agnum Dei in cruce, ad Dei gloriam immolatum, *hostiam laudis.* Nihil unquàm Deum æquè glorificavit ; vide cap. 8, in coroll., v. 3. Per ipsum, cum ipso et in ipso offeramus semper Deo *hostiam laudis*, Jesum Christum, mysticè crucifixum in Eucharistiâ ; et ibi continuè et ubique terrarum sese ad Dei gloriam immolantem ; *hostiam laudis* Deo verè dignam, gratiarum actionem Deo proportionatam. Per ipsum, cum ipso et in ipso offeramus Deo semper Agnum Dei, tanquàm occisum, coram throno Dei stantem, et sese ad æternam Dei gloriam offerentem. *Hostiam laudis* Deum cum sanctis omnibus dignè laudat in æternum.

Elige quod ex his tribus altaribus malueris ; at ne cessaveris unquàm, nec in vitâ, nec in morte, nec in æternitate, super unum aut alterum, hostiam laudis Deo semper offerre. Ad hoc Pater æternus Filium suum, in quo sibi benè complacuit ab æterno, tibi dedit in tempore, ut illum ei offeras *semper hostiam laudis.* Ad hoc Filius Dei unigenitus, splendor et gloria Patris, se totum tibi dedit, seque tuum totum fecit in Incarnatione, et in Incarnationis extensione, sanctissimâ Eucharistiâ, ut illum Deo *semper offeras hostiam laudis.* Tu nihil es, nihil vales, nihil potes, malè Deo servis. Exiens ergo à temetipso, à tuo nihilo omnimodò, ad ineffabile Dei donum accede ; illud cum reverentiâ recipe, illoque juxta Dei beneplacitum utere. Fide igitur et charitate Christo, summo Pontifici unire frequenter, et, si fieri potest, continuè ; per illum, cum illo et in illo, offer Deo *semper hostiam laudis*, Deo dignam, infinitam, Deo proportionatam : offer Christum ipsum, splendorem Patris, ad Dei gloriam : offer Christum, Eucharistiam, ad gratiarum actionem : offer Christum, Agnum Dei, tollentem peccata mundi, ad peccatorum remissionem : offer Christum, donum donorum Dei, ad gratiarum obtentum. Vide corollarium pietatis in fine capitis 9. Ulteriùs perge, et temetipsum huic victimæ, Deo dignæ, jungens, nihilum tuum offer Deo cum illo donorum dono, *in quo sunt omnes thesauri*, etc.

Patere, ô Christe Deus-Homo, ut meum miserum esse, meamque miseram vitam tuo esse divino et humano, tuæque vitæ theandricæ uniens, me tecum offeram Deo Patri, ut infinita, et plus quàm infinities infinita vitæ tuæ merita, omnia vitæ meæ demerita reparent, tuaque superabundans abundantia sit inopiæ meæ supplementum. Patere, ô Christe Deus-Homo, peccatorum mundi victima, Agnusque Dei qui tollis peccata mundi ; patere ut ego peccatorum miserrimus tecum sim peccatorum meorum victima, mortemque meam tuæ morti sanctissimæ conjungens, utramque simul offeram Deo in peccatorum meorum expiationem. Mortem infinities merui, fateor ; mortem accepto contritus et pœnitens. Da, ô Deus Salvator, qui pro meis peccatis mori dignatus es ; da ut in tuo spiritu moriar, in tuis vulneribus moriens abscondar, et per aperti cordis tui vulnus, quasi per os amoris tui, dicam expirans : Per passionem et mortem Filii tui, ô Deus, miserere mei. Concede, ô Christe Deus-Homo, Salvator mundi, Sacerdos æterne, qui Deo dexter assidens, in æterno sanctuario pontificatûs tui ministerium peragis, Deum cum omnibus sanctis laudans, adorans, benedicens, etc. ; concede per infinitam misericordiam tuam ut post mortem meam san-

ctus angelus tuus animam meam per sanguinem tuum à vitiis purgatam deferat in sublime altare tuum, ut tibi Pontifici æterno unita, in te, tecum et per te, Deum cum sanctis omnibus adoret, amet, laudet, benedicat in æternum. Amen.

IN EPISTOLAS S. PAULI DILUCIDATIO.

Auctore Wouters (1).

Præfatio.

Sanctus Paulus scripsit quatuordecim Epistolas, quarum decem diriguntur ad integras Ecclesias, aliæ verò quatuor ad particulares personas, nempe ad Timotheum, Titum, et Philemonem. Scripsit autem potissimùm quatuor de causis : primò, ut illos in fide confirmaret, quos vel ipse, vel alii apostoli per Evangelium Christo genuerant; secundò, ut illos erudiret scriptis, quibus præsens Evangelium prædicare non poterat; tertiò, ut prava dogmata, quibus Judæi et hæretici conabantur imbuere fideles, penitùs convelleret; quartò et maximè, ut Ecclesiam usque ad mundi finem cœlesti suâ doctrinâ illustraret, illamque per universas mundi nationes propagatam, quam vivâ voce non poterat, quovis tempore et loco suis scriptis erudiret.

Illæ autem Epistolæ ferè non nisi quæstiones theologicas continent, et paucas scripturisticas, quarum aliquas jam elucidavimus. Unde his, et theologicis omissis, illas quæ adhuc pertractandæ restant, simul cum difficilioribus textibus elucidare et explicare conabimur.

Ad rectam intelligentiam harum Epistolarum plurimum juvat scire tempus quo scriptæ sunt. Unde Baronius ad annum Christi 58, num. 42, dicit : « Sed hic et illud breviter necessariò *monendum* pu- « tamus lectorem, nonnullis accidisse, ut temporum « ignoratione in maximos errores incidant... Quamob- « rem scrupulosa, quæ videtur in historiâ temporum « indagatio, quantùm conferat ad veram atque germa- « nam divinæ Scripturæ interpretationem, quisque « facilè judicabit. Hæc sentiens Joannes Chrysostomus, « et ipse quibus in locis, quandove Pauli Epistolæ « fuerint scriptæ, pervestigans, in præfatione Epistolæ ad Romanos ait : *Proinde hunc laborem nemo extra « rem, neve hanc indagationem supervacaneæ curiosita- « tis esse putet; confert enim nobis non parùm ad quæ- « stiones explicandas ipsum Epistolarum tempus.* » Tempus autem et ordinem quo Epistolæ S. Pauli sunt scriptæ supra in *Chronologiâ historiæ apostolorum* insinuavimus, et deinceps in decursu suo loco probabimus. Interim pro commoditate lectoris eumdem etiam hic breviter subjicimus. Primo loco conscripta est Epistola prima ad Thessalonicenses, Corinthi, anno æræ vulgaris 52; 2° secunda ad Thessalonicenses, scripta Corinthi, anno 53; 3° illa ad Galatas, scripta Ephesi, anno 56; 4° prima ad Corinthios, scripta Ephesi, anno 57; 5° secunda ad Corinthios, scripta anno 58, postquàm Paulus Troade navigaverat in Macedoniam : sed è quâ civitate, incertum est; 6° Epistola ad Romanos scripta Cenchris prope Corinthum, anno 58; 7° sequuntur Epistolæ ad Philippenses, ad Philemonem, ad Colossenses, ad Ephesios et ad Hebræos, quas Paulus scripsit Romæ in primis vinculis, anno 62; 8° Epistola ad Titum, scripta Philippis, anno 65; 9° prima ad Timotheum, pariter scripta Philippis, anno 65; 10° secunda ad Timotheum, scripta Romæ in secundis vinculis, anno 66.

Ratio ob quam Ecclesia in Bibliis Epistolas Pauli non disposuerit eo ordine quo scriptæ sunt, certò sciri non posse videtur. Putant quidem communiter omnes quòd Epistolam ad Romanos posuerit primo loco, tum ob Romanæ Ecclesiæ præstantiam et præ cæteris eminentiam; tum, ut vult S. P. Aug., epist. 105, ad Sixtum, quia in illâ pertractantur profundissima gratiæ et prædestinationis mysteria, et regina omnium vitiorum, superbia, retunditur; tum denique, ut vult Theodoretus, ob exactam omnis generis doctrinam. Verùm quare Epistola prima ad Corinthios ponatur secundo loco, etc., non facilè est indagare.

(1) Vide Wouters Vitam vol. 23 *Curs. compl. Scripturæ sacræ*, col. 767-768, ad Quæstiones dilucidatas in Historiam et Concordiam evangelicam.

IN EPISTOLAM AD ROMANOS DILUCIDATIO.

QUÆSTIO PROŒMIALIS PRIMA.

Unde et quando hæc Epistola missa fuerit.

Resp. et dico 1° : Epistola ad Romanos missa fuit Corintho, idque probat Origenes his argumentis : 1° Quia, ut colligitur ex cap. 16, v. 1, missa est per Phœben ministram, seu diaconissam *Ecclesiæ quæ est in Cenchris*; atqui Cenchreæ erat portus Corinthiacus, ergo. 2° Quia ibidem, v. 23, dicit : *Salutat vos Caius.*

hospes meus, et universa Ecclesia; salutat vos Erastus, arcarius civitatis; atqui Caium fuisse Corinthium, constat ex 1 ad Cor. 1, v. 14. Et Erastum similiter fuisse Corinthium, constat ex 2 ad Timoth. 4, v. 20; ergo. 3° Paulus, Act. 20, Epheso ivit in Macedoniam, inde venit in Græciam, et ivit Corinthum, ut colligitur ex 1 Cor. 16, v. 3, 4 et 5, collato cum 2 Cor. 9, v. 4. Tunc verò Paulum comitati sunt Timotheus et Sopater, sive Sosipater, Act. 20, v. 4; atqui in hâc Epistolâ, cap. 16, v. 21, illi duo salutant Romanos; ergo, etc.

Dico 2° : Scripta fuit anno 58 æræ vulgaris. Probatur, quia, cap. 15, v. 25, Apostolus dicit : *Nunc igitur proficiscor in Jerusalem ministrare sanctis. Probaverunt enim Macedonia et Achaia, collationem aliquam facere in pauperes sanctorum qui sunt in Jerusalem;* atqui hoc contigit illo anno quo Paulus Jerosolymis captus est : nam, Act. 24, v. 17, Paulus, se defendens coram Felice, dicit : *Eleemosynas facturus in gentem meam, veni, et oblationes, et vota;* atqui captus est anno 58, ut supra in Chronologiâ dictum fuit; ergo.

Obj. 1° : Cap. 16, v. 3, jubet salutari Priscam et Aquilam; atqui Prisca et Aquila non erant anno 58 Romæ : nam Act. 18, dùm Paulus venit Corinthum, Aquila venerat ex Italiâ, eò quòd præcepisset Claudius discedere omnes Judæos à Româ; ergo. — Resp.: Neg. min.; nam hæc Epistola non est scripta dùm Paulus fuit Corinthi, Act. 18, sed dùm illic fuit ultimâ vice, ferens eleemosynas, ut jam dictum est. Tunc autem edictum Claudii erat diù abolitum, sive ab ipso adhuc vivente, sive per mortem ejus, quæ accidit anno 54.

Confirmatur, quia in hâc Epistolâ, loco citato, Paulus Priscam et Aquilam vocat adjutores suos : sed dùm venit Corinthum, Act. 18, nondùm illos noverat, adeòque nondùm poterant esse ejus adjutores.

Obj. 2° : Cap. 16, v. 7, dicitur : *Salutate Andronicum et Juniam, cognatos et concaptivos meos.* Ergo hæc Epistola non est missa Corintho, sed Jerosolymis, ubi Paulus fuit in vinculis. — Resp. : Neg. conseq., quia per concaptivos non intelliguntur qui de facto cum ipso in vinculis erant, sed qui aliquando fuerant. Ubi verò et quando id factum sit, ignoratur, cùm, 2 Cor. 11, v. 23, de se testetur : *In carceribus abundantiùs.* Interim vide Chronologiam ad annum 45.

QUÆSTIO II.

Quid sit contentum et scopus hujus Epistolæ.

Resp. et dico : Scopus et intentio S. Pauli in hâc Epistolâ est componere et decidere aliquam litem quæ Romæ in absentiâ Petri exorta fuerat inter fideles ex Judæis et fideles ex gentilibus. Contendebant enim Judæi se esse primarios in fide, utpote majori suo merito verâ fide in Christum digniores, primò, quia gentibus in idololatriâ permanentibus, ipsi fuerant à Deo specialiter electi, ut essent populus ejus, et oves pascuæ ejus; secundò, quia ipsi à Deo acceperant suam legem, suas cæremonias et oracula; ita ut ipsis, non gentibus essent credita eloquia Dei, scilicet sacræ Scripturæ, patriarcharum et prophetarum oracula, etc.; tertiò, quia ipsis promissus fuerat Messias et quidem ex ipsorum stirpe oriturus, sicut reverà jam ortus erat. Hoc autem totum ascribebant meritis suorum patriarcharum, et derivativè suis. Fideles ex gentibus è contrario contendebant se esse præferendos, et fortiori jure meruisse conversionem ad fidem, primò propter eminentem doctrinam suorum sapientum, juxta quam egregias virtutes exercuerant; tot illustria prudentiæ, temperantiæ, pietatis in patriam et justitiæ, aliarumque virtutum opera patraverant; secundò, quia Judæi erant reprobati et rejecti ob suam pertinaciam et mala opera quibus Messiam suum crucifixerant, et apostolos ac discipulos ejus persecuti fuerant, etc. Ipsi verò gentiles, reprobatis Judæis, Deo mandante apostolis, prædicationem fidei susceperant, et paratiores erant ad credendum quàm Judæi; tertiò, quia, quamvis gentiles fuissent idololatræ, erat tamen hoc ipsorum peccatum potiùs ignorantiæ quàm malitiæ, et non erat omnium : nam varii ipsorum sapientes et philosophi unicum esse Deum, mundi creatorem et rectorem, ex ejus operibus cognoverant; adeòque longè erant præponendi Judæis, qui tot prophetarum oraculis instructi, tot Dei beneficiis cumulati, tamen toties in idololatriam lapsi fuerant.

Cùm Apostolus hanc altercationem audivisset, pro munere suo et zelo verè apostolico, huic glisceuti malo occurrendum censuit hâc salutari Epistolâ; quam idcircò quasi in tres capitales partes distribuit : in quarum primâ demonstrat nemini de propriis meritis esse gloriandum, quia omnes homines, sive Judæi, sive gentiles, ante Christi gratiam fuerunt obnoxii peccato et iræ Dei.

Porrò hinc demonstrat, Christi gratiam et justificationem datam esse et oblatam hominibus, tam Judæis quàm ethnicis, non ob bona eorum præcedentia merita ac opera, sive legalia, sive moralia, sed ex merâ benignitate et misericordiâ gratuitâ omnibus hominibus esse præsentatam; non enim quia justi erant homines, ideò crediderunt in Christum, sed cùm essent injusti, dignè credendo in Christum, justificati sunt, ut deinceps piam ac religiosam vitam ducerent. Sic explicat, S. P. Aug. in Expositione inchoatâ hujus Epistolæ, et lib. 1 ad Simplicianum, quæst. 2.

Ille ergo est præcipuus Apostoli scopus in hâc Epistolâ, maximè à cap. 1 usque ad 12; postquàm enim in duobus prioribus capitibus docuisset omnes homines, antequàm Christo per gratiam et fidem conjunguntur, sub peccato jacere immundos, et proinde nihil habere de quo glorientur, post medium capitis 3, de gratuitâ per fidem justificatione, gentilibus æquè ac Judæis oblatâ, agere incipit; illamque doctrinam, cap 4, confirmat exemplo Abrahæ.

Ut autem insigne hoc Christi beneficium illustriùs commendet, cap. 5, 6 et 7 prodit originem peccati in

universum genus humanum grassantis; deinde describit ejus tyrannidem, à quâ non nisi per Christi gratiam liberamur. Tunc, cap. 8 et 9, repetitâ commendatione beneficii per Christum exhibiti, declarat ordinem ac inscrutabile mysterium divinæ prædestinationis et reprobationis hominum universim, speciatim verò Judæorum, eò quòd justitiam quæ ex fide est ignorarent et respuerent; quam tamen, cap. 10, toto orbe prædicatam et ab ethnicis receptam declarat.

Denique, cap. 11, illa quæ de reprobatione Judæorum dixerat, docet non sic accipienda, tanquàm tota stirps Israelis esset rejecta, quia cùm plenitudo gentium intraverit, reliquiæ Judaicæ stirpis, exemplo conversarum gentium provocatæ, Christi fidem suscipient et salvabuntur.

Secundam Epistolæ partem in illis eisdem primis undecim capitibus explicat Apostolus; sic enim Judæos et gentes docet justificationem Christi per fidem ipsis esse merè gratuitò datam, ut simul utriusque partis factum deprimat, et superbientes animorum motus coerceat, refutans singula argumenta quibus tam Judæi quàm gentiles prætendebant se esse præponendos: nam, c. 1 et 2, refutat Judæos gloriantes de suâ lege à Deo ipsis datâ, ostendens gentiles in hâc parte non esse ipsis inferiores; dicit enim, cap. 2, v. 14 : *Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.*

Gentilium verò argumentum gloriantium in sapientiâ suorum philosophorum refutat similiter, dicens, cap. 1, v. 21 : *Quia cùm* (sapientes gentilium) *cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*, etc.; v. 24 : *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam*, etc. Deinde ostendit quòd neque Judæi neque gentiles possint superbire aut sibi ascribere quòd fuerint à Deo electi, quia tam hi quàm illi sunt nati peccatores et inimici Dei; et quòd nulli eligantur et justificentur nisi per solam misericordiam Dei ob merita Christi. Ad hoc dicit, cap. 3, v. 23 : *Omnes enim peccaverunt, et egent gloriâ Dei. Justificati per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.*

Denique coercet fastum gentilium exprobrantium Judæis suam à Deo rejectionem, eò quòd Messiam crucifixissent, et verbum Dei respuerent, dicens, cap. 11, v. 12 et seqq. : *Quòd si delictum illorum* (Judæorum) *divitiæ sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ gentium, quantò magis plenitudo eorum! Vobis dico gentibus..., quòd si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem, cùm oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis et pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari adversùs ramos. Quòd si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dices ergo : Fracti sunt rami, ut ego inserar. Benè; propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas; noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.* Hoc est : Si peccatum sive pertinacia Judæorum fuit occasio abundantiæ ac dilatationis fidei christianæ per totum mundum, ita ut occasione jacturæ unius anguli orbis terræ, qui rejecit Christum, fides annuntiata sit gentibus toto orbe diffusis; *et diminutio* seu abjectio Judæorum, quâ factum est ut pauci ex ipsis fidem suscipiant, *divitiæ gentium*, id est, occasio fuerit cur innumerabiles quodammodò gentes conversæ sint; *quantò magis plenitudo eorum!* Hoc est plenaria omnium Judæorum conversio in fine mundi, quantò magis erunt divitiæ gentium et mundi! nam gratia Christi erit tunc affluentior tam in Judæos quàm in gentiles, ait Chrysostomus; ultima enim Christi liberalitas, post quam interibit mundus, erit abundantissima. *Dico enim vobis gentibus..., quòd si aliqui ex ramis facti sunt*, id est, aliqui ex Judæis ab arbore, seu à fide et justitiâ suorum parentum exciderint, eò quòd fidem quam in Christum venturum habuerunt, in eum venientem abjecerint; *tu autem*, ô populo gentilis, *cùm oleaster esses, insertus es in illis;* hoc est, cùm priùs esses oleaster, seu populus sylvester, profanus et infidelis, ex profanis et infidelibus oriundus, insitus es inter illos ramos eidem trunco et radici sanctæ, ac particeps factus fidei, gratiæ et pinguedinis Spiritûs sancti, quam antiqui patriarchæ seu Judæorum parentes habuerunt; noli gloriari seu superbire, sed time ne tibi contingat, ut etiam propter superbiam tuam à radice fidei excindaris.

Tertiam Epistolæ partem Apostolus inchoat à capite 12, et in eâ usque ad finem altercationem inter illos fideles componit, ipsos ad unitatem et pacem adhortans, varia tradens documenta moralia quibus ad vitam piè christianèque ducendam eos informat. Inprimis ipsos à vitiis seculi revocat et deinde eos provocat ad charitatis officia mutuò præstanda, et ad obediendum superioribus ac magistratibus. Unde priores duæ partes sunt dogmaticæ, tertia verò est ethica et moralis.

QUÆSTIO III.

Quâ linguâ scripta sit hæc Epistola.

Respondeo : Scripta fuit linguâ Græcâ. Probatur, quia Latina editio abundat græcismis, et est ex textu Græco ad litteram et apicem expressa; dicitur enim cap. 1, v. 31 : *Sine affectione, sine fœdere, sine misericordiâ*, quæ eodem modo habentur in textu Græco, quia in linguâ Græcâ sic optimè exprimuntur, non tamen in Latinâ. Unde si Latinè scripsisset, meliùs posuisset : *Inhumanos, fœdifragos, immisericordes.*

Dices : Nulla est ratio cur Romanis scripsisset Græcè, sed potiùs illis, utpote Latinis scripsisset Latinè. — Resp. : Neg. assump.; ratio enim est quòd hæc Epistola contineat præcipua christianæ religionis ac fidei dogmata, adeòque quamvis sit directa ad Romanos, tamen erat utilissima et futura necessaria etiam aliis Ecclesiis. Deinde hæc Epistola non dirigitur solùm ad Latinos, sed etiam ad Judæos. Porrò non omnes Judæi noverant linguam Latinam, nec omnes Latini Hebræam, sed ambo noverant Græcam. Erat autem necessarium ut Apostolus scriberet lingua utrique parti notâ. Quòd autem lingua Græca Judæis et variis aliis gentibus esset passim nota, patet ex Ci-

cerone, qui oratione pro Archiâ poetâ dicit : *Græcâ autem* (linguâ) *loquuntur in omnibus fermè gentibus; Latinâ suis finibus exiguis sanè continetur.* Quòd verò Romæ tum lingua Græca esset passim nota omnibus, patet ex Juvenali, qui, satyrâ 3, dicit se ideò odisse Romam :

Non possum ferre, Quirites,
Græcam Urbem.

Agit autem de Româ.

CAPUT PRIMUM.

Apostolus docet gentiles non suis meritis ad Evangelium esse vocatos propter virtutes aliquas morales, sed per Christi gratiam. Nam, licèt eorum sapientes per philosophiam Deum cognoverint, non tamen sicut Deum glorificaverunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et multa peccata gravissima, nulla merita bona habuerunt.

QUÆSTIO UNICA.

An tempore quo hæc Epistola est scripta Evangelium foret prædicatum per totum mundum.

VERS. 1. — *Paulus, servus Jesu Christi, vocatus Apostolus,* id est, vocatus ad apostolatum, seu vocatione apostolus. Nomen autem *Apostolus* est verbum Græcum, et idem significat quod Latinè *missus.* Licèt verò hoc nomen, utpote genericum, omnibus Evangelii prædicatoribus tribui possit, tamen per excellentiam illis tantummodò tribuitur qui à Christo immediatè tanquàm legati de latere, missi sunt ad prædicandum in toto mundo Evangelium, ad fundandas ubique Ecclesias, cum potestate generalissimâ, et aliquo modo simili illi quam Christus accepit à Patre, et de quâ ait, Joan. 20, v. 21 : *Sicut misit me Pater et ego mitto vos.* Interim, *cùm dicitur* APOSTOLUS, *si non exprimatur quis apostolus, non intelligitur nisi Paulus,* inquit S. P. Aug., lib. 3 ad Bonifac., cap. 3, *quia pluribus Epistolis est notior, et plus omnibus laboravit.*

Segregatus in Evangelium Dei, id est, peculiariter à Deo electus ex hominibus omnibus et apostolis, tanquàm vas et organum singulare, ad portandum nomen Christi coram gentibus et regibus, etc., ut dicitur Act. 9, v. 15. Nemo enim apostolorum Evangelium Christi tam latè per orbem terrarum sparsit quàm Paulus, utpote qui illud tam in Occidente quàm in Oriente latissimè propagavit. *Segregatus,* seu electus, inquam, primò, æternâ Dei prædestinatione seu præordinatione ; segregatus deinde in tempore à Spiritu sancto, qui Act. 3 jussit segregari Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpserat eos.

VERS. 8. — *Gratias ago Deo meo per Jesum Christum,* auctorem scilicet gratiarum actionis, quia auctor fuit beneficiorum propter quæ gratias ago. *Pro omnibus vobis,* qui beneficia illa accepistis, quæ sunt materia gratiarum actionis. *Quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Circa hæc verba oritur quæstio an tempore quo Paulus hanc Epistolam scripsit, fides per omnes mundi partes fuerit divulgata. Et licèt de hâc quæstione etiam quædam dixerimus in Concord. evang., cap. 23, quæst. 5, tamen ibidem sufficienter discussa non fuit, et ideò jam hìc ex professo pertractanda est. Itaque

Resp. et dico : 1° Tempore quo Paulus scripsit hanc Epistolam, fides fuit divulgata per omnes præcipuas partes tunc noti orbis terrarum, quousque Romanum se extendebat imperium.

Prob. 1° quia textus hìc id clarè insinuat; 2° quia infra, cap. 10, v. 18, Apostolus dicit : *Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum;* atqui hæc verba, quæ desumpta sunt ex Psal. 18, quamvis litteraliter intelligantur de prædicatione cœli et astrorum, ac totius creaturæ, quæ omnibus annùntiat creatorem suum, tamen illa hìc in sensu mystico seu allegorico Paulus de prædicatione Evangelii per apostolos Christi exponit, siquidem agit de verbo et Evangelio Christi Redemptoris, ac Mediatoris, quod fuit mysterium absconditum à seculo, neque ex creaturarum contemplatione disci potuit, sed verbo prædicationis evangelicæ debuit annuntiari ab apostolis, aliisque missionariis, qui sunt quasi cœli quidam mystici, in quantum per contemplationem elevati sunt à terrâ, et fervore charitatis orbem terræ circumcurrentes, salutarem gratiæ imbrem pluunt super electos, fulgura et tonitrua divinæ iræ super reprobos. Ergo tempore apostoli Pauli fuit fides annuntiata, et Evangelium prædicatum per præcipuas mundi partes.

Obj. 1° : In textu capitis 10 dicitur quòd in omnem terram exiverit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum ; atqui hoc non videtur posse intelligi de prædicatione apostolorum, quandoquidem ipsi usque ad fines orbis terrarum fidem non disseminaverint ; ergo, etc.—Resp. : Neg. min., quia, etsi tempore apostolorum Evangelium non fuerit prædicatum in omnibus omninò mundi partibus, fuit tamen prædicatum in omnibus ferè mundi partibus tempore illo notis. Primò enim apostoli illud cœperunt prædicare in Asiâ, deinde Matthæus promulgavit in Æthiopiâ, Thomas in Indiâ, Andreas in Achaiâ, Petrus et Paulus in Occidente, etc. Hoc autem sufficit ut dicatur prædicatum in omni terrâ, seu in universo mundo, sicut dicitur Lucæ 2 exiisse edictum *ut describeretur universus orbis,* non omnis omninò, sed qui tunc obediebat Romanis. Proinde in his et similibus textibus est locutio hyperbolica; sicut quando dicimus Romanos universum mundum occupâsse.

Nec obest quòd addatur, *in fines orbis terræ,* quia rursùs per fines terræ non intelliguntur ultimi et extremi limites mundi, sed fines earum regionum quæ tunc notæ erant et inhabitabantur, eo ferè modo, quo Matth. 12 regina Saba dicitur venisse à finibus terræ ad audiendam sapientiam Salomonis. Unde *orbis terræ* Græcè dicitur οἰκουμενή, id est, *habitabilis,* sive ea quæ habitatur, ut benè reflectit Estius.

Inst. : Nequidem per omnes istas partes apostoli, utpote numero tantùm tredecim aut quatuordecim, videntur potuisse Evangelium prædicare; ergo. — Resp.: Dist. ant.: Per se solos, concedo; per se et alios

episcopos ac sacerdotes quos ordinârunt, et ad prædicandum miserunt, nego antecedens.

Obj. 2° cum Erasmo : Romani ab initio in fide malè instructi fuerunt, et in hâc Epistolâ Paulus ipsos corrigit et benè instruit ; ergo tempore quo hæc Epistola scripta *fuit*, Evangelium *nondùm* prædicatum erat per totum mundum. — Resp. : Neg. ant. ; non enim Apostolus gratias ageret Deo, eò quòd fides Romanorum annuntiaretur in universo mundo, si hæc mala atque perversa fuisset. Et infra, cap. 15, v. 14, vocat Romanos plenos omni scientiâ, quod rursùs non faceret, si in fide fuissent malè instructi.

Obj. 3° : S. P. Aug., epist. 80, ad Hesychium, reflectens ad supra citata Apostoli verba : *In omnem terram*, etc., ait : *Quamvis locutus sit* (Apostolus) *præteriti temporis verbis, tamen quod futurum fuerat dixit, non quod jam factum atque impletum ;* ergo Augustinus censet Evangelium tunc nondùm fuisse prædicatum per totum mundum. — Respond. : Disting. consequent. : Censet non fuisse prædicatum per totum mundum, id est, omnibus orbis terrarum populis, concedo ; plurimis, et quaquàversum tunc notis nationibus, nego consequentiam. Nam primò in eâdem Epistolâ admittit in occidentalibus partibus Ecclesiam pervenisse usque ad littora Oceani ; secundò ibidem docet quòd omnia ista quæ Matthæus, cap. 24, Marcus 13, et Lucas 21, scribunt de abominatione desolationis, quæ prædicta est à Daniele prophetâ, cap. 9, fuisse omninò impleta in excidio Jerosolymitano ; atqui tamen S. Marcus ibidem apertè insinuat priùs Evangelium fore prædicandum per totum mundum, quàm futura sit ista abominatio desolationis, et occisio apostolorum ; ait enim v. 10 : *Et in omnes gentes primùm oportet prædicari Evangelium ;* et tunc, v. 11, subnectit occidendos fore apostolos, et futuram istam abominationem desolationis à Daniele prædictam. Interim

Dico 2° : Tempore apostolorum ad remotiores mundi nationes Evangelium nondùm perlatum erat ; imò nec hodiedùm forsan omnibus omninò mundi gentibus annuntiatum est.

Probatur, quia S. Aug. in præcitatâ epistolâ docet quòd in Africâ suo tempore essent adhuc barbaræ nationes innumerabiles, quibus tunc nondùm erat prædicatum Evangelium. Similiter et nos novimus illud non fuisse prædicatum in Indiis occidentalibus seu Americâ, nisi circa tempora Philippi II, regis Hispaniæ. Unde si supra dicta verba intelligantur de prædicatione Evangelii per omnes omninò mundi partes (quemadmodùm et intelligi possunt), certum est quòd tempore apostolorum ista prædicatio nondùm fuerit completa, sed tantùm sit complenda ante finem mundi.

Obj. 1° : Apostolus utitur verbis præteriti temporis ; ergo eo tempore debuit prædicatio Evangelii omninò fuisse completa. Resp. : Neg. conseq. ; nam et David, *quo usus est teste, non ait : In omnem terram exiturus, sed : « Exiit sonus eorum, » quod utique nondùm factum erat ; quale est etiam illud* (psal. 21) : « *Foderunt manus meas et pedes meos ;* » *quod tam longè postea factum novimus,* inquit S. Aug., loco supra citato. Verba itaque Apostoli habent vim præteriti temporis simul et futuri, et significant in omnem terram modò exisse sonum Evangelii, et etiam adhuc exiturum, quemadmodùm verba Christi, Joan. 15 : *Omnia quæcumque audivi à Patre meo nota feci vobis*, significant : Modò nota feci, et adhuc facturus sum, uti observavimus in Concord. evang., cap. 25, quæst. 2.

Obj. 2° : Vaticinium illud Davidis de prædicatione Evangelii per omnes nationes, tempore apostoli Pauli debuit fuisse impletum ; ergo non possunt præcitata Apostoli verba intelligi de prædicatione Evangelii per omnes omninò mundi partes. Prob. ant., quia Apostolus per ista verba vult excludere excusationem ignorantiæ mysteriorum fidei, non tantùm à Judæis, sed etiam à gentibus ; atqui hoc secundùm hanc opinionem non potuisset facere, quandoquidem non sit ratio auferendi excusationem infidelibus per hoc quod in futurum erant audituri, ut docet S. Thom. 1-2, q. 106, a. 4, ad 4 ; ergo. — Resp. : Disting. ant. : Debuit fuisse impletum quoad præcipuas suas partes, concedo ; quoad omnes omninò, nego antecedens. Hinc etiam distinguo majorem probationis : Vult excludere istam excusationem à pluribus gentibus, imò à majori earum parte, concedo ; ab omnibus prorsùs gentibus, nego majorem. Et similiter distinctâ minore, ruit consequentia.

Petes quid intelligat Apostolus, v. 17, de Evangelio dicens : *Justitia enim Dei ex eo revelatur ex fide in fidem.* — Resp. : Eum loco citato agere de justitiâ Dei, non quâ Deus justus est, sed quâ homines justos facit. *Hæc justitia, quæ in veteri Testamento velata erat in novo revelatur,* inquit S. P. Aug., lib. de Spirit. et Litt., cap. 11 : *Ex fide in fidem.* Hoc multis modis intelligi potest : primò, ex fide veteris Testamenti procedendo in fidem novi Testamenti ; in utroque enim per fidem Christi vel nascituri, vel nati fit justificatio ; secundò, *ex fide annuntiantium in fidem obedientium*, seu audientium, inquit S. Aug. ibidem ; tertiò, ex fide *minori*, seu *alicujus articuli*, *in fidem majorem*, seu aliorum articulorum. Sic dicitur 2 ad Cor., cap. 3 : *A claritate in claritatem ;* et psal. 83 : *Ibunt de virtute in virtutem ;* quartò ex fide informi ad formatam per charitatem. Et omnes hæ expositiones conveniunt litteræ ; unde Apostolus addit : *Justus autem ex fide vivit*, quod desumptum est ex Habacuc 2.

CAPUT II.

Judæos ethnicorum reprehensores ostendit inexcusabiles, atque demonstrat eos, quamvis habeant legem scriptam, quæ docet ipsos quid sit faciendum aut omittendum, non idcircò esse meliores gentilibus, si hi servent legem Dei, scriptam non in tabulis Moysis, sed in cordibus suis.

QUÆSTIO UNICA.

Quomodò intelligenda sint verba versûs 14.

Postquàm Apostolus dixisset non esse acceptionem personarum apud Deum, et non auditores, sed fa-

ctores legis fore justificandos, subjungit, v. 14 : *Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.* Pelagiani quondam docuerunt apostoli Pauli in hoc loco mentem esse quòd varii gentiles sine fide et gratiâ Christi per solas naturæ vires fecerint ea quæ legis sunt, id est, observaverint et impleverint legem Dei. Hæc doctrina, utpote hæretica, damnata est in concilio Milevitano, can. 5. Nonnulli Catholici, præsertim recentiores interpretes, inter quos Cajetanus, exponunt præcitatum textum de gentibus à fide Christi alienis, non omnia, sed tantùm aliqua quæ legis sunt facientibus, puta honorare parentes, subvenire oppressis, et cætera hujusmodi opera moraliter bona, quæ sine gratiâ Dei fieri possunt. Verùm alii exponunt istum textum de gentibus fide Christi imbutis, et per ejus gratiam ea quæ legis sunt facientibus, sive Christi adventum præcesserint, sive secutæ sint; et horum expositio est genuina, atque

Prob. 1° quia apostolus agit de iis gentilibus quibus in extremo judicio pro bonis operibus dabitur vita æterna; item de gentilibus, qui apud Deum justi sunt, ut patet ex versu 13; atqui hi omnes fide et gratiâ Christi debuerunt esse imbuti, quandoquidem certum sit neminem sine fide et gratiâ Christi justificari, et vitam æternam consequi posse; ergo, etc. Prob. maj., quia postquàm versibus præcedentibus dixerat tribulationem et pœnam à Deo infligendam omni homini operanti malum, Judæo primùm, et deinde Græco, hoc est gentili, subjungit gloriam et vitam æternam reddendam omni operanti bonum; ait enim, v. 10 : *Gloria..., et honor, et pax omni operanti bonum, Judæo primùm, et Græco;* ubi gloriæ et honori pacem adjungit, ut significet benè operantibus futuram omnium bonorum quietam, perpetuam, certam ac securam possessionem, ut communiter exponunt interpretes; adeòque loquitur de gentilibus qui in extremo judicio pro bonis operibus recepturi sunt vitam æternam.

Prob. 2° quia Apostolus, postquàm demonstraverat tam gentiles quàm Judæos qui legem divinam impleverant, coram Deo justos esse, et mercedem æternam recepturos, pro ratione subjungit, v. 14. *Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt,* etc; atqui hæc ratio non subsisteret, si ageret de gentilibus à fide Christi alienis; ergo, etc.

Prob. 3° : Illæ gentes de quibus agit Apostolus, pertinent ad Evangelium, hoc est, ad fidem Christi; atqui similes non agunt bonum solis naturæ viribus; ergo.

Prob. maj. ex S. P. Aug., qui lib. de Spir. et Litt., cap. 26, exponens præfatum Apostoli textum, ait : « Profectò ad Evangelium pertinent gentes, quibus « lex in cordibus scripta est. Eis quippe credentibus « virtus Dei est in salutem. Quibus autem gentibus « gloriam et honorem pacemque promitteret, extra « Evangelii gratiam constitutis? Quia enim... non « auditores, sed factores legis justificantur, ideò sive « Judæus, sive Græcus, hoc est, quilibet ex gentibus « crediderit, salutem in Evangelio pariter habebit... « Unde autem factorem legis Græcum justificari di- « ceret, sine gratiâ Salvatoris? » Ex quibus patet S. Augustinum omnia quæ supra dicta sunt confirmare, atque Apostoli textum de gentibus fide Christi imbutis exponere. Eodem modo etiam exponunt S. Fulgentius, lib. de Gratiâ Christi, cap. 25 et 26; Prosper, lib. contra Cassianum, cap. 22; et S. Thomas in illum Pauli locum; item 1-2, q. 109, a. 4, ad 1.

Solvuntur argumenta.

Obj. 1° : Ratio seu causalis illa : *Cùm enim gentes*, etc., non refertur ad illud quod proximè præcessit, nempe : *Factores legis justificabuntur*, sed ad illud quod ante dixerat, scilicet : *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*, ergo Apostolus non agit de gentibus fide Christi imbutis. — Resp : Neg. ant.; tunc enim sensus Apostoli esset ineptissimus, imò falsus, siquidem falsa est hæc propositio : Quia gentes naturaliter ea quæ legis sunt, seu opera moraliter bona fecerunt, ideò peribunt. Deinde verba quæ v. 15 subjungit, evincunt hanc expositionem esse falsam; dicit enim ibidem quòd istæ gentes in die judicii sint defendendæ et salvæ futuræ.

Inst. : Gentes illæ non poterunt defendi in die judicii ut salvæ fiant : nam verbum *defendentibus* citato versu tantùm extenditur ad gentiles, quos excusabit aliquorum bonorum operum à se factorum cogitatio seu conscientia. — Resp. : Neg. assumpt.; nam sicuti illi quos cogitatio seu conscientia accusabit, pro malis operibus recipient pœnam, sic illi quos conscientia defendet, pro bonis operibus recipient præmium. Jam autem nemo recipiet præmium in die judicii pro operibus solùm naturaliter bonis; ergo verbum *defendentibus* non extenditur ad similes gentiles, sed ad eos qui totam legem divinam observaverunt. Et id Paulus præcitato versu satis insinuat per particulam *etiam*, ac si diceret : *Cogitationibus accusantibus, aut etiam* (quod ad bonos aut ea quæ legis sunt facientes attinet) *defendentibus.*

Obj. 2° : Apostolus apertè dicit quòd gentes ea quæ legis sunt *naturaliter* faciant; atqui opera fidei, aliaque meritoria non possunt dici naturaliter facta; ergo, etc. — Resp. cum S. P. Aug., lib. 4 contra Julianum, cap. 3 : « Ideò dicuntur sine lege naturaliter « quæ legis sunt facere, quia ex gentibus venerunt « ad Evangelium, non ex circumcisione, cui lex data « est, et propterea naturaliter, quia ut crederent, ipsa « in eis per gratiam correcta est natura. » Itaque *naturaliter* hic designat naturam, nullâ quidem lege Mosaicâ, sed tamen fide Christi et gratiâ adjutam; ac proinde natura hoc loco opponitur tantùm legi scriptæ tanquàm pædagogo hominem extrinsecùs dirigenti, non verò gratiæ intrinsecùs adjuvanti.

Obj. 3° : Apostolus loquitur de gentibus quæ legem non habent; atqui hoc non potest intelligi de gentibus ad fidem conversis, quandoquidem istæ præter

legem naturæ, cunctis hominibus insitam, legem habeant Christi, sicut et Paulus de se testatur 1 Cor. 9, dicens se sine lege non esse, sed esse in lege Christi; ergo, etc. — Resp. : Disting. maj. : Loquitur de gentibus quæ legem non habent in tabulis aut membranis scriptam, concedo; quæ legem fidei non habent, nego majorem, ac dico Apostolum ab illis tantùm velle removere Mosaicam, non verò legem fidei; nam gentiles per operum legem traducti non sunt ad fidem, quemadmodùm Judæi, quibus sua lex pædagogus fuit ad Christum.

Inst. : Apostolus, v. 14, addit : *Ejusmodi,* id est, tales homines gentiles, *legem non habentes,* id est, legem scriptam, qualem Judæi habent, *ipsi sibi sunt lex,* hoc est, natura eorum rationalis, sive lumen naturæ est ipsis pro lege; atqui nullus per lumen naturæ potest noscere fidei mysteria; ergo Apostolus non agit de gentibus fide imbutis. — Resp. : Disting. maj. : Natura eorum rationalis, dictamine rectæ rationis, simul fide illuminata, est ipsis pro lege, concedo; solo dictamine rectæ rationis illuminata, nego majorem, et conformiter distinctâ minore, nego consequentiam, ac dico tales gentiles novisse quid agere et omittere, item quid credere debuerint, quia in eis per gratiam correcta fuit natura, ut supra ex S. Aug. dictum est.

Obj. 4° : Si Apostolus ageret de gentilibus qui per bona opera justificati sunt apud Deum, sibi contradiceret. Prob. assumpt., quia cap. 3 docet hominem non justificari per bona opera, sed per solam fidem; ait enim ibidem, v. 24 : *Justificati gratis per fidem;* item, v. 28 : *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis.* — Resp. : Neg. assumpt., et ad textus objectos dico cum S. P. Aug., lib. de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 7 : Apostolus *hoc dixit, non quia negavit aut evacuavit opera bona, cùm dicat* (nimirùm hic, cap. 2, v. 6) *Deum unicuique reddere secundùm operâ ejus; sed quia opera sunt ex fide, non ex operibus fides, ac per hoc ab illo sunt nobis opera justitiæ, à quo est ipsa fides, de quâ dic um est : « Justus ex fide vivit. »* Itaque Apostolus hoc dicit contra Judæos, *qui in lege* (Mosaicâ) *gloriabantur, et libero arbitrio suo legem sufficere* (ad justificationem) *arbitrabantur,* ut rursùs docet S. Aug., serm. 13, de Verbis Apostoli.

Obj. 5° : Quidam ex Patribus Græcis, videlicet S. Chrysostomus, Theodoretus et Œcumenius in Commentariis hujus capitis; item ex Latinis S. Cyprianus, lib 3 ad Quirinum, cap. 99, et S. Hieron., epist. 151, intelligunt præfatum Apostoli locum de gentilibus, opera duntaxat naturaliter bona facientibus, etc. Resp. : Neg. ant., quia Chrysostomus, et post eum Theodoretus pro exemplis afferunt eos gentiles qui Deo per fidem placuerunt, ut Melchisedech, Job, etc. Similiter Œcumenius, exponens illud : *Pax omni operanti bonum, Judæo primùm et Græco,* dicit per Græcum ibi intelligi verum Dei cultorem ac fidelem. S. Cyprianus autem in loco objecto ne vel verbum desuper habet; et S. Hieron. illud verbum *naturaliter* eatenùs tantùm urget, ut ex eo loco Pauli demonstret legem naturalem scriptam esse in cordibus hominum, et nullum esse qui eam ignoret. Hoc autem nostræ expositioni minimè est contrarium.

Petes quomodò Paulus hic, v. 25, dicat : *Circumcisio quidem prodest, si legem observes,* quandoquidem 1 Cor. 7, v. 19, et ad Galat. 5, v. 6, dicat neque circumcisionem valere quidquam, neque præputium, sed finem quæ per charitatem operatur. — Resp. circumcisionem prodesse, in quantum faciebat Judæos esse ex populo Dei signato, cui Deus crediderat sua eloquia, ut habetur cap. seq., v. 2. Unde sensus est : Circumcisio prodest Judæo legem observanti, quia circumcisione benè utitur. Nam qui legem observat, circumcisionem quam in carne accepit transfert ad spiritum, dùm quod circumcisione carnis significatur, id est, vitiorum amputatio et fuga, in ipso impletur. Circumcisio enim signum quoddam erat Judæum commonefaciens cor esse circumcidendum, secundùm illud Jeremiæ 4 : *Circumcidamini Domino; et auferte præputia cordium vestrorum.* Ita Estius. In Epist. autem ad Cor. et ad Galat. Apostolus agit de circumcisione nudè secundùm se spectatâ, et sic nihil proderat; nam eatenùs erat infirmum et egenum elementum.

Quia in cap. 3 non occurrunt nisi quæstiones theologicæ, ideò illud transilimus.

CAPUT IV.

Cap. 3 docuerat Apostolus hominem justificari per fidem Christi sine operibus legis Mosaicæ; et id hoc cap. 4 probat exemplo Abrahæ, qui non ex operibus propriâ virtute factis, sed ex fide justificatus est. Ostendit deinde quòd, sicut Abraham nondùm erat circumcisus, quando justificatus est per fidem, ita justificatio per fidem etiam ad gentiles incircumcisos, et non tantùm ad Judæos circumcisos pertineat.

QUÆSTIO PRIMA.

Ex quâ fide dicat Apostolus Abrahamum fuisse justificatum.

Resp. : Ex fide quâ Abraham Deo credidit semen suum fore multiplicandum instar stellarum cœli; item ex fide quâ credidit sibi posteros ex Sarâ sterili nascituros.

Probatur prima pars, quia hic, v. 3, dicit Apostolus Abrahamum esse justificatum ex eâ fide quâ credidit Deo promittenti, Gen. 15, v. 6; ait enim : *Quid dicit Scriptura?* (nempe Gen. 15) : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam;* atqui Gen. 15 credidit Deo promittenti semen suum fore multiplicandum sicut stellas cœli; ergo, etc. Probatur secunda pars, quia Apostolus, postquàm hoc capite probàsset justificationem non esse ex operibus legis Mosaicæ, sed ex fide Christi, id rursùs confirmat ex justificatione Abrahami, v. 18, de ipso ita scribens : *Contra spem,* id est, contra id quod naturaliter sperare poterat, *in spem credidit,* hoc est, fidem habuit promissis divinis, et inde spem conce-

pit de semine sibi nascituro ex uxore sterili. Et deinde subjungit, v. 19 : *Non est infirmatus fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cùm jam ferè centum esset annorum, nec emortuam vulvam Sarœ.* Ex quibus formatur hoc argumentum : Apostolus docet Abrahamum esse justificatum ex fide quâ Deo credidit, dùm jam erat propè centenarius; atqui tunc credidit ex Sarâ sibi nasciturum Isaac, et ex hoc omnes istos posteros, uti refertur Gen. 17, v. 16 et 17, et hic etiam satis insinuat Apostolus; ergo.

Obj. 1° : Abraham non tunc demùm quando hoc credidit quod de eo Scriptura commemorat, Gen. 13, justificatus fuit, sed diù ante, nempe ab initio vocationis suæ, quando, Gen. 12, dictum est ei : *Egredere de terrâ tuâ*, etc; nam tunc describitur ut vir justus, utpote fidelis et obediens Deo, et ut talis etiam laudatur ad Heb. 11 et alibi. Ergo non potest dici Abrahamum fuisse justificatum ex fide quam habuit de multiplicatione seminis sui, et de nascituro Isaac; aliàs enim ex exemplo Abrahæ non benè probàsset Apostolus impium justificari ex fide Christi. — Resp.: Disting. conseq. : Non potest dici ex illâ fide eum fuisse justificatum justitiâ primâ, id est, ex inimico Dei factum amicum, concedo; justitiâ secundâ, hoc est, ex minori amico factum majorem, nego consequentiam, ac dico quòd ista fides ipsi valuerit ad incrementum justitiæ, tum ratione difficultatis objecti, tum ratione modi, quia rem naturaliter impossibilem sine ullâ diffidentiâ promptissimè ardentique in Deum affectu credidit. Optimè autem ex allegato exemplo Abrahæ probavit Apostolus impium ex fide Christi justificari, siquidem argumentum ejus concludit à fortiori, ita ut sensus ejusdem sit hic : Si Abraham, antea justus, adhuc justificatur ex fide et per gratiam fidei, non autem ex operibus legis, majori igitur ratione, uti in fine capitis concludit, ex impio justus quis primùm efficitur per fidem, et non per opera legis.

Obj. 2° : Nullus unquàm potuit justificari sine fide Dei Remuneratoris, ut docet Apostolus ad Heb. 11, v. 6; item sine fide Mediatoris seu Salvatoris, ut docent communiter omnes SS. Patres; atqui fides quâ credidit Abraham semen suum fore multiplicandum, etc., non erat fides Dei Remuneratoris et Mediatoris; ergo ex virtute hujus fidei non fuit justificatus. — Resp. : Disting. conseq. : Ex virtute hujus fidei solius non fuit justificatus, concedo; ex virtute hujus fidei, prout erat conjuncta fidei Dei Remuneratoris ac Mediatoris, nego consequentiam : nam et antiqui patriarchæ habuerunt fidem Dei Remuneratoris ac Mediatoris, ut docetur in tractatu de Fide. Imò quòd Abraham habuerit fidem explicitam mysterii Incarnationis, satis clarè eruitur ex Joan. 8, v. 56; item ex Gen. 12, v. 3; et ex cap. 18, v. 18, id deducit S. Hieron. lib. 1, in Matthæum.

Obj. 3° : Postquàm, Gen. 17, Abrahæ à Deo revelatum erat quòd ex Sarâ sterili esset habiturus filium, v. 17 subjungitur : *Cecidit Abraham in faciem suam, et risit in corde suo, dicens : Putasne, centenario nascetur filius, et Sara nonagenaria pariet?* atqui hæc verba videntur innuere Abrahamum, saltem in initio, non satis firmiter divinis promissis credidisse; ergo. — Resp. : Neg. min. : nam illa verba non dixit quia diffidebat divinæ promissioni, sed quia mirabatur omnipotentiam Dei, ejusque erga se munificentiam, ac noscere cupiebat quâ ratione promissum illud, quod humanas vires excedebat, esset perficiendum; eodem ferè modo quo illud inquisivit D. Virgo, audito nuntio partûs Christi, dicens Lucæ 2 : *Quomodò fiet istud?* Hinc S. P. Aug., reflectens ad illum Abrahami risum, lib. 16, de Civ. Dei, cap. 26, ita scribit : « Risus « Abrahæ exultatio est gratulantis, non irrisio diffi- « dentis. Verba quoque ejus in animo suo : *Si mihi « centum annos habenti nascetur filius, et si Sara nona- « ginta annorum pariet*, non sunt dubitantis, sed ad- « mirantis. » Similiter loquitur S. Ambros., lib. 1, de Abraham dicens : *Risus ille non incredulitatis, sed exultationis fuit indicium.*

Obj. 4° : Quamvis Sara, Gen. 18, ab angelo audiens se parituram filium, gaudio perfusa sit, tamen quia ibidem, v. 10, dicitur risisse post ostium tabernaculi, interpretes colligunt Saram firmiter non credidisse promissioni divinæ; ergo idem videtur colligendum ex risu Abrahæ. — Resp. quòd interpretes hoc ex risu secundùm se spectato non colligant, sed quia Sara propter istum risum, v. 13, legitur ab angelo reprehensa. Unde S. P. Aug., lib. 16, de Civ. Dei, cap. 31, de risu Saræ ita scribit : « Risus ille etiamsi « gaudii fuit, tamen plenæ fidei non fuit. Post ab « eodem angelo etiam in fide confirmata est, » nimirùm dùm, v. 14, ei dixit : *Numquid Deo quidquam est difficile?* »

Obj. 5° : Abraham, postquàm, Gen. 17, v. 17, in corde suo dixerat : *Putasne centenario*, etc., v. 18, ulteriùs pergit, et Deum alloquitur hoc modo : *Utinam Ismael vivat coram te!* atqui hoc videtur dixisse ex quâdam diffidentiâ; verba enim illa hunc habent sensum : Ex Sarâ prolem quam sperare non possum minimè peto, sufficit votis meis si Ismaelem, quem mihi dedisti, in vitâ conserves; ergo Abraham in fide hæsitavit. — Resp. : Neg. min. et rationem ei adjunctam; nam verba illa tantùm dixit ex humilitate, quâ se indignum reputabat tam grandi miraculo quod promittebatur; quasi diceret : Multùm ac satis mihi præstiteris, si promissionem, quondam mihi factam, adimpleas in Ismaele. Constat enim Abrahamum se valdè humiliâsse coram Deo.

Obj. 6° : S. Chrysost., hom. 6 de Pœnitentiâ, ait : « Deus permisit justos proprium penes arbitrium hu- « manis erroribus incurvari, non ipse jam ad pecca- « tum impellens, sed arbitrio permittens secundùm « proprium nutum ambulare. Sic itaque infidelitate « sanctus peccavit Abraham. » Item S. Hieron., lib. 1 adversùs Pelagianos, cap. 10, dicit : « Abraham et « Sara, auditâ repromissione filii Isaac, rident in corde « suo, et tacita cogitatio non latet scientiam Dei. « Arguuntur in risu, et ipsa cogitatio, quasi pars infi- « delitatis, reprehenditur. » Ergo fides Abrahæ non

fuit firma. — Resp. : Præterquàm quòd isti sententiæ resistant S. P. Aug. et S. Ambros., etiam eidem maximè hoc capite adversatur Apostolus; ait enim v. 19 : *Non infirmatus est fide*, etc., id est, in fide non vacillavit; item v. 20 : *In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentiâ.* In textu Græco habetur : *Ad promissionem autem Dei non hæsitavit incredulitate.* Ad quæ verba reflectens S. Chrysost., serm. in hoc Pauli caput, ita loquitur : « Non dixit illum non incredulum « fuisse, sed non hæsitâsse, hoc est, ne animo quidem « suspenso, ancipiti ac dubio fuisse. » Quare illud quod alibi dixit, hic censendus est tacitè retractâsse. Idem fecisse censetur S. Hieron., dùm in cap. 3 ad Galat. scribens, dixit sequentia : « Credidit Abraham « Deo... Saram nonagenariam et sterilem confidens « esse pariturum... Quicumque igitur credunt, bene- « dicentur cum fideli Abraham, qui ob egregiam in « Deum fidem primus in eum credidisse narratur. »

QUÆSTIO II.

De quibusdam aliis hùc spectantibus.

Quæres 1° quid velit significare Apostolus v. 2, ubi dicit : *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.*—Resp. : His verbis significat Abrahamum neque per circumcisionem, neque per opera, solis naturæ viribus facta, justitiam consecutum fuisse. Unde in istis verbis continetur hoc argumentum : Si Abraham ex operibus justificatus est, et non ex fide, habet unde glorietur, unde se jactet apud homines, tanquàm justum, sed non apud Deum, quia talis justitia non est justitia Dei; atqui tamen certum est quòd Abraham habuerit gloriam apud Deum, ergo non ex operibus justificatus est. Per hoc tamen non significat Apostolus eum qui ex operibus justificatus videtur, meritò posse gloriari apud homines, sed id tantùm transmittit seu gratis concedit, ita ut sensus sit : Etsi fortè, quod nunc non discutio, de suâ operum justitiâ apud homines gloriari possit, qui tantùm vident ea quæ foris sunt, haudquaquàm tamen habet unde glorietur apud Deum, qui videt abscondita cordis : nam *ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo*, supra, cap. 3, v. 20.

Quæres 2° ad quid referatur verbum *quomodò*, dùm dicitur v. 10 : *Quomodò reputata est* (scilicet fides ad justitiam) *in circumcisione, an in præputio ?* —Resp. illud ad qualitatem seu conditionem personæ referri. Sensus enim est : Qualis et in quo statu erat Abraham, quando ei fides ad justitiam reputata est? Num circumcisus jam erat, an adhuc præputiatus? Hunc esse hujus loci sensum patet ex textu Græco, qui ita habet : *In circumcisione existente* (Abrahamo), *an in præputio?* Deinde ad hanc interrogationem respondet Apostolus, et ait : *Non in circumcisione, sed in præputio;* hoc est, nondùm Abrahamo circumciso, sed adhuc habenti præputium, fides reputata est ad justitiam. Et id ex historiâ Genesis manifestum est : nam postquàm Moyses, ibidem cap. 15, enarrâsset fidem Abrahamo reputatam esse ad justitiam, et postea, cap. 17, totam historiam de institutione circumcisionis et nasciturо Isaaco descripsisset, tunc tandem, v. 23 et 24, subjungit quòd Abraham se, filium suum Ismaelem ac vernaculos suos circumciderit.

Quæres 3° ad quid referatur particula *quæ*, dùm dicitur v. 11 : *Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio.*—Resp. verosimiliùs referri ad justitiam fidei; siquidem loco citato docet Apostolus circumcisionem in Abrahamo fuisse signaculum justitiæ ejus quam priùs acceperat ex fide. Unde sensus est hic : Abraham jam ante justificatus per fidem, postea accepit signum circumcisionis, id est, ipsam circumcisionem, quæ esset signaculum, id est, sigillum ejus justitiæ quam antea, dùm adhuc erat in præputio seu præputiatus, per fidem gratis acceperat.

Quæres 4° quo sensu dicatur, v. 15, quòd lex iram operetur. — Resp. quòd lex dicatur iram operari, non per se et ex suâ institutione, sed occasionaliter, quomodò et Christus dicitur positus in ruinam multorum, Lucæ 7, et Apostoli quibusdam erant odor mortis in mortem, 2 Cor. 2, videlicet per occasionem. Sic igitur et lex iram operatur, idque triplici modo : primò, quia si lex non esset, nec esset transgressio legis; unde docet S. P. Aug., epist. 88, pejorem esse qui legem habet cum malâ voluntate, quàm si legem non haberet; nam cæteris paribus graviùs peccant scientes quàm vincibiliter legem ignorantes; secundò, quia legis occasione augetur in homine concupiscentia, dùm ex inclinatione naturæ corruptæ magis semper nititur in vetitum, fitque ei dulcius quod prohibetur; pluribus id declarat Apostolus infra, cap. 7, et post ipsum S. Aug., lib. de Spir. et Litt., cap. 4; tertiò, quia facilè sibi promittit homo legis acceptæ implectionem, atque ex eâ justitiam, non cogitans de fragilitate suarum virium; quemadmodùm illi qui in monte Sinai lege auditâ, Exod. 24, dicebant : *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, et erimus obedientes;* deinde in se confidit, ac sibi placet tanquàm justus, dùm legem aliquatenùs, ac vel opere vel specie externâ, Pharisæorum more observat; itaque per hoc redditur superbus et hypocrita. Rationis hujus meminit S. Aug. lib. 3 contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 7. Et hi quidem effectus sunt legis à fide et gratiâ separatæ, sicut de eâ nunc Apostolus disputat. Ita Estius.

CAPITA V, VI.

Tractat Apostolus de bonis quæ ex justificatione et gratiâ nobis proveniunt, ac docet per unum Christum omnia ista nobis collata esse, sicut et per unum Adamum peccatum, mors, et omne malum in mundum intravit. Deinde docet, cap. 6, non esse peccandum ut gratia abundet, sed potiùs quòd, quia mortui sumus peccato, debeamus ad ejus suggestionem esse insensibiles.

Aliqui textus explicantur.

Quo sensu, cap. 5, v. 13, dicatur usque ad legem peccatum fuisse in mundo, et tamen imputatum non esse, explicatur in cap. 1 Gen.

Petes 1 quo sensu protoparens noster Adam hic, cap. 5, v. 14, dicatur *forma futuri*. — Resp. : Dicitur *forma futuri*, in quantum figuram gerebat ejus qui venturus erat, scilicet Christi, quem Apostolus, 1 Cor. 15, v. 45, vocat novissimum Adam. Est autem primus Adam forma et typus secundi Adami, hoc est, Christi, per comparationem à contrario, ut exponit S. Aug., propos. 29 ad Rom., et alibi. Sunt enim Adam et Christus velut duo principia, mutuò opposita, respectu hominum. Per Adam enim peccatum et mors intravit in mundum, per Christum justitia et vita. Unde, sicut primus Adam est prima origo peccati et mortis, ita secundus Adam, seu Christus, est origo justitiæ et immortalitatis post resurrectionem corporum accipiendæ.

Adhuc unum alium hujus loci sensum dat S. Aug., lib. 1, de peccat. Merit., cap. 11, ita scribens : « Primus est forma futuri, quia in ipso constituta est « forma condemnationis futuris posteris, qui ejus « propagatione crearentur, ut ex uno omnes in con« demnationem nascerentur, ex quâ non liberat nisi « gratia Salvatoris. » Juxta hanc expositionem ad hæc : *Qui est forma futuri*, non subauditur : *Secundi Adami*, seu *Christi*, sed : *Futuri temporis*, vel, futuræ posteritatis ; ut videlicet, sicut ipse peccator factus est et mortalis, ita tales ex ipso posteri nascerentur.

Petes 2° quomodò intelligenda sint verba versûs 15, ubi dicitur : *Non sicut delictum, ita et donum*, etc. — Resp. hoc modo : Non sicut casus et ruina Adami, ita fuit donum et gratia Christi ; nam beneficia et gratia Christi longè potiora sunt et efficaciora peccato Adami, primò, quia Adam unum tantùm peccatum transmisit ; Christus ab omnibus omninò liberavit ; et ideò subjungitur v. 16 : *Gratia ex multis delictis in justificationem ;* secundò, malum Adami intendi non potest ; Christus verò dat abundantiam gratiarum et augmentum. Quòd autem, v. 15, dicatur gratiam Christi *in plures* abundàsse, per hoc non significatur plures justificandos quàm infecti sunt peccato Adami ; nam τὸ *plures* ibidem non sumitur comparativè, sed positivè ; et sic idem designat ac *in multos ;* et ita habetur in textu Græco.

Petes. 3° quid velit Apostolus, dùm, v. 20, dicit : *Lex subintravit, ut abundaret delictum*. — Resp. quòd per hos et similes terminos, qui sæpè in ejus Epistolis reperiuntur, non velit designare causam, sed tantùm occasionem delicti ; occasione nempe sumptâ ex parte hominis, qui plerumque nititur in vetitum. Unde lex plurium peccatorum occasio fuit, sicut quotidiè superiorum mandata peccati occasio fiunt, quatenùs nempe concupiscentiam, freni impatientem, irritant, non autem quasi hominem per se ad peccatum impellant.

Petes 4° quid intelligatur per corpus peccati, dùm cap. 6, v. 6, dicitur : *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* — Resp. : Per corpus peccati intelligitur homo noster vetus, qui est veluti compositum quoddam ex corpore humano peccatis mancipato, et ex appendice peccati originalis, seu fomite concupiscentiæ, tanquàm formâ ipsum movente, et ei quodammodò dominante, qui vetus homo, ad Ephes. 4, et ad Coloss. 3, v. 9, proponitur ut exterminandus et extirpandus. *Nolite*, inquit Apostolus ibidem, *mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis*. Destruitur ergo et aboletur in nobis corpus peccati, quando concupiscentiæ, seu desideriis peccati non consentimus, sed resistimus, eaque in nobis expugnamus et occidimus. Et quamvis perfecta destructio corporis peccati non hujus sit vitæ, sed futuræ, nunc tamen interim ita destruendum est, ut saltem fiat quod hoc cap., v. 6, sequitur : *Et ultra non serviamus peccato*, id est peccati seu concupiscentiæ imperiis non obsequamur.

CAPUT VII.

Capite præcedenti Apostolus dixerat nos non esse sub peccato, ex eo quòd non simus sub lege, sed sub gratiâ ; id autem hoc capite fusiùs probat exemplo uxoris, quæ sicut solvitur à lege viri, dùm hic moritur, ita et Christianos à lege veteri solutos esse demonstrat, quia et hæc etiam modò mortua erat. Deinde dicit se non ea quæ vult agere, sed mente quidem servire legi Dei, carne autem legi peccati.

QUÆSTIO UNICA.

An v. 14 Apostolus de suâ personâ loquatur.

Hoc versu dicit Apostolus : *Scimus enim quia lex spiritualis est ; ego autem carnalis sum*. Putant Græci S. Paulum hoc versu usque ad versum 25 induere, seu repræsentare personam hominis peccatoris sub lege, qui nondùm liberatus est à servitute peccati. Ita Origenes et Chrysostomus in hunc locum, ac Basilius in Regulis brevioribus, interrog. 16. Alii verò Patres et interpretes communiter asserunt Paulum hoc dicere de seipso, et in personâ hominis justi sub gratiâ constituti. Ita S. P. Aug., Hilarius, Gregor., Nazianz. et S. Gregor., lib. 19 Moral., cap. 6. Horum autem sententia, utpote verosimilior.

Prob. 1° : Certum est quòd Apostolus agat de seipso, sub lege constituto, et homine peccatore, dùm dicit v. 7 : *Peccatum non cognovi, nisi per legem*, etc. ; ergo etiam, v. 14., agit de seipso, jam sub gratiâ constituto, et de personâ hominis justi. Prob. conseq., quia personam loquentis non mutat, sed tantùm statum, siquidem à tempore præterito, dicendo : *Cognovi*, transit ad præsens, jam dicens : *Sum*.

Prob. 2° : Plurima, quæ hìc dicit, nullatenùs de homine peccatore, sed de justo duntaxat intelligi queunt ; ergo, etc. Prob. ant., quia dicit, v. 17 : *Jam non ego operor illud*, scilicet malum, *sed quod habitat in me peccatum*, nempe concupiscentia. Item, v. 22 : *Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem ;* et denique, v. 25 : *Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati ;* atqui hæc nullatenùs de peccatore, sed de justo duntaxat intelligi possunt : peccator enim voluntariè succumbens concupiscentiæ, dicere non potest se non facere malum, sed concupiscentiam illud operari. Item dicere non potest se condelectari, et mente servire legi Dei ; ergo certum videtur quòd Apostolus non loquatur in personâ ho-

minis peccatoris. Hinc S. P. Aug., lib. de Prædest. sanct., cap. 4, non solùm oppositam sententiam (quam quondam lib. 83 Quæst., q. 66, et lib. 1 ad Simplic., q. 1, tradiderat) retractat, sed etiam hanc, tanquàm probabiliorem, tradit his verbis : « Illa Apostoli verba : *Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum,* et cætera, quibus caro contra spiritum confligere ostenditur, eo modo exposui, tanquàm homo describatur adhuc sub lege, non sub gratiâ constitutus. Longè enim postea, etiam spiritualis hominis (et hoc probabilius) esse posse illa verba cognovi. » Vide et plura lib. 1 Retract., cap. 23, et lib. 6 cont. Julian., cap. 23.

Obj. 1° : Peccator videtur posse dicere se non operari malum, in quantum illud operatur cum quâdam reluctantiâ; nam peccatum quod causatur ex vehementi concupiscentiâ, est homini involuntarium secundùm quid; ergo præcitata verba non obstant quominùs dicatur quòd Apostolus loquatur in personâ peccatoris. — Resp. : Neg. ant.; hoc enim non obstante, dicere nullatenùs potest : *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum;* sed hoc tantùm dicere potest : Operor, licèt aliquo modo invitus, aut :

. . . . . *Video meliora, proboque,*
Deteriora sequor. . . . . . .

Non enim intelligitur, *non ego operor*, nisi quia non consentit exhibere membra sua arma iniquitatis. Nam et si concupiscit, et consentit, et agit, quomodò non ipse illud operatur, etiamsi se operari doleat, et vinci graviter ingemiscat? » ait S. P. Aug., lib. 1 ad Bonifac., cap. 10.

Obj. 2° : Paulus ac cæteri homines justi non possunt dici carnales, sed potiùs dici debent spirituales; peccatores verò sunt carnales, juxta illud 1 Cor. 3, v. 3 : *Cùm enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundùm hominem ambulatis?* Ergo Paulus hoc capite loquitur in personâ hominis peccatoris. — Resp. : Disting. ant. : Non possunt dici carnales hoc sensu quòd carni et inordinatis ejus motibus consentiant, concedo; alio sensu, in quantum nimirùm à carne mortali et fomite peccati, qui in eis habitat, impugnantur et ad peccandum sollicitantur, nego antecedens et consequentiam. Siquidem homines etiam justi, quamdiù sunt in hoc seculo, circumferunt corpus animale quod aggravat animam, nondùm spirituale, quale recepturi sunt in cœlo. Itaque dixit : *Ego autem carnalis sum;* quia nondùm spirituale corpus habebat Apostolus. Sicut posset dicere : *Ego autem mortalis sum.* Quod utique nonnisi secundùm corpus intelligeretur dixisse, quod nondùm fuerat immortalitate vestitum, » inquit rursùs S. P. Aug., loco ultimo citato. Unde nihil hìc contra nos facit locus ex Epistolâ ad Corinthios, quia contentiosi isti Corinthii non tantùm carne, sed et mente carnales erant, uti in Epistolâ suâ satis clarè insinuat Apostolus.

Obj. 3° : Paulus hìc, v. 14, statim subjungit : *Venundatus sub peccato;* atqui venundatus sub peccato, juxta ordinariam Scripturæ phrasim, significat hominem qui est totus addictus servituti peccati; ergo, etc. Prob. min. ex 3 Reg. 21, v. 25, ubi de Achab dicitur : *Non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est ut faceret malum;* item 1 Machab. 1, v. 16 : *Juncti sunt nationibus, et venundati sunt ut facerent malum.* — Resp. : Disting. min. : Venundatus simpliciter, significat talem hominem concedo; venundatus secundùm aliquid, nego minorem, ac dico, quòd quod simpliciter expressit Scriptura de istis impiis, hoc Paulus de se et quolibet justo non simpliciter dictum velit intelligi, sed secundùm aliquid, id est, secundùm carnem, ut sensus sit : Carne, quæ per peccatum Adami fuit vitiata, adhuc servus sum peccati, id est, concupiscentiæ, siquidem Adam se et posteros suos in se quodammodò vendidit, et in servitutem concupiscentiæ carnalis tradidit. Unde « secundùm hoc se dicit venundatum sub peccato, quod adhuc non est redemptum à corruptione corpus ejus, vel venundatum aliquando in primâ transgressione præcepti, ut haberet corpus corruptibile, quod aggravat animam, » ait iterùm S. Aug., lib. 1 ad Bonifac., cap. 10.

Obj. 4° : Dicit v. 23 : *Invenio legem in membris meis... captivantem me in lege peccati;* atqui hoc non potest intelligi de personâ hominis justi, quandoquidem non ipse, sed duntaxat ejus caro captivetur in lege peccati; ergo. — Resp. : Neg. min., quia, ut S. Aug. mox citatus observat, « dixit ideò : *Captivantem me,* quia et in ipsâ carne non est aliena natura, sed nostra. Sicut ergo exposuit ipse quid dixerit : *Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne meâ, bonum,* sic etiam ex illius expositione hunc debemus accipere, tanquàm dixerit : *Captivantem me,* hoc est, carnem meam, in lege peccati, quæ est in membris meis. »

Obj. 5° : Dicit v. 15 : *Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio;* atqui soli peccatores faciunt malum, ergo Apostolus loquitur in personâ peccatoris. — Resp. cum S. Aug., non tantùm consideranda hìc esse verba objecta, sed etiam ea quæ adjungit, nempe hæc : *Si autem quod nolo, hoc facio, consentio legi quoniam bona est.* « Magis enim, inquit Augustinus, se dicit legi consentire, quàm carnis concupiscentiæ. Hanc enim peccati nomine appellat. Facere ergo se dixit et operari, non affectu consentiendi et implendi, sed ipso motu concupiscendi. Deinde dixit : *Nunc autem non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Quid est *nunc autem,* nisi jam nunc sub gratiâ, quæ liberavit delectationem voluntatis à confessione cupiditatis? Non enim meliùs intelligitur *non operor,* nisi quia non consentit. »

Obj. 6° : Homo justus verè perficit bonum; atqui Apostolus, v. 18, dicit : *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio;* ergo non loquitur de homine justo. — Resp. cum S. Aug., lib. 1 de Nupt. et Concup., cap. 29 : « Hoc ideò dictum est, quia tunc perficitur bonum, quando desideria mala nulla sunt, sicut tunc perficitur malum, quando malis

« desideriis obeditur. Quando autem sunt desideria, « sed non eis obeditur, nec malum perficitur, quia « non eis obeditur, nec bonum, quia sunt; sed fit ex « aliquâ parte bonum, quia concupiscentiæ malæ non « consentitur, et ex aliquâ parte remanet malum, « quia vel concupiscitur. Ideò ergo Apostolus non ait « facere bonum non sibi adjacere, sed perficere. »

Obj. 7° : S. Hieron. oppositam sententiam apertè tradit epist. 151, ad Algasiam, q. 8; item in cap. 1 Habacuc, et in cap. 3 Danielis, ad illa verba trium puerorum : *Peccavimus, iniquè egimus*, ubi ait : *Quomodò hi* (nempè pueri) *ex personâ populi loquuntur, sic illud Apostoli intelligendum est :* « *Non enim quod « volo, hoc ago, sed quod nolo, illud operor,* » *et cætera quæ in eodem loco scripta sunt.* — Resp. cum Estio : Quamvis Hieron. in hanc expositionem aliquando propensior fuerit, tamen, epist. 22, de Custodiâ virginitatis, ad Eustochium, cap. 2, disertè asserit Paulum hæc de se scribere, quando jam corpus suum castigaverat, et in servitutem redegerat. Et quidem in eâ sententiâ Hieronymum permansisse vero simile est; nam multò post exortâ Pelagianorum hæresi, in lib. 2 Dialogi contra eos scripti, cap. 1, cum Pelagio disputans, ex professo docet Apostolum hoc dicere de suâ et justorum personâ. Ita Estius.

Cap. 8. Hactenùs explicavit Apostolus infirmitatem *legis*, peccati et concupiscentiæ; hoc autem capite virtutem gratiæ et spiritûs Christi explicat; et demonstrat quanta bona justis per Christum, Christique spiritum dentur.

CAPUT IX.

Hoc capite docet Apostolus promissiones Judæorum patribus factas, ob illorum ruinam, de quâ vehementer dolet, non frustrari, sed adimpleri in spirituali Israele, seu in gentilibus, qui, licèt non sint filii Abrahæ secundùm carnem, sunt tamen secundùm spiritum, seu gratiam.

QUÆSTIO PRIMA.

Quo sensu dicat Apostolus se optare anathema esse à Christo pro fratribus suis Judæis.

Apostolus vehementer dolens fratres suos Judæos quoad majorem partem esse reprobatos, seu ab hæreditate Dei rejectos, ex ardentissimo erga eos amore dicit, v. 3 : *Optabam enim ego anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Circa quæ verba inquiri solet quo pacto S. Paulus dicat optâsse se ut esset anathema, id est, separatus à Christo pro fratribus suis, cùm nemini licitum sit ullo casu velle suam separationem à Deo, nec ordo charitatis patiatur ut quis suam salutem postponat saluti aliorum.

Cajetanus et alii quidam contendunt hoc Apostolum intelligere de eo tempore quo adhuc erat in Judaismo; neque enim dicit : *Opto*, sed : *Optabam*, ut sensus sit : Ego aliquando in incredulitate meâ volui me perdere pro fratribus meis, nempe tunc quando Ecclesiam et nomen Christi persequebar, optans potiùs tanquàm anathema ab eo separari, quàm Judaismum, quem cum fratribus meis tenebam, relinquere. Sed hæc expositio nullatenùs subsistit, quia Saulus Jesum persequens, Messiam cum esse negabat, ideòque verè non optabat ab ipso separari; sicut verè et propriè non dicitur optare miseriam, qui expetit carnis voluptates, licèt hæ miseros reddant homines. Deinde præsentem animi affectum erga Judæos non benè probaret ex affectu quem olim erga eos habuisset, utpote qui dicere possent illum cum religione etiam affectum putâsse.

S. Hieron., epist. 151, ad Algasiam, q. 9, per *anathema* intelligit occisionem corporalem, ut sensus sit : Optabam, si Deo ita videretur, vitam et sanguinem pro salute fratrum meorum Judæorum profundere. Sed nec hæc expositio videtur satis genuina; nam ei repugnat τὸ *à Christo*; qui enim martyrium subit pro fratribus, non fit anathema à Christo, sed magis ei conjungitur, juxta illud ejusdem Apostoli : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo*, ad Philip. 1. Unde S. Chrysost., in cap. 9 ad Rom., istam opinionem refutat sequentibus verbis : *Mors ejusmodi illum magis choro isti conjungebat, cooptabatque, qui Christum circumdat cùm efficiebat ut gloriâ illâ frueretur.* Deinde nihil singulare juxta hunc sensum diceret Paulus, utpote qui non tantùm pro Judæorum, sed pro omnium prorsùs hominum salute mortem subire erat paratissimus.

Alii *aliis modis* præfatum Apostoli textum exponunt. Probabilior autem videtur eorum expositio, qui dicunt sensum esse hunc : Optarem ego ipse, si liceret, et si fieri posset, esse anathema à Christo, id est, separatus et alienus à Christo, pro fratribus meis Judæis. Hæc est expositio S. Chrysost., secundùm quem verbum *optabam* in textu Græco non ad præteritum tempus refertur, sed positum est pro *optarem*, ita ut sit verbum potentiale : sic enim apud Græcos interdùm sumitur præteritum imperfectum. Voluit itaque Apostolus sermone hyperbolico significare magnitudinem sui amoris erga fratres suos Judæos.

QUÆSTIO II.

Quis sit sensus verborum quæ habentur v. 13.

Apostolus, proponens altum prædestinationis et reprobationis mysterium, ait, v. 12 et 13 : *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est : Quia major serviet minori; sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Sensus litteralis horum verborum est hic : Jacob dilexi, transferendo in ipsum jus ad primogenituram, Esau odio habui, jus primogenituræ ab ipso auferendo. *Itaque major serviet minori*, id est, primogenitus Esau servict Jacobo secundogenito, non in suâ personâ (hoc enim nullibi factum legitur), sed in posteris suis. Judæi enim, posteri Jacob, quasi soli hæredes Abrahæ, possederunt ut hæreditariam promissam terram Chanaan, eisque servierunt Idumæi, posteri Esau, prout dictum fuit in cap. 25 Gen.

Itaque verba illa : *Major serviet minori*, quæ ex Gen. 25 desumpta sunt, uti et sequentia : *Jacob dilexi*, etc., quæ ex Malachiæ 1 desumpta sunt, de posteris Jacob et Esau, ad litteram intelliguntur de

dilectione et odio eorum, quantùm ad bona temporalia, non autem de prædestinatione et reprobatione eorum æternâ : falsum enim est omnes posteros Jacob esse salvatos, et omnes posteros Esau esse damnatos, siquidem Job, qui, ut alibi dictum est, fuit de stirpe Esau, certò est salvus.

Interim Apostolus in sensu mystico et allegorico præfata veteris Testamenti verba hìc citavit, et intellexit de gratuità prædestinatione electorum ad gloriam, et de rejectione reproborum à vità æternâ. Nam ex sensu mystico, non quidem dubio sed certo, efficax quoque desumitur argumentum. Certum autem est Paulum ex divinâ revelatione cognovisse electionem Jacob, et reprobationem Esau quoad bona temporalia fuisse figuram electionis et reprobationis hominum quoad vitam æternam. Cùm enim fuerit à Deo constitutus Ecclesiæ doctor, debuit ei perfecta Scripturarum intelligentia, tam historica quàm mystica, fuisse divinitùs inspirata. Itaque Jacobum hìc proponit tanquàm typum electorum, Esau verò tanquàm typum reproborum ; indeque et aliunde concludit Deum non esse injustum, dùm ex eâdem massâ totius generis humani, jam damnationi obstrictâ, pro suo beneplacito aliud facit vas in honorem, aliud in contumeliam.

Petes an Esau sit damnatus. — Resp. hoc impertinens esse ad scopum Apostoli : cùm enim Jacobum tantùm afferat tanquàm typum prædestinatorum, et Esau tanquàm typum reproborum, ex verbis ejus determinatè nihil evincitur pro salute Jacobi et pro damnatione Esau. Interim Patres Africani, in Sardiniâ exules, videntur censere Esau esse damnatum, dùm in Epistolâ synodicâ, cap. 7, ita scribunt : « Esau « per iram justam justè est præparatus ad pœnam... « Qui sacramento quidem circumcisionis accepto, « reatu originalis peccati caruit, sed per nequitiam « cordis in hominis terreni vetustate permansit, illius « ibi judicio derelictus, qui gratis salvat, justèque « damnat. » Idem ferè eisdem verbis asserit S. Fulgentius lib. de Verit. prædest, cap. 5.

Quidquid sit, ex Scripturâ non videtur efficaciter probari Esau esse damnatum. Nam, licèt graviter peccaverit vendendo primogenita, Gen. 25, item dùm ibidem, cap. 27, v. 41, pessimum propositum habuit occidendi Jacobum fratrem suum, tamen cùm diù post hæc supervixerit, potuit de istis peccatis pœnitentiam agere ; imò, quòd ipsum desuper pœnituerit, inde colligitur quòd postea amicitiam cum fratre suo iniverit, ut docet S. P. Aug., quæst. 119 in Gen. Itaque inhærendo Scripturæ sacræ, res est incerta.

Dices : Esau esse damnatum docet Apostolus ad Heb. 12, v. 17, de ipso dicens : *Postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est ; non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquàm cum lacrymis inquisisset eam.*—Resp. : Neg. assumpt., quia Apostolus loco citato non videtur agere de pœnitentiâ Esau, sed de pœnitentiâ Isaaci, quâ hunc facti sui pœniteret, et revocaret benedictionem fratri ejus Jacobo impertitam. Unde sensus est : Esau cupiens et petens à patre suo Isaac ut benedictionem Jacobo datam revocaret et sibi impertiret, rejectus est, nec potuit impetrare ut pater sententiam retractaret, etiamsi cum lacrymis paternæ sententiæ retractationem quæsivisset. Quòd enim inquisiverit ut patrem pœniteret facti sui, seu benedictionis datæ Jacobo, nec tamen ullis aut precibus, aut lacrymis id potuerit extorquere, testatur apertè Scriptura, Gen. 27, narrans Isaac dixisse de Jacobo : *Benedixi ei, et erit benedictus,* id est, sententiam non muto, sed valebit benedictio quam dedi.

Cap. 10 ostendit Apostolus quòd per totum mundum exiverit sonus prædicationis Evangelii. Quo sensu autem hoc verum sit, dictum est supra, cap. 1.

CAPUT XI.

Ostendit Apostolus quòd gentiles non debeant se præferre Judæis : nam, licèt modò maxima pars Judæorum reprobata sit, tamen in fine mundi universi Judæi convertentur ad fidem. Deinde docet quòd tota utriusque gentis differentia sit à gratiâ et divinâ prædestinatione, cujus rationem nemo comprehendere, sed tantùm admirari potest.

QUÆSTIO UNICA.

An omnes omninò Judæi in fine mundi sint convertendi et salvandi.

De conversione Judæorum, quæ fiet in fine mundi, celeberrima exstant in veteri Testamento vaticinia : Nam Oseæ cap. 3 dicitur : *Filii Israel dies multos sedebunt sine lege, sacrificio... ; et post hæc revertentur, et quærent Dominum Deum suum, et David* (id est, Christum) *regem suum in novissimo dierum.* Item Psal. 58 de Judæis dicitur : *Convertentur ad vesperam,* id est, in fine seculi, ut notat S. Hieron. in illum locum. Idem dicitur Isaiæ 59, v. 20 ; ad quem locum respiciens Apostolus hic, v. 25, ita scribit : *Nolo vos ignorare, fratres, mysterium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapientes), quia cæcitas contigit ex parte in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est* (Isaiæ 59) : *Veniet ex Sion, qui eripiat et avertat impietatem à Jacob.* Quæ verba etsi aliqui interpretati sint de Israele spirituali, qui constat ex Judæis, qui priùs crediderunt, et ex Gentibus, quæ postea ad fidem conversæ sunt, ita ut sensus sit : Intrante gentium plenitudine complebitur salus totius Israelis, tamen Apostoli sententia omninò intelligenda est de Israeli carnali, seu de Judæis, primò, quia Apostolus in priori parte istius sententiæ Israelem intellexit secundùm carnem, ac proinde et in posteriori parte sic accipi debet, ut verificetur antithesis, quam ponit : Priùs enim Israel ex parte excæcatus est, et ex parte credidit ; postea verò omnis Israel credet. Secundò, hæc verba v. 12 : *Quantò magis plenitudo eorum* apertè significant futurum aliquando ut plenitudo Judæorum intret Ecclesiam, sicut nunc intrat plenitudo gentium.

Denique testimonium quod ex Isaiâ prophetâ desumptum est, et cætera quæ hoc capite habentur, apertè demonstrant quòd Apostolus loquatur de Israele carnali, qui in fine mundi misericordiam con-

sequetur. Et ita etiam intelligunt SS. Patres, nempe Basilius in psal. 32; Hilarius in psal. 58; ac S. Hieron., qui licèt in cap. 11 Isaiæ aliter sentire visus fuerit, tamen in cap. 3 Oseæ et in cap. 3 Habacuc, ad illa verba : *Ficus enim non florebit*, citans Christi verba, quibus, Matth. 21, maledixit ficui : *Non afferes fructum usque in seculum :* « Diligenter, inquit, consi« dera quid dixerit : *Non afferes fructum usque in se« culum ;* non ait : *Usque in secula seculorum.* Sed cùm « seculum istud pertransierit, et intraverit plenitudo « gentium, tunc etiam hæc ficus afferet fructus suos, « et omnis Israel salvabitur. » Idem etiam docet S. P. Aug., lib. 18 de Civ. Dei, cap. 21, et lib. 20, cap. 29.

Ex his jam satis clarum est quòd, sicut jam maxima pars gentium conversa est ad fidem, ita quoque in fine mundi maxima pars Judæorum sit convertenda, imò salvanda ; sed an omnes omninò tunc sint salvandi, controvertitur. Ad hanc autem controversiam dirimendam

Resp. et dico : Probabilior videtur sententia eorum qui putant non omnes omninò Judæos tunc esse salvandos.

Prob. 1°, quia angelus, cap. 12 Danielis, v. 1, loquens de maximâ tribulatione quæ erit in fine mundi, ait : *In tempore salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus in libro ;* atqui illud : *Qui inventus fuerit scriptus in libro*, restringit vocem *omnis ;* ergo, etc. Prob. min. : Si tunc simpliciter salvi futuri essent omnes Judæi, nullo excepto, angelus etiam simpliciter dixisset : *In tempore illo salvabitur omnis populus tuus*, nec addidisset particulas illas restrictivas : *Qui inventus fuerit*, etc. Unde S. Gregor., hom. 12 in Ezechielem, non omnes, sed multos ex Judæis, in fine mundi ad cognitionem veritatis redituros affirmat.

Prob. 2°, quia Apostolus, v. 26, illos Judæos vocat omnem Israelem, quos antea, v. 12, dixerat plenitudinem eorum ; atqui sicut, dùm dicit, v. 25, plenitudinem gentium intraturam Ecclesiam, non significat omnes gentiles, nullo excepto, sic etiam, dùm dicit plenitudinem Judæorum convertendam, non insinuat omnes, nullo excepto, esse convertendos ad fidem. Ergo, quemadmodùm non repugnat quòd aliquæ nationes paganorum aut tardiùs aut nunquàm sint conversæ, sic etiam non repugnat paucos Judæos in fine mundi non esse convertendos.

Obj. 1° : Apostolus, loco supra citato, clarè dicit : *Et sic omnis Israel salvus fieret ;* in quæ verba S. Thomas ita scribit : *Non particulariter, sicut modò, sed universaliter omnes*, et S. Chrysost., exponens illa verba : *Quantò magis plenitudo eorum !* interpretatur hoc modo : *Hoc est, quando universi ad fidem accessuri sunt ;* ergo omnes prorsùs Judæi convertentur. — Resp. : Neg. conseq., quia modo loquendi S. Scripturæ satis usitato, τὸ *omnis* non semper sumitur pro universalitate, sed pro multitudine, quæ aliquorum remanentium comparatione tanta sit, ut illi velut nulli reputentur. Sic Lucæ 17, v. 27, dicitur : *Venit diluvium, et perdidit omnes ;* ubi tamen certum est diluvio non omnes periisse : nam, Epist. 1 S. Petri, cap. 3, v. 20 : *Octo animæ salvæ factæ sunt per aquam.* Itaque Paulus, Chrysost. et D. Thomas, dùm dicunt omnem Israelem carnalem in fine mundi esse convertendum, non volunt insinuare quòd nullus sit mansurus in fidi suâ, sed quòd pauci respectivè ad convertendos in eâ sint permansuri.

Obj. 2° : Supra, cap. 9, v. 27, Apostolus dicit : *Isaias autem clamat pro Israel : Si fuerit numerus filiorum Israel tanquàm arena maris, reliquiæ salvæ fient ;* atqui per reliquias intelliguntur Judæi qui in fine mundi superstites erunt ; ergo omnes, qui tunc supererunt, salvabuntur. — Resp. : Neg. min. ; nam per reliquias intelliguntur Judæi qui in initio Ecclesiæ et tempore excidii Jerosolymitani à Deo specialiter præservati ac electi fuerunt, ut ad fidem converterentur, et salvarentur.

Pro quo nota quòd Apostolus textum Isaiæ 10, v. 22, non ex Hebræo, sed secundùm translationem septuaginta Interpretum citet. Ad litteram autem textus ille intelligitur de paucis Judæis, ex excidio Assyriorum, 4 Reg. 19, et postea excidio Romanorum tempore Titi, liberandis. Sed in sensu allegorico, quem respicit Apostolus, intelligitur de paucis Judæis, qui à Deo in hâc novâ lege prædestinati fuerunt ad vitam æternam, cæteris jam quoad majorem partem inscrutabili divino judicio ad æternam damnationem reprobatis. Et ita exponunt S. Hieron. in cap. 10 Isaiæ, et S. P. Aug., lib. 1 ad Simplicianum, quæst. 2, qui et lib. 17 de Civ. Dei, cap. 5, citans Isaiam, ait ab Apostolo dictum esse *de prædestinationis reliquiis :* RELIQUIÆ SALVÆ FIENT.

Cùm in sequentibus capitibus non occurrant nisi quæstiones morales, quæ in theologiâ traduntur, ideò istis prætermissis, transimus ad Epistolam primam ad Corinthios.

IN EPISTOLAM I AD CORINTHIOS Dilucidatio.

QUÆSTIO PROŒMIALIS PRIMA.

Ubi hæc Epistola scripta sit.

Resp. et dico : Hæc Epistola scripta est Ephesi, non Philippis. Unde inscriptio Græca, huic Epistolæ in fine adjecta, mendosa est.

Prob. 1°, quia, cap. 16, v. 5, Apostolus dicit : *Ve-*

niam autem ad vos, cùm Macedoniam pertransiero; nam Macedoniam pertransibo; ergo, dùm scribebat Epistolam, non erat in Macedoniâ, adeòque nec Philippis, *quæ est prima partis Macedoniæ civitas*, ut habetur Act. 16, v. 12. Prob. 2°, quia dicit se non citò iturum in Macedoniam, sed, inquit ibidem, v. 8, *permanebo Ephesi usque ad Pentecosten;* ergo erat tunc Ephesi. Prob. 3° : Eodem cap., v. 18, dicit : *Salutant vos Ecclesiæ Asiæ;* atqui Philippi non sunt in Asiâ, sed in Europâ; et Ephesus est in Asiâ; ergo vero similius est quòd Apostolus tunc fuerit Ephesi, et non Philippis. Prob. 4°, quia ibidem etiam dicit : *Salutant vos in Domino multùm Aquila et Priscilla, cum domesticâ suâ ecclesiâ, apud quos hospitor;* atqui ex Act. 18 constat quòd Paulus venerit Corintho Ephesum cum Aquilâ et Priscillâ, et illos ibi reliquerit; et deinde sine morâ discesserit Cæsaream, ac tandem, Act. 19, visitatis Ecclesiis, redierit Ephesum, ibique tribus mensibus et integro biennio manserit; ergo, etc.

Obj. 1° : Illud quod dicitur cap. 16, v. 5 : *Nam Macedoniam pertransibo*, Græcè habetur : *Nam Macedoniam pertranseo;* ergo tunc erat in Macedoniâ, adeòque Philippis potiùs quàm Ephesi videtur scripta hæc Epistola. — Resp. Græcè tempus præsens poni pro futuro, ut noster interpres reddidit, et ut patet ex circumstantiis textûs; sic enim habet : *Veniam autem ad vos cùm Macedoniam pertransiero; nam Macedoniam pertransibo* (Græcè *pertranseo*)*; apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hyemabo, ut vos me deducatis quòcumque iero. Nolo enim vos modò in transitu videre; spero enim me aliquantulùm temporis manere apud vos, si Deus permiserit. Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten.* Non enim posset ibi dicere : *Permanebo autem Ephesi,* si tunc erat Philippis, et Macedoniam actualiter pertransibat. Non potuisset etiam dicere : *Nolo vos modò in transitu videre*, nam ad eundum Philippis in Macedoniam non poterat transire Corinthum, sed è contrario, ad eundum Philippis Corinthum, debebat ferè totam transire Macedoniam, nam situs illarum civitatum et Macedoniæ ferè sic se habet, sicut in hâc regione se habent Mechlinia, Vilvordia, Bruxellæ et Lovanium. Suppone igitur quòd Mechlinia sint Philippi, Vilvordia sit Macedonia, civitas Bruxellensis sit Corinthus, et Lovanium sit Ephesus; hoc supposito, non potest quis existens Mechliniæ, ad eundum Vilvordiam, transire Bruxellas, sed è contrario ad eundum Mechlinia Bruxellas, debet transire Vilvordiam; potest tamen quis Lovanio per Bruxellas ire Vilvordiam. Sic igitur Paulus existens Philippis non potuit transeundo Corinthum ire in Macedoniam, sed potuit Ephesi existens, per Corinthum in Macedoniam transire.

Obj. 2° : Cap. 15, v. 32, dicit : *Si... ad bestias pugnavi Ephesi;* ergo non erat ampliùs ibi. — Resp. : Neg. conseq.; nam ista non sunt incompossibilia. Sic studiosus habitans Lovanii, non malè scriberet : *Feci Lovanii meas primas disputationes.*

QUÆSTIO II.

Quid sit hujus Epistolæ contentum.

Resp. et dico : Paulus Corinthiis evangelizans, de industriâ omiserat omnem ornatum verborum; dicit enim cap. 2, v. 1 : *Cùm venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. Non enim judicavi me aliquid scire inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Et ego in infirmitate, et timore, et tremore multo fui apud vos; et sermo meus, et prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs et virtutis : ut fides vestra non sit in sapientiâ hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos.* Cùm autem Corintho discessisset Ephesum, venit illùc Apollo, qui fidem Corinthiis perrexit prædicare cum magnâ facundiâ et ornatu sermonis; erat enim *vir eloquens et potens in Scripturis*, ut dicitur Act. 18, v. 24. Hinc orta est inter Corinthios dissensio, quia illi qui baptizati erant ab Apollo præferebant ipsum Paulo, alii præferebant Paulum, alii Cepham. Ex illâ dissensione orta est relaxatio disciplinæ et morum dissolutio. Unus illorum commisit incestum cum suâ novercâ; alii manducabant audacter idolothyta cum scandalo suorum fratrum; alii fratres suos christianos citabant in judicium apud judicem secularem ethnicum; diebus communionis quisque manducabat suam cœnam in ecclesiâ, ita ut ditiores nihil darent pauperioribus; qui habebant aliquas gratias gratis datas, multùm sibi in illis complacebant; aliqui incipiebant dubitare de resurrectione mortuorum.

Paulus huic grandi malo occursurus, cap. 1 blandè se insinuat in animos Corinthiorum, ipsorum laudem et collata eis beneficia commemorat, et propter eorum multitudinem ac præstantiam ipsis gratulatur; ita tamen ut majora quotidiè expectari debere à Deo pronuntiet. Tunc acriter reprehendit illos qui propter inanem eloquentiam nimiùm elati, sese præferebant aliis, ostendens suo exemplo doctrinam evangelicam non quæsito mundanæ sapientiæ apparatu, sed solido sapientiæ et divino Spiritûs sancti fervore annuntiari debere. Hoc argumentum pertractat et prosequitur totis primis quatuor capitibus. Deinde cap. 5 acerrimè invehitur in illos qui erant consentientes isti incestuoso, qui novercam suam habebat, illumque, quamvis absens corpore, præsens tamen spiritu, tradit Satanæ, id est, excommunicat. Deinde carpit Corinthiorum inanem fastum, et arrogantiam deprimit, docetque quantâ diligentiâ sint vitanda improborum consortia, et abstinendum à dissidiis, contentionibus litibus et aliis vitiis quibus dediti erant. Hoc exequitur cap. 5 et 6.

Cùm autem Corinthii ipsi quædam dubia proposuissent in epistolâ ad ipsum scriptâ, cap. 7, respondet ad primum, scilicet utrùm matrimonium præcellat cælibatui, docetque virginitatem et cælibatum præcellere matrimonio. Hâc occasione ostendit quæ sint matrimonii jura, et quomodò liceat religiosè illo uti.

Cap. 8, 9 et 10, respondet secundo dubio, scilicet an liceat vesci idolothytis, et dicit nihil in eo esse peccati, si fiat sine scandalo et periculo infirmorum. Eo tamen non obstante, docet melius esse ab eis abstinere; quod egregiè docet cap. 10.

Cap. 11, solvit tertium dubium, nempe utrùm mulieres debeant habere caput nudum in ecclesiâ, sicut viri, aut velatum. Docet hìc etiam ritum suscipiendi Eucharistiam; mox cætera ab ipsis proposita dubia dissolvit, scilicet quænam gratiæ gratis datæ sint præferendæ; et dicit has minores esse quàm gratias gratum facientes; deinde ostendit quænam dona Spiritûs sancti præcellant; de quibus egregiè disputat cap. 12, 13 et 14.

Cap. 15, solvit dubium de resurrectione mortuorum, ostendens eam esse futuram; docet ejus dotes, modum et ordinem. Tandem concludit hortando Corinthios ad collectam eleemosynarum, pro sublevandis fidelibus qui in Judæâ affligebantur.

CAPUT PRIMUM.

Apostolus Deo gratias agit de variis donis in Corinthios collatis. Hortatur eos ut idem sapiant, et dissensiones ac schismata vitent.

Nonnullæ quæstiones resolvuntur.

Quæres 1° quomodò Paulus, v. 2, dicat Corinthios sanctificatos, ac sanctos appellet, quandoquidem inter eos essent non pauci magnis peccatis contaminati, uti ex hâc Epistolâ liquet. — Resp. Corinthios à Paulo vocari sanctos, non quia omnes et singuli sancti erant, sed quia ecclesia Corinthiaca, ad quam scribit, erat sanctorum cœtus et congregatio. Nam sancti in unâquâque ecclesiâ sunt præcipua ejus membra. Quapropter non solùm Ecclesia universalis, sed etiam quælibet particularis verè sancta dici potest ratione variorum justorum, seu piè ac sanctè viventium, quos ipsa complectitur. Unde non est necesse sanctos hoc loco et aliis similibus interpretari eos qui per Baptismum semel sanctificati sunt, etiamsi ab illâ sanctitate jam exciderint. Nam tali modo sancti possent dici Corinthii, et alii, quamvis nullus inter eos verè sanctus seu justus foret. Imò sancta diceretur universalis Ecclesia, tametsi nullus in eâ verâ sanctitate et justitiâ præditus esset, quod est omninò absurdum.

Quæres 2° quomodò, v. 5, in omnibus ditatos affirmet Corinthios, sic ut illis nihil gratiæ deesset, quos hâc Epistolâ et sequenti tam multis adhuc instruit, et de tam multis et gravibus reprehendit; quibus etiam, aut certè eorum magistris, infra, cap. 4, ironicè dicit: *Jam saturati estis, jam divites facti estis*, etc. Quibus verbis utique negat eos saturatos esse, et divites factos. — Resp. Corinthios in omnibus ditatos fuisse, quia in ipsâ communitate omnia dona gratiarum erant, sicut explicat infra, cap. 12, docens quòd sicut in corpore humano dantur diversa membra, quæ non eumdem, sed diversos actus seu operationes habent, ita similiter in Ecclesiâ diversas ac divisas esse gratias. Cum hoc autem benè consistit ut fuerint inter Corinthios multi inopes bonorum spiritualium; non secùs ac in emporio quopiam, sicut erat Corinthus, multæ quidem sunt divitiæ, non tamen apud omnes, sed apud aliquos. Quia igitur in ecclesiâ Corinthiacâ erant perfecti et imperfecti, hinc eam aliquandò laudat propter perfectos, aliquando vituperat propter imperfectos. Ita exponit S. P. Aug., epist. 59, quæst. 6, dicens: *Scripturæ mos est ita loqui de parte tanquàm de toto; sicut Corinthios in primis Epistolæ suæ partibus ita laudat, tanquàm omnes tales sint, cùm essent laudabiles quidam eorum.*

Quæres 3° quid v. 11 significetur per τὸ *Cloes*. — Resp.: Nonnulli Cloen nomen loci esse volunt, puta oppidi aut vici Corintho vicini. Sed rectiùs alii fœminæ nomen esse asserunt uti est apud Horatium *Odis*, nam locum aliquem isto nomine appellatum fuisse nullibi legitur. Unde ista locutio Apostoli: *Qui sunt Cloes*, est penè similis illi quæ habetur ad Rom. 16, v. 11: *Qui sunt ex Aristobuli domo*, seu familiâ. Itaque loco præcitato intelliguntur domestici, seu familiares Cloes, christianæ ac piæ mulieris Corinthiensis. Familiam ejusdem nominat Apostolus, ne fingere putaretur quòd inter Corinthios essent contentiones; et tamen personas à quibus id audiverat tacet, ne crearet ipsis apud alios invidiam.

Quæres 4° quo sensu dicat Paulus, v. 14 et seqq., se baptizâsse Crispum, Caium, et domum Stephanæ, ubi tamen statim, v. 17, addit: *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* — Resp. Christum, quando Paulo apparuit, ipsumque apostolum fecit, non ei injunxisse ministerium baptizandi, sed prædicandi Evangelium, id est, apostolatum ei commisisse; cui tamen officio consequenter etiam baptizandi potestas erat adjuncta, tanquàm officium secundarium. Unde quod dicit: *Non misit me Christus baptizare*, sic intellige: Non principaliter ad hoc me misit; ea non est primaria pars legationis meæ. Genus locutionis est quale illud: *Misericordiam volo, et non sacrificium*, id est, misericordiam potiùs ac principaliùs requiro quàm sacrificium. Ita Estius.

Cap. 2 Paulus extollit Christi sapientiam spiritualem super omnem naturalem et animalem; dicitque v. 7 se loqui *Dei sapientiam in mysterio*, id est, sapientiam abstrusam, et in profundo quodam arcano delitescentem, quia est supernaturalis et de rebus quæ ratione naturali investigari non possunt. Unde hìc est Hebraismus, juxta quem τὸ *sapientiam in mysterio* idem significat quod *sapientiam mysterii*, puta magni illius et arcani consilii divini, de Verbi incarnatione et hominum redemptione per Christum, quæ nullâ naturali ratione cognosci potest ab homine, imò nec ab angelo.

Vers. 8: *Quam*, nempe sapientiam de Verbi incarnatione et hominum redemptione, *nemo principum hujus seculi* (id est, nemo dæmonum) *cognovit, si enim cognovissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent;* hoc est: Nequaquàm Christum, qui est Dominus gloriæ, curâssent crucifigi instigando Judæos, ut Christo necem inferrent. Rationem manifę-

stam cur id nunquàm facere voluissent, dat S. Leo, serm. 10, de Passione Domini, dicens : « Si enim cru-« delis et superbus inimicus consilium misericordiæ « Dei noscere potuisset, Judæorum animos mansue-« tudine potiùs temperare, quàm injustis odiis stu-« duisset accendere ; ne omnium captivorum amitte-« ret servitutem, dùm nihil sibi debentis persequitur « libertatem. » Porrò dæmones hujus seculi principes appellantur in Scripturis, propter potestatem quam in genus humanum atque in hæc inferiora quæ humanis usibus subserviunt, justo Dei judicio exercere permittuntur ; unde et *mundi rectores* vocantur ad Ephes. 6.

CAPUT III.

Pergit Apostolus reprehendere Corinthiorum schisma, eosque notat tanquàm adhuc carnales et animales : utpotè qui per factiones gloriabantur de suis magistris ; quos docet ministros tantùm esse, solo Deo dante incrementum, nec aliud fundamentum esse præter Christum, cui si quis superædificet ligna, fenum et stipulam, salvus erit, sic tamen quasi per ignem.

QUÆSTIO UNICA.

An ex versu 15 *hujus capitis probetur existere Purgatorium.*

Ante resolutionem juvat præmittere verba sacri textûs, in quo à versu 10 usque ad 15 inclusivè Apostolus dicit sequentia : *Secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui ; alius autem superædificat. Unusquisque autem videat quomodò superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit ; dies enim Domini declarabit quia in igne revelabitur ; et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur ; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Textum hunc Apostoli obscurum esse et ad intelligendum difficilem fatetur S. P. Aug., lib. de Fide et Operibus, aitque cap. 15 : *Diligenter oportet attendere quomodò accipienda sit apostoli Pauli illa sententia planè ad intelligendum difficilis, ubi ait :* Si QUIS AUTEM SUPERÆDIFICAT, etc. Et infra : *In his deputanda est, quæ Petrus dicit esse in Scripturis ejus quædam difficilia intellectu, quæ non debent homines pervertere ad proprium suum interitum ;* et cap. 16 : *Fateor,* inquit, *me malle audire intelligentiores atque doctiores.* Porrò Bellarminus, lib. 1 de Purgatorio, cap. 5, observat quinque in præcitato Apostoli textu contineri difficultates, in quibus enodandis non consentiunt omnes interpretes. Prima, quid intelligatur per superædificantes ; secunda, quid per aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum et stipulam ; tertia, quid intelligatur per diem Domini ; quarta, quid per ignem, qui in die Domini uniuscujusque opus probabit ; quinta, quid intelligatur per ignem, de quo dicitur : *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Resp. et dico 1° : Per superædificantes intelliguntur prædicatores Evangelii et doctores fidei cujus Paulus fundamentum posuit. Probatur quia, tum ex præcedentibus, tum ex sequentibus verbis manifestum est quòd de illis agat Apostolus ; dixerat enim antea : *Ego plantavi, Apollo rigavit.* Deinde in eodem sensu statim subjungit : *Ego ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat ;* et ibidem : *Qui plantat et qui rigat unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem. Dei enim sumus adjutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* Ubi apertissimè comparat se et alios prædicatores Evangelii agricolis et architectis ; populos autem qui docentur comparat agris et ædificiis. Itaque sicut antea dixerat se plantâsse, et Apollinem rigâsse, ita postea dicit : Ego fundamentum posui, prædicans Christi fidem ; alii autem superædificant, docentes ea quæ ad vitam et mores pertinent, et etiam explicantes latiùs fidei mysteria. Ergo per superædificantes intelliguntur prædicatores Evangelii. Possunt tamen etiam per superædificantes intelligi omnes pii et boni Christiani ; nam hi super fundamentum fidei ædificant, vel opera bona, vel venialia peccata, quæ fundamentum non destruunt, ut observat S. P. Aug., lib. de Fide et Operibus, cap. 16, et lib. Enchirid., cap. 68.

Dico 2° : Nomine fundamenti intelligitur Christus à primis prædicatoribus annuntiatus. Tales autem erant apostoli qui fidem Christi et Evangelium propagaverunt ad eos populos qui nihil unquàm de Christo audierant. Hinc enim S. Paulus ait : *Ego plantavi,* et : *Ut sapiens architectus fundamentum posui.* Nomine verò auri, argenti et lapidum pretiosorum intelligitur doctrina utilis et salutaris superædificantium, seu aliorum prædicatorum, qui eos docent qui jam fidem receperunt, et docent non solùm verbo, sed etiam exemplo, ita ut verè auditores suos ædificent et promoveant in religione et pietate. Nomine autem ligni, feni et stipulæ intelligitur doctrina, non quidem mala et hæretica (hæc enim fundamentum destruit), sed tamen curiosa, inutilis et supervacanea, qualis est eorum qui suæ doctrinæ multa admiscent incerta, vana, frivola, jucunda magis quàm utilia, et in multis placere magis quàm prodesse volentes.

Quòd jam data expositio sit genuina, demonstratur hoc modo, quia, ut ante ostendimus, per superædificantes intelliguntur Evangelii prædicatores et fidei doctores ; ergo per opus ipsorum intelligi debet doctrina ; deinde doctores Corinthiorum nimiùm erant dediti eloquentiæ et philosophiæ, quæ, licèt etiam juvent, sæpè tamen fructum concionum impediunt ; atqui Paulus Corinthios hìc arguit quod istis doctoribus nimiùm adhærerent ; ergo, etc.

Interim, juxta expositionem quæ per superædificantes intelligit omnes bonos et pios Christianos, no-

mine auri, argenti et lapidum pretiosorum intelliguntur opera charitatis, seu quæcumque alia opera meritoria, ab homine, in statu gratiæ sanctificantis constituto, elicita; quæ qui supra fundamentum Christi ædificant, mercedem recipient. Per ligna verò, fenum et stipulam intelliguntur leviores quædam, seu veniales noxæ, quæ charitatem quidem non extinguunt, nec fundamentum quod Christus est evertunt; nec consequenter æternâ ignis pœnâ plecti merentur, sed tantùm aliquâ transitoriâ et temporali. Unde S. P. Aug., in psal. 37, ita scribit : « *Salvi erunt, sic tamen quasi per ignem.* Quare, nisi quia hìc ædificant supra fundamentum ligna, fenum, stipulam? Ædificarent autem aurum, argentum, lapides pretiosos, et de utroque igne securi essent, non solùm de illo æterno..., sed etiam de illo qui emendabit eos qui per ignem salvi erunt. »

Dico 3° : Per diem Domini intelligitur dies ultimi judicii. Probatur quia ordinariè in Scripturâ sacrâ dies Domini significat diem extremi et generalis judicii. Loca passim obvia sunt, inquit Estius, tum alibi, tum apud ipsum Apostolum, ut hujus Epist. cap. 1 : *Confirmabit vos sine crimine in die Domini*; et cap. 5 : *Ut spiritus salvus sit in die Domini*; item ad Philip. 1 : *Perficiet usque in diem Christi Jesu*; 2 ad Timoth. 4 : *Quam reddet mihi Dominus in illâ die justus Judex*; similiter Dominus, Lucæ 10, ait : *Sodomis in illâ die remissius erit*; et Petrus, Epist. 2, cap. 3 : *Veniet dies Domini sicut fur*. Sed et ipse Paulus infra, cap. 4, loquens adhuc de probatione doctrinæ ministrorum Christi, planè declarat illam futuram in die adventûs Domini, quando *illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium*; qui dies non est alius quàm ultimi et generalis judicii; ergo, etc.

Nec refert quòd S. P. Aug., lib. de Fide et Operibus, cap. 16, dicat quòd per diem Domini possit intelligi præsens vita, sive tempus tribulationis, in quo discernuntur sæpè boni à malis, quia et ibidem simul docet posse intelligi de tempore futuro post hanc vitam, puta de extremo judicio.

Dico 4° : Per ignem qui in die Domini uniuscujusque opus probabit, intelligitur ignis ultimæ conflagrationis; nam dies Domini, seu extremi judicii, passim in Scripturis per ignem tanquàm instrumentum divinæ justitiæ describi solet, ut psal. 96, Joel. 2, Epist. 2 ad Thessalonic. cap. 1, et Epist. 2 S. Petri cap. 3. Unde et in antiquissimis Ecclesiæ cæremoniis usque hodiè legitur : *Qui venturus est judicare vivos et mortuos et seculum per ignem*. Hic verò ignis sanctorum opera bona suo splendore illustrabit, declarabit ac probabit, quomodò aurum igne probatur, quomodò tres pueri in fornace probati sunt, non combusti, non cruciati. Aliorum autem justorum opera mala, sed venialia, idem ignis calore suo aduret, castigabit et expurgabit, quomodò aduruntur et consumuntur ligna, fenum, stipula; et ita ignis ille erit Purgatorium justorum quos inveniet superstites in fine seculi. Idem igitur ignis tanquàm instrumentum divinæ justitiæ, probabit opera bona, operantibus parcendo; probabit mala, operantes adurendo, seu castigando.

Dico 5° : Nomine ignis, de quo Paulus dicit : *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, intelligitur pœna aliqua purgatoria et temporalis, quam post mortem patiuntur illi qui in judicio particulari inveniuntur ædificâsse lignum, fenum aut stipulam. Hæc expositio, præterquàm quòd optimè conveniat textui, satis probatur ex communi consensu SS. Patrum. Inprimis autem ita sentit S. Ambrosius, in jam citatum Pauli locum dicens : « Cùm Paulus dicit : *Sic tamen quasi per ignem*, ostendit quidem illum salvum futurum, sed pœnas ignis passurum, ut per ignem purgatus fiat salvus, et non sicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueatur. » Idem habet serm. 20 in psal. 118. S. Hieron. in cap. 4 Amos, exponens illud : *Facti estis sicut torris raptus de incendio*, ait id intelligendum esse « juxta illud, quod in Apostolo legimus : *Ipse autem salvus erit quasi per ignem;* qui ergo salvatur per ignem, quasi torris de incendio rapitur. » Item S. P. Aug. præfatum Apostoli textum de igne purgatorio interpretatur in psal. 37, ubi statim post initium sic alloquitur Deum : « In hâc vitâ purges me, et talem me reddas, cui jam emendatorio igne opus non sit, propter illos, qui salvi erunt, *sic tamen quasi per ignem.* » Et infra : « Dicitur : *Salvus erit quasi per ignem;* et quia dicitur : *Salvus erit*, contemnitur ille ignis. Ita planè, quamvis salvi per ignem, gravior tamen est ille ignis quàm quidquid potest homo pati in hâc vitâ. » Denique S. Gregorius, lib. 4 Dialogorum, cap. 39, explicans textum Apostoli, ita scribit : « Quamvis hoc de igne tribulationis in hâc vitâ nobis adhibito possit intelligi, tamen si quis hoc de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum sollicitè est quia illum per ignem dixit salvari, non qui super hoc ferrum, æs vel plumbum ædificat, id est, peccata majora, et idcircò duriora, atque tunc jam insolubilia, sed lignum, fenum, stipulam, id est, peccata minuta atque levissima, quæ ignis facilè consumit. » Ex Græcis habemus Origenem, qui, hom. 6 in Exod., explicans præfatum Apostoli textum, ait : « Veniendum est ergo omnibus ad ignem, veniendum est ad conflatorium (sic vocat Purgatorium, ut notatur in margine). Sedet enim Dominus, et conflat, et purgat filios Juda. Sed et illùc cùm venitur, si quis multa opera bona, et parùm aliquod iniquitatis attulerit, illud parùm tanquàm plumbum igne resolvitur ac purgatur, et totum remanet aurum purum. » Origeni accedit Œcumenius in cap. 3 Epist. 1 ad Cor., qui etiam testatur S. Basilium istum Pauli locum intellexisse de igne purgatorio. Adducit etiam S. Thomas, in opusculo primo contra Græcos, Theodoretum explicantem illum locum his verbis : *Hunc credimus ignem purgatorium, quo purgantur animæ, ut aurum in conflatorio.*

Solvuntur argumenta.

Obj. 1° : Per aurum, argentum et lapides pretiosos intelliguntur bona opera; per lignum verò, fe-

num et stipulam designantur mala opera æterno igne punienda ; illi autem qui hujusmodi opera fidei christianæ fundamento superædificaverunt, salvi erunt quasi per ignem; quia, quamvis in ignem æternum mittendi sint, nunquàm tamen consumentur, sed servabuntur semper recentes ad pœnam. Ita supra memoratum Pauli textum interpretatur S. Chrysost., hom. 9, in Epist. 1 ad Cor., dicens : *Hoc in loco cùm inquit* (Apostolus) : SALVUS ERIT, *nihil aliud quàm supplicii incrementum significat, quasi dicat : Ipse perpetuò in supplicio permanebit;* ergo ex illo textu nequit probari existentia Purgatorii. — Resp., quòd singularis hæc fuerit contra communem aliorum Patrum mentem sententia S. Chrysostomi, quam unicè posuisse videtur ad refellendum errorem Origenis, qui volebat pœnas gehennæ non esse æternas, ut patet ex ipsâ homiliâ. Neque verò hinc putet aliquis, ait Bellarminus, Chrysostomum negâsse Purgatorium vel peccata venialia. Nam Purgatorium esse sæpissimè docet, sed præcipuè hom. 3, in Epist. ad Philip., et hom. 69, ad populum Antiochenum; item peccata venialia concedit hom. 24, in Matth. Interim quòd jam memorata expositio non subsistat, inde eruitur quòd verbum salvandi in Scripturâ nunquàm accipiatur in malam partem, sed semper in bonam; uti in concilio Florentino, ante sessionem primam contra Græcos (auctoritatem S. Chrysot. allegantes), ostenderunt Patres Latini. Verba ipsorum sunt sequentia : « Nos quamplurimis aliis auctoritatibus, Patres amplissimi, adducimur ut credamus illud Apostoli : *Salvus erit quasi per ignem,* pro Purgatorio, non autem pro igne perpetuo, capi debere, juxta illud Prophetæ : *Salva me, Domine, quoniam defecit sanctus;* et alibi : *Salva servum tuum, Deus meus, sperantem in te;* et : *Domine, Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.* Petrus autem timens ne submergeretur, dixit : *Domine, salva me;* Christus verò extendens manum, accepit, et salvavit ipsum ; et : *Salva, Deus, populum tuum.* Verbum ergo *salvare,* Patres amplissimi, semper ad bonam partem accipitur, nisi hujus oppositum demonstretis. » Oppositum autem demonstrare Græci nunquàm potuerunt.

Obj. 2° : Apostolus dicit quòd in die Domini seu extremi judicii uniuscujusque opus sit probandum per ignem ; atqui ignis qui illo die præcedet faciem Christi Judicis, non est ignis Purgatorii, sed ignis conflagrationis ; ergo ex præfato Pauli loco non potest probari Purgatorium. — Resp. : Neg. conseq. ; nam sicuti, v. 12, ligna, fenum, stipulæ doctorum extenduntur per identitatem rationis ad omnia venialia peccata justorum, ita sub igne conflagrationis, qui erit purgatorius justorum, quos inveniet superstites in fine seculi, etiam intelligitur similis ignis, purgans peccata venialia justorum qui quotidiè moriuntur; utrorumque enim eadem est ratio ; et ideò Apostolus, ut hoc indicaret, adumbravit peccata venialia per materias combustibiles ; quasi omnia illa sint igne consumenda, si in fine inveniantur in justis. Sicuti ergo Scriptura sæpè ex generali judicio colligendum relinquit particulare, et ex die novissimo, quo omnes judicabuntur, intelligendum relinquit diem mortis, quo singuli judicantur; ita ex igne, qui faciem Christi Judicis præcessurus est ad universale judicium, et purgaturus quidquid illo tempore purgandum restabit, intelligendum relinquit ignem aliquem quo statim post hanc vitam purgantur animæ justorum, qui pro peccatis suis nondùm Deo satisfecerunt. Et sic ex isto Pauli loco benè probatur purgatorium.

Obj. 3° : Apostolus, v. 15, addit particulam *quasi;* atqui hæc non significat verum ignem, sed tantùm similitudinem alicujus ignis; ergo in illo textu non agitur de igne Purgatorii. — Resp. : Neg. min., quia, licèt ista particula significet similitudinem, tamen hæc similitudo non refertur ad ignem, quasi ille non sit verus, sed phantasticus; sed refertur ad transeuntem per ignem, ita ut sensus sit : Ad salutem perveniet, qui ædificavit fenum, etc.; sed eo modo perveniet quo pervenit ad aliquem locum is qui transit per ignem. Itaque per *quasi* vult significare Apostolus quòd illi justi qui proper peccata venialia post hanc vitam pœnam sustinebunt, perventuri quidem sint ad regnum cœlorum, non tamen sicut ille qui *aurum, argentum et lapides pretiosos* superædificavit, sed sicut ille qui transcundo per ignem ustulatus et aliquo dolore cruciatus, evasit salvus ex incendio, quia ignis comprehendit *ligna, fenum, stipulam,* quibus erat cinctus.

Obj. 4° : Nomine auri, argenti et lapidum pretiosorum intelliguntur dogmata catholica ; nomine verò ligni, feni et stipulæ dogmata hæretica; atqui hæretici non salvantur per ignem purgatorium, sed damnantur ad ignem æternum ; ergo, etc. Prob. maj., quia ita docet Ambrosiater, sive auctor Commentarii in Epistolas Pauli, qui sub nomine S. Ambrosii circumfertur. Ita pariter exponit S. Hieron. illud Isaiæ 5 : *Væ qui conjungitis domum ad domum !* — Resp. : Neg. maj., quia Paulus agit de illis doctoribus qui ædificant super fundamentum quod est Christus; atqui hæretici non ædificant super hoc fundamentum nisi nomine tenùs ; omnis enim hæresis quantùmcumque de Christo magnifica loquatur, tamen non veram Christi doctrinam prædicat, sed aliam quam fingit; ergo nomine ligni, feni et stipulæ nequeunt intelligi dogmata hæretica. Quantùm autem ad auctorem citati Commentarii in Epistolas Pauli, verum quidem est quòd ille nomine ligni, etc., intelligat hæreses et falsa dogmata, sed per imprudentiam prolata, et sine pertinaciâ ; dicit enim ejusmodi doctores salvos futuros per ignem purgatorium. S. Hieron. verò apertè de hæreticis loquitur, sed ex mente aliorum, non suâ; cùm enim posuisset suam expositionem, subdit : *Juxta tropologiam contra hæreticos quidam hoc dictum arbitrantur.*

Cap. 4 reprimit Apostolus judicia temeraria quæ Corinthii formabant de fidelitate aut infidelitate suorum ministrorum ; deinde reprehendit eos qui de ac-

ceptis donis gloriabantur, ac si illa à seipsis haberent. Quæ omnia non continent particularem difficultatem.

CAPUT V.

Acriter Corinthios reprehendit, quia non ejecerant ex consortio suo fornicarium qui cum novercâ suâ incestum commiserat. Deinde docet quòd cum fornicatoribus, avaris, idololatris, maledicis et ebriosis nequidem cibus sumendus sit.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrùm ille incestuosus etiam simul fuerit adulter.

Vers. 1 : *Omninò auditur inter vos fornicatio* ; id est, non levis rumor, sed constans fama est, ac res notior quàm ut negari possit, quòd fornicatio apud vos committatur, *et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Quæri potest quomodò Apostolus dicat hujusmodi fornicationem non audiri inter gentes, cùm Dominus, lib. Levit. cap. 18, postquàm inter alia mandata dedisset hoc : *Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies*, subjunxerit in fine : *Nec polluamini in omnibus his quibus contaminatæ sunt universæ gentes quas ego ejiciam ante conspectum vestrum.* Nam et in aliis gentibus similia vel etiam turpiora quædam facta produnt historiæ. Imò et in familiâ patriarchæ Jacob consimile flagitium perpetratum legitur Gen. 35. Tale etiam commisit Absalom, 2 Reg. 16. — Resp. in libro Levitici sermonem esse de uxore patris defuncti, aut de eâ quæ repudiata erat, et jam pro uxore non ampliùs habebatur. Nam alioquin generalis erat et capitalis in lege prohibitio : *Non mœchaberis.* Hic autem sermo est de uxore patris viventis. Deinde, si quid simile huic aliquando factum esset inter gentes, vel etiam in populo Dei, id et rarum fuit, et non sine horrore audiebatur. Præterea Apostolus non videtur loqui de gentibus totius mundi, sed de gentibus illo tempore notis, quæ regebantur legibus Romanis ad publicam honestatem accomodatis. Apud has autem non facilè audiebatur quemquam habere ad concubitum uxorem patris viventis, uti habebat hic Corinthius. Etenim, licèt Paulus hoc loco non dicat quòd ille incestuosus haberet uxorem patris sui adhuc viventis, tamen id satis clarè significat Epist. 2, cap. 7, v. 12, de eodem incestuoso et simul adultero dicens : *Et si scripsi vobis, non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui passus est*, scilicet patrem, *sed ad manifestandam sollicitudinem nostram.*

QUÆSTIO II.

Utrùm ante hanc Epistolam Paulus ad Corinthios adhuc scripserit unam aliam.

Vers. 9 : *Scripsi vobis in Epistolâ : Ne commisceamini fornicariis.* S. Chrysostomus, Theodoretus et nonnulli alii volunt quòd Paulus hic agat de præsenti Epistolâ, in quâ hoc cap., v. 2, jusserat fornicarium tolli è medio congregationis fidelium ; quod deinde iterùm præcipit sub metaphorâ expurgandi ceteris fermenti. Ne igitur errarent Corinthii existimantes omnes omninò fornicarios sibi vitandos esse et à se repellendos, v. 9 et seqq. exponit Apostolus de quibus fornicariis hoc velit intelligi. Atverò D. Thomas, Glossa, Lyranus et plurimi alii interpretes Latini censent Paulum agere de aliâ anteriori Epistolâ, quam ad Corinthios scripserat, quæ postea intercidit, seu perdita fuit, et ideò jam non ampliùs existit.

Utra harum opinionum vera sit, non omninò constat, inquit Estius. Ipse tamen fatetur se in opinionem D. Thomæ esse propensiorem, idque ob sequentia motiva : primò, quia ista verba : *Scripsi vobis in Epistolâ*, ex ipso naturali et obvio loquendi modo magis significant priorem quamdam Epistolam, quàm eam ipsam quam de facto scribit seu mittit. Unde sicuti illud Epist. 2 ad Cor., cap 7 : *Etsi contristavi vos in Epistolâ*, intelligitur de Epistolâ hâc primâ, in quâ ipsorum vitia carpit, sic etiam illud quod hic, v. 9, dicit, videtur intelligendum de quâdam Epistolâ quam ante hanc primam ad ipsos scripsit. Itaque si voluisset Apostolus illud significare quod proximè, seu hoc capite scripserat de fornicario è medio fratrum auferendo, non dixisset : *Scripsi vobis in Epistolâ*, sed : Nunc modò scribo, vel : Nunc scripsi vobis, aut : Jam nunc ex me audistis quòd talis de medio vestri debuisset tolli. Secundò, si res benè consideretur, illud quod, v. 9, dicit de vitandis fornicariis, nequidem referri potest ad istud, quod dicit v. 2 : nam non est idem, de medio congregationis fidelium aliquem tolli, seu excommunicari, et consortium ejus vitari. Neque mens Apostoli est eamdem pœnam excommunicationis quàm hic statuit in hominem adulterum et incestuosum, extendi ad omnes de quibus nunc loquitur, uti ex toto capite manifestum est. Ex his igitur valdè vero similis est sententia eorum qui putant Apostolum de diversâ quâdam Epistolâ loqui, quæ Corinthiorum negligentiâ postea periit. Porrò commisceri cum fornicariis hoc loco non designat idem quod turpitudinem cum fornicariis exercere, sed tantùm hic prohibet Apostolus ne fideles cum similibus commercium aut familiaritatem habeant, id est, vult ut eorum consortia omninò vitent. Vers. 10 tamen addit : *Non utique fornicariis hujus mundi ;* hoc est, quod scripsi de vitando consortio fornicariorum, non intelligo de vitandis fornicariis paganis ; *alioquin debueratis de hoc mundo exiisse :* totus enim mundus plenus est paganis, eisque vel fornicariis, vel avaris, vel idolis servientibus. *Sed si quis est frater*, id est, Christianus, ait Ambrosiaster, et malè audiat, quasi fornicator, hunc vitate.

Interim dùm Apostolus citato versu insinuat quòd fideles non necessariò debeant vitare consortia fornicariorum ethnicorum, nequaquàm significat quòd ista non sint vitanda, dùm christianis moribus contagium afferre possunt ; siquidem quòd tunc sint vitanda, ipsa lex naturæ præcipit ; sed hoc unicè docet quòd à consortio fornicariorum christianorum majori studio, majoresque ob causas sit abstinendum, quàm à consortio fornicariorum ethnicorum, eò quod for-

nicarii christiani, seu qui fratres sunt, professionem suam malè vivendo dehonestent, fratribus pravo exemplo noceant, ipsumque nomen christianum probis ac maledictis infidelium exponant, præsertim si ut tales notati ac nominati sint ab Ecclesiâ.

Cap. 6 reprehenduntur Corinthii quòd fideles contra fideles instituant lites coram judice ethnico, easque subinde iniquas et injustas. Deinde exponit quænam peccata excludant à regno Dei, ac particulariter præcipit ut fideles vitent fornicationem.

Petes quinam intelligantur per contemptibiles in Ecclesiâ, de quibus Apostolus v. 4 dicit : *Contemptibiles qui sunt in Ecclesiâ, illos constituite ad judicandum.* — Resp., eos intelligi qui inter Christianos, sive laicos sive clericos, minimi erant, aut certè inepti habebantur ad majora, magisque propria Ecclesiæ ministeria. Tales, inquit Apostolus, potiùs vobis negotiorum secularium judices arbitrarios deligite, quàm ut conferatis vos ad infidelium tribunalia ; *ut ipsi videlicet dispensationibus terrenis inserviant, quos dona spiritualia non exornant*, ait S. Gregor., parte 2 Curæ pastor., cap. 7. Sciendum tamen quòd Apostolus id non præcipiat absolutè ; nam alioquin excluderet episcopos ; sed loquitur comparativè, docens hoc agendum potiùs, etsi parùm deceat, quàm ferendum ut Christiani litigent apud infideles.

CAPUT VII.

Hoc capite Paulus respondet variis quæstionibus de matrimonio, quas ei per Epistolam proposuerant Corinthii. Et deinde virginitatem commendat, ac matrimonio præfert ; viduam quoque, si sic maneat, fore beatiorem affirmat quàm si rursùs matrimonio jungatur.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm. S Paulus fuerit matrimonio junctus.

Postquàm S. Paulus Corinthios de matrimonio, ejusque usu instruxisset, subjungit, v. 7 : *Volo omnes vos esse sicut meipsum.* Occasione horum verborum disputant interpretes et theologi an Paulus fuerit junctus matrimonio, et in illo duxerit vitam cælibem, seu servaverit perpetuam continentiam, an verò extra matrimonium vixerit in perpetuâ castitate. Erasmus, in suis Annotationibus, contendit Paulum matrimonio junctum fuisse, et hanc opinionem etiam sustinuit Catharinus, eamque ut indubitatam habent Lutherani et Calvinistæ, contra quos

Resp. et dico : Omninò retinenda est sententia omnium ferè catholicorum interpretum, qui asserunt Paulum servâsse perpetuum cælibatum, et ab omni matrimonio abstinuisse.

Prob. 1° ex verbis quæ immediatè in textu, v. 8, sequuntur : *Dico autem non nuptis et viduis : Bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego ;* atqui non ita confidenter Paulus, de continentiâ disserens, semetipsum proposuisset in exemplum, si non in ipso esset quod non solùm conjugati imitarentur, verùm etiam quod virgines et omnes cælibes, nempe perpetua castitas ; ergo Paulus ab omni matrimonio abstinuit, et in perpetuâ castitate vixit.

Prob. 2°, quia dùm Paulus dicit : *Volo* (id est, *vellem*) *omnes vos esse sicut meipsum*, omnes omninò homines alloquitur (ut fatetur ipse Erasmus) quos optat esse continentes, liberos ab omnibus curis hujus seculi, placendi uxori, placendi viro, etc. ; atqui hoc non convenit nisi innuptis ; ergo ipse innuptus et à matrimonio liber erat. Deinde, si conjugatus erat Paulus, dùm hæc scribebat (ut vult Erasmus), quia de conjugatis agens, sui facit mentionem, v. 7, ergo etiam innuptus erat, quia statim de innuptis et viduis loquens, similiter sui mentionem facit, dùm v. 8 dicit : *Bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego.*

Prob. 3° ex S. P. Aug., lib. de Grat. et lib. Arbit., cap. 4 dicente : « Doctor gentium et pudicitiam « conjugalem, per quam non fiunt adulteria, et per « fectiorem continentiam, per quam nullus concubi « tus quæritur, sermone suo commendans ; et hoc et « illud donum Dei esse monstravit, scribens ad Corin« thios et admonens conjuges ne se invicem fraudent ; « quos cùm admonuisset, adjecit : *Vellem autem omnes « homines esse sicut meipsum ;* quia utique *ipse ab omni « concubitu continebat.* »

Prob. 4° ex S. Hieron., epist. 22 ad Eustochium, cap. 8 dicente : « *De virginibus*, inquit Apostolus, « *præceptum Domini non habeo.* Cur ? Quia et ipse « ut esset virgo, non fuit imperii, sed propriæ volun« tatis. Neque enim audiendi sunt qui eum uxorem « habuisse contingunt, cùm de continentiâ disserens, « et suadens perpetuam castitatem, intulerit : *Volo « autem omnes esse sicut meipsum ;* et infra : *Dico au« tem innuptis et viduis : Bonum est illis, si sic perma« neant, sicut et ego.* »

Prob. 5° ex S. Ambros., qui in tractatu de Hortatione ad virginitatem ita virgines adhortatur : « Quid « dicat Paulus, percipite auribus : *Volo autem vos « omnes esse sicut meipsum ;* et ibidem dicit de non « nuptis et viduis : *Bonum est illis si sic permaneant, « sicut et ego.* Volo vos imitatores esse tanti Apo« stoli, ut vitam ejus sequamini, qui conjugii vincu« lum refugit, ut vinctus esset Jesu Christi. Non po« tuisset ad tantam apostolatûs sui pervenire gratiam, « si fuisset alligatus conjugii contubernio. » Idem etiam docent Tertull., lib. de Monogamiâ, cap. 8 ; Epiphanius, hæresi 58 ; Chrysostomus, Sedulius, Theodoretus, aliique communiter, inter quos Œcumenius sic loquitur : *Virgo erat Paulus, et cùm dicat : « Volo unumquemque esse sicut ego sum, » intelligit manere virginem.*

Solvuntur argumenta.

Obj. 1° : Infra, cap. 9, v. 5, Apostolus dicit : *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi sicut et cæteri apostoli, et fratres Domini, et Cephas?* atqui vox Græca γύναικα, quâ in jam citato loco utitur Paulus, significat tam uxorem quàm mulierem ; ergo saltem probabile est quòd Paulus fuerit matrimonio junctus. — Resp. : Quamvis ista vox Græca indifferens sit ad significandam uxorem et mulierem, tamen in textu citato uxorem significare

nequit; et ratio hujus est, quòd aliàs argumentum illud probaret nimiùm, nempe apostolos sibi retinuisse uxores postquàm secuti sunt Christum ; quod tamen admitti nequit, quandoquidem ex Matth. 19 manifestum sit apostolos illos qui ante conjugati fuerant uxores suas deseruisse; siquidem Petro dicenti: *Ecce reliquimus omnia, et secuti sumus te,* respondet Christus: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem,* etc.; quibus verbis Christus manifestè insinuat quòd Petrus et alii discipuli Christi qui ipsum sequebantur, modò uxores dimisissent.

Dicendum igitur cum S. Hieron., lib. 1 contra Jovinianum, cap. 14, Apostolum loqui de mulieribus « quæ juxta morem Judaicum magistris de suâ substantiâ administrabant, sicut legimus ipsi quoque « Domino factitatum : nam et ordo verborum hoc significat : Numquid non habemus potestatem mandu« candi et bibendi, aut sorores mulieres circumducendi? Ubi de comedendo et bibendo ac de administratione sumptuum præmittitur, et de mulieribus « sororibus infertur ; perspicuum est non uxores debere intelligi, sed eas, ut diximus, quæ de suâ substantiâ administrabant. » Similiter præfatum Apostoli textum interpretatur et exponit S. P. Aug., lib. de Opere monachorum, cap. 4, dicens : « Hoc quidam « non intelligentes, non sororem mulierem cùm ille « diceret: *Numquid non habemus potestatem sororem « mulierem circumducendi,* sed uxorem interpretati « sunt. Fefellit eos verbi Græci ambiguitas, quòd et « uxor et mulier eodem verbo Græcè dicitur; quan« quàm hoc ita posuerit Apostolus, ut falli non debue« rint, quia neque mulierem tantummodò ait, sed so« rorem mulierem, neque ducendi, sed *circumdu« cendi.* Verùmtamen alios interpretes non fefellit « hæc ambiguitas, quia sororem mulierem, non uxo« rem interpretati sunt. »

Inst. : In textu Græco et Syriaco non habetur : *Mulierem sororem,* sed : *Sororem mulierem circumducendi;* atqui nugatorium erit voci *soror* addere mulierem, nisi vox *mulier* uxorem significet, quandoquidem aliàs omnis soror sit mulier, licèt non sit uxor; vocatur autem Pauli uxor etiam soror, quia sine concubitu ejus consortio sicut sororis utebantur ; ergo Paulus fuit matrimonio junctus. — Resp. inprimis posse negari quòd generaliter omnis soror sit mulier, quia apud Græcos et Latinos mulier non dicitur nisi persona alterius sexûs, quæ sit ætatis tam provectæ ut uxor fieri possit. Verùm hoc dissimulando, respondeo quòd ordo verborum debeat immutari ; frequenter enim in Scripturis verbum ordine positionis præcedit, quod posterius est sensu et constructione, sicut Danielis 8, v. 2 : *Cùm essem in Susis castro, quod est in Ælam regione;* ubi, si attendas ad sensum, dici debebit : *In castro Susis, quod est in regione Ælam.* Sic dicitur 1 Machab. 3 : *Transfretavit Euphratem fluvium,* loco quòd diceretur : *Fluvium Euphratem.* Et ad Heb. 12 : *Accessistis ad Sion montem,* pro : *Ad montem Sion.* Similiter ergo hic in textu Græco et Syriaco dicitur : *Sororem mulierem,* pro : *Mulierem sororem.*

Obj. 2° : Ad Philip. 4, v. 3, scribit Apostolus : *Etiam rogo te, germane compar.* In textu Græco habetur σύγε γνησίε, quod in Latinum transferri potest : *Conjux germane,* vel : *Conjux germana.* Cùm autem certum sit quòd Apostolus non potuerit habere conjugem, nisi in feminino genere, oportet de tali conjuge ipsum intelligere. — Resp. quòd vocabulum Græcum σύγος, quod Latinè dicitur *conjux,* non significet apud Græcos specialiter maritum, aut uxorem, sed generaliter illos qui socii sunt ejusdem operis, et idem jugum trahunt, quod Latinè expressiùs dicimus *rectores conjugales.* Unde sensus verborum Apostoli est: Etiam rogo te sincerè, germane conjugalis in opere fidei et Evangelii promovendo, sive qui mihi conjungeris et combinaris instar jumentorum idem jugum trahentium. Est enim metaphora similis illi quâ supra, cap. 3, dicit Corinthiis quòd sint *Dei agricultura.* Itaque Paulus in isto loco non agit de muliere, sed de viro, sicut vertit noster interpres. Unde Theodoretus, in cap. 4 Epist. ad Philip. dicit : *Conjugem, seu comparem ipsum vocat, ut qui jugum pietatis secum trahat.* Item Œcumenius in illum locum dicit : « Ex hoc loco suspicati sunt non« nulli quòd Paulus uxorem haberet. Verùm fatua est « hujusmodi cogitatio : Quomodò enim fieri poterat, « ut ipsam et peregrinam, et alienigenam Philippis « reliquisset, et non in Tharsis, ubi natus est, neque « Jerosolymis ubi fuerat enutritus? Sed dicemus quòd « hic (nempe iste germanus compar) aut maritus « erat unius ex duabus quarum facit mentionem « (scilicet v. 2, dicens : *Evodiam rogo, et Syntychen de« precor*), aut quòd nomen sit cujusdam approbati viri. » Ita Œcumenius. Hinc etiam S. Chrysost., in cap. 4 ad Philip., ait : *Quidam dicunt Paulum his verbis:* GERMANE COMPAR, *uxorem suam rogare ; quod minimè verum est.*

Obj. 3° : Clemens Alexandrinus, lib. 3 Stromatum, apertis terminis sustinet quòd Paulus per comparem intelligat suam uxorem; siquidem, lib. 3 Strom., reflectens ad præcitata Pauli verba, ita scribit : *Paulus quidem certè non veretur in quâdam Epistolâ* (scilicet ad Philip. 4) *suam appellare conjugem, quam non circumferebat, quòd non magno ei esset opus ministerio. Dicit itaque in quâdam Epistolâ* (scilicet 1 ad Cor. 9) : *Non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut et reliqui apostoli?* — Resp. cum Estio : Clementis Alexandrini (cujus opera à Gelasio papâ referuntur inter apocrypha) privata opinio cæterorum omnium Patrum constanti assertioni præponderare non potest ; itaque propter Clementem Alexandrinum non est recedendum à communi SS. Patrum sententiâ, juxta quam Paulus nunquàm fuit matrimonio junctus.

Obj. 4° : S. Ignatius Martyr, in Epist. ad Philadelphenses, commemorans SS. Patres qui in matrimonio vixerunt, ait : *Ut Petri, et Pauli, et aliorum apostolorum, qui nuptiis operam dederunt;* ergo, juxta S. Ignatium, Paulus fuit matrimonio junctus. — Resp.

quòd textus objectus vero similiùs fuerit corruptus, siquidem in vetustis exemplaribus non habetur nomen *Pauli*, sed soliùs *Petri*, prout observat Baronius, t. 1, ad annum Christi 57, num. 64; item Bellarminus, lib. 1 de Clericis, cap. 20; cujus etiam rei certum argumentum est quòd loquatur Ignatius de apostolis qui fuerunt cum Christo conversati, qualis utique non fuit Paulus. Michael Medina, lib. 2 de sacrorum hominum Continentiâ, cap. 14, citat duos perantiquos codices, unum *Anglicanum*, alterum *Ungaricum*, in quibus illo loco nomen Pauli non habetur. Item Baronius loco præcitato refert vetustos codices tam Græcos quàm Latinos, qui Romæ sunt in bibliothecâ Vaticanâ et Sfortianâ, quoque nomen *Pauli* non habere; ex quibus patet in quibusdam codicibus illud nomen additum esse, vero similiter ab illis Græcis recenter exscriptis, qui, eò quòd uxores retineant cum sacerdotio, Paulum in defensionem suæ ipsorum incontinentiæ volunt habere consortem, ait Baronius.

Objicit etiam Catharinus quòd in Revelationibus S. Brigittæ habeatur quòd Paulus fuerit conjugatus. Sed habetur præcisè contrarium in duobus locis, nempe lib. 2, cap. 7, et lib. 8, cap. 1.

Ea quæ Apostolus cap. 8 habet de cibis idolo immolatis, discutiemus infra, cap. 10.

CAPUT IX.

Docet multis argumentis se potestatem habere sumptus exigendi pro ministerio evangelico; sed abstinuisse tamen, ut amputaret omnem offendiculi occasionem.

QUÆSTIO UNICA.

Quis sit sensus litteralis legis Deut. 25, *v.* 4, *quam hìc*, *v.* 6, *affert Apostolus.*

Loco citato Deuteronomii ita habetur: *Non ligabis os bovis terentis in areâ fruges.* Sensu litterali ibidem prohibet Deus ne vel capistro vel alio impedimento prohibeatur bos vesci ex manipulis, in quibus triturandis fortiter laborat, quia, ut loquuntur Philo Judæus, lib. de Charitate, et Josephus, lib. 4 Antiq., cap. 8, æquum non est vetare laboris socios quominùs et fructuum sint participes. Similiter et Theodoretus, quæst. 31 in Deut.: *Periniquum est*, inquit, *terram arantem, et messem cum labore triturantem, fructùs non esse participem.* Hinc nota quòd in Palæstinâ olim in usu non esset excussio frumenti, quæ fit flagello, sed, prout etiam fit in Canariis, et aliis quibusdam calidis regionibus, solebant per boves, qui circumacti, ungulis pedum suorum segetes terebant, grana excutere. Unde et *teriones* seu *triones* dicti sunt.

Quòd hic sit sensus litteralis, patet ex ipsis verbis quæ hanc legem duris Judæis inculcant. Sed quia bos est typus prædicatoris evangelici in areâ Christi laborantis, hinc Apostolus, hoc cap., v. 9, dicit: *Numquid de bobus cura est Deo?* Non quòd excludat sensum jam antea dictum, sed tantùm insinuat Deum in hoc præcepto condendo non habuisse curam boum, id est, non præcipuè spectâsse boves, sed aliquid sublimius, quod per boves significabatur. Unde sensu allegorico quem Deus primariò intendit, et quem Apostolus hìc explicat, docentur homines non negare victûs stipendium iis qui ipsorum causâ laborant, maximè verò Evangelii præconibus. Hunc posteriorem sensum non esse litteralem (ut putat Abulensis), sed allegoricum, disertè affirmat Tertullianus, lib. 5 contra Marcionem cap. 7, et insinuat Theodoretus, quæst. 31 in Deut. Appositè S. P. Aug., lib. 6 contra Faustum, cap. 9, ait: *Illud* (tempus veteris legis) *erat tempus significandi, hoc manifestandi...; declaratum est enim per Apostolum, cùm de bove triturante non infrenando Scripturam recoleret.*

CAPUT X.

Ab idololatriâ, fornicatione et aliis vitiis Corinthios deterret exemplo veteris et ingrati populi, propter eadem à Deo variè puniti. Deinde admonet ut à mensis idolorum abstineant.

QUÆSTIO PRIMA.

De quâ petrâ loquatur Apostolus v. 4.

Quidam interpretes, inter quos Estius etiam refert S. Chrysostomum, prætendunt quòd Apostolus per petram intelligat Christum Dominum, qui per divinitatem Hebræis tunc præsens erat, et nusquàm aberat; quique toto itinere per desertum varia beneficia præstando eos comitabatur, repræsentatus per angelum, populi ductorem. Alii interim asserunt Apostolum agere de petrâ materiali, quæ à Moyse virgâ percussa fuit; pro quo notandum est bis Moysen è petrâ baculo percussâ populo sitienti aquas eduxisse: primò Exod. 17, deinde Numer. 20.

Resp. et dico 1°: Apostolus hìc non respicit ad petram de quâ agitur Numer. 20. Probatur, quia, postquàm, v. 4, dixisset Israelitas bibisse de consequente eos petrâ, subjungit, v. 5: *Sed non pluribus eorum beneplacitum est Deo; nam prostrati sunt in deserto;* atqui hæc prostratio in deserto contigit ante eductionem aquæ, de quâ Numer. 20. Accidit enim Numer. 14; ergo, etc.

Dico 2°: Neque per petram intelligit Christum, quatenùs repræsentatum per angelum, populi ductorem. Probatur quia Apostolus dicit illos bibisse *de consequente eos petrâ;* atqui si per petram intelligeret Christum, hoc non diceret; sed è contra deberet dicere: *De præcedente eos petrâ*, siquidem angelus, repræsentans Christum, velut ductor populum præcedebat, ut dicitur Exod. 23 et 32. Præterea, juxta S. P. Aug. infra citandum, petra ista tantùm significabat Christum; ergo non erat Christi divinitas quæ invisibiliter fundebat aquam ex petrâ materiali, uti prætendit Bellarminus.

Cùm igitur textus Apostoli debeat intelligi de petrâ materiali, ut sensus sit simplicior et magis litteralis, ex omnibus jam dictis sequitur quòd Apostolus hìc respiciat ad petram de quâ Exod. 17; nam post deductionem aquæ ex illâ petrâ, non quidem statim, sed aliquo tempore post pœna ista secuta est, de quâ hìc agitur.

Obj. 1°: Apostolus petram vocat spiritualem; atqui

petra de quâ Exod. 17 non erat spiritualis; ergo. — Resp. : Disting. maj. : Vocat spiritualem quoad significationem, concedo; vocat spiritualem quoad substantiam, nego majorem; conformiter distingue minorem, et ruit consequentia : igitur, quemadmodùm manna seu esca intelligi debet materialis secundùm suam substantiam, quamvis dicat eam fuisse spiritualem, videlicet quoad significationem, ita quoque et potus et petra secundùm substantiam materialia intelligi debent, sed spiritualia quoad significationem.

Inst. 1° : Versu 4 subjungit Apostolus : *Petra autem erat Christus;* ergo per petram intelligit Christi divinitatem, quæ tunc Hebræis præsens erat. — Resp. eum tantùm velle quòd petra esset Christus per significationem spiritualem, non verò per substantiam realem; unde S. P. Aug., lib. 2 de Trinit., cap. 6, ait : *Petra per actionis modum nuncupata est nomine Christi quem significabat; sicut Isaac Christus erat, cùm ad se immolandum ligna portabat.* Similitudo autem inter Christum et petram est quòd, sicut ex petrâ quondam virgâ Moysis percussâ, fluxit aqua ad potandum Hebræos in deserto Sinai, ita ex latere Christi percusso fluxerit sanguis et aqua, quo potantur fideles in hujus seculi deserto, et ex vulneribus Christi omnium gratiarum fontes emanârint in genus humanum.

Inst. 2° : Quamvis Apostolus per escam spiritualem intelligat manna, et per potum aquam quæ de petrâ materiali fluxit, tamen nusquàm dixit : *Manna erat corpus Domini*, etc., sicut dixit quòd petra esset Christus; ergo dicendo : *Petra autem erat Christus*, invertit sensum constructionis, et transilit à signo, id est, à petrâ materiali, ad significatum, hoc est, ad petram spiritualem, quæ est Christus : ac consequenter per petram non potest intelligi illa de quâ Exod. 17, sed debet intelligi Christus. — Resp. : Neg. conseq.; nam, licèt non dixerit formalibus verbis manna esse corpus Domini, et aquam de petrâ esse sanguinem, nempe quoad significationem, hoc tamen satis insinuavit, dùm, v. 6 et 11, dixit omnia ista in figurâ contigisse filiis Israel. Unde, licèt id formalibus verbis etiam dicere potuisset, ut benè reflectit Estius, tamen insinuare tantùm maluit, interpretibus omnia ista enucleanda relinquens.

Obj. 2° : Si Apostolus agat de petrâ materiali, et sensus propositionis sit : Petra significabat Christum, seu erat Christus per significationem, poterit quoque Calvinista dicere quòd sensus hujus propositionis : *Hoc est corpus meum*, sit : Hic panis significat corpus meum, seu est figura corporis mei. — Resp. : Neg. assumpt. Disparitas est quòd petra et Christus sint res disparatæ, quarum una non potest esse alia, ut lapis non potest esse lignum; pronomen autem *hoc* non est disparatum à Christi corpore, imò designat ipsum corpus; unde, si Christus in ultimâ cœnâ dixisset : *Hic panis est corpus meum*, etiam sensus propositionis posset esse : Hic panis est signum seu figura corporis mei.

Petes quid significet Apostolus per hæc verba v. 11 : *Hæc omnia in figurâ contingebant illis.* — Resp. eum significare, *hæc omnia*, nimirùm quæ jam dixerat, fuisse figuras rerum futurarum novi Testamenti. Quasi dicat : Omnes pœnæ temporales inflictæ Israelitis in deserto, erant figuræ pœnarum futurarum et æternarum, sicuti ferè omnia dicta et facta, omnesque penè historiæ veteris Testamenti erant typi allegorici historiarum et rerum novi Testamenti. Unde S. P. Aug. illud dictum Christi, quod habetur Joan. 5, v. 46 : *Moyses de me scripsit*, sic interpretatur, quasi ferè nihil aliud quàm Christi et Christianorum historiam sub velamento historiæ veteris Testamenti Moyses scripserit. *Non ergo vetus Testamentum ad consequendas illas promissiones, sed ad intelligendas in eis novi Testamenti prænuntiationes accepimus*, ait lib. 4 contra Faustum, cap. 2; et ideò non debemus superficie Scripturarum esse contenti, sed altè scrutandæ sunt, quia sensus spirituales sub cortice litteræ sæpè profundè latent, ut advertit epist. 80.

Pergit Apostolus : *Scripta autem sunt ad correptionem nostram;* Græcè : *Ad admonitionem*, id est, eo fine Providentia divina hæc scribi voluit, ut pœnæ eorum temporales admonerent nos pœnarum æternarum quæ Deum tentantibus et contra eum murmurantibus infliguntur. *In quos*, homines jam viventes post Christi adventum, *fines seculorum*, id est, ultimum seculum seu ætas mundi sexta, quæ est ejus quasi senium, *devenerunt*, nempe per quinque præcedentium ætatum lapsus.

QUÆSTIO II.

Quid doceat Apostolus de esu idolothyti.

Resp. : Idolothyta sunt omnes cibi qui idolis immolantur, ut carnes, panes et alia. De eorum esu agit Apostolus cap. 8 et 10; et docet sequentia : Primò, per se non esse illicitum vesci idolothytis; dicit enim hoc cap., v. 27 : *Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam;* atqui, si per se esset illicitum vesci idolothytis, propter conscientiam foret interrogandum; ergo. Secundò docet esse illicitum vesci idolothytis cum conscientiâ erroneâ. Dicit enim cap. 8, v. 7 : *Quidam cum conscientiâ usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant, et conscientia ipsorum cùm sit infirma* (id est, erronea), *polluitur.* Tertiò, id etiam esse illicitum, quando in templis idolorum manducatur idolothytum. Unde ibidem, v. 10, ait : *Si enim quis viderit eum qui habet scientiam in idolio recumbentem, nonne conscientia ejus, cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tuâ scientiâ frater.* Ratio hujus est quòd vesci idolothytis in templis idolorum, sit idolum colere epulo quo sacrificium idolo oblatum consummatur. Denique esum illum esse illicitum asserit, quando ex eodem sequitur scandalum infirmorum. Hinc, cap. 8, v. 13, dicit : *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem;* et hoc cap., v. 28 : *Si quis dixerit : Hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum*

qui indicavit, et propter conscientiam; conscientiam autem dico non tuam, sed alterius.

Obj. 1°: Apostolus hic, v. 20, in esu idolothyti constituit societatem cum dæmonibus; atqui hæc nunquàm potest esse licita; ergo nec unquàm est licitus esus idolothyti. — Resp. : Disting. maj. : Quando quis idolothytum edendo, sacris idololatricis communicat, concedo; quando eis non communicat, nec per similem esum dat scandalum, nego majorem, ac dico Apostolum agere de casu quo quis edendo, sacrorum idololatricorum fit particeps, ut si cum infidelibus in idolio mensæ accumbat, quam Apostolus vocat *mensam dæmoniorum;* vel aliàs religionis causâ, jussus aut rogatus de idolothyto comedat.

Obj. 2°: Act. 15, v. 20, statuerunt apostoli scribendum gentibus, *ut abstineant se à contaminationibus simulacrorum*, id est, ab idolothytis; ergo eis vesci est omninò illicitum. — Resp. : Neg. conseq., quia Epistola apostolorum in quâ decretum illud continebatur non fuit directa ad omnes ubique fideles, sed ad solos eos qui in Palæstinâ ac locis vicinioribus habitabant, uti patet ex titulo Epistolæ, qui, v. 23, sic habet : *Apostoli et seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ, et Syriæ, et Ciliciæ fratribus ex gentibus, salutem.* Pro his autem locis specialis erat ratio hoc prohibendi, quia nempe ibidem quamplurimi erant Judæi, quibus isti fideles per illum esum facilè scandalum dedissent; nam facilè suspicati fuissent Judæi eos iterùm ad idololatriam rediisse. Verùm hæc ratio non habebat locum in regionibus à Palæstinâ remotioribus, uti est Achaia, in quâ erat Corinthus, quia vix, vel pauci admodùm, in eis habitabant Judæi.

Obj. 3°: Apocalyps. 2, v. 14, arguitur episcopus Pergami, quòd habeat *tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere et fornicari;* ergo, etc. — Resp. quòd ibi sermo sit de iis qui edebant in honorem idoli; ut satis patet ex textu, qui certò agit de eo quod factum est Numer. 24 et 25.

Obj. 4°: S. Cyrillus Jerosolymitanus, catechesi 3, ait : *Quæ in aris idolorum offeruntur, cùm naturâ sint pura, invocatione dæmonum impura efficiuntur.* Eadem ferè verba habet S. Hieron. in cap. 15 Matth.; ergo idolothytis, utpote impuris, vesci nullo modo licet. Unde et S. Leo, epist. 79 ad Nicetam episcopum, cap. 5, jubet pœnitentiæ satisfactione purgari eos qui cibos idolo oblatos manducaverant; *Sive* inquit, *hoc terror extorserit, sive fames suaserit.* — Resp. secundùm istos SS. Patres invocationem dæmonum facere cibos immundos, non simpliciter et in se, sed invocantibus, seu quovis modo communicantibus; ut enim omnia munda mundis, ita immundis et malè utentibus omnia immunda, ut dicitur Epist. ad Titum, cap. 1, v. 15. Ad S. Leonem autem dico eum agere de illis qui cùm apud infideles essent captivi, vel terrore vel fame compulsi fuerant ut ederent cibos immolatitios; per quod utique dæmonibus communicaverant aut saltem communicâsse videbantur in istis circumstantiis.

CAPUT XI.

Transit Apostolus à secundâ quæstione de idolothytis ad tertiam quæstionem de velamine mulierum; et docet quòd, sicut viri aperto capite, sic mulieres velato, orare debeant. Deinde reprehendit Corinthios quòd cœnam dominicam irreverenter ac tumultuosè celebrarent.

Aliqui textus explicantur.

Vers. 4 : *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum.* Nonnulli vocem *prophetare* hic accipiunt pro prædictione futurorum. Verùm hi, inquit Estius, nimiùm arctant usum hujus vocabuli, quem habet in scriptis apostolicis, puta infra, cap. 14, v. 1 et 3; siquidem ibidem *prophetans* dicitur ille qui occulta fidei mysteria sibi per Spiritum sanctum vel per Scripturas sacras revelata aliis prædicat. Unde et ad Rom. 12 dicitur : *Sive prophetiam secundùm rationem fidei;* et 1 ad Thessalonic. 5 : *Prophetas nolite spernere.* Taliter autem prophetans aut orans in publico (docet enim hìc Apostolus quid deceat fieri in oratione publicâ, non quid in privatâ) *deturpat caput suum*, id est afficit dedecore, quasi caput ejus sit servile : nam velamentum capitis significat subjectionem, quæ non viro, sed mulieri convenit; quandoquidem vir nullum superiorem recognoscat in terris, sed tantùm Christum et Deum in cœlis.

Vers. 5 : *Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum.* Erant in Ecclesiâ primitivâ non solùm viri, sed et mulieres quædam prophetantes, ut Philippi filiæ virgines, de quibus Act. 21, v. 9, aliæque permultæ juxta vaticinium Joelis à S. Petro memoratum Act 2 : *Prophetabunt filiæ vestræ.* Ita S. Chrysost., meliùs quàm quidam recentiores, qui *prophetare* accipiunt pro sacros hymnos cantare. Sed in novo Testamento, et præsertim in Epistolis S. Pauli, non solet tam latè sumi, cùm ubique prophetiam ponat inter dona Spiritûs sancti, ut cap. seq., v. 10, cap. 13, v. 2, et alibi. Nec videntur mulieres in Ecclesiâ sacros hymnos cum viris cecinisse, sed orâsse tantùm in silentio, uti insinuatur infra, cap. 14, v. 34.

Prophetabant autem istæ mulieres in cœtu fidelium; quod quomodò non pugnet cum ipsius Apostoli lege, quâ alibi vetat mulierem loqui in ecclesiâ, ut 1 ad Timoth. 2, meritò quæritur : nam, etsi tacitè possit orare, prophetare tamen in ecclesiâ non poterat, nisi palàm loqueretur. Fromondus, ut hanc apparentem antilogiam conciliet, dicit quòd istæ mulieres non prophetarent in ecclesiâ aut publicè, sed in privatis cœtibus aut in feminarum tantùm collegiis, ut interpretatur D. Thomas. Estius verò contra istam conciliationem se opponens, ait non esse vero simile quòd Apostolus hic agat de privatis cœtibus virginum aut matronarum : nam, inquit, institutum ejus est reformare ea quæ in publicis ecclesiæ conventibus perperàm agebantur. Juxta ipsum igitur dicendum est Apostolum duo quæ in ecclesiâ Corinthiorum fiebant reprehendere : unum, quòd mulier oraret non velato capite; alterum, quòd prophetare non velato capite.

Primum autem dicit ab Apostolo ideò reprehendi, non quia mulier crabat in ecclesiâ, poterat enim ibidem in silentio orare, sicut in silentio jubetur discere, 1 ad Tim. 2, sed quòd id faceret non velato capite. Secundum verò reprehensionem merebatur ex duplici capite : primò, quia mulier prophetabat in ecclesiâ ; secundò, quia id faciebat capite non velato.

Mulier autem non velato capite orans in ecclesiâ, aut prophetans in cœtu fidelium, dicitur deturpare caput suum, quia facit contra naturalem honestatem et verecundiam illi à Deo inditam. Inhonestum enim, turpe ac prorsùs indecens est, ut eo præsertim tempore abjiciat velum capitis, quod decens ac commodum est conditioni feminarum ad confitendam naturalem suam subjectionem, quam habent ad virum. Mulieri enim *maximo est honori positum sibi ordinem servare quemadmodum ignominiæ est ab eo deflectere*, inquit S. Chrysost. *Unum enim est*, addit Apostolus, *ac si decalvetur*. Græcè, *radatur*, hoc est, adeò turpe est feminam orantem in ecclesiâ aut prophetantem carere artificiali velo capitis, ac si careret ejus naturali, et rasa esset usque ad cutem instar decalvatæ.

Vers. 10 : *Ideò debet mulier potestatem habere supra caput propter angelos*, hoc est, mulier debet supra caput habere velum quod est signum potestatis quam vir habet in ipsam. Velum enim vocatur *potestas* per metonymiam quâ signo tribuitur nomen rei signatæ. Debent autem virgines incipere uti illâ potestate, seu velo, circa illum annum ætatis suæ quo incipiunt placere viris, et ad nuptias esse maturæ, ut docet Tertull., lib. de veland. Virg., cap. 11 : *Propter angelos*, id est, ne displiceant angelis orationes earum deferentibus ad Deum. Unde sensus totius constructionis est hic : Non tantùm propter homines, sed et propter reverentiam angelis debitam mulier gestet in capite velamen, pudoris ac subjectionis signum. Sunt enim angeli ubique nobis præsentes, maximè ubi cœtus fidelium habentur vel sacra mysteria celebrantur. Quocirca ob eorum reverentiam oportet tam mulieres quàm viros toto corporis habitu decenter et honestè compositos esse, ut dicere possint cum Davide : *In conspectu angelorum psallam tibi*, Psal. 137. *Grata est enim sanctis angelis sacrata et pia significatio*. ait S. P. Aug., lib. 12 de Trinit., cap. 7 ; ubi docet velum mulieris non tantùm significare potestatem viri supra ipsam, sed refrenationem et cautelam quam pars inferior animæ adhibere debet in suis actionibus, quando ad res temporales se extendit. Cùm autem suprema animæ pars se extendit in res æternas, *quoniam tantò inde magis formatur ad imaginem Dei ; propterea non est cohibenda ut se inde contineat, et ideò vir non debet velare caput*, inquit ibidem. Per virum enim supremam illam animæ partem, per mulierem partem inferiorem in eodem homine mysticè intelligit.

Vers. 18 : *Audio scissuras esse inter vos ;* Græcè, *schismata*, id est, dissidia animorum, seu dissentiones. Quænam eæ fuerint non expressit Apostolus, sed ex sequentibus intelligi potest, vel de loco recumbendi, vel de tempore cœnæ inchoandæ, vel de cibis ac potibus aliisque ejusmodi disceptatum illic fuisse maximè inter divites et pauperes, quorum hi ab illis contemnebantur. *Et ex parte ;* Græcè, *partem aliquam ;* nempe eorum quæ mihi de vobis narrata sunt, *credo*, considerans mores quorumdam vestrùm.

Vers. 19 : *Nam oportet*, id est, moraliter necesse est, consideratâ quorumdam superbiâ vel pertinaciâ, *et hæreses esse*, hoc est, non tantùm dissensiones, sed et etiam nasci hæreses, quæ deteriores sunt quàm schismata, quia non tantùm charitatem et pacem christianam perturbant, sed ipsam fidem Christi à fundamentis evertunt. *Ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis*, id est, ut illi qui probæ et spectatæ sunt fidei, manifestent seipsos conservando in se, et defendendo in aliis fidem. « Multa quippe ad fidem « catholicam pertinentia, dùm hæreticorum callidâ « inquietudine agitantur, ut adversùs eos defendi pos- « sint, et considerantur diligentiùs, et intelliguntur clariùs, et instantiùs prædicantur, » ait S. Aug., lib. 16 de Civ. Dei, cap. 2.

Vers. 20 : *Convenientibus vobis in unum*, scilicet in unum cœtum fidelium, ad sumendam Eucharistiam, et simul ad celebrandum convivium, *jam non est dominicam cœnam manducare*. Per cœnam dominicam hic videtur intelligendum convivium aliquod commune, quod certis seu statutis diebus, et præsertim in anniversario die cœnæ Domini, præmittebatur oblationi et participationi Eucharistiæ. Hoc autem convivium erat repræsentatio, seu commemoratio cœnæ Domini cum apostolis celebratæ. Unde, ut insignior esset commemoratio, celebratum fuit eodem ordine quo Christus suam cœnam cum apostolis manducavit. Constat autem ex evangelistis Christum priùs cœnâsse cum discipulis, ac deinde corporis et sanguinis sui sacramentum tradidisse ; ergo et Corinthii videntur priùs aliquod convivium commune habuisse, et deinde Eucharistiam sumpsisse. Unde sensus verborum Apostoli est : Quando in die cœnæ Domini convenitis ad recolendam memoriam istius cœnæ, non facitis sicut Christus Dominus fecit ; nam hic manducans cum discipulis suis, neminem apostolorum exclusit, sed omnes ultimæ suæ cœnæ participes fecit ; ac proinde, dùm vos pauperes vestrâ à cœnâ excluditis, Christum nequaquàm imitamini, sed longè ab exemplo quod omnibus fidelibus dedit receditis.

Ex hoc Pauli loco sectarii Eucharistiæ suæ, nomen *cœnæ* indiderunt, sed malè. Siquidem quòd versu præcitato Apostolus non agat de sumptione Sacramenti Eucharistiæ, inde manifestum est quòd nullo modo credibile sit in istâ sumptione ea contigisse quæ hic commemorantur, videlicet ut quisque suam cœnam, id est, Eucharistiam, præoccuparet, et alius quidem esuriret, alius autem ebrius esset. Neque enim mensa eucharistica ad hoc proponitur, aut aliquando proposita fuit, ut venter saturaretur, sed tantùm ut mensa reficeretur ; quandoquidem à ministris Ecclesiæ, quorum officium erat distribuere fidelibus Sacramentum Eucharistiæ, non pleni calices sæpiùs epotandi, sed

certa et determinata portio sacri liquoris, seu sanguinis Domini, semel singulis sumenda daretur.

Cæterùm mos ille sumendi Eucharistiam post cœnam cibumque communem, postmodùm justâ ratione mutatus est, ab ipsis vero simillimè apostolis; uti docet S. P. Aug., epist. 118 ad Januarium, cap. 6, dicens : « Hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem « tanti Sacramenti, in os Christiani priùs dominicum « corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideò per uni- « versum orbem mos iste servatur. Neque enim quia « post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cœ- « nati fratres ad illud Sacramentum accipiendum con- « venire debent. Namque Salvator, quò vehementiùs « commendaret mysteriis illis altitudinem, ultimum « hoc voluit altiùs infigere cordibus et memoriæ disci- « pulorum, à quibus ad passionem digressurus erat. Et « ideò non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, « ut apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, « servaret hunc locum. »

Tribus sequentibus capitibus agit Apostolus de gratiis, tum gratis datis, tum gratum facientibus. Sed cùm in istis non occurrant quæstiones scripturisticæ, ideò illa transilimus.

CAPUT XV.

Fidem resurrectionis mortuorum astruit contra pseudodoctores eam negantes; illamque probat ex eo quòd Christus resurrexerit. Deinde resurrectionis ordinem, modum et formam describit.

QUÆSTIO PRIMA.

An hoc capite, præsertim v. 21 et 22, Apostolus agat de resurrectione omnium prorsùs hominum.

Resp. negativè, sed agit duntaxat de resurrectione electorum.

Prob. 1°, quia agit de resurrectione eorum quorum *primitiæ*, vel, ut loquitur ad Coloss. 1, v. 18, *primogenitus*, est Christus; atqui hìc non est primogenitus nisi respectu fratrum ex eodem patre per adoptionem genitorum *quos* Deus *prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*, ut dicitur ad Rom. 8. Ergo tantùm agit de resurrectione electorum.

Prob. 2° : Apostolus probans resurrectionem mortuorum ex resurrectione Christi, v. 12 et 13, item v. 22, argumentum desumit à causâ exemplari, seu à conformitate capitis et membrorum ejusdem corporis; ita ut sensus argumenti ejus sit hic : Sicut non solùm caput physicum Christi, sed etiam manus et pedes gloriosi resurrexerunt, ita etiam membra corporis ejus mystici debent suo capiti conformari, ac consequenter resurgere; atqui ex resurrectione capitis Christi non rectè ducitur argumentum ad resurrectionem omnium prorsùs hominum, sed eorum tantùm qui membra sunt sub illo capite; soli autem electi in resurrectione sunt membra sub Christo tanquàm capite; ergo, etc.

Prob. 3° ex versu 23, ubi postquàm dixisset quòd Christus sit *primitiæ* resurgentium addit : *Deinde ii qui sunt Christi;* atqui reprobi non sunt Christi, sed diaboli; ergo non agit de resurrectione reproborum.

Prob. min. ex cap. 8 Epist. ad Rom., ubi dicit : *Si quis spiritum Christi non habet hic non est ejus;* adeòque non deputandus in numero eorum quos hìc dicit esse Christi; atqui reprobi certò non habent spiritum Christi; ergo.

Prob. 4°, quia hæc est aperta sententia S. P. Aug., epist. 89 ad Hilarium, ubi citans verba v. 21 : *Per hominem resurrectio mortuorum*, ait : « Utique resur- « rectionem dicit justorum, ubi est vita æterna; non « resurrectionem iniquorum, ubi mors erit æterna. » Et iterùm, lib. 6 operis Imperfecti contra Julianum, num. 36, postquàm probâsset quòd vivificatio de quâ loquitur Apostolus v. 22, morti corporis, quæ est pœna peccati, opponatur tanquàm præmium, ita concludit : « Et ideò isto loco, ubi resurrectio corporis « opponitur morti corporis, non de communi resur- « rectione agit Apostolus, quæ ad justos et injustos « pertinet; sed de illâ potiùs, in quâ erunt qui vivi- « ficabuntur in Christo, non qui damnabuntur à Chri- « sto. »

Obj. 1° : Christus non solùm pro prædestinatis, sed etiam pro reprobis mortuus est; ergo nihil repugnat quominùs etiam horum resurrectio ex meritis Christi, tanquàm communis benefactoris proveniat. — Resp : Neg. conseq.; nam reprobi meritorum Christi post hanc vitam participes fieri nequeunt, utpote qui fidem (sine quâ Christi merita non possunt eis applicari ad cætera beneficia per ipsum consequenda) vel nunquàm habuerunt, vel si habuerint, peccando ita inutilem sibi fecerunt, ut post mortem nullius Christi beneficii recipiendi ampliùs sint capaces.

Obj. 2° : Ex hâc sententiâ sequitur argumentationem Apostoli esse imperfectam, utpote qui debebat probare resurrectionem omnium hominum, cùm ageret contra illos qui communem resurrectionem corporum negabant.—Resp. : Neg. sequelam : nam non fuit imperfecta argumentatio Christi, quâ contra Sadducæos resurrectionem probavit eorum tantùm qui salvandi sunt cum Abraham, Isaac et Jacob, quique futuri sunt æquales angelis Dei, Lucæ 20, quia horum resurrectione semel admissâ, et fide receptâ, non difficile est credere etiam impios ad supplicium resurrecturos, ut ipsi plenam recipiant suorum operum retributionem; egit autem Christus, item et Paulus hìc, de resurrectione electorum, quia hæc est propriè consolatio fidelium, quam tum ipse, tum Christus spectârunt.

Obj. 3° : Versu 22 ita ratiocinatur Apostolus : *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur;* atqui non tantùm electi, sed etiam reprobi moriuntur in Adamo morte corporali; ergo etiam hi in Christo vivificabuntur, id est, resurgent in corpore immortali et vitâ spirituali.—Resp. : Neg. conseq.; ratio autem disparitatis est quòd in Adamo omnes quidem omninò homines moriantur morte corporali, quia omnes ab ipso descendunt per generationem naturalem; sed non omnes in Christo vivificabuntur vitâ spirituali, quia non omnes per spiritualem generationem in Christo renascuntur; ac proinde tantùm

inferri potest : Ergo omnes qui ex Christo descendunt per spiritualem regenerationem, id est, per fidem et bonam vitam, in ipso vivificabuntur vitâ spirituali. Sensus enim Apostoli est hic : Sicuti omnes qui sunt filii Adami per carnalem generationem, in ipso moriuntur morte corporali, ita omnes qui sunt filii Christi per spiritualem generationem, seu per bonam vitam, in ipso vivificabuntur, idi est, resuscitabuntur ad spiritualem et æternam vitam. Hinc S. P. Aug., serm. 91, de Verbis Evangelii, num. 7, rursùs ita scribit : *Quomodò in illo* (Adamo) : « *Omnis qui nascitur moritur,* » *sic in Christo omnis qui credit vivificatur ; sed si habeat vestem nuptialem, si invitetur servandus, non separandus.*

Obj. 4° : Versu 23 subjungit Apostolus : *Unusquisque in suo ordine,* subaudi *vivificabitur ;* atqui, juxta Theodoretum, hic ordo refertur ad separationem agnorum ab hœdis, de quâ Matth. 25 ; ergo, etc. — Resp. : Salvâ auctoritate Theodoreti, hoc non videri verum : nam ordo de quo hic agitur est ordo dignitatis ac meritorum, ut benè exponit Tertullianus, lib. de Resurrectione carnis, cap. 48. Itaque hæc verba : *Unusquisque in ordine suo,* nihil aliud significant quàm hoc : Quilibet electorum resurget ad majus vel minus præmium, prout in hâc vitâ plus vel minùs meritus fuit, uti satis indicatur infra, v. 41 et 42, ubi dicitur : *Stella à stellâ differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum.*

QUÆSTIO II.

De Baptismo pro mortuis.

Postquàm Apostolus resurrectionem mortuorum probâsset ex resurrectione Christi, ulteriùs eam probare pergit, v. 29, hoc modo : *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt ? Ut quid et baptizantur pro illis ?* Variæ, etiam apud antiquos Patres, sunt hujus textûs interpretationes, ita ut difficulter definiri possit quid Apostolus intelligat per baptismum pro mortuis.

Prima interpretatio est quod Apostolus probet futuram resurrectionem ex errore quorumdam qui Baptismum suscipiebant nomine alicujus amici sui, sine Baptismo defuncti, existimantes quòd sicut orationes, ita et Baptismus mortuis prodesset. Ita referente Bellarmino, lib. 1, de Purgatorio, cap. 6, exponunt Ambrosiaster, seu auctor Commentarii sub nomine S. Ambrosii, Anselmus et Tertullianus. Unde, licèt Apostolus hunc errorem non approbet, tamen argumento ad hominem, ut vulgò dicitur, vult contra istos errantes resurrectionem probare ex propriis eorum principiis.

Sed hæc expositio non videtur satis probabilis, quia si in tantâ luce Evangelii tantus error extitisset, Apostolus hunc errorem, utpote perniciosum et superstitiosum, certò confutâsset, imò confutare debuisset, siquidem et alia leviora in hâc Epistolâ corrigit, ut cap. 11, v. 4 et 5, prohibet virum orare tecto, mulierem verò detecto capite. Unde Chrysostomus hunc errorem Marcionistis, Epiphanius autem, infra citandus, attribuit Cerinthianis, qui hæretici post obitum Pauli exorti sunt.

Secunda interpretatio est quòd baptizari pro mortuis idem sit ac baptizari pro peccatis diluendis. At nec hoc dici potest, quia Paulus non agit de peccatis, sed de hominibus mortuis, pro quibus aliqui baptizabantur, uti satis liquet ex istis verbis : *Ut quid baptizantur pro illis ?* Præterea peccata non dicuntur mortua, nisi sint deleta ; ergo nomine mortuorum non possunt intelligi peccata adhuc delenda.

Tertia interpretatio est quòd ideò dicantur baptizari pro mortuis, quia in Symbolo quod recitant ante Baptismum, est unus articulus : *Carnis resurrectionem,* ita ut illud : *Pro mortuis,* significet *spe resurrectionis,* id est, in eum finem ut corpora nostra mortua aliquando resurgant. Verùm nec hæc interpretatio subsistit, primò, quia est nimis dura et violenta, siquidem inauditum est ut nomine mortuorum intelligatur spes resurrectionis ; secundò, quia Apostolus non dixisset : *Quid facient qui baptizantur pro mortuis ?* sed : Quid facimus qui baptizamur pro mortuis ? non enim aliqui, sed omnes sic baptizantur. Apostolus autem non de omnibus, sed de aliquibus tantùm agit, qui pro mortuis baptizabantur, ut patet tum ex textu, tum ex eo quod sequitur : *Ut quid nos periclitamur totâ die ?*

Quarta expositio est quòd baptizari pro mortuis sit baptizari Baptismo Christi, in quo per immersionem mortui, et per emersionem resurgentes repræsentamur. Sed nec hoc admitti potest, quia in Baptismo repræsentatur resurrectio, non carnis à morte, sed animæ à peccato. Id enim Apostolus significat ad Coloss. 3, dicens. : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursùm sunt quærite.*

Quinta expositio est quòd Apostolus loquatur de aliquibus qui in extremis constituti, adeòque non magis vivi quàm mortui reputandi, baptizabantur. Sed contra hanc expositionem facit quòd tunc dicere non debuisset : *Quid baptizantur pro illis ?* sed : Quid baptizantur pro se ?

Sexta expositio est *eorum qui dicunt quòd* Apostolus loquatur de baptismo metaphorico, id est, de baptismo lacrymarum et pœnitentiæ, qui suscipitur jejunando, orando et afflictiones patiendo pro animabus in purgatorio, ut sic citiùs à peccatis et pœnis eorum solvantur, et hæc expositio, tanquàm cæteris vero similior,

Prob. 1°, quia baptizari passim in Scripturâ et Patribus accipitur pro affligi, ut Marci 10 : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum, et baptismo quo ego baptizor, baptizari ?* Item Lucæ 12, v. 50 : *Baptismo habeo baptizari.* Quæ baptismata à Patribus passim vocantur pœnitentiæ et afflictionis baptismi. Unde S. Gregorius Nazianz., orat. de Epiphaniâ ait : *Scio quartum baptisma, quod per martyrium et sanguinem sit ; scio et quintum, lacrymarum et pœnitentiæ.*

Prob. 2° : SS. Patres, ut Hieron. in cap. 3 Matth., Basilius, lib. de Spiritu sancto, et Gregorius Nazianz.,

loco statim citato, vocat ignem purgatorii ultimum baptisma; ergo benè dixit Apostolus eos baptizari pro mortuis, qui se jejunio aliisque operibus pœnalibus affligentes, sumunt in se partem baptismi illius ignei quo animæ baptizantur in purgatorio.

Prob. 3°, quia hæc expositio maximè congruit cum subsequentibus Pauli verbis, v. 30 : *Ut quid et nos periclitamur totâ die?* Quasi dicat : Cur aliqui affligunt se jejunando aliaque opera pœnalia subeundo pro mortuis, et ego affligo me prædicando Evangelium, si mortuorum non est resurrectio?

Obj. 1° : In hoc supposito Apostolus non debuisset dicere : *Qui baptizantur*, sed : *Qui baptizamur pro illis*, nam omnes Christiani pro mortuis orabant, afflictiones patiebantur, etc.—Resp. : Neg. assumpt., quia non argumentatur à consuetudine Christianorum; nam hæc sola nullam vim habuisset apud incredulos, sed à consuetudine Judæorum, qui more veteri et secundùm Scripturarum exempla orabant et jejunabant pro mortuis; quasi dicat : Quid facient illi qui imitando antiquos patres jejunant, orant, afflictiones patiuntur pro mortuis, si mortui non resurgunt?

Obj. 2° : Non videtur benè probari mortuorum resurrectio ex eo quòd aliqui sustineant afflictiones pro eis, quia posset dici quòd illas sustineant, non ut mortui resurgant, sed ut animæ eorum à pœnis liberentur. — Resp. : Neg. assumpt.; nam tempore apostolorum quæstiones de resurrectione mortuorum, et de immortalitate animæ ita erant inter se connexæ, ut eædem haberentur : siquidem apud Judæos, qui negabant unum, negabant et alterum, ut Sadducæi; et qui unum fatebantur, fatebantur et alterum, ut Pharisæi, prout patet Act. 23, v. 8; nec immeritò : cùm enim anima rationalis sit forma corporis et vera pars hominis, non est vero simile Deum voluisse animam perpetuò vivere sine corpore. Hîne Christus ex immortalitate animæ probavit resurrectionem corporum, Matth. 22, v. 32, dicens : *Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Imò eâdem ratione resurrectionem hìc probat Apostolus, v. 32, dicens : *Quid mihi prodest si mortui non resurgunt? Comedamus et bibamus, cras enim moriemur.* Hoc autem ratiocinium, uti et argumentum Christi, non concluderet, nisi quæstiones de immortalitate animæ et resurrectione corporum inter se fuissent connexæ.

Obj. 3° : Illa jejunia, orationes, afflictiones, etc., de quibus nos exponimus illud Baptisma, erant voluntariæ; atqui de similibus non possunt intelligi verba Apostoli; ergo. Prob. min., quia de illis qui voluntariè jejunant, afflictiones, etc., subeunt pro mortuis, non benè dicitur : *Qui baptizantur*, tanquàm ab aliis, sed : Qui baptizant seipsos *pro mortuis;* quomodò secundùm Scripturam qui voluntariè jejunant, seipsos, aut animas suas affligere dicuntur, ut Levit. 16 et 23. — Resp. : Disting. min.; de similibus non possunt intelligi verba Apostoli, si illa jejunia et afflictiones spectentur, prout homo ea voluntariè sibi infert, concedo; si spectentur, prout ab illis jam illatis pœnam aliquam patitur, nego minorem et consequentiam : ratio est quòd Apostolus hìc magis consideraverit illa jejunia et afflictiones in passivo quàm in activo, quia voluit illa proponere ut molesta et difficilia homini; ac proinde hinc patet quòd optimè potuerit dici : *Qui baptizantur;* unde quemadmodùm pœnitentia, quæ consistit in operibus pœnalibus voluntariè à peccatore susceptis, rectè vocatur laboriosus baptismus, ita et præfata jejunia, etc., rectè potuerunt dici baptismus pro mortuis.

Obj. 4° : Tempore apostoli Pauli aliquos fuisse qui pro mortuis ipsum Sacramentum Baptismi suscipiebant, docet S. Epiphanius, hæresi 28, ubi de Cerintho et Cerinthianis narrat sequentia : « Ex traditione res « quædam ad nos devenit quòd quidam apud ipsos de « vitâ decesserunt, morte præoccupati extra baptisma, « alii pro ipsis in nomine ipsorum baptizentur, ut ne, « ubi resurrexerint illi in resurrectione, pœnas dent, « eò quòd non acceperunt baptisma; et subditi fiant « potestati, quæ mundum fecit. Et hâc de causâ tra« ditio quæ ad nos devenit, eumdem S. Apostolum « dixisse ait : *Si omninò mortui non resurgunt, cur et « baptizantur pro ipsis?* » Ergo, juxta S. Epiphanium, Paulus agit de illis qui Baptismum suscipiebant nomine alicujus amici sui defuncti sine baptismo. — Resp. : Neg. conseq., quia S. Epiphanius non dicit quòd Paulus de similibus agat, sed tantùm refert quòd traditio illa, quæ ad ipsum devenerat, etiam simul haberet quòd Apostolus loquatur de illis qui pro mortuis Sacramentum Baptismi suscipiebant. Verùm cùm traditio illa non sit irrefragabilis auctoritatis, ideò ex eâdem nihil contra nostram expositionem concludi posse videtur.

QUÆSTIO III.

Quomodò juxta versum 32 Paulus pugnaverit ad bestias.

Baronius ad annum 55, Estius in hunc locum, et multi alii volunt hæc verba S. Pauli, v. 32 : *Si (secundùm hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?* debere accipi metaphoricè, ita ut per bestias intelligantur homines bestialiter viventes, qui resistebant doctrinæ S. Pauli, quales erant Judæi et gentiles. Origenes verò, Theodoretus, Nicephorus, et varii alii volunt quòd Paulus Ephesi fuerit objectus feris, adeòque quòd illa verba sint intelligenda in sensu litterali proprio, et non in metaphorico. Horum autem sententia videtur plausibilior et vero similior.

Prob. 1°, quia verba S. Scripturæ debent propriè accipi, dùm nihil obstat; atqui, ut ex solutionibus argumentorum patebit, hìc nihil obstat quominùs propriè accipiantur; ergo, etc.

Prob. 2°, quia dicit : *Secundùm hominem pugnavi*, id est, realiter, non metaphoricè aut spiritualiter; vel, ut exponit S. Chrysost., hom. 40 : *Quod ad homines attinet*, fui ipsis spectaculo, ipsorum opinione certò occidendus, dùm fui feris objectus. Pugnare autem cum Judæis disputando, ostendendo Christum esse Messiam, etc., non est pugnare secundùm hominem,

sed potiùs secundùm Deum; neque enim unquàm Paulus cum Judæis pugnavit fustibus aut pugnis.

Prob. 3°, quia Apostolus hoc hic refert tanquàm rem memorabilem, quæ ipsi accidit Ephesi; atqui, si per bestias intelligeret Judæos vel gentiles, non posset specialiter notare Ephesum; nam ubique gravissimas persecutiones ab ipsis passus est; ita quidem ut coegerint ipsum relinquere Philippos, Thessalonicam, Beræam, etc. Unde debuisset potiùs citare persecutionem quam passus fuit Corinthi (Act. 18), ipsis videntibus; et quidem tantam ut Deus ipsi apparuerit, ipsumque confortaverit, quàm illam persecutionem quam passus fuit Ephesi omninò ignotam Corinthiis; fortius enim argumentum desumitur ex facto quod omnes viderunt, quàm ex facto quod nemo vidit; Apostolus autem hoc factum assumit ad probandum resurrectionem mortuorum; ergo probabilius videtur quòd præcitata verba sint intelligenda propriè, et non metaphoricè.

Obj. 1° : In textu Græco, loco *ad bestias pugnavi*, habetur : *Cum bestiis pugnavi;* ergo non dicit Paulus se bestiis objectum fuisse, sed cum bestiis pugnâsse; atqui non est credibile, nec ratio dignitatis apostolicæ permisisset, Paulum armatum in arenam aut theatrum prodire pugnaturum cum bestiis, quod nec de alio quoquam martyre legitur; nam martyres solebant feris objici, non cum illis pugnare; ergo, etc. — Resp. Paulum cum bestiis pugnâsse phrasi illius temporis usitatâ, quæ significat *feris objici*, sive inermem sive armatum, ut patet ex celebribus Actis S. Perpetuæ, in quibus, notâ 40 in Paulum, apud Tillemontium, tom. 1, parte 2, pag. 827, de se suisque sociis, ad bestias damnatis, dicit : *Munere enim castrensi eramus pugnaturæ.* Et fortè hoc ideò quia damnatis ad bestias dabantur aliqua saltem arma quibus se defenderent, ut tantò productior esset ipsorum cruciatus, vel ut tantò diutiùs sanguinolento populo essent crudeli spectaculo. Denique omnibus istis etiam suppositis, non fuisset Apostolo magis indignum armis contra bestias se defendere, quàm fuit illo indignum militibus Romanis se defendere contra Judæos, Act. 23.

Obj. 2° : Damnari ad bestias supplicium erat tantùm vilium personarum, ut constat ex l. 48, tit. 8, lege 3, ff. *Ad legem Corneliam*, de Sicariis. Quare Paulus, qui civis Romanus erat, illo supplicio damnari non potuit, nisi hanc suam prærogativam tacuerit; quod de eo non est opinandum, utpote qui ad minora quædam effugienda civem Romanum se protestatus est. — Resp. nullatenùs in illâ lege haberi quòd cives Romani non possent ad bestias damnari; sed tantùm habetur quòd sicarii et venefici, si erant *humiliores*, solerent ad bestias damnari, si verò *altiores*, solerent ad insulas deportari; ubi nulla fit distinctio inter Romanum et alium; deinde, etiam hoc supposito, potuit Paulus reticere suum privilegium, sicut illud reticuit Philippis ante flagellationem suam, et tantùm postea manifestavit, Act. 16, v. 22 et 37. Denique et magistratus et præsides non semper venerabantur ista privilegia, præsertim respectu Christianorum, ut constat ex Actis S. Attali martyris Lugdunensis, qui, ut refert Eusebius, lib. 1, cap. 5, etiam erat civis Romanus, et tamen bestiis ojectus fuit.

Obj. 3° : Idem Apostolus, in Epist. 2 ad Cor., cap. 11, ubi suas afflictiones et pericula longo ordine recenset, nullam prorsùs mentionem facit de istâ pugnâ cum bestiis; atqui tamen rem tam mirabilem haudquaquàm ibidem silentio obvolvisset, si verè contigisset; ergo Paulus non fuit bestiis objectus. — Resp. : Neg. min., et dico quòd loco citato hanc bestiis objectionem non recenseat, quia illam in hâc Epistolâ sufficienter expressit; et quia fortè ita ab illo mortis evidenti periculo miraculosè liberatus fuit, ut nihil mali passus fuerit, ideò satis illi fuit in secundâ Epistolâ, cap. 11, istam objectionem exprimere, dicendo, v. 23, se fuisse *in mortibus frequenter*. Illam ergo potiùs expressit in primâ Epistolâ, quia in eâ debebat probare resurrectionem mortuorum, et animæ immortalitatem. Non poterat autem illam fortiùs probare argumento ad hominem, quàm hoc : Si non daretur resurrectio mortuorum, aut vita æterna, non essem tam stultus ut me pro istâ fide permitterem objici bestiis, certissimè devorandum, nisi Deus me eriperet, etc. Si verò per bestias intelligeret homines bestialiter viventes, argumentum istud non tam fortiter concluderet.

Obj. 4°, cum Baronio : S. Chrysost., hom. 40 in Epist. 1 ad Cor., et Tertull., lib. de Resurrectione carnis, cap. 48, docent præcitata Pauli verba debere accipi metaphoricè; ergo hi per bestias intelligunt homines resistentes doctrinæ evangelicæ. — Resp. : Neg. ant.; nam S. Chrysost. videtur potiùs nobis favere, siquidem dictiones illas : *Ad bestias pugnavi*, nullo modo explicat; hoc autem signum est quòd eas accipiat in sensu proprio, sicut jacent. Verba ipsius sunt : *Si secundùm hominem ad bestias pugnavit. Quid est secundùm hominem? Quod ad homines attinet, pugnavi cum bestiis. Quid enim si Deus me eripuit à periculis?* Ibi est totum quod desuper habet, ex quo nihil videtur posse erui pro sententiâ contrariâ.

Verum quidem est quòd Tertull., loco præcitato, per bestias intelligat pericula mortis quibus Paulus in Asiâ expositus fuit; sed hoc non excludit sensum literalem proprium; quinimò videtur illum voluisse includere, quandoquidem illo utatur tanquàm cruciatu corporali ad probandum resurrectionem corporum. Et lib. de Pudicitiâ, cap. 22, allegat hunc textum ad probandum Paulum esse martyrem.

Obj. 5° auctoritatem S. Hieron., qui in 1 ad Cor. 15 ita scribit : « Hic bestias eos commemorat qui « Ephesi seditionem adversùs eum moverant propter « Dianæ idolum, cujus culturam prædicatione apostolicâ destruebat. Quòd autem manifestè constet bestias, cum quibus pugnavit Apostolus, adversarios « homines debere intelligi, idem in aliâ Epistolâ (sci- « licet 2 ad Timoth. 4) memorat, dicens : *Et liberatus sum de ore leonis;* in quo ostendit se sævitiam Neronis evasisse, quando primâ vice Romam « vinctus deductus est. » Item S. Thomas, in 1 ad Cor.

15, lect. 4, ait : « Sciendum quod legitur Act. 19, ubi « dicitur quòd cùm Paulus apud Ephesum multos con- « vertisset ad fidem, quidam concitaverunt contra « eum populum, in tantum quòd non esset ausus « exire in theatrum, et quòd multa pericula sit pas- « sus... *Pugnavi ad bestias*, id est, ad homines bestia- « liter viventes. » Ergo, juxta S. Hieron. et D. Thomam, per bestias intelliguntur homines efferi et intractabiles, nempe Demetrius Argentarius, ejusque socii.—Resp. : Neg. conseq., quia Commentaria quæ sub nomine S. Hieron. in Epist. 1 ad Cor. circumferuntur, non ejus, sed, quod magis mirum est, inquit Bellarminus, lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, Pelagii hæresiarchæ sunt. Idque probatur ex eo quòd auctor istorum Commentariorum in cap. 4 Epist. 1 ad Cor., habeat sententias manifestè Pelagianas. Ad auctoritatem verò D. Thomæ respondeo eum id nonnisi dubitanter asserere; siquidem post illa verba : *Multa pericula sit passus*, in textu sequitur : *Ergo* FORTÈ *facit hic de hoc mentionem, quia è vicino passus hoc fuerat;* ex quibus verbis, quæ in objectione omissa sunt, clarè patet quòd S. Thomas hanc rem sub dubio relinquat.

Cæterùm quòd per præfatam pugnam ad bestias non possit intelligi contentio cum Demetrio Argentario, manifestum videtur ex eo quòd hæc Epistola ante tumultum à Demetrio Argentario excitatum scripta fuerit, siquidem scripta fuit Ephesi, ut supra monstratum est; atqui post tumultum à Demetrio Argentario excitatum Paulus statim Epheso discessit; ergo, etc. Prob. min. ex Act. 20, v. 1, ubi dicitur : *Postquàm autem cessavit tumultus, vocatis Paulus discipulis, et exhortatus eos, valedixit, et profectus est ut iret in Macedoniam.*

Dices : Licèt post istum tumultum Paulus non potuerit hanc Epistolam scribere ex integro, potuit tamen illam absolvere, et scribere adhuc duo ultima capita; quo posito, nihil obstat quominùs per pugnam ad bestias intelligatur contentio cum Demetrio. —Resp. : Neg. ant.; nam, ut ex verbis Act. patet, Paulus tantùm exhortatus est discipulos, eisque valedixit, et sic Epheso discessit. Deinde, quamvis adhuc uno alterove die tunc Ephesi mansisse supponeretur, tamen tunc certò non scripsit duo ultima capita hujus Epistolæ; ergo, etc. Prob. ant. : Quando Paulus duo ultima capita scripsit, intendebat adhuc manere Ephesi, et quidem usque ad Pentecosten, prout patet ex cap. 16, v. 18, ubi dicit : *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten;* atqui post tumultum à Demetrio excitatum non intendebat ampliùs manere Ephesi, sed inde discedere volebat, uti ex Act. 20, v. 1, omninò manifestum est; ergo nequidem duo ultima capita scripsit post tumultum Demetrii Argentarii.

QUÆSTIO IV.

An v. 51 *præferenda sit lectio nostræ Vulgatæ lectioni Græcæ.*

Nota triplicem esse hujus versûs lectionem : una est nostræ Vulgatæ, et ita habet : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur;* altera est quorumdam Græcorum, qui sic legunt : *Omnes quidem dormiemus*, id est, moriemur, tam boni quàm mali, *sed non omnes immutabimur* : hoc autem proximè ad lectionem nostræ Vulgatæ accedit; si enim omnes resurgent, ex somno mortis resurgere debent; denique in quibusdam Græcis codicibus ita habetur : *Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur*, et ita legunt Theophylactus ac S. Chrysostomus, et interpretantur hoc modo : Nos electi non omnes moriemur; non enim illi quos secundus Christi adventus viventes deprehendet, morientur, sed tamen immutabuntur, quia, nullâ intercedente morte, induent dotes corporis gloriosi. Hoc notato,

Resp. et dico : Lectio nostræ Vulgatæ præferenda est isti lectioni Græcæ, quæ habet : *Omnes quidem non dormiemus*, etc.

Prob. 1°, quia ita constanter habuerunt omnes editiones, exceptis quibusdam Græcis; ergo potiùs adhærendum est nostræ Vulgatæ quàm istis Græcis, idque præsertim propterea quòd nostræ Vulgatæ standum velit concilium Tridentinum, sess. 4, decreto de canonicis Scripturis, saltem in iis quæ ad fidem vel mores pertinent; jam autem punctum de resurrectione corporum pertinet ad fidem vel mores; ergo.

Prob. 2°, quia ipsi codices Græci quondam variârunt, uti fatetur S. Hieron., epistolâ 152, ubi post longam disputationem ita concludit : « Hoc autem « sciendum quòd magis conveniat veritati ita legere : « *Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabi- « mur.* Si enim omnes sunt immutandi, juxta alteram « lectionem, quomodò postea dicitur, quasi præci- « puum atque privatum, et propriè apostolorum : *Et « nos immutabimur ?* » Ergo ex codicibus Græcis sciri non potest quænam sit genuina istius textûs lectio; adeòque debemus recurrere ad nostram Vulgatam, quandoquidem hæc à concilio Tridentino declarata sit authentica, qualiter non sunt declarati isti codices Græci, et ipsemet quoque S. Hieron. asserat magis convenire veritati ut adhæreamus isti lectioni Græcæ, quæ quoad sensum eadem est cum nostrâ Vulgatâ.

Prob. 3° : Ex istâ lectione Græcâ : *Omnes quidem non dormiemus*, etc., sequitur quòd non omnes homines sint morituri; atqui hoc est contra sensum totius Ecclesiæ, et contra Apostolum hic, v. 22, dicentem : *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*, id est, omnes electi resurgent, seu resuscitabuntur ad vitam spiritualem sive æternam, uti supra, quæst. 1 dictum est. Jam verò, nullus vivificabitur, seu resurget, nisi priùs moriatur, juxta id quod dicit Apostolus v. 36 : *Quod seminas, non vivificatur, nisi priùs moriatur.* Item præfata lectio est contra illud quod dicitur ad Hebr., 9, v. 27 : *Statutum est hominibus semel mori;* et Psal. 88 : *Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem ?* Ergo admitti nequit quòd illi electi quos secundus Christi adventus viventes deprehendet, non sint morituri, sed nullâ intercedente morte sint immutandi, seu induendi dotibus corporis gloriosi.

Nec dici potest cum OEcumenio istud : *Non dormiemus*, hoc modo debere accipi quòd isti electi qui vivent circa tempus judicii, non sint dormituri diuturnâ dormitione, quia tantùm brevi tempore mortui erunt. Nam *dormire* in Scripturâ non tantùm de longâ, sed etiam de brevi morte intelligitur. Unde de Lazaro mortuo, sed statim suscitando, dicit Christus, Joan. 11, v. 11 : *Lazarus amicus noster dormit.*

Prob. 4° ex S. P. Aug., qui Epist. 205 edit. Paris., exponens præcitatum Apostoli textum, etiam legit ut habet nostra Vulgata. Ita enim scribit, num. 14 : « *Omnes quidem resurgemus*, vel, sicut Græci codices « habent : *Omnes quidem dormiemus, non tamen omnes « immutabimur.* Hanc immutationem utrùm in dete- « rius an in melius intelligi voluerit, inferiora demon- « strant » nempe vers. 52, ubi dicitur : *Et nos immutabimur.* Ex quibus verbis infert S. doctor : *Ergo istam commutationem, in melius sine dubio oportet intelligi;* nempe quòd soli justi sint immutandi, in quantum scilicet habituri sunt quatuor dotes, quæ reddent corpora eorum gloriosa ; hæ autem dotes sunt impassibilitas, subtilitas, agilitas et claritas. Unde concludit S. Pater : « Proindè illi qui ad judicium « (id est, ad pœnam sempiternam) surrecturi sunt, « non commutabuntur in illam incorruptelam quæ « nec doloris corruptionem pati potest ; illa namque « fidelium est atque sanctorum ; isti verò perpetuâ « corruptione cruciabuntur, quia ignis eorum non « extinguetur. »

Prob. 5° ex S. Cyrillo Alexandrino, qui etiam ex Græco videtur legisse ut habet nostra Vulgata ; ita enim in hunc Pauli locum scribit : « Resurgent autem « indubiè omnium corpora, immortalitatis induta « gratiâ ; *at non omnes immutabuntur,* sed inhonori per- « manebunt impii, soli verò immutabuntur justi, « nimirùm ad immortalitatis commodum immutati, et « divinæ gloriæ indumento ditati. »

Obj. 1° cum Estio : Apostolus in hoc toto capite de solâ bonorum resurrectione agit ; ergo non potest legi : *Omnes quidem resurgemus*, quia tunc etiam ageret de resurrectione malorum. — Resp. eum præcipuè quidem agere de resurrectione bonorum, interserere tamen aliqua ad communem omnium resurrectionem pertinentia, ut est illud : *Omnes resurgemus*, et istud : *Mortui*, nimirùm omnes, *resurgent incorrupti*, eâ nempe incorruptione quæ denotat immortalitatem, non eâ quæ impassibilitatem et gloriam importat. Unde S. Aug. ad hæc ultima verba reflectens, Epist. supra cit., num. 15, rursùs ita scribit : « Omnes incorrupti resurgent, sed ex his etiam justi « immutabuntur in illam incorruptelam, cui omninò « nulla possit nocere corruptio ; ac per hoc qui in eam « non commutabuntur, incorrupti quidem resurgent « integritate membrorum, sed tamen corrumpendi « dolore pœnarum. »

Obj. 2° : Satis incongruum atque contra morem apostolici sermonis esse videtur ut de reprobis agens utatur verbo primæ personæ, quale est istud : *Non omnes immutabimur;* quare, si præcitato versu 51 etiam ageret de resurrectione reproborum, indubiè dixisset : *Omnes quidem resurgent, sed non omnes immutabuntur.* — Resp. : Neg. assumpt. ; nam dùm de bonis et malis simul disserere solet, in primâ personâ non rarò loquitur, ut Rom. 14, v. 10 ; *Omnes stabimus ante tribunal Christi ;* et 2 ad Cor. 5, v. 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi ;* unde, si Estius pro suâ opinione tantum præsidium quærat ex locutione in primâ personâ, facilè ex locutione in tertiâ personâ probari poterit quòd illud : *Mortui resurgent incorrupti*, non tantùm ad electos, sed etiam ad reprobos extendi debeat.

Obj. 3° : Juxta nostram Vulgatam, non videtur cohærere sermo : *Non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi,* etc. Oportet enim hyperbaton facere, ut illud : *Omnes quidem resurgemus*, referatur ad hanc partem locutionis : *In momento*, etc., sitque media parenthesis : *Sed non omnes immutabimur ;* atqui, secundùm lectionem Græcam, sermo optimè cohæret : *Omnes immutabimur. In momento*, etc. ; ergo lectio Græca videtur præferenda lectioni nostræ Vulgatæ. — Resp. nullum inconveniens esse in eo quòd hic fiat hyperbaton, siquidem hoc sæpè in Scripturâ contingit, et inter alia liquet ex Joan. 19, v. 5, ubi verba illa : *Exivit ergo Jesus*, etc., sunt parenthesi inclusa. Imò simile hyperbaton, seu parenthesim hic fieri debere, eruitur ex ratione quæ illis verbis : *In momento, in ictu oculi*, etc., additur : *Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti ; et nos immutabimur.*

Obj. 4° : Lectio Græca magis consonare videtur eis quæ Apostolus scribit 1 ad Thessalonic. 4, v. 14, ubi in personâ justorum qui superstites erunt tempore extremi judicii ita loquitur : *Nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini non prævenietmus eos, qui dormierunt ;* etenim Apostolus hoc loco aliquos recenset qui non dormient, seu morientur, et tamen immutabuntur, ut ibidem patet ex versu 16 ubi dicitur : *Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviàm Christo in aera*, etc. — Resp. : Neg. assumpt., quia et illi etiam reverà dormient, seu morientur, vel in ipso raptu cum Christo in aera, ut insinuat S. P. Aug., lib. 20 de Civ. Dei, cap. 20 ; vel parùm ante raptum per ignem conflagrationis, ut docet S. Thomas, Supplem. quæst. 74. Dicuntur tamen viventes, quia modicissimo tempore erunt mortui, quod quasi pro nihilo reputatur ; aut etiam dicuntur viventes, quia vivent circa tempus extremi judicii.

Objici quoque hic rursùs posset auctoritas S. Hieron., qui in hoc Pauli caput dicit lectionem illam Græcam : *Omnes quidem non dormiemus*, etc., *magis quadrare ad sensum Apostoli.* Sed jam supra, quæst. præced., diximus ista commentaria in Epist. 1 ad Cor., quæ sub nomine S. Hieron. circumferuntur, verè non esse ipsius.

IN EPISTOLAM II AD CORINTHIOS Dilucidatio.

QUÆSTIO PRIMA.

Quâ de causâ Apostolus hanc secundam Epistolam scripserit.

Sanctus Chrysostomus in cap. 1 tres affert rationes propter quas Apostolus hanc Epistolam scripsit : prima est, quia cùm in priori Epistolâ, cap. 16, promisisset se ad Corinthios venturum, dùm transisset Macedoniam, quod tamen tunc facere non potuerat, imò quod jam adhuc facere non poterat, eò quòd Spiritus sanctus in aliis negotiis magis necessariis ipsum retineret, debuit scribere hanc secundam Epistolam, ut significaret se non proprio nutu, sed ex Dei ordinatione adventum suum distulisse. *Hâc confidentiâ*, inquit cap. 1, v. 15, *volui priùs venire ad vos...*; v. 17 : *Cùm ergo hoc voluissem, numquid levitate usus sum? Aut quæ cogito, secundùm carnem cogito, ut sit apud me* EST *et* NON? etc. Secunda ratio est ut illos consolaretur, quos salutari tristitiâ et dolore affecerat. Cùm enim audivisset Corinthios, et ipsum etiam incestuosum ad meliorem frugem reversos, pœnitentiam egisse, ipsis non solùm lenioribus verbis abblanditur, sed etiam ipsummet incestuosum ab ulteriori pœnitentiâ absolvit. *Sufficit illi*, inquit cap. 2, v. 6, *qui ejusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus; ita ut è contrario magis donetis et consolemini, ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est.* Tertia ratio est : Cùm aliqui pseudoapostoli, Pauli æmuli, ipsius gloriam apud Corinthios deprimerent, dicerentque ejus Epistolas graves, præsentiam verò corporis infirmam, ipsumque, ait Chrysostomus, ut vanum et arrogantem, nullius que pretii hominem, in odium atque invidiam vocarent, coactus est Apostolus suum ministerium et apostolatum commendare, scribens, cap. 2, v. 17 : *Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut et ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.* Deinde enarrat quanta passus sit pro disseminando Evangelio; quot pericula subierit, quot regiones peragraverit, etc. Denique, postquàm Corinthiis gratulatus fuisset, eisque gratias egisset, quòd contulissent eleemosynas pro sublevandis pauperibus fidelibus in Judæâ, et quia benignè susceperant Titum et alios discipulos, quos ad ipsos delegaverat, tandem acriter invehitur in pseudoapostolos, ejus ministerio detrahentes, et in ipsorum sectatores, eos admonens ut sedulò resipiscant, ne, dùm ad ipsos veniet, eos puniat. *Prædixi*, inquit cap. 13, v. 2, *et prædico, ut præsens et nunc absens, iis qui ante peccaverunt, et cæteris omnibus, quoniam si venero iterùm, non parcam*; adeòque tota ferè hæc Epistola est encomium et apologia apostolatûs Pauli.

Petes ex quo Paulus didicerit statum Corinthiorum, et undenam hæc Epistola scripta sit? — Resp. : Ex Tito; cùm enim Paulus Epheso fuisset expulsus per tumultum Demetrii Argentarii, Act. 20, v. 1, instituebat suum iter, ut per Macedoniam iret Corinthum, sicut ipsis promiserat 1 ad Cor. 16, v. 5. Venit autem Troadem, in urbem Phrygiæ Minoris, ubi putabat invenire Titum, 2 ad Cor. 2, v. 12, ut ab ipso intelligeret quid prima Epistola esset operata; sed ibi non invento Tito, trajecit in Macedoniam, tuncque Corintho ad eum venit Titus, ut dicitur cap. 7, v. 5 et 6. Igitur à Tito edoctus de statu Corinthiorum, scripsit hanc Epistolam, et per Titum misit.

QUÆSTIO II.

Quænam fuerit Asiana persecutio, de quâ agitur cap. 1, v. 8.

Loco citato, dicit Apostolus : *Non volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostrâ, quæ facta est in Asiâ, quoniam supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere.* Cajetanus putat hanc esse aliquam afflictionem, de quâ in nullo alio Scripturæ loco fit mentio. Theophylactus et Œcumenius existimant esse eam quæ refertur Epist. 1, cap. 16, v. 9, ubi Paulus dicit : *Ostium mihi apertum est magnum et evidens, et adversarii multi.* Sed hæc opinio non est satis vero similis; nam Apostolus refert hanc afflictionem tanquàm recentem, et Corinthiis hucusque incognitam, siquidem id clarè insinuant illa verba : *Nolumus vos ignorare;* unde nec etiam est ista afflictio de quâ Epist. 1, cap. 15, dicit : *Si ad bestias pugnavi Ephesi*, sive eædem fuerint illæ bestiæ cum illis adversariis, sive non, inquit Estius. Itaque

Resp. et dico : Probabilius videtur quòd afflictio seu persecutio de quâ hic Paulus facit mentionem, fuerit tumultus quem adversùs eum excitavit Demetrius Argentarius, Act. 19, v. 28. Ita Theodoretus, D. Thomas et alii communiter.

Probatur, quia, etsi ista afflictio non admodùm diuturna fuerit, gravissima tamen fuit, et periculi plena; ita ut ei verè competant omnia quæ hìc à Paulo dicuntur, siquidem, ut ex Act. 19 satis clarè patet, Apostolus tunc in tanto periculo mortis fuit, ut verè potuerit hìc, v. 19, dicere : *Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus.* Id est, pressura tanta fuit, ut non aliud mihi loqui videretur, quàm mortem instantem : vel, ut ego ipse mihi in animo non aliud loquerer aut cogitarem, quàm mihi moriendum esse.

Porrò istam afflictionem hìc commemorat, non ut adventûs sui tarditatem excuset (nam propter istum tumultum seu afflictionem statim discedere coactus

fuit, ut liquet Act. 20, v. 1), sed ut hâc tanti periculi sui narratione benevolentiam Corinthiorum sibi conciliet, quemadmodùm annotavit S. Thomas : et simul etiam ut ad gratiarum actionem pro beneficio suæ liberationis Deo reddendam eos excitet. Ista Estius.

Petes, quomodò hìc Apostolus afferat se fuisse gravatum supra modum, cùm, Epist. 1 cap. 10, dicat : *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* — Resp. Apostolum hìc non dicere quod supra vires tentatus fuerit, sed gravatus; ita nimirùm, ut afflictio major viribus fuerit, non tentatio. Tunc afflictio vires excedit, quando suî magnitudine hominem opprimit et quasi extinguit, etiamsi animus patientiam non amittat.

QUÆSTIO III.

Quid cap. 5, v. 1, intelligatur per domum terrestrem, et quid per domum non manufactam.

Resp. et dico 1° : Per domum terrestrem intelligitur corpus nostrum mortale. Hoc autem vocatur *domus nostra*, quia secundùm animam nos in eo habitamus, est enim corpus nostrum animæ veluti domicilium. Vocatur verò *domus terrestris*, quia est ex terrâ formatum, et in terrâ inhabitatur. Additur : *Hujus habitationis*, quia in eâdem domo, seu corpore, habitat anima nostra in hâc vitâ mortali. Græcè tamen, *hujus tabernaculi*; id est, quæ domus est instar tabernaculi, quod pauco solùm tempore erigi solet à militibus ad brevem moram in campis. Quo significatur brevitas vitæ mortalis : unde 2 Petri 1, v. 13 : *Quamdiù sum in hoc tabernaculo*, id est, in corpore brevi morituro.

Dico 2° : Per domum non manufactam intelligitur corpus gloriosum, quale post generalem resurrectionem sumus habituri in cœlis. Ita intelligit Tertull., lib. de Resurrect. carnis, cap. 41, dicens hìc nobis *repromitti meliorem domum per resurrectionem.* Item S. P. Aug., Enarratione in psal. 68, per domum non manufactam et æternam in cœlis, de quâ hìc loquitur Apostolus, intelligit *immortalitatem præparatam nobis, quâ induendi sumus in fine, cùm resurrexerimus à mortuis.* Præterea id eruitur ex toto contextu ; excitat enim Apostolus ad mortificationis ac passionis corporalis tolerantiam per spem resurrectionis, in quâ recipiemus corpus gloriosum. Deinde hæc expositio etiam quàm plurimùm congruit cum iis quæ Epist. 1, cap. 15, dicta sunt. Ut enim illìc homini terreno opponitur homo cœlestis, ita hic terrestri domui domus cœlestis ; et quemadmodùm illìc corruptio opponitur incorruptioni, ita hìc dissolutio sive destructio æternitati. Rursùm, ut illìc fit mentio indumenti, cùm dicitur : *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem*, ita et hìc, v. 2, dicitur : *Superindui cupientes;* et iterùm, v. 4 : *Nolumus expoliari, sed supervestiri.* Denique, sicut illìc *mors* secundùm prophetiam Oseæ, 13, v. 14, *absorbenda* dicitur *in victoriâ*, ita hìc dicitur : *Ut absorbeatur quod mortale est, à vitâ.*

His omnibus accedit quòd Apostolus, in Epist. ad Heb. 9, Christi corpus, quod divinâ virtute formatum est ex utero Virginis, vocet *tabernaculum non manufactum;* de quo et ipse Christus dixerat, Joan. 2 : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Quare et hoc loco per domum non manufactam, quæ nobis ad similitudinem Christi promittitur, nihil convenientius accipitur quàm corpus resurrectione glorificandum. Dicitur autem corpus illud *domus non manufacta*, quia non opere humano, sed opere divino per quatuor dotes fiet gloriosum.

Dices : Ipsa gloria in quam post hanc vitam intrat anima beata, dici potest animæ domus; sic enim dixit Christus, Matth. 25, v. 23 : *Intra in gaudium Domini tui;* ergo per domum non manufactam non intelligitur corpus gloriosum, sed æterna beatitudo. — Resp. : Neg. ant. et conseq., quia loco citato per τὸ *Intra* non significatur quòd æterna beatitudo sit domus animæ post hanc vitam, sed tantùm insinuatur quòd anima beata fiat ejusdem gaudii particeps cum Domino suo, et consequenter ejusdem possessor regni, gloriæ et affluentiæ; nam gaudium est quies animi de possesso bono. Ita exponit S. Chrysost. Vel dicitur : *Intra*, quia intùs in animo est magnum penetrale, et dulce secretum, sine tædio, sine amaritudine multarum cogitationum, sine interpellatione tentationum ac dolorum, ubi de isto intimo secretissimoque bono gaudetur, ut observat S. P. August., tract. 25 in Joan.

Inst. : Apostolus, v. 1, dicit : *Ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis*, nempe statim post hujus terreni domicilii dissolutionem ; atqui de corpore immortali et glorioso, quod post longum tempus expectatur, non satis aptè dici potest : *Habemus*, sed dici debet : *Habebimus;* ergo per domum non manufactam necessariò intelligi debet æterna beatitudo quam animæ justorum, quibus nihil expiandum restat, statim consequuntur post hanc vitam. — Resp. : Neg. min ; nam de eo quod certò nos habituros novimus, non ineptè dicitur id nos habere. Sic, Joan. 3, v. 36, dixit Joannes Baptista : *Qui credit in Filium, habet vitam æternam;* et ipse Dominus de se, Joan. 5 : *Qui verbum meum audit, habet vitam æternam;* item, cap. 6 : *Qui credit in me, habet vitam æternam;* et iterùm, ibidem : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Similiter etiam loquitur Joannes apostolus in suâ Epist., cap. 5, dicens : *Vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.* Nec insuetus est, ait Estius, etiam vulgo hujusmodi sermo, præsertim si subintelligas *repositum, reservatum*, aut quid simile, quod hoc loco commodè potest subintelligi, propter illud quod sequitur, *in cœlis;* illùc enim verbum *habemus* referendum est. Ita S. Petrus, Epist. 1, cap. 1, dixit : *Hæreditatem incorruptibilem* nobis *conservatam in cœlis*, loquens de resurrectione corporum in novissimo tempore futurâ, cujus spem astruit ex resurrectione Christi.

Petes quid intelligatur per *jugum* quod prohibet Apostolus ducere cum infidelibus, dùm, cap. 6, v. 14,

dicit : *Nolite jugum ducere cum infidelibus.* — Resp. : Intelligitur ea societas ex quâ sequitur periculosa quædam necessitas communicandi in moribus et religione infidelium; vel, ut Græci interpretantur, jugum ducunt cum infidelibus, qui talem cum illis ineunt societatem, quâ fit ut ad partem illorum declinent, seu mores eorum et vitia sequantur, juxta illud psal. 105 : *Commixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum.* Cùm autem id maximè locum habeat in conjugiis, ideò nova cum infidelibus contrahere matrimonia hic quoque ex consequenti prohibetur. Dico *nova*, quia constat ex Epist. 1, cap. 7, quòd Apostolus non prohibeat fidelibus permanere in conjugio cum infidelibus ante contracto, quando infidelis absque religionis et pietatis injuriâ consentit cohabitare cum fideli.

QUÆSTIO IV.

Quis fuerit ille frater, cujus laus est in Evangelio.

Cap. 8, v. 18, dicit Paulus : *Misimus etiam cum illo* (Tito) *fratrem, cujus laus est in Evangelio.* Quis fuerit hic frater, ab Evangelii laude tantoperè commendatus, non omninò certum est, siquidem desuper diversæ sunt opiniones. Baronius, Estius et nonnulli alii putant fratrem illum fuisse Silam ; Theodoretus dicit fuisse Barnabam; S. Hieron., lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, et Præfat. in Matth., item in Epist. ad Philemonem, asserit fuisse S. Lucam; et hoc posterius videtur plausibilius, atque

Prob. 1°, quia, antequàm Paulus scriberet hanc Epistolam, Barnabas modò diù ab ipso discesserat, assumpto secum Joanne Marco, Act. 15, v. 39 ; nec legitur unquàm ampliùs postea Paulo unitus fuisse.

Prob. 2°, quia misit illum fratrem cum Tito, tanquàm ejus socium et aliquo modo inferiorem. Non est autem ullo modo vero simile quòd Paulus tantam auctoritatem sumpsisset in Barnabam ; sed nec etiam in Silam, quia hic videtur in Ecclesiâ fuisse plurimùm æstimatus, et quidem pluris tunc quàm Titus. Deinde Silas erat tunc separatus à Paulo, Act. 18, v. 18; nec invenitur illi postea ampliùs conjunctus. Cùm igitur frater ille neque fuerit Barnabas neque Silas, nihil plausibilius videtur quàm ut dicamus fuisse Lucam, qui post Barnabam individuus socius fuit peregrinationis S. Pauli.

Prob. 3° ex S. Chrysost., qui licèt, hom. 18 in Epist. 2 ad Cor., agens de illo fratre, fluctuet inter Lucam et Barnabam, tamen, hom. 10 in Epist. 2 ad Timoth., disertè asserit fuisse Lucam. Nam ad illa Pauli verba, cap. 4 : *Lucas est mecum solus*, ita scribit : *Is.... qui et Evangelium scripsit et apostolorum Actus... de quo alio in loco ait* : CUJUS LAUS EST IN EVANGELIO. Hæc sententia etiam non leviter confirmatur ex testimonio S. Ignatii Martyris, qui in Epist. ad Ephesios de Lucâ verbis Apostoli ait : *Cujus laus est in Evangelio.*

Obj. 1° : Illo anno, quo Paulus scripsit hanc Epistolam, Lucas nondùm scripserat suum Evangelium; ergo laus ejus nondùm poterat esse in Evangelio. — Resp. : Neg. ant.; nam à tempore quo Troade, Act. 16, v. 10, cœpit adhærere Paulo, usque ad annum quo Apostolus scripsit hanc Epistolam, secundùm chronologiam historiæ apostolorum, quam supra proposuimus, fluxerunt anni septem, et juxta computum Adrichomii, fluxerunt ad minus quatuor, quo tempore potuit Evangelium suum scribere. Deinde laus ejus non necessariò debuit esse in Evangelio scripto, sed potuit etiam esse in Evangelio ab ipso prædicato.

Obj. 2° : Apostolus de isto fratre, v. 19, addit : *Non solùm autem* (habet laudem v. 18 memoratam), *sed et ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ;* atqui non Lucas, sed Barnabas, Act. 13, v. 2, et Silas, Act. 15, v. 40, ordinati sunt comites Pauli; ergo per istum fratrem oportet intelligere Barnabam aut Silam. — Resp. : Neg. conseq., quia Barnabas non fuit ordinatus (id est, destinatus ad prædicandum Evangelium) ab Ecclesiis, sed à Spiritu sancto ; Silas verò nullibi legitur ab Ecclesiis ordinatus, sed tantùm simpliciter à Paulo *electus* in comitem. Lucas verò, quamvis hoc de se ipso non scribat, potuit tamen ordinari in comitem, quando Paulus cum ipso tertiâ vice ascendit Jerosolymam, et deinde ascendit Antiochiam Syriæ, Act. 18, v. 22 : nam videtur Apostolus hic loqui de novâ quâdam ordinatione Corinthiis incognitâ, et factâ post discessum ejus Corintho cum Lucâ, Act. 18, v. 18.

De alio fratre, quem Paulus, v. 22, dicit se cum Tito et Lucâ misisse Corinthum, etiam hic inquiri posset qualis iste fuerit; sed optimè dicitur cum Fromondo quòd hoc sit omninò incertum.

QUÆSTIO V.

Quomodò Paulus raptus fuerit in tertium cœlum.

Paulus volens ostendere præeminentiam suæ dignitatis quantùm ad bona divinitùs recepta, cap. 12 describit excellentissimam revelationem quondam sibi factam, et dicit v. 2 : *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum.* Tempus hujus revelationis, seu raptûs, juxta S. Chrysostomum, Paulus hic annotare voluit, ut significaret se, qui tamdiù rem tacitam, et occultam tenuerat, ne tunc quidem, quando hanc Epistolam scribebat, prodituram fuisse, nisi maxima necessitas ipsum ad hoc compulisset. Putat autem S. Thomas raptum Pauli, qui hic commemoratur, contigisse eodem anno, quo, Act. 9, propè Damascum ad Christi fidem conversus est. Etenim, lect. 1 in cap. 12 Epist. 2 ad Cor., ita scribit : « Quatuordecim anni transacti « erant ab eo tempore, quo viderat visionem, usque « ad tempus, quo scripsit hanc Epistolam. Quando « enim hanc Epistolam scripsit, nondùm Apostolus « erat positus in carcerem. Et sic videtur quòd fuit « circa principium imperii Neronis, à quo post multum « tempus occisus fuit. Unde, si computemus annos « descendentes à principio imperii Neronis usque ad « quatuordecim annos, manifestè apparet quòd Apo« stolus habuit has visiones in principio suæ conver« sionis. Ipse enim conversus fuit ad Christum annô

« quo Christus passus est. Christus autem passus est « circa finem Tiberii Cæsaris, quo mortuo, successit « ei Caius imperator, qui vixit quatuor annis, post « quem Nero factus est imperator. Et sic inter Tibe- « rium et Neronem fluxerunt quatuor anni. Et sic, « additis duobus annis de tempore Tiberii, quia non- « dùm mortuus erat quando Paulus fuit conversus, et « octo de tempore Neronis, quod fluxerat usque ad « tempus quando scripsit hanc Epistolam, relinquitur « quod à tempore suæ conversionis usque ad tempus « quo hanc Epistolam scripsit, fuerunt anni quatuor- « decim. Et ideò quidam dicunt satis probabiliter quòd « Apostolus has visiones habuit in illo triduo quo post « prostrationem suam à Domino stetit, neque videns, « neque manducans, neque bibens, Act. 9. » Attamen, salvâ auctoritate doctoris Angelici, hic modus computandi præfatos quatuordecim annos non videtur subsistere, primò, quia dicit quòd Tiberius tantùm vixerit duobus annis post annum mortis Christi; et tamen modò ex omnium chronologorum mente certum est quòd Tiberius, etiam juxta illam sententiam, quæ asserit Christum mortuum esse anno 33 æræ vulgaris, vixerit quatuor annis post mortem Christi, siquidem iste imperator mortuus est anno 37 æræ vulgaris; secundò, quia inter Caium Caligulam et Neronem omittit annos Claudii, qui, ut modò apud omnes manifestum est, imperavit 14 annis.

Cùm igitur, ut ante suo loco dictum est, Epistola secunda ad Corinthios scripta sit anno 58, sequitur quòd raptus Pauli usque ad tertium cœlum, de quo hic agitur, contigerit anno 43, aut, si mavis, anno 44 æræ vulgaris; ac consequenter non in principio imperii Neronis, sed in principio imperii Claudii Paulus usque ad tertium cœlum raptus fuit.

Circa modum quo Apostolus usque ad tertium cœlum, id est, usque ad cœlum empyreum, raptus fuit, inter se non conveniunt interpretes. Dubium autem oritur ex eo quòd Paulus dicat se ignorare utrùm simul cum corpore fuerit raptus ad tertium cœlum; an verò sola anima Pauli, corpore in terrâ relicto, rapta fuerit. Et quidem quòd sola anima, corpore in terrâ relicto, rapta fuerit, teste Estio, sustinent Ambrosiaster et S. Chrysostomus. Imò et Patres concilii Ancyrani, ut addit interpres mox citatus, cap. ult., maleficarum muliercularum errorem, existimantium se cum suis corporibus multa terrarum spatia nocturno tempore pertransire, cùm id tantùm in phantasiâ per dæmonum illusionem patiantur, hoc argumento inter alia refellunt, quòd nec ipse Paulus audeat dicere se raptum cum corpore.

Resp. et dico : Paulus non secundùm corpus, sed secundùm animam duntaxat videtur raptus fuisse usque ad tertium cœlum.

Prob. 1°, quia, juxta D. Thomam, 2-2, q. 175, a. 1, 0, raptus in eo consistit quòd *aliquis Spiritu divino elevetur ad aliqua supernaturalia cum abstractione à sensibus, secundùm illud Ezechielis* 8 : « *Spiritus ele-* « *vavit me inter cœlum et terram, et adduxit me in* « *Hierusalem in visione Dei.* » Unde sicut corpus grave dicitur rapi, cùm sursùm elevatur extra locum naturalem, ita anima rapitur, quando extra phantasmata, à quibus naturalis ejus cognitio quodammodò dependet, elevatur, ut modo angelico intelligat independenter à sensibus, seu phantasmatibus. Atqui ad hoc minimè necessarium est ut corpus rapiatur; ergo Paulus secundùm animam duntaxat raptus fuisse videtur.

Prob. 2° : Si Paulus secundùm corpus raptus fuerit in cœlum empyreum, vel in illo raptu sensibus corporeis uti potuit, vel non; si potuit, haud dubiè usus fuit ad cognoscenda quæ illic erant; vidisset ergo Christum oculis corporeis, et loquentem auribus corporeis audivisset. Nec sanè ignorare potuisset se sensibus corporeis ad hujusmodi actiones usum fuisse; atqui tamen fatetur se nescire utrùm tunc in corpore vel extra corpus fuerit. Si autem sensibus corporeis uti non potuit, supervacaneum erat corpus ejus eòsque rapi. Ergo non fuit simul cum corpore raptus usque ad tertium cœlum.

Obj. 1° : Anima Pauli verè et realiter rapta fuit in cœlum, nam in textu Græco loco *raptus* habetur *abreptus;* atqui tempore raptûs non videtur anima separata fuisse à corpore, ut ex infra dicendis patebit; ergo cùm anima è terrâ in cœlum abrepta fuerit; sequitur quòd etiam corpus illùc raptum fuerit. — Resp. : Neg. maj.; nam, licèt anima hic in terrâ manserit unita corpori, tamen rectè dicitur rapta usque ad tertium cœlum, seu in paradisum, quia raptu exstatico et intellectuali à Deo elevata erat ad cognitionem et contemplationem cœlestium, sublimium ac ineffabilium mysteriorum. Unde, quamvis secundùm substantiam esset in terrâ, secundùm cognitionem tamen erat in cœlo, eodem ferè modo quo angeli, hominum in terrâ custodes, *semper in cœlis vident faciem Patris*, Matth. 18. Dicitur autem Paulus juxta textum Græcum *abreptus*, quia eo tempore cognitio ac contemplatio ejus omninò abrepta erat à sensibus corporeis.

Obj. 2° : Paulus dubitat an anima rapta sit cum corpore, an sine corpore; ergo eam verè et realiter raptam præsupponit; nam in visione exstaticâ et intellectuali nullum est dubium, sed certum, non corpus, sed animam solam per cognitionem rapi. — Resp. : Neg. ant.; nam non dubitat an corpus cum animâ raptum fuerit necne, sed dicit se nescire utrùm anima in raptu illo intellectuali à corpore separata, an verò ei unita fuerit, prout observat S. P. Aug., lib. 12, de Gen. ad litt., cap. 5, dicens : « Hoc ipsum eum « intelligamus ignorâsse, utrùm quando in tertium « cœlum raptus est, in corpore fuerit, quomodò est « anima in corpore, cùm corpus vivere dicitur, sive « vigilantis, sive dormientis, sive in exstasi à sensibus « corporis alienata; an omninò de corpore exierit, « ut mortuum corpus jaceret, donec peractâ illâ de- « monstratione membris mortuis anima redderetur, « et non quasi dormiens evigilaret, aut exstasi aliena- « tus denuò rediret in sensus, sed mortuus omninò « revivisceret. » Hoc itaque Paulus dixit se nescire,

utrùm anima, utpotè in raptu à corpore prorsùs alienata, *omninò mortuum corpus reliquerit, an secundùm modum quemdam viventis corporis ibi anima fuerit, sed mens ejus ad videnda vel audienda ineffabilia illius visionis arrepta sit*, inquit S. Aug., loco citato. Cæterùm, licèt non sit certum quòd anima Pauli tempore raptûs in corpore manserit, tamen probabilius videtur eam illo tempore corpori conjunctam mansisse, uti docet S. Thomas, 2-2, q. 175, a. 5 et 6; et ratio hujus est quòd alioquin Paulus tunc fuisset mortuus, siquidem mors hominis non aliud est quàm separatio animæ à corpore, ac proinde ulteriùs fatendum est quòd anima post raptum ad corpus redierit, et Paulus à mortuis suscitatus fuerit, et deinde iterùm postea, nempe tempore martyrii sui mortuus fuerit. Jam verò cùm ad raptum, qui fit per cognitionem intellectûs, non requiratur ut dissolvatur vinculum animæ ac corporis, et etiam ex Scripturâ probari nequeat quòd tempore raptûs anima Pauli à corpore separata fuerit, verius est quòd ei conjuncta manserit.

Obj. 3° : Paulus tempore raptûs sui revera *audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui;* atqui verba illa audire non potuisset, nisi simul cum corpore in cœlum raptus fuisset, siquidem nemo audire potest, nisi mediantibus sensibus corporeis ; ergo, etc. — Resp. : Neg. min., quia verba illa non audivit auribus corporalibus, sed auditu spirituali, id est, intellectu percepit ; nam omnia quæ homo mediantibus sensibus percipit, angeli et anima separata aut extatica solo intellectu percipiunt, qui est illis et visus et auditus, etc. Dixit autem Apostolus potiùs *audivit* quàm *vidit* res arcanas, quia de illis instructus fuit ab alio, inquit S. Thomas; homines autem instrui solent per auditum, qui est sensus disciplinæ. Porrò quænam fuerint illa arcana verba, seu res inexplicabiles, quæ Paulus tempore raptûs sui audivit, prorsùs incertum est, quia ea nec in hâc Epistolâ, nec in aliis ulli homini intimare aut nota facere voluit.

Petes 1° an raptus Pauli in paradisum sit diversus à raptu ejus usque ad tertium cœlum. — Resp. negativè; et ratio hujus est quòd communis Ecclesiæ sensus post Christi in cœlos ascensionem non alium agnoscat paradisum, ad quem fidelium vota suspirant, quàm patriam cœlestem seu locum beatorum. Unde et Lucæ 23, v. 13, dùm Dominus dicit bono latroni : *Hodiè mecum eris in paradiso*, paradisus pro loco beatorum accipitur. Non est tamen negandum, ait Estius, quamdam rationis diversitatem in diversis vocabulis Apostolum significare voluisse, quam S. Thomas et Cajetanus ita explicant, ut dicere voluerit Apostolus se raptum fuisse non solùm secundùm vim intellectivam ad cognoscendum quædam sublimia mysteria, quæ insinuantur per tertium cœlum, verùm secundùm voluntatem, ad percipiendum ex hujusmodi cognitione specialem quamdam et ineffabilem suavitatem, quod intelligitur nomine paradisi; nam paradisus significat hortum amœnitatis ac voluptatis.

Dices : Paulus clarè insinuat se plures habuisse revelationes, ut patet ex v. 1, ubi ait : *Veniam ad visiones et revelationes Domini;* ergo raptus in paradisum videtur esse distinctus à raptu in tertium cœlum — Resp. : Neg. conseq., quia, cùm tempore raptûs ipsi plurima revelata fuerint sublimia et inscrutabilia mysteria, ideò potiùs in plurali dixit : *Veniam ad visiones*, quàm in singulari : *Veniam ad visionem et revelationem.*

Petes 2° quis sit sensus verborum v. 11, ubi dicit Apostolus : *Factus sum insipiens.* — Resp. esse hunc : Gloriando ac meipsum laudando factus sum quasi insipiens. Unde tum hoc loco, tum cap. 11, v. 1, ubi dicit : *Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ!* non significat quòd vera sit insipientia sic gloriari, quomodò ipse gloriari intendit, ut propterea sustinendus esset tanquàm rem stultam faciens; sed quia gloriari et laudare seipsum, vulgò judicatur esse opus hominis insipientis ac vani; estque reverà tale, nisi justa aliqua necessitas excuset, sicut hìc excusabat respectu Pauli. Unde et subdit : *Vos me coegistis*, id est, vestra causa me compulit ad hanc quasi insipientiam. Etenim quia minorem quàm par erat de me opinionem habuistis, et magis pseudoapostolis, hostibus meis, quàm mihi credidistis, coegistis me ad hanc laudem, ut scilicet per illam, opinionem et auctoritatem meam apud vos reciperem.

QUÆSTIO VI.

An Paulus ter iverit Corinthum.

Cap. 12, v. 14 : *Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos.* Ex his verbis, uti ex illis quæ habentur cap. seq., v. 1 : *Ecce tertio hoc venio ad vos*, Baronius ad annum 58, num. 44, concludit apostolum Paulum ter venisse Corinthum. Attamen contraria opinio, quæ asserit Paulum tantùm bis fuisse Corinthi, est multò plausibilior ac vero similior, primò, quia S. Lucas in Actibus apostolorum tantùm describit duos Pauli adventus ad Corinthios, nempe unum cap. 18, et alterum indicat cap. 20, dicens Paulum venisse in Græciam, et tres menses ibi mansisse; ubi per Græciam etiam intelligit Achaiam, in quâ est Corinthus. Hic autem adventus posterior fuit hâc secundâ ad Corinthios Epistolâ, et *in eâ promissus*, ut *liquet* ex cap. 10, 12 et 13; secundò, quia Apostolus, dùm cap. 1 hujus Epistolæ, v. 15, ait se voluisse venire ad Corinthios, *ut secundam gratiam* haberent, hoc est, ut ex adventu ejus secundum spirituale beneficium acciperent, satis clarè insinuat se ante illud tempus semel tantùm Corinthiis adfuisse. Ergo adventus ejus, de quo hìc et cap. seq. agitur, non est tertius, sed tantùm secundus; tertiò, quia hæc est aperta sententia S. Thomæ, qui quod hìc insinuari videtur de tertio adventu, interpretatur et exponit quòd Paulus verè ter paratus fuerit adire Corinthios, sed tantùm bis adierit : primò enim paratus fuit, et adiit, quando eos convertit ad Christum; secundò paratus fuit, et non adiit, quia fuit impeditus, quâ de re excusat se cap. 1 hujus Epistolæ. Nunc autem tertiò paratus est, et post scriptam hanc Epistolam ipsos adiit. Itaque bis ivit Corinthum, et ter paratus fuit ire.

Hæc D. Thomæ interpretatio planè etiam consonat cum illis verbis Apostoli, quæ habentur cap. 1, v. 15 : *Volui priùs venire ad vos, ut secundam gratiam haberetis, et per vos transire in Macedoniam, et iterùm à Macedoniâ venire ad vos;* etenim hæc verba clarè insinuant secundum et tertium adventum Apostoli fuisse in voluntate et præparatione, licèt secundus propter impedimentum non fuerit in executione. Nec refert quòd cap. 13, v. 1, dicat : *Ecce tertio hoc venio ad vos*, quia τὸ *venio* idem denotat ac *venire propono*, seu *conor;* et sic non actum perfectum, sed inchoatum significat, quemadmodùm illud ad Rom. 2, v. 4 : *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*, id est, adducere conatur.

Petes de quâ fide loquatur Apostolus cap. 13, v. 5, dicens : *Vosmetipsos tentate*, seu explorate, *si estis in fide; ipsi vos probate.* — Resp. quòd non videatur loqui de fide quæ omnibus Christianis est communis, et à charitate separari potest, primò, quia scire poterant Corinthii sine novâ probatione se talem fidem habere : siquidem, ut testatur S. P. Aug., lib. 13 de Trinit. cap. 1, fideles habent certissimam scientiam fidei quæ in ipsis est. Et D. Thomas in hunc Pauli locum scribens, affirmat nos scire quòd teneamus fidem quam Ecclesia catholica ac docet tenet. Item 1-2, q. 112, a. 5, ad 2 : *Quisquis*, inquit, *habet fidem, certus est se eam habere;* secundò, quia per hujusmodi fidem non continuò Christus in nobis est : nam, juxta consuetam Scripturæ phrasim, Christus tantùm in eis esse dicitur, qui habent fidem vivam, quæ conjuncta est cum charitate habituali et gratiâ sanctificante. Quocirca vel de fide quæ per dilectionem operatur loquitur Apostolus; hanc enim ut humanâ quâdam et conjecturali certitudine quisque se habere sciat, explorare ac probare seipsum debet ex bonis operibus et exercitio virtutum. Qui sensus satis congruit scopo Apostoli; reprehendit enim hic Corinthios non de infidelitate, sed de malis operibus. Vel certè, secundùm multorum expositionem, loquitur de fide miraculorum efficaci, et cum dono prophetiæ ac linguarum conjunctâ ; quæ fides signum esse solet Christi habitantis in eo fidelium cœtu, in quo ipsa viget. Sic enim et alibi gratiam miraculorum Apostolus assumit tanquàm signum accepti Spiritûs sancti, ut ad Galat. 3, cùm v. 5 ait : *Qui ergo tribuit vobis Spiritum, et operatur virtutes in vobis.*

IN EPISTOLAM AD GALATAS Dilucidatio.

QUÆSTIO PROŒMIALIS.

Quâ de causâ scripserit Apostolus ad Galatas.

Resp. : Aliqui pseudoapostoli adhuc judaizantes, Paulo infensi, perturbabant ecclesias quas ipse instituerat, dicentes Paulum non esse ferendum, nec illi ullam fidem adhibendam esse, utpote qui nunquàm fuerat discipulus Christi, sed tantùm discipulus apostolorum ; et quidem talis discipulus, qui ipsorum doctrinam nec intelligebat, nec fideliter referebat. Illi enim videntes quòd cæteri apostoli Judæis adhuc legalia indulgerent, imò quòd cum illis agentes legem adhuc observarent, et quòd Paulus è contrario doceret legis Mosaicæ observantiam esse prorsùs irritam et inutilem, putabant doctrinam Pauli à doctrinâ apostolorum esse diversam. His accedebat quòd ipse Petrus, apostolorum princeps, existens Antiochiæ, quæ erat civitas gentilium, non Judæorum, cùm illùc venissent aliqui fratres Jerosolymis à Jacobo apostolo missi, à cibis et mensâ gentilium sese de industriâ subtraxisset, quasi facto suo doceret ubique et sine distinctione à cibis lege prohibitis esse abstinendum, tanquàm observantia legis Mosaicæ esset simul cum Christi fide necessaria ad salutem. Igitur dicebant illi judaizantes : Magis audiendi sunt Petrus et alii discipuli quàm hic unicus, non Christi, sed tantùm apostolorum discipulus, utpote qui Christum in carne non vidit. Præterea hic solus est, illi verò multi et Ecclesiæ columnæ. His artibus ac calumniis effecerunt ut Galatæ, deposito respectu erga Paulum, crederent verè observantiam legis Mosaicæ esse necessariam ad salutem, ita ut sine illâ fides Christi non sufficeret.

Huic autem periculosissimæ doctrinæ, fidem Christi evacuanti, et à Galatis nimis avidè susceptæ occurrens Apostolus, hanc scripsit Epistolam, ut doctrinam ac famam suam vindicaret, et seductos Galatas ad veram fidem revocaret; atque in hunc finem probat se esse verum Christi apostolum, non minorem quàm alios, seque Christum in carne vidisse; deinde ostendit concordiam suæ doctrinæ cum doctrinâ apostolorum, ex collatione cum ipsis habitâ. Tum nervosissimè probat articulum justificationis per Christi gratiam et fidem, sine operibus legis Mosaicæ, cujus cæremonias et sacramenta ostendit non fuisse nisi egena elementa, dicitque se Petrum ob suum factum Antiochiæ reprehendisse.

Igitur « causa propter quam scribit Apostolus ad « Galatas, hæc est, ut intelligant gratiam Dei id secum « agere, ut sub lege jam non sint. Cùm enim prædi« cata esset eis Evangelii gratia, non defuerunt qui« dam ex circumcisione, quamvis Christiani nomine, « nondùm tamen tenentes ipsum gratiæ beneficium, « et adhuc volentes esse sub oneribus legis, quæ Do« minus Deus imposuerat, non justitiæ servientibus, « sed peccato; justam scilicet legem injustis homini« bus dando, ad demonstranda peccata eorum, non

« auferanda. Non enim aufert peccata nisi gratia Dei, « quæ per dilectionem operatur... Talis quidem quæ- « stio est et in Epistolâ ad Romanos. Verùmtamen « videtur aliquid interesse, quod ibi contentionem « ipsam dirimit, litemque componit quæ inter eos qui « ex Judæis, et eos qui ex gentibus crediderant, orta « est ; cùm illi tanquàm ex meritis operum legis sibi « redditum Evangelii præmium arbitrarentur, quod « præmium incircumcisis, tanquàm immeritis, nole- « bant dari ; illi contra Judæis se præferre gestirent, « tanquàm interfectoribus Domini. In hâc verò Epi- « stolâ ad eos scribit qui jam commoti erant auctoritate « illorum qui ex Judæis erant, et ad observationes « legis cogebant. Cœperant enim eis credere, tanquàm « Paulus apostolus non vera prædicâsset, quòd eos « circumcidi noluisset. Et ideò sic incipit : *Miror « quòd tam citò transferimini ab eo qui vos vocavit in « gratiam Christi, in aliud Evangelium.* Hoc ergo « exordio causæ quæstionem breviter insinuavit : « quanquàm et ipsâ salutatione, cùm se dicit aposto- « lum, non ab hominibus, neque per hominem (quod « in nullâ aliâ Epistolâ dixisse invenitur), satis osten- « dit et illos qui talia persuadebant non esse à Deo, « sed ab hominibus, et cæteris apostolis, quantùm ad « auctoritatem testimonii evangelici pertinet, imparem « se haberi non oportere, quandoquidem non ab ho- « minibus neque per hominem, sed per Jesum Chri- « stum et Deum Patrem se apostolum noverit. » Ita S. P. Aug., in Expositione Epistolæ ad Galatas.

Principalis igitur differentia inter materiam seu scopum hujus Epistolæ et istius ad Romanos hæc est, quòd in Epistolâ ad Romanos doceat gratiam Christi neque Judæis ex meritis operum legis Mosaicæ, neque gentilibus ex meritis operum legis naturæ datam fuisse ; adeòque in eâ rejicit tam opera naturæ quàm legis. Galatis verò inculcat legem Mosaicam cæremonialem non esse miscendam Evangelio, quia gratia Christi sufficit ad remissionem peccatorum; imò dicit quòd Christus ipsis nihil prodesset, si eam Evangelio miscerent, aut ad salutem necessariam esse crederent; ac consequenter in hâc Epistolâ ex professo tantùm rejicit opera legis, ut fidem Christi ac fidei opera stabiliat.

Licèt non omninò certum sit, quo tempore hæc Epistola scripta sit, tamen vero similior apparet sententia S. Chrysostomi, qui, Præfat. in Epist. Pauli, asserit eam scriptam esse ante Epistolam ad Romanos, quam anno 58 æræ vulgaris scriptam fuisse supra, suo loco, diximus. Ratio autem est quia Paulus, anno 54, *facto* Antiochiæ *aliquanto tempore, profectus est perambulans ex ordine Galaticam regionem*, etc. In hâc verò Epistolâ miratur quòd *tam citò* transferrentur conversi Galatæ ad aliud Evangelium. Quo significatur hanc Epistolam non esse prædicatione factâ Galatis, et horum conversione longè posteriorem.

Dicit quidem Paulus, scribens ad Galatas, cap. 4, v. 13 : *Evangelizavi vobis jampridem*, quando, ait, *sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum.* Sed *jampridem* non significat necessariò plus quàm unum alterumve annum.

Porrò hanc Epistolam scriptam fuisse etiam ante primam ad Corinthios, colligitur ex istius Epistolæ cap. 16, v. 1, ubi Apostolus hortatur Corinthios ut de eleemosynis in sanctos Jerosolymam conferendis, eo se gerant modo quem Ecclesiis Galatiæ præscripsit. *Sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ*, inquit, *ita et vos facite.*

Dices : In Epistolâ ad Romanos, cap. 15, Apostolus ait se occupari in eleemosynis colligendis pro sanctis pauperibus qui erant Jerosolymis ; in hâc verò Epistolâ idipsum, tanquàm à se jam perfectum refert cap. 2, v. 10, his verbis : *Tantùm ut pauperum memores essemus, quòd etiam sollicitus fui hoc ipsum facere.* Ergo hæc Epistola non est scripta ante illam ad Romanos. — Resp. : Neg. conseq., quia loco citato non agit de eleemosynis quas collegit dùm scripsit Epistolam ad Romanos, sed de eleemosynis quas fecit circa tempus concilii Jerosolymitani, siquidem loquitur de illo tempore quo post septemdecim annos à conversione suâ, ascenderat Jerosolymam.

CAPUT PRIMUM.

Acriter redarguit Galatas, quia à doctrinâ per ipsum traditâ recesserant, ostendens se ab ipso Christo Evangelium et apostolatum accepisse, ab aliis autem apostolis non fuisse edoctum.

QUÆSTIO UNICA.

Quo tempore Paulus acceperit revelationem illam, de quâ agit v. 12.

Apostolus volens ostendere Evangelium quod Galatis prædicaverat non esse humanum, seu originem et auctoritatem non habere ab aliquo homine, ait v. 12 : *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi*, ab eo mihi factam immediatè. Christus enim Paulo per revelationem patefacere dignatus est omnia fidei mysteria, volens ejus prædicationem apud homines non esse minoris auctoritatis quàm erat Petri, et Jacobi, ac cæterorum qui Christum in carne viderant, et docentem audierant.

Quæritur autem hìc quo tempore revelationem hanc Apostolus acceperit. Nonnulli volunt quòd eam acceperit tempore conversionis suæ, vel illo triduo quo Damasci jejunus et cæcus mansit, Act. 9, v. 9. Sed huic opinioni obstat quòd Paulo ibidem, v. 6, quærenti : *Domine, quid me vis facere?* v. 7 responsum fuerit : *Surge, et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* Etenim si universum Evangelium à Christo per revelationem, vel in horâ conversionis, vel in triduo subsequente didicisset, frustra missus fuisset ad hominem à quo disceret quid facere se oporteret. Didicit autem post illud triduum ex Ananiâ ad se misso : nam ab eo non tantùm baptizatus, sed etiam instructus fuit, siquidem id innuunt illa Christi verba : *Quid te oporteat facere.*

A Lapide putat Paulum hanc revelationem accepisse

in illo raptu ad tertium cœlum, de quo agitur 2 ad Cor. 12, v 2. Attamen nec hæc opinio subsistit : nam ex cap. 1 hujus Epistolæ, v. 15 et seq., omninò manifestum est Paulum non multo tempore post conversionem suam accepisse Evangelium ex revelatione divinâ, ideòque non contulisse illud cum antecessoribus suis apostolis, sed tanquàm apostolum profectum in Arabiam, ac inde reversum Damascum, prædicâsse in synagogis fidem Jesu Christi ; post tres autem annos à conversione rediisse Jerosolymam, tantùm ut Petrum videret, non verò ut ab eo disceret. Jam autem hæc omnia diù ante ejus raptum contigisse manifestum est apud omnes. Vide supra nostram chronologiam historiæ Apostolorum.

Dicendum igitur cum Estio et Fromondo quòd Paulus præfatam Evangelii revelationem à Christo acceperit pauco tempore post baptismum, seu plenam ac perfectam conversionem suam.

CAPUT II.

Ostendit doctrinam suam de libertate à jugo legis Mosaicæ probatam fuisse ab aliis apostolis. Deinde narrat quomodò Petrum, exemplo suo cogentem gentes judaizare, reprehenderit ; ac docet non justificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Jesu Christi.

QUÆSTIO PRIMA.

An Cephas ille qui à Paulo reprehensus est, fuerit apostolus Petrus.

Quæstio hæc ab antiquis agitata fuit occasione calumniarum quas ethnici et hæretici christianæ religioni affricabant. Oritur autem ex textu, v. 1 : *Post annos quatuordecim iterùm ascendi Jerosolymam cum Barnabâ, assumpto et Tito ;* v. 2 : *Ascendi autem secundùm revelationem ; et contuli cum illis Evangelium quod prædico in gentibus, seorsùm autem iis qui videbantur aliquid esse ; ne fortè in vacuum currerem aut cucurrissem ;* hoc est, communicavi cum illis qui videbantur esse magni in Ecclesiâ, id est, cum apostolis, super doctrinâ quam gentibus prædicavi, docens eas non teneri ad observationem legalium ; v. 6 : *Ab iis autem qui videbantur esse aliquid (quales aliquando fuerint,* piscatores, idiotæ, etc., *nihil meâ interest. Deus personam hominis non accipit ;) mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt,* id est, nihil addiderunt doctrinæ meæ, aut ademerunt ; v. 7 : *Sed è contra cùm vidissent quòd creditum est mihi Evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis ;* v. 8 (*qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes), et cùm cognovissent gratiam quæ data est mihi, Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse* (qui sunt primi apostoli), *dexteras dederunt mihi et Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem... ;* v. 11 : *Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat... ;* v. 14 : *Dixi Cephæ coram omnibus : Si tu, cùm Judæus sis, gentiliter vivis, et non Judaicè, quomodò gentes cogis judaizare?* In hoc textu habetur bis nomen *Petrus*, et deinde ter nomen *Cephas*.

Ex hoc loco ethnicus quidam, nomine Porphyrius, qui per illum Cepham intelligebat apostolum Petrum, calumniabatur religionem christianam, quòd ejus primarii fundatores fuissent homines vitiosi, scilicet Petrus infidelis et simulator, Paulus verò audax, arrogans et superbus, utpote qui ausus fuerat contra superiorem suum insurgere. Ad hanc Porphyrii calumniam refutandam, aliqui negaverunt per istum Cepham intelligendum esse apostolum Petrum, sed aliquem ex 72 discipulis. Hanc sententiam diù sopitam resuscitavit pater Harduinus Jesuita, Dissert. in hunc Pauli locum, eamque multis argumentis roborare conatus est Joannes Gerardus Kerkherdere, S. cæsareæ ac regiæ Majestatis historicus. His præmissis,

Resp. et dico : Cephas, qui hic à Paulo reprehensus est, non fuit unus ex 72 discipulis, sed princeps apostolorum Petrus.

Prob. 1°, quia ita sentiunt SS. Hieron., Aug. et alii Patres, quos quilibet novit hujus fuisse sententiæ. Prob. 2°, quia Apostolus hic ponit istum Cepham columnam Ecclesiæ ; atqui hoc non fecisset, si fuisset tantùm unus ex 72 discipulis ; ergo, etc. Prob. min., quia probat suam doctrinam ab auctoritate istius Cephæ ; atqui illam non validè probâsset ab auctoritate unius ex 72 discipulis, cùm nullus ex illis tunc fuerit columna Ecclesiæ, aut comparandus cum apostolis ; ergo.

Confirmatur ex S. Hieron. in hunc locum dicente : « Sollicitus itaque requirebam quidnam esset quod di- « ceret : *Qui videbantur ;* sed nunc me ab omni scru- « pulo liberavit, adjiciens : *Qui videbantur columnæ esse.* « Columnæ igitur sunt apostoli, et maximè Petrus, « Jacobus et Joannes. » Et post pauca : « Quâ auctori- « tate, quâ fronte audet hoc in Petro reprehendere, « qui circumcisionis apostolus erat, quod ipse aposto- « lus gentium arguitur commisisse? » Et respondet : « Quid putamus tantas Ecclesiæ columnas, Petrum et « Paulum, tanta vasa sapientiæ, inter dissidentes Ju- « dæos atque gentiles facere debuisse? Nisi ut eorum « simulata contentio pax credentium fieret, et Ecclesiæ « fides sancto inter eos jurgio concordaret. »

Prob. 3° ex illâ acri contentione quæ fuit inter Hieronymum et Augustinum, de quâ agemus quæstione sequenti. Etenim ista contentio poterat facilè utrinque componi, si uterque voluisset admittere Cepham fuisse diversum ab apostolo Petro ; atqui SS. illi Patres noluerunt hoc admittere ; ergo, etc. Prob. min. ex S. Hieron. in hoc caput ita scribente : « Illis « qui volunt Cepham fuisse unum ex septuaginta duo- « bus discipulis, est respondendum : Alterius, nescio « cujus, Cephæ nescire nos nomen, nisi ejus qui in « Evangelio et aliis Pauli Epistolis, et in hâc quoque « ipsâ, modò *Cephas*, modò *Petrus* scribitur ; *non* quòd « aliud significet *Petrus*, aliud *Cephas ;* sed quem nos « Latinè et Græcè *Petram* vocamus, hanc Hebræi et « Syri propter linguæ inter se viciniam *Cepham* nun- « cupent... Ad extremum, si propter Porphyrii bla-

« sphemiam alius nobis fingendus est Cephas, ne Petrus « putetur errâsse, infinita de Scripturis erunt era- « denda divinis, quæ ille, quia non intelligit, crimi- « natur. »

Prob. 4° ex S. Gregor., hom. 18 in Ezechiel., dicente : « Sunt nonnulli qui non Petrum apostolorum « principem, sed quemdam alium in eo nomine, qui à « Paulo est reprehensus, accipiunt. Qui si Pauli stu- « diosiùs verba legissent, ista non dicerent. Dicturus « enim Paulus : *Cùm venisset Petrus Antiochiam, ei in « faciem restiti;* ut de quo Petro loqueretur ostende- « ret, in ipso suæ narrationis initio præmisit, dicens : « *Creditum est mihi Evangelium præputii, sicut Petro « circumcisionis. Qui enim operatus est Petro in aposto- « latum circumcisionis, operatus est et mihi inter gen- « tes.* Patet ergo de quo Petro Paulus loquatur, quem « et apostolum nominat, et præfuisse Evangelio cir- « cumcisionis narrat. »

Prob. 5°, quia istud exemplum Cephæ seduxit etiam Barnabam; atqui Barnabas non permisisset se seduci exemplo unius discipuli; ergo. Prob. min., quia Barnabas erat ordinatus cum Paulo ad prædicandum gentibus, et jam modò prædicaverat. Item Act. 15 ipse cum Paulo fortiter restiterat illis, qui dicebant observantiam legis Mosaicæ esse necessariam ad salutem; deinde Paulus hoc scribit tanquàm rem magnam; non fuisset autem res magna, si aliquem tantùm discipulum reprehendisset. Hoc argumento utitur S. Chrysostomus, tom. 5, hom. 61.

Denique hæc Pauli Epistola nullius fuisset roboris, si Cephas fuisset tantùm discipulus : nam Galatæ, qui fuerant à pseudoapostolis edocti quòd Petrus et alii apostoli legem Mosaicam adhuc observarent, non multùm curâssent quòd Paulus contra aliquem discipulum ostendisset legem non esse observandam cum fide.

Solvuntur argumenta.

Obj. 1° : Clemens Alexandrinus, lib. 5 Hypotyposeon, apud Eusebium, lib. 1, cap. 12, dicit Cepham illum fuisse diversum à S. Petro, et Eusebius, qui illum locum citat, nullatenùs contradicit; quod signum est eum ab illâ sententiâ non esse multùm alienum. Item Dorotheus Tyrius, in Chronico Paschali, ponit Cepham inter septuaginta duos discipulos, et addit quòd sit ille cui Paulus Antiochiæ in faciem restitit. Constat etiam ex S. Chrysost., Hieron. et Gregorio, quòd multi illum Cepham distinxerint ab apostolo Petro. Denique auctor Chronici Alexandrini, qui scripsit seculo V, ad annum Christi 30, recensens septuaginta duos discipulos, ponit tertio loco Cepham, contra quem causâ Judaismi insurrexit Paulus. Ergo Cephas, qui à Paulo reprehensus est, non fuit apostolus Petrus. — Resp. : Neg. conseq., primò, quia Patres nobiscum sentientes prævalent auctoritati omnium illorum qui jam in objectione citati sunt; secundò, quia principale motivum ob quod auctores illi id asseruerunt, videtur fuisse ut solverent argumenta Porphyrii. Cæterùm, cujus auctoris fuerit liber Hypotyposcon, an Clementis Alexandrini, an cujusdam alterius, ignoratur; nam Eusebius ponit simpliciter *Clementis*. Opus autem istud modò est perditum. Citat illud quidem Photius in suâ Bibliothecâ, codice 109; sed nullam facit mentionem de istâ sententiâ Clementis. Narrat tamen varios errores istius libri : inter alios quòd materia prima fuerit ab æterno, quòd primi homines fuerint androgyni, quòd angeli peccaverint cum mulieribus, etc.; ex quibus patet quantæ sit auctoritatis.

Obj. 2° : Ipsemet Paulus Cepham distinguit à Petro; nam primò ponit simpliciter *Petrus*, deinde ponit semper *Cephas;* ergo necessariò dicendum videtur quòd Cephas sit diversus à Petro; siquidem est contra omnem usum in eodem contextu unum eumdemque hominem diverso nomine appellare. — Resp. : Neg. ant. : cùm enim Petrus duo illa nomina haberet, non mirum quòd nunc uno nunc altero vocetur. Sic Lucæ 22 idem Petrus in eodem contextu, v. 31, vocatur *Simon,* et v. 34 vocatur *Petrus;* item Marci 14, v. 37, dicitur : *Et ait Petro : Simon, dormis?*

Inst. : Si Paulus intellexisset Petrum, non posuisset ipsum inter Jacobum et Joannem, sed posuisset ipsum ante utrumque, siquidem Petrus Jacobo et Joanne dignitate major erat. — Resp. : Neg. assumpt., quia non erat quæstio de primatu ac dignitate, sed de prædicato Evangelio, quod Paulus cum Jacobo, Petro et Joanne contulerat. Etenim, si de dignitate fuisset quæstio, et Paulus per Cepham intellexisset unum ex 72 discipulis, debuisset illum ponere post Jacobum et Joannem; nam certum est quòd hi apostoli dignitate multò majores essent quàm iste discipulus.

Dicendum igitur quòd illo tempore ordinem dignitatis non tam scrupulosè observarent, sicut nunc observari solet. Patet id ex Marci 16, v. 7, ubi Petrus ponitur post omnes discipulos : *Dicite discipulis ejus et Petro;* Act. 13, v. 43 et 46, Paulus ponitur ante Barnabam, et cap. 14, v. 13, Barnabas ante Paulum ponitur, et tamen inde non sequitur quòd Paulus fuerit dignior Barnabâ, et deinde Barnabas dignior Paulo; imò nec sequitur quòd unquàm fuerint æquales.

Interim si quis argumento tam futili (quod tamen maximi facit Kerkherdere), ingratam crisim prosequatur, poterit ulteriùs responderi dicendo quòd, cùm Paulus ibi agat de suâ doctrinâ collatâ cum Jacobo, Cephâ et Joanne, ille qui ponitur secundo loco sit dignissimus, quia in conciliis, collationibus, conventionibus, etc., dignissimus semper est in medio.

Obj. 3° : Cephas, de quo agit Paulus in hâc Epistolâ, videtur esse idem de quo loquitur in Epistolâ I ad Cor. cap. 1; atqui Cephas, de quo loquitur, scribens ad Corinthios, non est apostolus Petrus; ergo, etc. Prob. min., quia Apostolus ibidem enumerat illos de quibus gloriabantur Corinthii quòd ab iis baptismum suscepissent, aut ad fidem conversi fuissent; siquidem referens contentiones quæ erant inter Corinthios, v. 12 ait : *Hoc autem dico, quod unusquisque vestrûm dicit : Ego quidem sum Pauli; ego autem Apollo, ego verò Cephæ.* Jam verò omnes chronologi et interpretes fatentur Petrum Corinthii nunquàm

prædicâsse; ergo Cephas, de quo loquitur Paulus in Epistolâ 1 ad Corinthios, non est apostolus Petrus. — Resp.: Neg. min., et ad ejus probationem dico quòd, licèt S. Petrus Corinthii nunquàm prædicaverit, tamen ibidem varii fuerint qui ab ipso jampridem alibi ad fidem conversi fuerant; nam varii Judæi Romæ ab ipso baptizati vel instructi, pulsi inde à Claudio, Corinthum se receperant; quò etiam venerunt Aquila et Priscilla, Act. 18, v. 2; et ad emptoria famosa, quorum tunc temporis unum erat civitas Corinthiaca, multi aliunde propter commercia confluere solent: hi ergo qui tum ex Italiâ tum aliunde Corinthum advenerant, gloriabantur de Petro, eò quòd ipsum colerent ut peculiarem suum apostolum; tametsi etiam credibile sit, inquit Estius, istos Judæos, sive alios, eò propensiùs Petri nomine gloriatos fuisse, quòd scirent quanta esset illius dignitas et eminentia supra cæteros apostolos. Et sanè Cepham, de quo fit mentio in Epistolâ 1 ad Corinthios, esse apostolum Petrum, satis clarè patet ex cap. 15, ubi Paulus describens quomodò Christus post resurrectionem suam apostolis apparuerit, v. 5 ait: *Et quia visus est Cephæ, et post hoc undecim.*

Obj. 4°: Dùm Paulus corripuit Cepham, Petrus non erat Antiochiæ; ergo per Cepham à Paulo reprehensum non potest intelligi apostolus Petrus. Prob. ant.: Vel ista reprehensio contigit ante concilium Jerosolymitanum, ut putat S. P. Aug., epist. 19, cap. 2, vel contigit post illud, ut volunt plurimi alii; atqui nec ante, nec post concilium Jerosolymitanum Petrus fuit simul cum Paulo Antiochiæ; ergo, etc. Prob. min., quia inprimis Petrus post incarcerationem suam non fuit Antiochiæ ante illud concilium: nam post incarcerationem suam ivit Romam, ut antea in cap. 11 et 12 Act. dictum est. Româ autem Jerosolymam reversus est anno 49 æræ vulgaris, et anno 50 celebratum fuit concilium Jerosolymitanum, ut dictum est in cap. 15 Act. In illo autem concilio Petrus præsens fuit; ergo ante illud non fuit simul cum Paulo Antiochiæ. Deinde non videtur etiam ista reprehensio contigisse post concilium Jerosolymitanum: nam Petrus mansit tunc Jerosolymis, et Paulus reversus Antiochiam, inde *post aliquot dies* discessit in Syriam, Act. 15, v. 33, 36 et 41. Restat igitur dicendum quòd Paulus Cepham reprehenderit cap. cit. Act., v. 1, dùm *quidam descendentes de Judæâ, docebant fratres: Quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis salvari;* atqui Petrus illo tempore certò non erat Antiochiæ, siquidem ex loco citato Act. v. 7 constat quòd tunc ad quæstionem decidendam Antiocheni miserint Paulum et Barnabam Jerosolymam ad Petrum et alios apostolos; ergo Cephas ille qui à Paulo Antiochiæ reprehensus est, non fuit apostolus Petrus. — Resp.: Neg. ant., et ad ejus probationem dico quòd Cephas à Paulo non fuerit reprehensus Act. 15, v. 1: nam tunc Barnabas resistebat judaizantibus; hìc autem, dùm Cephas fuit reprehensus, Barnabas ipsemet judaizabat, uti constat ex v. 13 hujus cap., ubi Apostolus dicit: *Et simulationi ejus* (Cephæ) *consenserunt cæteri Judæi, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.* Respondeo igitur Cepham à Paulo fuisse reprehensum non diù post concilium Jerosolymitanum, prout supra, in chronologiâ historiæ apostolorum, dictum est, ad annum 50. Ad auctoritatem verò S. P. Aug., dico illum non omninò absolutè asserere quòd præfata reprehensio contigerit ante concilium Jerosolymitanum; loquitur enim disjunctivè, uti patet ex ejus verbis, quæ Epist. supra cit. sunt sequentia: « Si post hoc apostolorum decre-« tum (in concilio Jerosolymitano factum) Petrus ha-« buit illam in Antiochiâ simulationem..., quid mirum « si constringebat eum Paulus?... Si autem hoc, quod « magis arbitror, ante illud Jerosolymitanum concì-« lium hoc Petrus fecit, nec sic mirum est quòd vole-« bat eum Paulus non timidè obtegere, sed fidenter « asserere, quod eum pariter sentire jam noverat. » Verum quidem est quòd S. Aug. dicat se magis inclinari in eam opinionem, quæ docet istam reprehensionem contigisse ante concilium Jerosolymitanum; sed hoc potuit inde ortum esse quòd hæc opinio fortè tunc temporis esset communior, quam proinde non volebat carpere. Unde cùm ipse in præcitatâ Epistolâ non texat chronologiam, sed tantùm probet Paulum non simulatoriè, sed sincerè potuisse reprehendere Petrum, parùm curat utrùm ante vel post concilium Jerosolymitanum Petrum reprehenderit; quemadmodùm ex statim citatis ejus verbis manifestum est.

Inst. 1°: Impossibile videtur ut ista reprehensio post concilium Jerosolymitanum contigerit; ergo, etc. Prob. ant., quia, ut Harduinus ait, non potuit ea Cephæ reprehensio fieri illo *aliquanto tempore*, quo Act. 15, v. 33, commorati sunt Antiochiæ Judas et Silas dimissi à Petro ex urbe Jerosolymitanâ ad Antiochenos, ut ad eos perferrent decretum concilii: nam eò profectum fuisse Petrum toto illo *aliquanto tempore*, negat conceptis verbis Lucas loco citato, siquidem docet exacto illo aliquanto tempore Judam et Silam remissos fuisse *ad eos qui miserant illos*, id est, ad Petrum et Jacobum, qui proinde tunc adhuc erant Jerosolymis; atqui, post legatorum ex urbe Antiochenâ discessum, vix egit Paulus Antiochiæ dies decem; nam ibidem dicitur *post aliquot dies* Antiochiâ discessisse, nec illùc rediit nisi post annos tres (in quod tempus differri nequit reprehensio Cephæ; nam Barnabas hujus reprehensionis tempore Paulo comes erat; porrò Barnabas post concilium Jerosolymitanum recesserat à Paulo, Act. 15, v. 39); atqui hàc loquendi formulâ, *post aliquot dies*, vix plures quàm decem dies intelligi possunt, saltem apud Lucam, siquidem Act. 1, v. 5, *non post multos hos dies*, quod idem valet, ac *post aliquot dies*, decem omninò dies sunt, ut è diverso, Act. 13, v. 30, ubi Christus Dominus *per multos dies* visus fuisse dicitur, dies sunt quadraginta. Ergo Paulus ante discessit Antiochiâ, quàm ad eum Petrus pervenire posset, etiamsi statim à legatorum reditu profectus diceretur, quod utique gratis diceretur. Ita post Harduinum ratiocinatur continuator Tournely. — Resp.: Neg. ant., et ad

ejus probationem, dico quòd, licèt vero simile sit Petrum nondùm advenisse Antiochiam, quando Judas et Silas remissi sunt Jerosolymam, tamen in decursu istius *aliquanti temporis*, quo Judas et Silas Antiochiæ morati sunt, potuerit esse in viâ, et sic brevi post, puta duobus aut tribus diebus post discessum Judæ, illùc advenire, siquidem ex nullo capite probari potest quòd Petrus tantùm Jerosolymâ discesserit postquàm illùc Antiochiâ reversus fuerat Judas. Itaque satis plausibiliter dici posse videtur rem peractam fuisse hoc modo : Dùm Paulus et Barnabas cum decreto concilii Jerosolymitani Antiochiam discesserant, Petrus adhuc aliquot diebus Jerosolymis mansit, post quos et ipse Antiochiam discessit, tum ut videret quomodò se haberet status Ecclesiæ Antiochenæ, tum ut magis confirmaret et consolaretur fideles ex gentibus, quemadmodùm in initio, dùm illùc advenerat, etiam fecit, prout liquet ex cap. 2 hujus Epistolæ, ubi Paulus narrat quòd communi mensâ cum gentilibus conversis uteretur, utique in confirmationem decreti apostoli, quod Jerosolymis ad eos miserat. Unde gratis concesso quòd post Judæ ex urbe Antiochenâ discessum vix decem diebus illic hæserit Paulus, equidem inde nullatenùs probari potest quòd Paulus discesserit Antiochiâ, antequàm illùc Jerosolymâ advenerit Petrus : nam, ut jam observavimus, potuit Petrus Antiochiam venire duobus aut tribus diebus post discessum Judæ, et sic ex illis decem diebus adhuc supersunt sex aut septem, quibus facillimè potuerunt contingere omnia quæ hìc à v. 11 usque ad 16 narrantur.

Inst. 2° : Antiochia Syriæ, secundùm omnes chartas geographicas, Jerosolymis distat ad minus 80 leucis; ergo Petrus duobus aut tribus diebus post elapsum prædictum *aliquantum tempus*, seu post discessum Judæ, non potuit pervenire Antiochiam. — Resp. : Neg. conseq., quia nihil implicat quominùs illud *aliquantum tempus*, quo Antiochiæ morati sunt Silas et Judas, complectatur 17 dies; his si addas præfatos 3, exurgent 20. Supponatur igitur quòd toto illo tempore quo Silas et Judas post concilium Jerosolymitanum redeundo Antiochiam fuerunt in viâ, Petrus manserit Jerosolymis, supersunt adhuc pro itinere Petri jam memorati 20 dies, quibus facilè potuit pervenire Antiochiam.

Obj. 5° : Si præfata reprehensio contigisset post concilium Jerosolymitanum, Petrus incidisset in hæresim : nam docuisset suo exemplo Judaismum esse necessarium ad salutem; cujus contrarium jam erat definitum. — Resp. : Neg. assumpt., nam non incidit in errorem contra fidem cum pertinaciâ; nequaquàm enim decisum erat quòd non liceret Judæis observare legalia, sed tantùm quòd non ampliùs essent necessaria ad salutem gentibus. Petrus autem suo facto non intendebat docere illa adhuc esse necessaria, sed unicè intendebat non displicere Judæis, observando illa quæ adhuc erant licita, non reflectendo ad circumstantias quæ innuebant legalia esse necessaria ad salutem, saltem Judæis Unde Tertull., lib. 5, contra Marcionem, cap. 3, dicit : « Paulus sanè reprehendit Petrum, non ob aliud tamen quàm ob inconstantiam victùs quem pro personarum qualitate variabat, non ob aliquam divinitatis perversitatem. »

Obj. 6° cum Kerkherdere : S. Irenæus, secundi seculi doctissimus scriptor, et cui illa quæ à suo tempore non longè aberant magis quàm posteris erant nota, ita factum de quo præsens movetur quæstio describit lib. 3 advers. Hæres., cap. 12. Postquàm ostendit S. Petrum nunquàm baptizaturum fuisse incircumcisos, *nisi Spiritu sancto requiescente super eos*, pergit : « Hi autem qui circa Jacobum apostoli, gentibus quidem liberè agere permittebant, concedentes nos Spiritui Dei. Ipsi verò scientes eumdem esse Deum, scilicet Judæis et gentibus, perseverabant in pristinis observationibus, ita ut et Petrus quoque timens ne culparetur ab ipsis, ante manducans cum gentibus propter Spiritum sanctum qui requieverat super eos, cùm tamen advenissent quidam ab Jacobo, separavit se, et non manducavit cum eis. Hoc autem ipsum dixit Paulus et Barnabam fecisse. Sic apostoli, quos universi actùs et universæ doctrinæ Dominus testes fecit (ubique enim simul assistentes inveniuntur Petrus, et Jacobus, et Joannes) *religiosè* agebant circa dispositionem legis, quæ est secundùm Moysen. » Ex quibus verbis putat Kerkherdere clarum esse quòd juxta S. Irenæum Cephas reprehensus, fuerit unus ex 70 discipulis; nam, inquit, tantùm de uno ex 70 discipulis potest intelligi dictum Irenæi : *Timens ne culparetur ab ipsis*. Item, si Petrus hâc in re fecerit *religiosè*, quare S. Paulus ipsum reprehendit, tanquàm qui cogeret gentes judaizare? Aut quænam ea species est religionis, contra Spiritum sanctum et propriam conscientiam ex timore humano facere quæ fecit Cephas? Non cadit talis cogitatio in S. Irenæum; sed librarii Latini fecerunt hìc quod per totum Irenæum; hoc est, pro Græcis castissimis novi Testamenti citationibus supposuerunt vitia codicum Latinorum, quæ postea castigavit S. Hieronymus; atque hinc ulteriùs deducit Kerkherdere quòd in Græco Irenæi textu : *Ita ut et Petrus quoque timens ne culparetur ab ipsis*, non fuerit positum *Petrus*, sed *Cephas*. — Resp. omnia quæ hucusque à Kerkherdere abducta sunt, non esse nisi meras conjecturas. Etenim quòd in textu Græco loco *Petrus* fuerit positum *Cephas*, gratis fingit, cùm ipsomet fatente, Græcus Irenæi textus jamdiù sit deperditus, nec aliquem adducere possit qui id in textu Græco viderit. Ad illud verò quod ait non cadere talem cogitationem in S. Irenæum, ut factum quod à Paulo reprehensum fuit, dicat esse *religiosum*, respondeo talem cogitationem æque potuisse cadere in S. Irenæum, ac cecidit in S. Hieronymum et alios. Dico igitur ex toto Irenæi textu nihil aliud concludi quàm quòd factum Petri non tantùm à peccato excuset, sed etiam laudet et extollat. Etenim id manifestum est ex illis verbis : *Sic apostoli, quos universi Actus*, etc. ; hæc enim cùm, juxta ob-

vium et naturalem sensum totius constructionis, necessariò referri debeant ad illud quod factum est Antiochiæ, clarè indicant quòd S. Irenæus illud pium et religiosum dicat, quod tamen minimè religiosum fuit.

QUÆSTIO II.

An Paulus sincerè, an verò tantùm simulatè Petrum reprehenderit.

Nonnulli ex antiquis, admittentes Cepham non esse diversum à Petro, calumniam Porphyrii supra relatam refutârunt, dicendo totum quod à Petro et Paulo Antiochiæ factum est esse actum de industriâ. Dixerunt igitur hi quòd jam duo memorati apostoli usi sint aliquâ simulatione ob majus bonum: scilicet convenerant inter se ut Petrus ageret externè, tanquàm legalia adhuc deberent observari, et Paulus ipsum desuper coram omnibus reprehenderet, et ipse Petrus se non defenderet; ut Judæi hoc videntes quòd ipse, qui erat princeps apostolorum, acrem illam reprehensionem sufferret sine contradictione, intelligerent quòd ipsemet Petrus esset in animo suo satis convictus quòd reverà legalia non essent ampliùs necessaria ad salutem, sed quòd tam Judæi quàm gentiles libertatem haberent illa adhuc aliquo tempore observandi vel non observandi.

S. Hieronymus, epist. 11 inter epistolas Augustinianas, citat hujus sententiæ auctores, Origenem, Didymum, quem *videntem suum*, hoc est, *prophetam*, appellat; item S. Chrysostomum, qui, inquit, propriè super hoc capitulo latissimum exaravit librum, in quo Origenis et veterum sententiam est secutus. Hanc sententiam secutus est etiam ipsemet Hieronymus, vel potius ipse dicit quòd simulatio Petri fuerit licita, et Paulus ipsum simulatè reprehenderit. Quam sententiam ubi legit Augustinus, illam refutavit epist. 8, 9 et 19. His præmissis,

Resp. et dico: Paulus non fictè aut simulatè, sed verè et ex animo reprehendit Petrum.

Prob. 1° ex simplici facti narratione, prout habetur hic, v. 11: *Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat;* Græcè, *reprehensus*, sive à veritate evangelicâ cui hoc factum adversabatur, seu potiùs quia participium pro nomine posuit Paulus, ut facere solent Hebræi, qui pro laudabili laudatum, pro diligibili dilectum dicunt, ut psal. 83: « Quàm dilecta tabernacula tua! » id est, quàm amabilia! « Priusquàm enim venirent « quidam à Jacobo, cum gentibus edebat; cùm autem « venissent, subtrahebat et segregabat se, timens eos « qui ex circumcisione erant; et simulationi ejus « concenserunt cæteri Judæi, ita ut et Barnabas duce- « retur ab eis in illam simulationem. Sed cùm vidis- « sem quòd non rectè ambularent ad veritatem Evan- « gelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu cùm Ju- « dæus sis, gentiliter vivis, et non judaicè, quomodò « gentes cogis judaizare? » id est, quomodò exemplo tuo cogis et impellis gentiles ad fidem conversos, ut credant legalia adhuc servari debere, dùm temetipsum vident judaizantem, et ab eorum mensâ, juxta Moysis præceptum, recedentem? Atqui, si Paulus simulatè tantùm et dispensatoriè, ut contendit S. Hieronymus, Petrum reprehendisset, falsa esset hæc D. Pauli narratio; nam supposito illo pacto quod inter Paulum et Petrum intercessisse volebat Hieronymus, jam Petrus nullatenùs reprehensibilis erat; jam falsum erat quòd non rectè ambularet ad Evangelii veritatem, etc. Unde S. Aug., epist. 82, aliàs 19, ad Hieron., ita scribit: « Si hoc fecit Petrus quod facere « debuit, mentitus est Paulus, quòd eum viderit non « rectè ingredientem ad veritatem Evangelii; quisquis « enim hoc facit quod facere debet, rectè utique fa- « cit, et ideò falsum de illo dicit, qui dicit eum non « rectè fecisse, quod eum novit facere debuisse. »

Prob. 2°: Si ista Petri simulatio fuerit licita, etiam omne mendacium officiosum erit licitum, uti observat S. Aug. Quo posito, ruit tota auctoritas S. Scripturæ et veritas fidei, ut per se patet. Unde hinc concludit S. doctor quòd Petrus verè fuerit reprehensibilis, ut habet Paulus in suâ Epistolâ, quæ est verè Scriptura sacra et canonica, et quòd ipsum rectè reprehenderit, ne aliàs subministretur Porphyrio invincibile argumentum, quo evertat omnem veritatem totius Scripturæ sacræ. « Est laus itaque justæ liber- « tatis in Paulo (inquit Aug. præcit. epist. 82, n. 22), « et sanctæ humilitatis in Petro; quæ quantùm mihi « pro meo modulo videtur, magis fuerat adversùs ca- « lumniantem Porphyrium defendenda, quàm ut ei « daretur major obtrectandi occasio, quâ multò mor- « daciùs criminaretur Christianos fallaciter vel suas « litteras scribere, vel Dei sui sacramenta tra- « ctare, » etc.

Prob. 3° ex Patribus qui ante Augustinum scripserunt. Tertullianus, lib. 5 contra, Marcionem, cap. 3, ait: *Paulus reprehendit Petrum, non recto pede incedentem ad Evangelii veritatem.* S. Cyprianus, epist. 71: *Nam nec Petrus,* inquit, *quem primum Dominus elegit, et super quem ædificavit Ecclesiam suam, cùm secum Paulus de circumcisione disceptaret..., despexit Paulum*, etc. Addit ibidem Petrum patientiæ exemplum tribuisse. Quænam verò ea fuisset patientia, si reprehensio hæc ex utriusque pacto facta esset? Suffragatur ipse S. Hieron., qui tandem sententiam suam mutavit; nam aliquo tempore post, scribens contra Pelagianos, qui sustinebant hominem posse vivere sine peccato, lib. 1, cap. 8, inter alia testimonia quibus probat nullum esse episcopum qui reprehendi non possit, profert Petri exemplum, dicens: « Si ipse Apostolus dicat de Petro quòd non « recto pede incesserit in Evangelii veritate, et in tan- « tum reprehensibilis fuerit, ut et Barnabas adductus « fuerit in eamdem simulationem, quis indignabitur « id sibi denegari quod princeps apostolorum non ha- « buit? » Eadem Hieronymi retractatio colligitur, ut observat Estius, ex lib. 3 Apologiæ adversùs Rufinum; atque hanc S. doctoris mutationem etiam observavit S. Aug., epist. 180, ad Oceanum: *Hieronymus*, inquit, *in opere recentissimo, quod sub nomine Critobuli adversùs Pelagium modò edidit, eamdem de*

istâ re gestâ dictisque apostolicis sententiam tenuit, quam beatissimi Cypriani etiam nos secuti sumus.

Solvuntur argumenta.

Obj. 1°: Hic, v. 11, ubi in textu Latino ponitur: *In faciem ei restiti*, in Græco habetur: *Secundùm faciem;* atqui resistere *secundùm faciem*, juxta phrasim S. Pauli, est resistere specie tenùs et fictè; ergo Paulus non verè, sed tantùm simulatè reprehendit Petrum. Prob. min., quia, Epist. 2 ad Cor., cap. 5, eos qui simulatè gloriantur, dicit gloriari *in facie, et non in corde;* et cap. 10: *Quæ secundùm faciem sunt videte,* id est, quæ foris apparent. Ita ferè post S. Chrysostomum arguit D. Hieronymus. — Resp.: Neg. min., quia τὸ *secundùm faciem* idem significat ac *coram* et *in præsentiâ*. Sic citato cap. 10 ad Cor., dicit Apostolus: *In facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis;* ubi *in facie,* seu, ut habet textus Græcus, *secundùm faciem,* idem denotat ac *præsens* et *coram;* opponitur enim absenti. Sic etiam Act. 25: *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquàm is qui accusatur, præsentes* (Græcè, *secundùm faciem*) *habeat accusatores suos;* ergo in textu de quo hîc agimus eodem sensu intelligi debet τὸ *in faciem,* præsertim cùm Apostolus ipse id ita intelligendum esse significet, dùm v. 14 subjungit: *Dixi Cephæ coram omnibus.*

Obj. 2°: Si Paulus seriò reprehendisset Petrum, in istâ reprehensione omninò iniquus fuisset, primò, quia non servâsset leges correptionis fraternæ; hæ enim exigunt ut publicè et palam non arguatur, nisi qui jam antea privatim, sed inutiliter reprehensus est; secundò, quia iniquus est qui in alio reprehendit quod ipsemet sine ullo peccato facit; atqui, si Paulus Petrum reprehendisset seriò, in eo arguisset quod ipsemet non semel fecerat: nam S. Paulus observabat legalia, cùm id expedire judicabat; sic circumcidit Timotheum, et caput sibi Nazaræorum more totondit, seque purificavit cum Judæis; ergo, etc. — Resp.: Neg. assumpt., et ad ejus primam probationem dico Paulum nequaquàm violâsse leges quas in fratrum nostrorum correptione servari jussit Christus; nam non prohibuit Christus ne publicè argueretur qui publicè deliquit, præsertim si ex ejus culpâ nascatur malum quod publicâ tantùm reprehensione coerceri potest, ut in casu præsenti, in quo Petri simulatio ipsi Barnabæ perniciosa erat. Ad secundam verò probationem respondeo Paulum observâsse legalia in illis circumstantiis in quibus eorum observatio nullum gentibus scandalum parere poterat: siquidem Paulus inter Judæos legalia usurpavit, ut illis persuaderet se legem Mosaicam non habere ut malam; neque ob hoc se subduxit à mensâ gentilium, ac proinde nullam dedit eis ansam suspicandi quòd legis observatio ad salutem esset necessaria. At Petrus minùs prudenter se gessit, quia in civitate quæ non Judæorum, sed gentilium erat, cum gentibus manducabat priusquàm Judæi Jerosolymis illùc advenissent, sed statim post eorum adventum à gentilium mensâ se subduxit, prout jubebat lex Moysis, sicque priorem suam agendi rationem corrigens, occasionem præbuit gentibus existimandi necessarium adhuc esse servare legem quæ Judæos à gentilium convictu abstinere jubebat. Longa itaque est inter utriusque apostoli agendi modum disparitas, petita scilicet à diversitate circumstantiarum è quibus actionum humanarum bonitas aut malitia sæpè desumi solet. Hanc solutionem tradit S. P. Aug., epist. 82, dicens: « Ergo Paulus et Timotheum circumcidit « propterea ne Judæis et maximè cognationi ejus ma- « ternæ, sic viderentur qui ex gentibus in Christum « crediderant, detestari circumcisionem sicut idololatria detestanda est, cùm illam Deus fieri præceperit, « hanc Satanas persuaserit; et Titum propterea non « circumcidit, ne occasionem daret eis qui sine ullâ « circumcisione dicebant credentes salvos esse non « posse, et ad deceptionem gentium, hoc etiam Pau- « lum sentire jactarent. » At verò Petrus, et qui simulationi ejus consenserunt, legalia servârunt in circumstantiis in quibus servari non poterant quin verum esse crederent id quod dicebant judaizantes, *qui sine circumcisione præputii atque aliis observationibus, quæ erant umbra futurorum, putabant credentes salvos esse non posse.*

Inst. 1°: Si ex facto Petri colligere potuerint gentiles legis observationem esse ad salutem necessariam, etiam id potuerunt colligere ex facto Pauli, siquidem eos latere non poterat quòd circumcidisset Timotheum, qui, licèt ex matre Judæâ progenitus, erat tamen ex patre gentili, adeòque gentilis ipse; nec proinde circumcidi poterat, quin crederetur circumcisionem adhuc esse necessariam. — Resp.: Neg. assumpt., quia aliud est legem aliquam simpliciter et sine affectatâ quâdam religione observare, aliud ipsam implere scrupulosè. Paulus legalia quidem non semel observavit; sed absque ullâ prorsùs affectatione; et sic ex ipsius agendi ratione non magis colligi poterat legis observationem esse necessariam, quàm ex eo quòd quispiam feriali die intersit sacro sine affectatione, concludi possit necessariam esse hâc die missæ auditionem. Timotheum semi-Judæum quidem circumcidit, quia ejus auxilio usurus erat ad conversionem Judæorum, qui nequidem eum recepissent, si circumcisus non fuisset; at nullum inde præberi potuit scandalum gentilibus, qui cùm nôssent Paulum nusquàm adduci potuisse ut Titum aut alium quemvis purè gentilem circumcidi permitteret, noverant et nôsse debebant circumcisionem ab eo necessariam non judicari. Verùm alia fuit Petri agendi ratio, qui cùm recessit à mensâ gentilium, quibuscum antea vescebatur, priùs suum factum corrigere affectavit, sicque hominibus adhuc in fide infirmis, et quos multi ad judaizandum impellebant, tacitè persuasit Judæis prohibitum esse omnem cum gentibus convictum; et hæc Petri simulatio tam infelicem habuit exitum, ut Judæi omnes qui cum eo erant in eamdem inciderint, imò et Barnabas à torrente cum aliis traheretur.

Inst. 2° : Culpandus non fuisset S. Petrus, si à gentilium mensâ sese in occasione hâc non subduxisset, quamvis inde offendendi fuissent Judæi; ergo nec culpari debet eò quòd subduxerit se à mensâ gentilium, etsi contigerit ut inde gentes offenderentur. Prob. ant. : Paulus non subduxit se à mensâ gentilium, etiamsi inde Judæi offendi potuerint; ergo Petrus non debuisset reprehendi, si pariter ab eorum mensâ se non subduxisset. — Resp. : Neg. conseq. ; disparitas est quòd, si Petrus è gentilium mensâ non recessisset, nullam legitimam offensionis et scandali causam dedisset Judæis, qui didicerant ex historiâ Cornelii et concilio Jerosolymitano licitum esse cum Judæis conversis introire ad viros præputium habentes, et manducare cum eis. At idem Petrus è gentilium mensâ recedens vera erat perturbationis et scandali causa gentilibus, quibus posterius illud factum, retractatio et emendatio prioris videbatur; et, ut loquitur Natalis Alexander, animata quædam prædicatio, quâ docebatur legem esse servandam. Præterea, ut observat Estius, simulatio Petri nihil obesse poterat ne Judæi paterentur illud scandalum quod ab iis avertere conabatur ; Judæos enim latere non potuit Petrum cum gentibus comedisse : cùm enim id secretò factum non esset, Judæi alii, qui eodem tempore Antiochiæ degebant, sine dubio id retulerunt Judæis à Jacobo missis; ergo simulatio Petri et gentilibus noxia erat, et Judæis proficere non poterat, et utroque hoc nomine reprehensionem merebatur.

Obj. 3° : Qui simulatè tantùm à gentilium mensâ recessit, simulatè tantùm et ex compacto reprehensus est; atqui S. Petrus simulatè tantùm à gentilium mensâ recessit, ut testatur ipsemet Paulus, dicens : *Et simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi;* ergo, etc. — Resp. : Neg, min., et dico nomine *simulationis* hìc intelligi exemplum quod Judæis dedit Petrus; quod quidem non immeritò simulationem vocavit Paulus, quia Petrus ita se gerebat ac si cum Judæis cibos discerneret, et à commercio gentilium abhorreret, quod interiùs et ex animo non faciebat. Inde tamen non sequitur simulatam fuisse increpationem quâ in eum usus est Paulus; quin potiùs propter simulationem hanc, quæ omni culpâ non vacat, Petrum verè reprehendit, quia verè reprehensibilis erat ; adeòque nulla prorsùs fuit ex parte D. Pauli simulatio.

Obj. 4° : Opinio S. Hieronymi auctoritate Patrum primævæ antiquitatis suffulta est; eam enim docuerunt Origenes, Didymus, Apollinaris, Alexander, Eusebius Emissenus, Theodorus Heracleotes et S. Chrysostomus ; atqui opinio tam gravibus nixa testimoniis deseri facilè non potest ; ergo. — Resp. : Neg. min., et dico S. Augustinum hâc in parte meritò rejecisse auctoritatem Alexandri, quia erat hæreticus; Apollinaris, quia erat apostata; Origenis et Didymi, quia ipsemet Hieronymus illos varii erroris reprehenderat. Auctoritati verò Eusebii Emisseni, Theodori Heracleotis et S. Chrysostomi cum eodem S. doctore oppono auctoritatem S. Ambrosii, Cypriani, et ipsiusmet Pauli, scribentis : *In faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Multò enim certius est, ut Aug. dicit, quòd Apostolus non fuerit officiosè mentitus, quàm quòd auctores S. Hieronymi non fuerint officiosè mentiti; maximè cùm Apostolus ab exordio Epistolæ præmittat : *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior,* cap. 1, v. 20.

Obj. 5° : Apostoli post acceptam Spiritûs sancti gratiam in die Pentecostes non peccaverunt; atqui, si Petrus verè fuisset reprehensibilis, verè peccâsset; ergo. — Resp. apostolos post Pentecosten non ampliùs peccâsse mortaliter, quia fuerunt confirmati in gratiâ; sed hoc non obstante potuerunt peccare venialiter, quia non fuerunt confirmati in bono. Porrò peccatum S. Petri fuit veniale *conversationis vitium,* non doctrinæ, ut supra ex Tertulliano audivimus. Hinc D. Thomas, lect. 3 in cap. 2 ad Galat., postquàm retulisset Hieronymum dicentem « in simula« tione prædictâ non peccâsse Petrum, quia hoc ex « charitate fecit, et non ex aliquo timore mundano, » statim subjungit : « Augustinus verò dicit eum pec« câsse, *venialiter tamen,* et hoc propter indiscretio« nem quam habuit nimis inhærendo huic parti (sci« licet Judæorum), ad vitandum eorum scandalum. « Et validius argumentum Augustini contra Hierony« mum est. » Item 2 2, q. 43, a 6, ad 2, dicit : « Pe« trus peccavit quidem, et reprehensibilis fuit, secun« dùm sententiam Augustini et ipsius Pauli, subtra« hens se à gentilibus, ut vitaret scandalum Judæo« rum, quia hoc incautè aliqualiter faciebat, ita quòd « ex hoc gentiles ad fidem conversi scandalizabantur; « non tamen factum Petri erat tam grave peccatum, « quòd meritò possent alii scandalizari. Unde patie« bantur scandalum passivum, non autem erat in « Petro scandalum activum. »

CAPUT III.

Ostendit gentes expectare debere justitiam non ex lege, sed ex fide Christi; legem autem fuisse pædagogum ducentem ad Christum.

QUÆSTIO UNICA.

Quotuplici modo Apostolus hic probet hominem non justificari ex operibus legis Mosaicæ.

Resp. : Triplici. Primò id probat v. 5, dicens : *Qui ergo tribuit vobis Spiritum* sanctum cum suis donis, *et operatur virtutes in vobis* (id est miracula inter vos) *ex operibus legis, an ex auditu fidei?* Sensus istius argumenti est hic : Deus, qui varia Spiritûs sancti dona vobis impertiit, et multa signa seu miracula operatus est inter vos, fecitne hoc quia sectabamini opera legis, an verò quia fidem Christi, quam vobis prædicavi, receperatis? Certò primum dici non potest, quandoquidem lex tunc esset vobis incognita. Restat igitur ut fidem gratiæ Christi tantorum in vobis bonorum causam agnoscatis, et consequenter vos aliosque gentiles non ex operibus legis, sed ex fide, et gratiâ Christi justitiam esse consecutos. Unde subjungit v. 6 : *Sicut scriptum est* (Gen. 15) *Abraham*

credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam. Hic est secundus modus petitus ab exemplo Abrahæ, quo probat hominem non justificari ex lege, sed ex fide; non à Moyse, sed à Christo. Quasi dicat : Abraham, existens adhuc incircumcisus, et ante legem accepit Spiritum, et justificatus est non ex operibus legis, utpote quæ tunc necdùm erat, sed ex fide Christi venturi; ergo et vos non ex operibus legis, sed ex fide Christi justificamini. Vide et illa quæ desuper dicta sunt in cap. 4 Epist. ad Rom., quæst. 2. Tertiò eamdem veritatem probat, alteram adversamque partem destruendo, videlicet quòd homo non justificetur ex lege : *Quicumque enim*, inquit vers. 10, *ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*, id est, qui opera legis sectantur, et ex iis justitiam expectant, usque adeò benedictionis Abrahamo olim promissæ exortes sunt, ut etiam maledictioni sive execrationi sint obnoxii, quia graviter in præcepta legis peccant, quæ non possunt impleri sine fide et gratiâ Christi. *Scriptum est enim* (Deuter. 27, v. ult.) : *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Licèt loco cit. Deuter. τὸ *omnis* et *omnibus* non habeantur in textu Hebræo, tamen subintelliguntur, quia in doctrinalibus propositiones indefinitæ æquivalent universalibus. Exempla passim obvia sunt, inquit Estius, etiam in lege Mosaicâ, nominatim Exod. 21 et 22. Hoc igitur attendentes septuaginta interpretes, mox dicta signa universalia in suâ versione addiderunt. Sensus autem argumenti est hic : Maledictus est quicumque non servaverit omnia quæ lex sub gravi servari præcipit; atqui illi qui justitiam ex operibus legis Mosaicæ expectant, non servant omnia quæ lex sub gravi servari præcipit : siquidem à verâ et rectâ fide declinant, sine quâ tamen nemo universa legis præcepta, præsertim Decalogi, observare potest; ergo tales sub maledicto sunt. Minorem hujus syllogismi Apostolus non exprimit, sed tanquàm Galatis aliunde notam subintelligendam relinquit. Interim quia eam non concessuri erant judaizantes, sed dicturi se permanere in omnibus præceptis legis, ideòque nihil ad se istam maledictionis sententiam pertinere, idcircò subintellectam minorem probat v. 11 : *Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est, quia justus ex fide vivit;* hoc est, neminem verò per legem justificari apud Deum, inde manifestum est quòd propheta Habacuc, cap. 2, dicat justum ex fide vivere. Quia autem rursùs nonnulli potuissent hoc argumentum eludere, dicendo legem et fidem inter se non pugnare, sed ex utrâque justitiam expectandam esse (hoc enim judaizantes docebant), ideòque testimonium prophetæ nihil contra se facere, responsioni hujusmodi Paulus occurrit, v. 12, dicens : *Lex autem non est ex fide*, hoc est, opera legis, quatenùs legis sunt, non proficiscuntur ex fide, ac proinde ex illis non justificatur homo : nam, ut observat Aug., in Exposit. Epist. ad Galat., « legem pro ipsis « operibus legis nunc posuit, quod in posterioribus « manifestatur. Ait enim : *Sed qui fecerit ea, vivet in « illis;* non ait : *Qui fecerit eam, vivet in eâ*, ut intelli- « gas legem in hoc loco pro ipsis operibus positam. »

Quo sensu Apostolus, v. 13, dicat Christum pro nobis factum esse maledictum, expositum est in cap. 21 Deuter.

Petes 1° quo sensu, v. 19, lex dicatur posita propter transgressiones? — Resp. cum Estio : Dicitur posita vel subinducta propter transgressiones coercendas terrore et minis, ut saltem metu retraherentur homines à manifestis transgressionibus. Sic exponunt S. Hieron. et Chrysost. cum suis sequacibus. Aliter Augustinus, inquit interpres citatus, qui legem propter transgressiones ostendendas, imò et quodammodò occasionaliter augendas, positam interpretatur; idque longè probabiliùs, si alia Scripturæ loca consulamus; nam *Per legem cognitio peccati*, Rom. 3; et : *Ubi non est lex, nec prævaricatio*, ibid., cap. 4; item, cap. 5 : *Lex subintravit, ut abundaret delictum.* Vide dicta in cap. 5 et 6 ad Rom.

Petes 2° quo sensu, v. 22, dicatur quòd Scriptura omnia concluserit sub peccato. — Resp. hoc sensu, quatenùs nempe declarat omnes homines velut conclusos et captivos teneri sub dominio peccati. Declarat autem, cùm passim docet omnes esse peccatores. Unde S. Hieron., Epist. ad Algasiam, hunc locum conferens cum eo qui est ad Rom. cap. 11 : *Conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur*, ita scribit : « Auctoritatem sequimur Scripturarum, « quòd nullus homo sit absque peccato; sed conclusit « Deus omnes sub peccato, ut omnium misereatur; « absque eo solo qui peccatum non fecit, nec inven- « tus est dolus in ore ejus. »

CAPUT IV.

Comparatione hæredis parvuli, qui est sub tutoribus, ostendit Judæos ad tempus fuisse sub servitute, donec veniret Christus. Revocat Galatis in memoriam suum pristinum fidei fervorem. Deinde ex allegoriâ duarum uxorum et duorum filiorum Abrahæ ostendit filios novi Testamenti non esse sub servitute.

Nonnulla resolvuntur.

Petes 1° quænam sint infirma et egena elementa ad quæ, v. 9, dicit Apostolus iterùm conversos esse Galatas. — Resp. : Sunt cæremoniæ, seu sacramenta legis Mosaicæ, non dii gentium, quibus antea serviebant Galatæ. Nam totus sensus versûs citati est hic : Cùm Deus jam vos à cultu idolorum liberare, et ad sui cognitionem seu fidem vocare, imò et filios suos adoptare dignatus sit, quomodò vultis iterùm in servitutem relabi? Quomodò iterùm vos convertitis *ad infirma et egena elementa*, ut de novo, quasi nullam antea servitutem passi, sub illis servire velitis? Volebant enim Galatæ denuò servire elementis mundi, et ad ea iterùm convertebantur, non eadem numero vel specie, sed genere. Quia enim antea serviebant idolis, jam servire volebant sub signis et cæremoniis legis Judaicæ. Hæc enim per egena elementa intelligi patet ex verbis proximè sequentibus : *Dies observatis, et menses, et tempora, et annos*, id est

hæc sunt elementa quibus servitis, quæque colitis, videlicet dies, menses et anni judaici cum suis respectivè cæremoniis, quæ statutis festis aut temporibus occurrere, et servari à Judæis solent. Vocat autem illa Apostolus infirma et egena elementa, non tantùm quia post Christi passionem viribus destituta erant, uti quidam hunc locum exponunt, sed quia omnia illa veteris legis instituta, sive sacramenta, vel sacrificia, quatenùs ad illam legem pertinebant, nihil conferebant ad justitiam et salutem vitæ æternæ. Unde ad Hebræos 7 ait : *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus et inutilitatem ; nihil enim ad perfectum adduxit lex.*

Dices : S. Aug. per infirma et egena elementa intelligit idola, et idololatrici cultûs cæremonias : Nam in Exposit. Epist. ad Galat., num. 33, ita scribit : « In eo quod dicit (Apostolus) : *Revertimini*...., non « utique ad circumcisionem dicit eos reverti, in quâ « nunquàm fuerant, sed *ad infirma*, inquit, et *egena* « *elementa, quibus rursùs, ut antea, servire vultis.* Quod « de gentibus intelligere debemus ; his enim supra di- « xerat ; sed tunc quidem ignorantes Deum, his qui na- « turâ non sunt dii, servistis ; ad quam servitutem re- « verti eos velle significat, cùm ait : *Quomodò reverti-* « *mini?* » etc. Ergo, juxta S. Aug., per egena elementa necessariò intelligendi sunt dii gentium quibus antea servierant Galatæ. — Resp. : Neg. conseq. : nam num. 34 subjungit S. doctor : « Fortassè tamen non « opus est ut hoc de gentilium errore intelligamus, « ne intentionem causæ quam ab exordio susceptam « ad finem usque perducit, subitò in aliud temerè de- « torquere velle videamur ; sed de his potiùs de qui- « bus cavendis eum agere per totam Epistolam appa- « ret. Nam et Judæi serviliter observant dies, et « menses, et annos, et tempora in carnali observa- « tione sabbati et neomeniæ et mense novorum, et « septimo quoque anno, quem vocant sabbatum sab- « batorum. Quæ quoniam erant umbræ futurorum, « jam adveniente Christo, in superstitione remanse- « runt, cùm tanquàm salutaria observarentur à ne- « scientibus quo referenda sint ; tanquàm hoc dixerit « Apostolus : Quid prodest vos evasisse servitutem, « quâ tenebamini, cùm servitetis elementis mundi, « quando rursùs ad talia reditis, seducti ab eis, qui « nondùm agnoscentes libertatis suæ tempus, inter « cætera opera legis, quæ carnaliter sapiunt, etiam « temporibus serviunt ; quibus et vos ut antea ser- « vire vultis, et observare cum eis dies, et menses, « et annos, et tempora, quibus serviebatis et ante- « quàm Christo crederetis? » Id est, antequàm ad fidem Christi conversi essetis, observabatis dies, menses et annos juxta ritum gentilium, et jam vultis eos observare juxta ritum Judæorum, adeòque rursùs subjici servituti, à quâ tamen per Christum liberati estis. Deinde concludit S. Aug. : « Ergo eligat lector « utram volet sententiam, dummodò intelligat ad « tantum periculum animæ pertinere superstitiosas « temporum observationes, ut huic loco subjecerit « Apostolus : *Timeo vos, ne fortè sine causâ laboraverim* « *in vos.* » Ex quibus patet quòd S Aug. nec unam, nec aliam determinatè opinionem tradat, sed in hâc re dubius hæreat.

Petes 2° quid Apostolus intelligat per infirmitatem carnis, dùm dicit, v. 13 : *Per infirmitatem carnis evangelizavi vobis.* — Resp. : Nonnulli per infirmitatem carnis intelligunt morbum corporalem, ita ut sensus sit : Cùm Evangelium vobis prædicarem, vidistis me hominem corpore infirmum et morbo afflictum. Addunt, referente S. Hieronymo, Paulum sæpè gravissimo capitis dolore vexatum, et hunc fuisse angelum Satanæ datum ei, ut ipsum colaphizaret. Verùm probabilior est alia ejusdem Hieronymi expositio, quæ per *infirmitatem carnis* intelligit persecutiones, labores, paupertatem, ærumnas, afflictiones, et pericula ; nam ob omnia hæc Apostolus videbatur omninò abjectus, vilis, infirmus et miserabilis. Potest etiam, ait Estius, intelligi illa infirmitas, de quâ 2 ad Cor. cap. 10 dicit : *Præsentia corporis infirma, et sermo contemptibilis.* Quo loco humilitatem corporalis suæ præsentiæ voluit significare, quemadmodùm et 1 ad Cor. cap. 2, dicens : *Et ego in infirmitate, et timore, et tremore multo fui apud vos.* Juxta hunc sensum, id quod hic dicit v. 13 est, quasi probatio istius quod immediatè ante, v. 12, dixit : *Ego sicut vos ;* et sic totus sensus est hic : Ut me vobis accommodarem, magnâ cum humilitate, velut homo abjectus, Evangelium apud vos prædicavi.

Ea quæ hic subjungit Apostolus de matrimonio Abrahæ cum Agar, item de ejectione Ismaelis, vide exposita in cap. 16 et 21 libri Genesis. Interim circa hæc ulteriùs

Petes 3° quid mysticè seu allegoricè significetur per duplex matrimonium Abrahæ, et filios ex eodem natos. — Resp. : Apostolum id satis exprimere, dùm dicit : *Quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta.* Nempe duæ istæ matres, Agar et Sara, juxta sensum allegoricium significans vetus et novum Testamentum. Agar significat vetus, quod in monte Sinai datum fuit. Similitudo autem inter Agar et vetus Testamentum est hæc, quòd sicut ipsa generat servos vernaculos domino suo Abrahamo, ita vetus Testamentum generat servos legis, magno fasce cæremoniarum et præceptorum subditos suos prementis. Sara verò significat novum Testamentum, quod non in servitute timoris, sed in amore justitiæ per fidem, spem et charitatem Christo generat filios, maximè ex gentilitate ad fidem conversos ; hoc enim significatur v. 27, ubi dicitur : *Lætare, sterilis*, etc., ò Ecclesia Christi, pro maximâ tui parte ex gentilitate congregata. Filii similiter, utriusque Testamenti filios designant, nempe Ismael Judæos, et Isaac novi Testamenti fideles. Unde sicut tunc Ismael persequebatur Isaac, ei illudendo, malè tractando, etc., ita nunc etiam Judæi persequuntur Christianos, eos affligendo, occidendo, etc. Et rursùs, sicut tunc propterea Ismael ejectus est è domo paternâ, ita nunc etiam Judæi, imò et carnales Christiani, quia derident bonos et spirituales, ejiciuntur à gloriâ cælesti, et in

tenebras exteriores detruduntur. Hæc omnia satis patent ex toto contextu Apostoli, et legendo facilè præcipiuntur. Qui tamen plura desuper desiderat, legat Fromondum.

CAPITA V, VI.

Hortatur ut jugum legis abjiciant, et in libertate spiritûs et charitatis ambulent. Deinde, cap. 6, eos admonet ut alii aliorum ferant infirmitates, et ut bonis operibus sese exerceant, ac subjungit non esse gloriandum nisi in cruce Domini.

Proponuntur et resolvuntur variæ quæstiones.

Quæres 1° quomodò Apostolus, cap. 5, v. 3, dicat quòd omnis homo qui circumcidebatur foret debitor universæ legis faciendæ, cùm in totâ hâc Epistolâ doceat quòd observatio cæremoniarum legalium esset Galatis prorsùs illicita ac mortifera; ad quam proinde nec per circumcisionem obligare se poterant. — Resp. quòd, juxta Apostolum, ille qui permittebat se circumcidi, teneretur ad observationem cæremoniarum legalium, non simpliciter, neque ex parte operis, sed ex intentione operantis; dùm enim putat circumcisionem sibi esse necessariam ad salutem, et ex hâc opinione, seu cum tali intentione eam suscipit, eâdem opinione durante, tenetur ad totam legem observandam; nam circumcisio est tacita legis veteris et Judaismi professio, quemadmodùm Baptismus est professio legis novæ et Christianismi. Quia igitur Galatæ putabant circumcisionem esse ad salutem necessariam, et per eamdem adscribi se curabant ecclesiæ judaicæ, ac illam, illiusque leges et onera subire ac amplecti se profitebantur, ideò tenebantur ad observationem omnium cæremoniarum legalium, ita ut peccarent si easdem non observarent. Tenebantur, inquam, non absolutè, sed supposità istâ opinione, quæ falsa erat et abjicienda. Atque hoc est quod theologi docent, conscientiam erroneam, quamdiù non deponitur, obligare hominem.

Quæres 2° de quâ abscissione seu separatione agat Apostolus, dùm, versu 12 ; dicit : *Utinam et abscindantur qui vos conturbant !* — Respondeo quòd vero similiter agat de separatione quæ fit per excommunicationem. Unde sensus est : Utinam abscindantur ab Ecclesiâ, vestroque consortio, ne totam Ecclesiam corrumpant ! Hæc explicatio eruitur ex toto contextu; nam jam antea, v. 9, dixerat Apostolus : *Modicum fermentum totam massam corrumpit;* in quibus verbis continetur excommunicationis causa, videlicet periculum contagii. Deinde videtur excommunicationem minari, dùm subjungit, v. 10 : *Qui autem conturbat vos, portabit judicium;* nam secundùm Tertullianum, excommunicatio prævium quoddam judicium est ad extremum judicium Dei.

Idem sensus etiam confirmatur ex collatione hujus loci cum eo qui habetur 1 Cor. 5, ubi fornicarium excommunicandum decernit Apostolus. Nam et illic adducit eamdem sententiam : *Modicum fermentum*, etc.; et ante ibidem dixerat : *Ut tollatur de medio vestrùm qui hoc opus fecit*, quod idem ferè est cum his verbis : *Utinam et abscindantur, qui vos conturbant!* Unde et ibidem concludit : *Auferte malum ex vobis ipsis*, quod est abscindere. Sed et judicii meminit eo loco, primùm cùm ait : *Jam judicavi ut præsens tradere hujusmodi hominem*, etc.; et postea : *Quid mihi de eis qui foris sunt judicare? Nonne de iis qui intùs sunt vos judicatis?*

Ex quibus omnibus apparet Apostolum dicentem : *Utinam abscindantur !* optare ut non solùm portent qualecumque judicium, qui Galatarum statum turbabant, verùm etiam anathema fiant, per excommunicationis gladium amputandi penitùs ab illorum consortio. Ita Estius. Neque tamen hoc optando peccavit Apostolus, quia ista optio non ex odio aut vindicandi animo, sed ex justitiâ et vero zelo Dei erga religionem et Christi fidem procedebat.

Quæres 3° quid v. 17 intelligatur per *carnem*, et quid per *spiritum*. — Resp. : Per *carnem* intelligitur carnalis concupiscentia, per *spiritum* verò intelligitur Spiritus sanctus. Nam quod Apostolus hoc loco carni tribuit, dicens, v. 19 : *Manifesta sunt opera carnis*, etc., id ad Rom. 7 tribuit concupiscentiæ sub nomine peccati, dùm ait : *Peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam*, id est, omne genus pravorum desideriorum; et iterùm : *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*, hanc quoque pugnam carnis concupiscentis contra spiritum eodem loco concupiscentiæ tribuit, sub nomine legis membrorum et peccati dicens : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati;* per *spiritum* autem Spiritum sanctum significari clarè eruitur ex cap. 8 ejusdem ad Rom. Epistolæ : nam quod hìc, v. 18, habetur : *Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege*, illic de Spiritu sancto exponitur iis verbis : *Quicumque spiritu Dei aguntur*, sive *ducuntur, ii sunt filii Dei.* Quo loco sunt et aliæ sententiæ, in quibus Apostolus carni spiritum opponens, eumdem modò *spiritum Dei*, modò *spiritum Christi* interpretatur.

Porrò, juxta Apostolum, hìc, v. 10, *caro concupiscere* dicitur *adversùs spiritum*, quia carnalis concupiscentia, quam ex peccato originali traximus, excitat et commovet in nobis prava desideria Spiritui sancto contraria. *Spiritus* autem *concupiscere* dicitur *adversùs carnem*, quia sancta desideria, quæ carni contraria sunt, in nobis excitat. Ac breviter : *Caro concupiscit*, id est, concupiscere nos facit, *adversùs spiritum, et spiritus concupiscit*, id est, concupiscere nos facit, *adversùs carnem*, videlicet eâ locutione quâ alibi dicitur idem spiritus postulare et clamare quia postulantes et clamantes non facit. Ita exponit S. P. Aug., lib. Enchir. cap. 1 , et lib. 1 de Nupt. et Concup., cap. 28.

Quæres 4° qualia fuerint stigmata quæ Apostolus in corpore suo se portare dicit cap. 6, v. 17.

Prænotandum quòd *stigma* sit vox Græca, significans notam cuti impressam. « Stigmata enim, inquit « S. Thomas, lect. 5 in cap. 6 ad Galat., propriè sunt « quædam notæ impressæ alicui cum ferro candenti, « sicut cùm servus ab aliquo domino signatur in facie, « ut nullus eum sibi vendicet, sed quietè dimittat do« mino suo, cujus stigmata portat. » Hoc notato,

Respondeo : Mox citato versu non vult Paulus significare quod Christi crucifixi vulnera in carne suâ portaverit, sicut de S. Francisco legitur ; sed *stigmata Domini Jesu* vocat plagas et cicatrices, ex verberibus, vulneribus et afflictionibus propter Christum susceptis, corpori suo impressas, de quibus 2 Cor. 11, v. 23, dicit : *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* Ad quæ verba reflectens S. Hieron., in cap. 6 ad Galat., ita scribit : « Qui in plagis supra modum, in carceribus frequenter, ter virgis cæsus est, semel lapidatus est, et cætera quæ in catalogo scripta sunt « gloriandi, hic stigmata Domini Jesu in corpore suo « portat. »

IN EPISTOLAM AD EPHESIOS Dilucidatio.

QUÆSTIO PRIMA.

Quare, ex quo loco et quando hæc Epistola scripta sit.

Hanc Epistolam dirigit Apostolus ad fideles Ephesios, præcipuè ad illos qui ex gentibus crediderant, ut patet ex cap. 2, v. 11 : *Memores estote quòd aliquando vos gentes in carne*, etc. ; et cap. 3, v. 1 : *Ego Paulus, vinctus Jesu Christi pro vobis gentibus.* Quanquàm autem præcipuus Apostoli scopus in hâc Epistolâ sit confirmare Ephesios in fide et doctrinâ quam acceperant, tamen ita laudat ipsorum fidem et sanctimoniam, ut simul pleniùs eos instruat de præcipuis fidei mysteriis et perfectis sanctimoniæ præceptis.

Communis est omnium interpretum sententia quòd hæc Epistola scripta sit Româ, dùm Paulus erat in vinculis, quia illorum meminit cap. 3, v. 1, cap. 4, v. 1, et cap. 6, v. 20.

A Lapide, Calmet et nonnulli alii putant illam scriptam esse quando Paulus fuit primâ vice vinctus, 1° quia missa est per Tychicum, per quem etiam misit Epistolam ad Colossenses, et in fine utriusque Epistolæ utitur iisdem terminis, ut discipulum illum utrisque commendet ; atqui Epistola ad Colossenses certò scripta est in primis vinculis ; ergo, etc. ; 2° quia in Epistolâ illâ Apostolus nihil loquitur de suâ morte instante, de quâ tamen loquitur in Epistolâ 2 ad Timoth. cap. 4, quæ scripta est in secundis vinculis ; 3° quia, cap. 6, v. 19, petit ipsorum orationes. *Ut*, inquit, *detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiduciâ, notum facere mysterium Evangelii* ; ergo non judicabat se adhuc tam citò moriturum. Baronius, Estius et varii alii dicunt illam esse scriptam in secundis vinculis, citantque pro se Hieronymum, in Epist. ad Ephes., cap. 4 ; alii verò putant eum ibi esse contrarium ; interim fundamenta hujus opinionis sunt sequentia : 1° quia Onesimus non jungitur in hâc Epistolâ cum Tychico, sicut in Epistolâ ad Colossenses ; 2° quia in Epistolis ad Philippenses, Colossenses et ad Philemonem, quæ scriptæ sunt in primis vinculis, habetur in initio : *Paulus et Timotheus* ; atqui in hâc Epistolâ Timotheus omittitur ; ergo signum est quòd non in primis, sed in secundis vinculis scripta sit.

Ad primum motivum oppositæ sententiæ dico Tychicum fuisse à Paulo missum in Asiam non tantùm in primis, sed etiam in secundis vinculis : nam Epist. 2 ad Timoth. (quæ scripta fuit in secundis vinculis), cap. 4, v. 12, dicit : *Tychicum autem misi Ephesum* ; adeòque vero similiter cum illâ Epistolâ. Ad secundum et tertium dico quòd hæc Epistolâ scripta sit ante secundam ad Timoth., et antequàm Paulus sciret mortem suam instare ; vel quòd hoc Ephesiis noluerit significare, vel fortè quia id scripserat Timotheo ipsorum episcopo. Videtur igitur utraque sententia esse probabilis : nam motiva secundæ etiam solvi possunt, et quidem faciliùs quàm primæ. Itaque

Ad primum dico ideò fieri mentionem Onesimi in Epistolâ ad Colossenses, et non ad Ephesios, quia Onesimus erat Colossensis, servus Philemonis, et Ephesiis fortè ignotus : nam tantùm fuerat à Paulo Romæ ad fidem conversus. Unde etiam de ipso nulla fit mentio in Epistolâ ad Philippenses, quæ tamen scripta fuit in primis vinculis. Ad secundum dico quòd Paulus in hâc Epistolâ non nominet Timotheum, vel quia non judicavit id expedire, vel quia Timotheus erat modo è vinculis liberatus, et Româ discesserat.

Videtur igitur sententia ista quæ dicit Epistolam ad Ephesios esse scriptam in primis vinculis, esse plausibilior quàm illa quæ asserit eam esse scriptam in secundis vinculis. Unde eamdem etiam amplectitur S. Hieronymus in Epist. ad Philemonem, ubi dicit : « Scribit igitur ad Philemonem Romæ vinctus in car- « cere ; quo tempore mihi videntur ad Philippenses, « Colossenses et Ephesios Epistolæ esse dictatæ. »

QUÆSTIO II.

Quo sensu dicatur cap. 1, v. 10, Deum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis et quæ in terrâ sunt.

Resp. cum S. P. Aug., Enchir. cap. 62 : « Instau- « rantur quæ in cœlis sunt, cùm id quod inde in ange- « lis lapsum est, ex hominibus redditur. Restaurantur « autem quæ in terris sunt, cum ipsi homines qui præ- « destinati sunt ad vitam æternam, à corruptionis ve- « tustate purgantur. » Et hanc instaurationem theologi vocare solent restaurationem ruinæ angelicæ, quæ fit ex hominibus electis. Instaurat igitur Christus ea quæ in cœlis sunt, cùm sedes gloriæ, dæmonum lapsu vacuas, et numerum angelorum, hoc eodem lapsu immunitum, per homines restaurat et implet ; *cùm*, ut ait S. Gregor., lib. 31, cap. 35, *illàc humiliati homines redeunt, unde apostatæ angeli super-*

biendo eeciderunt; sicque homines et angelos ad unam domum, scilicet Ecclesiam, et ad unum caput revocat. Dissociata enim et divisa per Adæ peccatum erat hæc Ecclesiæ domus, et uno pariete, angelorum scilicet societate, integro et perfecto, inquit S. Chrysost., paries alter corruerat, nos nempe homines ab Ecclesiâ et societate angelorum collapsi eramus in societatem jugumque dæmonis; Christus ergo hunc domûs parietem, id est, nos homines Ecclesiæ restituit, sicque totam domum, scilicet Ecclesiam angelorum restauravit, ut jam una ex utrisque integra et perfecta sit domus, sibi quasi capiti et lapidi angulari devincta, astricta et unita. « Tanto itaque dono, tanto honore « (ait S. Chrysost.), tantâ benignate cùm nos dignatus « sit Deus, ne dedecoremus benefactorem, ne tantam « gratiam inanem reddamus; vitam angelicam, ange- « licam planè, oro ac supplico, virtutem et conversa- « tionem ostendamus. » Ita A Lapide.

Nec obest quòd S. Hieron., in cap. 1 ad Ephes., non legat *instaurare*, sed *recapitulare;* nam *recapitulare* hic idem significare potest quod *instaurare;* recapitulatio enim est figura rhetorices, quâ orator in summam colligit multa quæ priùs dixit : sic et Deus per Christum restaurans angelorum ruinas, in summam collegit angelos, et homines in cœlo sub uno Ecclesiæ capite, ut jam dictum est.

QUÆSTIO III.

Quid cap. 2, *v.* 20, *intelligatur per fundamentum apostolorum et prophetarum.*

Resp. et dico : Per fundamentum non Christus, sed apostoli et prophetæ intelliguntur; ratio hujus est quòd Apostolus verbis sequentibus Christum à fundamento distinguat, dùm eum vocat summum lapidem angularem, cui fundamentum incumbit. Igitur fundamentum apostolorum et prophetarum intransitivè exponendum est, ait Estius, id est, fundamentum quod sunt apostoli et prophetæ. Apostolorum enim et prophetarum fidei, doctrinæ, prædicationi et institutioni, quasi fundamento Ecclesia incumbit. Unde et Apoc. 21 duodecim apostoli vocantur duodecim fundamenta cœlestis Jerusalem. Sensus igitur præcitati versûs 20 est hic : In fundamentum Ecclesiæ positi sunt apostoli et prophetæ; vos, Ephesii, cæterique Christiani, illis superædificati estis, et reliquam structuram domûs hujus et templi completis. Ita S. Chrysost., Theophylact., Œcumen. et S. P. Aug., in illa verba psal. 86 : *Fundamenta ejus in montibus sanctis.*

Obj. 1° : S. Paulus, Epist. 1 ad Cor., cap. 3, ait : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus;* ergo per fundamentum hic non possunt intelligi apostoli et prophetæ, sed debet intelligi Christus Dominus. — Resp. : Neg. conseq., quia aliter Christus, aliter apostoli et prophetæ fundamentum vocantur : ille primarium fundamentum, isti secundarium; Christus enim fundamentum est Ecclesiæ, quatenùs per ejus fidem in fundamento collocatam solidatur et sustentatur universum Ecclesiæ ædificium. Et hoc quidem soli Christo competit, uti benè docet Apostolus 1 Cor. 3, quia *non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Apostoli verò et prophetæ sunt fundamentum ejusdem Ecclesiæ per suum ministerium, quatenùs doctrinam salutis, quæ in solo Christo est, divinitùs acceptam hominibus annuntiârunt; prophetæ quidem obscuriùs, apostoli autem manifestiùs ac planiùs.

Obj. 2° : Si per fundamentum S. Paulus intellexisset apostolos ac prophetas, non dixisset : *Super fundamentum,* sed : *Super fundamenta,* siquidem apostoli et prophetæ multi fuerunt. — Resp. : Neg. assumpt., quia, licèt isti multi fuerint, non tamen hìc dicuntur *fundamenta,* sicut in Apocal., sed *fundamentum* quasi unum; ut per hoc consensus et concordia doctrinæ apostolicæ cum eâ quam olim tradiderant prophetæ significetur.

Petes quinam cap. 3, v. 10, intelligantur per *principatus* et *potestates.* — Resp. : Videntur loco citato sub principatibus et potestatibus cæteri quoque angelorum ordines intelligi; unde, licèt Ambrosiaster e Vatablus malos hìc angelos intelligant, qui in cœlestibus, hoc est in aere et cœlo hoc aereo versantur, meliùs tamen S. Hieron. et Chrysost. bonos angelos designari tradunt, hos enim significant principatus et potestates, cùm absolutè ponuntur. Nam cùm dæmones intelliguntur, solet addi *principes tenebrarum harum,* aut *aeris hujus,* vel similis particula restringens et alienans. Deinde hoc propriè significat τὸ *in cœlestibus,* scilicet locis, commorantes.

QUÆSTIO IV.

Quid Apostolus cap. 4 *doceat de resurrectione mortuorum.*

Postquàm S. Paulus dixisset Christum dedisse apostolos aliosque ministros ut unusquisque eorum diligenter incumbat in opus sui ministerii, ad ædificationem, id est, ad spiritualem profectum corporis Christi, quod est Ecclesia, tandem subjungit, v. 13 : *Donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionem Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* His verbis explicat perfectionem ad quam ordinantur ministeria de quibus jam ante egerat. Unde sensus est : Hi gradus et hic hierarchicus Ecclesiæ ordo, ut alii sint apostoli, alii prophetæ, alii evangelistæ, alii pastores et doctores, manebit durabitque, donec infideles per totum mundum dispersi ad unam Christi fidem et Ecclesiam vocentur, ut in Christum filium Dei credant, eumque agnoscant omnes quotquot Deus credituros præscivit et prædestinavit, et donec in ejus cognitione et dilectione omnes qui credidimus crescamus ad perfectam ætatem et solidam in Christo, Christique spiritu.

Quanquàm autem S. Chrysost. et nonnulli Græci interpretes illa verba : *Donec occurramus in virum perfectum,* etc., intelligant de virili robore et constantiâ in fide, seu de fructu ultimo præsentis vitæ, in quâ suo modo perficitur corpus Christi mysticum spirituali perfectione ad similitudinem corporis Christi veri, tamen, juxta S. P. Aug. lib. 22 de Civ. Dei, cap. 15 et seqq., D. Hieron., Anselm., S. Thom., aliosque

Latinos interpretes, communiter etiam intelligenda sunt de his quæ in resurrectione mortuorum fient. Quæritur autem hic primò an feminæ in resurrectione sexum suum sint retenturæ; secundò in quâ ætate et corporis staturâ simus resurrecturi.

Circa primum sciendum est quòd multi ex præfatis Apostoli verbis probare conati fuerint feminas non in proprio sexu, sed in virili resurrecturas, et in viros transformandos, ut testatur, S. Aug. lib. præcit., cap. 17. Verùm hic est error qui jam ab omnibus Catholicis rejicitur. Unde

Resp. et dico 1° : Omnes resurgent in proprio sexu; viri in virili, et feminæ in femineo.

Prob. 1°, quia Christus, Matth. 22, interrogatus à Sadducæis de uxore quæ habuerat septem viros, cujus futura esset uxor in resurrectione, non respondit nequaquàm futuras ibi feminas, sed quòd ibi *non nubent neque nubentur*; ergo supponit et implicitè saltem asserit in resurrectione futuras feminas, sed non ad eum usum ut nubant. Hinc S. Hieron., epist. 27, cap. 11, ita scribit : « Ubi dicitur : *Non nubent, neque « nubentur*, sexuum diversitas demonstratur. Neque « enim de lapide, et ligno dicit : *Non nubent, neque « nubentur*, quæ naturam nubendi non habent; sed de « *iis qui* possunt nubere, et gratiâ Christi ac virtute non « nubunt. » Simili ferè modo etiam ratiocinatur S. P. Aug., lib. 22 de Civ. Dei, cap. 17, ubi, rejectâ contrariâ opinione, ait : *Mihi melius sapere videntur, qui utrumque sexum resurrecturum esse non dubitant.* Et postquàm id variis argumentis probâsset, ita pergit : « Denique et ipse Jesus interrogatus à Sadducæis, qui negabant re« surrectionem, cujus septem fratrum erit uxor, quam « singuli habuerunt, dùm quisque eorum vellet de« functi semen, sicut lex præceperat, excitare : *Erra« tis*, inquit, *nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* « Et cùm aptus locus esset, ut diceret : De quâ enim me « interrogatis, vir erit ipsa, non mulier, non hoc dixit, « sed dixit : *In resurrectione enim neque nubent, neque « uxores ducent; sed sunt sicut angeli Dei in cœlo...* « Nuptias ergo Dominus futuras negavit esse in resur« rectione, non feminas; et ibi negavit, ubi talis quæ« stio vertebatur, ut eam negato sexu muliebri cele« riori facilitate dissolveret, si eum ibi prænosceret non « futurum; imò etiam futurum esse firmavit dicendo : « *Non nubent*, quod ad feminas pertinet; *neque uxores « ducent*, quod ad viros. Erunt ergo, quæ vel nubere « hic solent, vel ducere uxores, sed ibi hoc non fa« cient. » Vide etiam D. Thom., Supplem. q. 81, a. 2.

Prob. 2° : Deus reparabit quod in homine fecit in primâ conditione; atqui fecit utrumque sexum; ergo utrumque reparabit.

Prob. 3° : Homines resurgent integri secundùm omnia sua membra; ergo et secundùm illa quæ pertinent ad diversitatem sexuum. His adde quòd aliqua sint merita ratione sexûs, ut quòd feminæ in sexu fragili, pro fide et castitate certantes, mortem subierint; quòd B. Virgo Christum conceperit, pepererit et lactaverit; ergo in suo sexu glorificabuntur.

Obj. 1° : Verba Apostoli supra relata : *Donec occurramus omnes... in virum perfectum*, videntur manifestè insinuare quòd feminæ sint resurrecturæ in sexu virili. — Resp. : Neg. assumpt., quia τὸ *vir* non sexum, sed partim ætatem, partim perfectionem ac virtutem animi, robur et constantiam virilem per catachresin significat. Unde, ut observat S. P. Aug. lib. 22 de Civ. Dei, cap. 18, nihil impedit, nominato viro, intelligere et feminam, ut virum pro homine positum accipiamus, sicut in eo quod dictum est : *Beatus vir qui timet Dominum*, utique ibi sunt et feminæ quæ timent Dominum.

Obj. 2° : Christus, Matth. 22, v. 30, dicit quòd homines in resurrectione sint futuri sicut angeli Dei; atqui angeli carent sexu; ergo et in resurrectionem homines eo carebunt. — Resp. : Neg. conseq. ; nam erunt sicut angeli Dei, non quoad naturam, vel sexûs privationem, sed quoad puritatem, vitam spiritualem, immortalem et beatam. Hinc S. Hieron., epist. 27, cap. 11, ait : « Si opposueris : Quomodò ergo erimus « similes angelorum, cùm inter angelos non sit mascu« lus et femina? breviter ausculta : Non substantiam « nobis angelorum, sed conversationem et beatitudi« nem Dominus repromittit... Quando enim dicitur : « Erimus similes angelorum, similitudo promittitur, « *non natura mutatur.* » Erimus igitur *æquales angelis immortalitate ac felicitate, non carne; sicut nec resurrectione, quâ non indiguerunt angeli; quoniam nec mori potuerunt*, inquit S. Aug., lib. 22 de Civ. Dei, cap. 17.

Obj. 3° : Sexuum diversitas est contra dignitatem statûs qui erit in resurrectione, siquidem illa diversitas oculis objecta pudorem et motus libidinis excitat. — Resp. : Neg assumpt., et ad ejus probationem dico quòd sicuti in statu innocentiæ Adam et Eva *nudi erant, et non erubescebant*, Gen. 2, ita multò magis pudor excludendus sit à statu gloriæ, ubi nec erit libido, nec ad eam declinari poterit. Erunt itaque in resurrectione « membra feminea non accommodata usui « veteri, sed decori novo, quo non alliciatur aspicien« tis concupiscentia, quæ nulla erit, sed Dei laudetur « sapientia atque clementia, qui et quod non erat « fecit, et liberavit à corruptione quod fecit, » inquit S. Aug. loco ultimè citato.

Dico 2° : D. Thomas, Supplem. q. 81, a. 1, et post ipsum theologi communiter docent homines resurrecturos esse in eâ staturæ magnitudine, in eo robore et in eâ corporis compositione quæ convenit ætati hominis perfectissimæ, qualis esse solet triginta trium annorum; unde penè certum est, etsi ab Ecclesiâ non definitum, saltem electos in ætate juvenili resurrecturos esse, qualis ea fuit in quâ Christus mortuus est et resurrexit. Hanc sententiam non obscurè innuit Apostolus dicens : *Donec occurramus omnes... in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi;* etenim hæc verba, quatenùs intelliguntur de resurrectione mortuorum, habent hunc sensum : Donec resurgamus omnes in mensurâ, magnitudine et staturâ corporis plenâ et perfectâ : ut sicut Christus anno ætatis trigesimo tertio justam habuit humani corporis staturam, ita et in resurrectione homines habeant

justam corporis sui magnitudinem et staturam; non hoc sensu quòd omnes staturâ corporis æquales futuri sint Christo, sed quòd omnes eâ sint futuri magnitudine et staturâ, quam habuerunt vel habuissent in ætate virili, puta anno ætatis trigesimo tertio, quæ fuit ætas Christi. Hinc S. Aug., lib. 22 de Civ. Dei, cap. 15, in præcitata Apostoli verba ita scribit : « Sic accipiamus dictum, ut nec ultra, nec infra juvenilem « formam resurgant corpora mortuorum : sed in eâ « ætate et robore usque ad quam Christum hic pervenisse cognovimus... Et ideò non est dictum : *In « mensuram corporis*, vel, *in mensuram staturæ*, sed : « *In mensuram ætatis plenitudinis Christi.* »

Dico 3° : Omnes homines, etiam senes et infantes, in staturâ juvenili resurgent, non tamen omnes in æquali mensurâ. Ita rursùs docet S. Aug., loco mox citato, dicens : « Christus in eâ mensurâ corporis, in « quâ mortuus est, resurrexit; nec fas est dicere, cùm « resurrectionis omnium tempus venerit, accessuram « corpori ejus eam magnitudinem quam non habuit, « quando in eâ discipulis in quâ illis erat notus apparuit, ut longissimis fieri possit æqualis. Si autem « dixerimus ad Dominici corporis modum, etiam quo« rumque majora corpora redigenda, peribit de multo« rum corporibus plurimùm, cùm ipse nec capillum « periturum esse promiserit. Restat ergo ut suam « quisque recipiat mensuram, quam vel habuit in ju« ventute, etiamsi senex est mortuus, vel fuerat habi« turus, si ante est defunctus. » De infantibus idem docet lib. cit. cap. 14, ubi ait : « Quid ergo de infan« tibus dicturi sumus, nisi quia non in eâ resurrecturi « sunt corporis exiguitate quâ mortui? Sed quod eis « tardiùs accessurum erat tempore, hoc sunt illo Dei « opere miro atque celerrimo recepturi. » Ex his concluditur abortivos, modò animam rationalem habuerint, in perfectâ corporis staturâ resurrecturos, et quidem monstra resurrectura docet S. Aug. Enchir. cap. 87, sed *correctâ emendatâque naturâ*. Denique quidquid homo fuit, additâ plenâ perfectione, vitæ restituetur. Si monstrum geminum fuerit et duplici animâ donatum, duo homines sejuncti resurgent; si verò unâ animâ, unus.

IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES Dilucidatio.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid hæc Epistola contineat.

Resp. et dico : Quamvis Apostolus, act. 16, dùm primò fidem Philippensibus prædicavit, illic, ob ejectum è puellâ spiritum pythonem, fuerit flagellatus et in carcerem detrusus, postea tamen à fidelibus quos ibi converterat, accepit maxima signa illorum benevolentiæ et liberalitatis : dicit enim hic, cap. 4, v. 15 : *Scitis autem et vos Philippenses quòd in principio Evangelii, quando profectus sum à Macedoniâ, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli; quia et Thessalonicam semel et bis in usum mihi misistis.* Quando verò jam erat Romæ captivus, iterùm suam liberalitatem illi ostenderunt, ibidem, v. 10, mittentes illi subsidia necessaria per Epaphroditum, suum apostolum, cap. 2, v. 25, qui tantum laborem ad portandum pecuniam et diligentiam adhibuit, ut morbum lethalem Romæ contraxerit, ibidem v. 26 et 27. Philippenses autem, audito eum ægrotare, multùm contristati sunt; quare mox, ut convaluerat, eum remisit cum hâc Epistolâ, dicens, cap. 2, v. 28 : *Festinantiùs ergo misi illum, ut viso eo iterùm gaudeatis, et ego sine tristitiâ sim;* v. 29 : *Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, et ejusmodi cum honore habetote;* v. 30 : *Quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam, ut impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium.* Itaque cum hoc Epaphrodito hanc Epistolam Apostolus misit *omnibus sanctis in Christo, qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus* cap. 1, v. 1 : id est, juxta communem interpretationem, cum presbyteris et diaconis. Vide tamen dicenda infra, quæst. 2.

In hâc igitur Epistolâ magnum suum erga Philippenses affectum ostendit et gratitudinem. Majoris tamen facit meritum quod inde apud Deum acquisiverant, quàm sublevationem inopiæ suæ : nam sciebat *et satiari et esurire, et abundare et penuriam pati*, cap. 4, v. 12. Porrò illos exhortatur ut bonis operibus luceant inter paganos *sicut luminaria in mundo*, cap. 2, v. 15; deinde eos animat et corroborat contra judaizantes, quos vocat *inimicos crucis Christi*, cap. 3, v. 18. Illos etiam exstimulat ad omnem virtutem, præsertim ut vivant inter se in sanctâ unione et charitate. Unionem illam maximè commendat duabus feminis, Evodiæ et Syntichæ, cap. 4, v. 2, quæ quidem bonis operibus abundabant, et cum Apostolo laboraverant in Evangelio; sed videntur inter se habuisse aliquam dissensionem; quare rogat aliquem ex præcipuis dicens : *Rogo et te, germane compar, juva illas quæ mecum laboraverunt in Evangelio;* ibidem, v. 3.

QUÆSTIO II.

An hæc Epistola directa sit ad omnes fideles Philippenses.

Cap. 1, v. 1 : *Paulus et Timotheus, servi Jesu Christi.* Timotheum in fronte Epistolæ sibi conjungit, non tanquàm secum Epistolam hanc scribentem (nam non est scripta à duobus, sed à solo Paulo), sed tanquàm secum salutantem Philippenses. *Omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum episcopis et*

diaconibus. Moderna exemplaria Græca, et quædam antiqua legunt sicut nos : *Cum episcopis;* quædam verò antiqua habent *coepiscopis*, et ita legerunt Chrysostomus, Theophylactus et Œcumenius ; atque adeò juxta ipsos sensus est hic : Paulus et Timotheus episcopi, omnibus sanctis coepiscopis et diaconis qui sunt Philippis. Et sic hæc Epistola dirigitur ad solos ecclesiasticos.

Resp. et dico : Scripta est ad omnes omninò fideles Philippenses. Ita Theodoretus Græcus, et modò interpretes communiter. Probatur, quia præcepta, laudes, exhortationes, consolationes et doctrina quæ in hâc Epistolâ leguntur communia sunt omnibus, ut patet legenti. Item liberalitas Philippensium erga Paulum non erat solius cleri, sed totius Ecclesiæ.

Obj. 1° : Si scriberet ad omnes, non postponeret episcopos et diaconos laicis ; ergo, etc. — Resp. Apostolum non postposuisse episcopos plebi, sed cùm generaliter dixisset : *Omnibus sanctis*, in quibus utique sunt episcopi et diaconi, illos deinde specialiter et nominatim, honoris causâ salutat; quasi diceret : Omnibus sanctis, præsertim episcopis et diaconis. Deinde, ut supra in Epist. ad Galat., cap. 2, quæst. 1, dictum est, in initio Ecclesiæ istum ordinem non tam scrupulosè observabant. Sic Act. 7, v. 2, S. Stephanus postponit patres fratribus, dicens : *Viri fratres et patres.*

Obj. 2° : Paulus scribit tantùm ad unam civitatem ; ergo non potuit dicere : *Cum episcopis.* Prob. conseq., quia, secundùm Canones apostolorum, et antiquissimum Ecclesiæ morem, una civitas poterat tantùm habere unum episcopum. — Resp. eodem modo inde sequi quòd non potuerit scribere : *Coepiscopis.* Dico itaque eum scribere pluribus episcopis, quia hæc Epistola non dirigitur ad solos fideles qui erant Philippis, sed etiam ad illos quin erant in vicinis civitatibus, sicut Epistolam ad Colossenses voluit Paulus etiam legi à Laodicensibus. Præterea in primitivâ Ecclesiâ poterant in unâ civitate sub uno primo episcopo esse plures alii, qui destinabantur ad hanc vel illam civitatem, mox ut fides fuisset ibi sufficienter propagata. Nec hoc contrariatur Canonibus apostolorum, quia illi videntur tantùm respicere tempora futura ; vel potiùs unius ejusdemque Ecclesiæ episcopos, et æqualis inter se auctoritas, ne scilicet inter fideles fieret divisio. Aliqui cum S. Chrysostomo dicunt quòd per episcopos intelligantur presbyteri ; sed, ut ex jam dictis patet, non est necesse istam dictionem sumere impropriè. Interim non est improbabile quòd hìc sub nomine episcoporum etiam comprehendantur presbyteri, quemadmodùm et in Epistolâ ad Titum, cap. 1, v. 5, sub nomine presbyterorum intelliguntur episcopi.

QUÆSTIO III.

Qua.e sit nomen Christi quod dicitur esse super omne nomen.

Postquàm Apostolus, cap. 2, Philippenses ad humilitatem et fraternam charitatem adhortatus fuisset, eisque proposuisset exemplum humilitatis Christi, qui se amore nostri humiliavit usque ad mortem crucis, subjungit, v. 9 : *Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen.* In hæc verba ita scribit Estius : Nemo existimet Apostolum loqui de nomine Christi proprio, quod est Jesus; nam illud nomen multò ante exaltationem et impositum ei fuit, et ab hominibus agnitum ; idemque multis aliis commune. Sed nomen intelligit Dei, aut Filii Dei, de quo archangelus Gabriel, Lucæ 1, ab B. Virginem ait : *Quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei*, et de quo Isaiæ 7, et Matth. 1 : *Vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum : Nobiscum Deus ;* et ad Heb. 1 : *Quantò differentius præ illis* (angelis) *nomen hæreditavit.* Hoc enim est nomen quod infinitè superat omne aliud nomen. Ita Estius.

Interim his non obstantibus, satis fundatè dicitur cum A Lapide quòd Apostolus hìc non tantùm loquatur de nomine Dei, sed etiam Christi proprio, quod est Jesus. Et ratio hujus est quòd nomen Jesu sit titulus Salvatoris et Redemptoris, quem per humilitatem et obedientiam usque ad mortem meruit et accepit Christus, quia per mortem crucis factus est Salvator et Redemptor mundi. Licèt igitur nomen Jesu multò ante exaltationem, nempe in circumcisione, sit illi impositum, non tamen tunc actu proprio et perfecto fuit Salvator, sed tantùm destinatione et incohatione ; tunc enim destinatum et declaratum fuit illum fore mundi Salvatorem, quando nimirùm pretium sanguinis sui pro salute nostrâ in cruce persolveret ; ideòque nomen Jesu non à præsenti, sed à futurâ salute Christo in circumcisione inditum est. In cruce ergo consummavit Christus salutem et redemptionem nostram, ac consequenter in cruce factus est actu perfecto salvator et redemptor, indeque nomen et titulum Jesu accepit, ut omnes eum nominent, celebrent et invocent tanquàm *Jesum*, id est, Salvatorem ac Redemptorem suum, ac consequenter tanquàm verum Deum, Deique Filium, ac Messiam patribus promissum ; hæc enim omnia includit nomen Jesu.

Hinc sequitur nomen Jesu sano sensu esse majus, sanctius, venerabilius quàm sit nomen Dei et nomen tetragrammaton Jehova (de quo egimus in cap. 6 Exodi), prout eruditè probat Abulensis quæst. 7 in cap. 20 Exod. Et ratio fundamentalis est quòd Deus significet Deum quatenùs Dominus et Creator est ; Jesus verò significat Deum, quatenùs Salvator et Redemptor est. Sicut ergo majus fuit beneficium opus redemptionis quàm creationis, ita majus est nomen Jesu, sive Redemptoris, quàm sit nomen Dei, sive Creatoris. Unde canit Ecclesia in benedictione cerei paschalis ex S. Gregorio in Pastorali : *Nihil nasci profuit, nisi redimi profuisset*, hoc est, omnia, quæ propter nos fecit Deus, sive creatio, sive nativitas, sive quidquid aliud, frustra fuissent, nec nobis profuissent, nisi fuisset subsecuta redemptio.

Adde nomen Dei Redemptoris includere nomen Dei Creatoris, non contra ; redemptio enim præsupponit creationem, non contra. Quod ut clariùs videas, ac-

cipe has antitheses . Jehova significat eum qui est, reque idem est cum eo nomine quo se nominat Deus, Exod. 3, dicens : *Ego sum qui sum;* Jesus significat eum qui creator est, et perditos salvat, vivificat, justificat ac beatos facit. Jehova fons est et principium entis; Jesus fons est et principium gratiæ, gloriæ et salutis. Jehova fuit contritor ac debellator Pharaonis et Ægypti; Jesus contritor est diaboli ac inferni. Jehova Judæorum et veteris Testamenti; Jesus Christianorum et novi Testamenti est legislator. Jehova Hæbræos per mare Rubrum duxit in Chanaan; Jesus per sanguinem suum deducit nos in cœlum. Hinc nomen Jesu in nomine Jehova repræsentabatur, et Jehova erat quasi ænigma Jesu, ac vicissim nomen Jesus est declaratio nominis Jehova. Unde infert Abulensis, paulò ante præcitatam quæstionem 7 : *Majus peccatum est accipere nomen Jesu in vanum, quàm istud nomen Dei,* additque rationem novam, « quia Ecclesiæ communis et laudabilis consuetudo « magis honorat istud nomen *Jesus*, quàm nomen « *Deus*. Unde audito nomine *Jesu,* devoti fideles aut « caput inclinant, aut genuflectunt, quod non faciunt « audito nomine Dei; qui ergo contra hoc offendit, « dehonorando nomen *Jesu,* magis peccat quàm si « dehonoret nomen *Dei*. » Unde S. P. Aug., lib. 3 Confess., cap. 3, sibi hoc nomen semper in veneratione et deliciis fuisse testatur, cùm ait : « Hoc nomen Sal- « vatoris mei, Filii tui, in ipso adhuc lacte matris, te- « nerum cor meum piè biberat, et altè retinebat; et « quidquid sine hoc nomine fuisset, quamvis littera- « tum, et expolitum, et veridicum, non me totum ra- « piebat. »

Hinc sequitur, inquit A Lapide, nomen Jesu, cùm sit proprium et adæquatum Verbi incarnati, omnia alia Christi nomina (quæ plurima et præstantissima ei tribuit Scriptura) complecti et transcendere, ut sit nomen super omne nomen. Atque hinc ulteriùs sequitur quòd nihil contra resolutionem jam datam faciat secunda ratio ab Estio supra allegata, nempe quòd nomen *Jesus* etiam multis aliis fuerit commune; nam quamvis Josue et nonnullis aliis veteris Testamenti sanctis illud nomen fuerit impositum, tamen tunc non complectebatur aut significabat ea omnia quæ jam complectitur ac significat, dùm dicitur de Christo Domino ac Salvatore nostro.

QUÆSTIO IV.

Quinam intelligantur per cœlestes, terrestres et infernos.

De laudibus nominis Jesu subjungit Apostolus cap. 2, v. 10, dicens : *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum.* Particula *ut*, juxta Estium, hìc idem significat ac *ita ut*, genuflectio verò metonymicè subjectionem et humiliationem sui denotat. Itaque sensus est : Adeò ut omnes quicumque usquàm sunt, cognoscentes hominem illum, qui Jesus vocatur, esse Dei Filium ac verum Deum, sese illi tanquàm Deo, et omnium Domino submittant, eumque adorent. Porrò per cœlestes intelliguntur illi qui in cœlis sunt, nempe angeli et homines beati; per terrestres intelliguntur homines viatores, qui versantur adhuc in terris; per infernos, seu, ut in textu Græco habetur, subterraneos, intelliguntur spiritus, quorum locus est in subterraneis. Sunt autem nonnulli, inter quos Innocentius III, serm. de omnibus Sanctis, qui putant hìc ab Apostolo significari solas animas quæ sunt in Purgatorio : nam has in nomine Jesu cum omni humilitate genuflectere omninò certum est. Conantur verò hanc opinionem stabilire ex Apoc. cap. 5, v. 13; ubi dicit S. Joannes : *Et omnem creaturam quæ in cœlo est, et super terram, et sub terrâ, et quæ sunt in mari, et quæ in eo; omnes audivi dicentes : Sedenti in throno, et Agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in secula seculorum.* Non enim sub terrâ videntur esse, qui benedicunt et glorificant Deum et Agnum, quàm animæ, quæ sunt in Purgatorio : nam dæmones non benedicunt, sed maledicunt, non glorificant, sed blasphemant; cæteri verò damnati aut blasphemant, aut certè non diligunt Deum, ut glorificare et benedicere possint, cùm sint ab eo aversi.

Verùm, his non obstantibus, dicendum est per infernos non tantùm intelligi animas in Purgatorio degentes, sed etiam dæmones cæterosque damnatos, siquidem et hi, non quidem ex corde, sicut animæ in Purgatorio, sed quodammodò inviti genuflectunt, id est, agnoscunt, tremunt et reverentur nomen Jesu, id est, Jesum Deum, Redemptorem ac remuneratorem bonorum, impiorum verò et suum Dominum, judicem ac vindicem.

Confirmatur hæc explicatio ex alio Pauli loco, nempe ad Rom. 14, v. 10 et 11, ubi, cùm dixisset : *Omnes stabimus ante tribunal Christi,* id probat, quia scriptum est apud Isaiam, cap. 45, v. 24 : *Vivo ego, dicit Dominus, quoniam flectetur mihi omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo.* Cùm enim mali quoque sistendi sint ante tribunal Christi, manifestè inde sequitur ad eos quoque pertinere testimonium Prophetæ. Jam verò Apostolus non solùm ad Rom. 14, sed etiam hìc, cap. 2, videtur respexisse ad jam memoratum testimonium Isaiæ prophetæ, siquidem v. 11 subjungit : *Et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloriâ est Dei Patris;* ergo Apostolus loco præcitato per infernos non tantùm intelligit animas quæ sunt in Purgatorio, sed etiam dæmones cæterosque damnatos qui sunt in inferno.

QUÆSTIO V.

Quinam cap. 3, v. 18, intelligantur per inimicos crucis Christi.

Toto ferè capite 3 agit Apostolus adversùs falsos magistros, graviterque in eos invehitur, ac diligentissimè Philippenses admonet ut ab eorum doctrinâ sibi caveant. Quæritur autem hìc quinam illi fuerint; nam, licèt Apostolus, v. 18, eos vocet *inimicos crucis Christi,* tamen perspicuè non designat an fuerint Judæi, an verò alii.

Ante resolutionem notandum est quòd Cerinthus, Jesum à Christo dividens, illum esse passum ac resurrexisse doceret; hunc verò qui passionis tempore ab

illo recesserat, impassibilem perseverâsse, prout testatur S. Epiphanius, hær. 28. Tradebat Basilides Jesum se transformâsse in Simonem Cyrenæum; hunc proinde, non illum, esse crucifixum. Ita rursùs testatur S. Epiphanius, hær. 24. Hæ verò hæreses non tantùm Judæam, sed et Græciam ac Asiam invaserant, prout hìc scribit A Lapide. Putat autem idem interpres quòd istos hæreticos per *inimicos crucis Christi* Paulus loco præcitato intelligat, eò quòd illi veritatem crucifixionis ac mortis Christi negarent, et in figmentum converterent. Attamen hæc opinio non videtur commodè sustineri posse : nam, ut ex hoc capite 3 manifestum est, Paulus agit contra illos pseudo apostolos qui justitiam ex lege Mosaicâ quærebant; atqui nec de Cerintho, nec de Basilide apud ullum scriptorem legitur quòd justitiam ex lege Mosaicâ quæsiverint; ergo, etc. Itaque

Resp. et dico : Verosimilius est quòd Apostolus per *inimicos crucis Christi* intelligat Judæos pseudo-apostolos, qui legem Mosaicam Christianis servandam esse docebant. Et ratio hujus est quòd his optimè conveniant ea quæ hoc capite de falsis doctoribus dicit Paulus : scilicet in carne et circumcisione, et in claritate generis gloriari; et eam quæ ex lege est, justitiam statuere. Unde iidem, etsi non verbis, reipsà tamen monstrabant se inimicos crucis Christi : nam qui justitiam prædicabant ex lege quærendam, quamvis in Christum crucifixum credere se dicerent, tamen ex consequenti, ut hic, lect. 3, benè reflectit D. Thomas, hostes crucis Christi se declarabant, quia, sicut ad Galat. 2, v. 21, dicit Apostolus, *si per legem justitia, ergo gratis* (id est, sine utilitate) *Christus mortuus est;* et, ut ibidem, cap. 5, v. 11, ait : *Ergo evacuatum est scandalum crucis,* hoc est, ergo frustra crucem Christi prædicamus cum tanto Judæorum scandalo.

Præterea valdè congruit, inquit Estius, quod de glorià generis hìc dicitur, cum loco 2 Cor. 11, ubi Paulus commemorat pseudo-apostolos jactantes quòd Hebræi essent, quòd Israelitæ, quòd semen Abrahæ. Ergo admodùm vero simile est de Judæis, iisdemque judaizantibus, de quibus alibi toties, etiam hìc Apostolum agere, atque adversùs eorum perniciosam doctrinam Philippenses instruere ac præmunire.

IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES Dilucidatio.

QUÆSTIO PRIMA.

An Paulus Colossensibus Evangelium prædicaverit.

Resp. et dico : Apostolus hìc, cap. 2, v. 1, dicit : *Volo enim vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis et pro iis qui sunt Laodiciæ, et quicumque non viderunt faciem meam in carne;* id est, qui me non viderunt. Ex quibus verbis interpretes communiter cum S. Chrysostomo colligunt Paulum Evangelium Colossensibus nunquàm prædicâsse. Solus Theodoretus (qui tamen communiter sequitur Chrysostomum) ex eisdem verbis contendit Paulum Colossensibus fidem prædicâsse, dicitque jam memoratorum verborum sensum esse hunc : Non solùm vestri, sed etiam illorum qui faciem meam non viderunt, sollicitudinem habeo. Sed quis non videt sensum illum esse contortum? Sensus igitur magis naturalis est hic : Volo vos scire quantùm laboris sustineam pro vobis et pro Laodicensibus, et pro omnibus qui faciem meam non viderunt.

Dices : Dicitur Act. 18, v. 23, quòd Paulus perambulaverit *ex ordine Galaticam regionem et Phrygiam, confirmans omnes discipulos;* atqui Colossus est civitas Phrygiæ; ergo credibile est quòd Paulus illìc fuerit, et etiam Laodiciæ, quæ similiter est civitas Phrygiæ.

Ut aliqui hoc argumentum solvant, respondent cum Suidâ quòd Colossenses sint iidem qui Rhodienses, populi insulares, ita vocati à famoso isto Colosso qui numeratus est inter septem orbis miracula. Sed illi responsioni contradicunt illustriores historici et geographi, qui Colossenses planè diversos ponunt à Rhodiensibus. Et reverà Colossus est civitas Phrygiæ, non procul ab Hierapoli et Laodicià, atque ad illam civitatem se scripsisse insinuat ipse Apostolus, dicens, cap. 4, v. 16 : *Et cùm lecta fuerit apud vos Epistola hæc, facite ut et in Laodicensium ecclesiâ legatur; et eam, quæ Laodicensium est, vos legatis;* et paulò superiùs, loquens de Epaphrâ, dicit, v. 13 : *Habet multum laborem pro vobis, et pro iis qui sunt Laodiciæ, et qui Hierapoli.* Theophylactus autem de eâdem urbe narrat, dicens : « Civitas Phrygiæ Colosse, quæ nunc « vocatur Chona, vicina Laodiciæ, quæ urbes unà « cum Hierapoli paulò post scriptam hanc Epistolam « terræ motu corruêre. » Idem earumdem civitatum infortunium, teste Fromondo præfat. in hanc Epistolam, narrat Eusebius in Chronico, ubi dicit tres istas urbes decimo Neronis anno corruisse, id est, juxta id quod antea diximus in Chronologiâ historiæ apostolorum, duobus annis post scriptam hanc Epistolam. Itaque ad argumentum supra propositum

Resp. : Neg. conseq.; nam, quamvis Paulus Phrygiam peragraverit, non tamen sequitur quòd in omnibus omninò civitatibus Phrygiæ prædicaverit, quia, teste Plinio, lib. 6 naturalis Historiæ, cap. 32, erant in Phrygiâ plurimæ civitates; aliquas ergo illarum potuit Paulus Evangelio imbuisse, quamvis non omnes.

Petes : Quis ergo Colossensibus Evangelium prædicavit? — Resp. vero similiùs fuisse Epaphram; nam

dicit Apostolus cap. 1, v. 4 : *Audientes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectionem quam habetis in sanctos omnes, propter spem quæ reposita est vobis in cœlis; quam audistis in verbo veritatis Evangelii..., sicut didicistis ab Epaphrâ charissimo conservo nostro qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu.* Putant quidem nonnulli quòd Colossenses fidem audierint ab Archippo, quia, cap. 4, v. 17, habetur : *Dicite Archippo : Vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas;* sed inde tantùm sequitur quòd fuerit ipsorum presbyter, curam eorum gerens in absentiâ Epaphræ. Unde Estius in illum locum dicit : Hunc Archippum, cujus et initio Epistolæ ad Philemonem mentio est, episcopum Colossensium fuisse putat Ambrosianus, ut qui post Epaphram acceperit regendam eorum Ecclesiam. Idem sentit S. Thomas in Commentariis, vocans prælatum eorum. At Primasius tantùm diaconi functum officio apud Colossenses arbitratur. Neutrum est vero simile : neque enim ratio apparet cur Epaphras eorum episcopus esse desierit, neque diaconus absentiam episcopi suo ministerio supplere poterat. Quare probabile est ejus Ecclesiæ presbyterum fuisse qui absente episcopo eam verbo et sacramentis pasceret. Unde sensus est : Dicite Archippo, vestræ Ecclesiæ presbytero, ut ministerium sibi ab Epaphrâ discedente injunctum in his quæ Domini sunt probè ac diligenter exequatur. Certò Apostolus in Epistolâ ad Philemonem vocat eum commilitonem suum. Ita Estius.

Dices : S. Hieron., in Epist. ad Philem., citans supra allegata D. Pauli verba : *Dicite Archippo*, etc., ex eisdem infert quòd iste Archippus fuerit Colossensium episcopus. — Resp. S. Hieronymum id determinatè non inferre, sed tantùm disjunctivè. Ita enim ibidem scribit : « Ex quo puto aut episcopum eum « fuisse Colossensis Ecclesiæ, qui admonetur studiosè « et diligenter præesse... Aut si ita non est, illud mihi « in præsentiarum sufficit, quòd Philemon, et Archippus, et Onesimus ipse, qui litteras perferebat, fuerint « Colossenses. »

QUÆSTIO II.

Quis sit hujus Epistolæ scopus.

Resp. et dico : Seductores aliqui conati fuerant persuadere Colossensibus quòd non deberent orare Deum per Jesum Christum, quia hunc non volebant admittere tanquàm nostrum Mediatorem, sed dicebant angelos esse nostros mediatores; quem errorem putantur hausisse ex philosophiâ Platonicâ : nam quia Plato, ut testatur S. Aug., lib. 8 de Civ. Dei, cap. 12 et seqq., deos quosdam ponebat medios, inde isti seductores videntur occasionem sumpsisse statuendi angelos quasi minores deos, qui homines mundumque fabricâssent, et per prophetas locuti fuissent. Unde Colossenses monet Apostolus, cap. 2. v. 8 : *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam;* et v. 18 : *Nemo vos seducat, volens in humilitate et religione angelorum.*

Cùm autem ex jam citato capite, v. 16, manifestum videatur quòd seductores illi voluerint etiam introducere observantiam legalium, satis clarè patet quòd potiùs fuerint pseudo-doctores judaizantes, quàm philosophi ethnici. Quòd verò isti errores à pseudo-doctoribus in civitate Colossensi prædicarentur, vero similiter didicit Paulus partim ab Epaphrâ, partim ex Epistolâ quam ipsi scripserant Laodicenses (infra, cap. 4, v. 16), in quâ putantur fuisse conquesti de erroribus qui apud ipsos et apud Colossenses seminabantur.

Ut errores istos Apostolus corrigat, deprædicat summam Christi excellentiam, et primatum ac principatum super omnia, ostenditque simul ipsum esse nostrum Mediatorem. Nam *ipse*, inquit cap. 1, v. 15 et seqq., *est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ; quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis et in terrâ, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates; omnia per ipsum et in ipso creata sunt : et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.* Adeòque non angeli, sed *ipse est caput corporis Ecclesiæ*, Mediator Dei et hominum, *qui est principium, primogenitus ex mortuis; ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.*

Videntur igitur seductores illi asseruisse non Christum, sed angelos esse nostros mediatores, ut diminuerent Christi gloriam, et ut paulatim docerent angelos esse majores ipso. Contra quos declarat Apostolus, cap. 2, quòd Christus, deleto peccati chirographo, de diabolo triumphaverit, ut nos ab ejus tyrannide eriperet, et esset nobis unus et solus auctor salutis; in quem proinde unicè intendere et sperare debeamus, rejecto inani angelorum cultu, et contemptis vanâ philosophiâ ac inutili Mosaicæ legis observantiâ. Aliis verò duobus capitibus tradit plenam doctrinam vitæ christianæ.

QUÆSTIO III.

Quo sensu Christus dicatur primogenitus omnis creaturæ, item primogenitus ex mortuis.

Resp. et dico 1° : Ex eo quòd hìc, cap. 1, v. 15, Christus ab Apostolo vocetur *primogenitus omnis creaturæ*, Ariani quondam intulerunt : Ergo Christus est creatura, omnisque creatura Christi soror est; primogenitus enim inter fratres et sorores dicitur qui ante omnes fratres et sorores genitus est, sive qui primus est frater. Verùm hanc illationem nullo modo valere patet primò, quia, juxta istum sensum, non *primogenitum*, sed *primocreatum* Christum vocare debuisset Apostolus; patet secundò, quia Christus, v. 16 dicitur opifex omnis creaturæ; ergo non est creaturarum frater.

Itaque, juxta communem interpretum catholicorum expositionem, Christus hìc dicitur *primogenitus omnis creaturæ*, quia ante omnem creaturam genitus fuit, utpote ab æterno; ac proinde est omni creaturâ præstantior, atque in cunctas res creatas principatum habens. Hic sensus confirmatur ex eo quòd apud

Ecclesiasticum, cap. 24, idem Dei Filius seipsum vocet *primogenitum ante omnem creaturam.* Confirmatur etiam ex iis quæ hic sequuntur, siquidem Apostolus subjungit et ait omnia per ipsum creata esse, et ipsum omnibus esse anteriorem.

Dices : Præcitata Apostoli verba non de Christo, quatenùs Deo, sed quatenùs homine, intelligenda videntur; nam Christus, quatenùs Filius Patris, non est primogenitus, sed unigenitus, ut testantur symbola fidei, quia nec alius ante vel post eum ex Patre natus est, nec alius nasci potuit. Matris autem suæ, etsi unicus, propriè tamen etiam primogenitus vocatur, quia sic ante eum nullus ex eâdem matre natus est, ut tamen post eum nasci alius potuerit, si naturam spectes maternam. Jam verò Christus, quatenùs homo, non fuit ante omnem creaturam; ergo expositio nostra non subsistit, ac proinde meliùs dicitur quòd Christus vocetur primogenitus omnis creaturæ, non tempore, sed honore, quia Christus, quatenùs homo, finis est quem, juxta aliquos, Deus primò intendit, et propter quem omnia creavit. — Resp. : Neg. assumpt.; nam loco præcitato Apostolus Christi dignitatem ex ejus divinitate describit; ait enim : *Ipse est ante omnes et in ipso*, id est, per ipsum, *omnia* (adeòque etiam angeli) *constant;* hoc est, consistunt et conservantur, sicut ab eodem creata sunt. Primogenitus igitur hic eodem modo sumitur sicut ad Hebr. 1, v. 6, ac proinde nego illud quod adductum est in probatione, nempe Christum, quatenùs est Filius Dei Patris, non rectè dici primogenitum, siquidem, ut benè reflectit S. Ambros., lib. 1 de Fide, cap. 6, rectè dicitur primogenitus, quia nullus ante ipsum; unigenitus, quia nullus post ipsum ex Deo Patre Filius natus fuit.

Dico 2° : Christus, v. 18, dicitur *primogenitus ex mortuis*, quia ipse est primus qui ad vitam immortalem surrexit; unde, licèt aliqui ab Eliâ et Eliseo in libris Regum resuscitati, resurrexerint ante Christum, tamen isti uti et illi qui ab ipsomet Christo in Evangelio resuscitati leguntur, tantùm surrexerunt ad vitam mortalem, rursùm morituri, uti et de facto rursùm mortui sunt.

Petes 1° quomodò, v. 20, dicatur quòd Deus Pater per sanguinem Christi voluerit pacificare *sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt*, id est, homines et angelos, quandoquidem certum sit quòd Christus pro angelis non sit mortuus. — Resp. cum S. Aug., lib. Enchir., cap. 61 : Ideò per Christi sanguinem etiam dicuntur angeli pacificati, quia per mortem ejus sublatæ sunt inimicitiæ quas inter homines et sanctos angelos peccata fecerant; et sic verum est per Christum cœlestia cum terrestribus pacificari. Non enim dicit Apostolus per Christum cœlestia Deo reconciliari, aut cum Deo pacificari, sed cœlestia et terrestria inter se, quod fit dùm per Christum tollitur obstaculum peccati quod homines ab angelis dirimebat. Sensus igitur versûs 20 est hic : Deus Pater voluit per Christum omnia, nimirùm cœlestia et terrestria, id est, homines et angelos inter se reconciliare, uniendo eos tanquàm unum corpus in Christo ut capite, pace inter eos compositâ per sanguinem ejus in cruce effusum, quo peccatum, quod erat inimicitiæ causa, deletum est.

Petes 2° quo sensu dicat Apostolus, v. 24 : *Adimpleo ea quæ desunt passionum, Christi, in carne meâ.* — Resp. id illum non eo sensu dicere quasi Christus non satis passus sit ad redemptionem nostram, ideòque supplemento martyrum opus habeat; hoc enim impium et blasphemum est; sed per ista verba significat se ea adimplere quæ Christus adhuc habet toleranda in membris seu fidelibus suis. Unde sensum genuinum nobis aperit S. Leo, serm. ult., de Pass. Domini, dicens : « Passio Domini usque ad finem perducitur mundi; et sicut in sanctis suis ipse honoratur, ipse diligitur, et in pauperibus ipse patitur, ipse vestitur, ita in omnibus qui pro justitiâ adversa tolerant, ipse compatitur. » Christus igitur qui semel in seipso, seu in propriâ carne passus est, debet adhuc pati in membris suis usque ad finem seculi, quia oportet membra conformari capiti in passionibus, ut ei aliquando conformentur in glorià. Itaque Apostolus loco citato nihil aliud significat quàm quòd patiendo afflictiones in carne suâ, quâdam parte suppleat ea quæ Christo adhuc patienda supersunt, non quidem in ipso, sed in membris.

QUÆSTIO IV.

Quænam sit religio angelorum, de quâ agit Apostolus cap. 2, v. 18.

Postquàm S. Paulus dixisset Christum spoliâsse principatus et potestates, id est, spoliâsse dæmones suâ potestate, dominio ac tyrannide in homines, etc., subjungit ac docet cavendum esse à religione angelorum, dicens loco citato : *Nemo vos seducat volens in humilitate et religione angelorum;* porrò quænam fuerit hæc religio angelorum, valdè incertum est; nam desuper tot ferè sunt sententiæ quot sunt capita. Interim plausibilior ac vero similior apparet sententia eorum qui existimant Paulum agere contra aliquos qui ex ethnicâ philosophiâ, quæ de geniis, dæmonibus ac minoribus diis inaniter multa contemplabatur, cultum quemdam introducere conati fuerant, sub nomine angelorum, docentes non Christum, sed angelos nostros esse apud Deum mediatores. Cùm enim adeò humiliter de Christo sentirent, ut ipsum non Deum, sed purum hominem tantummodò fuisse affirmarent, super eum angelos extollebant, asserentes non oportere per Christum reconciliari, et ad Patrem accedere, sed per angelos. Et ita sentit S. Chrysost., hom. 7, in Epist. ad Coloss., Dicens : « Sunt nonnulli qui dicunt non « oportere per Christum reconciliari, et ad Patrem « accedere, sed per angelos. Propterea (Paulus) sursùm « ac deorsùm, quæ de Christo sunt, versat. » Horum autem ficta humilitas videtur partim in eo sita fuisse quòd nimis humiliter de Christo sentirent; et partim in eo quòd humili gestu se prosternerent, et adorarent angelos, eisque se inordinato modo subjicerent.

Confirmatur hæc expositio ex eo quòd Paulus, ut perniciosum istum errorem penitùs evellat, tum in hâc Epistolâ, tum in eâ quæ est ad Hebræos, Christi supra angelos excellentiam deprædicet et extollat. Ergo

signum est quòd ejus tempore aliqui pseŭdo-apostoli fuerint, qui Christi excellentiam deprimebant, et angelorum excellentiam nimis extollebant.

Dices : Apostolus hìc videtur agere contra Judæos, qui non solùm ejus tempore, verùm etiam antiquitùs à tempore prophetarum dediti fuerunt cultui astrorum cœli, simul et angelorum; ergo non agit contra illos qui docebant angelos apud Deum esse nostros mediatores. Prob. ant. Ex S. Hieron., qui consultus ab Algasiâ de sensu præfatorum Apostoli verborum, epist. 151, q. 10, ita respondet : « Qui vitulum fece- « rant in Horeb, et coluerant sidus dei Rempha, de quo « in prophetâ Amos pleniùs disseruimus, adoraverunt « figuras quas ipsi fecerunt, et tradidit eos Deus, ut « servirent militiæ cœli, *quæ nunc ab Apostolo dicitur « religio angelorum.* » Per servientes autem militiæ cœli, juxta S. Hieron., etiam intelligi cultores angelorum patet ex eâdem epistolâ, in quâ dicit : « Con- « versus autem Deus, tradidit eos, ut colerent militiam « cœli sicut scriptum est in libro Prophetarum. Militia « autem cœli, non tantùm sol appellatur et luna, et « astra rutilantia, sed omnis angelica multitudo. » — Resp. : Neg. ant., et ad ejus probationem dico isti opinioni quidem accedere aliquam probabilitatem, tum propter auctoritatem S. Hieron., tum Clem. Alexand., qui, lib. 6 Strom., ita scribit : « Neque co- « lite Deum ut Judæi, qui soli se Deum nôsse pu- « tantes, nesciunt se adorare angelos et archan- « gelos, mensem et lunam. » Attamen, quia nec in Scripturâ, nec etiam in profanâ historiâ ulla fit mentio quòd Judæi post reditum à captivitate Babylonicâ relapsi fuerint ad cultum falsorum deorum, ideò non satis probabilis est ista interpretatio; sed adhærendum videtur expositioni supra datæ; ex quâ etiam collige et observa, contra sectarios, præcitatum Apostoli textum nihil prorsùs facere contra venerationem et invocationem sanctorum in Ecclesiâ frequentatam. Non enim cultus divinus eis exhibetur, neque loco Christi mediatores constituuntur; sed ad Christum qui unus est Mediator Dei et hominum, intercessores ex parte nostrâ adhibentur. Hoc autem rectè fieri ipse etiam Apostolus exemplo suo nos docet, qui, tum alibi tum in hâc Epistolâ, cap. 4, Colossenses requirit apud Deum intercessores. *Orantes*, inquit, *simul pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis*, etc. Quibus sanè verbis nec Christum Mediatorem exclusit, nec alios à Christo distinctos mediatores quæsivit; tales scilicet, qui proprio suo merito (quod solius Christi est) Deum redderent hominibus placatum. Cæterùm desuper plura videri possunt apud polemicos.

Petes quomodò ea quæ v. 23 de judaizantium immoderatâ abstinentiâ dicuntur, cohæreant cum eo quod de eisdem alibi dicit Apostolus : *Quorum Deus venter est*, ad Philip. 3; et : *Hujusmodi Christo non serviunt, sed suo ventri*, ad Rom. 16. — Resp. Apostolum hoc loco non agere de omnibus judaizantibus, sed de iis potissimùm qui erant sectæ Pharisaicæ. Quibus ea quæ hic dicuntur competere eruitur ex S. Epiphanio, qui *in hæresi Pharisæorum* testatur Pharisæos immoderato modo per jejunia aliasque abstinentias corpus suum afflixisse. Nam alios quosdam, qui se pro apostolis Christi venditabant, ventri et gulæ deditos fuisse, satis probant loca jam citata, quemadmodùm et illud contra eosdem dictum 2 Cor. 11 : *Si quis devorat, si quis accipit.*

QUÆSTIO V.

De quibusdam aliis hanc Epistolam concernentibus.

Petes 1° ad quid referendum sit τὸ *in quibus*, et *in illis*, dùm Apostolus, cap. 3, v. 7, ait : *In quibus et vos ambulâstis aliquando, cùm viveretis in illis.* — Resp. : Erasmus τὸ *in quibus* ad personas refert : nam ipse ita vertit : *Inter quos*, nempe filios incredulos; τὸ autem *in illis* refert ad actiones, id est, ad vitia superiùs ab Apostolo enumerata. Verùm quia in Græco eadem præpositio præfigitur τὸ *quibus*, quæ præfigitur τὸ *illis*, ideò rectiùs ad actiones utrumque refertur juxta phrasim Scripturæ sacræ, in quâ sæpè legimus : *Ambulare in viâ, lege, præceptis Domini; in innocentiâ, in veritate, in lumine, in tenebris, in carne, in pravitate cordis sui*, etc. Atque evidentiùs id ostenditur ex Epistolâ ad Ephes., in quâ, cap. 2, ita loquitur Apostolus : *Et vos, cùm essetis mortui delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulâstis.* Deinde etiam juxta naturalem sensum ipsiusmet constructionis non videtur τὸ *in quibus* posse referri ad filios incredulitatis, id est, ad illos qui contumaciter resistebant Evangelio : nam in horum numero Colossenses non fuerant, siquidem hi veritatem Evangelii, ab Epaphrâ ipsis prædicatam, summo cum gaudio susceperant et amplexi fuerant, ut liquet ex cap. 1, v. 4 et seqq.

Dices : Si τὸ *in quibus* referendum foret ad vitia et peccata de quibus supra egerat Apostolus, bis diceretur unum et idem : nam ambulare in peccatis, et vivere in eis, prorsùs idem esse videtur. Resp.—Neg. assumpt., quia, juxta phrasim S. Pauli, *vivere* denotat habitum, *ambulare* verò designat actum, ut patet ex Epist. ad Galat., cap. 5, ubi dicit : *Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus*, id est, si verè filii spirituales simus, etiam opera spiritualia exerceamus; ac proinde vivere in peccatis videtur hìc idem denotare ac peccatorem esse, ambulare in peccatis idem ac opera peccaminosa exercere; et sic totus sensus est : Cùm vitiis et peccatis jam antea enumeratis dediti essetis, opera seu actus eorumdem exercebatis.

Petes 2° an Lucas, qui cap. 4, v. 14, dicitur *medicus*, sit idem qui Lucas evangelista? — Resp. affirmativè : nam, licèt novatores aliqui, Erasmum secuti, dubitationem desuper moveant, hæc tamen prorsùs inanis ac temeraria est, quia, ut benè reflectit Estius, sicut vetus ac communis, ita probatissima sententia est quòd de Lucâ evangelistâ hìc loquatur Apostolus. Unde D. Hieron., in Catal. script. eccelesiast., ita scribit : « Lucas, medicus Antiochensis, ut ejus scri- « pta indicant, Græci sermonis non ignarus fuit, « sectator apostoli Pauli, et omnis peregrinationis

« ejus comes. Scripsit Evangelium, de quo idem « Paulus : *Misimus*, inquit, *cum illo fratrem, cujus laus « est in Evangelio per omnes ecclesias ;* et ad Colossen- « ses : *Salutat vos Lucas, medicus charissimus.* » Deinde, cùm pateat ex Actis apostolorum Lucam evangelistam cum Paulo pervenisse Romam, ibidemque cum eo captivo permansisse, quæ ratio est, inquit Estius, Lucam, cujus tanquàm secum agentis mentionem facit Apostolus in Epistolâ è Romano carcere scriptâ, ob id solùm quia medicum eum vocat, ab evangelistâ facere diversum.

Petes 3° de quâ Epistolâ Apostolus agat, dùm cap. 4, v. 16, dicit : *Et cùm lecta fuerit apud vos Epistola hæc, facite ut et in Laodicensium ecclesiâ legatur ; et eam quæ Laodicensium est, vos legatis.* Nonnulli auctores, ab Estio et A Lapide citati, ex jam memoratis verbis deduxerunt Paulum scripsisse ad Laodicenses, velleque hic ut ea Epistola Colossis legatur. Sixtus Senensis, lib. 2, in Paulo, hanc Epistolam recenset, eamque suo Commentario inserit Faber Stabulensis. Sed quòd hæc Epistola prorsùs ficta ac commentitia sit, inde liquet quòd antiquitati omninò incognita fuerit ; imò S. Hieron., in Catal. script. ecclesiast., in Paulo ait : *Legunt quidam Epistolam ad Laodicenses, sed ab omnibus exploditur ;* deinde de eâdem sic legitur in septimâ synodo : *Epistolam ad Laodicenses Apostolo ascriptam Patres nostri tanquàm alienam reprobârunt.* Itaque meliùs respondetur cum Baronio, Estio, A Lapide, ac aliis communiter quòd loco præcitato agatur de Epistolâ ab ipsis Laodicensibus scriptâ ad Paulum, quæ vero similiter continebat magnam testificationem fidei et charitatis eorum ; et idcircò videtur Paulus voluisse ut eam legerent Colossenses, utpote Laodicensium exemplo provocandi atque excitandi ad majorem fidei et charitatis profectum. Ita sentiunt S. Chrysost., hom. 12 in Epist. ad Coloss., Theodoretus et Œcumenius. Suadetur hæc opinio ex textu Græco, qui ita habet : Καὶ τ�ὴν ἐκ Λαοδικείας, id est, eam quæ ex Laodiciâ, scilicet ad me scripta est, vos Colossenses legite. Benè tamen vertit noster interpres, *Eam quæ Laodicensium est ;* nam usu loquendi epistola dicitur esse ejus à quo scripta est, ut Ciceronis, Plinii, etc., non item ejus ad quem scripta est.

IN UTRAMQUE EPISTOLAM

AD THESSALONICENSES

Dilucidatio.

QUÆSTIO PRIMA.

Quidnam contineat Epistola prima.

Thessalonica metropolis Macedoniæ fuit nobilissima ; nunc autem Salonica dicitur. In hanc urbem Paulus (postquàm Philippis, in primâ Macedoniæ civitate, aliquo tempore substitisset) venit, Act. 17, v. 1, et in eâdem fidem cum ingenti fructu prædicavit ; brevi namque tempore multos gentiles et aliquos etiam Judæos convertit, ut dicitur jam citato loco Act., v. 4. Sed cæteri Judæi id indignè ferentes, et Evangelio invidentes, contra eum seditionem concitaverunt ; quare fugit Paulus Berœam, ut habetur Act. 17, v. 10, et ex Berœâ Athenas, ibid., v. 15, indeque Timotheum misit Thessalonicam, ut opus à se cœptum perficeret, et fideles in fide confirmaret. uti patet hic, cap. 3, v. 2, ubi dicit : *Misimus Timotheum fratrem nostrum et ministrum in Evangelio Christi, ad confirmandos vos, et exhortandos pro fide vestrâ.* Rediit deinde Timotheus ad Paulum Corinthi agentem, ut patet Act. 18, v. 5, eique à se gesta, et Thessalonicensium in fide constantiam enarravit. Unde Paulus hanc ad eos scribit Epistolam quâ constantiæ eorum congratulatur, eosque in fide confirmat, ut pro eâdem tuendâ secum fortiter Judæorum et gentilium persecutiones sustineant. Interea suæ personæ commendationem admiscet, ostendens quòd non solùm purè atque sincerè eis Christum annuntiâsset, verùm etiam, ne ipsos gravaret, à sumptu accipiendo abstinuisset. Cur autem hoc commemoret, ex secundâ Epistolâ meliùs intelligetur. Et hæc sunt quæ scribit tribus primis capitibus.

Deinde cap. 4 hortatur eos ut fugiant fornicationem, otium, desidium, ac de resurrectione mortuorum, et Christi ad judicium adventu eos instruit, ac spe resurrectionis ad meliorem seu æternam vitam eos consolatur, ut non contristentur sicut cæteri qui spem non habent. Denique, cap. 5, monet ut ad diem judicii sanctè vivendo se præparent, vacentque charitatis operibus, orationi et pietati. Postquàm verò hæc omnia commendâsset, fratresque salutâsset, gratiam Christi eis precatur.

QUÆSTIO II.

In quo loco et quo tempore hæc Epistola scripta sit.

Resp. et dico 1° : Hæc Epistola scripta est Corinthi, non verò Athenis, uti quondam putaverunt Theodoretus et Athanasius. Prob. 1°, quia Paulus hic, cap. 3, significat se non priùs scripsisse hanc Epistolam quàm post Timothei Thessalonicâ ad se reditum ; ait enim v. 6 : *Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, et annuntiante nobis fidem et charitatem vestram*, etc. ; atqui constat ex Act. 18, v. 5, quòd Timotheus, dùm

cum Silâ Thessalonicâ reversus erat, convenerit Paulum Corinthi agentem; ergo, etc. Prob. 2°, quia, dùm scripta fuit, Paulus ex Timotheo et Silâ audiverat Thessalonicenses in fide omninò confirmatos esse, uti satis patet ex versu 6 jam citato; atqui, dùm Timotheus Athenis adfuit Paulo, nondùm omninò certus erat Paulus eos in fide confirmatos et stabiles esse, uti constat ex cap. 3, v. 2 et 5; ergo non potuit esse scripta Athenis, sed Corinthi, quandoquidem ibidem à Timotheo audiverit eos in fide stabiles esse.

Dices 1° : Erasmus testatur inscriptionem Græcam habere quòd sit scripta Athenis; ergo. — Resp. hanc inscriptionem esse mendosam, cùm in nullis omninò codicibus emendatis et à mendis expurgatis reperiatur.

Dices 2° : Timotheus videtur fuisse lator hujus Epistolæ; atqui Timotheus non ivit Thessalonicam dùm Paulum convenit Corinthi, sed dùm ei adfuit Athenis; ergo, etc. — Resp. : Neg. maj., primò, quia Timotheus Athenis non fuit missus ad Thessalonicenses cum Epistolâ, sed tantùm ut eos per prædicationem confirmaret in fide, uti ex verbis cap. 3, v. 2, supra citatis manifestum est; secundò, quòd Timotheus non fuerit lator hujus Epistolæ, inde patet quòd ipsemet cum Paulo eam ad Thessalonicenses miserit, ut constat ex cap. 1, v. 1.

Dico 2° : Scripta est anno æræ vulgaris 52, idque satis ex jam dictis eruitur; nam isto anno Paulus, Act. 18, Corinthi prædicabat. Vide Chronologiam historiæ apostolorum ad jam dictum annum.

QUÆSTIO III.

Quis sit ille Silvanus de quo hìc, cap. 1 et 2 ad Cor. 1.

Resp. esse eumdem qui in Actibus apostolorum dicitur Silas, et à Paulo, ibidem, cap. 15, v. 40, assumptus fuit in socium peregrinationis suæ. Prob. 1° : Silvanus certò est unus ex illis qui in prædicatione Evangelii fuerunt socii apostoli Pauli, uti satis constat 2 ad Cor. 1, v. 19; atqui in Actibus apostolorum de nullo Silvano fit mentio, qui fuerit socius Pauli, nisi is sit idem qui Silas, quod est nomen Hebræum, et more Romano dicitur Silvanus, sicut Lucas Lucius, ut constat ex Epist. ad Rom. cap. 16, v. 21; ergo, etc. Prob. 2° : Silvanus est ille idem qui cum Paulo Philippensibus, et deinde Thessalonicensibus Evangelium prædicaverat, uti eruitur hìc ex cap. 2, v. 1 et 2; atqui ex Actibus apostolorum, cap. 16, v. 25 collato cum versu 12, certum est Silam cum Paulo prædicâsse Philippis, et deinde Thessalonicæ, ut rursùs clarè dicitur ibidem, cap. 27, v. 4; ergo Silvanus est idem qui Silas.

Obj. 1° : Si Silvanus sit idem qui Silas, in Vulgatâ nostrâ admittendum erit mendum; atqui hoc non est satis vero simile; ergo. Prob. maj. ex S. P. Hieronymo, qui, epistolâ 143, asserens Silvanum esse Silam, dicit : « Sciendum Silam collegam Pauli, lin« guâ Hebræâ Apostolum dici, qui cum eo nonnullas « epistolas scribit, *et vitiosè Silvanus legitur pro Silâ,* « cùm Silvanum in apostolorum Actibus non legamus. » — Resp. cum Estio, in 2 ad Cor. 1, v. 19 : Quòd Hieronymus censet vitiosè Silvanum pro Silâ legi in Epistolis Pauli, in hoc ei non assentior, quandoquidem non uno loco, sed pluribus, omnium exemplarium consensu, legatur tam Græcè quàm Latinè Silvanus, et maximè cùm in nostrâ Vulgatâ, quæ est juxta Hieronymi emendationem, et à concilio Tridentino approbata, sic habeatur, et Ecclesia Hieronymi correctionem hìc noluerit sequi. Notat etiam Calmet hìc quòd in nullo manuscripto legatur *Silas*, sed ubique constanter *Silvanus*.

Obj. 2° : In Monologio Græcorum, ad diem 30 julii, adnotantur tanquàm diversi *Silas et Silvanus Apostoli.* Item in Synopsi Dorotheus ponit Silam Corinthiorum, et Silvanum Thessalonicensium episcopum; ergo Silvanus non est idem qui Silas. — Resp. cum eodem Estio : Hoc errore factum esse non dubito. Potiùs fuerat scribendum : *Silas sive Silvanus Apostolus.* Consentit Tillemontius, tom. 1, p. 2, de S. Paulo, articulo 25, dicens : *Græci, qui sine fundamento distinguunt inter Silam et Silvanum, celebrant ambos trigesimâ ejusdem mensis,* julii scilicet. Quantùm verò ad Synopsim Dorothei, hæc habet Possevinus in Apparatu sacro : *Dorotheus, Tyrensis seu Tyri episcopus, cui falsò ascribitur Synopsis quæ plena est narrationibus confictis atque mendacibus.*

Obj. 3° : Apostolus Silvanum præponit Timotheo; atqui tamen Timotheus debuisset præponi Silæ, quandoquidem illo dignior esset; ergo Silvanus non est idem qui Silas. — Resp. : Neg. min., quia eo tempore istos titulos dignitatis non ita amabant; et sic videmus in Actibus apostolorum quòd aliquando Barnabas præponatur Paulo, quamvis Paulus esset ipso dignior; deinde non constat Timotheum eo tempore fuisse digniorem, cùm tunc tantùm vero similiter fuerit diaconus, ut putat Tillemontius, tom. 2, verbo *Timotheus* : nam videtur tantùm fuisse ordinatus episcopus, dùm Paulus ultimâ vice fuit Ephesi, anno æræ vulgaris 64. Vide Chronologiam, ibidem. Itaque Silvanum præponit Timotheo, tanquàm junìori, utpote qui post Silvanum tantùm in socium Pauli assumptus fuerat, Act. 16, v. 3.

Petes quare Paulus in hâc Epistolâ non se vocet apostolum, sicut tamen plerùmque facit in aliis. — Resp. quia noluit titulo illo se præferre Silvano, qui fidem apud Thessalonicenses secum prædicaverat, laborum omnium et periculorum socius. Silvanum autem et Timotheum socios laborum et conversionis Thessalonicensium nominat, ut deprimat superbiam hominum, qui si aliquid præclari gesserint, volunt videri fecisse soli.

QUÆSTIO IV.

Quo sensu dicat Apostolus Thessalonicenses factos esse formam omnibus fidelibus Macedoniæ et Achaiæ.

Postquàm Paulus, Epist. 1, cap. 1, v. 5, narrâsset quòd non tantùm verbo tenùs fidem prædicâsset, sed quòd miracula et Spiritûs sancti charismata prædicationem illam Thessalonicæ subsecuta essent,

juxta illud quod de apostolis dicitur Marci 16 : *Prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis*, subjungit laudem Thessalonicensium, dicens :

Vers. 6 : *Et vos imitatores nostri facti estis et Domini, excipientes verbum in tribulatione multâ, cum gaudio Spiritûs sancti ;* hoc est, sicut Christus Dominus, et non ejus apostoli, propter Evangelium à nobis prædicatum, multa mala ab infidelibus Judæis passi sumus, ita vos propter Evangelii verbum à vobis fide susceptum, plurimas à vestris civibus afflictiones passi estis. Quibus tamen non obstantibus suscepistis Evangelium, non quomodòcumque, sed *cum gaudio Spiritûs sancti*, id est, cum gaudio spirituali, quod est fructus Spiritûs sancti, quem ipse per gratiam suam diffundit in cordibus nostris.

Vers. 7 : *Ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedoniâ et in Achaiâ.* Loco *forma* in textu Græco habetur *typi* seu *exemplaria*. Unde sensus est : Adeò ut fueritis exemplo omnibus qui per Macedoniam et Achaiam crediderunt in Christum. Quanquàm enim quidam illorum, nempe Philippenses, ante ipsos credidissent, tamen illi propter fidem non fuerant passi istas afflictiones quas perpessi erant Thessalonicenses. Unde, quia Philippenses invictam eorum in fide constantiam viderant, ab ipsis accipiebant exempla alacris promptique animi ad gravia mala pro fide perferenda.

Vers. 8 : *A vobis enim diffamatus est sermo Domini.* Licèt *diffamare* usu moderno sumatur in malam partem, tamen hìc ab Apostolo accipitur in bonam, et significat idem ac *divulgare*, prout eruitur tum ex circumstantiis constructionis, tum ex textu Græco, in quo loco *diffamare* habetur *personare ;* id est, longè latèque sonare. Sensus igitur est : Nam à vobis, velut signo dato, quaquaversùm personuit seu divulgatus est sermo Christi Domini, hoc est, prædicatio evangelica, propter admirabiles effectus quos operata est in vobis ; fides enim vestra non tantùm fuit miraculis confirmata, sed etiam inter tempestates persecutionum infracta ac immobilis permansit.

QUÆSTIO V.

Qualis sit ordo verborum quæ habentur Epist. 1, cap. 4, v. 15 et 16.

Apostolus describens resurrectionem mortuorum, inter alia loco citato ait : *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi ; deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviàm Christo in aera.* Circa hæc verba iniquiri solet an aliqui priùs, aliqui posteriùs sint resurrecturi : nam hoc Apostolum hìc insinuare, Primasius et quidam Græci putaverunt, prout testatur Fromondus. Hi autem docuerunt quòd ante reprobos sint resurrecturi electi, ut sint primi in resurrectione, non tantùm dignitate, uti censuit Sedulius, sed etiam tempore, utpote qui rapiendi sunt in aera, ut Christo judici venienti occurrant honoris causâ. Sed hæc opinio non est admittenda : primò, quia Apostolus non ponit hìc ordinem inter electos et reprobos, sed inter illos qui ante in Christo mortui sunt et eos qui residui erunt usque ad tempus adventûs Christi ; loquitur enim in personâ eorum qui tunc vivent, ut observat S. P. Aug., lib. 20 de Civ. Dei, cap. 20 ; secundò, quia in præcitatis verbis, uti et in toto capite, non tractat de resurrectione reproborum, sed electorum : siquidem agit de iis qui *mortui sunt in Christo*, vel, ut ante dicit, *dormierunt per Jesum*, id est, qui mortui sunt in fide et gratiâ finalis perseverantiæ, quæ electis datur ex meritis Jesu Christi. Deinde, v. 16, agens de illis qui relinquentur in vivis usque ad extremum judicium, dicit quòd isti cum ante defunctis sint rapiendi obviàm Christo in aera, et semper cum ipso futuri, in cœlesti videlicet gloriâ ; atqui reprobi non sunt mortui in fide et gratiâ finalis perseverantiæ, nec etiam rapientur in nubibus obviam Christo in aera ; sed tempore extremi judicii hærebunt in terrâ, nec cum ipso erunt in gloriâ cœlesti, sed in infernum detrudentur ; ergo, etc. Itaque cùm hæc explicatio non subsistat, nec etiam quorumdam aliæ ab A Lapide relatæ satis fundatæ videantur :

Resp. et dico : Loco præcitato Apostolus non describit ordinem resurrectionis ad resurrectionem, sed resurrectionis ad raptum ; et ita sensus est hic : Qui ante tempus extremi judicii in Christo mortui sunt, *resurgent primi*, vel, ut in textu Græco habetur, *primùm*, id est, antequàm omnes rapiantur obviam Christo ; deinde, postquàm isti resurrexerint, qui in vivis relicti erunt usque ad tempus adventûs Christi, simul cum istis per donum agilitatis celerrimo motu rapientur obviam Christo in aera, morte tamen brevissimâ intercedente, uti dictum in cap. 15 Epist. 1 ad Cor., quæst. 4.

Putat autem D. Thomas, lect. 2 in cap. 4 hujus Epistolæ, quòd illi qui adhuc vivent circa tempus extremi judicii, sint morituri ante sonum tubæ et resurrectionem dormientium in sepulcris ; idque ideò ut unà sono tubæ et generali cum ante dormientibus resurrectione *in momento, in ictu oculi*, ut dicitur 1 Cor. 15, suscitentur. Atverò S. Aug., lib. 20 de Civ. Dei, cap. 20, magis eò propendet ut immediatè post resurrectionem dormientium in sepulcris, isti viventes subitò exspirent, et mox calente adhuc corpore animam resumant. Unde secundum ipsum omnes etiam isti in momento quidem resurgent, sed non in eodem cum ante dormientibus.

Petes 1° an Apostolus agat de omnibus omninò hominibus circa finem mundi viventibus, dùm cap. 5, v. 3, dicit : *Cùm enim dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient.* — Resp. negativè, sed agit de solis impiis : nam, licèt omnibus *dies Domini, sicut fur in nocte, veniet*, ut dicitur v. 2, quia ab omnibus ignorabitur, tamen solos impios opprimet imparatos ; unde et iis solis interitum afferet. Boni enim, quamvis diem adventûs Domini ignorent, ad eum tamen semper parati sunt et præmuniti. Impiis sic repentè superveniet interitus, sicut mulierem gravidam ex im

proviso, dùm aliud agit et minimè de partu cogitat, sæpè dolores partûs occupant.

Petes 2° an præfata verba : *Cùm dixerint pax et securitas*, etc., non sint contraria iis quæ habentur Lucæ 21, v. 25, ubi dicitur quòd diem judicii sit præcessura *pressura gentium..., arescentibus hominibus præ timore et expectatione quæ supervenient universo orbi.* — Resp. negativè, quia impii dicent *pax et securitas*, antequàm mala et signa illa de quibus in Evangelio agitur sint eventura: Itaque dùm impii putabunt se summâ pace ac securitate frui, ista signa, ipseque judicii dies, signa proximè sequens, eos ex improviso obruet. Unde Luc., ibidem, subjungit v. 34 : *Attendite vobis, ne graventur corda vestra in crapulâ et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentinus dies ille ; tanquàm laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ.* Idem, scilicet quòd ante illa signa dicturi sint homines *pax et securitas*, clariùs insinuat Matthæus, cap. 24, v. 37, dicens : *Sicut in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis ; sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem quo intravit Noe in arcam, et non cognoverunt, donec venit diluvium, et tulit omnes, ita erit et adventus Filii hominis.* Cùm igitur sub adventu Filii hominis non tantùm dies extremi judicii, sed etiam signa diem illum præcessura, juxta communem interpretum opinionem, comprehendantur, clarè sequitur quòd ante ista signa sint exstituri impii, qui comedent, bibent, nubent, dicentque : *Pax et securitas.*

QUÆSTIO VI.

Ubi et ob quam causam Paulus scripserit Epistolam secundam ad Thessalonicenses.

Hanc Epistolam Athenis scriptam esse significat hypographe Græcorum codicum; sed hoc ex eis quæ de primâ Epistolâ supra, quæst. 2, diximus, facilè refellitur : nam si primam scripserit, postquàm Athenis Corinthum discesserat, non potuit hanc secundam ibidem scribere, quia Corintho non est reversus Athenas, sed navigavit in Syriam, venitque Ephesum, ut dicitur Act. 18, v. 18 et 19. Vero similius igitur est hanc Epistolam esse scriptam Corinthi, brevi temporis intervallo post primam. Et hoc satis ex connexione argumenti cum primâ, ac eisdem personis in fronte Epistolæ nominatis evinci videtur. Juxta Baronium scripta est anno æræ vulgaris 53, vero similiter parùm ante illud tempus quo Judæi insurrexerunt in Paulum, eumque adduxerunt ad tribunal Gallionis, Act. 18, v. 12.

Causæ scribendi fuerunt variæ : nam primò, cùm in Epistolâ primâ, cap. 3, v. 10, eos revisere statuisset, et variis negotiis impeditus id perficere non potuerit, per hanc Epistolam facit quòd præsens facturus fuerat. Primùm igitur animos eorum confirmat in adversis quæ pro Christi nomine tolerabant, ostendens quanta et ipsos gloria, et adversarios vindicta secutura sit, idque agit cap. 1 ; deinde, quoniam ex capite 4 primæ Epistolæ turbati erant, suspicantes diem judicii jam instare ; hunc eorum errorem corrigit cap. 2, docens non priùs Christum ad judicium venturum, quàm apparuerit Antichristus, illius adventu destruendus. Postremò, cùm intellexisset nondùm emendatos esse eos quos in primâ Epistolâ reprehenderat, et notaverat tanquàm otiosos et inquietos, nunc eosdem acriùs et pluribus verbis objurgat ac increpat, cap. 3 ; et ibidem, v. 9, reddit rationem ob quam à sumptu ab ipsis accipiendo abstinuerit.

QUÆSTIO VII.

Quid intelligatur per discessionem de quâ cap. 2, v. 3.

Apostolus, correcturus errorem ex Epistolâ primâ malè intellectâ conceptum, de instante die extremi judicii ait loco citato : *Ne quis vos seducat ullo modo ; quoniam* (supple, non veniet dies Domini) *nisi venerit discessio primùm, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis.* In textu Græco loco discessionis habetur *apostasia.* Porrò quid per hanc discessionem vel apostasiam intelligatur, non convenit inter interpretes. Interim multi per discessionem intelligunt defectionem quâ omnes gentes Romanorum imperio subjectæ ab eo recedent ; Apostolum autem dicunt id exprimere noluisse, ne Romanos offenderet, quibus persuasum erat semper duraturum eorum imperium. Ita, teste Estio, sentit S. Hieron., epist. 151 ad Algasiam, quæst. 11, et Ambrosianus in Commentariis. De eâdem defectione, tom. 2, de Mysteriis et Annis Christi, pag. 201, ita scribit P. Graveson : « Communis ac pervulgata est sententia imperium Romanum permansurum fore usque ad tempora Antichristi, mundique occasum, et tunc planè destruendum esse, quo destructo, affuturum Antichristum, et mundi finem, adeò ut venturus non sit Antichristus, nisi eversum sublatumque sit Romanum imperium. Id eleganter describit Lactantius, lib. 7 divin. Institut., cap. 16, his verbis : « Quomodò autem id futurum sit, ne quis « credibile arbitretur, ostendam. Inprimis, multiplicabitur regnum, et summa rerum potestas per pluri« mos dissipata et concisa minuetur. Tum discordiæ « civiles in perpetuum serentur, nec ulla requies bellis « exitialibus erit, donec reges decem pariter existant, « qui orbem terræ, non ad regendum, sed ad consum« mandum partiantur. His exercitibus in immensum « coactis, et agrorum cultibus destitutis, quod est « principium eversionis et cladis, disperdent omnia, et « commiauent, et vorabunt. Tum repentè adversùs « eos hostis potentissimus (seu Antichristus) ab extre« mis finibus plagæ septentrionalis orietur, qui tribus « ex eo numero deletis, qui tunc Asiam obtinebunt, « assumetur in societatem à cæteris, ac princeps « omnium constituetur. » Constans est etiam SS. Patrum traditio futuros circa finem mundi decem reges, qui funditùs destruent et evertent Romanum imperium, et illud inter se partientur, eorumque tempore venturum Antichristum, qui, debellatis ac profligatis tribus ex illis regibus, reliquos septem superstites suo subjugabit imperio. Non veniet itaque Antichristus,

quamdiù stabit imperium Romanum. » Ita Graveson. Sicut igitur Christus venit in mundum, quando imperium Romanum sub Augusto erat in maximo flore, ita Antichristus veniet, quando defloruerit, et in decem regna laceratum fuerit.

Sed contra jam memoratam interpretationem se opponit Estius, eamque non subsistere conatur probare sequentibus argumentis : primò, quia experientiâ notum est quòd à Romano imperio variæ gentes, quæ ante ei subjectæ erant, defluxerint, solumque penè nomen imperii Romani hodiè reliquum habeamus; nec tamen venit Antichristus, quem venturum statim post apostasiam Apostolus significat; secundò, quia non ita terreno regno spirituale suum regnum, id est, Ecclesiam, Christus alligavit, ut illo florente ipsa floreret, et illo deficiente, deficeret, aut in angustias redigeretur : nam Romani imperatores, florente adhuc imperio, Christi Ecclesiam maximè persecuti sunt, ut omnibus notum est; tertiò, quia nomen apostasiæ potiùs significat defectionem spiritualem, qualis est à fide et religione, quàm politicam, qualis est ab imperio terreno. Unde 1 ad Timoth. 4, v. 1, dicitur : *In novissimis temporibus discedent quidam à fide.*

Rectiùs itaque, ait interpres præcitatus, et sacris Scripturis convenientiùs sentire videntur, qui apostasiam hanc interpretantur defectionem à fide catholicâ, eamque universalem; quâ nimirùm, non tantùm personæ, quamvis multæ, sicut jam sæpè accidit, sed etiam regna et provinciæ omnes, aut penè omnes, recedent ab Ecclesiâ catholicâ, et ab obedientiâ summi Pontificis. Ita discessionem hanc intellexerunt S. Anselmus et D. Thomas in Commentariis super hanc Epistolam. Confirmat hanc expositionem auctoritas B. Thomæ Cantuariensis, qui in epistolâ quâdam ad episcopos Angliæ sic loquitur : « Stabit Ecclesia, etsi « sæpè concussa, in eâ fortitudine et firmitate in quâ « fundata est, donec veniat generale dissidium, donec « filius ille perditionis surgat; » ubi per *generale dissidium* intelligit haud dubiè generalem quam diximus ab Ecclesiâ catholicâ defectionem. His consonant ipsius Christi verba, dicentis Lucæ 18 : *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terrâ?* Quasi dicat vix inventurum, propter præcedentem apostasiam; tunc enim *abundabit iniquitas, et refrigescet charitas multorum*, Matth. 24, v. 12. Unde passim totus orbis apostatabit à fide, præter paucos, qui perseverabunt usque in finem, ne portæ inferi in totum prævaleant adversùs Ecclesiam.

Quidquid sit de duabus sententiis jam relatis, ego, salvo meliori, puto satis fundatè dici posse quòd Apostolus agat de utràque defectione, scilicet tam à fide quàm à Romano imperio. Nam, licèt variæ provinciæ, quæ quondam Romano imperio subjectæ fuerunt, jam ab aliis principibus occupentur, tamen dignitas imperialis adhuc manet, et quidem eminentissima inter seculares dignitates christiani orbis; quæ non videtur auferenda, nisi circa tempora Antichristi, prout Apostolus insinuat v. 7, dicens : *Donec de medio fiat*, id est, quòusque ipse imperator, seu imperium ejus penitùs tollatur de medio; hoc est, omninò destruatur et auferatur Romanum imperium. Unde S. P. Aug., lib. 20 de Civ. Dei, cap. 19, ita scribit : « Illud, quod « ait Apostolus : *Tantùm qui modò tenet, teneat, donec « de medio fiat*, non absurdè de ipso Romano imperio « creditur dictum, tanquàm dictum sit : Tantùm qui « modò imperat, imperet, donec de medio fiat, id est, « de medio tollatur. *Et tunc revelabitur iniquus*, quem « significari Antichristum nullus ambigit. »

IN UTRAMQUE EPISTOLAM
AD TIMOTHEUM
Dilucidatio.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid contineat Epistola prima.

Quia de Timotheo, ut dicitur Act. 16, v. 2, *testimonium bonum reddebant, qui in Lystris erant et Iconio fratres*, ideò S. Paulus eum in socium assumpsit itineris et prædicationis; sed primò circumcidit propter Judæos, qui erant in illis locis. Quamvis autem esset juvenis, tamen quia ab infantiâ sacras Litteras noverat, ut habetur 2 Timoth. 1, v. 15, et virtus ætatem supplebat, Apostolus eum non sine speciali Spiritûs sancti inspiratione, per manuum suarum impositionem Ephesiorum episcopum consecravit; quem ut pleniùs ad hoc munus instrueret, duas ad eum scripsit Epistolas.

In hâc autem primâ eum instruit, non ut Christianum quemlibet, sed ut christianæ plebis episcopum atque doctorem. Itaque valdè sollicitè monet Timotheum de toto officio episcopali. Primò autem commonefacit injunctæ sollicitudinis et vigilantiæ contra eos qui legem fabulasque Judaicas Evangelio miscebant; deinde vult publicas orationes pro omnibus fieri, subjungens obiter quomodò mulieres in ecclesiâ se gerere debeant; mox præscribit quales ordinandi sint episcopi et diaconi, atque hæc tractat tribus primis capitibus.

Quarto capite præmunit in Timotheo Ecclesiam contra futuras atque instantes hæreses; post hæc variis doctrinis eum instruit, ut de senioribus et junioribus admonendis, de viduis alendis, de presbyteris honorandis et judicandis; item de servorum officio, de vitandâ avaritiâ, de divitibus hujus seculi, etc. Quæ omnia mirificè conferunt ad rectam Ecclesiæ gubernationem. Unde hanc, uti et secundam, ac eam ad Titum Epistolas perpetuò ante oculos habere debet quisquis in Ecclesiâ doctoris aut pastoris personam sustinet, uti monet S. P. Aug., lib. 4 de Doct. christ., cap. 16. Utilissima enim præcepta pro quocumque rectore ecclesiastico continent : non enim tantùm ipsorum causâ scriptæ sunt, sed ut in ipsis omnes Ecclesiarum antistites instructiones et præcepta acciperent ad officium suum rectè ac dignè administrandum.

QUÆSTIO I.

In quo loco et quo tempore hæc Epistola scripta sit.

Nonnulli putant hanc Epistolam esse scriptam Laodiciæ in Phrygiâ, uti inscriptiones Græcis exemplaribus appositæ insinuant; sed hæ inscriptiones nullam merentur fidem, cùm, teste Calmet hic, in Præfatione, inscriptiones in quibusdam Græcis manuscriptis et aliis impressis, scilicet in editione Complutensi, apertè habeant eam esse scriptam in Macedoniâ. Hoc autem Athanasius, in Synopsi, et Theodoretus, Præfat. in Epistolas Pauli, colligunt et eò quòd hìc, cap. 1, v. 3, ad Timotheum ita scribat Apostolus : *Rogavi te ut remaneres Ephesi, dùm irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam ne aliter docerent.* Putat tamen A Lapide Theodoretum hanc sententiam retractâsse, eò quòd, ut ipse refert, in fine Epistolæ 1 ad Timoth., dicat : *Prima Epistola ad Timotheum scripta est Laodiciæ, quæ est metropolis Phrygiæ.* Interim ad hoc argumentum respondet Calmet hoc modo : Vir ille doctus vel nunquàm legit illam inscriptionem, vel aliâ manu ejus operi adjecta videtur, vel saltem minimi illam habuit, cùm in Præfat. Epist. ad Rom., hanc Epistolam in Macedoniâ esse exaratam perspicuè præferat; idque necessariò dicendum, ne in textu admittatur contradictio; ne minima enim in verbis apparet retractatio, ut vult A Lapide.

Licèt autem jam interpretes communiter admittant illam esse scriptam in Macedoniâ, de tempore tamen quo scripta fuit inter se non conveniunt : quidam enim cum Fromondo et Estio putant esse scriptam anno æræ vulgaris 57, dùm Paulus propter tumultum à Demetrio argentario excitatum, Act. 19, v. 24, Epheso in Macedoniam navigavit, et ibidem ad aliquod tempus moratus est, donec iret in Græciam.

Verùm hæc opinio non videtur subsistere, 1° quia, ut ex verbis cap. 1 supra citatis constat, Paulus rogavit Timotheum ut maneret Ephesi; et cap. 2, v. 14, adjungit : *Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire citò;* atqui tamen certum est quòd Timotheus non manserit Ephesi, dùm Paulus inde propter tumultum à Demetrio argentario excitatum profectus est in Macedoniam, sed quòd Paulo adfuerit in Macedoniâ, quandoquidem ibidem cum ipso Epistolam secundam ad Corinthios miserit, uti ex cap. 1, v. 1, ejusdem Epistolæ manifestum est. Vide quæst. 2 in Epist. 2 ad Cor., et Chronologiam, ad annum 58. 2° Quià constat quòd eo tempore Timotheus fuerit comes Pauli in viâ, et forsan cum ipso iverit Corinthum. Dico *forsan*, quia de hoc non ita constat. Interim hoc certum est, quòd, postquàm Paulus in Græciâ moratus fuisset tribus mensibus (intra quod tempus Corinthios revisit), ac inde vellet navigare in Syriam, et propter insidias Judæorum, ut dicitur Act. 20, v. 3, reverteretur per Macedoniam, ipsi adfuerit Timotheus; id enim ibidem exprimitur v. 4. Ergo ex omnibus his certum est quòd Timotheus tunc temporis non fuerit Ephesi, adeòque Paulus non potuerit scribere quòd speraret se ad eum venire citò. 3° Constat ex Act. 19, v. 22, et 1 ad Cor. 4, v. 17, quòd Paulus Timotheum miserit in Macedoniam cum mandato eundi Corinthum, et ad ipsum revertendi Ephesum, ut ab eo scire posset statum Corinthiorum, prout colligitur ex 1 Cor. 16, v. 11; atqui etiam omninò certum videtur Timotheum non rediisse ad Paulum Ephesum; nam aliàs ex ipso statum Corinthiorum cognovisset, quem tamen ex ipso non cognovisse inde liquet quòd eum demùm cognoverit ex Tito, dùm postea venit in Macedoniam; ergo prorsùs certum videtur quòd Paulus anno 57 æræ vulgaris Timotheum non reliquerit Ephesi, ac consequenter tunc non potuerit hanc ex Macedoniâ ad illum scribere Epistolam.

Itaque nihil vero similius et historiæ sacræ conformius esse videtur, quàm ut dicamus hanc Epistolam scriptam esse post prima vincula Romana, anno scilicet æræ vulgaris 63, siquidem anno 64 Paulus profecturus in Macedoniam Timotheum jam à se consecratum episcopum Ephesi reliquit. Vide chronologiam ibidem.

Dices cum Fromondo et aliis : Dùm Apostolus hanc Epistolam scripsit, Timotheus adhuc adeò juvenis erat, ut vocet eum adolescentem : ait enim hìc, cap. 4, v. 12 : *Nemo adolescentiam tuam contemnat;* atqui in nostrâ sententiâ tunc non potuit esse adeò juvenis, quandoquidem anno æræ vulgaris 51 videatur fuisse diaconus; Apostolus enim, Epist. 1 ad Thessalonic. (quæ scripta est anno 52), vocat eum *ministrum Dei in Evangelio Christi;* ergo hæc Epistola non est scripta anno 65 æræ vulgaris. — Resp. : Neg. min., quia, si supponatur anno quo consecratus est episcopus fuisse 30 annorum, adhuc satis juvenis erat ad gubernandam totam ecclesiam Ephesinam, cùm eo tempore episcopi omnia ferè per semetipsos facere ac exequi deberent.

Inst. : Jam memoratum suppositum non videtur admittendum; nam, juxta illud, Timotheus fuisset ordinatus diaconus anno ætatis suæ decimo septimo. — Resp. : Neg. assumpt.; cùm enim, teste Apostolo, 2 ad Timoth. 3, v. 15, ab infantiâ sacras Litteras didicisset, nihil implicat eum anno ætatis suæ decimo

septimo ordinatum fuisse diaconum, siquidem tunc temporis non requirebatur certa et determinata ætas ad suscipiendum ordines sacros.

QUÆSTIO III.

De quibus genealogiis agat Apostolus Epist. 1, *cap.* 1, *v.* 4; *item quo sensu se vocet primum inter peccatores.*

Apostolus Timotheum monens ut afferentes nova dogmata, fabulas et genealogias arguat, dicit loco citato : *Rogavi te ut remaneres Ephesi..., ut denuntiares quibusdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis et genealogiis interminatis.* His verbis certò non vult significare contemnendas esse veteris Testamenti genealogias, quæ descriptæ sunt in libris Genesis, Paralipomenon, Esdræ, etc. Hæ enim utiliter scriptæ fuerunt, ut nempe unusquisque sciret suam tribum et portionem terræ promissæ tribui suæ debitam, utque constaret quinam forent de tribu Levi, propter sacerdotium; item quinam essent de tribu Judà, ob Messiam, ex hâc tribu oriundum. Verùm post Christi adventum, lege jam cessante, inutile foret modò inquirere quinam Judæi hodiedùm sint de tribu Levi, quinam de tribu Judà, etc. Apostolus igitur hic agit de fabulis et genealogiis quas Judæi post Christi adventum confinxerunt, et quæ nunc exstant in quodam libro qui vocatur *Talmud*; id est, Corpus doctrinæ. Unde S. P. Aug., lib. 2 cont. Advers. legis, cap. 1, ait : « Nescit (scilicet adversarius legis) habere præter « Scripturas legitimas et propheticas Judæos quasdam « traditiones suas, quas non scriptas habent, sed me- « moriter tenent, et alter in alterum loquendo trans- « fundit, quas *Deuterosin* vocant. Ubi etiam dicere « audent, et credere Deum primo homini duas creâsse « mulieres, ex quibus texunt genealogias verè, sicut « ait Apostolus, infinitas, parientes infructuosissimas « quæstiones. »

Vers. 15 : *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Quo sensu hic Paulus se dicat esse primum inter peccatores, satis incertum est, quandoquidem desuper inter se non conveniant interpretes. Interim hanc quæstionem videtur satis fundatè resolvere S. P. Aug., serm. 175 de Verbis Apostoli, edit. Paris., dicens : « Quo- « modò in artificialibus, quicumque vult ædificare, « dicit : Quis est primus structor? Aut si curari velit : « Quis est primus medicus? non utique interrogat quis « prior sit ætate, aut quis prior sit professione, sed « quis prior sit arte. Quomodò illi in arte primi, sic iste « in iniquitate primus. Quare Paulus in iniquitate pri- « mus? Recolite Saulum, et invenietis. Nonne ille est « cui ad lapidandum Stephanum manus una non suffi- « ciebat, et aliorum vestimenta servabat? Nonne ipse, « qui Ecclesiam ubique persequebatur? Nonne ipse « est, qui litteras acceperat à principibus sacerdotum? « Quia parùm illi erat persequi Christianos qui erant « in Jerusalem, sed volebat ad alia loca venire, ubi eos « inveniret, et ligaret, et puniendos adduceret... Ipse « est ergo, qui primus erat persecutor, illo pejor non « fuit. » Et iterùm, serm. 176, de Paulo ait : *Nemo acrior inter persecutores; ergo nemo prior inter peccatores.*

Dices : Multi Judæorum Christum et Ecclesiam eo tempore persecuti sunt ex malitiâ, Paulus autem id tantùm fecit ex ignorantiâ; atqui peccatum ignorantiæ minus est peccato malitiæ; ergo non potest dici quòd Paulus, juxta sensum jam datum, fuerit primus inter persecutores; sed dici debet quòd fuerit primus seu pejor inter persecutores conversos. — Resp. : Disting. min. : Peccatum ignorantiæ minus est peccato malitiæ, cæteris paribus, concedo; cæteris non paribus, nego minorem; nam cætera hìc non sunt paria, siquidem Saulus ubique, seu in omnibus locis, et sine intermissione Ecclesiam persequebatur, spirans minas, et anhelans cædes, ut ex Actibus apostolorum satis liquet; hoc autem non videntur fecisse alii, licèt varii ex ipsis Ecclesiam persequerentur ex malitiâ. Deinde, ut Paulus, juxta sensum objectionis propositæ, dicatur primus inter peccatores conversos, præsupponi debet quòd nullus ex istis qui Ecclesiam persecuti sunt ex malitiâ, conversus fuerit. Hoc autem non videtur posse præsupponi, utpote fundamento destitutum.

QUÆSTIO IV.

De variis aliis Epistolam primam concernentibus.

Petes 1° quomodò Apostolus, cap. 2, v. 14, dicat Adamum non esse seductum, sed Evam. — Resp. : Ad hanc quæstionem à Pererio, lib. 6 super Genes., et à Bellarmino, lib. 3 de Amiss. grat., cap. 7, multæ afferuntur responsiones, quas omnes hic referre nimis longum foret. Interim præ cæteris placet responsio eorum qui dicunt Evam fuisse seductam, quia aliquo modo credidit verbis serpentis : nam audiens quòd ipsa et Adam essent futuri sicut dii, scientes bonum et malum, elata in superbiam, putavit se non peccaturam si comederet de fructu vetito. Adam verò hanc falsam apprehensionem non habuit, sed ideò peccavit, quia nimiùm complacuit uxori, à quâ nec in peccati societate divelli voluit, ne ipsam contristaret vel exacerbaret. Unde S. P. Aug., lib. 14 de Civ. Dei, cap. 11, de peccato Adami et Evæ ita scribit : « Sicut... « nec Salomonem credibile est errore putâsse idolis « esse serviendum, sed blanditiis femineis ad illa sa- « crilegia fuisse compulsum, ita credendum est illum « virum suæ feminæ uni unum, hominem homini, « conjugem conjugi, ad Dei legem transgrediendam, « non tanquàm verum loquenti credidisse seductum, « sed sociali necessitudine paruisse. Non enim frustra « dixit Apostolus : *Adam non est seductus, mulier au-* « *tem seducta est;* nisi quia illa quod ei serpens locu- « tus est, tanquàm verum esset accepit, ille autem ab « unico noluit consortio dirimi, nec in communione « peccati; nec ideò minus reus, sed sciens prudensque « peccavit. Unde Apostolus non ait : Non peccavit, « sed : *Non est seductus*... Hos autem seductos intelligi « voluit, qui id quod faciunt non putant esse pecca- « tum, ille autem scivit... Ac per hoc in eo quo mulier « seducta est, non est ille seductus. » Cæterùm qui plura de hâc materiâ desiderat, legat theologos, qui desuper ex professo tractant, dùm agunt de peccato primorum parentum.

Petes 2° quo sensu, cap. 3, v. 1, Apostolus dicat : *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* — Resp. : Si agatur de honore et dignitate episcopali, absoluta est sententia S. P. Aug., quòd hoc sensu episcopatum non liceat appetere; nam, lib. 19 de Civ. Dei, cap. 19, tractans hunc Apostoli textum, ita scribit : « Locus superior, sine quo regi popu- « lus non potest, etsi ita teneatur atque admini- « stretur ut decet, tamen indecenter appetitur. » Quòd si de opere seu functione episcopali agatur, ita ut aliquis dicatur episcopatum appetere, quia opus episcopale appetit, nec illud simpliciter appetendum est, sed urgente Ecclesiæ necessitate, si imponitur, suscipiendum. Unde consequenter loco jam citato prosequitur S. Aug. : « Quamobrem otium sanctum « quærit charitas veritatis, negotium justum suscipit « necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus im- « ponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est « veritati; si autem imponitur, suscipienda est pro- « pter charitatis necessitatem. » Itaque præcitato loco tantùm docet Apostolus quòd ille qui episcopatum desiderat opus in se honestissimum ac optimum desideret; nam publicam et æternam populi salutem procurare, opus est excellenter bonum et honestum; sed an huic sarcinæ ferendæ quis sit idoneus, non est ipsius judicare, sed aliorum; et ideò non debet illam appetere, sed ab aliis sibi impositam, propter salutem populi humillimè suscipere.

Petes 3° quid Apostolus cap. 5 doceat de viduis. — Resp. « Loco citato, v. 11, monet Timotheum ut adolescentiores seu juniores viduas, in quibus ætas nondùm deferbuit, devitet, hoc est, eas non admittat in numero viduarum quæ aluntur eleemosynis Ecclesiæ; idque ob specialem hanc rationem : *Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt;* hoc est, cùm genio et deliciis ex bonis Ecclesiæ indulserint; omnis enim excessus, non tantùm in re venereâ, sed et in cibo, potu ac corpòris ornatu, Latinè *luxuriari* vocatur : τὸ autem *in Christo*, juxta Fromondum et Estium, idem denotat ac *in Christum*, id est, contra Christum; idque dicunt patere ex textu Græco. Unde Arias et alii vertunt : *Cùm lascivierint adversùs Christum*, nempe tanquàm sponsum suum, à quo alebantur, et cui per votum desponsatæ erant. Sensus igitur est non admittendas, sed rejiciendas esse juniores viduas, quia postquàm in domo Dei ab Ecclesiâ benè alitæ et pastæ fuerint, et in delicias carnales resolutæ cœperint lascivire et protervè agere adversùs Christum, quem sponsum elegerant, nubere volunt homini mortali, Christum fastidientes.

Petes 4° an Apostolus, dùm hìc, cap. 5, v. 14, subjungit : *Volo ergo juniores nubere*, non contradicat iis quæ docuerat 1 ad Cor. 7, ubi omnes ad castitatem exhortans, ait : *Volo omnes esse sicut meipsum;* et peculiariter de viduâ : *Beatior erit si sic permanserit.* — Resp. negativè, quia hoc loco id velle se dicit, quod absolutè et omnibus circumstantiis consideratis expedire videbat istis junioribus viduis. Ad Cor. autem tantummodò desiderium suum exponit, id est, ibidem significat quid velit, hìc quid velle cogatur, ait S. Hieron. epist. 11; hoc est, vult seu optat ut omnes sint continentes sicut ipse, quia hoc est absolutè et secundùm se melius; sed si se non continent, nubant, quia talibus *melius est nubere quàm uri*, ut dicitur cap. cit. ad Cor., v. 9. Hinc S. P. Aug., reflectens ad præcitata Apostoli verba : *Volo juniores nubere*, lib. de Bono viduit., cap. 8, ait : *Non legem figit junioribus viduis, sed remedium ostendit*, scilicet ut nubant, dùm in eis est periculum luxuriæ et incontinentiæ.

Dices : Si voluntas aut consilium Apostoli est ut juniores viduæ nubant, sequitur quòd malè faciat Ecclesia, dùm passim adolescentulas seu juniores filias ad professionem castitatis admittit. — Resp. negando sequelam, quia non est eadem de virginibus et viduis ratio : nam vidua multò difficiliùs quàm virgo concupiscentiæ resistit; et tantò vehementiùs in eâ superandâ laborabit, quantò majores ei vires consuetudo addidit, inquit S. Aug., lib. 6 cont. Julian., cap. 7. Similiter etiam loquitur S. Hieron., epist. 11 ad Ageruchiam, cap. 3 : « Virginitas in eo « facilior est, quòd carnis incentiva non novit; et vi- « duitas in eo sollicitior, quòd præteritas animo re- « colit voluptates, maximè si se virum putet perdi- « disse, non præmisisse, quorum alterum doloris, « alterum gaudii est. »

QUÆSTIO V.

Quo tempore et ob quam causam Paulus scripserit Epistolam secundam ad Timotheum.

Hanc Epistolam è vinculis Romanis esse scriptam cruitur ex cap. 2, v. 9, omnesque interpretes desuper conveniunt; sed an è primis, an verò è secundis vinculis scripta sit, controvertitur. Attamen è primis non esse scriptam satis evincunt ea quæ dicta sunt in cap. 28 Act. apost., quæst. 2, in respons. ad obj. 2; quòd autem è secundis vinculis scripta sit,

Probatur, quia hæc Epistola scripta est dùm Paulus jam proximus erat morti; atqui in secundis vinculis proximus erat morti; ergo, etc. Prob. maj. ex cap. 4, v. 6, ubi ait : *Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat; bonum certamen certavi, cursum consummavi;* ad quæ verba reflectens S. P. Aug., lib. de Grat. et lib. Arb., cap. 6, dicit : « Apostolum « Paulum, quem certè invenimus sine ullis meritis « bonis, imò cum multis meritis malis, Dei gratiam « consecutum, reddendis bona pro malis, videamus « quid dicat *suâ jam propinquante passione* scribens « ad Timotheum : *Ego enim jam immolor*, etc. » Similiter S. Chrysost., hom. 1 in hanc Epistolam, ait : *Videtur autem tunc scripsisse Epistolam, cùm proximus esset fini.* EGO ENIM, *inquit*, JAM DELIBOR; et hom. 9 vocat eam *testamentum Pauli morientis.*

Obj. 1° : Hæc verba : *Ego enim jam delibor*, etc., non intelliguntur de jam imminente passione mortis, sed per ea tantùm insinuare vult Apostolus quòd pedetentim ad mortem tenderet, quia, licèt foret incertus de tempore, videbat tamen se paulatim per

carceres et tribunalia pararl ad victimam. — Resp. ita quidem istum locum explicare Baronium et Estium; sed his præferendi sunt SS. Aug. et Chrysost., qui, ut supra vidimus, exponunt de jam imminente passione mortis; deinde ista explicatio repugnat textui originali, seu Græco, in quo ponitur : *Jam immolo*, etc., id est, jam incipio sacrificium martyrii mei.

Inst. cum Fromondo : Adverbium *jam* non significat semper tempus omninò præsens aut planè proximum, ut patet Matth. 3, v. 10, ubi dicit S. Joannes Baptista : *Jam securis ad radicem posita est;* quod aliqui interpretantur de excidio Jerosolymitano, quod tamen adhuc multis annis postea demùm contigit. — Resp. 1° istam interpretationem non subsistere, siquidem genuina interpretatio videtur esse eorum qui per memorata S. Joannis Baptistæ verba dicunt significari jam imminere irreparabile excidium, infligendum per æternam damnationem, quia nimirùm illud post Christi adventum omnino palàm cœpit in mundo prædicari et hominibus annuntiari. Interim, etiam dato quòd præfata verba intelligerentur de excidio Jerosolymitano, resp. 2° inde nihil sequi contra nostram sententiam, primò, quia Joannes Baptista, utpote propheta, ibidem numerabat tempus secundùm computum Dei, in cujus conspectu mille anni sunt unus dies, Apostolus autem loquitur de approximatione suæ mortis secundùm usum humanum; secundò, Joannes loquitur de excidio urbis, quæ jam steterat à tempore Melchisedech; respectu autem istius longi temporis anni illi quibus post prædicationem S. Joannis Baptistæ adhuc stetit postea, ferè nihil sunt; Apostolus autem loquitur de morte proximâ unius hominis, qui nondùm habebat octoginta annos; respectu cujus ætatis aliquot menses, quibus adhuc post scriptam hanc Epistolam supervixit, parùm vel nihil reputantur; sed non quinque anni quibus post illud tempus quo in prima vincula conjectus fuit, adhuc supervixisset.

Obj. 2° : Cap. 4, v. 16, Apostolus Timotheo scribit : « In primâ meâ defensione nemo mihi adfuit, sed « omnes me dereliquerunt; » et addit, v. 17 : « Dominus « autem mihi astitit, et confortavit me, ut per me « prædicatio impleatur, et audiant omnes gentes; et « liberatus sum de ore leonis, » hoc est, è manibus Neronis, qui ut leo crudelis erat. Ex his autem verbis manifestum videtur quòd Paulus scripserit hanc Epistolam è vinculis quibus solutus et liberatus fuit; atqui non secundis, sed primis vinculis solutus et liberatus fuit; ergo non è secundis, sed è primis vinculis eam scripsit. — R. : Neg. maj., et ad citatos textus dico satis plausibiliter ab aliquibus sustineri quòd per primam defensionem hic intelligatur ea quam fecit Paulus in primis vinculis, cùm scilicet quinto Neronis anno Jerosolymis captus, ad Neronem Romam missus est, ibique per biennium mansit; et anno nono Neronis liberatus fuit; tunc enim Deum habuit adjutorem, qui Neronem ei benevolum redidit, ut è carcere liberatus sit et per Occidentem Evangelium gentilibus prædicaverit.

Itaque Paulus è secundis vinculis scribit Timotheo illa quæ ipsi contigerant in primis; atque hanc responsionem confirmat S. Hieron., lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, verbo *Paulus*, dicens : « Sciendum autem in primâ satisfactione, necdùm Neronis impe« rio roborato, nec in tanta erumpente scelera, quan« ta de eo narrant historiæ, Paulum à Nerone dimissum, « ut Evangelium Christi in Occidentis quoque parti« bus prædicaret, sicut ipse scribit 2 ad Timoth., *eo « tempore quo passus est*, et de vinculis dictat Epistolam; » ubi clarè habet quòd Paulus è secundis vinculis, ex quibus liberatus non fuit, sed martyrium subiit, scribat quæ ipsi contigerant in primis.

Inst. : Omninò inutiliter Paulus Timotheo scriberet illa quæ ipsi in primis vinculis contigerant, nam Timotheus ea ignorare non poterat, tum quia Romæ conceptivus ejus fuerat, tum etiam quia aliunde ea novisse poterat, siquidem jam à quatuor vel quinque annis transacta erant. — Resp. : Neg. assumpt., primò, quia non videtur Timotheus omnia ista eum suis circumstantiis novisse; nam non constat quòd Timotheus ab initio primorum vinculorum Romæ Paulo adfuerit; et deinde Timotheus ante Paulum è vinculis liberatus fuit, et Româ ad alia loca ante liberationem Pauli videtur divertisse; secundò, etiamsi aliunde ea novisset, non noverat tamen ex litteris Pauli. Igitur Apostolus hæc ipsi scribit, tum ut memoriam ejus refricet, et eorumdem recogitatione animet ac excitet (sicut etiam fecit referendo ea quæ circa ipsum in primis vinculis facta sunt ab Onesiphoro, quæ tamen Timotheus noverat, ut patet ex cap. 1, v. 18), tum denique quia futuris seculis hæc scribere et consignare volebat. Vide etiam cap. 3, v. 10 et 11, ubi rursùs aliqua narrat quæ Timotheo non erant incognita.

Interim tamen, quia jam data responsio utcumque contorta videtur, nec ex Actibus apostolorum, nec ex epistolis quas Paulus in primis vinculis scripsit ullo modo probari potest quòd tunc fuerit in tanto vitæ discrimine ut omnes amici ejus ipsum deseruerint, et solus Dominus eum confortaverit, meliùs ad argumentum supra propositum, negatâ majore, respondetur quòd Paulus agat de defensione non omnium primâ, sed quam primam habuit post secundum suum adventum in urbem Romanam; tunc enim coram Nerone comparuit, et ab eo semel auditus fuit ac absolutus, uti insinuat S. Chrysost., hom. 10 in Epist. 2 ad Timoth., ita scribens : « Quam verò dicit *primam defensionem?* Neroni jam « adstiterat, et illæsus effugerat; ubi verò pincernam « ejus instituit, ac fidei sacramentis instruxit, tunc « jam ipsum capite truncavit. » Item quòd defensio illa de quâ Paulus hic loquitur, contigerit dùm secundâ vice Romam venit, clariùs adhuc exprimit idem Chrysost., Præfat. in Epist. ad Philip., ubi agens de primis vinculis Romanis, ita loquitur : « E vinculis, « in quibus fuerat, dimissus est; idque ostendit ad « Timotheum scribens : *In primâ meâ defensione nemo « mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt*... Vincula

« igitur illa significat, *quæ defensionem istam antecesserunt;* nam ipso quidem defensionis ac liberationis « tempore minimè adfuisse Timotheum constat. Inquit enim : *In primâ meâ defensione nemo mihi adfuit;* idque etiam hoc ipso ostendit, quòd hoc modo « scribit ; non enim illi per litteras nuntiâsset, quod « notum ipsi esse sciret. »

Inst. : Paulus dicit se in primâ suâ defensione liberatum fuisse ad prædicandum gentibus Evangelium ; ait enim : *Ut per me prædicatio impleatur, et audiant omnes gentes;* atqui, dùm secundâ vice venit Romam, non fuit liberatus, sed ex mandato Neronis occisus ; ergo, etc. — Resp. : Licèt fuerit liberatus ad prædicandum gentibus Evangelium, id tamen non necessariò intelligi debet de prædicatione extra urbem Romanam, sed de prædicatione Romæ complendâ commodè intelligi potest ; adeò ut sensus sit quòd Dominus eum confortaverit et liberaverit, ut prædicatio Evangelii, quæ adhuc Romæ ab ipso erat facienda, reipsâ impleretur antequàm à Nerone occideretur. Nec obest quòd addatur : *Et audiant omnes gentes,* quia sensus horum verborum, juxta S. P. Chrysost., hom. 10, in 2 ad Timoth., est hic : « Ut « omnibus manifesta sit gentibus prædicationis ex« imia laus, providentiæque ipsius » (Dei) « in me dis« positio. » Ideò igitur Deus Paulum confortavit et liberavit è manibus Neronis, ut ex illâ mirabili confortatione et liberatione cognoscerent gentes quibus Apostolus usque ad ultimam senectutem fidem prædicaverat, quàm præclara, sincera et vera esset Evangelii prædicatio ac fidei christianæ professio, et quantam curam Deus habeat eorum qui sincerè et absque humano timore hanc veritatem annuntiant et profitentur. Jam autem hoc potuerunt omnes vicinæ gentes, quibus Apostolus Evangelium prædicaverat, cognoscere, quamvis ipse è vinculis liberatus non fuerit, nec ampliùs ad eas diverterit ; ergo ex omnibus istis non potest concludi quòd hæc Epistola scripta sit in primis vinculis. Insuper non malè videtur reflectere auctor Analyseos quòd omnes gentes audirent fidem, dùm Paulus post primam suam defensionem Evangelium prædicabat in solâ urbe Romanâ, siquidem in hâc urbe tunc erant, et ad eamdem, tanquàm ad caput imperii, quotidiè concurrebant omnis generis et omnium ferè nationum homines ; adeòque prædicationem fidei, sano sensu, audiebant omnes gentes, dùm Paulus coram omnibus Romam confluentibus prædicabat.

Quod ad causam hujus Epistolæ attinet, eadem ferè est quæ prioris. Timotheum enim adhortatur, docens quæ sint pastoris et episcopi officia ; dicitque primum esse intrepidè ac instanter evangelizare, atque ex sacrâ Scripturâ sanam doctrinam docere ; deinde monet ut juvenilia desideria et stultas quæstiones vitet, sectando justitiam, fidem, charitatem et pacem ; atque hæc facit duobus primis capitibus.

Capite autem tertio præcipit ut à doctrinâ traditâ nullatenùs recedat ; unde et multa ibidem dicit de falsis profanorum dogmatum magistris, partim exortis, et partim exorituris, quos præcipit vitari ; animat eum etiam adversùs afflictiones et persecutiones imminentes ; denique, cap. 4, eum obtestatur ut arguat peccatores, et confutet hæreticos, quorum mores describit ; atque martyrium suum imminere significat, dicens, v. 6 : *Ego enim jam delibor,* etc. Hæc enim verba sunt *exultantis ad mortis præsentiam, et ad coronam anhelantis,* inquit S. P. Aug., in psal. 31.

QUÆSTIO VI.

Quo sensu, cap. 1, v. 9, sumatur τὸ secularia ; *item quid, ibidem, v. 16, intelligatur per Onesiphori domum.*

Apostolus adhortans Timotheum ut strenuè laboraret in prædicando Evangelio secundùm virtutem Dei, subjungit, v. 9 : « Qui nos liberavit et vocav i « vocatione suâ sanctâ, non secundùm opera nostra, « sed secundùm propositum suum, et gratiam quæ « data est nobis in Christo Jesu ante tempora secula« ria. » Per *gratiam* hìc non intelligitur gratia creata quæ in nobis est ; hæc enim effectus est prædestinationis ; sed intelligitur gratia increata, id est, gratuita Dei beneficentia, quam mox dicit *manifestatam* per adventum Christi, quamque ad Tit. 3 *misericordiam* vocat dicens : « Non ex operibus justitiæ, quæ feci« mus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos « nos fecit. » Igitur hoc nomen *gratiæ* proposito addit rationem gratuiti ; quasi dicat Apostolus : Secundùm propositum suum, quo gratis ac præter omne meritum nostrum constituit nos salvos facere.

Porrò τὸ *secularia* hìc aliter sumitur quàm 1 Cor. 6, v. 3, ubi dicitur : *Secularia, judicia, negotia, desideria;* idque patet ex textu Græco, in quo hìc loco *secularia* ponitur *æterna.* Itaque per *æterna* seu *secularia tempora* intelligit Apostolus perpetuam temporum seriem, quæ ab orbe condito elapsa fuit. Quia autem quidquid hanc temporum seriem antecedit, propriè æternum est, idcircò dicens : *Ante tempora secularia,* æternitatem designavit ; ita ut sensus sit : Quæ gratia seu misericordia quoad effectus suos, nobis per Christum data, hoc est, intuitu meritorum Christi, præparata fuit ab æterno. Et hic sensus etiam aliis Scripturæ locis omninò consentaneus est, ut Ephes. 1 : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ;* et iterùm : *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum.*

Porrò, dùm Apostolus Timotheum admonuerat ut depositum bonæ doctrinæ arctè custodiret, et simul significaverat quòd *omnes,* hoc est, plerique, Asiani ab ipso aversi essent, ab his Asianis aversis excipit Onesiphorum, dicens, v. 16 : *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui,* etc. Sciendum autem est, inquit Estius, bonam hanc Apostoli pro eo præcationem effectu non caruisse : nam, ut refertur in Martyrologiis tam Græcis quàm Latinis, Onesiphorus tandem in Hellesponto pro Christi nomine martyrio coronatus est ; si tamen est idem, subdit interpres mox citatus, quem illa commemorant. Nam profectò probabiliter dici potest Onesiphorum, de quo Apostolus loquitur, jam tum fuisse defunctum ; non enim, v. 16, dicit :

Det misericordiam Dominus Onesiphoro, sed *Onesiphori domui*, seu familiæ; deinde verò, v. 18, ipsi Onesiphoro bona apprecans, subjungit, v. 18 : *Det illi Dominus invenire misericordiam à Domino in die illâ.* Per quæ verba videtur ipsi optare quod Christiani solent optare fidelibus defunctis, nempe requiem et misericordiam. Ergo valdè probabile est quòd Onesiphorus modò esset defunctus, quando Apostolus hanc scribebat Epistolam. Præterea, cap. 4, v. 19, jubet salutari *Onesiphori domum;* atqui, si illum adhuc vivere putâsset, non domum duntaxat, sed et cum domo ipsum Onesiphorum salutari jussisset, sicut fecit ad Coloss. 4, v. 15, ubi dicit : *Salutate... Nympham, et, quæ in domo ejus est, ecclesiam;* ergo, etc.

Dices : Apostolus sic etiam loquitur de viventibus, uti patet ex Epist. ad Rom. cap. 16, v. 11, ubi ait : « Salutate eos qui sunt ex Aristobuli domo...; salutate « eos qui sunt ex Narcissi domo; » item. 1 Cor. 16, v. 15 : « Nòstis domum Stephanæ, et Fortunati... « Subditi sitis hujusmodi. » Ergo ex eo quòd hìc tantùm jubeat salutari Onesiphori domum, seu familiam, nequaquàm concludi potest quòd Onesiphorus modò esset defunctus. — Resp. cum Estio non liquere quòd Aristobulus et Narcissus tunc vixerint; fieri etiam potest ut Apostolus sciverit eos Romæ non esse, quando ista scripsit ad Romanos; deinde forma sermonis non est omninò similis illi quæ hoc loco ad Timotheum. De Stephano autem et Fortunato certum est eos Corinthi non fuisse dùm Corinthiis priorem Epistolam Apostolus scripsit, sed Ephesi apud ipsum. Infra enim, præcit. cap. 16 ad Cor., dicit : *Gaudeo in præsentiâ Stephanæ et Fortunati.*

QUÆSTIO VII.

Quid intelligatur per magnam domum de auâ loquitur Paulus cap. 2, v. 20.

Apostolus monens Timotheum ne turbetur aut miretur quòd aliqui à justitiâ et fide excidant, dicit Deum in domo Ecclesiæ suæ varia vasa habere. « In « magnâ domo, » inquit v. 20, « non solùm sunt vasa « aurea et argentea, sed et lignea, et fictilia, et quæ« dam quidem in honorem, quædam autem in contu« meliam. » Videtur autem alludere ad magnas principum aulas, in quibus sunt vasa diversa, non solùm in materiâ, ut aurea et argentea, testacea et lignea; sed etiam in formâ ac fine, quia quædam ad honorificos usus, alia verò ad vilia officia deputata sunt. Porrò quid parabolicè per magnam domum hic significare voluerit, non convenit inter interpretes. S. Chrysost., hom. 6 in 2 ad Timoth., Theophylactus ac Theodoretus, per magnam domum intelligunt mundum in quo sunt pii et impii, justi et peccatores; at multi alii, et quidem hodiedùm communiter omnes, docent quòd Paulus per magnam domum significare voluerit Ecclesiam in quâ sunt vasa aurea; id est, homines summè boni; item argentea, id est, boni tantùm; et denique lignea ac fictilia, id est, non boni, seu fragiles et infirmi in fide ac charitate. Hæc autem sententia est vero similior, atque

Prob. 1°, quia quid Paulus significare voluerit per magnam domum, non meliùs scire possumus quàm ex primâ ejus ad Timotheum Epistolâ; atqui in hâc per domum istam intelligit Ecclesiam, ut patet ibidem ex cap. 3, v. 15, ubi ait : *Ut scias quomodò oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi;* ergo et hìc per magnam domum videtur intelligere Ecclesiam. Prob. 2° ex S. P. Aug., qui, lib. 4 de Baptismo, contra Donatistas, cap. 12, relatis S. Cypriani verbis, ita scribit : « Sic igitur arguens Cyprianus « eos qui tanquàm malorum consortium devitantes, se « ab unitate diruperant, ostendit magnam domum, ubi « essent non solùm vasa aurea et argentea, sed etiam « lignea et fictilia, *non se intellexisse nisi Ecclesiam*, ubi « essent boni et mali, donec in fine sicut area ventilata « purgetur. » Per magnam domum intelligi Ecclesiam etiam docet D. Thomas, lect. 3 in cap. 2 Epist. 2 ad Timoth., ubi præcitata Apostoli verba exponit hoc modo : « In magnâ autem domo, id est, Ecclesiâ, non « solùm sunt vasa aurea, etc. Ubi aurea et argentea « distinguuntur à fictilibus, item argentea ab aureis, « item fictilia à ligneis. In primo comparatio bonorum « et malorum innuitur, in secundo comparatio bonorum « et meliorum, in tertio malorum et pejorum; nam « aurea et argentea sunt boni, sed aurea meliores, ar« gentea minùs boni; similiter lignea et fictilia sunt mali, « fictilia sunt pejores, lignea verò minùs mali. »

Dices : Si per magnam domum intelligatur Ecclesia, sequitur quòd ex mente Apostoli etiam hæretici sint in Ecclesiâ; atqui tamen hoc admitti nequit; ergo. Prob. maj., quia inter vasa fictilia loco citato videtur numerare Hymenæum et Philetum, siquidem, v. 17, ait : *Quorum sermo ut cancer serpit; ex quibus est Hymenæus et Philetus;* atqui hi non solùm erant hæretici occulti, sed etiam manifesti, ut patet ibidem, v. 18. Imò Hymenæus erat à Paulo, 1 ad Timoth., v. 20, traditus Satanæ, id est, publicè excommunicatus; ergo, etc. — Resp. : Neg. maj., et ad ejus probationem dico quòd Apostolus, dùm eos numerat inter vasa fictilia, respexerit ad tempus quo isti nondùm per obstinationem et pertinaciam erant ab Ecclesiâ separati, quemadmodùm reflectit S. P. Aug., lib. 3 de Baptismo, cap. 19 : *Si Hymenæum*, inquit, *fecimus hæreticum, potest intelligi quòd Apostolus respexerit ad aliud tempus quo nondùm sic erat; quo tamen tempore vas erat in contumeliam, sicut Paulus, cùm persequeretur Ecclesiam, vas in honorem.* Addit etiam S. doctor posse dici hæreticos esse in Ecclesiâ propter Sacramentorum administrationem, quia etiam ipsi quædam Sacramenta verè administrant; quod est dicere eos esse in Ecclesiâ secundùm aliquid, et non simpliciter.

Petes pro quo tempore supponat τὸ *in novissimis diebus*, dùm Apostolus, cap. 3, v. 1, ait : *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa.* — Resp. illud supponere non tantùm pro tempore quod erit in fine mundi, sed etiam pro tempore quod erat brevì futurum. Nam quod hìc prædicitur etiam ad Pauli et Timothei tempora pertinet : dicit enim Timotheo, v. 5 : *Et hos devita;* item v. 6 : *Ex his enim sunt qui pene-*

trant domos; etenim hæc verba proxime secutura tempora designare videntur. Itaque Apostolus utitur τῷ *novissimis* phrasi Hebræis usitatâ, quâ generaliter significatur omne id quod futurum est, ut inter alia liquet ex Gen. 49, ubi Jacob, jam moriturus, ita alloquitur filios suos: *Congregamini, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in novissimis diebus;* qui tamen multa ibidem prædicit, quæ diù ante Christi adventum impleta fuerunt.

IN EPISTOLAS AD TITUM ET PHILEMONEM

Dilucidatio.

QUÆSTIO PRIMA.

Quo tempore et ob quam causam Paulus scripserit Epistolam ad Titum.

Titus ante conversionem suam erat gentilis, ut dicitur ad Galat. 2, v. 3. In hâc autem Epistolâ quam Apostolus ad ipsum dirigit, eum vocat suum filium, ex quo aliqui volunt colligere Titum à Paulo ad fidem conversum fuisse, quem et secum duxit ad concilium Jerosolymitanum, ut habetur ad Galat. 2, v. 1. Postquàm autem Paulus in insulâ *Cretâ*, quæ hodiè *Candia* vocatur, Evangelium prædicâsset, et inde iterùm ad alias ecclesias recessurus esset, ut Cretenses non relinquerentur orphani, sed haberent apostolicum virum, qui ea quæ videbantur deesse corrigeret, Titum totius insu læ ordinavitepiscopum.

Quandonam autem hæc Epistola scripta sit, ex Scripturâ non facilè colligi potest, quia nec in Actibus apostolorum ponitur quòd Paulus in Cretâ Evangelium prædicaverit, nec ex ejus Epistolis col'igi potest quandonam illud ibidem prædicaverit.

Interim Baronius putat Apostolum, quando è Macedoniâ (sicut Act. 20, v. 2, narratur) in Græciam profectus est, non statim recto itinere in Græciam venisse, sed navigatione usum, priùs appulisse in Cretam, atque ibi prædicato Evangelio, ac Tito ad gubernandam Cretensem ecclesiam relicto, demùm in Græciam sive Achaiam venisse; ubi tribus mensibus moratum fuisse Paulum, eodem capite Act. apost. Lucas testatur. Igitur illo tempore scriptam esse hanc Epistolam existimat jam memoratus auctor. Verùm hæc opinio non videtur subsistere, primò, quia in Actibus apostolorum nulla prorsùs fit mentio de istâ navigatione in Cretam; imò contrarium potiùs insinuatur præcit. cap. 20, v. 2, ubi dicitur quòd Paulus, dùm perambulaverat partes Macedoniæ, et exhortatus fuerat fideles multo sermone, venerit in Græciam. Hæc enim verba videntur significare quòd ex Macedoniâ immediatè in Græciam profectus sit. Secundò, quia ex Epist. 2 ad Cor., cap. 2, v. 13, constat Titum fuisse illo tempore Corinthi, atque inde ad Paulum, in Macedoniâ existentem, venisse ut statum Corinthiorum ei exponeret, uti dicitur ibidem, cap. 7, v. 6 Deinde Paulus Titum (vero similiter cum Epistolâ secundâ) ad Corinthios remisit, ut in eis perficeret liberalitatem erga pauperes Jerosolymitanos, prout colligitur ex cap. 8, v. 6 et 23.

Vero similius igitur est hanc Epistolam esse scriptam post prima vincula Romana, eo nempe tempore quo Paulus Epheso in Macedoniam trajecit, ibique apud Philippenses mansit, ut dictum est in Chronologiâ, ad annum 65. Et hujus sententiæ videtur esse S. Chrysost., hom. 1, in hanc Epistolam, dicens: *Brevem scripsit Epistolam, meritò: quod virtutis testimonium fuit ipsius Titi... Videtur autem mihi eam præcedere quam ad Timotheum scripsit* (scilicet secundam); *illam enim, cùm jam finisset* (sive, ut habetur in margine: *Illam enim instante morte*), *scripsit; hic autem liber et absolutus esse deprehenditur: nam quod ait:* DECREVI HYEMARE NICOPOLI, *certum argumentum est quòd necdùm fuerit in vincula* (scilicet ultima) *conjectus, illic autem vinctum se assiduè vocat.*

Cùm autem, cap. 3, v. 12, Tito scribat: *Festina ad me venire Nicopolim, ibi enim statui hyemare*, manifestum est quòd hanc Epistolam scripserit cùm jam paratus esset Philippis Nicopolim proficisci. Itaque eodem moraliter tempore scripta est quo prima ad Timotheum; unde an prima ad Timotheum hanc, an verò hæc illam ordine temporis præcedere debeat, omninò incertum est.

Argumentum, seu scopus hujus Epistolæ idem ferè est ac Epistolarum ad Timotheum, siquidem instruit Titum de iis quæ ad regimen Ecclesiæ pertinent, monetque de modo episcopos et presbyteros ordinandi, ac graviter contra judaizantes insurgit, quos jubet acriter increpari. Deinde ad morum præcepta accedens, ætatem ac personarum officia prescribit. Inprimis autem obedientiam et subjectionem commendat tam servis erga dominos, quàm fidelibus omnibus erga principes. Et inter hæc semel atque iterùm præclaram admiscet mentionem gratiæ, quâ nullo nostro merito salvamur per Christum. Denique à vanis quæstionibus avocat, et hæreticos fugiendos esse monet.

Quòd verò multò breviùs ad Titum scribat quàm ad

Timotheum, ea ratio reddi potest, quia Titus, uti ætate provectior, ita et ecclesiasticis rebus gerendis erat exercitatior; Timotheus autem junior atque recentior, ideòque pluribus informandus. Ita Estius.

QUÆSTIO II.

Nonnulli textus explicantur.

Petes 1° quid Paulus significare velit, dùm cap. 1, v. 4, dicit: *Tito dilecto filio secundùm communem fidem.* —Resp. : Per hoc significat quòd Titus in fide Christi, ejusque sincerâ prædicatione, nusquàm ab ipsius vestigiis discesserit; cujus rei plura alia testimonia habentur 2 ad Cor. 8. Communem igitur fidem dicit suam et Titi, ut benè exponit S. Hieron. in hunc locum, non autem communem omnibus fidelibus; quæ commendatio nimiùm esse generalis.

Petes 2° quosnam nomine presbyterorum intelligat Apostolus, dùm v. 5 ait : *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut... constituas per civitates presbyteros.* — Resp. eum intelligere episcopos; id enim clarè patet ex eo quòd subjungat, v. 7 : *Oportet enim episcopum sine crimine esse;* etenim ex hâc conjunctione causali manifestum est quòd in v. 6 et 5 de episcopis egisset. Nec obest quòd juxta Homerum, Iliados 2, Creta haberet centum civitates, in quibus singulis Titus non videtur constituisse episcopos : nam Apostolus loquitur juxta morem et consuetudinem Ecclesiæ. Jam autem consuetudo Ecclesiæ nunquàm fuit ut omnia prorsùs oppida proprios episcopos haberent, sed majora tantùm et insigniora, quæ et ecclesiastico more *civitates* vocabantur. Præterea loquitur de illis duntaxat civitatibus in quibus erant multi fideles, quales civitates tunc in istâ insulâ adhuc paucæ fuisse videntur.

Petes 3° de quo poetâ aut prophetâ loquatur Paulus, v. 12, dicens : *Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta : Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* — Resp. eum loqui de Epimenide Cretensi, non autem de Callimacho, ut putat S. Chrysostomus; nam Callimachus non Cretensis, sed Cyrenensis poeta fuit. Unde D. Hieron. in hoc caput ita scribit : « Sunt qui putant hunc versum de Callimacho Cyrenensi poetâ sumptum, et aliquâ ex parte non errant, siquidem et ipse in laudibus Jovis adversùs Cretenses scriptitans, qui sepulcrum ejus se custodire gloriabantur, ait : *Cretenses semper mendaces, qui et sepulcrum ejus sacrilegâ mente fabricati sunt.* Verùm, ut supra diximus, integer versus de Epimenide poetâ ab Apostolo sumptus est, et ejus Callimachus in suo poemate est usus exordio. » Ex hujus verò Epimenidis libro de Oraculis, Apostolus istum versum desumpsit, ut domestico testimonio Cretenses convincerentur. Vocat autem eum *prophetam*, quia de oraculis scripsit, et arcanorum notitiam profitebatur. Non tamen simpliciter eum *prophetam* vocat, utpote quem noverat à cultu veri Dei fuisse alienum, sed *prophetam ipsorum*, Cretensium; ipsi enim eum ut talem habebant.

Dices : Apostolus ait ; *Testimonium hoc verum est;* atqui tamen Epimenides, et post eum Callimachus turpiter erraverunt, dùm dixerunt Cretenses semper esse mendaces, siquidem ideò vocaverunt eos mendaces, quia Cretenses Jovem, qui de mente poetarum regnabat in cœlis, in suâ insulâ fingebant sepultum; ergo istum versum Paulus non desumpsit ex Epimenide. —Resp. : Neg. conseq., et dico cum S. Hieron.: « Breviter respondendum est, sicut in eo quod ait : « *Corrumpunt mores bonos colloquia prava*, et in illo : « *Ipsius enim et genus sumus*, non statim totam Menandri comœdiam, et Arati librum probavit, sed opportunitate versiculi abusus est; ita et in præsenti loco non totum opus Callimachi, sive Epimenidis, quorum alter laudes Jovis canit, alter de oraculis scriptitat, per unum versiculum confirmavit; sed Cretenses tantùm mendaces vitio gentis increpavit, non ob illam opinionem, quâ sunt arguti à poetis, sed ob ingenitam mentiendi facilitatem, de proprio eos gentis auctore confutans. » Itaque Apostolus nullo modo approbat illam opinionem de Jovis divinitate, cujus occasione hoc dixerunt præfati poetæ, sed tantùm rem ipsam, scilicet quòd Cretenses sint mendaces, ob ingenitam nimirùm mentiendi et fallendi proclivitatem. Et eatenùs præmemoratum testimonium verum esse dixit.

Petes 4° quid intelligatur per habitum sanctum, in quo, cap. 2, v. 3, Apostolus jubet esse anus, seu provectæ ætatis matronas. — Resp. non tantùm corporis indumentum intelligi, sed etiam externam vitæ morumque probitatem : nam verbum Græcum καταστημα non vestimenta tantùm, sed etiam incessum, motum omnemque gestum significat. Quasi dicat : Anus in amictu, incessu ac toto corporis gestu decorem pietatis servent; atque hæc est illa gravitas quam in eo sexu et ætate singulariter commendat S. Ambrosius, lib. de Viduis.

Petes 5° ad quid referantur verba sequentia : *Benè docentes.* — Resp. : Nonnulli ista referunt ad exempla vitæ; sed ex versu 4 liquet Apostolum agere de doctrinâ et institutione sermocinali; adeòque ad hanc, non autem ad solum bonæ vitæ exemplum illa verba referenda sunt. Nec huic sensui repugnat illud 1 ad Timoth. 2 : *Docere mulieri non permitto ;* non enim ibi prohibetur ne domi ac privatim filios ac filias instruant, sed ne doceant in ecclesiâ aut in cœtu publico. *Mulieres*, inquit 1 Cor. 14, *in ecclesiâ taceant.* Vult igitur in hâc Epist., cap. 2, ut feminæ natu grandiores sint adolescentularum magistræ, easque doceant non aniles fabulas, non artes amatorias, non superstitiosas observatiunculas, sed ea quæ bona sunt et honesta, id est, pietatem, charitatem, pudicitiam, artemque benè et christianè regendi familiam; hæc enim in sequentibus versibus explicantur. Ita Estius.

QUÆSTIO III.

De Epistolâ ad Philemonem.

Hanc Epistolam è primis vinculis Romanis esse scriptam, omnium interpretum est sententia, idque constat ex eo quòd vinculorum quinquies meminerit

nempe v. 1, 9, 10, 13 et 22. Scopus ejus præcipuè consistit in quatuor instructionibus dogmaticis; primò per illam monentur prædicatores evangelici nihil, quantùmvis humile, negligendum pro animarum salute; secundò, servilem conditionem non esse despiciendam, etiamsi servus sit onustus peccatis; tertiò, servos non esse dominis subtrahendos, quamtùmvis sint nobis utiles; quartò, servos non esse erubescendos, si probi sint. Ita S. Chrysost. in hanc Epistolam. Atque hæc omnia facilè confirmantur ex iis quæ de Onesimo, servo Philemonis, ad eumdem Philemonem hìc scribit Apostolus.

Petes 1° quo sensu Paulus, v. 1, Philemonem vocet suî et Timothei adjutorem. — Resp.: Non hoc sensu quòd episcopus esset Colossensium (is enim Epaphras erat, uti dictum est quæst. 1 in Epist. ad Coloss.), sed quòd rebus et opere Evangelium Christi promoveret, quo sensu ad Rom. 16, et ad Philipp. 4, mulieres aliquæ laudantur, quòd Evangelii essent cooperatrices.

Petes 2° qualis fuerit ista Appia, de quâ loquitur Apostolus, v. 2. — Resp.: Vero simile est istam Appiam fuisse Philemonis uxorem, idque inde conjicitur quòd Paulus eam anteponat Archippo, quod aliàs non fecisset.

Petes 3° quo sensu Apostolus, v. 19, Philemonem dicat suî debitorem. — Resp. Philemonem fuisse ipsius debitorem, quia à discipulo ejus Epaphrâ, Colossensium apostolo, quem Paulus illùc miserat, unà cum aliis Colossensibus ad fidem conversus fuerat.

Petes 4° quid significet Apostolus, v. 20, ubi dicit: *Ita, frater; ego te fruar in Domino.* — Resp. eum significare ac exprimere vehemens desiderium suum, quo optabat Onesimi cum Philemone reconciliationem. Quasi dicat: Ego voluptatem miram capiam ex te, cùm hanc rem tam piam et justam in Domino concesseris, ut Onesimum, qui ad tempus à te divertit, rursùs in gratiam recipias. Dùm autem subjungit: *Reficе viscera mea in Domino*, juxta S. Hieron. hìc, τὸ *in Domino* vel ad *viscera* potest referri, vel ad *refice*; si primum fiat, sensus erit: Refice Onesimum, quem, ut viscera mea, christiano amore prosequor; si secundum, sensus erit: Onesimum tanquàm viscera mea recrea, et hanc gratiam ei præsta propter Christum, ut nempe illum tibi reconciliatum habeas.

IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS

Dilucidatio.

QUÆSTIO PRIMA

An hæc Epistola sit canonica.

Utrùm hæc Epistola Scripturis canonicis annumeranda foret, quondam in Ecclesiâ dubitatum fuit, idque asserit S. Hieron., epistolâ 129 ad Dardanum, infra citandâ. Ecclesia Græca quidem eam semper pro canonicâ habuisse videtur, non verò Latina, utpote quæ demùm seculo V de auctoritate ejus canonicâ cum Ecclesiâ Græcâ convenit. Denique nostro tempore de ejus auctoritate adhuc dubitavit Cajetanus; quod tamen valdè mirandum est. Lutherus eam simpliciter rejicit, quoniam, inquit, pœnitentiam tollit. Calvinus verò eam admittit, non quidem ob Ecclesiæ auctoritatem, sed quia existimat ex hujus Epistolæ doctrinâ, quæ traditur de uno Christi sacrificio, convellere ac subvertere se posse sacrificium missæ.

Resp. et dico: Certissimè tenendum est Epistolam ad Hebræos esse Scripturam sacram, eamque inter canonicas ab Ecclesiâ receptam.

Prob. 1° quia quotquot exstant, sive in conciliis, sive in decretis pontificum, sive in scriptis Patrum indices seu catalogi divinarum Scripturarum, hanc Epistolam inter eas recensent. Ea autem concilia sunt sequentia: Laodicenum, ante S. Hieronymi tempora celebratum, can. ult.; Carthaginense III, can. 47; hujus autem canonis auctoritatem allegat S. P. Aug., epist. 236; concilium Romanum septuaginta episcoporum, sub Gelasio I pontifice; denique concilium Florentinum in Decreto Armenis dato, et concilium Tridentinum, sess. 4. His adde Innocentium I, in epistolâ 3 ad Exuperium; Athanasium in Synopsi Scripturæ sacræ; Gregorium Nazianzenum, in Carmine de Scripturis authenticis, et Joannem Damascenum, lib. 4 de Fide, cap. 18. Qui omnes librorum canonicorum catalogum texentes, Epistolam ad Hebræos eidem inseruerunt.

Prob. 2°: Satis vero simile est Patres concilii Nicæni hanc Epistolam etiam canonicis Scripturis annumerâsse. Cùm enim S. Hieronymus, in Præfatione quam præfixit libro Judith, significet Nicæni concilii Patres constituisse certum numerum Scripturarum canonicarum, et aliunde constet Athanasium isti concilio interfuisse, nequaquàm vero simile est hunc relaturum fuisse Epistolam ad Hebræos inter Scripturas canonicas, nisi concilium Nicænum eamdem quoque inter Scripturas canonicas retulisset.

Prob. 3°: S. Petrus videtur hujus Epistolæ mentionem facere; nam, postquàm primam ad Hebræos inter gentes dispersos Epistolam scripsisset, secundam

ad eosdem scripsit, ut colligitur ex verbis cap. 3. *Hanc vobis, charissimi, secundam scribo Epistolam;* in eodem autem capite postea subjungit : *Sicut et charissimus frater noster Paulus scripsit vobis;* ergo Paulus aliquam Epistolam scripsit ad Hebræos; atqui non est alia assignabilis quàm hæc; ergo, etc.

Prob. 4° ex S. P. Aug., qui, lib. 2 Doctr. christ., dicit librorum novi Testamenti auctoritatem terminari *quatuor libris Evangelii, quatuordecim Epistolis Pauli Apostoli, ad Romanos,* etc., *ad Hebræos;* et tunc enumerat re iquos libros. Item, lib. 1 de peccat. Merit., cap. 27, ait : *Quanquàm nonnullis Epistola ad Hebræos incerta sit, tamen magis me movet auctoritas Ecclesiarum orientalium, quæ hanc etiam in canonicis habent.*

Obj. 1° : S. Hieron. videtur asserere hanc Epistolam non esse canonicam; dicit enim epist. 103, cap. 7 : *Epistola ad Hebræos à plerisque extra numerum ponitur;* et in cap. 8 Isaiæ : *Apostolus in Epistolâ quæ ad Hebræos scribitur, docet, licèt eam Latina consuetudo non recipiat.* — Resp. inde tantùm sequi quòd hæc Epistola tunc temporis ab omnibus omninò non fuerit recepta; sed tamen inde nequaquàm concludi potest quòd jam recipi non debeat, siquidem progressu temporis, accedente præsertim conciliorum definitione, dubitatio de authenticitate hujus Epistolæ æquè sublata fuit ac de libris Machabæorum et Apocalypsi, qui etiam in principio omnium consensu non statim approbati fuerunt. Quòd autem S. Hieron. tantùm retulerit quosdam putare eam non esse canonicam, non verò ipse id existimaverit, satis clarè patet ex epist. 129, ubi ait : « Quòd si eam Latinorum consue« tudo non recipiat inter Scripturas canonicas, nec « Græcorum quidem Ecclesiæ Apocalypsim Joannis « eâdem libertate recipiunt; et tamen *nos utraque sus*« *cipimus*, nequaquàm hujus temporis consuetudi« nem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequen« tes, qui plerùmque utriusque utuntur testimoniis, « non ut interdùm de apocryphis facere solent; quippe « qui et gentilium litterarum rarò utantur exemplis; « sed *quasi canonicis et ecclesiasticis.* »

Obj. 2° : Multa in hâc Epistolâ ponuntur quæ non conveniunt cum aliis Scripturis canonicis, primò, quia, cap. 1, videtur negare Filium esse ejusdem naturæ cum Patre; ait enim v. 3 : *Qui cùm sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus;* et v. 4 : *Tantò melior angelis effectus;* quæ designant eum non esse genitum, sed factum; secundò, cap. 6, v. 4, asserit peccata post Baptismum commissa esse irremissibilia; tertiò, cap. 7, v. 27, et cap. 10, v. 14, tantùm astruit unum novæ legis sacrificium, nempe cruentum. — Resp. : Neg. assumpt., et ad primum dico Filium vocari splendorem substantiæ Patris, quia sicut splendor à luce, ita Filius à Patre per æternam generationem procedit; unde et in lib. Sapient., cap. 7, de Sapientiâ increatâ, quæ est Filius, dicitur : *Candor lucis æternæ;* et in Symbolo dicitur : *Lumen de lumine;* vocatur autem *figura substantiæ ejus,* quia sic Patrem repræsentat, ut essentia, seu natura Patris in ipso perfectissimè reluceat. Unde Græcè pro *figura* habetur χαρακτὴρ, quod alii vertunt : *Expressa imago,* seu character quasi ceræ impressus; ac proinde significat Apostolus Patrem per generationem æternam expressissimam imaginem essentiæ suæ in Filium imprimere. Quia verò Filius non est imago artificialis, sed naturalis sui patris, ideò est ejusdem naturæ cum suo prototypo. Denique dicitur *melior angelis effectus,* quia angelus est prælatus, seu tanquàm excellentior præ angelis honoratus; eodem modo, sicut Joan. 1 dicitur ante Joannem Baptistam *factus,* id est, ipsi prælatus.

Argumenta de irremissibilitate peccatorum et uno novæ legis sacrificio solvuntur à theologis in tractatibus de Pœnitentiâ et de Sacrificio missæ.

Sunt quidem etiam nonnulla in hâc Epistolâ quæ videntur repugnare veteri Testamento, sed hæc passim apud interpretes conciliantur.

QUÆSTIO II.

An Paulus sit auctor hujus Epistolæ.

Resp. affirmativè. Prob. 1°, quia, ut dictum est quæst. præced., S. Petrus videtur hujus Epistolæ mentionem facere, eamque Paulo attribuere. Jam autem Petrus, Epist. 2, cap. 3, hortans Judæos conversos ad spem vitæ æternæ, ait : *Sicut et Paulus scripsit vobis;* atqui Paulus in hâc Epistolâ, cap. 10 et seq., usque ad finem, totus est in exhortando suos Hebræos ad retinendam fidem et spem promissorum cœlestium, propositis in hunc finem etiam longâ serie sanctorum patriarcharum exemplis; ergo, etc. Prob. 2°, quia, ut patet ex quæst. præced., S. Aug. etiam hanc Epistolam attribuit Paulo; item S. Hieron., epist. 129, ait : *Vas electionis loquitur ad Hebræos;* idem facit concilium Tridentinum, sess. 4.

Obj. 1° : Paulus nomen suum solet præfigere Epistolis à se scriptis; atqui huic Epistolæ nomen ejus non est præfixum; ergo hæc non est ab ipso scripta. — Resp. : Neg. conseq.; nam ab Eusebio Cæsareensi et aliis antiquis scriptoribus tres adducuntur rationes ob quas hic nomen suum omisit : prima est quòd S. Paulus esset apud omnes, non tantùm perfidos, sed etiam fideles Judæos, suspectus ac exosus. Erat apud perfidos exosus, tanquàm apostata et manifestus prævaricator; apud fideles autem erat suspectus, eò quòd legis Mosaicæ observantias quas illi, quamvis jam in Christum credentes, mordicùs adhuc retinebant, per Christum abrogatas esse doceret. Hoc igitur sciens Paulus, suppressit suum nomen, ne videlicet illo viso Judæi Epistolam statim abjicerent, et tanquàm hostilem legere nollent. Secunda ratio fundatur in verbis Apostoli, Epist. ad Rom., cap. 15, v. 8 : *Dico Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis,* id est, populi circumcisi, seu Judæorum; et in verbis præsentis Epistolæ, cap. 3, v. 1 : *Considerate Apostolum et Pontificem confessionis nostræ Jesum;* cùm igitur utroque loco jam citato affirmet proprium gentis Judaicæ Apostolum fuisse ipsum Christum Dominum, tantum titulum noluit huic Epistolæ præ-

figere, siquidem congruum non erat ut, ubi Christus *Apostolus* erat dicendus, ibi etiam Paulus *Apostolus* diceretur. Tertia ratio desumitur ex apostolorum ante suî divisionem concordato, de quo Paulus ad Galat. 2 : *Creditum est mihi Evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis*, ubi affirmat vicarium pro Christo Domino ad Judæos apostolatum non sibi, sed S. Petro fuisse commissum. Hinc, ne S. Petri munus videretur invadere, subticuit hîc suum nomen et titulum apostoli.

Obj. 2° : Auctor hujus Epistolæ, cap. 1, v. 5, hæc verba Psal. 2 : *Filius meus es tu, ego hodiè genui te*, exponit de æternâ Christi generatione, Paulus verò, Act. 13, v. 33, refert illa ad temporalem ejus à morte suscitationem ; ergo hæc Epistola non est S. Pauli. — Resp. : Neg. conseq., quia unus et idem S. Scripturæ locus potest habere plures sensus, etiam literales, modò sibi non repugnent, uti fatentur omnes interpretes.

Obj. 3° : Auctor hujus Epistolæ, cap. 2, v. 3, dicit se confirmatum in salute evangelicâ ab aliis qui eam à Domino audierunt; atqui Paulus hoc de se negat ad Galat. 1, v. 12, dicens : *Neque enim ab homine accepi illud*, scilicet Evangelium Christi ; ergo, etc.—Resp. : Neg. maj., quia Apostolus loquitur in primâ personâ, non quasi velit suam personam comprehendi, sed more concionatorio, ut sic gratior sit sermo; atque hoc videtur propterea facere, quia ad Hebræos scribit ipse Hebræus. Ita etiam paulò ante, v. 1, ibidem dixerat : *Ne fortè superfluamus*, id est, ne audita nobis excidant è memoriâ, et simus instar dolii pertusi, quod liquorem infusum non retinet ; neque hoc insolitum est in Scripturâ ; nam Isaias etiam tali modo loquitur cap. 64 : *Facti sumus velut immundi omnes nos.*

Obj. 4° : Stylus hujus Epistolæ omninò differt à stylo aliarum Epistolarum S. Pauli, cùm sit multò elegantior ; ergo hæc Epistola non est ab ipso scripta. —Resp. : Neg. conseq., quia hæc Epistola vero similiter non est scripta Græcè, sed Hebraicè. In linguâ autem Hebraicâ Apostolus erat disertissimus, quia in eâ Jerosolymis enutritus, et à Gamaliele doctissimo viro instructus fuerat, ut videtur testari S. Hieron. in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum. Verùm, ut hoc ulteriùs pateat, sit

QUÆSTIO III.

Quâ linguâ hæc Epistola sit scripta.

Resp. et dico 1° : Nonnulli acriter contendunt eam esse scriptam linguâ Græcâ ; et ut solvant difficultatem quæ movetur ex elegantiâ styli hujus Epistolæ præ aliis, respondent sententias quidem esse Pauli, verba autem Lucæ vel Clementis, quo tanquàm interprete seu amanuensi usus fuit. Hoc satis rationabiliter dicitur, si nempe Paulus supponatur Hebraicâ linguâ Epistolam dictâsse, et ipse amanuensis illud elegans Hebraicum de verbo ad verbum transtulerit in Græcum. Hæc sententia defenditur ab Estio et Calmet ; et non contemnenda, sed satis probabilis esse videtur. Interim tamen cum Baronio ad annum 60.

Dico 2° : Plausibiliùs sustinetur hanc Epistolam esse scriptam Hebraicè ; et hujus sententiæ, ipsomet Calmet teste, sunt S. Clemens Alexandrinus, Eusebius, lib. 3, cap. 32, et S. Hieron. in Catalogo de Scriptoribus ecclesiasticis, verbo *Paulus;* atque ex hoc S. doctore prob. 1°, quia loco jam citato ita scribit : « Epistola quæ fertur ad Hebræos, non ejus creditur, propter styli sermonisque distantiam, sed vel « Barnabæ, juxta Tertullianum, vel Lucæ evangelistæ « juxta quosdam, vel Clementis, Romanæ Ecclesiæ « postea episcopi, quem aiunt sententias Pauli proprio « ordinâsse et ornâsse sermone ; vel certè quia Paulus « scribebat ad Hebræos, et propter invidiam suî apud « eos nominis titulum in principio salutationis ampu- « taverat, *scripserat ut Hebræus Hebræis Hebraicè*, id « est, suo eloquio disertissimè, ut ea quæ eloquenter « scripta fuerant in Hebræo, eloquentiùs verterentur « in Græcum ; et hanc causam esse quòd à cæteris « Pauli Epistolis discrepare videatur. » Ubi vides S. Hieron. clarè docere hanc Epistolam esse scriptam Hebraicè, casu quo sit verè S. Pauli ; jam autem hodiedùm desuper nullus catholicus dubitat; ergo, etc. Prob. 2° ex ratione congruentiæ : videmus quotidiè quòd, dùm Flander ad Flandrum, Gallus ad Gallum, etc., scribunt, communiter scribant in propriâ linguâ ; ergo etiam Paulus Hebræus videtur fratribus suis Hebræis in propriâ linguâ scripsisse, ut sic mysteria religionis dulciùs sonarent, et avidiùs audirentur. Unde et Lucas, Act. 22, v. 2, testatur quòd loquente Paulo in gradibus, Judæi *cùm audissent... quia Hebræâ linguâ loqueretur ad eos, magis præstiterunt silentium.* Prob. 3° : Evangelium Matthæi, quod, teste S. Hieron., Præfat. in Matth., scriptum est propter eos qui ex circumcisione crediderant, Hebraicè scriptum fuit, id est, linguâ Syriacâ, aut Syro-Chaldaicâ, quæ Hebræis tunc temporis nativa erat ; ergo et propter eamdem rationem videtur Apostolus hanc Epistolam Hebraicè scripsisse. Prob. 4° ex elegantiâ styli hujus Epistolæ præ aliis ; quod argumentum non benè, nisi divinando, in oppositâ sententiâ solvi potest. Dicere enim debent Paulum dictâsse Hebraicè, et S. Lucam vel alium amanuensem, scribendo transtulisse Græcè : hoc autem est divinare. Si verò dicant Paulum tantùm dictâsse sententias vel sensum Epistolæ, jam non ipse, sed alter erit dicendus hujus Epistolæ auctor.

Solvuntur argumenta.

Obj. 1° : S. Hieron., Præfat. in quatuor Evangelistas, ad Damasum, ait : « De novo nunc loquor Tes- « tamento, quod Græcum esse non dubium est, excepto « apostolo Matthæo, qui primus in Judæâ Evangelium « Christi Hebraicis litteris edidit ; » atqui hæc Epistola est pars novi Testamenti ; ergo. — Resp. S. Hieronymum ibi non agere de toto novo Testamento, sed tantùm de præcipuâ ejus parte, quæ sunt quatuor Evangelia ; idque patet ex verbis quæ paulò post subnectit : *Hæc præsens Præfatio*, inquit, *pollicetur quatuor* TANTUM *Evangelia;* deinde, etiamsi de toto novo Testamento agere supponatur, inde nihil con-

cludi potest contra nostram sententiam, quia commodè dici potest quòd loquatur de illis duntaxat libris qui ejus tempore ab omnibus tanquàm verè *canonici* habebantur. Hi autem omnes, excepto Evangelio S. Matthæi, certò sunt scripti Græcè, siquidem Epistola ad Hebræos tempore S. Hieronymi nondùm ab omnibus omninò habebatur ut verè *canonica*.

Obj. 2° : In hâc Epistolâ pauciores inveniuntur hebraismi quàm in aliis D. Pauli epistolis; atqui tamen, si foret Hebraicè scripta, plures inveniri deberent; ergo. — Resp. : Neg. min.; *nam hoc inde provenit* quòd, cùm elegantissimè Hebraicâ linguâ scripta esset, à S. Lucâ vel alio interprete, Græcâ linguâ optimè instructo, ex Hebræo in Græcum translata fuerit, uti ex S. Hieron. supra dictum est. Hoc autem non ita fieri potuit in aliis Epistolis Græcè scriptis, quia ipsemet Paulus Græco stylo hebraismos immiscuit, sicut Flander Gallicè scribens solet flandricismos admiscere propter assuetudinem ad nativam suam linguam.

Obj. 3° : Licèt Epistolæ S. Petri sint directæ ad Judæos in Palæstinâ conversos, tamen sunt scriptæ Græcè, ut apud omnes in confesso est; ergo malè nos ex eo capite supra intulimus hanc Epistolam esse scriptam Hebraicè. — Resp. . Neg. conseq., quia Epistolæ S. Petri non tantùm sunt directæ ad eos qui ex Judæis, sed etiam ad illos qui ex gentibus crediderant; idque S. Aug., lib. 22 contra Faustum, cap. 89, deducit ex verbis Epist. 1, cap. 2 : *Vos autem genus electum, etc.*, dicens : *Unde et Petrus scribens ad gentes*; ob hanc igitur causam linguâ utrique parti communi (quæ tunc erat Græca) istas Epistolas scribi consentaneum erat. Sed hæc D. Pauli Epistola fuit directa ad solos credentes ex Judæis, et ideò congruebat ut eorum linguâ scriberetur.

Inst. : Non tantùm scripta est ut prodesset Judæis, sed etiam ut prodesset gentilibus; ergo scribi debuit Græcè. — Resp. equidem primariò et principaliter esse scriptam ad instruendos Hebræos; *unde*, sicut cæteræ Epistolæ scribi debebant Græcè, quia primariò scribebantur propter instructionem gentilium, ita et hæc scribi debuit Hebraicè.

Obj. 4° : Apostolus in hâc Epistolâ textus veteris Testamenti ferè semper citat ex versione septuaginta Interpretum; atqui, si Hebraicè scripsisset, certò eos citare debuisset ex textu Hebraico; ergo, etc. — Resp. : Neg. min., quia, ut notat Baronius, tempore Apostolorum etiam apud Judæos in usum frequentiorem recepta erat editio septuaginta Interpretum; et hoc inter alia liquet ex eo quòd Josephus, quamvis Judæus, in suis Commentariis illâ editione potiùs quàm Hebraicâ usus *fuerit*, siquidem *ab initio mundi* usque ad excidium Jerosolymitanum computat annos 5000. Item S. Matthæus, etsi Hebraicè scripserit, tamen etiam usus fuit editione Septuaginta; nam, cap. 13, v. 15, citans textum Isaiæ 6, v. 9, habet : *Incrassatum est cor populi hujus;* quì textus sic non habetur in Hebræo; nam in eo dicitur : *Incrassa cor populi hujus;* sed ita habetur in versione Septuaginta. Nonnulli putant quòd Paulus quidem istos textus citaverit ex Hebræo, sed quòd interpres qui hanc Epistolam transtulit, eos citaverit ex versione Septuaginta. Verùm *id dici non potest*, quia interpres non tantam licentiam potuisset sibi arrogare, ut quod Apostolus secundùm textum Hebraicum scripsisset, ipse secundùm versionem Septuaginta transferret.

Obj. 5° : Apostolus verba Hebraica interpretatur; dicit enim cap. 7, v. 1 : *Melchisedech... qui interpretatur Rex justitiæ;* atqui hoc inaniter fecisset, si scripsisset Hebraicè; ergo, etc. — Resp. : Neg. min., quia interpretatur illud nomen Hebraicè, eò quòd ex etymologiâ et vi istius *nominis* aliquid probare intendat; quemadmodùm si quis Latinè dicat : *Homicidium*, id est, *cædes hominis*.

Obj. 6° : Cap. 9, v. 16, loquens de Testamento propriè *dicto*, quod *morte* testatoris confirmatur, et inde probans nos non consequi hæreditatem æternam, nisi per mortem Christi, ait : *Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris*, etc.; atqui, si Hebraicè scripsisset, argumentum ejus non fuisset validum; ergo, etc. Prob. *min.*, quia tunc debuisset uti voce *berith* (cùm alia vox non detur); alludit enim ad locum Exod. 24 : *Hic est sanguis fœderis* (Hebraicè *berith*) *quod pepigit Deus vobiscum*. Jam autem *berith* significat Latinè *pactum*, quod potest esse firmum, etiamsi morte testatoris non confirmetur; ergo, etc. — Resp. : Neg. min., quia, ut notat A Lapide, vox *berith* est nomen genericum, et significat tam pactum mortuarium, seu testamentum, quàm quodlibet aliud. Unde et Septuaginta, quos sequitur Apostolus, non transtulerunt istum locum Exodi per vocem συνθήκην, id est, *pactum*, sed per διαθήκην, id est, *testamentum;* et meritò, quia ex circumstantiis satis colligitur quòd in Exodo agatur de pacto mortuario. Nam pactum illud inter Deum et Hebræos de adeundâ hæreditate temporali, non fuit confirmatum seu sancitum, nisi morte et sanguine animalium; et sic optimum *inde argumentum*, cap. 9, à versu 15 usque ad 23 inclusivè, desumit Apostolus hoc modo : Pactum seu testamentum vetus de adeundâ hæreditate temporali, non fuit confirmatum nisi per mortem et sanguinem *animalium*, seu per typicam Christi mortem; ergo novum testamentum de adeundâ hæreditate cœlesti non est confirmatum nisi per veram Christi mortem, ejusque sanguinis effusionem.

QUÆSTIO IV.

Quodnam sit argumentum, seu scopus hujus Epistolæ.

Resp. et dico : Hæc Epistola scripta est ad Hebræos in Palæstinâ, seu Asiâ degentes; hi autem, licèt Christum jam pro Messiâ recepissent, tamen cæremoniis legis Mosaicæ adhuc adeò addicti erant, ut remissionem peccatorum *sacrificiis* expiatoriis, eâdem lege præscriptis, attribuerent. Hunc autem *errorem* hìc destruit Paulus; unde hæc Epistola magnam habet affinitatem cum illis ad Romanos et ad Galatas. Hæc interim *inter* eas est differentia, quòd in Epistolâ ad Romanos doceat veram justitiam non ex lege morali, seu Decalogo, sed à Christo per fidem esse petendam;

ad Galatas vim justificandi removet à legis cæremoniis; in hâc verò peculiariter eam removet à sacrificiis antiquæ legis, quæ cæremoniarum pars erant præcipua. Itaque argumentum seu scopus ejus est Hebræos à Judaismo omninò, integrè et perfectè transferre ad Christianismum, in eoque confirmare. Hoc autem ut faciat, 1° proponit et probat divinitatem ac dignitatem Jesu Christi; 2° demonstrat Christi sacerdotium, probans illud perfectius et excellentius esse sacerdotio Levitico; additque unicum Christi sacrificium, omnibus veteribus adumbratum, solum fuisse sufficiens ad nostram omnium redemptionem perficiendam, jamque veteris legis sacrificia cessâsse; 3° ostendit Christi officium esse ut per suum sanguinem sit peccatorum omnium expiator, redemptor, pontifex noster ac cœli reserator; 4° adducit differentiam et excellentiam novi Testamenti præ veteri; atque hæc omnia facit novem primis capitibus, et capite 10 usque ad versum 18 inclusivè; 5° ibidem, v. 19, transit ad genus exhortatorium, monens ut infidelitatem abjiciant, ne in se provocent divinam ultionem; cap. 11 totus versatur in laude fidei, propositis exemplis SS. patriarcharum, qui Deo per fidem placuerunt; denique exemplo illorum hortatur Hebræos ut afflictiones fortiter pro Christi fide sustineant; cap. 12 et 13 hortatur eos ad varias virtutes, nempe ad hospitalitatem, misericordiam, etc.

Scripta est autem hæc Epistola Romæ circa finem primorum vinculorum, ut patet ex cap. 13, v. 23 et 24; et omnes interpretes ita communiter docent.

CAPUT PRIMUM.

Toto hoc capite Paulus demonstrat Messiam, seu generis humani Salvatorem esse verum Dei Patris Filium, ipsi per omnia consubstantialem; ideòque omnium sanctorum angelorum ordinibus longè sublimiorem. Hoc autem confirmat multis Scripturæ testimoniis.

QUÆSTIO UNICA.

Quomodò Apostolus probet Christum angelis longè esse excellentiorem.

Resp. et dico : Ut hoc probet, argumentum partim desumit ex naturâ Christi divinâ, et partim ex naturâ ejus humanâ, quæ personæ divinæ hypostaticè unita, supra omnes angelos exaltata, eisque multò excellentior effecta fuit. Itaque Paulus, quò majorem Christi reverentiam in corde Hebræorum excitet, illustribus quibusdam ac præcipuis eum encomiis exornat; ac primò dicit eum à Deo Patre constitutum esse *hæredem universorum*, id est, omnium creaturarum Dominum. Est enim hìc catachresis in verbo *hæredis*; nam non vocat eum hæredem, quasi Patri mortuo successerit aut successurus sit, sed quia, instar hæredis, à Patre constitutus est omnium rerum Dominus, juxta illud quod dicitur Psal. 2 : *Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ;* atque hoc est primum argumentum quo Paulus demonstrat Christum longè excellentiorem esse angelis. Desumptum autem illud est ex naturâ humanâ; nam secundùm hanc Deus Pater ipsi propriè subjecit omnes electos, homines et angelos; deinde etiam adversarias potestates, atque omnes reprobos, ac postremò reliquam omnem creaturam, quatenùs ea regno Christi quocumque modo subservire idonea est.

Putant autem aliqui Christum à Deo Patre esse constitutum omnium creaturarum Dominum post passionem et resurrectionem suam, quando per apostolos suos congregare cœpit Ecclesiam ex omnibus gentibus. Alii verò id factum dicunt quando Verbum caro factum est; et hoc videtur probabilius : sicut enim ille homo ab initio suæ conceptionis fuit *Christus*, *Propheta* et *Sacerdos*, ita etiam fuit *Rex* et *Dominus;* tametsi regni ac dominii sui possessionem paulatim ac progressu temporis acceperit, plenissimè accepturus in secundo suo adventu, quando perfectè ei subjicientur omnes inimici, ut dicitur 1 Cor. 15, v. 25 et seqq.

Per quem fecit et secula. Ab humanâ Christi naturâ ad divinam progreditur, ut utramque Hebræis ob oculos ponat; quasi dicat : Non solùm Deus Pater eum constituit *hæredem universorum*, sed etiam per ipsum condidit *secula*, id est, tempora et temporalia omnia, scilicet mundum et omnia quæ in mundo sunt.

Rursùs ex naturâ divinâ desumit argumentum v. 3 dicens : *Qui cùm sit splendor*, etc. Vide supra dicta, quæst. procem. 1, in resp. ad obj. 2. Et versu jam citato ad naturam humanam pergit, dùm subjungit : *Purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis;* hoc est, postquàm peccata per passionem et mortem suam expiavit, ascendit in cœlum, ibique sedet ad dexteram majestatis, et jam possidet summam illam dignitatem ac gloriam regni quam habet super omnem creaturam proximus Deo; adeòque multò excellentior est omnium angelorum choris.

Vers. 5 : *Cui enim dixit aliquando angelorum : Filius meus es tu, ego hodiè genui te?* Hìc argumentum desumit partim ex naturâ divinâ, et partim ex humanâ, siquidem textus ille Psal. 2 sano sensu tam de naturâ humanâ quàm de divinâ intelligi potest, ut monuimus supra, quæst. procem. 2. Itaque de naturâ divinâ, juxta S. Aug. in Psalm. 2, intelligitur hoc modo : *Hodiè*, id est, in et ab omni æternitate, in quâ unum est *hodiè*, unum instans, unum nunc, scilicet unum stabile et perenne præsens, ego gigno, et genui et semper gignam te, quasi Verbum et Filium meum. Intelligendo autem eumdem textum de naturâ humanâ seu de resurrectione Christi à mortuis, sensus ejus est hic : *Filius meus es tu*, quem novo quodam modo rursùs hodiè genui, quando te mortuum et ab hominibus reprobatum ad vitam immortalem suscitavi, et ad tantam gloriam extuli, ut te Filium meum esse, cœli terræque Dominum et Regem super Sion montem sanctum meum, id est, super Ecclesiam constitutum, omnes agnoscant.

Ex solâ verò naturâ humanâ, prout personæ di-

vinæ hypostaticè unita est, argumentatur, dùm præcitato versu ita prosequitur : *Et rursùm : Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium.* Etenim hunc textum in sensu litterali proprio, de Christo, quatenùs ex semine Davidis nascituro, intelligendum esse alibi demonstratur.

Rursùs novum argumentum Apostolus inde desumit quòd Scriptura de angelis loquatur, quasi de ministris et nuntiis Dei; de Filio autem, quasi de Deo et Domino angelorum; ex quo infert : Ergo Christus longè angelos transcendit.

Vers. 10 : *Et : Tu in principìo, Domine, terram fundâsti; et opera manuum tuarum sunt cœli*; τὸ *et* non est pars testimonii hìc citati, sed hoc Scripturæ testimonium præcedenti conjungit. Unde sensus est : *Et*, seu iterùm ad Filium dicitur in Scripturâ : *Tu in principio*, etc. Legitur autem hoc testimonium Psal. 101, ubi Psaltes et populus Deum orant ut templum et civitas à Chaldæis exusta reædificentur. Cùm verò ista oratio ibidem non specialiter ad Christum, sed absolutè ad Deum tanquàm cœli terræque conditorem dirigi videatur, quæritur quâ ratione Paulus istud testimonium Christo appropriet. Ad hoc autem quæsitum

Respondeo : Sicut terrena Jerusalem figura fuit Ecclesiæ Christi, sic ea quæ in isto Psalmo de restauratione terrenæ Jerusalem dicuntur, mysticè referenda sunt ad ædificationem spiritualis ac supernæ Jerusalem, hoc est, Ecclesiæ, quæ Christi civitas ac regnum est. Unde, cùm in sensu ad minùs allegorico Psalmus 101 alloquatur Christum, cui genus humanum, sub typo populi Judaici pro restauratione templi et urbis Jerusalem supplicantis, supplicat pro ædificatione Ecclesiæ novi Testamenti, rectè præcitatum textum Christo appropriat Apostolus. Etenim non nisi in Christo et Ecclesiâ perfectè implentur sequentia istius Psalmi verba : « Tu exurgens, Domine, misereberis Sion; quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus. » Et : « Timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam; quia ædificavit Dominus Sion, et videbitur in glorià suâ, » etc.

CAPUT II.

Hoc capite exponit Apostolus cur inter Dei Verbum et sanctos angelos instituerit comparationem, et cur illud demonstraverit esse his infinities sublimius, ut nempe inde concluderet etiam novum Testamentum esse multò excellentius antiquo, quia hoc, licèt à Deo, tamen per angelos, illud autem datum est immediatè per Dei Verbum.

Nonnulli textus explicantur.

Apostolus ostendere volens futuri seculi regimen et Mediatoris officium non esse angelis promissum, sed Dei Filio, probat id ex Psal. 8, dicens, v. 6 : « Testatus est autem in quodam loco quis, dicens : « Quid est homo quòd memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum? » etc. In isto Psalmo David Filium hominis dicit et angelis minorem, et eisdem ac omnibus simul sumptis creaturis superiorem; minorem ratione naturæ humanæ, superiorem ratione personæ divinæ : etenim quòd iste Psalmus sit prophetia de Christo Domino, manifestum est ex Matth. 21.

Porrò voces *homo* et *filius hominis* non accipiuntur pro eodem : nam vox *homo* accipitur pro Adam, hoc sensu : Quid est Adam prævaricator, et omnis damnata ejus massa, quòd ipsum sis dignatus redimere? Vox autem *Filius hominis* accipitur pro Christo Domino, hoc sensu : Quantus est Adæ filius, quem et mortalem, adeòque et angelis inferiorem fecisti, et quem etiam glorià et honore coronâsti in Regem universæ creaturæ? Vide S. Aug. in Psal. 8.

Vers. 8 : *Nunc autem necdùm videmus omnia subjecta ei.* Est objectio in hunc modum : Omne hominum genus necdùm est subjectum Christo; nam multi per infidelitatem ipsi adhuc rebellant. Apostolus autem respondet istam subjectionem debere fieri successivè : promissam in Psalmo gloriam esse jam expletam in capite; ideòque omnium subjectionem suo tempore etiam fore explendam, utique in regeneratione novissimâ futuri seculi.

Vers. 9 : *Videmus Jesum, propter passionem mortis, glorià et honore coronatum.* Apostolus incipit refutare capitalem errorem quo Judæi existimabant Mediatorem debere esse regem temporalem, gloriosum de Judaici regni hostibus triumphatorem, ac istius jam destructi regni reparatorem. Affirmat debuisse esse Regem, sed futuri seculi, non autem in hoc mundo; hoc in seculo debuisse esse mortalem et passibilem, debuisse pati et occidi, mori pro nobis omnibus, et ita in sui regni gloriam intrare.

Ut gratiâ Dei pro omnibus gustaret mortem. Non vocatur hìc Christus ipse *gratia Dei* : nam vocem *gratia* poni in ablativo, evidens est ex textu Græco, in quo non habetur Χάϊτι Θεοῦ, sed Χάριτι Θεοῦ; unde sensus est : Ut gratuitâ Dei Patris bonitate, seu beneficentiâ ac clementiâ quâ ille genus humanum dilexit, mortem pro omnibus gustaret. Simili prorsùs sermone, inquit Estius, dicitur infra, cap. 9, Christus, *per Spiritum sanctum obtulisse semetipsum immaculatum Deo.* Nam Spiritus sanctus bonitas est Dei. Hùc faciunt Scripturæ : Joan. 3 : « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium « suum unigenitum daret; » Rom. 5 : « Commendat « charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus « est; » Tit. 3 : « Cùm autem benignitas et humanitas « apparuit Salvatoris nostri Dei, » etc.

Vers. 14 : *Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum.* Verum ac supremum mortis et vitæ imperium habet solus Dominus Deus; istud tamen etiam dicitur diabolus habere ob duas causas : primò, quia Deus mortem non fecit, sed ipsa per diaboli invidiam intravit in mundum; intravit per peccatum, cujus diabolus fuit suasor et auctor. Ipsam Deus non fecit ut auctor, sed inflixit ut peccati ultor. Secundò, quia diabolus est divinæ justitiæ minister et tortor, qui nobis peccatoribus consuevit non tantùm mortem, sed et alias pœnas

ex divino jussu aut permissu infligere. Hinc Pharaoni et omni Ægypto inflictas plagas Psalmus 77 appellat divinæ majestatis iram, indignationem, tribulationem, immissiones per angelos malos. Omnes suas vexationes etiam S. Job à diabolo accepit; proinde diabolus habet mortis imperium, at ministeriale, sanctis angelis indignum, tortoris officium, ipsius damnatæ iniquitati à Deo impositum. Per illud igitur imperium intelligitur facti, non juris, potestas : quippe nil juris diabolo seductori competit in hominem seductum. Istud autem ejus imperium atque officium Christus Dominus per mortem suam destruxit, quia nos ab omni corporis et animæ morte liberatos fecit per omnia immortales, atque ita omnem nos torquendi potestatem in ipso destruxit. Non ita tamen destruxit mortem corporis, ut eam electi non patiantur, sed ut in eâ non maneant, quomodò in eâ mansuri sunt reprobi. Hæc igitur est vera et certa consolatio fidelium, quòd non dubitent, si in Christo maneant, quin à morte corporis per beatam resurrectionem aliquando sint liberandi; nam impiis in resurrectionem non erit à morte liberatio, sed transitus ad mortem deteriorem.

De Christo ultra legitur v. 16 : *Nusquàm angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Est novum argumentum quo Apostolus confirmat Mediatorem debuisse nobis communicare non tantùm in plenâ naturâ humanâ, sed etiam in cunctis ejus infirmitatibus, quia nempe Dominus Deus non lapsos angelos, aut aliquem ipsorum ordinem salvare voluit, sed genus humanum. Porrò notanda est vox *apprehendit;* hæc enim significat humanum genus per peccatum apostatâsse et aufugisse à Domino Deo, et ab ipso miserante fuisse in fugâ captum et apprehensum; uti dominus cum fugiente servo, et pater solet agere cum apostatante filio. Hinc Apostolus dicit humanum genus non fuisse à Domino Deo *susceptum* aut *admissum* in gratiam, sed *apprehensum,* quia nempe non proprio arbitrio redivit, sed à divinâ gratiâ præveniente fuit reductum ad Creatorem. Sensus igitur est : Christus non angelos, sed nos homines è potestate diaboli, mortis imperium habentis, eripiens, velut, injectâ manu apprehendit ac sibi vindicat; est enim τὸ *apprehendit* utrobique præsentis temporis, ut patet ex textu Græco.

Licèt autem per *semen Abrahæ* hìc carnalis Abrahæ posteritas videatur intelligenda, tamen per illud etiam simul significatur totum genus humanum, uti totum per partem. Exprimitur interim hìc carnalis Abrahæ posteritas ob duas causas : primò, quia ad illum populum pertinebant promissiones de futuro Messiâ, quondam patribus factæ, ut dicitur ad Rom. 9 et 15; secundò, quia Christus Dominus immediatè ad solos Abrahæ posteros Judæos fuit missus, et ipsis solis per semet prædicavit. Hinc istâ phrasi inculcat Apostolus Evangelii gratiam singulariter ad ipsos spectare; ideòque singulari zelo ac pietatis impetu esse ab ipsis suscipiendam et venerandam. Apostoli igitur argumentum est hujusmodi : Deus Pater per promissum nobis Mediatorem salvare voluit non angelos, sed totum genus humanum, idque non merè viâ gratiæ, sed et redemptionis ac justitiæ, et insuper viâ traducis. Eâdem viâ voluit nos per ipsum sanari, quâ per Adamum fueramus læsi; hinc in se habere debuit non tantùm nostram naturam, sed insuper omnes nostras infirmitates ac tentationes, ut ipsas in se tanquàm in novâ nostrâ radice, sanaret et superaret, et istam victoriam ac sanitatem in nos, uti in suos ramos, traduceret. Hinc in Evangelio se vitem, nos appellavit palmites.

CAPUT III.

Hoc capite Apostolus facit tria : primò confirmat à se datam differentiam inter Moysen et Christum Dominum, ac inter datam ab utroque legem; secundò ostendit Mosaicæ legis prævaricatores severissimè fuisse à Deo punitos; et hinc tertiò inculcat novi Testamenti prævaricatores longè terribiliùs castigandos, ideòque fideles Judæos hortatur ne à Christo apostatent aut apostatare cogitent.

QUÆSTIO PRIMA.

Quis sit sensus verborum versuum 8, 9, 10 *et* 11.

Paulus exemplo patrum, qui ob incredulitatem terrâ promissâ exclusi fuerunt, deterrens Hebræos ab apostasiâ à fide Christi, ne et ipsi cœlo excludantur, citat verba Psal. 94, et ait, v. 8 : *Nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundùm diem tentationis in deserto;* id est, nolite resistere verbis Domini loquentis, ne vox Domini voluntatem et affectum vestrum ad obedientiam fidei, et mandatorum suorum possit inflectere : durum enim est quod inflectioni et impressioni resistit. Nolite itaque Deum exacerbare, sicut patres vestri obdurantes corda sua eum exacerbaverunt, dùm in deserto contra Moysen et Deum murmuraverunt ac rebellaverunt, præsertim verò in Raphidim, cùm ob defectum aquæ penè lapidârunt Moysen, ut dicitur Exod. 17; ubi cùm populus dupliciter peccaret, jurgando contra Moysen, et tentando Deum, vocatus est locus ille *tentatio et jurgium,* ut habetur ibidem, v. 7.

Vers. 9 : *Ubi tentaverunt me patres vestri : probaverunt, et viderunt opera mea.* Aliqui hæc ultima verba connectunt præcedentibus, et dicunt sensum esse : Tentaverunt me, quamvis probâssent, id est, experti fuissent opera mea admiranda, quæ feci in ipso deserto, in mari Rubro et in Ægypto; ex quibus omnibus meritò debebant intelligere me omnia posse, et in promissis esse veracem. Alii verò censent sensum planiorem esse hunc : Non tantùm simpliciter tentaverunt me, sed etiam modis omnibus probârunt et explorârunt opera mea; ut: exempli gratiâ, dicentes : « Estne Deus in nobis? Quis dabit nobis aquas? Numquid et panem poterit dare? » Et tamen viderunt opera mea magna et mirabilia, ex quibus facilè cognoscere poterant me esse eorum fidelem et omnipotentem Dominum, ducem et protectorem cui obe-

dire, cui credere, et in quem sperare deberent; sed id ipsum non fecerunt.

Vers. 10 : *Quadraginta annis; propter quod infensus fui generationi huic;* aliqui τὸ *quadraginta annis* referunt ad τὸ *infensus fui;* alii verò ad præcedentia, nempe ad *viderunt opera mea.* Sed res perinde esse videtur : nam sive dicas Israelitas vidisse opera Dei quadraginta annis, et tamen hoc non obstante ei inobedientes fuisse; sive Deum ideò ipsis infensum fuisse quadraginta annis, idem est, et manet sensus. Unde Apostolus, v. 17, priorem sensum, quem v. 10 sequitur, in posteriorem convertit, dicens : « Quibus « autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis « qui peccaverunt, quorum cadavera prostrata sunt « in deserto? » Loco *infensus* in officio divino legitur *proximus;* cui si aliquid subaudiatur, puta ad ulciscendum, puniendum duros et rebelles Judæos, lectio utraque redibit in idem : nam Deus dicitur proximus esse non tantùm iis quibus benefacit, sed etiam quos castigat; unde de illis quos impunitos reliquit, ait Jeremias, cap. 12, v. 2 : *Longè à renibus eorum es.*

Vers. 11 : *Quibus juravi in irâ meâ*, id est, in decreto meo de vindictâ sumendâ, Numer. 14, v. 23, et Deuter. 1, v. 34; *si introibunt in requiem meam; si* apud Hebræos particula est jurantis, eratque apud priscos Judæos nota juramenti execratorii, in quâ subaudiendum est : Si hoc fiat, *non sim Deus, non sim verax,* aut quid simile. Hoc enim reticet Scriptura ob reverentiam personæ quæ sic jurans introducitur; de quâ execratorium aliquid audire horrescunt ac refugiunt piæ aures.

Porrò per *requiem* intelligitur terra promissionis, sive Chanaan, in quâ à labore peregrinandi quem subierant in deserto, quieverunt Hebræi. Et hoc quidem juxta sensum litteralem Psal. 94; nam quòd mysticè significetur requies æterna, seu quam fideles post finem laborum hujus vitæ sunt habituri in cœlis, in sequentibus satis manifestè docet Apostolus.

QUÆSTIO II.

An verba v. 16 *debeant legi per interrogationem, an verò sine illâ, ut habet nostra Vulgata.*

Sustinet auctor Analyseos hæc verba v. 16 : *Quidam enim audientes* (Dei promissa de ingrediendo terram Chanaan) *exacerbaverunt, sed non universi qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen,* debere legi hoc modo : *Quinam enim audientes exacerbaverunt? Nonne universi qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen?* Verùm resp. et dico : Retinenda est lectio nostræ Vulgatæ, primò, quia omnia Biblia ita communiter legunt; secundò, quia si legatur per interrogationem, sequitur quòd omnes filii Israel, qui egressi sunt ex Ægypto, murmuraverint contra Deum, eumque tentaverint; atqui tamen hoc certò non est verum, siquidem non murmuraverunt Josue et Caleb, non murmuraverunt Levitæ; qui tamen omnes egressi sunt ex Ægypto; ergo. Unde et Apostolus, 1 Cor. 10, agens de eodem facto, non dicit : *In omnibus,* sed : *In pluribus eorum non beneplacitum fuit Deo.*

Obj. 1° : Numer. 14, v. 2, dicitur : *Murmurati sunt contra Moysen et Aaron cuncti filii Israel;* ergo omnes omninò Deum tentaverunt, et ad iram provocaverunt. — Resp. : Neg. conseq.; nam particula *cuncti,* vel *omnes* pro maximâ parte populi sumitur, sicuti Psal. 115 : *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus;* unde S. Hieronymus, epist. 146, de Filio prodigo, ad illa verba : *Omnia mea tua sunt,* dixit : « Secundùm eum canonem, quem sæpè expo- « suimus, Scripturarum, *omnia* non ad totum refe- « renda sunt, sed ad partem maximam, ut Psal 13 : « *Omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt;* et Joan. « 10 : *Omnes qui venerunt ante me fures fuerunt;* et 1 « ad Cor. 9, Paulus : *Omnibus,* inquit, *omnia factus* « *sum, ut omnes lucrifacerem;* et ad Philipp. 2 : *Omnes* « *quæ sua sunt quærunt, non ea quæ sunt Jesu Chri-* « *sti.* » Ita S. Hieronymus.

Obj. 2° : Si lectio nostræ Vulgatæ esset retinenda, frustra Apostolus addidisset : *Sed non universi,* etc.; nam hæc verba satis subintelliguntur, dùm dicit : *Quidam audientes,* etc., cùm sit propositio particularis. — Resp. : Neg. assumpt., quia illa verba addidit majoris expressionis gratiâ, sicut Hebræi sæpè solent facere. Sic Jeremias dicit : *Memoriâ memor ero;* sic alibi in Scripturâ sæpè habetur : *Loquens locutus sum,* etc. Videtur ergo Apostolus illa verba addidisse ad consolationem Hebræorum : nam cùm illi qui in deserto peccaverunt, et propterea terram Chanaan non intraverunt, gesserint typum reproborum, et isti qui non peccaverunt, gesserint typum electorum, Apostolus illorum exemplo Hebræos terret, horum verò exemplo erigit in spem, hortans eos ut non istos peccatores, et divinis promissis incredulos, sed pios et credentes imitentur.

CAPUT IV.

Ostendit illa omnia quæ propheta David dicit de promissâ per Moysen requie, esse figuras promissæ per Christum requiei, ac dirigi ad Judæos præsentis Mediatoris prædicationem audituros. Deinde variis argumentis demonstrat Mediatorem qui nos in veram requiem debet introducere, esse Dominum Jesum.

QUÆSTIO PRIMA.

Quomodò Apostolus probet quòd nobis adhuc restet quædam requies per fidem expectanda.

Vers. 2 : *Etenim et nobis nuntiatum est, quemadmodùm et illis;* his verbis affirmat et ostendit non solùm antiquis patribus à Moyse, sed etiam ipsorum posteris à Christo esse promissam aliquam requiem, è quâ horrendum est excidere. In Græco habetur : *Etenim sumus evangelizati, sicut et illi;* id est, Evangelium, sive lætum nuntium accepimus æquè ac illi, scilicet antiqui Hebræi; ipsi enim acceperunt lætum nuntium de possidendâ terrâ Chanaan, nos verò Christiani accepimus lætum nuntium de possidendo regno cœlorum.

Sed non profuit illis sermo auditus non admixtus fidei. Pergit docere quòd in nullam Dei requiem possit intrari nisi per firmam ac perseverantem fidem, et istud benè probat ex Psalmo 94, in quo dicitur omne,

et solos incredulos Judæos fuisse à promissâ per Moysen requie exclusos. Unde, dùm, v. 3, citat illa verba : *Sicut juravi in irâ meâ*, etc., argumentum deducit à contrario; ita ut sensus sit : Antiquus ille populus propter incredulitatem exclusus est à requie sibi promissâ, quemadmodùm Deus ipse testatur in Psalmo 94, dicens : *Sicut juravi*, etc. Nos igitur in requiem nobis promissam ingrediemur, si crediderimus : nam si infidelitas excludit, ergo fides introducit. Simul autem etiam argumentatur à figurâ ad rem figuratam, scilicet à requie terrenâ ad requiem cœlestem. Igitur totum ejus argumentum est hujusmodi : Soli increduli Hebræi non sunt ingressi terram Chanaan; omnes autem credentes eam ingressi sunt; ergo sicut sola incredulitas illos ab eâ exclusit, ita fides hos in eam induxit; atqui Hebræi credentes et increduli Moysi significabant allegoricè homines credentes, et incredulos Christo; item requies in terrâ Chanaan significabat requiem quæ nobis promittitur in cœlo; ergo pariter soli illi à requie cœli excludentur, qui Christo credere et obedire nolunt; omnes verò, qui credunt et obediunt, et in credendo ac obediendo perseverant, hanc cœli requiem ingredientur.

Verbis autem illis : *Si introibunt in requiem meam*, Apostolus immediatè subjungit sequentia : *Et quidem operibus ab institutione mundi perfectis;* quibus demonstrat esse diversas requiei species : nempe aliam Hebræis olim à Moyse promissam, aliam verò quâ Deus ab opere creationis mundi requievit die septimo. Illa fuit pax et felicitas temporalis in terrâ Chanaan; hæc autem, quatenùs in genus humanum derivata fuit, erat sabbatismus, seu septimæ diei requies à servilibus laboribus; atque hinc concludit Apostolus aliam adhuc tertiam requiem potuisse nobis promitti à Christo Domino. Ut autem hanc tertiam requiem nobis promissam esse demonstret, dicit

Vers. 7 : *Iterùm terminat diem quemdam, hodiè in David dicendo, post tantùm temporis, sicut supra dictum est : Hodiè si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Loco *terminat* in textu Græco habetur *definit*, aut *præfinit*, seu determinat ac signat spatium quoddam temporis; itaque sensus est : Deus, aut Scriptura sacra, post tantum temporis spatium, quantum fluxit à Moyse usque ad Davidem (id est, post annos ampliùs quadringentos et quadraginta), iterùm statuit ac designat diem quemdam promerendæ requiei, dùm in Davide, id est, per Davidem, dicit *hodiè*, hoc est, tempore vitæ nostræ, quo possumus et nos intrare in requiem Dei. Ergo clarum ac evidens est quòd nobis alia requies sit promissa per Christum, quàm quondam patribus nostris fuit promissa per Moysen. Etenim Deus per Davidem hoc dicendo, saltem implicitè insinuat quamdam Dei requiem, quando nos adhortatur, Psal. 94, ne obduremus voci Dei cor nostrum, uti fecerunt patres nostri, dùm eos Deus ex Ægypto evocans, in Chanaan ducere volebat; quos idcircò à requie suâ exclusit; sed potiùs ut auscultemus Deo ducenti nos in requiem suam; atqui David non loquitur de requie sabbati; hæc enim facta et peracta est septimo die creationis mundi; nec etiam loquitur de requie quam Deus Hebræis dedit in terrâ promissionis per Jesum filium Nave, seu per Josue; siquidem hæc requies jamdiù præterierat, eamque possidebant filii Israel, dùm David dixit : *Hodiè si vocem ejus audieritis*, etc. Ergo manifestum est quòd David aliam et tertiam quamdam requiem intellexerit, scilicet in cœlo æternam, quæ nobis fidelibus et Christianis *hodiè*, seu toto tempore vitæ nostræ proponitur; tertiam, inquam, requiem, quæ per duas præcedentes, scilicet per requiem sabbati et requiem in Chanaan fuit præfigurata, quàm nobis præstat Jesus Christus, per Josue adumbratus. Atque hinc illud ulteriùs demonstrare pergit.

Vers. 8 : *Nam si eis Jesus* (Josue) *requiem præstitisset, nunquàm de aliâ loqueretur, posthàc, die.* His verbis præoccupat Apostolus objectionem quâ superiorem ejus ratiocinationem quis conari potuisset evertere, v. g., arguendo hoc modo : Tu, Paule, dicis patres nostros à requie Dei in Chanaan exclusos ob incredulitatem, ideòque alios, puta Christianos, in requiem Dei admittendos esse; nos excipimus, dicimusque filios patrum nostrorum, Deo credentes, oum Josue in requiem Chanaan esse ingressos, ac consequenter non quærendos esse alios qui requiem Dei ingrediantur; hoc, inquam, argumentum præoccupat et elidit per verba Davidis dicentis : *Hodiè si vocem ejus audieritis*, etc.; per τὸ *hodiè* enim insinuat etiamnùm restare requiem in quam ingrediamur, ac consequenter sequitur eam non esse exhibitam per Josue, qui jampridem mortuus est. Itaque ratiocinium Pauli est hujusmodi : Si Josue, quando populum introduxit in terram Chanaan, requiem eis præstitisset, ita nimirùm ut non esset alia post eam requies populo Dei expectanda, nunquàm profectò David, aut per Davidem Spiritus sanctus aliam requiem post illud tempus promitteret, siquidem populus requiem promissam jam possidebat, eo potissimùm tempore quo hæc à Davide dicebantur; ac proinde, licèt illis verbis : *Si introibunt in requiem meam*, in sensu litterali designaverit requiem in Chanaan, tamen in sensu allegorico et multò magis significavit requiem in cœlo Christianis promissam, figuratam per requiem in Chanaan; ad hanc enim quemlibet invitat etiamnùm David, dicens : *Hodiè si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra;* ex quibus tandem concludit Apostolus

Vers. 9 : *Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei*, hoc est, quandoquidem vera requies, seu cœlestis, nondùm sit præstita, quam tamen nobis promissam esse asserit David Psal. 94, consequens est ut hæc à populo Dei adhuc expectetur; porrò requiem cœlestem vocat *sabbatismum*, id est, sabbati celebrationem, nomine figuræ translato ad rem figuratam; sabbatum enim Mosaicum typus erat quietis quam post hanc vitam expectant fideles; nam sicut Deus à creando mundo, et Judaicus populus à secularibus operibus requievit in die sabbati, ita nos promissam à Christo requiem ingressi, ab omnibus nostris peccatis ac ipso-

rum pœnis liberati, necnon laboribus hujus vitæ soluti, in cœlesti patriâ quiescemus, et in æternum cum Christo regnabimus.

Maluit ergo Paulus, inquit Estius, *sabbatismum* dicere quàm *requiem*, quia scribebat Hebræis, quos eo vocabulo voluit admonere mysterii quod sabbatum significabat; simulque eorum animos excitare ad desiderium et expectationem illius quietis quam post hujus seculi labores expectandam eâdem ipsâ sabbati celebratione profitebantur. Specialiter autem *sabbatismus* nobis significare videtur eam futuri seculi requiem quam habent piorum animæ corporibus exutæ, usque ad diem resurrectionis, quando sua corpora sunt recepturæ : tunc enim inchoabitur interminabilis solemnitas octavæ diei, quæ in primam recurrens, mysterium continet æternæ felicitatis, utique propter resurrectionem Dominicam, quæ post quietem sabbati facta est octavâ die, quæ eadem, ut in Evangelio legitur, erat prima sabbati, id est, prima dies septimanæ. De hoc *sabbatismo*, seu beatorum animarum requie, scriptum est Apoc. 14 : *Beati mortui qui in Domino moriuntur! Amodò jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis.*

QUÆSTIO II.

Quis sit iste sermo, de quo Apostolus mentionem facit v. 12.

Paulus volens rationem allegare cur timere debeant Hebræi, si à fide Christi recedant, ne incidant in idem cum priscis Judæis incredulitatis exemplum, ideòque à cœlesti requie excludantur, dicit, v. 12 : *Vivus est enim sermo Dei et efficax*, etc. Estius, Calmet et nonnulli alii verba hæc intelligunt de verbo, vel jussu, et voluntate Dei; item de oraculis et minis, quæ intentavit incredulis. A Lapide verò et alii passim per *sermonem Dei* intelligunt increatum et æternum Patris Filium, qui Joan. 1, v. 1, æquè ac hìc, dicitur λόγος, id est, *verbum* vel *sermo*. Unde etiam in officio Dominicæ infra octavam Nativitatis canit Ecclesia : *Omnipotens sermo tuus, Domine, à regalibus sedibus venit;* hæc autem sententia videtur plausibilior, atque

Prob. 1°, quia Apostolus de hoc sermone subjungit, et dicit quòd sit *discretor cogitationum et intentionum cordis;* item quòd nulla creatura sit invisibilis in conspectu ejus : *omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus;* atqui hæc omnia nulli sermoni creato, sed soli increato, seu æterno Dei Patris Filio conveniunt; ergo, etc.

Prob. 2° ex S. Ambros., lib. 4 de Fide, cap. 3, ubi petit : *Vis scire quale verbum?* Et respondet : « Vivum est enim Verbum Dei et validum atque operatorium, et acutum, et penetrabilius omni gladio « acutissimo, penetrans usque ad divisionem animæ « et spiritûs, artuumque et medullarum. *Verbum igitur « audis Dei Filium.* » Eamdem sententiam etiam tradit S. Thomas, lect. 3 in hoc cap., ubi dicit : « Ista littera « de se videtur habere difficultatem; tamen considerando aliam translationem planior est; ubi enim nos « habemus *sermo*, in Græco habetur λόγος, quod est « idem quod *verbum;* unde sermo, id est, verbum; « et sic etiam exponit S. Aug. illud Joan. 12 : *Sermo « quem locutus sum*, id est : Ego ipse qui sum Verbum. « Sap. 18 : *Omnipotens sermo tuus, Domine, à regalibus « sedibus prosilivit;* et similiter hìc : *Sermo Dei est vivus*, « id est, Verbum Dei vivum. Verbum enim Dei ab « æterno conceptum, in paterno intellectu est Verbum « primordiale, de quo Eccle. 3 dicitur : *Fons sapien- « tiæ, Verbum Dei in excelsis.* »

Dices : Dùm Paulus loquitur de increato Dei Verbo, non solet illud vocare λόγος seu *sermonem*, sed ordinariè ad illud indicandum utitur voce *Filius;* ergo hìc per sermonem Dei non intelligit Dei Filium. — Resp. : Neg. conseq., quia, licèt id Paulus communiter non soleat facere, sufficit nihilominùs non esse inusitatum in Scripturâ, ut per vocem λόγος designetur Filius Patris; sìc Joannes, cap. 1, tertiò hâc voce usus est, ad significandum æternum Patris Verbum. Videtur autem Paulus hìc increatum Dei Verbum potiùs vocare *Sermonem* quàm *Filium*, quia vult ostendere quòd Dei Filius suo sermone, id est, sententiâ et jussu, puniturus sit incredulos, et præmiaturus credentes; unde, si omnia attendamus quæ hìc dicit, sensus videtur esse : Quidquid Dei Filius promisit credentibus, et comminatus est incredulis per os et sermonem Davidis, prophetarum et apostolorum, id certò et efficaciter præstabit suo sermone, decreto et jussu. Est enim ipse sermo omnipotens, vivus et efficax, ut incredulos et rebelles puniat ac cruciet pœnâ vivaci in æternum; fideles verò præmiet et salvet, ut vivant et regnent in æternum.

Est autem *Sermo Dei*, id est, Filius Dei, *penetrabilior gladio ancipiti*, ob duas præsertim causas : primò, quia penetrat et pervadit omnia corda et cogitationes, ut nulla incredulitas aut iniquitas, quantùmvis in corde abscondita, eum latere possit. Unde explicans idipsum Apostolus, subjungit : *Discretor cogitationum et intentionum cordis. Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* Secundò, quia idem Dei Filius suâ præsentiâ et activitate penetrat omnia, ut quosvis peccatores et quævis peccata, quantùmvis recondita, punire, damnare, occidere et dissecare possit; sicut enim oculos, ita et manus habet acutissimas, maximèque efficaces ac penetrantes.

Et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritûs, compagum quoque ac medullarum; id est, Sermo hic, sive Filius Dei examinat, et discernit motus ac cogitationes tam animales quàm spirituales. *Compages quoque ac medullas*, id est, intimas hominum partes; quasi dicat : Omnia prorsùs, etiam abditissima et intima, videt, penetrat, examinat, judicat et vindicat Christus Dei Filius; nihil est tam absconditum quò non penetrent oculi et manus Christi.

Cap. 5, 6 et 7 agit Apostolus de Melchisedech, ejusque sacerdotio, atque ostendit istud multò excellentius fuisse quàm sacerdotium Aaronicum; et inde probat sacerdotium Christi, quod est secundùm ordinem Melchisedech, etiam multò præstantius, perfectius ac excellentius esse quàm sacerdotium Aaronicum. Cùm autem omnia, quæ tum de personâ Melchisedech,

tum de sacerdotio ejus tractari solent, fusè discutiantur in cap. 14 lib. Gen., ideò ista hìc omittimus.

CAPUT VIII.

Hoc capite demonstrat Apostolus omnes prophetias, quas tribus præcedentibus capitibus adduxerat, fuisse impletas in Domino Jesu; et deinde per nova adhuc prophetarum testimonia confirmat Judaicam legem debuisse mutari.

QUÆSTIO UNICA.

Quis sit sensus verborum Jeremiæ, quæ Paulus hoc capite citat.

Vers. 1 : *Capitulum autem super ea quæ dicuntur;* per *capitulum* aliqui intelligunt recapitulationem, adeòque juxta ipsos Apostolus hìc significat se in summam redigere illa quæ de præcellentiâ sacerdotii Christi supra Aaronicum hactenùs scripserat. Alii verò per *capitulum* intelligunt summam rei, seu totius rei in compendio caput, hoc sensu : Hæc est omnium rerum dictarum et dicendarum summa, seu principalis intentio, quòd habeamus Pontificem, non mortalem ac terrenum, sed immortalem et cœlestem, qui à mortuis resuscitatus sedet in dexterâ Dei, atque ita Aaronicum sacerdotium sit ab ipso penitùs extinctum. Postquàm autem Apostolus hoc demonstrâsset, legem quoque veterem, scriptam in tabulis lapideis, jam abrogatam esse per legem novam, scriptam in cordibus nostris, ostendit ex celebri testimonio quod habetur Jerem. 31, dicens

Vers. 10 et 11 : *Hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus : Dando leges meas in mentem eorum, et in corde eorum superscribam eas; et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum; et non docebit unusquisque proximum suum, dicens : Cognosce Dominum, quoniam omnes scient me à minore usque ad majorem eorum.* In explicando genuino hujus testimonii sensu non exigua est difficultas. Quod enim tempus est novi Testamenti, inquit Estius, quo non sit opus rudes cujusque ætatis homines instruere ac docere ea quæ scire debent ut salvi fiant? Interim, pro intelligentiâ obscuri istius textûs, nota cum A Lapide : Cognitio ista Dei, de quâ loquitur Jeremias, non est nuda et speculativa, sed affectuosa et practica; quasi dicatur : *Cognosce Dominum,* et cognitum cole, time et ama. Unde Jonathas Chaldæus sic vertit : *Non docebit ultra vir proximum suum, dicendo : Scito timere Dominum, quia omnes discent ut sciant timorem meî.* Idem Jonathas, Oseæ 4, pro eo quod noster interpres vertit : *Non est scientia Dei in terrâ,* sic habet : *Non est qui ambulet in timore Domini in terrâ.* Non etiam loquitur Jeremias de cognitione omnium mysteriorum, etiam maximè occultorum, et articulorum fidei, qualem habuerunt apostoli, et post ipsos Ecclesiæ doctores; sed loqnitur tantùm de cognitione et cultu veri Dei, ac prædicit quòd novi Testamenti *filii non sint* opus habituri proximo, seu instructore ad hoc ut unum verum Deum cognoscant, colant et ament. Hoc notato,

Resp. et dico : Illis Jeremiæ verbis : *Dabo legem meam,* etc., innuitur gratia novi Testamenti, id est, fides quæ per dilectionem operatur, quam Deus diffundit in cordibus nostris, ut non solùm scientiam habeamus, sed etiam divina mandata impleamus. *Unde,* ut loquitur S. P. Aug., *lib. de Spir. et Lit.,* cap. 21 : *Propheta significavit eos non forinsecùs terrentem legem formidaturos, sed intrinsecùs habitantem ipsam legis justitiam dilecturos.*

His verò : *Et non docebit ultra vir proximum suum, dicens : Cognosce Dominum,* etc., indicatur præmium fidei, id est, æterna beatitudo, in quâ omnes electi Deum videbunt facie ad faciem. Hoc enim *Propheta dixit,* ut notat Aug. ibidem, cap. 24, *quia ejusdem Testamenti novi æternam mercedem, id est, ipsius Dei beatissimam contemplationem promittendo conjunxit.* Illa denique verba : *A minore usque ad majorem,* juxta S. doctorem multis modis intelligi possunt. « Sive, « inquit loco mox citato, quia et illic quisque sancto- « rum tanquàm stella à stellâ differt in gloriâ. Nec ad « rem quidquam interest utrùm *à minore usque ad ma- « jorem,* sicut dictum est, an si à majore usque ad mi- « norem diceretur; quod similiter nihil interest, etiam- « si minores intellexerimus, qui tantummodò credere, « majores autem qui etiam intelligere, quantùm in « hâc vitâ potest, lumen incorporeum atque incom- « mutabile valuerunt. Sive minores, tempore poste- « riores; majores autem tempore priores intelligi « voluit. Simul enim promissam Dei contemplationem « accepturi sunt omnes, quia et illi *pro* nobis meliora « providerunt, ne sine nobis perfecti perficerentur. Et « ideò velut priores reperiuntur minores, quia minùs « dilati sunt, sicut in illo evangelico denario per simi- « litudinem dicitur, quem priùs accipiunt qui poste- « riùs venerunt ad vineam. »

Contra hanc Augustini expositionem hoc unicè objici potest quòd Jeremias videatur loqui de cognitione et gratiâ quam affert fidelibus novum Testamentum in hâc vitâ; opponit enim novum Testamentum veteri, et insinuat quòd hoc Judæis parùm attulerit lucis et sapientiæ, illud verò magnam abundantiam tum lucis tum gratiæ fidelibus tribuat. — Verùm ad hoc argumentum facilè responderi potest, dicendo quòd cùm novum Testamentum habeat varias gratias, nempe quasdam hìc inchoandas, quasdam dandas in futuro duntaxat seculo, Jeremias loquatur de cognitione et gratiâ hujus vitæ, dùm dicit : *Dabo legem meam in visceribus eorum,* etc.; de cognitione verò et gratiâ futuri seculi, dùm addit : *Et non docebit unusquisque proximum suum,* etc., siquidem in futuro seculo tantummodò erit plena omnium rerum divinarum scientia; et ideò tunc proximus non ampliùs docebit proximum, sed omnes docebuntur omnia immediatè à *Deo.*

Interim si quis contendat etiam illa verba : *Et non docebit,* etc., de statu hujus vitæ esse intelligenda, eò quòd observet S. Hieron. in cap. 54 Isaiæ, ad eos pertinere ista verba Jeremiæ, de quibus Isaias ibidem, v. 13, dicit : *Et ponam universos filios tuos doctos à Domino;* constet autem Isaiam de universis Ecclesiæ filiis esse locutum ut videre est Joan. 6 v. 45 con-

formiter ad id quod supra prænotatum est; ulteriùs dici potest cum A Lapide et aliis quòd sensus verborum Jeremiæ sit hic : *Omnes à minore* perfectæ usûs rationis capace, *usque ad majorem*, qui per catechesim, Baptismum, et sacramentum Confirmationis Christiani sunt facti, tam in primitivâ Ecclesiâ quàm postea habebunt unius veri Dei cognitionem, Spiritu S. ita et interiùs gratiæ suæ unctione intellectum illuminante, et voluntatem inflammante, ut abjectis idolis, omnique superstitione, Deum verum agnoscant, colant et ament.

Jam datam explicationem aliqui probant hoc modo : Tam Propheta quàm Apostolus hic proponit privilegium quod Deus dabit novæ legis cultoribus, ut omnes noscant Deum, ita ut opus non sit ut aliquis eos in hâc notitiâ instruat; hi, inquam, omnes quos ipse docuerit, *dando leges suas in mentem eorum et in eorum corde superscribendo eas, dùm ipse erit eis in Deum, et ipsi erunt ei in populum :* atqui *hi omnes* sunt omnes Christiani et fideles, quibus Deus hæc præstat, et quos de his specialiter edocet in Baptismo et Confirmatione per unctionem Spiritûs S., de quâ Joan. 2, v. 27 : *Unctio ejus docet nos de omnibus;* ergo, etc. Contra hanc explicationem

Dices : Verba Jeremiæ sic intellecta favere videntur anabaptistis, aliisque novatoribus, qui ex isto textu probare nituntur errorem suum, spiritum videlicet privatum cujusque hominis esse judicem controversiarum fidei, et S. Scripturæ interpretem, veramque regulam tam agendorum quàm credendorum; post Christi enim adventum, inquiunt, debet cessare externum verbi ministerium, utpote superfluum, cùm intùs aspiret Spiritus sanctus, et doceat. — Resp. : Neg. assumpt., quia certum est Apostolum, dùm hic citat Jeremiam, non velle excludere ministerium externum docendi in Ecclesiâ, cùm ipse testetur se à Deo constitutum fuisse gentium doctorem, quod munus non solùm magnâ diligentiâ multisque laboribus obivit, sed etiam ad Ephes. 4, v. 11, dicit quòd Deus dederit *quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii.* Itaque Jeremias tantùm insinuat in lege novâ tam facilem fore, auditâ Evangelii prædicatione, Dei cognitionem, cultum, amorem et obedientiam, ut sponte suâ eò procurrant homines; cùm Judæi in veteri Testamento vix minis et pœnis cogi possent ad relinquendum idola, et ad Deum verum cognoscendum, colendum, amandum illique obediendum; adque id proventurum ex eo quòd Deus hanc sui cognitionem, cultum et legem non scribet in tabulis lapideis, sed in mente et corde fidelium, tantâ scilicet luce mentem illustrando, tantâque efficaciâ et suavitate voluntatem impellendo, ut homines ad ipsius cognitionem et amorem rapiantur. Hoc autem non excludit quin ad hæc inchoanda, augenda et promovenda, aliaque addenda, quæ ad particularium fidei mysteriorum, et legum Christi institutionem et cognitionem pertinent, alius alium docere, hortari et excitare debeat; ad hoc enim, ut dictum est, posuit Deus in Ecclesiâ apostolos, doctores et pastores. Ita A Lapide.

CAPITA IX, X.

Confert ritus sacerdotii veteris cum novo, et ostendit vetus sanctificare non potuisse; Christum autem semel duntaxat oblatum delevisse peccata; deinde, declaratâ legis et sacrificiorum ejus imperfectione, docet Christum unâ oblatione consummâsse sanctificatos.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid intelligatur per perfectius tabernaculum, de quo cap. 9, v. 11.

Vers. 1 : *Habuit quidem et prius*, scilicet Testamentum, *justificationes culturæ*, id est, justificationes cultûs divini, nimirùm mandata à Moyse lata, puta cæremonias et ritus lege præscriptos; *et sanctum seculare*, hoc est, tabernaculum sive sanctuarium mundanum, quod dicitur *seculare*, quia erat temporaneum, caducum et evanidum. Dicitur etiam *mundanum*, quia erat terrenum, utpote ex auro, argento, bysso aliisque rebus terrenis factum, habensque terrenas et typicas cæremonias, hostias et cultus.

Quæstiones, quæ hic moveri possent de thuribulo aureo seu altari thymiamatis, item de iis, quæ continebantur in arcâ, ac de propitiatorio, vide fusè dilucidatas in cap. 25 et 30 libri Exodi.

Postquàm autem explicaverat Apostolus tabernaculi fabricam, atque insinuaverat, pontificem, victimas et cæremonias fuisse quasi umbras et typos Christi, statim eorum allegoriam exponit, docetque Christum his omnibus adumbratum fuisse, longèque nobiliùs et excellentiùs hæc omnia exhibuisse cùm semel Sanctum sanctorum, id est, cœlum, per proprium suum sanguinem ingressus est, in eoque residet, quasi noster æternus Pontifex. Itaque vers. 11 ait : *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis..., introivit semel in sancta.* Quid hic per amplius et perfectius istud tabernaculum intelligatur, non satis constat, quia desuper variæ sunt interpretum sententiæ. Harum autem probabilior videtur ea quæ docet per istud tabernaculum intelligi corpus seu carnem Christi; vel, quod idem est, humanam Christi naturam, in quâ, velut in tabernaculo, inhabitat plenitudo totius Divinitatis.

Sententia hæc suadetur ex toto contextu ipsiusmet Apostoli, siquidem mox sequitur de sanguine Christi, quem opponit sanguini hircorum et vitulorum, dicens : *Sed per proprium sanguinem*, etc.; unde in hâc parte, inquit Estius, nobis intelligendum relinquit corpus Christi, et quasi supplendum hoc modo : *Per amplius et perfectius tabernaculum, non manufactum, id est, non hujus creationis, sed per proprium corpus :* nam corpus hoc mortale interdùm vocari tabernaculum, ex eodem Apostolo liquet, 2 ad Cor. 5, v. 4, ubi dicit : *Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati;* quod paulò post exponit de corpore, dicens : *Dùm sumus in corpore, peregrinamur à Domino.* Si

militer S. Petrus, Epist. 2, cap. 1, v. 13, ait : *Quam diù sum in hoc tabernaculo;* et iterùm : *Velox est depositio tabernaculi mei;* imò et de suo corpore ita loquitur Christus, Joan. 2, dicens : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Hoc autem dicebat*, ait Evangelista, *de templo corporis sui.* Istud verò, quòd nempè Christus per proprium corpus, tanquàm per tabernaculum, semel introiverit in Sancta, seu in cœlum, supplendum hic videtur reliquisse Apostolus ex iis quæ cap. seq. dicturus erat : nam ibidem ex professo docet Christum nos sanctificâsse, et in cœlum introisse, *per oblationem sui corporis*, opponens illud hostiis veteris Testamenti, et citans hunc versum Psal. 39 : *Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptâsti mihi.*

Porrò hoc tabernaculum, id est, corpus Christi, *amplius* seu majus est tabernaculo veteri, non mole corporeâ, sed dignitate rei, quia vivum est habitaculum Spiritûs sancti ; nec id qualecumque, sed hypostaticè unitum Verbo Dei. Est quoque *perfectius*, tum quia divini est operis, supra naturæ facultatem conceptum et formatum in utero Virginis ; tum quia perficit et sanctificat accedentes ad ipsum. Item, *non manufactum*, hoc est, non factum manu artificis, quomodò vetus illud legitur factum ab artifice Beseleel, lib. Exod. cap. 36 et seq. Insuper additur : *Id est, non hujus creationis*, quia Christi humanitas non fuit generata ex voluntate carnis aut viri, sed concepta de Spiritu sancto ex Virgine Mariâ. Unde voces *id est* hic non tantùm explanant, sed omninò ampliant, hoc sensu : Istud Domini tabernaculum non tantùm est non manufactum, sed insuper non est hujus nostræ creationis seu generationis. Quare ex hoc loco Valentinus, Apollinaris ac Eutyches nullum accipiunt fundamentum sui erroris, garrientes dominicam carnem non fuisse nobis consubstantialem.

Dices : Si per tabernaculum non manufactum intelligatur caro Christi, sequitur quòd hæc fuerit præfigurata per primum tabernaculum veteris legis, per quod pontifex intrabat in secundum, seu in Sanctum sanctorum ; atqui tamen hoc non potest admitti, tum quia Apostolus hic insinuat quòd primum tabernaculum repræsentaverit statum veteris Testamenti ; tum quia cap. seq. docet quòd Christi caro significata fuerit per velum dividens inter utrumque tabernaculum. Dicit enim ibidem, v. 20, Christum *initiâsse nobis viam novam ;* ergo per tabernaculum non manufactum nequit intelligi caro Christi. — Resp. : Neg. maj., quia Apostoli mens hic non est quòd primum tabernaculum gesserit typum corporis Christi, sed quòd cum eo habuerit aliquid simile, scilicet hoc : Ut quemadmodùm per istud intrabat pontifex in Sanctum sanctorum, ita Christus per corpus suum, velut per tabernaculum, introiverit in cœlum. Dicitur autem per corpus suum il uc introivisse, quia per passionem et oblationem sui corporis ingressum sibi paravit in gloriam cœlestem, juxta id quod supra, cap. 2, v. 9, habetur : *Videmus Jesum propter passionem mortis, gloriâ et honore coronatum.*

QUÆSTIO II.

Quis sit sensus verborum v. 1 et 2 cap. 10.

Apostolus volens declarare infirmitatem sacrificiorum veteris legis, loco citato ait : *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum ;* his verbis insinuatur quòd lex vetus tantùm adumbraret seu præfiguraret spiritualia bona quæ ex meritis Christi accepturi erant fideles, non verò eadem exhiberet, sicut jam facit lex nova. Videtur enim Paulus umbram hic comparare non ad aliam umbram perfectiorem, quæ ideò vocatur *imago*, sed ad veram rei formam et effigiem quam umbra illa repræsentat. Unde et nomen *imaginis* non usurpat pro perspicuâ et perfectâ repræsentatione rei alicujus, sed pro ipsâ re exhibitâ ac repræsentatâ, eo videlicet sensu quo dicitur facies hominis esse imago hominis, cùm in eâ ipse homo secundùm se videtur. Item sicut Christus, cùm sit Deus, vocatur *imago Dei*, ad Coloss. 1, sic etiam species interdùm accipitur, ut 2 Cor. 5 : *Per fidem ambulamus, et non per speciem*, id est, Deum, ut in seipso est, et quemadmodùm beatis repræsentatur, necdùm videmus. Quod ergo hic dicit : *Non ipsam imaginem rerum*, idem est ac si diceret : *Non ipsam speciem rerum, id est, non res, ut in seipsis* conspiciuntur ; unde in versione Syriacâ ita habetur : *In lege enim umbra erat bonorum futurorum, et non substantia ipsarum rerum.*

Per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquàm potest accedentes perfectos facere ; hoc est, lex vetus suis sacrificiis, quæ singulis annis in festo Expiationis pro peccatis totius populi offerebantur, nunquàm potuit accedentes sive offerentes, id est, ipsosmet sacerdotes, reddere perfectos, sive ad veram justitiam perducere. Rationem hujus subjungit,

Vers. 2, dicens : *Alioquin cessâssent offerri ideò quòd nullam haberent ultra conscientiam peccati, cultores semel mundati.* Sensus hujus probationis seu argumenti est hic : Si legis sacrificia potuissent offerentes perficere, et à peccatis mundare, jam desiissent offerri : nam semel per eorum oblationem sanctificati, et à peccatis mundati cultores, nullam ampliùs haberent conscientiam peccatorum, propter quæ sacrificia ipsis repetenda forent ; atqui non desinunt offerri ; lex enim præcipit ea repeti per singulos annos ; ergo nunquàm possunt cultores sive offerentes perficere, et à peccatis mundare.

Ex jam memorato Apostoli argumento hæretici contendunt sequi pari ratione sacrificium Missæ quod in Ecclesiâ catholicâ indesinenter offertur, nullam habere vim sanctificandi, nec esse propitiatorium : nam, inquiunt, cum Apostolo sic ratiocinamur : Si sacrificium missæ posset Deum homini peccatori propitiare, jam cessâsset offerri, propterea quòd homo semel à peccato mundatus, nullam ampliùs haberet conscientiam peccati ; atqui *non* cessat *offerri ; ergo* non potest Deum homini propitiare. — Verùm jam memoratum hæreticorum argumentum prorsùs futile

et inane esse inde constat quòd Apostolus loco citato non agat de sacrificio applicatorio, sed de satisfactorio et per se expiatorio peccati, quo scilicet Deo persolvitur lytrum et pretium injuriæ, illi per peccatum illatæ, ut nempe isto sacrificio satisfiat majestati divinæ per peccatum læsæ, et reparetur illius injuria, honosque per peccatum ablatus restituatur. Opponit enim et anteponit Apostolus cruentum novæ legis sacrificium cruentis veteris legis sacrificiis; ac docet non hæc, sed solùm Christi sacrificium cruentum, quod semel in arâ crucis oblatum est pro redemptione totius mundi, fuisse satisfactorium ac expiatorium omnium prorsùs peccatorum. Et sic sensus argumenti ejus est hic : Si sacrificia quæ singulis annis in festo Expiationis offerebantur, fuissent satisfactoria et expiatoria peccatorum, semel oblata cessâssent offerri; sicut sacrificium crucis semel oblatum cessavit offerri, quia nempe per illud plenissimè Deo satisfactum est, et pretium sufficientissimum acquisitum fuit pro omnibus peccatis, præteritis, præsentibus et futuris. Jam verò sacrificia in festo Expiationis non cessârunt offerri, sed singulis annis adhuc indesinenter offeruntur; ergo hæc sacrificia non sunt satisfactoria et expiatoria peccatorum.

Sed hinc nihil concludi potest contra efficaciam sacrificii missæ, nec probari quòd hoc non sit propitiatorium, siquidem iper psum propriè non fit expiatio peccatorum, sed tantùm applicatur fructus passionis et meritorum Christi. Unde observandum est quòd ad remissionem peccatorum requirantur duo : unum, ut inveniatur pretium liberationis, seu satisfactio justa, et debita divinæ justitiæ; alterum, ut pretium in particulari applicetur hominibus. Quod attinet ad primum, sacrificium crucis remisit omnia peccata, præterita, præsentia et futura, ut jam supra dictum est; sed quantùm ad secundum, nondùm facta est remissio peccatorum omnium : nam adhuc sunt, et erunt usque ad mundi consummationem, quibus applicandum sit pretium liberationis, et remittenda peccata; et ideò remanet hostia pro peccato, nimirùm sacrificium missæ : non ut sit redemptorium, sed tantùm ut sit commemoratorium et applicatorium pretii ac fructûs sacrificii crucis. Certum autem est Apostolum nequaquàm voluisse docere quòd cessare debeant media applicatoria fructûs sacrificii crucis; aliàs etiam cessare deberet Baptismus; ergo ex præfato textu nullatenùs concludi potest quòd in novâ lege nullum ampliùs detur sacrificium.

Sunt etiam nonnulli qui ad supra memoratum hæreticorum argumentum respondent, ac dicunt quòd Apostolus per illa verba : *Alioquin cessâssent offerri*, nihil aliud insinuet, quàm quòd cessâssent offerri, pro peccatis illis, pro quibus expiandis jam oblata fuerant; adeò ut sensus verborum sit hic : Si sacrificia, quæ in festo Expiationis offerri solebant, fuissent remissiva peccatorum, cessâssent offerri pro peccatis præteritis, seu ante illud festum commissis; atqui tamen pro illis non cessaverunt offerri, quandoquidem, ut Apostolus subjungit v. 3, *in ipsis* fieret *commemoratio peccatorum per singulos annos*; id est, singulis annis in illorum sacrificiorum oblatione pontifex confiteretur omnia peccata, tam diù præterita quàm recenter commissa, ut insinuatur Levit. 16, v. 21. Ergo manifestum est quòd ista sacrificia non habuerint vim remittendi peccata.

Jam verò, inquiunt, totum hoc nihil omninò derogat efficaciæ sacrificii missæ, siquidem et istud pro peccatis jam remissis, in Ecclesiâ non offertur, ut remittatur seu tollatur reatus culpæ, sed tantùm ut remittatur seu tollatur reatus pœnæ.

Petes undenam Paulus, cap. 10, desumpserit illa verba Psal. 39 : *Corpus autem aptâsti mihi.* — Resp. : Ista desumpsit ex translatione septuaginta Interpretum, in quâ ita legitur; in textu autem Hebræo habetur : *Aures autem perfecisti mihi;* sed, licèt sit aliqua lectionis differentia, sensus tamen est idem : nam Deus Pater Filio aptavit corpus ad patiendum, perfecit verò aures ad perfectè obediendum usque ad mortem crucis. In isto igitur Psalmo Mediator profitetur offensum humano generi Dominum Deum placari non Mosaicis sacrificiis, sed solâ suâ perfectâ obedientiâ, atque justitiâ, de quâ etiam *scriptum est in capite libri*, id est, in exordio Psalmorum, ut exponit S. P. Aug. in Psal. 39, sive in Psalmo primo, qui sic incipit : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum...; sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte* : nam, licèt hoc de omnibus justis dici possit, Christo tamen maximè convenit.

CAPITA XI, XII

Fidei vim et efficaciam declarat variis antiquorum patrum exemplis, qui per fidem multa et mira operati sunt et sustinuerunt. Unde horum, imò et Christi exemplo, inducit Hebræos ad tolerandum viriliter afflictiones.

QUÆSTIO PRIMA.

De catalogo sanctorum veteris Testamenti.

Varias quæstiones quæ de sanctis veteris Testamenti hìc moveri possent, suis respectivè locis discutiuntur; unde iis omissis, pauca, quæ adhuc exponenda restant, breviter pertractabimus.

Vers. 2 : *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei.* Non dicit facta aut creata, sed *aptata* secula, et quidem verbo Dei. Quòd enim hic mundus sit à Deo factus aut creatus, ipse altissimè clamat, nec fides ad hoc est absolutè necessaria; at quòd Deus verbo suo dixérit et creaverit, ac juxta contentas in ipso ideas aptaverit omnia, solâ fide possumus intelligere.

Ut ex invisibilibus visibilia fierent. In Græco est : *Ex non apparentibus*, quæ vox potest accipi variis modis. Primò penitùs negativè, hoc sensu : Ut ex invisibilibus non entibus, seu entibus per existentiam necdùm apparentibus, fierent visibilia et actualia entia; secundò potest accipi pro informi ac invisibili materiâ, ex quâ creatâ Deus postmodùm aptavit omnia; tertiò accipi potest pro invisibilibus divinæ mentis rationibus seu ideis, ex quibus et juxta quas Dominus Deus creavit et aptavit omnia.

Vers. 7 : *Fide Noe, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur* (de futuro orbis diluvio), *metuens aptavit arcam in salutem domûs suæ.* Loco *metuens* in textu Græco habetur *reveritus Deum.* Cùm enim alii homines reverentiam, metum et fidem abjecissent, riderentque minas Dei de futuro diluvio, solus Noe imbuit et reveritus est Deum judicem ac vindicem, certòque credidit Deo prædicenti diluvium, ideòque ad illud evadendum arcam construxit.

Per quam damnavit mundum. Dictionem *quam*, aliqui referunt ad *fidem*, sed videtur rectiùs referenda ad *arcam;* unde sensus est : Noe, dùm pro salute suæ domûs arcam immensæ molis fabricat, et in eo opere multos annos consumit, palàm verbo factoque monens metuendum esse diluvium, excusationem hominibus abstulit, eosque exitio, quod credendo et pœnitentiam agendo præcavere nolebant, dignos esse ostendit.

Vers. 11 : *Fide et ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit..., quoniam fidelem credidit esse eum qui repromiserat.* Quæri potest quomodò Apostolus propter fidem hìc commendet Saram, quandoquidem ex Gen. 18, v. 12, constet quòd ad Dei promissionem de Isaac ex ipsâ nasciturο riserit, quasi hæc ridicula foret et impossibilis; adeòque incredula fuerit.

Ad hoc quæsitum respondet Lyranus quòd hìc non fidem Saræ, sed Abrahæ commendet Apostolus. Unde juxta ipsum sensus est hic : Per fidem Abrahæ etiam ipsa Sara uxor ejus, cùm sterilis esset, virtutem accepit concipiendi fetûs. Sed hæc expositio repugnat verbis Apostoli, qui hìc clarè dicit quòd Sara per fidem virtutem concipiendi acceperit, *quoniam fidelem credidit esse eum qui repromiserat.*

Dicendum igitur quòd Sara initio, dùm audivit promissionem tantam, quæ naturaliter erat impossibilis et incredibilis, riserit quidem quasi incredula, sed posteaquàm ab angelo reprehensa fuit, et admonita de divinâ promissione, tum et ipsa, ut docet S. P. Aug., lib. 16 de Civ. Dei, cap. 31, *in fide confirmata est,* ac nasciturum sibi filium credidit, et propter hanc fidem eam hìc laudat Apostolus.

Vers. 33 : *Per fidem vicerunt regna.* Apostolus quorumdam antiquorum, quos hìc tantùm per transennam nominaverat, justorum heroica per fidem gesta pergit breviter enarrare. Et quidem Gedeon devicit Madianitas; Jephte Ammonitas; Barac regem Asor; Samson et Samuel Philistæos ; eosdem cum Ammonitis et Amalecitis rex David ; alii alia regna devicerunt ac devastârunt.

Operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. Licèt operari justitiam sit commune omnibus justis, Apostolus tamen hìc laudat jam memoratos justos, quòd etiam bella justè gesserint, et per ipsa et in ipsis non violentias, ac rapinas exercuerint, sed administraverint justitiam, quòd in suis bellis nec divina mandata, nec debitos vindictæ limites excesserint. Et ita omninò oportet agere in omni bello; alioquin non est bellum, sed latrocinium. Porrò præfati sancti in bellis virtutem justitiæ exercuerunt ex fide in Dominum Deum : ideòque promissas ab ipso victorias sunt per fidem consecuti.

Obturaverunt ora leonum. Id aliqui referunt ad Samsonem et Davidem ; nam ille leonem interfecisse legitur Judic. 14, hic verò, 1 Reg. 17. Hi igitur obturâsse sive occlusisse dicuntur ora leonum, quia, leonibus in pugnâ fortiores, effecerunt ne dentibus eorum discerperentur. Attamen magis propriè ad Danielem id referendum esse videtur, ad cujus declarandam justitiam, sicut ipse loquitur Dan. 6, *misit Deus angelum suum, et conclusit ora leonum,* ita nimirùm ut ad eum devorandum, quamvis fame urgerentur, nec ora sua possent aperire. Estque notandum, inquit Estius, in Græco apud Danielem idem esse verbum, quod hoc loco; ut prorsùs appareat illùc Apostolum respexisse, et hìc numerum pluralem pro singulari posuisse.

Vers. 34 : *Extinxerunt impetum ignis,* nempe socii Danielis, Ananias, Misael et Azarias, quos in ardentem fornacem conjectos ignis omninò non læsit, ut dicitur Dan. 3. Non igitur extinxerunt ignem, sed, quod erat mirabilius, impetum seu virtutem ignis, ne scilicet ipsos ureret; idque fecerunt eâ fide quâ dicebant ad regem : *Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis. Quòd si noluerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colimus,* etc.

Effugerunt aciem gladii. David effugit gladium regis Saülis, Elias evasit gladium impiæ reginæ Jezabelis; ab illis enim quærebantur ad gladium, seu ad mortem.

Convaluerunt de infirmitate, nempe rex Ezechias, quem Dominus liberavit de lethali morbo, et ad ejus vitam adjecit quindecim annos.

Fortes facti sunt in bello, etc., scilicet David et Jephte, qui cum modicâ militum manu numerosissimos cæciderunt exercitus. Etiam solus Samson grandia percussit castra. Item reducti è Babylonicâ captivitate Judæi, licèt pauperes et pauci, à Domino Deo facti sunt fortissimi, et copiosissimos hostes devicerunt; atque id, omnium generosissimi, fecerunt Machabæi. Et omnes istorum hostes erant castra, seu exercitus exterorum, sive alienigenarum.

Vers. 35 : *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. De* idem hìc significare potest quod *ex;* et sic sensus est : Ex resurrectione, aut, ut Fromundus vult, post resurrectionem miraculosè factam receperunt filios suos, qui mortui fuerant. Ita Sunamitis filium resuscitatum ab Eliseo recepit, 4 Reg. 4. Pari modo vidua Sareptana filium suum ab Eliâ ad vitam revocatum recepit, 3 Reg. 17.

Alii autem distenti sunt, Græcè, *tympanizati sunt,* id est, extensi instar tympani, vel potiùs in tympano. Etenim tympanum apud antiquos fuit instrumentum in quo homines ad instar tympani extendebantur et pulsabantur. Theodoretus autem rectè advertit ab Apostolo hìc laudari Eleazarum et alios septem Machabæos, siquidem, lib. 2 Machab., cap. 6, ubi in nostrâ Vulgatâ de Eleazaro dicitur : *Ad supplicium trahebatur,* in textu Græco habetur : *Trahebatur ad*

tympanum; et hinc ille in supplicio positus clamavit ad Dominum Deum : *Duros corporis sustineo dolores,* quia nempe tympanum erat durissimum tormentum. Et ibidem, cap. 7, de septem fratribus Machabæis dicitur eos *flagris et taureis* fuisse cruciatos, id est, nervis et loris taurorum, quibus in tympano extensi pulsabantur, et quasi tympanum cogebantur resonare.

Non suscipientes redemptionem; etenim rex Antiochus redemptionem, seu à pœnis liberationem et Eleazaro, et septem fratribus obtulit. Verùm omnes constantissimè eadem respuerunt, in tormentis dicentes ad Dominum Deum : *Propter timorem tuum libenter hæc patior. Propter Dei leges hæc despicio,* etc.

Ut meliorem invenirent resurrectionem; etenim istorum septem fratrum, dùm cruciabantur et trucidabantur, unus dixit ad regem Antiochum : *Tu quidem scelestissime, in præsenti vitâ nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit;* quod ipsum et alii fratres, saltem quoad sensum, dixerunt. Cætera, quæ afflictionibus sanctorum subjungit Apostolus, vix expositione indigent, et ideò illa transilimus.

Vers. 39 : *Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem,* v. 40, *Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur;* hoc est, non acceperunt perfectam et consummatam beatitudinem : nam hanc tantùm accipient, quando resuscitatis ad immortalitatem corporibus, omnes sancti homines cum Christo regnabunt in cœlis, siquidem ante illud tempus animæ solæ regnant et beatæ sunt, non homines, nisi synecdochicè; Apostolus autem loquitur de hominibus ; ergo per repromissionem videtur intelligenda perfecta et consummata beatitudo. Hunc sensum tradunt SS. Chrysost. in jam citatum D. Pauli locum, et Aug., epist. 99 ad Evodium.

Idem etiam eruitur ex ultimâ parte ipsius constructionis, in quâ Paulus non dicit : *Ne sine nobis remunerarentur,* sed : *Ut non sine nobis consummareentur,* id est, consummatam ac totam, quæ promissa est, acciperent remunerationem. Præterea, quia paulò ante de quibusdam dixit : *Ut meliorem invenirent resurrectionem,* inde rursùs satis patere videtur quòd agat de consummatâ beatitudine, quam post generalem resurrectionem accipiemus.

Dices : Apostolus dicit quòd Deus pro nobis aliquid melius providerit quàm pro sanctis veteris Testamenti; atqui, si per repromissionem intelligatur perfecta ac consummata beatitudo, Deus pro nobis nihil melius providit, siquidem nos et ipsi hanc simul in die extremi judicii recipiemus; ergo, etc.—Resp. ; Neg. min., et dico cum S. Chrysost. Apostolum loqui more humano, juxta quem censentur honoratiores qui expectantur quàm qui expectant, prout videmus fieri in conviviis; et ita quodammodò melior est conditio nostra quàm antiquorum, quia, cùm illi tantò ante laboraverint, tamen ad convivium regni cœlestis expectant nos, qui postremi venimus. Sic etiam S. P. Aug. intellexit, lib. de Spir. et Litt., cap. 24, ita scribens : « Et ideò « velut priores reperiuntur minores (id est, tempore « posteriores) quia minùs dilati sunt; sicutin illo evan- « gelico denario per similitudinem dicitur, quem priùs « accipiunt qui posteriùs venerunt ad vineam. » Voluit autem ita loqui Apostolus, ut Hebræos suos magis animaret ad ferendum patienter dilationem præmii promissi; quasi dicat : Longè facilius est vobis habere patientiam quàm antiquis justis. Nam illi multò diutiùs expectârunt, et adhuc expectant, donec vos sitis parati; non autem è contra erunt vobis expectandi; sed simul atque tempus, quod jam propinquat, advenerit, unà cum illis accumbetis in regno Dei.

QUÆSTIO II.

De quâ commotione cœli et terræ loquatur Apostolus cap. **12**, *v.* **26.**

Notandum 1° quòd Paulus capite jam citato in memoriam revocet, et Hebræis proponat duas insignes commotiones sive concussiones : unam minorem, quâ terra concussa fuit, dùm lex lata est in monte Sinai; alteram majorem, quâ non solùm terra, sed et cœlum commovendum est.

Notandum 2° quòd verba illa v. 26 : *Adhuc semel, et ego movebo non solùm terram, sed et cœlum,* desumpta sint ex prophetiâ Aggæi, cap. 2, v. 8, ubi habetur : *Dicit Dominus exercituum : Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum et terram, et mare et aridam, et movebo omnes gentes.* Hæc autem verba, prout apud Prophetam reperiuntur, propriè intelliguntur de primo Christi adventu, prout docent S. Hieron., in jam citatum Aggæi locum; D. Cyrillus, lib. 5 in Gen., et S. P. Aug., lib. 18 de Civ. Dei, cap. 35.

Notandum 3° quòd, licèt apud Aggæum in textu Hebraico habeatur : *Adhuc unum modicum,* prout vertit S. Hieron., tamen Paulus hìc rectè dixerit : *Adhuc semel,* quia vox Hebræa *achath* significat *unum,* et etiam *semel.* Quo posteriori modo verterunt septuaginta Interpretes, quos sequitur Apostolus. Sensus ergo Hebraici textûs est : *Adhuc unum tempus, et quidem modicum restat, et commovebo,* etc., qui in idem cum sensu Septuaginta recidit. Modicum autem illud tempus sunt omnes illi anni, qui à prophetiâ Aggæi usque ad Christi adventum effluxerunt; qui quamvis ascendant ultra quingentos, tamen dicuntur *modicum tempus,* quia prophetis lumine divino illustratis, et ad Deum Deique æternitatem elevatis, omne tempus illi comparatum breve videtur et exile. Vel etiam dici potest quòd isti anni vocentur *modicum tempus* respectivè ad totum tempus quod ab Adamo usque ad prophetiam Aggæi effluxerat; nam Aggæus tantùm incœpit prophetare post captivitatem Babylonicam. His notatis,

Resp. et dico 1° : Varii interpretes cum S. Thomâ et Theophylacto istam cœli et terræ commotionem, de quâ hìc loquitur Apostolus, ad secundum Christi adventum referunt, quando *cœli magno impetu transient, terra autem et quæ in ipsâ sunt opera exurentur,* 2

Petri 3, v. 10. Probant autem hanc suam resolutionem hoc modo : Apostolus factâ allusione ad vocem Domini in monte Sinai, quam tunc filii Israel audire recusârunt, illum hic inducit hoc modo de cœlo loquentem : *Adhuc semel, et ego movebo non solùm terram, sed et cœlum;* atqui hæc intelligi non possunt de primo, sed de secundo Christi adventu; ergo. Prob. min. : Paulus hic loquitur de promissione Domini, quæ adhuc erat implenda, quando Epistolam hanc scripsit, dicens : *Adhuc semel;* atqui primus Domini adventus tunc erat transactus, et tantùm secundus expectabatur ut futurus; ergo, etc.

Dices : Prophetia Aggæi, ut omnes communiter admittunt, agit de primo Christi adventu; ergo dici non potest quòd Apostolus, qui eamdem hic citat, loquatur de commotione cœli et terræ, quæ futura est tempore secundi adventûs. — Resp. verba quidem illa Aggæi præcipuè agere de primo Christi adventu, ita tamen ut nihil in eis inveniatur quod obstet quominùs extendatur ad omne tempus quod fluet usque ad consummationem seculi, quod hic facit Apostolus; et sic prophetia illa initiativè impleta est in primo Christi adventu, et hoc principaliter ibi intendit Propheta; sed ultimatè et perfectè implebitur in secundo Christi adventu, quando veniet ad judicium; tunc enim, ut canit Ecclesia, *cœli movendi sunt, et terra;* et hoc hic ad intentum erat Apostoli, qui sæpiùs in hâc Epistolâ Hebræis inculcat tremendum Christi judicium, ut eos tum metu futuri supplicii, tum spe retributionis ad patientiam in adversis excitet. Ita nonnulli ex auctoribus qui hanc opinionem tuentur.

Dico 2° : Licèt opinio jam relata sit satis probabilis, tamen plausibilior et verosimilior apparet sententia Fromondi et aliorum, qui dicunt quòd Apostolus agat de motione cœli et terræ, quæ fuit in primo Christi adventu. Ratio hujus est quòd propheta Aggæus satis apertè de primo adventu loqui videatur, et SS. Patres contra Judæos sic passim exponant. Unde S. Aug., lib. 18 de Civ. Dei, cap. 35, ita scribit : « Movit cœlum, angelorum et siderum testimonio, quando incarnatus est Christus. Movit terram « ingenti miraculo, de ipso Virginis partu. Movit mare et aridam, cùm et in insulis, et in orbe toto « Christus annuntiatur. Ita moveri omnes gentes « videmus ad fidem. » Hæc autem mundi commotio in primo Christi adventu et legis novæ promulgatione fuit mutatio dexteræ Excelsi, omnipotentis et metuendi nimis. Unde hæc sunt satis magna divinæ et prodigiosæ potentiæ signa, ut terreantur Hebræi eum offendere, nec sit opus ad eos magis terrendos verba Apostoli contra mentem prophetæ Aggæi trahere ad cœli et terræ commotionem ac totius mundi innovationem, quæ fiet in secundo adventu. Ita Fromondus.

Ad fundamentum autem alterius opinionis ne ganda est probatio minoris, et dicendum quòd Apostolus per *adhuc semel* nequaquàm significet promissionem divinam, de quâ loquitur, adhuc fore implendam, quando Epistolam hanc scripsit, sed quòd tantùm designet veteris legis mobilitatem et abrogationem, ut alia lex immobilis subrogaretur. Hancque à Prophetâ insinuatam fuisse, ac proinde huic legi immobili immobiliter inhærendum esse satis insinuat, dùm ait : *Quodautem,* ADHUC SEMEL, *dicit, declarat mobilium translationem..., ut maneant ea quæ sunt immobilia;* hoc est, Deus per prophetam Aggæum declarat tabernaculi, altaris et omnium sacrorum illius temporis, ac proinde sacerdotii ac totius legis futuram aliquando translationem in alium statum : nam particula *adhuc* significat res illas esse mobiles et aliquando movendas; qui enim dicit : Ego commovi terram, quando legem veterem in monte Sinai dabam, sed adhuc semel movebo, satis indicat se aliam legem novam cum illâ novâ terræ commotione vel e hominibus dare; ut nempe permaneant ea quæ ad novum Testamentum pertinent, et non ampliùs in alia sacra, ac aliam legem transferantur; hoc enim insinuat particula *semel* apud Prophetam, quàm hic urget Apostolus, siquidem significat quòd non pluries quam semel, ac proinde post legem novam, quæ secunda est, non expectandam esse aliam, seu tertiam.

Cùm igitur Apostolus præfatum Aggæi vaticinium adducat ut probet legem veterem abrogatam esse, eique successisse legem novam, probabilius nobis videtur quòd loquatur de commotione cœli et terræ, quæ facta est in primo Christi adventu, non autem de eâ quæ futura est in secundo : nam si de hâc loqueretur, intentum suum non satis efficaciter probare posset.

Cap. 13 Apostolus tradit varia moralia præcepta et consilia, quibus fideles Judæos instruit et confirmat in christianâ disciplinâ. Hæc autem omnia non continent particularem difficultatem. Itaque sit Dilucidationis in D. Pauli Epistolas finis.

FROMONDI VITA.

Fromondus (Libertus), theologiæ doctor, sacrarumque Litterarum in academiâ Lovaniensi professor, ibidem in super ecclesiæ collegiatæ D. Petri decanus, necnon seminarii Leodiensis præses, seculo XVII floruit; quibus feliciter perfunctus muneribus, supremum diem obiit anno 1658, vir clarissimus, quem inter præcipua ætatis suæ ornamenta sapientiores numerârunt, omnisque divinæ ac humanæ scientiæ peritissimum prædicârunt. Enimverò litterariæ rei mathematicæque, physicæ simul et theologicæ rationem apprimè callebat, cui elegantior eruditio disciplinaque adjungebatur. Placent in ejus scriptis ipsa verba, ipse modus, et in opinionibus examinandis eruendisque singularis accuratio. Varias inter Fromondi in Scripturam sacram lucubrationes eminent absque dubio *Commentaria* quæ *in canonicas Epistolas* exaravit. Omnem scilicet Estii substantiam medullamque comprehendit, nec tantùm inanes ac superfluas quæstiones ab hoc celebri auctore resecuit, sed etiam ejus laboris rimas passim explendo, res ab ipso prætermissas faustè admodùm supplet ac prosequitur.

Præter illud opus, quo ditescere posse nostrum hunc *Scripturæ sacræ Cursum* meritò gloriamur, in plures alios SS. Bibliorum libros exquisita omninò commentaria Fromondus edidit, nempe in *Cantica*, in *Acta Apostolorum*, in *Epistolas S. Pauli* et in *Apocalypsin*, quæ omnia unico volumine comprehensa, Parisiis impressa sunt, anno 1674, in-fol.

IN EPISTOLAM CATHOLICAM B. JACOBI APOSTOLI

Præfatio.

Post quatuordecim Epistolas sancti Pauli sequuntur septem catholicæ : una Jacobi, duæ Petri, tres Joannis, et una Judæ. Catholicæ, id est, universales vocantur, quia non ad unius urbis fideles, ut ad Romanos, aut Corinthios, etc., sed ad universitatem fidelium sunt scriptæ, exceptâ secundâ et tertiâ Joannis, quæ personis privatis scribuntur; omnes tamen catholicæ appellantur à majori parte; ab aliquibus etiam canonicæ vocantur, quia generales canones sive regulas vitæ christianæ continent.

Sunt autem longæ simul et breves, ait S. Hieronymus, breves verbis, longæ sententiis; sunt enim mirabiliter sententiosæ, compendiosæ et inflammativæ, inquit Dionysius Carthusianus. Non eodem ordine recensentur à SS. Patribus; juxta correctionem sancti Hieronymi, Jacobi Epistola tenet primum locum, quia fortè ante alias scripta, vel ab Ecclesiâ in sacrorum librorum canonem recepta fuit.

Hanc Jacobi Epistolam contemnunt Lutherus et Lutherani, recipiunt eam nobiscum, et cum vetere Ecclesiâ, Calvinus et Calvinistæ, licèt sic eam contorqueant, ne videatur hæresis eorum everti, quâ docent fidem sine operibus ad salutem sufficere; qui error totis viribus à Jacobo oppugnatur.

De auctore Epistolæ nonnulli dubitant. Cajetanus, secutus Erasmum, ut solet, ambigit an sit scripta ab aliquo apostolo; sed tota antiquitas eam tribuit B. Jacobo. Verùm duo fuerunt Jacobi apostoli, Jacobus Zebedæus, sive Major, et Jacobus Alphæi, sive Minor, ad quos hæc controversia redigitur.

Flavii Dextri Chronicon, et ejus commentator Franciscus Bivarius, cum quibusdam Hispanis contendunt scriptam esse in Hispaniâ à Jacobo Majore, Hispanorum patrono, ad Judæos Hispaniam incolentes, quos in fide erudierat : existimant enim eum Hispaniam adiisse anno 63, et inde rediisse anno Christi 41; Epistolam autem hanc scripsisse aiunt anno 40, quatuor circiter annis ante suum martyrium, Actorum 12, v. 2; unde hanc Jacobi Epistolam volunt esse tempore primam inter omnes novi Testamenti Scripturas : nam Matthæus, qui ab aliis passim primus habetur, anno tantùm sequenti 41 scripsisse colligitur ex Eusebio.

Sed Epistolam istam Jacobo Minori, qui vocatus est Justus et frater Domini, tribuit Euseb., Hieron. et Patres passim : imò Trident., sess. 14, cap. 1, de Extremâ Unctione. Chronicon autem illud Flavii Dextri à multis suppositititium putatur, nec esse illius Dextri amici S. Hieronymi qui sub imperatore Theodosio seniore præfectus prætorii fuit. Deinde Jacobus, auctor hujus Epistolæ, teste S. Augustino, cap. 14 de Fide et Operibus, scribit contra eosdem hæreticos,

contra quos Petrus, Joannes et Judas, nempe contra Simonianos et Nicolaitas, qui dicebant fidem sine operibus ad salutem sufficere : hæresis verò ista non videtur tam latè fuisse sparsa ante martyrium Jacobi Majoris, anno Christi 44, ut pervenerit ad duodecim Israelitarum tribus toto orbe dispersas, ad quas hic Jacobus scribit. Præterea cùm Judæos istos non tam in doctrinâ fidei erudiat quàm ad opera fidei exhortetur, signum est scribere ad eos qui ab aliis apostolis in fide erant eruditi. Scripsit ergo post divisionem apostolorum, quæ à Baronio et aliis facta dicitur anno Christi 40, quo Jacobus Major ab Herode Agrippâ interfectus est.

Igitur Jacobus Minor, qui vixit usque ad annum Christi 63, id est, 19 annos post decollationem Jacobi Majoris, potiùs hujus epistolæ erit auctor. Vocatus est Minor, Marci 15, v. 40, non sanctitate et perfectione virtutum, sed quia ætate aut vocatione ad apostolatum fuit Jacobo Majore posterior. Quidam etiam corpore minorem fuisse dicunt. Fuit Alphæi filius, Matth. 10, versu 3, et frater Judæ Thaddæi, Judæ versu 1 : vocatus etiam frater Domini, ad Galatas 1, versu 19, non tantùm quomodò Jacobus Major et Joannes, cæterique Christi cognati, sed etiam quia vultu Christo similis erat, ut testatur Ignatius martyr. Primus Hierosolymorum episcopus ab apostolis est creatus, et tam admirandæ sanctitatis, etiam ab infidelibus Judæis habitus, ut excidium Jerosolymæ novem circiter annis post mortem Jacobi, Deo necem ejus vindicante, evenisse Judæi existimaverint, ut testatur Josephus.

Scripsit autem potiùs Græcè quàm Hebraicè, quia græca lingua erat quasi communis in Oriente, et plures Judæi extra Judæam dispersi magis eam callebant quàm Hebraicam

IN EPISTOLAM CATHOLICAM
B. JACOBI APOSTOLI
COMMENTARIA.

CAPUT PRIMUM.

1. Jacobus, Dei et Domini nostri Jesu Christi servus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem.

2. Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis :

3. Scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur.

4. Patientia autem opus perfectum habet; ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.

5. Si quis autem vestrûm indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat : et dabitur ei.

6. Postulet autem in fide nihil hæsitans; qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur et circumfertur.

7. Non ergo æstimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino.

8. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis.

9. Glorietur autem frater humilis in exaltatione suâ;

10. Dives autem in humilitate suâ, quoniam sicut flos feni transibit.

11. Exortus est enim sol cum ardore, et arefecit fenum, et flos ejus decidit, et decor vultûs ejus deperiit; ita et dives in itineribus suis marcescet.

12. Beatus vir qui suffert tentationem : quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

13. Nemo, cùm tentatur, dicat quoniam à Deo ten-

CHAPITRE PREMIER.

1. Jacques, serviteur de Dieu et de notre Seigneur Jésus-Christ, aux douze tribus qui sont dispersées, salut.

2. Mes frères, considérez comme le sujet d'une extrême joie les diverses afflictions qui vous arrivent,

3. Sachant que l'épreuve de votre foi produit la patience.

4. Or, la patience doit être parfaite dans ses œuvres, afin que vous soyez parfaits et accomplis en toute manière, et qu'il ne vous manque rien.

5. Que si quelqu'un de vous manque de sagesse, qu'il la demande à Dieu, qui donne à tous libéralement sans reprocher ses dons, et la sagesse lui sera accordée.

6. Mais qu'il la demande avec foi, sans défiance; car celui qui est dans la défiance ressemble au flot de la mer, qui est agité et emporté ça et là par la violence du vent.

7. Il ne faut donc pas que celui-là s'imagine qu'il obtiendra quelque chose du Seigneur.

8. L'homme qui a l'esprit partagé est inconstant dans toutes ses voies.

9. Que celui d'entre nos frères qui est d'une condition basse se glorifie de sa véritable élévation;

10. Et que celui qui est riche se glorifie de son abaissement, parce que le riche passera comme la fleur de l'herbe.

11. Car au lever d'un soleil brûlant, l'herbe se sèche, la fleur tombe et perd toute sa beauté; ainsi le riche séchera et se flétrira dans ses voies.

12. Heureux celui qui souffre patiemment les tentations, parce que lorsque sa vertu aura été éprouvée, il recevra la couronne de vie, que Dieu a promise à ceux qui l'aiment.

13. Que nul ne dise, lorsqu'il est tenté, que c'est

tatur : Deus enim intentator malorum est : ipse autem neminem tentat.

14. Unusquisque verò tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus et illectus :

15. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum ; peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.

16. Nolite itaque errare, fratres mei dilectissimi.

17. Omne datum optimum et omne donum perfectum, desursùm est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

18. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.

19. Scitis, fratres mei dilectissimi : Sit autem omnis homo velox ad audiendum ; tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram.

20. Ira enim viri justitiam Dei non operatur.

21. Propter quod abjicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.

22. Estote autem factores verbi, et non auditores tantùm, fallentes vosmetipos.

23. Quia si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo ;

24. Consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit.

25. Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in eâ, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.

26. Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.

27. Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est : Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc seculo.

Dieu qui le tente ; car Dieu est incapable de tenter et de pousser personne au mal.

14. Mais chacun est tenté par sa propre concupiscence qui l'emporte et qui l'attire dans le péché ;

15. Et ensuite, quand la concupiscence à conçu, elle enfante le péché ; et le péché étant accompli, engendre la mort.

16. Ne vous y trompez donc pas, mes très-chers frères :

17. Toute grâce excellente et tout don parfait vient d'en-haut, et descend du Père des lumières, qui ne peut recevoir ni de changement, ni d'ombre par aucune révolution.

18. Car c'est volontairement qu'il nous a engendrés par la parole de la vérité, afin que nous fussions comme les prémices de ses créatures.

19. Vous le savez, mes très-chers frères, que chacun de vous soit prêt à écouter, lent à parler, lent à se mettre en colère.

20. Car la colère de l'homme n'accomplit point la justice de Dieu.

21. C'est pourquoi rejetant toutes les propositions impures et superflues du péché, recevez avec douceur et avec docilité la parole qui a été entée en vous, et qui peut sauver vos âmes.

22. Ayez soin de mettre cette parole en pratique ; et ne vous contentez pas de l'écouter, en vous trompant vous-mêmes ;

23. Car celui qui écoute la parole de Dieu sans la pratiquer est semblable à un homme qui, jetant les yeux sur un miroir, y voit son visage naturel ;

24. Et qui à peine l'y a vu, qu'il s'en va, et oublie à l'heure même quel il était.

25. Mais celui qui considère exactement la loi parfaite de la liberté, qui y demeure attaché persévéramment, celui-là ne l'écoutant pas seulement pour l'oublier aussitôt, mais faisant ce qu'il écoute, trouvera son bonheur dans ce qu'il fait.

26. Si quelqu'un d'entre vous croit avoir de la religion, et qu'il ne retienne pas sa langue comme avec un frein, mais que lui-même séduise son cœur, sa religion est vaine.

27. La piété pure et sans tache aux yeux de Dieu notre père, consiste à visiter les orphelins et les veuves dans leur affliction, et à se conserver pur de la corruption du siècle présent.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Jacobus Dei (Patris) et Domini nostri Jesu Christi. In Scripturis Christo peculiariter solet titulus Domini nostri tribui, quia duplici jure, tam creationis cum Patre et Spiritu sancto, quàm jure redemptionis ei peculiari, Dominus noster est. Servus ; apostoli supra omnem dignitatem humanam, et loquendo, et scribendo, et docendo gloriantur se appellari servos Christi, ait Œcumenius. Deinde vocat se servum, quia eos qui, licèt virtutibus magni, humilitate tamen nobis pares aut infra nos se collocant, libentiùs audimus : superbos enim nemo libenter audit. Voluit etiam apud Judæos, qui nuper Christum crucifixerant, extollere Christi magnitudinem, dùm se ejus servum perinde ac Dei Patris esse dicit : æquat enim Christum tacitè Patri : unde, ut notant Patres, hæresim Arii postea nascituram præfocat ; et tamen simul, personam Christi et Patris distinguendo, Sabellium refutat. Duodecim tribubus, Christianis ex duodecim tribubus ad fidem conversis. Decima tertia autem tribus Levi non numeratur, quia permixta fuit cum duabus tribubus Juda et Benjamin ; nam quando Jeroboam decem tribus ad se pertraxit, Levitæ separaverunt se, et ex universo Israel venerunt ad Roboam in Jerusalem ubi erat templum Domini, 2 Paral. 11, versu 13 ; et narrat Josephus lib. 8 Antiquitatum, c. 3. Quæ sunt in dispersione ; per varias orbis terræ regiones dispersæ, tam à tempore captivitatis decem tribuum sub Salmanasare rege Assyriorum, 4 Reg. 17, vers. 6, quàm à tempore captivitatis posterioris reliquarum duarum tribuum Juda et Benjamin, quas Nabuchodonosor duxit in Babylonem, 4 Reg. 24, versu 14 : quorum partem etiam usque in Hispaniam adductam, vel à Nabusardan principe militiæ Nabuchodonosoris, vel ab ipso Nabuchodonosore, quem historiæ referunt, domitâ Africâ, Hispanias cum ingenti exercitu, mixtâ Judæorum multitudine, intrâsse, ac multos ibi Judæos ex tribubus Juda, Benjamin et Levi reliquisse, præter

cæteros asserit Arias, ad versum 20 Abdiæ prophetæ; licèt acriter refellatur à Riberâ, qui negat vocem Hebraicam, מִסְפָּד, *sepharad*, quam S. Hieronymus ibi *Bosphorum* vertit, significare Hispaniam : licèt recentiores Hebræi Hispaniam sic vocent. Deinde Judæi qui redierant ex captivitate Babylonicâ, iterùm magnâ ex parte dispersi fuerant ab Asiæ tyrannis tempore Machabæorum. Beda tamen, Baronius et multi interpretes volunt S. Jacobum hìc scribere tantùm ad Judæos fideles qui in persecutione Jerosolymitanâ dispersi sunt per Judæam et Samariam, Act. 8, versu 1; probatque Ribera, Osee 1, num. 102, posse hanc dispersionem vocari duodecim tribuum, quia, licèt decem tribus ex captivitate Assyriorum nunquàm redierint, ut docet S. Hieronymus, Ezechiel 33 et 37, multi tamen Dei veri cultores ex decem tribubus, relicto Jeroboam, adjunxerant se olim Roboam et tribui Juda, 2 Paralip. 11, versu 16, antequàm in Assyrios abducerentur. Sed certè cùm, tempore S. Jacobi, qui ex decem tribubus habitabant Jerosolymæ pauci essent comparatione aliorum, non erat ratio cur ipse scriberet duodecim tribubus in dispersione, quod potiùs significat generalem dispersionem omnium Israelitarum quà latè in omnes mundi partes dispersi fuerant. Unde Act. 2, versu 5 dicuntur Hierosolymis habitâsse *Judæi viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est*, quia nempe aliqui undique Jerosolymam rediibant, non solùm ad festivitates annuas, sed ut legem Moisaicam, et veri Dei cultum à scribis et Pharisæis discerentur : unde verisimile est per tales Judæos advenas exemplaria hujus Epistolæ S. Jacobi ad Judæos duodecim tribuum in omnes orbis partes transmissa fuisse : cùm enim ipse esset Jerosolymorum episcopus, omnes Judæos toto orbe dispersos speciaIiter ad suam curam pertinere existimabat : SALUTEM, animi, quæ est gratia in præsenti, gloria in futurâ vitâ, apprecor. Verbum Græcum non tantùm significat salvere, sed etiam gaudere, quod hìc etiam non malè quadrat : mox enim sequitur :

VERS. 2. — OMNE GAUDIUM. Materiam non tristitiæ, sed pleni et excellentis gaudii spiritualis : non quasi natura tribulationes et dolores non sentiat, sed quia delectatio spiritùs superabundat; unde apostolus Paulus sanctos in tribulationibus non vocat tristes, sed *quasi tristes, semper autem gaudentes*, 2 ad Cor. 6, versu 9, ut notat S. Anselmus. EXISTIMATE, FRATRES MEI; ejusdem Patris cœlestis adoptivi, et ad eamdem hæreditatem vocati : CUM IN TENTATIONES, tribulationes, quæ in Scripturâ tentationes vocantur, quia per tribulationes tentatur et experimentum sumitur quàm fortes aut imbecilles sint qui iis exercentur : VARIAS, ut rapinas bonorum, carceres, flagella, mortes, etc.; hæc enim omnia sunt materia spiritualis gaudii sanctorum, dùm cogitant hanc esse viam Crucifixi : unde sponsa ejus Cantic. 1, v. 2, clamat : *Trahe me*, per spinas, cruces, tribulationes, *post te curremus*, alacres cum gaudio et exultatione : scit enim anima pia se per hanc viam Christi et vallem lacrymarum ascendere ad montes gaudiorum; tribulatio enim fidelium est præcipuum æternæ prædestinationis et adoptivæ filiationis signum. Quæ ergo insania est, inquit Carthusianus, ubi quid adversi acciderit, irasci, indignari, turbari, dejici? INCIDERITIS, non accersendo eas, sed fortiter tolerando illatas. Non est ergo idem incidere in tentationem hoc loco, et induci in tentationem, Matth. 6, v. 13; inducimur enim quando consentimus sollicitanti ad peccatum; incidimus, quando in eam quidem impingimus, sed voluntate à peccato aversâ tentationem ipsam in materiam virtutis convertimus.

VERS. 3. — SCIENTES, cùm scire debeatis, et inde materiam gaudii concipere, QUOD PROBATIO FIDEI VESTRÆ, quòd tribulatio, quâ fides vestra probatur, et ejus firmitas aliis in exemplum ostenditur, PATIENTIAM OPERATUR, virtutem patientiæ in vobis auget, dùm ei materiam perpetuò novam ad exercitium et incrementum suppeditat : tribulationes enim multiplicatæ, ubi animus per Christi gratiam supra eas erectus est, confirmant patientiam et invictam reddunt. Nec contrarium dicit Paulus ad Rom. 5, v. 4, dùm inverso ordine ait : *Patientia operatur probationem :* nam patientia efficit probationem abstractim, sive formaliter sumptam, dùm in animis viventium ingenerat probationem, hoc est, notitiam virtutis, propter quam homo constanter tribulationem patitur. Probatio verò fidei concretim sumpta, sive tribulatio ipsa, quâ fides aut virtus probatur, patientiam operatur : unde Jacobus hìc nihil aliud dicit quàm quod Paulus cap. cit., v. 3 : *Tribulatio patientiam operatur.*

VERS. 4. — PATIENTIA AUTEM OPUS PERFECTUM HABET; Græci et quædam exemplaria Latina, *habeat*, quod meliùs cum sequentibus cohæret : Patientia autem vestra, inquit, constanter propter Christi amorem adversa toleret, sic enim opus ejus perfectum erit : patientia enim imperfecta et mutila est, si aut constans non sit, aut non amore Christi tribulationes toleret : UT SITIS PERFECTI; virtutibus christianis perfectè instructi, quæ per patientiam conservantur et radicantur, quando per tribulationes non sinimus nobis eas extorqueri : ET INTEGRI; ita ut totus chorus et corpus christianarum virtutum nullâ parte mutilum sit : hoc enim nomen Græcum significat; unde se explicans addit : IN NULLO DEFICIENTES, id est, nullâ parte defectuosi. Patientia enim constans et perfecta totum corpus virtutum firmiter compactum et colligatum tenet; quod aliàs dissolvitur, ubi patientia frangitur igne tribulationis, sicuti olla non benè ficta et compacta in fornace dissilit, inquit Carthusianus : qui enim manet constans in tribulationibus significat se affectum à commodis temporalibus et rebus terrenis aversum habere et Deo inhærere : in rebus enim prosperis incertum est an Deum an dona ejus homo potiùs diligat; ubi autem in adversis constans manet, signum est Deum tantùm et sincerè ab eo diligi, quia amaritudo tribulationum non est amabilis.

VERS. 5. — SI QUIS AUTEM VESTRUM INDIGET, sicut non dubito quin omnes indigeatis, SAPIENTIA; quæ maximè necessaria est ad perfectam patientiam et perfectum gaudium in tribulationibus, cujus v. 2 men-

tionem feci. Hæc autem sapientia est rerum divinarum cognitio, quâ Dei voluntatem intelligimus, et quæ præmia propter amorem ejus adversa tolerantibus promiserit : nec ista sapientia est nudum et frigidum lumen intellectûs, sed quod amore simul voluntatem accendit : theologi enim sapientiam quasi sapidam scientiam interpretantur. POSTULET, non à philosophis qui multa falsò jactant de suo sapiente, quem in tormentis et phalaridis tauro dicturum prædicant : Quàm hoc suave est! quàm hoc non durum! sed, A DEO; hic enim est Pater luminum, à quo omne donum perfectum descendit, ut v. 17 dicet. Sapientia enim donum Dei est, nec quisquam sine divinæ gratiæ adjutorio sapere et tentationum utilitatem intelligere valet, inquit Beda : unde orat Propheta : *Illustra faciem super servum tuum;* et : *Beatus homo quem tu erudieris, Domine*, psalm. 93. Hæc illustratio necessaria est ad vitanda peccata ignorantiæ, cùm homo intelligere vult, et non potest, et facit contra legem non intelligendo quid fieri velit, ait Augustinus, cap. 17, de Naturâ et Gratiâ. QUI DAT OMNIBUS : *Qui sic petunt et tantùm petunt, quomodò et quantùm res tanta petenda est*, ait Augustinus, ibidem; AFFLUENTER, Græcè *simpliciter* ; simplici et sincero affectu indigentiam postulantis et Dei gloriam tantùm aspiciens : unde non dimidiatè dat, sicut avari solent, qui ad retributionem respiciunt, et ne decipiantur parcè et malignè donant ; unde *simpliciter dare* interpres rectè vertit *affluenter*, quia qui sic simplici intentione dant, libenter et affluenter dare solent : hinc Paulus 2 ad Cor. 9, v. 11 et 13, liberalitatem Macedonum *simplicitatem* vocat ; ET NON IMPROPERAT, sicut avari solent, qui non simpliciter et affluenter, sed spe retributionis tribuunt ; ubi enim spe suâ frustrantur, dona sua exprobrant. Non improperat autem Deus, quia curialiter dat, inquit Thomas Anglicus : principes enim et curiales liberaliori animo, nec lucrum inde sperantes donare solent : hunc autem auctorem commentariorum in Epistolas catholicas Thomam Anglicum cum Sixto Senensi, non S. Thomam Angelicum cum Bellarmino et aliis appello : spiritus enim et doctrina ejus à commentario S. Thomæ in Epistolas Pauli longè distare mihi videtur. Improperat tamen quandoque Deus indirectè sua beneficia, quando ingratitudinem hominum, sicut cætera peccata accusat, ut : *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me*, Isaiæ 1, v. 2. ET DABITUR EI sapientia illa quam postulaverit. Quia tamen non semper postulanti datur, docet quomodò oporteat postulare.

VERS. 6. — POSTULET AUTEM ; Vult postulari Deus, etsi libenter donet, ut oratio cor nostrum eventilet, purget, et divinorum munerum capacius reddat, ut docet Augustinus : unde, quod mirum est et S. Cyprianus notat, Christus jubet discipulos, Luc. 10, v. 2, *rogare Dominum messis ut mittat operarios in messem suam*, cùm Dominus messis libentissimè id faciat et vigilantissimè ejus rei curam habeat ; IN FIDE, *per fidem quâ homo habet notitiam omnipotentiæ et misericordiæ Dei, ex quibus oratio impetrat quod petit*, ait S. Thomas, 2-2, quæst. 83, art. 15 ad 3. Fides enim est oculus animæ dirigens eam in petendis : unde fides ipsa est tale donum Dei quod datur nobis, non petentibus nobis, inquit Augustinus, cap. 17, de Bono perseverantiæ : non enim possumus ex fide petere ipsam primam fidem; aliàs eam haberemus antequàm eam habeamus. NIHIL HÆSITANS, Græcè, *nihil disceptans*, seu dubitans in utramque partem de veritate fidei, quasi Deus non sit satis potens, misericors aut fidelis ad dandum quod promisit : unde fiduciam certam sive firmam impetrandi oportet concipere, quantùm est ex parte divinæ omnipotentiæ, misericordiæ et fidelitatis, licèt, si ad nostram miseriam et indignitatem respiciamus, possimus timere; veluti spes nostræ salutis firma est ex consideratione divinæ bonitatis, et tamen mixta timore, ubi oculum ad nostram infirmitatem reflectimus. Hinc dici solet, inquit Carthusianus, quòd tota vita nostra inter duas molas spiritualiter moli debeat; mola superior est spes, mola inferior est timor. Sed in oratione perfectâ, mola timoris sistenda est, et cum plenâ fiduciâ sine omni hæsitatione orare oportet; quomodò tamen perpauci orant, quia hoc Dei donum est, quod nemo novit nisi qui accipit, inquit Cajetanus. QUI ENIM HÆSITAT, vacillat utrinque circa fidei veritatem, SIMILIS EST FLUCTUI MARIS, cùm tamen Deo tanquàm rupi immobiliter per fidem deberet adhærere ; QUI A VENTO MOVETUR; leves enim et futiles humani ingenii argutiæ, quibus fides quorumdam agitatur, sunt similes ventis : ET CIRCUMFERTUR, in omnem partem, quò ventus impulerit; Græcè, *et jactatur*, nunc in hanc, nunc in contrariam partem : sic in fide hæsitans assensum, nunc in hoc, nunc in oppositum quasi latus inclinat. Veluti autem ex firmitate fidei nascitur fiducia, sive spes firma impetrandi quod postulamus, ita ex hæsitatione et infirmitate fidei oritur spei fluctuatio, ut nunc speret, nunc desperet impetrare quod petit : unde nec perseveranter orat.

VERS. 7. — NON ERGO ÆSTIMET, existimet : nam aliàs falletur, HOMO ILLE, cujus fides et fiducia tam instabilis est, QUOD ACCIPIAT ; accipere possit, seu impetrare, quantùm est ex modo sic operandi : nam aliàs divinæ misericordiæ largitas non est alligata istis regulis, inquit Cajetanus : ALIQUID, ad salutem conducens : hoc enim solum meretur dici *aliquid* : cætera enim pro nihilo habentur, quæ Deus merè gratis dat non petentibus tam reprobis quàm electis : A DOMINO ; qui non promisit dare petenti fide dubiâ et hæsitante, sed quâ firmissimè creditur esse omnipotens, misericors, et verax in promissis, id est, posse et velle dare, si petatur sicuti res tanta peti meretur et debet : hæc enim est fides de quâ Christus, Marci 19, v. 22 : *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti;* et de quâ dubitans an eam quidam haberet, respondet : *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.*

VERS. 8. — VIR DUPLEX ANIMO, qualis est ille qui in fide hæsitat et fluctuat, quasi duos animos, unum in unam partem, alterum in contrariam propensum haberet : duplicitas enim animi veribilitatem ad diversa hìc significat, ut notat S. Thomas, 2-2, quæst. 53

art. 6, ad 2, cùm aliàs accipi soleat pro hypocrisi, quæ alium animum in opere externo ostendit, et alium intùs occultat : IN OMNIBUS VIIS SUIS ; in omnibus actionibus suis, quæ vocantur *viæ*, quia anima per eas quodammodò foras exit : INCONSTANS EST, ita ut nunc unam, nunc alteram, priore desertâ, ingrediatur : ad horam vult placere Deo, statim post placere mundo : unde mirum non est quòd talis circa fidem hæsitet, et in oratione suâ sit instabilis.

VERS. 9. — GLORIETUR AUTEM, in Domino, non tantùm gaudeat omni et perfecto gaudio, ut v. 2 dixit, FRATER HUMILIS ; christianus, qui est pauper, et tribulationum pondere oppressus ; humilitas enim hìc non significat virtutem submissionis, sed paupertatem et vilitatem conditionis : nam opponit eam divitiis : IN EXALTATIONE SUA, quà per humilitatem istam exaltatur et ad *regnum cœleste* assurgit.

VERS. 10. — DIVES AUTEM, qui humilem et pauperem fratrem fortassè contemnit, quales inter Judæos christianos tunc fuisse indicat cap. 2, v. 6, IN HUMILITATE SUA ; in vilitate divitiarum suarum : sunt enim res humiles, terrenæ, et vilissimæ conditionis ; talis, inquam, in istâ humilitate glorietur : hoc enim verbum ex *priori versu* per *ironiam repeti subintelligunt* S. Hieronymus et Beda. Unde alii verbum contrarium ut *erubescat*, substitui malunt, quia ironia contrarium per contrarium significat. Paupertas ergo christiana est humilitas sublimis, et divitiæ sublimitas humilis : probat autem hoc postremum, QUONIAM SICUT FLOS FENI, Græcè χόρτου, herbulæ cujuslibet fragilis, sive propriè *sit fenum*, sive herba alia silvestris aut hortensis : nam quidam ab istâ voce Græcâ Latinos formâsse *hortum* existimant : TRANSIBIT, ex oculis hominum evanescet, cùm divitiæ ejus diffluent, et qui eas possidebat.

VERS. 11. — EXORTUS EST ENIM SOL, statìm postquàm sol ortus fuerit, CUM ARDORE, ut in solstitio aut diebus canicularibus, ET ARUEFECIT FENUM, siccato humore qui florem alligat et retinet, ET FLOS EJUS DECIDIT. Unde quidam apud comicum : *Quasi herba solstitialis repentè exortus sum, repentè occidi.* Fortassis respexit S. Jacobus ad Isaiæ cap. 40, v. 7 : *Exsiccatum est fenum, et cecidit flos.* ET DECOR, color ille pulcher et decorus, VULTUS EJUS ; flos enim in cacumine herbæ est veluti caput et *vultus ejus* ; DEPERIIT. Hanc partem comparationis eleganti carmine in Rosis suis depinxit olim christianus poeta Ausonius, S. Paulino et Hieronymo contemporaneus :

Hæc modò quæ toto rutilaverat igne comarum,
Pallida collapsis deseritur foliis.
Quàm longa una dies, ætas tam longa rosarum,
Quas pubescentes juncta senecta premit.
Quam modò nascentem rutilus conspexit eous,
Hanc rediens sero vespere vidit anum.
Collige, virgo, rosas dùm flos novus et nova pubes,
Et memor esto ævum sic properare tuum.

ITA ET DIVES IN ITINERIBUS SUIS : in omnibus actionibus suis, in quibus splendidè et magnificè se exerit, et veluti ambulat ; MARCESCET, languescet et deficiet.

VERS. 12. — BEATUS VIR, non dives iste cujus itinera inter læta et prospera hujus mundi incedunt, sed QUI SUFFERT TENTATIONEM. Qui *constanti animo* sustinet tribulationum pondus, nec succumbit per peccati consensum, nec rumpitur per impatientiam. Tentationes autem generaliter intelliguntur, sive internæ sive externæ, diaboli, mundi, carnis : nam etiam carnalis delectatio, licèt carni blandiatur, spiritui tamen tribulatio et grave pondus est, sub quo gemens Apostolus clamabat : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ad Roman. 7, versu 24 ; QUONIAM CUM PROBATUS FUERIT, satis diù experta et exercita virtus ejus sub illo onere tentationum, ACCIPIET CORONAM, non marcessibilem ex lauro, oleâ aut quercu, ut in ludis olympicis, ad quos hìc alludit, sed coronam, id est, præmium VITÆ, quæ est vita et beatitudo æterna quâ jam beatus est spe et merito, quod est futuræ beatitudinis semen, QUAM REPROMISIT DEUS, sicut agonotheta proponit et promittit coronam certantibus in stadio : aliàs enim non teneretur victoribus reddere ex justitiâ, quemadmodùm nec Deus teneretur benè operantibus, nisi promisisset, reddere vitam æternam ; DILIGENTIBUS SE : Dei enim dilectio est radix omnis meriti vitæ æternæ, adeò ut cæterarum virtutum actus nisi ab eâ imperentur, et quasi informentur, non sint meritorii vitæ æternæ, ut ubique S. Thomas post Augustinum docet. Imò sine dilectione nec ullum legis præceptum perfectè coram Deo impletur : nam hoc modo solet Augustinus exponere illud, ad Rom. 13, v. 10 : *Plenitudo legis est dilectio.* Ex hoc loco colligunt Catholici vitam æternam dilectioni et bonis operibus dilectione istâ imbutis reddi per *modum mercedis et præmii, sicuti* corona solet in certamine victoribus ; quod argumentum evitare conatur hìc Calvinus : Cùm enim coronam gratuitò, inquit, Deus nobis prædestinaverit, tantùm ad eam recipiendam per bona opera nos aptat. Sed si Scripturam ad sensus impropriùs non velimus detorquere, corona debitum justitiæ significat ; unde Augustinus, psalm. 83 : *Deus donator est indulgentiæ, debitor coronæ. Debitorem enim Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo ; nec ei dicitur, redde quod accepisti, sed redde quod promisisti.* Nec repugnat prædestinare ab æterno aliquid gratuitò, et tamen nolle illud in tempore dare nisi titulo mercedis. Aptat ergo nos quidem Deus ad vitam æternam per *dona sua*, sed *ita ut eadem sua dona faciat* esse merita nostra, cùm liberum arbitrium suaviter in consensum et gratiæ cooperationem trahit. Malè etiam Thomas Anglicus ex verbo ACCIPIET colligit coronam reddendam gratis, non meritis nostris, allegans Paulum ad Rom. 8 : *Non sunt condignæ passiones*, etc. ; quem locum longè aliter exponit ibi S. Thomas. Non sunt *condignæ*, *inquit*, *quia multum à quantitate* gloriæ *deficiunt*, licèt in quantum eas propter Deum ex charitate sustinemus, de *condigno* vitam æternam mereamur. Undè colligitur commentarium istum in Epistolas catholicas esse reverà Thomæ Anglici, non Thomæ Angelici, ut v. 5 monuimus.

VERS. 13.—NEMO CUM TENTATUR, quando externis vel internis afflictionibus ad malum sollicitatur; verbum enim *tentari* ita hic accipi patet ex sequentibus; DICAT conquerens et murmurans contra Deum, QUONIAM A DEO TENTATUR, quòd tentetur à Deo, sine cujus providentiâ tentationes hominibus non eveniunt. Dicit hoc S. Jacobus contra primos Ecclesiæ hæreticos, quorum caput fuit Simon Magus, qui docuit Deum auctorem esse peccatorum nostrorum : et quidam existimant hanc hæresim occasionem aut confirmationem accepisse ex verbis S. Pauli ad Rom. 1, v. 24 : *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*, et ad Rom. 9, v. 18 : *Quem vult indurat*. DEUS ENIM INTENTATOR MALORUM EST, Deus ad mala culpæ tentator esse non potest. Græcum tamen nomen potiùs sonat *intentabilis*, passivâ significatione, quomodò Græci intelligunt, ne Apostolus verbis sequentibus videatur idem repetere, si activè exponatur. Unde Erasmus vertit *Deus malis non tentatur*, sive nullo affectu malo sollicitatur : est enim essentialis bonitas, quæ nullum malum culpæ velle potest. Ex quo consequitur quòd neque alios ad peccandum possit sollicitare; unde addit : IPSE AUTEM NEMINEM TENTAT. Sicut enim sol, quia totus plenus luce et fons ipse lucis est, tenebras in aliis corporibus producere nequit, ita Deus plenissimus bonæ volantatis et fons bonitatis, auctor peccati esse et creatas voluntates ad peccatum tentare non potest. Quando ergo Deus dicitur tentare homines per adversa aut prospera quæ immittit, ut Deut. 13, v. 3, et alibi, non intelligitur tentatio peccati, sed probationis, quâ sumit experimentum virtutis, ut homo sibi aut aliis innotescat.

VERS. 14. — UNUSQUISQUE VERÒ TENTATUR, per actus quosdam indeliberatos, A CONCUPISCENTIA SUA : ab appetitu inferiori effreni et per peccatum originale corrupto; hæc enim concupiscentia est generale peccati incentivum, non tantùm quando ipsa sponte ex complexione hominis nos tentat, sed etiam quando alii duo tentatores, mundus et diabolus, nos sollicitant : hoc enim etiam agunt mediante concupiscentiâ, suggerendo et objiciendo ei phantasmata quibus ipsa delectatur; unde meritò Aug., c. 6, de Bono perseverantiæ, et alibi, docet concupiscentiam esse fontem omnium peccatorum in naturâ corruptâ. Hæc aliter vocatur *cupiditas;* unde hæc vox perinde ac *concupiscentia*, nisi addatur cujus rei sit, intelligitur in malum, inquit Aug., l. 14, c. 7, de Civit. ABSTRACTUS; Græcè : *Dum abstrahitur :* est enim participium præsentis temporis. Homo autem secundum spiritum dicitur abstrahi à recto et à Deo, quantùm est ex parte concupiscentiæ sollicitantis, licèt nondùm ei consenserit; unde Aug., l. 6, cap. 15, contra Julianum, et alibi, sæpè colligit concupiscentiam non esse bonam, ut volebant Pelagiani, sed malam etiamsi adversùs eam concupiscente spiritu peccata concipere ac parere non sinatur. ET ILLECTUS; Græcè : *Dum illicitur;* seu allicitur illecebris et blandimento alicujus boni creati, quod concupiscentiæ arridet; unde quidam verbum *peccare* dictum putant quasi pellicare. sive cum pellice concumbere : pellex est concupiscentia pelliciens, vir est spiritus hominis, cujus consensus est veluti complexus, unde concipitur et paritur peccatum. Sub concupiscentiâ autem boni intelligitur etiam fuga mali, quia ejusdem appetitus est bonum concupiscere et malum oppositum fugere : denominatur autem concupiscentia à principali actu, quia fuga mali ex concupiscentiâ oppositi boni nascitur, ut rectè Cajetanus.

VERS. 15. — DEINDE CONCUPISCENTIA, post illecebras istas quibus blanditur spiritui hominis, sicut mulier viro. Quæ tamen blanditiæ ante omnem consensum nondùm sunt peccata, alioquin enim frustra dictum esset : *Post concupiscentias tuas non eas*, Eccl. 18, v. 20, si jam quisque reus est qui tumultuantes et ad mala trahere nitentes eas sentit, ait Augustinus libro 5, cap. 3, contra Julianum. CUM CONCEPERIT, informem quemdam peccati venialis fœtum, quod est rudimentum quoddam et velut embryo peccati mortalis; solet enim spiritus hominis nondùm pessimi blanditiis concupiscentiæ initio reluctari quidem, sed non omninò eas abjicere, imò consensu semideliberato concupiscentiam amplecti, ex quo veluti feminæ et viri complexu peccatum veniale concipitur in utero voluntatis; quæ suâ etiam concupiscentiâ perficit concupiscentiam carnis, dùm non adversùs illam sed cum illâ concupiscit, inquit Augustinus lib. 3, cap. 26, contra Julianum; unde idem, homiliâ 42, clamat : *Noli consentire concupiscentiæ tuæ, non est unde concipiat nisi de te : si consensisti, quasi concubuisti in corde tuo*. PARIT PECCATUM, mortale, quod per antonomasiam et propriè peccatum vocatur; à consensu autem semideliberato ad plenè deliberatum, et à peccato veniali paulatim ad mortale transitur; sicut embryo in utero matris in partum omnibus membris suis expressum, paulatim transformatur. PECCATUM VERÒ CUM CONSUMMATUM FUERIT, per opus externum, ut Augustinus et SS. Patres plerique exponunt; describit enim hic Apostolus totum progressum peccati, non cujuslibet, sed quod longissimè usque ad opus externum porrigitur, et hoc sub imagine fœtûs feminei, qui à primâ sui conceptione adolescit usque ad ætatem perfectam, quâ fœtum alium potest parere. GENERAT MORTEM, æternam; Græcè : *Parit mortem;* verbum enim Græcum propriè significat fœtum eniti et expromere, ut gravidæ solent. Ad hunc autem ultimum partum solet plerùmque his gradibus perveniri : primò concupiscentia carnalis, tanquàm pellex et meretrix blanditiis abstrahere et illicere spiritum hominis conatur; secundò spiritus tanquàm masculus consensu semipleno eam complectitur, et inde peccatum veniale concipit; tertiò spiritus in pejus proficiens pleno consensu ei conjungitur, et inde peccati mortalis partus formatur; quartò infelix partus in opus externum adolescit, quod est ultimum complementum et consummatio ejus; unde sic roboratus, quintò mortem æternam nullo alio suscepto semine parit. Quidam recentiores, quia peccatum mortale merè internum mortem æternam etiam meretur et causat, dicunt peccatum con-

ripi per imaginationem et cogitationem rei delectabilis, consummari verò per plenum consensum voluntatis; sed hoc modo partus peccati non distinguitur à consummatione, cùm tamen distinguat Apostolus, qui peccatum mortale internum considerat tanquàm partum recentem in cubili et sinu matris adhuc cubantem, peccatum verò consummatum tanquàm partum adultum et grandem, qui foràs exeat, et palàm quasi ambulet : quod peccato mortali per opus externum perpetrato et consummato propriè convenit. Deinde, licèt conceptus sive imago quædam peccati formetur in imaginativâ hominis, ille tamen præcedit potiùs concupiscentiam quàm concipiatur ex ipsâ. Loquitur ergo Apostolus de conceptu peccati venialis et fœtu imperfecto, qui ex concupiscentiâ concipitur in utero voluntatis; in quo eodem utero paulò post formatur et absolvitur partus peccati mortalis. Nec refert quòd peccatum mortale merè internum mortem etiam causet, si homo in eo ex hâc vitâ discedat, quia nihilominùs non generat, seu parit in eâ proprietate quam hìc attendere videtur Apostolus : nam generare est perfecti et consummati, ut ait Philosophus. Sicut ergo Apostolus considerat concupiscentiam ut matrem conceptûs peccati venialis, et partûs peccati mortalis, ita peccatum mortale (quod Græcè feminini generis est), ubi ad opus externum tanquàm ad ætatem perfectam adolevit, considerat ut puerperam mortis æternæ; unde datâ operâ usus est verbo Græco puerperium significante, quod Latinus interpres per verbum *generat* reddidit. Deinde peccatum opere externo perpetratum propter experimentum voluptatis, et consuetudinem peccandi quam sæpè inducit, pertinaciùs homini usque ad finem vitæ et generationem mortis æternæ adhæret; ubi peccatum internum tanquàm partus recens faciliùs opprimitur, ne ad generationem mortis perveniat : mors enim ista non est tantùm mors spiritualis, seu privatio gratiæ, quam quodlibet peccatum mortale statim affert, ut quidam explicant, sed est mors æterna inter inferni pœnas, cujus generatio sequitur mortem corporalem hominis. Indicat quoque Paulus, ad Rom. 6, v. 12 et 13, hanc distinctionem partûs peccati mortalis ab ejus consummatione : *Non regnet*, inquit, *peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis* (per consensum deliberatum voluntatis et partum peccati mortalis) *concupiscentiis ejus;* deinde addit : *Sed neque exhibeatis membra vestra* (quibus peccata opere externo consummantur), *arma iniquitatis peccato*, etc.

Vers. 16. — Nolite itaque errare, existimantes Deum tentatorem esse malorum, et peccata vestra ei imputantes, fratres mei dilectissimi, valdè dilecti; Græcum enim nomen est tantùm positivi gradûs, sed dilectionem peculiarem et excellentem significat.

Vers. 17. — Omne datum, bonum naturale à Deo nobis datum. Ostendit Deum adeò non esse malorum culpæ auctorem, ut sit nobis fons omnium bonorum naturalium et supernaturalium. Optimum, valdè bonum; vox enim Græca iterùm est positivi gradûs, sed interpres vertit per superlativum, quia bona naturæ quæ in principio mundi et quotidiè nobis creat Deus sunt singulariter et valdè bona. Græcè : *Omnis datio bona*, sed interpres, vertendo *datum*, indicare voluit dationem concretim, non abstractim sumi. Et omne donum perfectum; donum supernaturale, quod perfectione et excellentiâ singulari omnia bona naturalia longè superat. Hoc dono perfecto ad vitam et in vitâ æternâ perficimur, omnia enim dona gratiæ et gloriæ comp'ectitur. Desursum est, de cœlo, ubi eorum dator Deus habitat : aut certè, quia Dei potentia et majestas omnia creata in infinitum excedit; unde quod inde ad creaturas venit, desursùm esse et venire dicitur. Descendens, velut ex alto in inferiores creaturas, a Patre luminum, ab auctore primo et quasi sole omnium luminum spiritualium quibus creaturas intellectuales irradiat. Talia lumina sunt inprimis lumen naturale intellectûs; deinde lumen gloriæ, fidei, sapientiæ et scientiæ; ipsaque gratia sanctificans, quæ est altissima participatio luminis increati divinæ essentiæ; denique omnes virtutes supernaturales gratiam sanctificantem concomitantes : sunt enim totidem radii et splendores qui à lumine illo gratiæ sanctificantis in varias animæ potentias emicant. Auctorem autem luminum vocat *Patrem*, Hebraicâ phrasi, sicut : *Quis est pluviæ pater?* Job 38, v. 28; et : *Jubal* dicitur *pater canentium cytharâ et organo*, Genes. 4, v. 21. Apud quem, in quo, non est transmutatio; qualis est in sole, luminum corporalium patre, qui quotidiè localiter transmutatur et vertitur circa terræ orbem. Deus verò et omnia quæ in ipso sunt, stat semper immobilis ac immutabilis, quia est omninò immortalis : mutatio enim in re mutabili aliquid quodammodò occidit, ait S. Gregorius; unde cùm omnia quæ sunt in Deo, in unicum quasi punctum indivisibile sint collecta, sintque ipse Deus, minima mutatio Deum ipsum occideret. Sicut autem Deus in seipso immutabilis est, ita et in effectu suo caret lucis et tenebrarum vicissitudinarià mutabilitate, qualem cernimus in sole corporeo; unde addit : Nec vicissitudinis (Græcè, *conversionis*) obumbratio. Nec vicissitudinarià quàdam conversione umbra peccatorum quandoque nos obumbrat, sicut sol iste visibilis qui quotidianâ conversione non tantùm diem, sed etiam noctem vehit, et annuâ inter duos tropicos cùm ad verticem nostrum accedit aut recedit, breviores aut longiores umbras producit; ad utrumque enim simul motum solis, quotidianum et annuum videtur hìc velle alludere Apostolus; quanquàm ad solum motum annuum hanc partem versûs referat Cajetanus; priorem verò partem, apud quem non est transmutatio, referat ad motum quotidianum, minùs benè. Probat ergo Apostolus Deum in hoc esse soli corporeo dissimilem, quòd hic non tantùm luminis, sed etiam umbrarum, duplici suo motu sit nobis auctor; Deus verò immobilis manens lumen spirituale tantùm fundit, umbras verò peccatorum homines debent proprio suo motui et concupiscentiæ malæ imputare. Unde Deus quodammodò similis est soli pythagorico qui in centro mundi immobilis hæret; homo verò terram pythagoricam imitatur, quæ in

philosophiâ Pythagoræ motu quotidiano circa suum centrum noctem sibi creat, dùm faciem illuminatam avertit à sole. Vox Græca potest etiam verti *adumbratio*, unde quidam SS. Patres intelligunt non tantùm non esse in Deo ullam transmutationem, sed nequidem adumbrationem nec umbram, sive tenuem alicujus mutationis et vicissitudinis imaginem, sive ne suspicionem quidem, ut exponit Œcumenius; in Deo enim essentia, potentia, actus et cætera omnia unum sunt, ac in uno nunc æternitatis necessario simul immobiliter stant et permanent. Unde vicissitudo et transitus ab uno ad alterum est omninò impossibilis. Hanc tamen interpretationem quidam recentiores refellunt, quia Deus aliquando in Scripturâ dicitur irasci et affectibus mutari; in quo, inquiunt, est quædam vicissitudinis adumbratio et imago. Sed responderi potest nullam ejusmodi adumbrationem apparere ei qui quid sit Deus intelligit, nec phantasma rei creatæ sibi pro Deo supponit. Unde etiam quando *Verbum caro factum est*, S. Cyrillus negat ullam vicissitudinis aut conversionis adumbrationem intervenisse; fixa enim semper, inquit, in suis est superna illa cœlestisque natura; qui enim Deum concipit, ens quoddam fixum et immobile, ab omni mutationum vicissitudine, infinito quodam intervallo, elevatum concipit.

Vers. 18. — Voluntariè enim non nostris meritis antecedentibus, sed quia sic voluit. Probat quod versu præcedenti dixit, *omne donum perfectum descendere à Patre luminum*. Genuit (secundùm gratiam adoptionis, quâ filii ejus sumus) nos (electos) verbo veritatis, verbo evangelicæ veritatis, tanquàm semine : *Semen enim est verbum Dei*, Lucæ 8, versu 11, unde Paulus, 1 ad Corinth. 4, versu 15, dicit se Corinthios in Christo per Evangelium genuisse. Est autem tam efficax hoc verbi semen, ut homines in novam creaturam, ad Galatas 6, versu 15, et in alios quodammodò homines transformet, ita ut quæ antea amabant, jam exhorrescant, et quæ horrebant, toto corde jam ament. Verbum *genuit* in Græco idem est quod v. 15 interpres vertit, *generat*, et propriè generationem femineam, sive parere significat, unde Deus hìc induit personam matris, ut difficultates hujus spiritualis partûs, propter concupiscentiæ nostræ repugnantiam, significet; et simul teneritudinem amoris sui erga electos manifestet; solent enim matres, sicuti magis laborant in partu, ita magis tenerè quàm patres, filios suos diligere; unde Paulus, ad Galat. 4, versu 19 : *Filioli mei, quos iterùm parturio*. Posset et altiore sensu hoc intelligi, ut pater quodammodò genuerit et pepererit electos æternâ illâ generatione quâ verbum veritatis, id est, verbum quod æterna veritas et sapientia est, peperit; hæc enim veritas ex ore Altissimi per ineffabilem quemdam partum prodiit, in partu autem isto filii naturalis, omnes per eum futuros adoptivos quodammodò una peperit. Athanasius autem et Græcorum multi, *verbum veritatis*, hoc loco intelligunt Verbum increatum æterni Patris. Ut simus initium aliquod, principium et pars quædam principalis nobilissima, Græcè : *Primitiæ quædam* : solent enim primitiæ frugum oblatæ Deo esse præstantissimæ ex toto acervo, unde seliguntur; sic electi ex acervo et massâ illâ perditâ, sunt portio principalis selectissima et Domino peculiaris; nisi quòd tales ibi non reperiantur antequàm seligantur, sicuti primitiæ frugum in acervo, sed ipsâ electione tales efficiantur. Creaturæ ejus, rationalis, quæ nomine creaturæ specialiter etiam aliis in Scripturis intelligitur, ut Marci 16, v. 15 : *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, quam omnem creaturam, Matth. 28, v. 19, *omnes gentes* appellat. Ob istam excellentiam electorum supra reliquam partem humani generis, Paulus ad Hebræos 12, vers. 23, *primitivos*, sive primogenitos Dei eos vocat.

Vers. 19. — Scitis, fratres mei dilectissimi, quòd Deus verbo veritatis nos genuerit, etc.; vos ista scitis. Græcè tamen : *Itaque, fratres mei dilecti*. Unde commentatores colligunt interpretem nostrum legisse aliam vocem Græcam ἴστε, *scitis*, pro conjunctione ὥστε, id est, *itaque*. Unde particula *autem*, quæ mox sequitur, abest à Græcis, quia sensum turbat, si *itaque* pro *scitis* legamus. Sit autem omnis homo. Non tantùm pueri et discipuli, sed etiam omnes viri et magistri : nam hi etiam plurima ignorant, aut obliti sunt, quæ totâ vitâ discere et rememorari debent. Velox, (avidus et semper paratus) ad audiendum, ut discat, non quidlibet, sed verbum veritatis et salutis, de quo paulò ante loquebatur; hoc enim unicè conducit ad sapientiam et dona ista perfecta suscipienda, quæ v. 17 dicebat descendere à Patre luminum. Rectè notat Catharinus hæc dici adversùs quosdam qui initio Ecclesiæ loqui et docere alios malebant quàm esse auditores et discipuli. Tales præcipuè ex Judæis erant legis doctores, qui conversi ad fidem munus docendi quod habuerant in Judaismo, affectabant in Christianismo retinere. Tardus autem ad loquendum. Maximè res fidei, in quibus festinatio maximè lubrica et periculosa est, cùm ex verbis inordinatè prolatis sæpè hæreses nascantur. Deinde tarditas loquendi generaliter sapientiæ indicium est : nam *in ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientùm os illorum*, Eccles. 21, vers. 29, id est, fatui cor habent in ore, quia quidquid corde gerunt, mox in os et linguam ascendit et statim effutiunt; sapientes verò è contra os et linguam habent in corde reconditam, quia verba de corde quasi depromunt, nec priùs eloquuntur quàm inierint cum corde suo consilium, an loqui debeant; unde *cor sapientiæ* dicitur *erudire os ejus*, Proverbiorum 16, vers. 23. Hinc scholæ philosophorum benè institutæ discipulos initio audire tantùm et tacere jubebant. Pythagoras etiam integri quinquennii silentium suis imperabat, ut Augustinus et Beda narrant. Apud Hebræos verò nemo ad docendum aperire os poterat ante annum ætatis trigesimum; quod etiam Christus Dominus servare voluit, qui prædicationem evangelicam demùm inchoavit cùm *esset quasi triginta annorum*, Lucæ 5, v. 2; hæc enim ætas habet docendi maturitatem, inquit Nazianzenus, oratione 40. Tardus ad iram. In quam sæpe effervescunt qui nimis dò-

cti esse volunt, ubique loqui et alios docere pruriunt; sed præcipuè irâ, rixis et clamoribus, eorum disputationes ardent qui sectis quibusdam theologorum aut philosophorum addicti sunt, inquit Catharinus; quas sectas inter Catholicos etiam non probat Alphonsius à Castro, lib. 1, cap. 7, de Hæresibus, nec iterùm Catharinus, ad Romanos 14, v. 5, ad illa verba : *Unusquisque in suo sensu abundet.* Quia Apostolus velocitatem ad audiendum iis commendaverat, garrulitatem et iram jam prohibet, quia garrulitas auditum externum, ira internum impedit, ait Thomas Anglicus, juxta illud Catonis :

Impedit ira animum ne possit cernere verum.

Quæ (sicut pleraque alia) ex Hugone sumpsit Anglicus; unde patet hunc auctorem non esse S. Thomam Angelicum, ut v. 22 adhuc monuimus; non enim Thomas commentaria Hugonis cardinalis contemporanei sui compilare solet. Thomas verò Anglicus claruit anno 1400, id est, centum quinquaginta ferè annis post mortem Hugonis.

Vers. 20. — Ira enim viri, licèt cum majori ratione vir videatur irasci quàm femina aut puer. Justitiam Dei. Opus undique justum et rectum, quod Dei donum est, nec à nobis habere possumus. Beda, *justitiam* Dei, interpretatur quæ talis est coram Deo, sive quam Deus judicat esse verè justitiam, non homines, qui alios justificando sæpè errant, et maximè homo iratus excusando se ipsum; nemini enim irascenti ira sua videtur injusta, ait Augustinus, epist. 149. Iratus enim justum deputat etiam quod crudeliter facit, ait S. Gregorius. Sicut autem quodvis opus pravum vocatur iniquitas et injustitia, ita opus rectum dicitur justitia, ut in Psalmis sæpissimè, item Matth. 3, v. 15; Matth. 5, v. 20; ad Hebr. 11, v. 33. *Qui facit justitiam justus est*, 1 Joan. 3, v. 7. Non operatur, imò verò injustitiam operatur; plus enim intelligit quàm dicat. Tunc autem ira hoc facit, quando prævenit rationem et eam secum trahit in consensum; tunc enim propriè dicitur operari quando est principale agens, ait S. Thomas, 3 part., *q.* 15, art. 9, ad 1. *Quando* verò ira sequitur rationem et est quasi ejus instrumentum, tunc bona est et instrumentaliter potest justitiam Dei operari. Hæc à S. Gregorio dicitur ira per zelum, nec repugnat virtuti mansuetudinis, quæ iram ad medium rationis reducit, inquit S. Thomas, unde ira per zelum fuit in Christo, Marci 3, v. 5, et Joan. 2, v. 17. Potest etiam apostolus Jacobus altiori sensu intelligi, inquit Beda, quòd ira judicis etiam justè judicantis justitiam vindicativam divini et tranquilli examinis non imitetur, de quo dicitur : *Tu autem, Dominator virtutis, cum tranquillitate judicas*, Sapientiæ 12, v. 18.

Vers. 21. — Propter quod; quia ira justitiam non operatur, sed opere pravo animam inficit. Abjicientes (ex animo) omnem immunditiam, sordes non tantùm iræ, sed omnium perturbationum et peccatorum. Et abundantiam malitiæ, quæ in dies per pravos habitus *abundanter* crescit et radicatur, sicut malæ herbæ in agro fructuoso, nisi evellantur. Cajetanus *abundantiam*, intelligit quâ malitia foras exundat et in malum proximi erumpit; quod subtile est magis quàm ad mentem Apostoli. In mansuetudine, quæ animum componit et tranquillat, ut in eo verbum Dei radices agere possit; debet enim verbum Dei mansuetâ et tranquillâ mente excipi, quietâ meditatione foveri, ut adolescere et fructum ferre possit; unde solitudo, silentium, nox, eliguntur ab iis qui rerum divinarum contemplationi student. Suscipite (aure cordis) insitum verbum, fidei, quæ non est congenita, sed aliunde inseritur menti, tanquàm surculus fructuosus silvestri trunco. Aliqui, *insitum verbum*, Christum intelligunt, cujus humanitati Verbum increatum per unionem hypostaticam quodammodò insitum est; quanquàm potiùs è contra humanitas deberet dici insita Verbo, tanquàm creatus surculus increato supposito, ut in eo trunco ferat fructus longè excellentiores, quàm in supposito humano et suo, id est, opera excellentioris et infiniti meriti, quæ jam non tantùm homo, sed Deus dicitur operari. Quod potest, si plantantibus hominibus Deus det intrinsecùs vitam et incrementum : *Tunc* enim *adjumenta doctrinæ adhibita per hominem prosunt animæ, cùm Deus operatur ut prosint*, inquit Augustinus, l. 4, *cap.* 16, *de Doctrinâ christianâ, quia, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, 1 ad Corinth. 3, versu 7. Salvare animas vestras, salute gratiæ et gloriæ æternâ.

Vers. 22. — Estote autem. Ne putarent satis esse ad salutem, audire et suscipere insitum fidei verbum, docet opere exequenda esse quæ audierint. Factores verbi, opere exequentes quod verbum fidei præcipit. Et non auditores tantum. Suscipiendo illud aure corporis, aut etiam aure cordis per solum assensum intellectûs. Fallentes vosmetipsos, dùm hoc ad salutem sufficere falsâ et sophisticâ ratiocinatione (hoc enim vox Græca significat) vobis persuadetis. Error autem et falsitas ista, ut Augustinus notat, occasionem ceperat ex verbis Pauli ad Roman. 4, ubi ait Abrahamum non ex operibus, sed ex fide esse justificatum; quod tamen malè ab ipsis intellectum fuisse patet, quia idem apostolus paulò ante, ad Rom. 2, v. 13, dixerat : *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.*

Vers. 23. — Quia si quis est auditor verbi. Probat eleganti comparatione ad salutem et abjiciendas immunditias peccatorum, non sufficere fidem sine operibus. Et non factor. Qualis illo tempore erat *Simon Magus, hæreticorum nostrorum pater*, qui sibi suisque aiebat opera non esse necessaria ad salutem, ut libro primo, cap. 1, narrat Irenæus. Hic comparabitur viro. Similis est viro. Non dicit feminæ, quia istæ solent faciliùs recordari faciei suæ quàm viri, cùm sæpiùs se speculentur in speculo, à quo formæ suæ consilium petere solent, ut Tertullianus loquitur. In hoc autem auditor verbi et *non factor est similis*, quia sicuti vir iste non curat maculas abstergere, nec vultum decenter componere, ita ille auditor verbi videt in lege Dei prohibente peccatorum suorum maculas, nec curat eas pœnitentiâ et bonis operibus abolere. Consideranti vultum. Quidam interpretes ex hoc lo-

quendi modo resolvunt quæstionem physicam, an sola imago vultûs, an ipse videatur in speculo. NATIVITATIS SUÆ, vultum in quo natus est, sive vultum nativum, non larvam aut fucum, quia viri faciem suam fucare non solent, sicuti feminæ. IN SPECULO, in quod viri interdùm obiter et aliud agentes inspiciunt, si fortè locum intraverint ubi speculum appensum est.

VERS. 24. — CONSIDERAVIT ENIM SE, leviter, ut vir solet, qui verè vir et effeminatus non est; ET ABIIT, avertit se à speculo, non curans an facies quibusdam maculis aspersa, aut quomodò pili barbæ vel comæ jaceant; ET STATIM OBLITUS EST QUALIS FUERIT, non quia species visibilis reflexa debilior est quàm directa, ut multi philosophantur; nam species reflexa non est debilior quàm directa ex duplo majori spatio ad occultum veniens; sed quia vir ille obiter et negligenter vultum suum inspexit, nec curæ ei fuit imaginem suî memoriæ imprimere; deinde cùm recordari volumus nostri vultûs, cogitationem nostram non ad speculum, in quo nos inspeximus, sed ad nos ipsos extra speculum referre solemus; hoc autem turbat et confundit recordationem, quia sicut visus non videt rem nisi ex adverso oppositam, ita recordatio rei visæ quasi naturaliter tendit in objectum ante nos positum; unde experimur nos meliùs et expressiùs recordari vultûs nostri, si simul speculi et formæ, quam in eo ex adverso conspeximus, recordemur.

VERS. 25 — QUI AUTEM PERSPEXERIT; attentè inspexerit, et quasi procubuerit ad introspiciendum, sicut faciunt qui rem abstrusam ex propinquo et penitùs inspicere volunt: hoc enim propriè vox Græca significat; unde interpres vertit *procumbere*, Luc. 24, v. 12. Hunc autem attentum inspectorem S. Jacobus opponit viro illi qui negligenter et superficie tenùs considerat in speculo vultum nativitatis suæ. IN LEGEM PERFECTAM, Christi, quæ hominem hîc gratiâ, et postmodùm glorià æternâ perficit: LIBERTATIS, christianæ et filiorum Dei, quæ est libertas à peccatis et concupiscentiæ tyrannide; Œcumenius tamen libertatem à cæremoniis legalibus intelligit; ET PERMANSERIT IN EA, perspiciendâ, meditando in lege Domini die ac nocte, non sicut vir ille qui in speculo vultum obiter consideravit, et statim abiit: debet enim lex Domini nobis esse instar speculi, non viri, sed mulieris, in quo sæpè et permanenter nos inspiciamus, et vultum ac mores ad ejus normam componamus. Et ideò Moyses labrum æneum ex æneis mulierum speculis confici jussit, Exod. 38, v. 8; ad litteram quidem ut sacerdotes maculas vultûs in eo aspicerent; tropologicè autem specula mulierum sunt præcepta Dei, ait S. Gregorius, in quibus sanctæ animæ se semper aspiciunt, ut morum suorum maculas deprehendant. NON AUDITOR OBLIVIOSUS FACTUS, sed memorià retinens maculas et turpitudinem suam, quam in lege Domini prohibente audivit, et quid agere debeat ut immaculatus et formosus fiat: SED FACTOR OPERIS, non contentus legis et sacræ Scripturæ siccâ speculatione, sed ad opus et praxim eam applicans; nam: *Scientia sanctorum prudentia*, ait Sapiens, Prov. 9, v. 10. Prudentia autem habitus est non otiosus, sed practicus, voluntatem non tantùm docens, sed in opus impellens. Qui autem audiunt tantùm et non faciunt, inquit etiam Aristoteles, similes sunt ægris qui medicos disserentes de suâ ægritudine diligenter audiunt, sed præscripta eorum non servant. Hic BEATUS, beatitudine justitiæ in vîâ, et beatitudine gloriæ in patriâ, IN FACTO SUO ERIT; per facta, seu opera sua quibus gratiâ Dei excitatus et ad justus à peccato ad justitiæ beatitudinem resurgit, et iisdem adjumentis quotidiè in eâ proficit; locus notandus contra hæreticos, qui ad justitiam et beatitudinem dicunt fidem sine operibus sufficere.

VERS. 26. — SI QUIS AUTEM. Dixerat ante non satis esse audire verbum Dei, nisi opere compleretur: jam addit ad complementum operis necesse esse linguam refrenare, quam homines aliàs in cæteris virtutibus exercitati sæpè nimis liberam et effrenam habent. PUTAT SE RELIGIOSUM ESSE, religionis christianæ eximium cultorem, et virum spiritalem, qui arcana fidei novit et exactè observat; hanc enim vim vox Græca habet, ut Œcumenius notat: NON REFRENANS LINGUAM SUAM, à detractionibus et maledictis aliorum, à vanâ laude suî, à jurgiis, contentionibus et omni garrulitate, SED SEDUCENS COR SUUM; conscientiam et animum suum decipiens, dùm ei persuadet se cum istis linguæ vitiis nihilominùs esse religiosum; sæpè enim qui devoti Dei cultores esse videntur, liberioris linguæ sunt, defectus aliorum passim mordent, de virtute et perfectione multa garriunt quasi iis pleni sint, cùm vanitate potiùs turgeant, et folia tantùm pro fructibus sint; unde sequitur: HUJUS VANA EST RELIGIO, inanis et falsa; vera enim religio murum silentii habere debet ne diffluat, quia: *Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum*, Proverb. 25, v. ult. Pietas etiam, inquit S. Gregorius, est similis aquæ: nam ut aqua sursùm elevetur undique circumcludi debet, ne per rimas effluat; sic religio quæ ad Deum ascendere et charitatis vinculo ei religari debet, supervacuis verbis dissipatur, et quasi tot rivis extra se ducitur: unde tales garruli in peccata gravia facillimè incidunt, quibus cæterarum virtutum opera vana et inutilia redduntur. Meritò igitur monet Eccles. cap. 28, v. 28: *Ori tuo facito ostia et seras*. Et in regulis monachorum et religiosorum, post tria vota solemnia, inter primas curas semper fuit cura silentii, etiam in rebus et verbis licitis ac honestis. Imò in ordine Carthusianorum fractor silentii, inquit Dionysius Carthusianus, serm. 5, dominicæ 4 post Pascha, in proximo capitulo clamare debet suam culpam, detractisque ex humero vestibus prostratus suscipere talem disciplinam, qualem non solet pro aliis culpis notabiliter magnis. Silentium enim viris contemplativis est maximè necessarium, ut cor eorum apud ipsos maneat, ne fiant: *Quasi columba seducta non habens cor*, Oseæ 7, v. 11. Aliquando tamen loquendum est, sed sermone semper in gratiâ sale discretionis condito, ad Coloss. 4, v. 6, ita ut verbis nostris faciamus stateram et frenos ori nostro rectos, Eccles. 28, v. 29. Maximè autem inter convi-

via et epulas periculum est ne freni isti excutiantur, quia quando venter reficitur, lingua defrenatur, ait S. Gregorius, lib. 1 Moralium, c. 4, ideòque dives epulo, Luc. 16, magis in linguâ quàm in alio membro cruciatur.

VERS. 27. — RELIGIO MUNDA ET IMMACULATA; pura à maculis criminum, quæ virum religiosum et ipsam quodammodò religionem in ipso maculant. Quia dixerat ante religiosum præter opera debere quoque linguam refrenare, jam uno verbo summatim recapitulat quæ requiruntur ad veram et Deo placentem religionem. APUD DEUM, non apud homines, quibus sæpè videntur religiosi qui apud Deum sunt profani, inquit Beda ; ET PATREM, qui pater noster est : HÆC EST, hos actus imperat, et ex talibus actibus à religione immundà et falsà dignoscitur ; nam aliàs *visitare pupillos*, etc., sunt actus misericordiæ eliciti, et solùm imperati à virtute religionis : VISITARE, per se vel per alios, nec tantùm verbis solando, sed operâ ac eleemosynis necessitates eorum sublevando; loquitur enim more Hebræorum, apud quos verbum פקד, *pacad*, visitare et recordari significat, ad benè alicui vel malè faciendum, sive adeundo et reverà visitando id fiat, sive quocumque alio modo : PUPILLOS, parentibus orbatos, qui parvuli adhuc sunt, nec necessaria vitæ sibi comparare possunt ; *pupillus* enim propriè est diminutivum à pupus, quæ vox puerulum significat, licèt jurisconsulti paulò aliter accipiant : ET VIDUAS, quæ maritorum quoque solatio et adminiculo destitutæ multis indigere solent; sub pupillis autem et viduis, in quibus indigentia et necessitas solet esse insignior, cæteras miserabiles personas intelligit : IN TRIBULATIONE EORUM, propter orbitatis luctum, et incommoda quæ sequuntur orbitatem; et præcipuè misericordià digni erant, si parentes aut mariti propter fidem martyrio affecti essent : ET IMMACULATUM SE CUSTODIRE; et uno verbo, gratiâ Dei opitulante, servare corpus et animam suam immaculatam, AB HOC SECULO, à vitiis hujus mundi nequam, quia : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ*, 1 Joann. 2, v. 16, hoc est, luxuria, avaritia et ambitio, in quibus tribus omnia summatim peccata continentur, aut eò reducuntur. Ille ergo ab hoc seculo maculatur, qui aut voluptates, aut divitias, aut honores hujus seculi amat, voluntatem suam figendo in iis, quia certum est, ait hìc ex doctrinâ S. Augustini Dionysius Carthusianus, quòd nulla res creata sit appetenda, amanda, servanda, tractanda, aut quocumque modo in usu habenda, nisi in quantum expedit homini ad uniendum se Deo. Quod, licèt ad omnes Christianos, maximè tamen ad religiosos, inquit, spectat, quos oportet huic seculo esse mortuos, et soli Deo viventes, ut cum Apostolo dicere possint : *Vivo ego, non jam ego, vivit verò in me Christus*. Vivendum tamen nobis inter seculi homines est, sed in quâdam mentis solitudine, et quasi extra ipsos, ne vitiis eorum inquinemur : quam solitudinem intelligebat ille qui dicebat : *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine*, psal. 54, v. 8, et ideò alas columbæ, et gratiam Spiritûs sancti ad evolandum optabat : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* Ibidem, v. 7.

CAPUT II.

1. Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ.

2. Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candidâ, introierit autem et pauper in sordido habitu,

3. Et intendatis in eum qui indutus est veste præclarâ, et dixeritis ei : Tu sede hìc benè ; pauperi autem dicatis : Tu sta illìc, aut sede sub scabello pedum meorum ;

4. Nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis judices cogitationum iniquarum ?

5. Audite, fratres mei dilectissimi : nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide et hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se?

6. Vos autem exhonorâstis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad judicia ?

7. Nonne ipsi blasphemant bonum nomen quod invocatum est super vos ?

8. Si tamen legem perficitis regalem secundùm Scripturas : Diliges proximum tuum sicut teipsum : benè facitis.

9. Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege quasi transgressores.

10. Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.

11. Qui enim dixit : Non mœchaberis, dixit et :

CHAPITRE II.

1. Mes frères, n'ayez point la foi de la gloire de notre Seigneur Jésus-Christ en acception des personnes.

2. Car s'il entre dans votre assemblée un homme qui ait un anneau d'or et un habit magnifique, et qu'il y entre aussi quelque pauvre avec un méchant habit;

3. Et qu'arrêtant votre vue sur celui qui est magnifiquement vêtu, vous lui disiez : Asseyez-vous ici; et que vous disiez au pauvre : Tenez-vous là debout, ou asseyez-vous à mes pieds :

4. N'est-ce pas là faire différence en vous-mêmes entre l'un et l'autre, et suivre des pensées injustes dans le jugement que vous en faites ?

5. Ecoutez, mes très-chers frères : Dieu n'a-t-il pas choisi ceux qui étaient pauvres dans ce monde pour être riches dans la foi, et héritiers du royaume qu'il a promis à ceux qui l'aiment ?

6. Et vous, au contraire, vous déshonorez le pauvre. Ne sont-ce pas les riches qui vous oppriment par leur puissance ? ne sont-ce pas eux qui vous traînent devant les tribunaux de la justice?

7. Ne sont-ce pas eux qui déshonorent le saint nom de Jésus-Christ, dont vous avez tiré le vôtre?

8. Que si vous accomplissez la loi royale en suivant ce précepte de l'Ecriture : Vous aimerez votre prochain comme vous-même, vous faites bien :

9. Mais si vous avez égard à la condition des personnes, vous commettez un péché, et vous êtes condamnés par la loi comme en étant les violateurs ;

10. Car quiconque ayant gardé toute la loi, la viole en un seul point, est coupable comme l'ayant toute violée ;

11. Puisque celui qui a dit : Ne commettez point

Non occides. Quòd si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.

12. Sic loquimini et sic facite, sicut per legem libertatis incipientes judicari.

13. Judicium enim sine misericordiâ illi qui non fecit misericordiam ; superexaltat autem misericordia judicium.

14. Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?

15. Si autem frater et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano,

16. Dicat autem aliquis ex vobis illis : Ite in pace, calefacimini et saturamini; non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?

17. Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsâ.

18. Sed dicet quis : Tu fidem habes, et ego opera habeo. Ostende mihi fidem tuam sine operibus : et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.

19. Tu credis quoniam unus est Deus ; benè facis ; et dæmones credunt, et contremiscunt.

20. Vis autem scire, ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est?

21. Abraham pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?

22. Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius : et ex operibus fides consummata est?

23. Et suppleta est Scriptura, dicens : Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei appellatus est.

24. Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantùm.

25. Similiter et Rahab meretrix, nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuntios, et aliâ viâ ejiciens?

26. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.

d'adultère, a dit aussi : Ne tuez point. Si donc vous tuez, quoique vous ne commettiez point d'adultère, vous êtes violateur de la loi.

12. Réglez donc vos paroles et vos actions, comme devant être jugés par la loi de la liberté.

13. Car celui qui n'aura point fait miséricorde sera jugé sans miséricorde : mais la miséricorde s'élévera au-dessus de la rigueur du jugement.

14. Mes frères, que servira-t-il à quelqu'un de dire qu'il a la foi, s'il n'a pas les œuvres? La foi pourra-t-elle le sauver?

15. Que si un de vos frères ou une de vos sœurs n'ont point de quoi se vêtir, et qu'ils manquent de ce qui leur est nécessaire chaque jour pour vivre;

16. Et que quelqu'un d'entre vous leur dise : Allez en paix, je vous souhaite de quoi vous couvrir et de quoi manger, sans leur donner néanmoins de quoi satisfaire aux nécessités de leur corps, à quoi leur serviront vos souhaits?

17. Ainsi la foi qui n'est point accompagnée des œuvres, est morte en elle-même.

18. On pourra donc dire : Vous avez la foi, et moi j'ai les œuvres : montrez-moi votre foi qui est sans œuvres, et moi je vous montrerai ma foi par mes œuvres.

19. Vous croyez qu'il n'y a qu'un Dieu, vous faites bien : mais les démons le croient aussi, et ils en tremblent.

20. Mais voulez-vous savoir, ô homme vain, que la foi sans les œuvres est morte?

21. Notre père Abraham ne fut-il pas justifié par les œuvres, lorsqu'il offrit son fils Isaac sur l'autel?

22. Ne voyez-vous pas que sa foi était jointe à ses œuvres, et que sa foi fut consommée par ses œuvres?

23. Et qu'ainsi cette parole de l'Écriture fut accomplie : Abraham crut ce que Dieu lui avait dit, et sa foi lui fut imputée à justice, et il fut appelé ami de Dieu?

24. Vous voyez donc que l'homme est justifié par les œuvres, et non pas seulement par la foi.

25. De même Rahab, la courtisane, ne fut-elle pas justifiée par les œuvres, en recevant chez elle les espions de Josué, et les renvoyant par un autre chemin?

26. Car comme le corps est mort lorsqu'il est sans âme, ainsi la foi est morte lorsqu'elle est sans œuvres.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Fratres mei ; qui in fide et religione christianâ omnes sive pauperes sive divites, pares et tanquàm fratres sumus : nolite in personarum acceptione, cum acceptione personarum considerando personas hominum, aut in ipsis qualitates, quæ ad rem non pertinent; acceptio enim personarum est peccatum contra justitiam distributivam, quando non secundùm proportionem servari debitam, honor, dignitas, officia, jura, pecunia distribuuntur, ut docet S. Thomas 2-2, q. 63. Verti etiam potest, *in facierum acceptione*, sicut psal. 81, v. 2 : *Usquequò judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis?* respiciendo scilicet in faciem hominum peccatorum, an sint divites, pauperes, cognati, etc., non in causæ meritum, et justitiam. Habere fidem, possidere fidem christianam et eam conjungere cum turpi illo vitio acceptionis personarum, Domini nostri Jesu Christi gloriæ, gloriosi ; solus enim ipse cum Patre et Spiritu sancto verè gloriosus est : *Omnis autem caro fenum, et omnis gloria ejus tanquàm flos feni*, 1 Pet. 1, v. 24, ut proinde nulla causa sit cur gloriosos hujus mundi sic admiremini, et in tantum supra pauperes efferatis.

Vers. 2. — Etenim si introierit (exemplo probat quomodò vitio acceptionis personarum laborent) in conventum vestrum, Græcè, *in synagogam vestram*. Unde videtur maximè loqui de congregationibus sacris, in quibus fideles ad participationem sacramentorum, aut ad audiendum Dei verbum conveniebant, quomodò intelligit hunc locum D. Thomas, quodlib. 10, art. 12. Verisimile etiam est, ut quidam notant, Judaicas synagogas in civitatibus, ubi plurimi Judæorum ad fidem convertebantur, in ecclesias conversas fuisse. Vir aureum annulum habens, non fibulam auream, quâ vestis astringitur, ut Baronius, Pineda, et Balthasar Paes interpretantur, quia vox Græca significat annulum qui digito, non vesti inseritur. Ve-

teres Romani tantùm ad signandum annulis utebantur, postea ad ornatum et familiæ suæ honorem, insculptis majorum suorum imaginibus, aut aliorum quos in honore præcipuo haberent, sicut omnes olim philosophi Epicuræi effigiem sui Epicuri in gemmis annulorum suorum gestabant. IN VESTE CANDIDA; indutus veste candidâ et splendenti, quali Hebræorum et Romanorum divites indui solebant. Vide Justum Lipsium, l. 1, c. 13, Electorum, ubi multa de candidâ togâ divitum Romanorum, et eorum qui ambiebant magistratus : unde ab eâ veste *candidati* sunt appellati. INTROIERIT AUTEM ET PAUPER; vox Græca propriè mendicum significat, quomodò vertitur, et à paupere distinguitur, psalm. 39, v. ult. : *Ego autem mendicus sum et pauper*. Propriè mendicus est qui nihil habet, pauper verò est qui aliquid, sed parùm habet, juxta illud Martialis :

Non est pauperies, Nestor, habere nihil.

Apostolus tamen generaliùs vocem illam hìc accipit, unde interpres rectè *pauper*, vertit. IN SORDIDO HABITU, detrito et obsoleto, qualis solet esse pauperum et miserabilium hominum. Unde rei apud Romanos in sordibus esse, aut sordes sumere dicebantur, quando positâ candidâ togâ aliam usu quotidiano sordidam, squalentem et obsoletam, pendente judicio assumebant, ut judicibus miserabiliores apparerent, et ad misericordiam commoverent.

VERS. 3. — ET INTENDATIS (Græcè, *inspexeritis*, intendendo scilicet oculos cum admiratione quâdam et stupore) IN EUM QUI INDUTUS EST VESTE PRÆCLARA, lucente et candidâ; est enim eadem vox Græca quam versu præcedenti *candida* vertit : ET DIXERITIS EI, ad solum illum splendorem externum et divitias ejus aspicientes : TU SEDE HIC BENÈ, Græcè, *pulchrè*, aut *præclarè*, id est, in præclaro et honorato loco : PAUPERI AUTEM DICATIS (propter solam paupertatem viliori loco eum habentes) : TU STA ILLIC; quasi paupertas eum indignum faciat qui sedeat : AUT : SEDE (non tamen inter honoratos, sed) SUB SCABELLO PEDUM MEORUM. Nequidem super scabellum, quo innituntur pedes mei, sed infra supra pavimenti stratum; in conventibus enim primorum Christianorum seniores dignitate in cathedris, sequentes in subselliis, novissimi in pavimento super mattas sedebant, inquit Ambrosiaster, 1 ad Cor. 14, vers. 30, unde apostolus Jacobus non vult hìc confundi ordinem in conventibus publicis aut privatis servari solitum : *Cui enim honorem*, reddite *honorem*, ait alius apostolus, ad Rom. 13, v. 7, sed ne pauper virtutibus ornatus postponatur divitì propter solas divitias, imitemurque in Christianismo consessum Romanorum in theatris, ubi senatores, equites et plebei, ex censu divitiarum considebant, senatores ad podium, equites in orchestrâ, plebeiorum turba in supremâ caveâ. Census autem senatorius sub Augusto 25 philippicorum millia, census equestris 10 philippicorum millia erat, secundùm Justi Lipsii calculum. In consessu ergo et honoribus Christianorum, non censum, sed virtutem spectare oportet : *Nam sola illa est digna et debita causa honoris*, ait S. Thom. 2-2, q. 63, art. 3. Sed notandum, inquit, quòd aliquis non solùm propter virtutem propriam, sed etiam propter virtutem alterius possit honorari : sic principes, prælati, parentes, domini etiam mali honorandi sunt propter virtutem et personam Dei quam repræsentant : senes quoque honorandi, quia senium virtutis et sapientiæ est signum. Quando ergo propter similes causas tales aliis præferuntur, nulla personarum acceptio committitur. Divitiæ autem quatenùs divitiæ, non sunt titulus idoneus ad honorandum, nisi considerentur ut sunt instrumenta virtutum, ait Cajetanus. Sed tamen nec eo titulo divites præferri debent pauperibus, qui virtutibus ipsis præditi sunt; pluris enim esse debet qui virtutem ipsam possidet, quàm qui solùm virtutis instrumentum, quo etiam fortassè ad vitia abutitur. Unde externa illa secundùm veritatem et rectam rationem parvi momenti sunt. Hinc cùm Deus in principio omnia sua opera, cœlum, terram, diem, noctem, plantas, bestias secundùm speciem suam externam laudàsset, ubi ad hominem ventum est, hoc præcipuum opus suum non laudat, inquit S. Ambrosius, cap. 3, de Institutione virgin., quia aliorum gratia foris, hujus intùs est; aliorum in nativitate, hujus in corde : unde non in forensi pelle, sed in interiori homine antea probandus, et sic laudandus est.

VERS. 4. — NONNE JUDICATIS; Græcè · *Dijudicàstis;* inter divitem et pauperem judicio iniquo, non aliam sumentes causam discriminis quàm divitias et paupertatem, APUD VOSMETIPSOS? Græcè : *In vobis ipsis;* non in Deo, sed judicio in vobis et ex vobis nato, ut Hugo, Thomas Anglicus, et Carthusianus interpretantur. Verti etiam potest passivè, ut Erasmus et quidam alii : *Nonne dijudicati estis in vobis ipsis?* nonne tanquàm malè agentes judicati estis in conscientiâ vestrâ vos remordente, et tanquàm judice contra vos stante? Sed interpretis nostri versio activa meliùs quadrat cum eo quod sequitur. ET FACTI ESTIS JUDICES, per pravum istud et iniquum vestrum judicium, COGITATIONUM INIQUARUM? Græcè : *Ratiocinationum perversarum*, quibus iniquè cogitatis et ratiocinamini divitem propter divitias præponendum esse pauperi. Dicuntur ergo judices iniquarum cogitationum qui in dijudicando talibus cogitationibus se conformant, sive qui ex falso et perverso antecedente falsum et perversum judicium ratiocinando concludunt, quo deinde ad acceptionem personarum procedunt. Licèt autem in exemplo sancti Jacobi non sit propriissimè peccatum acceptionis personarum contra justitiam distributivam, sed tantùm contra observantiam, quæ personis præcellentibus externum honorem defert, et juxta uniuscujusque meritum distribuit, et tantùm reductivè ad justitiam pertinet, ut notat Cajetanus, 2, 2, quæstione 63, art. 3, in isto tamen vulgari exemplo tanquàm in imagine voluit Apostolus à minori ad majus ostendere perversitatem et magnitudinem peccati, quod committitur contra propriam justitiam distributivam in distributione iniquâ, præsertim publicorum officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum : *Nec enim sanè putandum est esse leve peccatum*, ait S. Augusti-

nus, epist. 29, *in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi, si illam distantiam sedendi ac standi ad honores ecclesiasticos referamus. Quis enim ferat eligi divitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore atque sanctiore?* Si verò distantia illa sedendi ac standi referatur solùm ad ordinem consessûs in publicis aut privatis hominum cœtibus, peccatur tantùm venialiter, si absit scandalum, aut nisi admisceatur gravis contemptus pauperis. Nullum verò erit peccatum, neque præferens divitem pauperi erit judex iniquarum cogitationum, si non judicet in corde suo divitem propter divitias esse meliorem et honoratiorem paupere. Unde ubi moris est ut divites altiorem in republicâ gradum obtineant, licitum est divites honorare et cæteris præferre in illis honoribus qui ad externum convictum pertinent, quia cives cœlestis Jerusalem hîc quasi in Babyloniâ peregrinantes debent illis inter quos conversantur, in iis quæ non sunt contra Deum, morem gerere, inquit ex S. Augustino S. Thomas, quodlib. 10, art. 12. Unde assurgere aut capitium deponere coram divite, non coram paupere, nullum est peccatum, ait Thomas Anglicus, nisi ratione originis, si quis in corde suo judicaret divitem propter divitias meliorem esse paupere.

Vers. 5. — Audite, fratres mei dilectissimi, diligenter attendite, et discite divino judicio non esse meliores, qui in seculo sunt ditiores. Nonne Deus elegit, per æternam suam prædestinationem, pauperes in hoc mundo? Eos qui in hoc mundo erant pauperes, ut pauperculos parentes, apostolos piscatores, et tot alios mechanicos, et inopes longè plures quàm opulentos. Divites in fide; ut faceret divites in fide et omnibus divitiis spiritualium gratiarum quæ fidem consequuntur, ac præcipuè divites charitate, per quam fides operatur, ad Gal. 5, vers. 6. *Elegit* autem *Deus fideles, non quia jam erant, sed ut essent*, inquit Augustinus, cap. 17 de Prædestinatione sanctorum; *eligendo enim*, inquit, *facit divites in fide sicut hæredes regni;* contra Massilienses nempe, qui dicebant primum actum fidei non donari à Deo, sed esse ex nobis. Et hæredes regni; ut faceret hæredes regni cœlestis, non quia jam erant hæredes: dicuntur autem hæredes non quia succedant patri mortuo, quia in Deum cadere mors non potest, sed quia ad possessionem omnium bonorum patris viventis admittuntur per modum hæredum. Elegit autem ad tam sublimem statum pauperes, indoctos et infimæ plebis homines, ut ostenderet potentiam gratiæ suæ; et tales præcipuè elegit apostolos et primos discipulos per quos orbis terrarum ad fidem convertendus erat. *Non multi sapientes secundùm carnem; non multi potentes*, etc., 1 ad Cor. 1, v. 26. Si enim sapientes aut divites elegisset, videri potuissent suâ sapientiâ aut potentiâ reliquos ad fidem attraxisse, nec apparuisset divinæ manûs operatio, quæ corda occultè movet et convertit. Facit hoc quoque ad humilitatem electorum, dùm de stercore paupertatis et ignobilitatis se à Deo erectos cogitant: unde Mardochæus ad Esther: *Memorare dierum humilitatis tuæ, quomodò nutrita sis in manu meâ*, Esther 15, v. 2; et Christus, cùm Petrum constituit caput Ecclesiæ rogando eum ter an ipsum diligeret, non Petrum et Ecclesiæ petram, sed *Simonem Joannis* ter appellat, Joan. ult., v. 15, nomen quod in seculo habuerat, et patrem piscatorem revocando in memoriam ut humilem conditionem suam cogitaret, ex quâ illum ad supremum Ecclesiæ culmen evehebat. Quod repromisit Deus; Græcè: *Promisit;* quod tamen verbum noster interpres solet vertere *repromisit*, attendens fortassè quòd Deus olim in veteri Testamento sub imagine terræ promissionis, promiserit, et iterùm apertiùs repromiserit in novo Testamento. Diligentibus se, propter ipsum, sive amore casto, qui nullo proprii commodi, aut boni creati cujuscumque respectu polluitur. *Gratis enim coli et diligi vult Deus, hoc est, castè amari*, inquit Augustinus in psalm. 52, *nec propterea amari quia dat aliquid præter se, sed quia dat se.* Unde quia tota Scriptura facta est propter electos ad promissam regni hæreditatem perducendos, lib. 1, cap. 35, de Doctrinâ christianâ, dicit omnium divinarum Scripturarum plenitudinem, finem et scopum esse docere dilectionem Dei ac proximi; et lib. 12, cap. 25 Confessionum, ait Moysen in omnibus suis historiis et libris Pentateuchi non aliò spectàsse. Unde, lib. 3, c. 10, de Doctrinâ christianâ, iterùm Augustinus: *Non præcipit*, inquit, *Scriptura nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem, et eo modo informat mores hominum; charitatem autem voco*, inquit, *motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se ac proximo propter Deum; cupiditatem autem, motum animi ad fruendum se et proximo, et quolibet corpore, non propter Deum.*

Vers. 6. — Vos autem exhonorastis, inhonorâstis, seu contemptui habuistis, pauperem, quem in conventibus vestris stare, aut sedere sub scabello pedum vestrorum jubetis, solummodò quia pauper est. Nonne divites, etiam inter Christianos aliqui, quos tamen sic propter divitias sedibus præclaris et sublimibus præter meritum honoratis, per potentiam, quam dant ipsis divitiæ; unde quando divitias eorum veneramini, quasi adoratis instrumenta vestrorum carnificum; opprimunt vos, duriter et superbè vos tractantes, et exuentes vos etiam illo modico quod ex facultatibus superest vobis. Loquitur autem præcipuè de malis Christianis divitibus, licèt etiam ad infideles divites respiciat, qui potentiâ et tyrannide suâ opprimebant Christianos, quos, licèt in cœtibus fidelium sedibus sublimioribus non honorarent, quia eò non veniebant, honorabant tamen quodammodò divitias ipsorum in Christianis divitibus, quos propter solas divitias ita supra pauperes extollebant. Et ipsi trahunt vos, per vim et injustè vocantes in jus, ad judicia, ad tribunalia judicum infidelium, qui soli tunc respublicas administrabant. Hoc etiam factum graviter reprehendit Paulus, 1 ad Cor. 6, v. 1 usque ad 9, cùm Christiani inter se potiùs judices aut arbitros rerum temporalium constituere debuissent, non contendere judicio apud judices infideles.

Vers. 7. — Nonne ipsi, divites tales, blasphemant,

blasphemare faciunt ab infidelibus judicibus, apud quos calumniis, falsis testibus, donis ac munneribus vos opprimere conantur; videntes enim tam perversos Christianorum divitum mores blasphemant et maledicunt fidem Christi, quasi talium vitiorum magistram. Si verò etiam de divitibus infidelibus verba S. Jacobi accipiantur, illi non tantùm blasphemare alios faciunt, sed proprio etiam ore blasphemant. Bonum nomen; Græcè : *Pulchrum illud nomen*, Christi videlicet, et sub nomine isto ipsum Christum blasphemant, quod invocatum est super vos, à quo Christiani vocati estis; est enim phrasis Hebraica, sicut Genes. c. 48, v. 16, ubi Jacob adoptans filios Josephi, Ephrem et Manassen, ait : *Invocetur super eos nomen meum*, id est, posthàc vocentur non ampliùs filii Joseph, sed filii Jacobi, tanquàm patris adoptivi.

Vers. 8. — Si tamen, quòd si tamen præferendo divites pauperibus, legem perficitis, perfectè et exactè observatis legem charitatis, neminem odio et contemptui habendo, sed unumquemque in gradu suo diligendo et ordinem à charitate præscriptum custodiendo. Regalem, Christi Dei et regis nostri, qui dixit : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*, Joan. 15, v. 12; unde Syrus *legem regalem* vertit *legem Dei*. Lex charitatis est etiam regalis, quia charitas est regina virtutum omnium, aliarum officiis imperans, ea ducens et referens in finem ultimum, sine quo imperfecta et incompleta sunt : unde plenitudo et finis legis dicitur esse dilectio. Hinc etiam via charitatis dicitur via regia, quæ rectà ducit ad cœlum, et in quam cæterarum virtutum semitæ recidere debent, ut eò perveniant; unde cùm apostolus Paulus, 1 ad Cor. 12, varia Spiritûs sancti charismata enumerâsset : *Et adhuc*, inquit ibidem, v. ultimo, *excellentiorem viam vobis demonstro*, nempe viam charitatis, ut statim explicat cap. 13. Secundum Scripturas, sicut sacræ Scripturæ tam veteris quam novi Testamenti perficiendam docent, Levit. 19, v. 18; Matth. 22, v. 39, etc., ubi dilectio proximi his verbis præcipitur : Diliges (amore amicitiæ) proximum tuum, volendo ei bonum, et maximè ac ante omnia æternam felicitatem; nam amicitia charitatis fundatur super communicatione beatitudinis, ut docet S. Thomas, 2-2, q. 25, art. 12. Unde illæ creaturæ intellectuales quæ ex Dei ordinatione sunt jam æternæ beatitudinis incapaces, ut dæmones et homines damnati, non ampliùs in numero proximorum computantur, nec amorem amicitiæ ad eas habere debemus, ut post August. docet S. Thomas, q. 25, art. 11; proximus enim dicitur à propinquitate illâ quæ est æternæ beatitudinis communicatio. Sicut teipsum, similiter atque teipsum, nempe volendo propter Deum ei, secundùm naturam spiritualem, eadem bona quæ tibi vis, non tamen æqualiter, quia est ordo charitatis. Similitudo ergo ista diligendi in eo consistit, ut inprimis diligatur proximus propter Deum, sicut nos ipsos propter Deum diligere debemus; deinde, ut bona proximo sicut nobis secundùm naturam spiritualem velimus, mala autem nolimus. Non debet tamen utraque dilectio esse æqualis, quia dilectio nostri est exemplar dilectionis proximi; exemplar autem est potius exemplato, et unitas potior quàm unio, ait S. Thomas, 2-2, q. 26, art. 4. Debemus ergo nobis velle beatitudinem æternam et media quæ ad eam ducunt, potiùs et priùs quàm proximo nostro, quia unum idemque nobiscum sumus; cum proximo autem unionem tantùm et societatem habemus. Dicitur autem homo seipsum aut proximum diligere, quando secundùm naturam spiritualem diligit, ait S. Thomas loco ante citato, quia juxta Philosophum, lib. 9, c. 8, Ethic., unumquodque videtur esse id quod præcipuum est in ipso. Qui autem se amant secundùm naturam sensibilem, cui obtemperant, dicuntur *homines seipsos amantes*, 2 ad Tim. 3, v. 2, sed tales non se amant secundùm naturam rationalem, quæ in ipsis præcipuum est, quia non volunt sibi bona quæ pertinent ad perfectionem rationis, ait S. Thom. 2-2, q. 25, art. 4, ad 3. Unde reverà potiùs se oderunt quàm ament; qui enim malè amat, procul dubio odit, inquit August. Bene facitis, præferendo divitem pauperi, quia alii tituli sunt præter divitias, quibus licitè et secundùm ordinem charitatis dives prædiligi et præferri possit.

Vers. 9. — Si autem personas accipitis, eas aut causas nihil ad rem pertinentes in eis æstimando, non vera earum merita attendendo, peccatum operamini; etiam mortale, si ex justitiâ distributivâ jus suum alteri reddere et distribuere oporteat, sicut exemplo divitis qui ad honorem episcopatûs eligitur, contempto paupere instructiore et sanctiore, epist. 29, ostendit Augustinus. Redarguti a lege, charitatis quæ jubet diligi proximum sicut vos ipsos; hoc autem non facitis quando personas accipitis, et, contempto paupere, divitem sine causâ ei præponitis. Quasi transgressores; sicut etiam reverà transgressores estis, nam particula *quasi*, hoc loco, non similitudinem tantùm, sed identitatem significat. Lex dicitur redarguere transgressores, quia testimonium quasi contra eos dat, dùm aliud ipsi agunt, et aliud ipsa præcipit. Ne autem putarent rem parvam esse transgredi legem in uno præcepto acceptionis personarum, addit :

Vers. 10. - Quicumque autem; Græcè, *enim*. Ut reddatur ratio cur acceptor personarum dicatur absolutè transgressor legis, licèt unicum ejus præceptum transgrediatur. Hic locus tam difficilis explicatu visus est S. Augustino, ut, epistolâ 29, de eo consuluerit S. Hieronymum. Totam legem servaverit, omnia legis Decalogi et evangelicæ mandata, cum hâc tamen exceptione, offendat autem, ita ut graviter etiam cadat, ut patet ex versu sequenti, ubi offensionis hujus exempla in fornicatione et homicidio ponit. Verbum Græcum proprié significat offendere et impingere pedem inter ambulandum, quæ offensio cum lapsu *levi aut gravi conjungi potest; unde offendere* nunc sumitur pro culpâ veniali, ut : *In multis offendimus omnes*, Jacobi 3, v. 2; nunc pro mortali, ut hoc loco, et ad Romanos 11, v. 11. In uno, mandato totius legis; factus est omnium reus. In omnia mandata legis

quodammodò offendit, quia peccat contra charitatem Dei legislatoris, quâ charitate omne mandatum implere debet, cùm plenitudo legis sit charitas. *Itaque reus est omnium*, ait August., epist. 29, *quia contra charitatem facit, unde tota lex pendet.* Nemo enim peccat, nisi adversùs charitatem faciendo, inquit Beda. In idem redit interpretatio S. Thomæ, 1-2, q. 73, art. 1, ad 1, ubi ait quòd S. Jacobus loquatur de peccato ex parte aversionis à Deo, non ex parte conversionis ad creaturam, quia in unoquoque peccato homo avertit se à Deo, et contemnit omnium mandatorum legislatorem. Patet autem hunc esse verum et litteralem sensum, inquit Cajetanus, quia S. Jacobus mox sententiam suam probat ex identitate legislatoris. Recentiores tamen passim sequuntur interpretationem Pauli Burgensis, ut dicatur, FACTUS OMNIUM REUS, quia peccavit in universitatem legis; unde vocem *omnium* copulatim, non copulativè sumunt, quasi dixerit : In omnium mandatorum aggregatum peccavit, sive in legem totam; et hoc dictum existimant adversùs quosdam Pharisæos qui aiebant hominem apud Deum esse justum, etiamsi in unum aut alterum mandatum peccaret, modò plura observaret; imaginabantur enim merita et peccata à Deo quasi in bilance suspendi, et eum haberi pro justo, cujus bona opera præponderarent peccatis. Sed licèt talis Pharisæorum error fuerit, verior tamen est S. Augustini et S. Thomæ interpretatio, quia vox *omnium* in tali locutione satis violentè copulatim accipitur, et nemo dubitat quin ille totum copulative sumptum violet, qui unicam ejus partem violat, nec ex hoc loco sequitur omnia peccata esse paria, ut volebant stoici, quia licèt offendens in uno sit semper omnium reus, non tamen æqualiter est reus ac si in omnibus offendisset; unde nec æqualiter intensivè punitur, licèt extensivè pœna sit quoque æterna. Omnis ergo peccans deflectit à rectâ viâ, sed alius aliò potest longiùs aberrare, sicut distorto datur aliud distortius, inquit Aug. Si autem peccatum præcisè spectetur quatenùs adversatur charitati, magis etiam facit contra charitatem qui graviùs peccat quàm qui leviùs, ait Beda.

VERS. 11. — QUI ENIM DIXIT. Idem legislator Deus, in lege Decalogi, Exod. 20, v. 14 : NON MŒCHABERIS, adulterando, fornicando, etc.; sumitur enim mœchia generaliter pro omni usu membrorum genitalium illicito. DIXIT : ET NON OCCIDES, privatâ tuâ auctoritate hominem nocentem aut innocentem, alium aut teipsum; quando verò Deus, aut judex minister Dei, jubet occidi, tunc non tu, sed Deus censetur occidere. QUOD SI NON MŒCHABERIS, si abstinueris à mœchiæ peccato, OCCIDES AUTEM (sed tamen homicidium feceris), FACTUS ES TRANSGRESSOR LEGIS, peccâsti absolutè in legem et legislatorem, qui totam legem tulit, et omnia ac singula ejus mandata observari præcipit; unde quia charitatem quam legislatori debes violâsti, factus es omnium reus, quandoquidem charitas sit plenitudo omnium mandatorum legis, ut versu præcedenti explicuimus. Licèt autem occidendo et quodlibet aliud peccatum contra præcepta secundæ tabulæ perpetrando, videatur magis directè violari charitas proximi quàm Dei, tamen sicut in charitate proximi quem diligere debemus propter Deum, charitas Dei includitur, ita peccatum contra charitatem proximi est etiam contra charitatem Dei.

VERS. 12. — SIC LOQUIMINI. Itaque cum tantâ circumspectione et tali freno linguæ vestræ posthàc in omni conversatione loquamini, quandoquidem, cap. 1, v. 26, dixerim vanam esse ejus religionem qui linguam suam nescit refrenare. ET SIC FACITE, et opera sic exercete, ac præcipuè opera misericordiæ, in quibus cap. 1, v. ultimo, dixi consistere religionem mundam et immaculatam apud Deum. SICUT PER LEGEM LIBERTATIS, tanquàm per legem non Mosaicam, sed per legem christianam longè perfectiorem, quæ per gratiam liberat nos à peccato et jugo Mosaicæ legis; unde exactiorem observantiam exigit, et prævaricatores Christus graviùs puniet. INCIPIENTES JUDICARI, jamjam judicandi, judicio illo universali quod fiet in fine seculi, sed quodammodò incipit in judicio particulari, quod exercetur in uniuscujusque morte; unde infra, cap. 5, v. 9, clamat : *Ecce judex ante januam assistit;* Græcè ad verbum : *Futuri judicari;* sed verbum Græcum μέλλοντες, id est, *futuri*, aliquando significat quod jamjam futurum est et fieri extrinsecè incipit, ut loquuntur philosophi; unde interpres noster sæpè vertit *incipere;* ut Joan. 4, v. 47, Actor. 3, v. 3, et alibi. Malè ergo Erasmus carpit hìc versionem nostri interpretis, vocatque intolerabilem. Hæc igitur cogitatio tam propinqui judicis deberet omnium linguas et manus refrenare ab illicitis; unde S. Hieronymus sive comederet, sive biberet, dicebat auribus suis videri insonare terribilem illam extremi judicii buccinam : *Surgite, mortui, et venite ad judicium.*

VERS. 13. — JUDICIUM ENIM (quo Deus in eum sententiam feret in extremo illo die) SINE MISERICORDIA, liberante à pœnis æternis, aut certè, sine insigni illâ misericordiâ quæ in aliis Dei judiciis eminere solet; nam aliàs in omni opere Dei, etiam reproborum damnatione, admiscetur aliqua quantulacumque Dei misericordia, si scholasticorum passim et S. Thomæ, 1 part., q. 21, art. 4, sententia vera est, qui docent omnes damnatos puniri citra condignum, sicuti beati ultra condignum præmiantur; quibus favent quædam Scripturæ, ut : *Universæ viæ Domini misericordia et veritas*, psalm. 24; *Suavis Dominus universis*, psal. 144; *Misereris omnium*, Sapientiæ 11, v. 24. Hoc tamen dogma certum non est, sed oppositum ex hoc loco Jacobi colligit et probabiliter defendit Estius in quartum, dist. 46, nempe judicium æternæ damnationis exerceri toto rigore justitiæ, sine ullâ prorsùs misericordiâ, sive Deum, licèt pœnas hujus vitæ suâ misericordiâ moderetur, in inferno tamen punire peccatorem non infra condignum, sed secundùm exactam meritorum suorum mensuram, ut donec reddat novissimum quadrantem, Matth. 5, v. 26, et Bellarminus fatetur esse satis incertam; unde licèt S. Augustinus, cap. 115 Enchiridii, et in psal. 105, ac alibi, dicat quosdam suspicari aliquid remitti de pœnâ damnatorum ex Dei

misericordiâ, non audet tamen assentiri, etiamsi, lib. 21, cap. 24, de Civit. Dei, fateatur se illi sententiæ non resistere, sed *non ideò confirmo*, inquit, *quoniam non resisto*. Certius autem est, et contrarium in bullâ Pii V damnatum, justos ampliori mercede præmiari quàm bona eorum opera justo Dei judicio mereantur; illa enim est mensura bona, conferta, coagitata et superefffluens, quam prædicat Christus, Lucæ 6, v. 38. Et apertè S. Hieronymus, Ezechiel 7, v. ult., distinguens inter pœnas peccatorum et præmia sanctorum : *Peccatoribus*, inquit, *reddit Deus juxta vias suas, ut teneat judicii veritatem; cæterùm in sanctis excedit clementiæ modum, quia non sunt condignæ passiones*, etc. ILLI (fiet à Deo) QUI NON FECIT MISERICORDIAM, qui in proximum suum fuit immisericors, quales sunt homines avari, duri et inexorabiles, ut dives ille epulo, Lucæ 16, qui etiam micas de mensâ suâ cadentes negabat pauperi Lazaro, et servus ille qui conservum suum tenens suffocabat, Matth. 18; nihil enim videtur justius quàm immisericordi negari, misericordi dari misericordiam; unde docti sumus à Christo orare : *Dimitte nobis sicut dimittimus debitoribus nostris*, et Matth. 25, v. 34, judex vocat electos ad possessionem regni, propter eleemosynas et misericordiæ opera, non quasi sola illa sint merita sanctorum, sed hæc potiùs commemorat ut ostendat quantùm valeant eleemosynæ ad peccata delenda, ait Augustinus, lib. 21, cap. 27, de Civit. Dei; unde Christus : *Date eleemosynam et omnia munda sunt vobis*, Lucæ 11, v. 41. Hàc tamen S. Jacobi sententiâ abusos fuisse quosdam loco citato narrat Augustinus, colligentes à contrario sensu fieri illis judicium cum misericordiâ salvante, qui pauperibus fuerint misericordes etiamsi in gravissimis sceleribus vitam duxissent et finiissent; cùm tamen, inquit Augustinus, qui dignas pro peccatis suis eleemosynas facit, priùs eas debeat incipere facere à seipso, juxta illud : *Miserere animæ tuæ placens Deo*, Eccles. 30, v. 24. SUPEREXALTAT AUTEM, altior evadit et attollit se supra, in vasis nempe misericordiæ; hanc enim partem pertinere ad electos, sicut priorem ad reprobos, docet Augustinus, lib. 21, cap. 27, de Civit. Dei. Græcè : *Contragloriatur*. Unde Gagnæus et multi interpretum putant interpretem nostrum vertisse, *superexultat*, ut solent victores qui in victoriâ suâ gloriabundi exultant. MISERICORDIA, hominis, quam in pauperes et proximos exercuit, ut Œcumenius et Græci explicant, et antithesis cum parte præcedenti videtur hoc postulare, ut nempe sicuti homines immisericordes judicium Dei immisericors, ita homines misericordes judicium Dei misericors experiantur. JUDICIUM, Dei, quod quodammodò supprimitur et retinetur, dùm propter illam misericordiam hominis exhibitam proximo Deus non judicat vindicando peccata, sed misericorditer condonando. *Beati* enim *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, Matth. 5, v. 7. Quia tamen misericordia hominis non est sola, sed provocat Dei misericordiam ad miserendum, ideò Augustinus et Latini passim post eum hìc intelligunt Dei misericordiam exultare et gloriari super Dei judicium; superponitur enim misericordia judicio in quo inventum fuerit opus misericordiæ, et si habuerit fortè aliquid quo in judicio puniatur, tanquàm undà misericordiæ peccati ignis extinguitur, ait Augustinus in psalm. 143. Quidam ex hàc sententiâ S. Jacobi colligunt plures misericordiâ Dei salvandos quàm judicio ad pœnas æternas condemnandos, et putant hoc indicatum ab Augustino, epist. 29, cùm ait : *Ideò superexaltat misericordia judicium, quia plures per misericordiam colliguntur*. Sed non est sensus Augustini quòd plures colligantur in regnum cœlorum per misericordiam, quàm rejiciantur per judicium; sed quòd inter salvandos plures sint in quibus misericordia debet superexaltare judicium, quia peccata aliqua habent, quæ propter misericordiam aliis factam misericorditer remittuntur; atque ita misericordia subtrahit judicio materiam. Hunc autem esse sensum patet, si locus ille epist. 29 conferatur cum psalm. 143 et lib. 21, cap. 27, de Civit. Dei. Certum deinde est ex toto omnium hominum genere plures damnari quàm salvari; nam soli infideles longè superant omnes Christianos, ut meritò Christus electos suos *pusillum gregem* vocet, Lucæ 12, v. 32, et multi sunt qui intrant per latam portam, et pauci qui arctam inveniunt, Matth. 7, v. 13. Deinde si inter Christianos etiam numeremus apostatas et hæreticos, qui falsò nomen Christianorum gerunt, longè plures etiam damnantur Christiani quàm salvantur; multi enim per fidem et baptismum sunt vocati, et tamen pauci ex eis electi, Matth. 20, v. 16. Inter autem verè fideles qui in Ecclesiâ et fide catholicâ moriuntur, Silvester et Suarez, lib. 6, cap. 3, de Prædestinatione, existimant plures nunc in lege gratiæ salvari quàm damnari; nam plerique, inquiunt, aut post baptismum ante perfectum usum rationis moriuntur, aut adulti sacramentis Ecclesiæ muniti discedunt. Sed S. Augustinus et alii sancti Patres plures fideles damnari quàm salvari ex variis Scripturæ sententiis conjectant; nam area in quâ triticum et paleæ simul permiscentur, Matth. 3, v. 12, est Ecclesia in quâ sunt electi et reprobi eâdem fide et sacramentis utentes, ut ibique exponit Augustinus; paleæ verò numerosiores sunt quàm triticum. Et licèt fortassè verum sit quòd major pars fidelium sine sacramento pœnitentiæ non moriantur, plerique tamen mundani fructum sacramenti non percipiunt, quia non habent sinceram illam peccatorum detestationem et efficax emendationis propositum necessarium ad justificationem; opus enim est maximâ gratiâ Dei ut homines longo tempore divitiis, honoribus, voluptatibus et rebus aliis terrenis affixi, ex tantâ depressione subitò ad sublimem illam pœnitentiam assurgant, ut hìc adversùs Suarem fusè et benè ex Patribus et aliis theologis probat Cornelius à Lapide, qui addit etiam Romæ se plures theologos audivisse idem sentientes propter generalem quamdam morum corruptelam et vitæ laxitatem; quærunt enim plerique quæ sua sunt, suam, non Jesu Christi, gloriam, *homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, sine affe-*

ctione, sine pace, criminatores, incontinentes, sine benignitate, protervi, tumidi, et voluptatum magis amatores quàm Dei; habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, 2 ad Timoth. 3, v. 2, 3, 4. Ex parabolâ verò quinque prudentùm et totidem fatuarum virginum, Matth. 25, conjicit Cajetanus mediam tantùm partem fidelium, qui aliqualem animæ suæ curam habent, salvandam esse; quod Suarez dicit esse valdè rigorosum. Sed utinam vel de mediâ istâ parte essemus certi! res enim est incerta, quia ex arcano prædestinationis mysterio tota pendet : et licèt electi tantum numerum et turbam conficiant, quam dinumerare nemo poterat, Apocal. 7, v. 9, comparatione tamen reproborum tam pauci sunt ut comparentur paucis racemis, qui oculos vindemiatorum fefellerunt et remanent finitâ vindemiâ, Isaiæ 24, v. 13. Paucitatem autem istam videtur elegisse Deus, ut gratia Christi medicinalis pluris æstimaretur, et ne homines in primo parente lapsi salutem suam libero arbitrio tribuerent, si plures salvarentur; sicuti angeli per liberum arbitrium gratiâ naturæ integræ instructum plures perstiterunt, nec nisi tertia eorum pars à dracone detracta est in terram, Apocal. 12, v. 4.

Vers. 14. — Quid proderit, ad justitiam et vitam æternam? Quia dixerat paulò ante judicium sine misericordiâ futurum illi qui non facit misericordiæ opera, arripit occasionem longiùs excurrendi in commendationem operum misericordiæ, sine quibus docet fidem Christi non prodesse ad salutem. Fratres mei, qui veram Christi fidem habetis, in quâ sumus fratres; si fidem quis dicat se habere, et verè etiam habeat : nam S. August., lib. de Fide et Operib., et in Præfat. psalm. 31, cum aliis Patribus, de verâ fide quâ creditur in Deum hunc locum intelligunt, non de umbrâ fidei, ut Calvinus, Beza et sectarii exponunt. Opera autem non habeat, ita ut fides ejus otiosa, sterilis et informis sit, sine dilectione operatrice, quæ est forma et quasi anima fidei. Hanc autem bonorum operum necessitatem inculcat S. Jacobus adversùs hæresim Simonianorum et quorumdam aliorum tunc exortam, qui jactabant fidem Christi sine operibus sufficere ad salutem. Unde in eodem etiam argumento versantur Epistolæ SS. Petri, Joannis et Judæ, ut notat S. August., cap. 14, de Fide et Operib., ubi addit hæreticos illos accepisse occasionem erroris ex verbis S. Pauli, ad Roman. 3, v. 28 : *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis*, et dicit illa verba esse inter ea quæ S. Petrus ait esse difficilia intellectu in Epistolis Pauli, quæ indocti et instabiles depravant, 2 Pet. 3, v. 16. Numquid poterit fides salvare eum? Nequaquàm : non enim quælibet fides quâ in Deum creditur est sufficiens ad salutem, sed illa quæ per charitatem operatur, ad Galat. 5, v. 6, seu cujus opera ex dilectione procedunt; quam ideò fidem salubrem et evangelicam appellat August., cap. 14, de Fide et Oper. Unde illam fidem quæ sufficere ad salutem quibusdam hæreticis videtur, ait ibidem, ita nihil prodesse S. Paulus asseverat ut dicat : *Si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum*, 1 ad Cor. 13, v. 2.

Vers. 15. — Si autem frater et soror, christianus aut christiana, quibus ante alios per opera misericordiæ oporteret succurrere; *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei*, ad Galat. 6, v. 10; quanquàm etiam infideles sint nostri fratres communione ejusdem naturæ quam ab eodem Patre Deo habemus. Nudi sint, aut omninò nudi, aut tam laceris vestibus induti, quæ satis eos tegere et frigus arcere non possint; nudus enim tam latè quandoque accipitur, ut cùm S. Petrus nudus fuisse dicitur, Joan. 21, vers. 7, cùm tamen subuculâ aut veste interiori leviter indutus esset inter piscandum. Et indigeant victu quotidiano, cibo potuque ad necessitatem quotidianam, non ad superfluitatem aut abundantiam; alere enim, non ditare pauperes oportet, etiamsi consanguinei sint aut propinqui; ideò et nos panem tantùm quotidianum petere jubemur, ut superflua non appetere doceamur. Bona autem hujus vitæ sunt à Deo creata pro victu peregrinorum qui ex hâc mortalitate tendunt ad futuram immortalitatem; unde sicut peregrini ex perâ suâ aliquid sociis benignè et liberaliter communicare solent, ita nos pauperibus nobiscum peregrinantibus de superfluis saltem oportet liberaliter tribuere.

Vers. 16. — Dicat autem aliquis ex vobis (immisericors et avarus) illis (necessaria ad victum et amictum quotidianum petentibus) : Ite in pace, abite hinc cum patientiâ, Deus vos adjuvet; calefacimini, à Deo, qui de vestimento ad fovendum corpus vobis provideat : et saturamini, cibo et potu, quos Deus vobis suppeditet. Non dederitis autem eis (non folia ista verborum, sed fructus, et) quæ necessaria sunt corpori, tam ad victum quàm ad amictum; quid proderit hoc illis fratribus et sororibus indigentibus? verba enim non vestiunt corpus, nec implent ventrem. Alii interpretes hoc referunt ad ipsum fidelem avarum, ut, v. 14, quid hoc proderit fideli isti ad justitiam et vitam æternam? nihil prorsùs : similis enim est isti ficui quam arefecit Dominus, quia habebat folia tantùm sine fructibus, Matth. 21, v. 19.

Vers. 17. — Sic et fides (simillima inanibus illis verbis, *Ite in pace*, etc.), si non habeat opera, quæ ipsa per charitatem operetur. Mortua est, sine charitate, quæ est quasi anima ejus; viva enim fides per charitatem, veluti actionum vitalium principium, operatur; sive ut Græcus habet, *energumena est*, ad Galat. 5, v. 6; ut enim energumeni à spiritu eos possidente agitantur, ita fides à charitate; fides enim est instar corporis cui spiritus charitatis agitator et operator quodammodò inseritur, non quasi qualitatem faciamus qualitatis formam, ut nobis imponit Beza, quia nec spiritus est propriè forma corporis energumeni. Licèt ergo charitas non sit in fide, sicut forma in subjecto, sed juxta fidem in eâdem animâ, in hoc tamen est similis formæ, quòd sicut materia per formam suam, ita fides per charitatem operetur. In semetipsa; nam quasi mortem in semetipsâ habet, sicut corpus mortuum, quod est subjectum morti

sive absentiæ animæ suæ. Græcè : *Secundùm semetipsam*, solitarié scilicet spectatam, et sine consortio charitatis, quæ est velut anima ejus. Calvinus et Beza in hoc differunt à Catholicis quòd fidem istam mortuam et informem negent esse veram fidem, sed umbraticam tantùm : veram autem fidem semper esse vivam, et à charitate ac operibus inseparabilem ; unde Calvinus distinctionem fidei formatæ et informis vocat putidam et sophisticam. Verùm certum est multos esse verè fideles, qui confitentur se nôsse Deum, et factis tamen eum negant, Titi 1, v. ult. Et domus *Dei*, hoc est, ædificium *spirituale in nobis credendo* fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur, ait Augustinus ; unde fides est velut fundamentum, spes parietes, charitas tectum ; fundamentum autem separabile est à parietibus et tecto. Deinde intra sagenam et *retia Domini bona, sunt etiam mali pisces, ut cap.* 17, de Fide et Operibus, docet idem Augustinus, donec boni eligantur in vasa, et mali foras mittantur, Matth. 23, v. 48 ; mali autem pisces non aliter quàm per veram fidem, sagenam evangelicam, intrant ; potest ergo vera fides sine charitate et operibus esse.

Vers. 18. — Sed dicet quis ; sed etiam fidelis in quo fides per charitatem operatur, poterit cum qui fidem suam sine operibus jactat, sic confutare, dicendo quod sequitur. Unde non est hìc objectio quædam, sed transitus ad novum argumentum. Tu fidem habes, veram et christianam, quâ verè credis quod Ecclesia credit. Beza ait hoc ironicè dici, sed ex hæresi suâ, quâ credit fidem sine charitatis operibus esse tantùm fidei umbram, quod à Tridentino, sess. 6, can. 28, damnatum est. Sæpè tamen à sanctis Patribus fides mortua dicitur non esse vera fides, quia non parit veræ fidei effectus ; sicut dicimus pastores, qui gregem suum non pascunt, *non* esse veros pastores ; et quomodò dici solet, multi sacerdotes, et tamen pauci sacerdotes, inquit Catharinus. Et ego opera habeo, externa opera charitatis. Ostende mihi fidem tuam, quod facere non potes, quia fides tua interna *est invisibilis. Retundit ergo Apostolus jactantiam* illius qui in fide mortuâ gloriatur. Sine operibus, carentem operibus quæ fidem istam tuam manifestent, sicuti effectus suam causam. Pleraque exemplaria Græca legunt : *Ex operibus*, sed nostram lectionem *contra Erasmum* præferunt etiam Beza et Calvinus. Non negat autem Apostolus talem reverà fidelem esse, sed fide tantùm informi et mortuâ, quam non possit ostendere operibus charitatis, per quam fides formata solet operari. Unde affirmanti se fidelem esse non facilè credetur, cùm opera fidei contraria eum redarguant. Et ego ostendam tibi (probabili admodùm conjecturâ) ex operibus (tanquàm ex fructibus arborem) fidem meam, charitate formatam, quæ est radix talium operum. Licèt enim etiam infideles quædam moralium virtutum officia interdùm exerceant, non tamen diù et constanter hoc facere possunt. Unde facilè intelligi potest non procedere à radice fidei et charitatis, quæ opera sua non ad humanos fines, sed ad ultimum et Dei gloriam referunt. Unde quando infidelibus aut hypocritis ea subtrahuntur, quæ per opera sua assequi cupiunt, tunc carnalis et prava eorum intentio se prodit, statimque apparet, utrùm lupus sub ovinâ pelle lateat, an ovis sub suâ, ut docet Augustinus, lib. 2, cap. 12, de Sermone Domini in monte.

Vers. 19. — Tu credis (*fide informi*) quoniam unus est Deus, quòd Deus sit unus in essentiâ, non plures, sicut gentiles credunt. Bene facis ; fides enim ista est actus bonus fidei informis, sed tamen ne putes hoc esse quid magnum, et sufficere ad salutem : et dæmones credunt ; etiam dæmones ipsi *idem quod* tu credunt, ut Deum esse unum, Christum esse Filium Dei, ut colligitur ex Lucæ 4, v. 34 et 41, quod adhuc certiùs crediderunt post Christi resurrectionem. Quia tamen fides dæmonum informis est, neque per charitatem operatur, ideò nihil iis prodest ad salutem. In hoc ergo solùm Apostolus comparat fidem dæmonum et impiorum Christianorum, quòd utraque sit objectivè eadem seu de iisdem fidei articulis, et utraque sit informis : non autem quòd actus credendi secundùm substantiam suam sit ejusdem rationis in utrisque, aut eodem modo elicitus ; hoc enim parùm ad præsens argumentum referebat : nam urgere tantùm debuit similitudinem in eo quod propriè est causa cur fides dæmonum sit ipsis inutilis ; hæc autem causa est informitas fidei, seu carentia charitatis ; propter quam etiam similitudinem fidem hominis informem, dæmoniacam vocat Augustinus. Et contremiscunt, terrore pœnarum quas à tam potente majestate sibi *infligit* et sine fine infligendas intelligunt. Quia autem magnus terror solet in hominibus in corporis tremorem redundare, ideò contremiscere per metaphoram tribuitur dæmonibus, qui incorporei sunt. Significat etiam peccatores fideles *obduratos, esse pejores dæmonibus*, quia dæmones contremiscunt, ipsi impavidi manent. Malè autem ex hoc loco colligunt Durandus, Catharinus, et quidam alii scholastici fidem supernaturalem manere in dæmonibus et fidelibus damnatis, contra *D. Thomam*, 2-2, *quæst.* 5, *art.* 2 ; *non enim in* supernaturalitate fidem dæmonis et hominis viatoris comparat S. Jacobus ; differt enim fides dæmonis à fide informi peccatoris fidelis in duobus : nam illa est naturalis, hæc supernaturalis ; illa est quodammodò *coacta vi et evidentiâ signorum ac miraculorum*, quibus dæmon fidem christianam confirmari videt, hæc verò ex habitu supernaturali et piâ motione voluntatis elicitur : credimus enim voluntariè, dæmones inviti, ait Cajetanus. Sed in duobus istis similitudinem non ponit, nec indigebat S. Jacobus. Neque dissentit S. Augustinus quando eamdem dæmonis et hominis peccatoris fidem esse dicit ; eamdem enim non ex parte actûs, sed ex parte objecti intelligit, ut ex lib. 1, cap. 29, contra Cresconium, et cap 10 et 11 de unico Baptismo, satis patet.

Vers. 20. — Vis autem scire, et intelligere sensum Genesis 15, v. 6, et Pauli ad Galat. 3, v. 6, ad Rom. 4, v. 2 : *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Apostolus jam in suâ,

non ejus quem, v. 18, induxerat personâ, refellit illum qui ex malè intellectâ Pauli doctrinâ gloriabatur in fide sine operibus. O HOMO INANIS! qui operum bonorum vacuus, et solâ inani glorià plenus es. QUONIAM FIDES SINE OPERIBUS, quòd fides etiam vera quæ per charitatem non operatur, MORTUA EST, instar cadaveris mortui sine sensu et motu. Beda, Thomas Anglicus, et multi alii legunt : *Otiosa est*, quia nempe caret motu et agitatione charitatis, quæ fidem vivam energumenam facit.

VERS. 21. — ABRAHAM. Exemplo Abrahæ potissimùm utitur, quia doctrinâ S. Pauli de Abrahæ justificatione ad Roman. 4, abutebantur illi contra quos disputat, ut notat Beda. PATER NOSTER, patriarcha et auctor gentis Judæorum; NONNE EX OPERIBUS, non autem ex fide mortuâ et otiosâ, sicut tu Genesim et S. Paulum malè interpretaris; JUSTIFICATUS EST, magis justificatus est, sive justitiæ incrementum accepit, ut Tridentinum, sess. 6, cap. 10, exponit : nam aliàs Abraham justus erat antequàm filium immolare juberetur. Sæpè autem in Scripturâ *justificari* non de primâ tantùm justitiâ, sed etiam de secundâ accipitur, ut : *Ne verearis usque ad mortem justificari*, Eccl. 18, v. 22; *Qui justus est, justificetur adhuc*, Apoc. c. ultimo, v. 11. OFFERENS ISAAC FILIUM SUUM, Deo immolans in animi præparatione. Græcè : *Cùm obtulisset*, paratus fuisset offerre, ita ut voluntas haberetur pro facto; SUPER ALTARE, cui superpositus erat à patre, et manibus pedibusque ligatus ictum gladii tantùm expectabat, Gen. 22, v. 9.

VERS. 22. — VIDES, in illo exemplo, quo Paulus usus est ut probaret fidem sine operibus legis reputari ad justitiam, ad Rom. 4, v. 3; QUONIAM FIDES COOPERABATUR OPERIBUS ILLIUS, dirigendo, et per sociam charitatem imperando opera; non enim Abraham tantùm credidit Deo, Rom. 4, v. 3, sed etiam in Deum, ibid., v. 5. *Credere autem in Deum est credendo amare, credendo in Deum ire, et ejus membris incorporari*, ait August., tract. 29 in Joannem; unde fides Abrahæ non erat mortua et otiosa, sed viva et operatrix per charitatem. ET EX OPERIBUS (à fide et charitate imperatis) FIDES CONSUMMATA EST, sicut actus imperans dicitur consummari et perfici per actum externum, ad quem refertur, ut ex utroque simul opus unum morale consummatum et perfectum exurgat. Alii fidem operibus consummari dicunt, quia per opera ex fide et charitate profecta argumentum et perfectionem illarum virtutum meremur. Itaque fides et charitas sunt quidem causa operum, sed tamen etiam opera è contra reflectuntur quodammodò in suum principium, et augmentum ejus promerentur, quidquid Calvinus et Beza hìc contradicant, qui interpretantur Abrahamum ex operibus justificatum, id est, justum fuisse demonstratum, et fidem ex operibus consummatam, id est, consummatiùs et perfectiùs manifestatam esse; interpretatione contortâ ad ipsorum hæresim, quâ docent justum per opera justitiæ non mereri fidei, charitatis et justitiæ augmentum. Falsum quoque est quod ipsi addunt, S. Jacobo solùm propositum fuisse docere fidem veram opera conjuncta necessariò semper habere; ideòque ex operibus fidem manifestari; nam Apostolus principaliter intendit refellere eos qui per fidem veram, sed informem, sine operibus charitatis credebant se salvos fore, ut patet ex v. 14, et deinde v. 18; fidelem charitatis expertem ad illud absurdum deducit quòd fidem suam per opera charitatis non possit ostendere, et proinde in externâ apparentiâ sit similis infideli.

VERS. 23. — ET SUPPLETA EST SCRIPTURA, atque ita Scriptura ex operibus Abrahæ, et obedientiâ quâ tam paratus fuit immolare filium, accepit quoddam supplementum, et significavit quod non satis diserté significaverat ante, Genes. 15, vers. 6. DICENS : CREDIDIT ABRAHAM DEO asserenti ei semen ejus futurum tam numerosum quàm stellas cœli, et quidem ex uxore sterili, quò fides ejus sublimior et mirabilior esset. ET REPUTATUM EST ILLI, et illa fides sine alio tunc opere fuit ei à Deo reputata, sive computata, scilicet ex gratiâ Dei quâ dedit ei fidem meritoriam, et insuper ex gratuitâ ordinatione quâ actibus meritoriis constituit præmium; AD JUSTITIAM, ad justitiam secundam sive justitiæ incrementum, tanquàm fidei illius præmium. Non fit autem ibi mentio aliorum operum ipsius ex fide procedentium, sed hunc quasi defectum supplevit postea Scriptura, Genes. 22, ubi narrat admirabilem ejus obedientiam, quâ jussus à Deo statim paratus fuit filium immolare. ET AMICUS DEI, singularissimus jam propter heroicum illum erga Deum amoris actum, quo naturalem unici filii amorem, et quidquid in mundo charum habebat transcendens, operabatur. APPELLATUS EST, in Scripturis sæpè, Isaiæ 41, v. 8, Judith. 8, v. 22, et alibi.

VERS. 24. — VIDETIS (isto Abrahami exemplo) QUONIAM EX OPERIBUS, quòd per opera ex fide et charitate facta, JUSTIFICATUR HOMO, justitiæ primæ incrementum acquirat; ET NON EX FIDE TANTUM, et ex fide quidem (quia sine fide nullus opera perfecta habere potest, inquit Beda), sed tamen non ex eâ tantùm, sed additis operibus charitatis, quando tempus operandi advenit. Non negat ergo Jacobus fidem charitate formatam ante occasionem operis exercendi justificare hominem (quod falsum esse ex latrone in cruce ad fidem converso, et in eo qui statim moritur post baptismum patet, ut rectè hìc notat Beda), sed vult fidem debere esse operatricem per charitatem ei conjunctam, sive esse talem ut ad operandum prompta parataque sit mox ubi præceptum operandi advenerit; nec enim Abrahæ fides semper operabatur, sed suis occasionibus et intervallis. Non pugnant ergo Paulus, qui ad Romanos 4, et ad Galat. 3, Abraham ex fide, non ex operibus, et Jacobus qui eum ex operibus, non tantùm ex fide justificatum dicit : nam Paulus de operibus Mosaicæ legis ante fidem factis loquitur, Jacobus de operibus post fidem, et ex fide formatâ procedentibus, sicut utrumque apostolum perpetuò conciliat Augustinus; Judæi enim Romani dicebant gentem Judaicam promeruisse Christi fidem et justitiam per opera Mosaicæ legis : refellit eos Paulus,

quia Abraham non per opera illius legis, quam non acceperat, inquit Augustinus, lib. 83 Quæstion., quæst. 76, sed per fidem justificatus est; Jacobus verò contra eos qui negabant opera esse necessaria post susceptam Christi fidem, et Pauli doctrinam malè intelligebant, dicit Abrahamum ex fide quidem ut affirmat Paulus, esse justificatum, sed non ex fide mortuâ et otiosâ, sed ex fide vivâ et illustrium operum per charitatem operatrice : nam aliàs, ut loco citato notat Augustinus, si Paulus pugnaret cum Jacobo, pugnaret etiam secum, quando alibi dicit : *Factores legis justificabuntur*, ad Rom. 2, v. 13. Item : *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*, ad Rom. 8, v. 13; ad Gal. 5, v. 6, etc.

VERS. 25. — SIMILITER ET RAHAB MERETRIX; alii vertunt, *caupona;* nam Hebræi recentiores, זוֹנָה, *zonah*, Josue 2, v. 1, interpretantur non meretricem, sed cauponam à radice זָן, *zun*, id est, pascere, quasi pascens hospites adventantes : sed Septuaginta quos S. Jacobus et S. Paulus, Hebr. 11, v. 13, et S. Hieronymus in editione vulgari imitati sunt, ubique vertunt meretricem à radice זָנָה, *zana*, id est, fornicari Quidam etiam interpretes ex variis Scripturæ locis, ut Genes. 19, v. 2; Josue 9, v. 5; Judicum 19, v. 19, colligunt veteribus illis temporibus nullas fuisse tabernas cauponarias, seu publica hospitia, sed unumquemque solitum cibos et necessaria secum deferre, et hospitari vel in plateis, vel apud quemcumque qui vellet ei hospitii grâtiam facere. Licèt autem antea meretrix fuisset, tamen Salmoni abavo Davidis regis, qui erat ex principibus tribûs Juda, nupta est propter illustre beneficium præstitum exploratoribus et toti populo in primo ingressu terræ promissionis. Deinde providentia divina volebat eam inseri catalogo majorum Christi, Matth. 1, v. 5, ac per eam significari Ecclesiam gentium conjungendam populo Judæorum in terrâ promissionis, id est, in regno cœlorum, ut docet Augustinus in psal. 86. NONNE EX OPERIBUS JUSTIFICATA EST, justitiam adepta est; nec fortassè tantùm secundam, sed etiam primam, ut Beda et quidam alii existimant; incertum enim est an fuerit justificata antequàm exploratores exciperet hospitio; videtur tamen habuisse fidem quòd Deus Hebræorum esset verus Deus in cœlo sursùm et in terrâ deorsùm, Josue 2, v. 11, conceptam ex auditis miraculis siccati Rubri maris, debellatorum Amorrhæorum, etc., ibidem, v. 10. Fortassè verò in fide Messiæ, et in aliis necessitate medii ad salutem necessariis edocta est ab ipsis exploratoribus tempore quo apud eam quieverunt, antequàm à rege Jericho quærerentur, Josue 2, v. 1, unde ista prima susceptio exploratorum videtur fuisse tantùm dispositio ad plenam justificationem, sicuti ferè de Cornelio, Act. 10, existimat S. Augustinus, cap. 7, de Prædest. sanctorum, quem dicit indiguisse fide Christi præter fidem unius Dei, et ideò missum fuisse ad Petrum. SUSCIPIENS NUNTIOS; non autem mentiendo in ipsis occultandis, Josue 2, v. 5. *Remunerata enim est à Deo benignitas mentis, non iniquitas mentientis*, ait Augustinus. Græcè, *postquàm suscepisset nuntios.* Ita scilicet ut illa susceptio nuntiorum profecta ex fide unius Dei fuerit dispositio ad justificationem, veluti orationes et eleemosynæ Cornelii, Act. 14, v. 4. Nuntii illi à Josue missi fuerunt exploratores urbis Jericho; quinam autem illi fuerint, Scriptura non dicit : Hebræi divinant Caleb et Phinees nepotem Aaronis. ET ALIA VIA EJICIENS; intraverant enim per ostium, et ejecti sunt per fenestram. Ejectos potiùs dicit quàm dimissos, quia fune è fenestrâ festinanter et trepidè velut ejecti fuerant.

VERS. 26. — SICUT ENIM CORPUS SINE SPIRITU, sine animâ operationum vitalium principio. Aliqui *spiritum* ipsam operationem vitalem hìc interpretantur, sicut Isaiæ 26, v. 18 : *Concepimus et peperimus spiritum.* MORTUUM EST, desinit esse corpus vivens, etsi non desinat esse corpus : ITA ET FIDES (vera ac christiana) SINE OPERIBUS, ex spiritu charitatis profectis. Dicit potiùs, *sine operibus* quàm *sine charitate*, quia opera notiora sunt charitate, ut arboris fructus suâ radice. Deinde fides peccatoris pœnitentis, licèt careat charitate habituali, non est simpliciter mortua, quia habet opera charitatis, quæ ex gratiâ et charitate actuali proficiscuntur. Hæc autem actualis charitas est pars et quasi vitalitas ipsius operis. MORTUA EST, non est fides viva, licèt adhuc sit fides vera; fides enim non includit charitatem ut partem, sed eam sibi adsciscit ut compartem, sicut corpus animam ad exercendas operationes vitales. Ex hâc doctrinâ S. Jacobi refellit Augustinus, cap. 67 Enchiridii, quosdam Catholicos qui humanâ, ut ait, benevolentiâ decepti docebant illos qui super fidei mortuæ fundamentum ædificarent ligna, fenum, stipulam, 1 ad Cor. 3, v. 12, id est, fornicationes, homicidia, et alia peccata mortalia, ut interpretabantur, salvos futuros, sed quasi per ignem purgatorium; unde contra S. Jacobum sequebatur quòd fides mortua sine bonis operibus, imò cum malis et mortalibus operibus aliquos salvare posset : unde Augustinus ligna, fenum et stipulas, non peccata mortalia interpretatur, sed tales rerum secularium, concessarum tamen, cupiditates, ut sine dolore amitti non possint; quamvis illæ Christo non præponantur, id est, peccata venialia, ex nimiâ adhæsione ad res terrenas; in quibus si homo discedat, salvatur, sed tamen transit per ignem purgatorium.

CAPUT III.

1. Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumitis.

2. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Potest etiam freno circumducere totum corpus.

CHAPITRE III.

1. Mes frères, gardez-vous de l'ambition, qui fait que plusieurs veulent devenir maîtres, sachant que cette charge vous expose à un jugement plus sévère.

2. Car nous faisons tous beaucoup de fautes : si quelqu'un ne fait point de fautes en parlant, c'est un homme parfait; et il peut tenir en bride tout le corps.

3. Si autem equis frena in ora mittimus ad consentiendum nobis; et omne corpus illorum circumferimus:

4. Ecce et naves, cùm magnæ sint, et à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo ubi impetus dirigentis voluerit:

5. Ita et lingua modicum quidem membrum est, et magna exaltat; ecce quantus ignis quàm magnam silvam incendit!

6. Et lingua ignis est, universitas iniquitatis; lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, et inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata à gehennâ.

7. Omnis enim natura bestiarum, et volucrum, et serpentium, et cæterorum, domantur, et domita sunt à naturâ humanâ.

8. Linguam autem nullus hominum domare potest; inquietum malum, plena veneno mortifero.

9. In ipsâ benedicimus Deum et Patrem; et in ipsâ *maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti* sunt.

10. Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio. *Non* oportet, *fratres mei*, hæc ita fieri.

11. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam?

12. Numquid potest, fratres mei, ficus uvas facere, aut vitis ficus? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam.

13. Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bonâ conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ.

14. Quòd si zelum amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari, et mendaces esse adversùs veritatem.

15. Non est enim ista sapientia desursùm descendens, sed terrena, animalis, diabolica.

16. Ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum.

17. Quæ autem desursùm est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiâ et fructibus bonis, non judicans, sine simulatione.

18. Fructus autem justitiæ in pace seminatur facientibus pacem.

3. Ne voyez-vous pas que nous mettons des mors dans la bouche des chevaux, afin qu'ils nous obéissent, et qu'ainsi nous gouvernons tout leur corps?

4. Ne voyez-vous pas aussi qu'encore que les vaisseaux soient si grands, et qu'ils soient poussés par des vents impétueux, ils sont tournés néanmoins de tous côtés avec un très-petit gouvernail, selon la volonté du pilote qui les conduit?

5. Ainsi la langue n'est qu'une petite partie du corps: et cependant combien peut-elle se vanter de faire de grandes choses! Ne voyez-vous pas comment un petit feu est capable d'allumer une grande forêt?

6. La langue aussi est un feu. C'est un monde d'iniquité; et n'étant qu'un de nos membres, elle infecte tout notre corps; elle enflamme tout le cercle et tout le cours de notre vie, et est elle-même enflammée du feu de l'enfer.

7. Car la nature de l'homme est capable de dompter, et a dompté en effet toutes sortes d'animaux, les bêtes de la terre, les oiseaux, les reptiles;

8. Mais nul homme ne peut dompter la langue: c'est un mal qu'on ne peut contenir; elle est pleine d'un venin mortel.

9. Par elle nous bénissons Dieu notre Père; et par elle nous maudissons les hommes, qui sont créés à l'image de Dieu:

10. La bénédiction et la malédiction partent de la même bouche. Ce n'est pas ainsi, mes frères, qu'il faut agir.

11. Une fontaine jette-t-elle par une même ouverture de l'eau douce et de l'eau amère?

12. Mes frères, un figuier peut-il porter des raisins, ou une vigne des figues? Ainsi une fontaine d'eau salée ne peut jeter de l'eau douce.

13. Y a-t-il quelqu'un parmi nous qui soit sage et savant? qu'il fasse paraître ses œuvres dans la suite d'une bonne vie, avec une sagesse pleine de douceur.

14. Mais si vous avez dans le cœur une jalousie pleine d'amertume, et un esprit de contention, ne *vous glorifiez point, et ne mentez point contre* la vérité.

15. Car ce n'est pas là la sagesse qui vient d'en-haut, mais c'est une sagesse terrestre, animale et diabolique;

16. Car où il y a de la jalousie et un esprit de contention, il y a aussi du trouble, et toute sorte de mal.

17. Mais la sagesse qui vient d'en-haut est premièrement chaste, puis amie de la paix, modérée, docile, susceptible de tout bien, pleine de miséricorde et de fruits de bonnes œuvres: elle ne juge point, elle n'est point dissimulée.

18. Or, les fruits de la justice se sèment dans la paix, par ceux qui font des œuvres de paix.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — NOLITE PLURES, quàm oporteat, Græcè, *multi;* in multitudine enim, quia passim etiam semieruditi sine magno delectu aspirant ad honorem magisterii, plures fiunt quàm bono publico expediat: MAGISTRI FIERI, munus docendi alios arripere. Non improbat munus magisterii et officium doctoris, cùm Dominus in Ecclesiâ posuerit quòsdam, 1° apostolos, 2° prophetas, 3° doctores, etc., 1 ad Cor. 12, v. 28, sed multitudinem magistrorum, quæ ex superbiâ humanâ plerùmque nascitur, dùm quisque se aptiorem ad docendum quàm ad discendum credit. Ex hâc quoque multitudine schismata et diversitas doctrinæ oriri solent, dùm illi qui soliditate doctrinæ cæteris æquales se posse esse desperant, novitate singulares esse affectant: unde pluralitatem non tam doctorum quàm doctrinarum hìc à S. Jacobo prohiberi existimat S. Augustinus in Prologo retractationum. Magistri autem intelliguntur non tantùm illi qui in academiis cæteros docent, sed etiam episcopi et omnes Ecclesiæ pastores, quorum præcipuum ministerium est subditos docere et illuminare, non tantùm sacramenta administrare, ut docet S. Dionysius, lib. de ecclesiasticâ Hierarchiâ: *Labia enim sacerdotis custodient scientiam*, etc., Malach. 2, v. 7. *Nunc tamen ab omni ætate et ordine, à doctis pariter et indoctis ad ecclesiasticas curas curritur, tanquàm sine curis quisque victurus sit cùm ad*

curas pervenerit, ait S. Bernardus ad episcopum Senonensem. Hinc illa scientiæ divinæ siccitas in populis, *dùm onagri*, id est, asini silvestres, *steterunt in rupibus*, Jerem. 14, v. 6, hoc est, dùm illi qui per plana et inter discipulos adhuc ambulare deberent, ad cathedras et suggestus elevantur. SCIENTES (cogitantes et perpendentes) QUONIAM MAJUS JUDICIUM (quòd majorem damnationem et graviorem pœnarum sarcinam divino judicio imponendam) SUMITIS, in vos attrahitis, dùm tam multi non satis idonei munus docendi aut regendi alios ambitis; non enim vestra tantùm, sed etiam discipulorum et subditorum peccata vobis imputabuntur : nam Heli sacerdotis nulla peccata propria referuntur, ait S. Gregorius, sed tantùm propter peccata filiorum cadit de cathedrâ, unde eos malè docuerat, et fractis cervicibus expirat, 1 Reg. 4, v. 18. Ut etiam Deus ostenderet quàm grave sit onus docendi et regendi populos, præsertim in spiritualibus, jussit in rationali summi pontificis Judæorum, quod ante pectus dependebat, poni duodecim lapides pretiosos, nominibus duodecim tribuum insculptos, Exod. 28, v. 17, ut significaret episcopum et pastorem totius suæ plebis esse bajulum. In utroque etiam latere rationalis jussit *inseri urim et tummim*, id est, luces et perfectiones, vel, ut noster vertit, *doctrinam et veritatem*, Exod. 28, v. 30, quia pastor populum quem in pectore suo gestat, doctrinæ et operum veritate debet perficere.

VERS. 2. — IN MULTIS ENIM (ex ignorantiâ et concupiscentiâ, à quibus liberi non sunt etiam justi) OFFENDIMUS OMNES, impingimus, leviter saltem et venialiter, etiamsi apostoli simus et sancti : ut proinde periculosum sit cathedras magistrales et altiora loca appetere; si enim etiam in plano sic offendimus ut levi saltem casu terram attingamus, sanè ex loco eminenti periculum est gravioris lapsûs. Ex hâc sententiâ S. Jacobi, contra Cœlestium probat S. Augustinus, homines etiam justos sine peccato saltem veniali non posse vivere. Si nunquàm, inquit, cap. ult., de Perfectione justitiæ, vel in lapsu linguæ, vel in oblectandâ cogitatione desideriis peccati aliquantulùm consentiremus, non diceret Jacobus : *In multis offendimus omnes;* non *enim offendit nisi* cui mala concupiscentia contra justitiæ rationem appetendo, seu vitando, faciendum, dicendum, vel cogitandum aliquid, quod non debuit, sive fallens sive prævalens persuadet. SI QUIS IN VERBO NON OFFENDIT, tali offensione quam vitare humana *fragilitas potest*, *ut est verbum doli*, *detractionis*, maledictionis, superbiæ, jactantiæ, excusationis in peccatis, et graviorum ejusmodi linguæ delictorum, ut interpretatur Beda; item verbum levis mendacii, aut superfluum ex perfectâ deliberatione, quæ omnia vitare possunt et sæpè vitant viri perfecti. A linguæ autem offensâ maximè cavere debent doctores, qui verbo in fide et moribus alios instruunt; magnâ enim non tantùm scientiâ, sed etiam prudentiâ et circumspectione opus est in docendo, ne defectus fidei et morum, quibus discipuli per pravam doctrinam imbuuntur, magistris imputentur. Væ enim magistris qui in rebus fidei ingenio ludunt, et opinionum quæsitâ laxitate, morum christianorum severitatem et arctam cœli viam relaxant, studio *proficientes in pejus*, *errantes et in errorem mittentes*, 2 ad Tim. 3, v. 13. HIC PERFECTUS VIR, *non quòd tota perfectio in solâ* illâ linguæ temperantiâ consistat, sed quia ista continentia linguæ est index magnæ custodiæ cordis, magnæ sapientiæ mentis, magnæ perfectionis interioris, inquit Carthusianus. *Perfectus* autem hic intelligitur non omninò consummatissimus, sed quomodò homines fragiles perfecti dici solent, qui nec mortaliter, nec venialiter deliberatè facilè peccant : nam aliàs à levi peccato linguæ, vel alio veniali ex subreptione, præter Christum et sanctam ejus matrem, nemo liber fuit, nequidem Joannes Baptista qui tamen

Antra deserti teneris sub annis, etc.,
Ne levi saltem maculare vitam
Famine posset,

ut theologi communiter docent; nam *in multis offendimus omnes*, ut proximè dixit S. Jacobus; et : *Septies in die cadit justus*, Prov. 24, v. 16, et : *Quis est qui non delinquat in linguâ suâ?* Eccles. 19, v. 17. Licèt ergo charitate ardeant viri perfecti, flamma tamen eorum non est sine fumo. POTEST ETIAM FRENO (similis temperantiæ quâ refrenat linguam) CIRCUMDUCERE CORPUS, regere et refrenare oculos, aures, manus, pedes et omnia corporis membra, quæ sunt *arma iniquitatis peccato*, ad Rom. 6, v. 13.

VERS. 3. — SI AUTEM EQUIS. Græci sine conditionali legunt : *Ecce equis*, quam lectionem plerique interpretes commodiorem judicant; unde interpres noster videtur legisse ἴδὲ, id est, *si autem*, pro ἰδοὺ, id est, *ecce*, ut initio versûs sequentis. Sed lectio nostra, licèt nihil subintelligamus, recta quoque est, ut benè exponit Erasmus; sed concinnior erit si legamus, *si enim*, ut ratio reddatur proximè præcedentis; nam particula δὲ, id est, *autem*, apud Græcos non rarò sumitur pro γὰρ, id est, *enim*, ut notant grammatici. FRENA IN ORA MITTIMUS, partem illam frenorum ferream, quæ ori equi inseri solet, et lupatum aut lupus appellatur. Docet Apostolus duplici et eleganti linguæ cum freno equi et gubernaculo navis comparatione, quantùm ad omnem virtutem valeat refrenatio linguæ. AD CONSENTIENDUM NOBIS, ad obediendum nobis; ET OMNE (etiam totum) CORPUS ILLORUM CIRCUMFERIMUS, circumagimus ut progrediantur, regrediantur, quiescant, ad latera decliment, *in pedes se erigant aut* submittant, et hæc omnia multò faciliùs et efficaciùs quàm si virgâ aut verberibus eos adigere aut coercere velimus. Hâc ergo comparatione Apostolus indicat quòd frenum linguæ non tantùm silentio, sed etiam modestæ et discretæ locutioni debeat inservire, sicuti freno non tantùm sistitur, sed circumfertur et regitur equi motus; non enim laudantur *canes muti non valentes latrare*, Isaiæ 56, v. 10, et idem propheta : *Væ mihi*, inquit, *quia tacui*, Isaiæ 6, v. 5. *Lingua* igitur nostra debet esse sicut *calamus scribæ velociter scribentis*, ps. 44; veloci enim calamo linguam velociorem esse

non oportet, sed ut calamus non impetu inconsulto, sed deliberatè omnia verba scribit, ita lingua voces suas eloqui debet.

VERS. 4. — ECCE ET NAVES (altera comparatio linguæ cum gubernaculo navis) CUM MAGNÆ SINT, ut bellicæ naves et quæ mare navigant; ET A VENTIS VALIDIS, Græcè : *Ventis duris* (id est, asperis et intractabilibus) MINENTUR, agantur et impellantur. *Minare* est verbum Tuscum antiquæ Latinitatis, quo interpres noster, Exod. 3, v. 1, et sæpè in veteri Testamento usus est. Ab hâc voce Galli formaverunt suum *mener*, ejusdem ferè significationis. CIRCUMFERUNTUR, circumaguntur versùs quemlibet cœli cardinem, etsi venti ac fluctus sæpè resistant. A MODICO (Græcè : *A minimo*) GUBERNACULO, à clavo, qui valdè parvus et quasi minimus est, si ad universam navis machinam comparetur; UBI IMPETUS DIRIGENTIS VOLUERIT, id est, quòcumque gubernator impetu gubernaculi vertere et dirigere navem voluerit; gubernaculum enim navi est sicut cauda pisci, ad flectendum hùc et illùc navis motum. Pulchrè autem lingua cum gubernaculo, et totus homo cum navi comparatur : si enim homo supinus jaceat, spina dorsi, ut notant medici, est instar carinæ navis, costæ tanquàm latera, pedes prora, caput puppis, mens in capite præsidens est gubernator in puppi, lingua in ore tanquàm in aquâ natans est instar gubernaculi, quo totum corpus à mente regitur. Beda verò sensu spirituali : Naves magnæ in mari, inquit, sunt mentes hominum in hoc seculo; venti validi, appetitus quibus ad bonum vel malum impelluntur; gubernaculum, intentio cordis, quâ per hujus seculi fluctus electi in portum salutis, reprobi in Scyllam et Charybdim navigant; electi enim per bonorum æternorum, reprobi per temporalium intentionem, tanquàm per gubernaculum, actiones et navigationem suam dirigunt.

VERS. 5. — ITA ET LINGUA (freno equi et gubernaculo navis simillima) MODICUM QUIDEM MEMBRUM est (si moles ejus spectetur, non si virtus) et MAGNA EXALTAT; et tamen res magnas facit et in altum quasi extollit, sive in bonum, sive in malum; unde vis ejus à prudente gubernatore meritò refrenari debet. Græcè unico verbo composito, *magnajactat*, sive *magnagloriatur*, ut Arias vertit; et quidam codices latini, *magna exultat*, nempe jactando et gloriando magnificè. Sed interpres noster videtur jactantiam illam non tantùm in malam partem (quomodò ferè accipi solet), sed etiam in bonam accepisse, ideòque, *magna exaltat*, vertisse, quasi lingua res tam bonas quàm malas possit magnificè exaggerare; quod melius convenit cum similitudine freni et gubernaculi, quibus eques aut nauta possunt benè vel malè uti. ECCE QUANTUS IGNIS, flammula aut scintilla una. QUAM MAGNAM SILVAM INCENDIT; aliquando enim parvus ignis in materiam aridam cadens, et vento deinde adjutus, universam silvam comprehendit. Alii tamen ὕλην, non SILVAM, sed *materiam* vertunt; quia vox ista Græca utrumque significat; magna autem ista materia sunt congeries lignorum et alimentorum ignis, ut in rogis aut ædificiis ligneis; quæ à levi flammulâ uno ferè momento aliquando in cineres abit.

VERS. 6. — ET LINGUA IGNIS EST, similis igni omnia incendens et populans; quod, ut notat Beda, de linguâ præsertim hæreticorum et falsorum doctorum verum est, quorum occasione in mala et vitia linguæ sanctus Jacobus tam fusè hìc excurrit. *Arius Alexandriæ una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa, totum mundum populata est*, ait S. Hier. Tales scintillæ Lutherus et Calvinus, latiori et diuturniori incendio magis quàm Arius orbi christiano exitiales. UNIVERSITAS (Græcè, *mundus*) INIQUITATIS, universum quoddam et mundus omnium iniquitatum : nam sicuti mundus universas creaturas in se complectitur, ita lingua universas iniquitates et peccata in se continet. Simili figurâ à Græcis aliquid dicitur *ilias malorum*, quod innumeris malis et calamitatibus plenum est, quia in Iliade quâ Homerus bellum Trojanum cantavit, varii et luctuosi casus et innumera mala narrantur. Omnia autem genera peccatorum aut linguâ ipsâ committuntur, ut mendacia, blasphemiæ, detractiones, perjuria, etc.; aut linguâ suadente ac impellente, ut fornicationes, furta, homicidia, etc., perpetrari possunt. LINGUA (Græcè, *sic lingua*, quod clariùs cum sententiâ proximè præcedenti coheret) CONSTITUITUR IN MEMBRIS NOSTRIS. Ab Auctore naturæ inscritur inter membra nostri corporis, tanquàm modicum membrum et cæterorum velut appendix. QUÆ MACULAT TOTUM CORPUS; quæ tamen cætera omnia membra maculis peccatorum contaminat, dùm irritat passiones animi, quæ foras prorumpunt, et desideria sua per membra corporis, tanquàm per arma iniquitatis, ad Rom. 6, v. 13, exequuntur. Sic verba cum muliere procatoria accendunt primò libidinem, deinde oculos, aures, manus, etc., impudicitiâ contaminat. Similiter lingua conviciis et rixis, manus, pedes, ac totum corpus ad pugnas et homicidia impellit. Lingua igitur parvulum quidem membrum est, sed simile pennæ aquilæ, quæ unica cæterarum volucrum pennis mixta omnes corrumpit, ut physici narrant. Probat ergo Apostolus quod proximè dicebat, linguam esse universitatem iniquitatis. Alii per *corpus*, mystico sensu universam multitudinem actionum humanarum intelligunt, sicut Christus in Evangelio : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*, Lucæ 11, v. 34. ET INFLAMMAT, libidine, irâ et omnibus passionum ignibus. Ostendit, quod paulò ante dixerat, linguam esse ignem. ROTAM NATIVITATIS NOSTRÆ, totum circulum et curriculum vitæ nostræ, quod à nativitate usque ad finem, instar rotæ per dierum, mensium et annorum revolutiones circumcurrit; licèt enim vitia quædam alia certis ætatibus finiantur, loquacitas tamen et intemperantia linguæ per omnes ætates currit, et solùm cum vitâ finitur. Item *rotam nativitatis nostræ* dicit, inquit Beda, quia merito primæ prævaricationis ab internâ stabilitate dejecti, hùc illùc mente vagâ raptamur, et incertis per cuncta discursibus, ubi periculum, ubi salus ignoramus. INFLAMMATA (ipsa lingua flammanti-

bus ad male loquendum suggestionibus) A GEHENNA, ab igne tartareo, sive à diabolo cive gehennæ infernalis; sicut enim cœlum pro angelis cœli habitatoribus accipitur, ita gehenna et infernus pro dæmonibus; vel, quia dæmon ignis sui gehennalis pœnas semper secum defert, vocatur gehenna, sicut hominem in patibulo pendentem, aut patibulo dignum, patibulum solemus vocare. Dæmones enim, inquit Beda, sive in aere volitent, sive in terris, aut sub terris vagentur, aut delineantur, suarum semper ferunt secum tormenta flammarum, instar febricitantis, quem in lectis etiam eburneis et ubique sua febris sequitur. *Gehenna* autem, sive Græcè, Γέεννον, propriè erat vallis juxta Hierosolymam ad radices montis Moria, plena deliciis et irrigua fontibus Siloe, in quâ lucus erat consecratus Baal, sive Moloch, idolo Ammonitarum, cui populus, desertâ templi Salomonis vicinià, quod in ipso monte Moriâ ædificatum erat, 2 Paralip. 3, v. 1, hostias immolabat, ita ut rigorem religionis deliciæ vincerent, ait S. Hier., Matth. 10. Solebant autem filios et filias infandâ crudelitate vivos isti idolo per ignem immolare; unde primùm à Salvatore, ait ibidem Hieronymus, gehenna pro inferno posita est, nec in veteris Testamenti libris hâc significatione reperitur. Videntur tamen Judæi etiam ante tempora Christi cœpisse sic usurpare: nam idem Hier., Jeremiæ 8, dicit Hebræos tradere quòd gehenna ex hâc valle Γέεννον sit appellata.

VERS. 7. — OMNIS ENIM NATURA BESTIARUM, ferarum, ut vox Græca significat; non enim de bestiis cicuribus et à naturâ ipsâ domitis, ut bobus, ovibus, canibus, sed de leonibus, pardis, tigridibus, etc., loquitur. ET VOLUCRUM, ut non tantùm gallinæ et columbæ, sed corvi, picæ, aquilæ, falcones, et omnia genera rapacium. ET SERPENTIUM, ut sunt aspides, dracones, etc. ET CÆTERORUM; piscium genus intelligit, qui post bestias, volucres et serpentes, restabant soli; unde Græcus *marinorum* legit; suspicanturque multi interpretem nostrum vertisse, non *cæterorum*, sed *cetorum*, speciem marini piscis accipiendo pro toto genere. DOMANTUR (id est, domari solent) ET DOMITA SUNT. Et aliqua domita fuisse vidimus aut legimus. A NATURA HUMANA, ingenio et industriâ humanâ, etiam postquàm obedientiæ humanæ bruta subtracta sunt per peccatum primi hominis. Sic leones jugo subditos et ad currum Romæ junctos à Marco Antonino apud Plinium legimus; imperatorem Heliogabalum habuisse leones et leopardos, qui vocati ad mensam accurrerent et accumberent, ut refert Lampridius; falcones et accipitres ad aucupium cicurari quotidiè videmus; draco serpens Tiberio Cæsari in oblectamentis fuit, tam mansuetus ut etiam manu ejus cibaretur, ut cap. 52 Vitæ ejus narrat Suetonius; denique inter pisces delphini et murenæ cicures redduntur.

VERS. 8. — LINGUAM AUTEM NULLUS HOMINUM (industriâ suâ et viribus humanis) DOMARE POTEST, ita ut nunquàm delinquat, licèt divinâ gratiâ et adjutorio domari possit, ut exponit Augustinus, cap. 15, de Naturâ et Gratiâ contra Pelagium. Beda et Carthusianus, non de propriâ, sed de alienâ hominum pravorum linguâ, quam nemo sapientùm domare potest, hoc accipi posse dicunt; et hunc sensum præferunt aliqui recentiores. Sed præcipuè agi de propriæ linguæ refrenatione, colligitur ex v. 2. Pelagius hunc locum additâ interrogationis notâ sic corrumpebat: *Cùm omnis natura bestiarum*, etc., *domentur, ergone linguam nullus hominum domare potest?* ut ostenderet homini esse facile domare linguam et vivere sine peccato. Quam etiam lectionem et expositionem Œcumenius imprudenter est secutus; cùm enim Apostolus mox vocet linguam, *inquietum malum*, etc., satis significat se loqui de re quam non facile, sed difficillimum sit domare. Sed quare ergo, v. 10, monet Apostolus domandam esse linguam, inquiunt Pelagius et Œcumenius, si id sit impossibile? Respondet Augustinus: *Non hoc dixit ut hujus in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur, sed ut ad domandam linguam divinæ gratiæ poscamus auxilium. Conetur ergo anima domare linguam, et dùm conatur, divinum poscat auxilium.* Et addit generaliter de omni præcepto divino: *Itaque præcepto facere commonemur, quod conantes et nostris viribus non valentes, adjutorium divinum precemur.* Ubi S. Augustinus clarè supponit non omnes habere semper adjutorium sufficiens ad implendum præceptum, aliàs enim non esset necesse pro illo obtinendo precari. INQUIETUM MALUM, cujus motus inordinati coerceri et comprimi non possunt, ut vox Græca sonat. Quia enim lingua est mentis et imaginationis interpres, vagos et inquietos imaginationis motus imitatur, ut quidquid in imaginatione se movet, in linguâ garrulâ tanquàm in cymbalo imaginationi apposito statim tinniat; unde illi quibus maximè vaga et infirma est imaginatio, ut pueris, senibus, feminis, maximè sunt loquaces. Meritò ergo laudantur labia sponsæ, quæ fluentes et vagas cogitationes capitis coercent, ut vitta crines, et coccinea sunt colore charitatis quando nihil distillant nisi flammulas amoris: *Sicut vitta coccinea labia tua*, Cantic. 4, v. 3. PLENA VENENO MORTIFERO, quo instar serpentis proximi famam, corpus, animam interimit, cùm famæ detrahit, rixas et homicidia suscitat, impudicitiam instillat. *Venenum aspidum sub labiis eorum*, psalm. 13.

VERS. 9. — IN IPSA (per ipsam) BENEDICIMUS DEUM (laudamus et glorificamus Deum unum et trinum) ET PATREM, qui Pater noster est creando naturam, et adoptando per gratiam. ET IN IPSA, et per eamdem linguam (quod absurdissimum est) MALEDICIMUS HOMINES; mala de hominibus dicimus detrahendo, aut etiam mala imprecamur odiendo. Legimus tamen sanctos homines aliquando peccatoribus maledixisse, ut Petrum Simoni Mago, Act. 8, v. 20, sed legitimâ auctoritate et zelo justitiæ, non appetitu vindictæ, ait Carthusianus. QUI AD SIMILITUDINEM DEI (ad imaginem Dei) FACTI SUNT; nam in mente humanâ, qui est supremus apex animæ, impressa est Dei imago,

sive intellectus et voluntas, quibus homo cætera animalia excedit, et Deo fit similis; unde sicut Deus omnibus creaturis dominatur, ita homo, imago Dei, omnium animalium dominus constitutus est, *ut præsit piscibus maris et volatilibus cœli*, etc., Genes. 1, v. 26. Qui autem maledicit imagini regis, regi ipsi quodammodò maledicit, quia imaginis injuria in prototypum redundat.

Vers. 10. — Ex ipso ore; unde sequitur hoc absurdum quòd ab ipso uno et eodem ore, in quo lingua volvitur, procedit benedictio (Dei in se) et maledictio Dei ejusdem in suâ imagine. Non oportet; pessimum est, ad leniendam enim correptionem minùs dicit quàm intelligatur; fratres mei; et hæc quoque tam amica compellatio ad correptionis mollimentum facit; debet enim correptio, ait quidam, esse instar lactucæ optimè conditæ, quæ plus olei quàm aceti habere debet; hæc ita fieri, ut ex eodem ore vestro benedictio et maledictio, res tam discordes et contrariæ, effluant; quod probat similitudine.

Vers. 11. — Numquid fons; exemplis enim naturalibus sæpè ostendit naturæ Auctor quid in moribus à nobis fieri velit aut nolit; de eodem foramine (scaturigine fontis) emanat (emittit; verbum enim neutrum sumit activè) dulcem et amaram aquam? Minimè hoc fieri solet, et licèt inter naturæ miracula à Plinio narretur fons Solis apud Troglodytas frigidam et fervidam circà meridiem, dulcem et amaram circa medium noctis emanans aquam, utraque tamen aqua in eodem fontis receptaculo permixta nequaquàm dulcis simul et amara manet, sed dulcis ab amarâ inficitur et amarescit; ita benedictio et maledictio in eodem ore, inquit Beda, convenire non possunt, sed dulcedinem benedictionis amaritudo maledictionis consumit: *Non* enim *est speciosa* Dei *laus in ore peccatoris*, Eccles. 15, v. 9; peccator autem est qui homini imagini Dei maledicit. O quotus hodiè est eorum qui falluntur numerus, ait Catharinus, qui cùm habeant cor plenum detractione aut amore hujus mundi, putant quibusdam precuiis quas assiduè submurmurant placere Deo, et peccata sua sub istâ hypocrisi coram illo tegi?

Vers. 12. — Numquid potest, fratres mei; alio exemplo naturali ostendit esse contra rationem quòd ex eodem ore procedant benedictio et maledictio; ficus uvas facere, ex se producere; quod nequaquàm fieri potest, quia unaquæque arbor fructus sui tantùm generis producit. Græci, *Ficus olivas facere;* quomodò etiam legit Beda; unde Gagnæus putat interpretem nostrum eodem modo vertisse, sed ab alio postea, *olivas*, in *uvas* conversas fuisse propter nomen *vitis*, quod statim sequitur. Licèt autem surculus unius arboris alteri diversæ speciei, ut oleæ surculus ficui, inseri possit, surculo tamen, non radici, fructus imputantur. Ficus arbor ad dulces fructus gignendos à naturâ facta amaras contra naturam olivas mysticè facit, quando lingua ab Auctore naturæ ad benedictionem data maledictionem producit. Aut vitis ficus? quod etiam per naturam fieri nequit. Mysticè autem, inquit Beda, vitis vinum divini amoris significat, Jesus excusationem in peccatis, quia primi parentes foliis ficûs pudenda sua post peccatum texerunt. Non facit ergo, inquit, vitis ficus, quia qui divinâ dilectione se perfectè inebriat, nullum jam de suis erroribus nisi seipsum accusat. Rectè autem lingua arbori comparatur, quia sicut arbor non semper, sed certo anni tempore fructus suos gignit et maturat, ita lingua prudentis non est præcox et præceps, sed verba corde concepta maturè et suo tantùm tempore profert; licèt enim *semper in corde veritas loquenda sit, non* tamen *semper in ore, si causa cavendi majoris mali aliud quàm in animo est proferri exigat*, ait S. Augustinus, cap. 16 de Mendacio. Unde Christus, qui ipsa veritas et sapientia erat, non statim ab initio se manifestavit, sed tempus congruum expectavit, ait S. Th. Sic neque, salsa (aqua marina) dulcem potest facere aquam, præbere potest aquæ dulcis haustum. Quomodò v. 11 dixit fontem aquæ dulcis non dare amaram aquam, ita hic contra ait mare salsum, sive amarum, non posse dare aquam dulcem. Quibus omnibus naturæ exemplis dissimilis est lingua, monstrum quoddam in humanis moribus, quod dulce et salsum, et fructus alterius naturæ quàm eos ad quos condita est, fundere potest.

Vers. 13. — Quis sapiens, rerum divinarum scientiâ imbutus, quæ necessaria est iis qui aliorum in fide christianâ volunt esse magistri. Post satis longam digressionem contra loquacitatem et peccata linguæ, redit ad instructionem magistrorum, quos initio capitis ab ambitu cathedræ magistralis deterruerat. Et disciplinatus inter vos, disciplinis humanis instructus, Græcè enim: *Sciens inter vos.* Scientia autem quando distinguitur à sapientiâ, versatur circa res humanas et inferiores, quibus fides adjuvatur, et ad captum humanum explicatur; unde *alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ*, etc., 1 ad Cor. 12, v. 8. Si quis ergo talis sit inter vos, et proinde ad cathedram magisterii videatur esse idoneus, ostendat ex bona conversatione, quâ probè et sanctè inter homines conversatur, operationem suam; Græcè: *Opera sua.* Virtutum quibus præditi esse debent doctores et Ecclesiæ prælati; non enim doctori satis est verbo sapientem et scientem esse, nisi etiam sit opere; opera enim et exempla potentiùs erudiunt quàm verba, nam verba suadent, opera quodammodò cogunt; unde Paulus dicit se restitisse Cephæ in faciem non quia verbo docebat, sed quia exemplo cogebat gentes judaizare, ad Galat. 2, v. 14. In mansuetudine sapientiæ, cum mansuetâ sapientiâ; nihil enim amabilius, et ad regendum subditos efficacius prælato sapiente et mansueto. Hujus rei elegans figura in prophetâ Elisæo, qui filium Sunamitidis baculo suo suscitare non potuit, 4 Reg. 4, v. 31, sed suscitavit incurvando se super eum, accommodando se ei, et carne suâ molliter calefaciendo carnem ejus, ibidem v. 34. Debet tamen mansuetudo modico rigore temperari, sicut apis mel habet cum aculeo, aut sicut in arcâ erat virga districtionis et manna dulcedinis, ait

S. Gregorius. Optimus ergo ille doctor et prælatus, qui nec nimiâ mansuetudine despectus, nec rigore terribilis.

VERS. 14. — QUÒD SI ZELUM, *fervorem animositatis*, AMARUM HABETIS; EX amaritudine cordis, seu ex invidiâ ebullientem. Præter zelum amarum est etiam zelus dulcis, qui est charitatis fervor, à quo apostolus Simon vocatus est Zelotes, inquit Beda; zelus enim est vocabulum medium, quod in Scripturâ nunc in bonam, nunc in malam partem accipitur. Zelus invidorum rectè appellatur amarus, quia invidia est affectus amarissimus discrucians corda invidorum, et in linguam eorum eructans, suoque maledico veneno alios aspergens; unde poeta, invidiam describens :

Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno.

Invidere autem propriè est eorum qui dignitates et bona hujus mundi valdè amant et æstimant; si enim crederent nihil esse verè magnum nisi solum Deum, neminem propter res terrenas et viles admirarentur, nemini eas invidirent. Hinc ut quisque animo excelsior est, ab invidiâ quòque longiùs abest. Unde de magnanimis illis Romanis ante bella civilia quispiam Judæ Machabæo narrat non esse invidiam, neque zelum inter eos, 1 Machab. 8, v. 16. ET CONTENTIONES, quibus de magisterio et cathedris propter gloriam aut lucellum inter vos contenditis, SINT IN CORDIBUS VESTRIS, non tantùm in actu externo, sed in affectu intimo : quod fit quando res illæ de quibus est contentio, præclaræ et admirabiles æstimantur. NOLITE GLORIARI (de sapientiâ et scientiâ vestrî) ET MENDACES ESSE ADVERSUS VERITATEM, et mentiri gloriando de sapientiâ et scientiâ vestrâ tanquàm verâ, dùm falsa sit : quod mox probat.

VERS. 15. — NON EST ENIM ISTA SAPIENTIA (quæ zelum amarum et contentiones parit) DESURSUM DESCENDENS, à Patre luminum, qui est fons unde vera sapientia et omne donum perfectum descendit, ut cap. 1, v. 17, dixit. Et, licèt illud intellectûs lumen amari et contentiosi magistri, donum Dei esse possit, tamen, quatenùs sapientia est, connotat saporem, sive affectum voluntatis, qui, quia amarus et contentiosus est, non desursùm à Deo descendit : vera enim sapientia debet instar apis ceram et mel habere, ut accendat lumen scientiæ et infundat dulcedinem gratiæ. Unde dæmones non dicuntur sapientes, licèt magnam rerum divinarum humanarumque scientiam habeant; licèt ab hâc scientiâ dæmones, id est, scientes vocari possint, quia vocabulum *scientia* non ita connotat saporem, id est, affectum bonum voluntatis, sicut *sapientia*. Potest tamen scientia dæmonum et hominum pravorum dici etiam falsa scientia, quia adulteratur et quodammodò falsificatur, dùm quis eâ ad pravos mores abutitur : quandoquidem si scientia vera ad mores applicari possit, ad bonos potiùs quàm ad malos applicari debeat; nam verum intellectûs si ad praxim applicetur, est naturâ suâ propter bonum voluntatis. SED TERRENA, lucrorum terrenorum appetens; ANIMALIS, voluptatibus animalibus inhians. Notat Beda vocem *animalis* hoc loco ab animâ, non ab animali deduci; anima autem quando à spiritu distinguitur, propriè significat gradum animæ sensitivum, quo homines et bruta carnales voluptates sensibus *percipiunt, et appetitu sensitivo in eas feruntur.* DIABOLICA, superba et ambitiosa propter imitationem superbiæ diaboli, ait S. Thom., qui *est super universos filios superbiæ*, Job. 41, v. ult. Hæc ergo sapientia est mater omnis operis pravi, ut versu sequenti dicet, quia ex eâ manant tres generales omnium vitiorum *fontes* : amor terrenorum, sive avaritia; amor carnalium voluptatum, sive luxuria; et diabolica superbia. Nam *omne quod est in mundo est concupiscentia carnis* seu luxuria, *et concupiscentia oculorum* seu avaritia, *et superbia vitæ* seu ambitio, 1 Joan. 2, v. 16, juxta triplex genus bonorum quæ appetuntur à mundi hominibus, quæ sunt voluptates carnis, divitiæ et honores.

VERS. 16. — UBI ENIM ZELUS (fervor ille animosus ex amaritudine invidiæ ebulliens) ET CONTENTIO, pro adipiscendis cathedris, lucris et honoribus IBI INCONSTANTIA. Arias et alii vertunt *tumultuatio*. Inconstantia tumultuosa, quâ contendentes et contra se pugnantes hùc illùc discurrunt, ut vitent aut offendant hostem : quod ad oculum videre est in iis qui zelant et contendunt pro eâdem dignitate, sive ecclesiasticâ, sive seculari discurrentes, sollicitantes, munera aut promissa per se aut per suos ingerentes, laudibus se efferentes, rivales suos probris onerantes, etc. Hæc autem inconstantia fluctuantis mentis ex eo oritur, quod ad unam superni intuitûs anchoram se figere neglexit, inquit Beda; mens enim quæ ad unum incommutabile bonum in omnibus suis desideriis non aspicit, necessariò instabilis est : vinculo enim amoris, quo stabili bono religari debebat, destituta, necesse est, ut hàc illàc vaga et inconstans inter cupiditates perpetuò fluctuet : *Impii* enim *quasi mare fervens quod quiescere non potest*, Isaiæ 57, v. 20; *Optimum* ergo *est gratiâ stabilire cor*, ad Hebr. 13, v. 9. ET OMNE OPUS PRAVUM; talis enim est fructus actionis, ait Beda, qualis est radix cordis : unde cor zelo amaro et contentione plenum non nisi amaros et pravos fructus producere potest, quantumvis in superficie dulces et formosi appareant hominibus; *non* enim *potest arbor mala bonos fructus facere*, Matth. 7, v. 18. Meritò ergo Hebræos monet alter Apostolus : *Pacem sequimini cum omnibus, ne qua radix amaritudinis sursùm germinans impediat*, ad Hebr. 12, v. 14 et 15.

VERS. 17. — QUÆ AUTEM DESURSUM EST SAPIENTIA. Origine cœlestis, non terrena; spiritualis, non animalis; divina, non diabolica : hæc autem est illa sapientia quâ omnes veri magistri sapere debent. PRIMUM QUIDEM PUDICA EST, id est, abstracta ab omnibus voluptatibus venereis et carnalibus; non est enim animalis, sed spiritualis. Hoc autem primum est in Christiano et vero sapiente, ut à luto rerum carnalium expeditus in libertatem spiritûs se asserat. DEINDE PACIFICA, non enim contendit cum aliis, et in seipsâ quoque tranquilla et pacifica est, carnem ex spiritu, spiritum ex Deo suspendens. MODESTA; in habitu, gestu

et omni conversatione composita, sedata, civilis, et de jure suo facile aliquid cedens, ut vox græca sonat : sicut enim aqua tranquilla esse debet ut imaginem solis exprimere valeat, ita mens modesta et pacifica ut divinæ sapientiæ radium excipiat. De sapientiâ verò hujus mundi quæ labore et studio acquiritur, ait Sapiens : *In multâ sapientiâ, multa indignatio*, Eccli. 1, v. ult.; tales enim sapientes ex multo studio solent fieri melancholici, iracundi, difficiles et morosi. SUADIBILIS, flexibilis, et sententiam suam in meliùs facilè mutans ; non enim est verè sapiens, inquit Carthusianus, qui proprium judicium aliorum judicio obstinatè præponit, unde Petrus, princeps apostolorum, resistenti sibi in faciem Paulo, ad Galat. 2, v. 11, statim cessit. Contra, sapientia hujus seculi pertinax est et obstinata ; hinc Paulus dicit se abundantiùs omnibus apostolis laborâsse, 1 ad Cor. 15, v. 10, quia doctor gentium constitutus, ut notat Irenæus, philosophis Græcorum humanâ sapientiâ tumentibus, et in opinione suâ pertinacissimis, prædicare debuit. BONIS CONSENTIENS, melioribus facilè acquiescens, quod idem est ac esse *suadibilem ;* unde in Græco nihil huic particulæ respondet, ut quidam non de nihilo existiment ex duabus versionibus idem bis in nostro textu Latino inculcari. PLENA MISERICORDIA ; non tantùm misericors, sed cum plenitudine, quam abundanter in omnes pauperes et egenos effundit, dando, visitando, consolando, etc. Novit enim verus sapiens miseriam et fragilitatem hominum, novit quoque Deo proprium esse misereri, et sapientis esse creatorem imitari. Et FRUCTIBUS BONIS, bonis operibus externis, quæ sunt veluti fructus boni arboris bonæ, id est bonæ voluntatis, ut explicare solet Augustinus. *Quid est autem*, inquit Augustinus, *bona voluntas, nisi charitas?* NON JUDICANS, non præceps aut facilis ad judicandum ; sapiens enim non nisi de rebus exploratis judicat. Ubi verò ei non certò constat, judicium suspendit ; unde inter paradoxa Stoicorum unum erat : *Sapientem nunquàm falli.* Quod verum esse probat Lactantius, quia in re incertâ præcipitare sententiam, est hominis temerarii et stulti. Hinc Epictetus, philosophus stoicus, monet judicium de internis hominum affectibus plerùmque suspendendum esse, ne fallamur, unde si quem fortè vino ingurgitantem vidisset, non judicabat, aut dicebat : Iste intemperatè bibit, sed : Multùm bibit ; si quem cum feminâ secretò fabulantem, non suspicabatur, aut dicebat : Vult fornicari, sed : Diù cum illâ loquitur, etc. Unde enim mihi constat, inquiebat, de pravâ ejus intentione? Quod utinam Christiani imitarentur, qui ad temeraria judicia et detractiones hodie sunt tam proni! Arias tamen et alii vertunt ex Græco : *Non dijudicans*, ut vera sapientia significetur non dijudicare, et discrimen sine causâ inter personas facere, quia non est personarum acceptrix : quomodo verbum *judicare* accepit ante interpres, c. 2, v. 1. SINE SIMULATIONE ; ideò enim Christus cum prudentiâ serpentinâ junxit simplicitatem columbinam, Matth. 10, v. 16, et sponsæ suæ oculos, columbarum appellat, Cantic. 6, v. 3, et vicissim oculi sponsi sicut oculi columbæ super rivulos aquarum, Cantic. 5, v. 12 ; oculi enim sponsi Ecclesiæ, qui est ipsa sapientia et veritas, simplices sunt, et ad nudam tantùm veritatem aspiciunt. Oculos autem vulpinos, qui obliquis aspectibus semper circumspiciunt unde alios circumvenire et decipere possint, detestatur : istæ enim sunt vulpes parvulæ florentem Ecclesiæ vineam demolientes, quæ capi jubentur in astutiâ suâ, Cantic. 2, v. 15. *Ab istis deridetur simplicitas justi, quorum sapientia est*, ait S. Gregorius, *cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare.*

VERS. 18. — FRUCTUS AUTEM JUSTITIÆ, quem justitia tanquàm arbor bona producit ; hic autem fructus paulatim per incrementa justitiæ meritoriè indies augetur, et tandem in gloriam æternam, quæ est ultimus et perfectus justitiæ fructus maturescit. IN PACE, non in amaritudine zeli et contentione, de quibus v. 4. Sicut enim in Deo trino summa est pax et voluntatis consensus, imò identitas, ita similem pacem et consensum inter membra sua vult Christus : *Omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te*, Joan. 17, v. 21. SEMINATUR, per actus virtutum, et præcipuè charitatis, sine quâ cæteræ virtutes steriles sunt. FACIENTIBUS PACEM, servantibus pacem christianam in vinculo charitatis, quæ mater est pacis. Hæc autem pax et animorum concordia maximè à magistris ecclesiasticis et religiosis servari debet, quibus præcipitur ut laudent Deum in tympano et choro. Quidam autem laudant Deum in tympano qui siccam suam pellem tendunt et mortificant, sed non in choro, quia concordiam deserunt, ait S. Gregorius.

CAPUT IV.

1. Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc, ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?

2. Concupiscitis, et non habetis ; occiditis et zelatis, et non potestis adipisci ; litigatis et belligeratis, et non habetis, propter quod non postulatis.

3. Petitis, et non accipitis, eò quòd malè petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.

4. Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi

CHAPITRE IV.

1. D'où viennent les guerres et les procès entre vous? N'est-ce pas de vos passions, qui combattent dans votre chair?

2. Vous êtes pleins de désirs, et vous n'avez pas ce que vous désirez : vous tuez, et vous êtes jaloux, et vous ne pouvez obtenir ce que vous voulez : vous plaidez, et vous faites la guerre les uns contre les autres, et vous n'avez pas néanmoins ce que vous tâchez d'avoir, parce que vous ne le demandez pas à Dieu.

3. Vous demandez et vous ne recevez point, parce que vous demandez mal, demandant pour avoir de quoi satisfaire vos passions.

4. Ames adultères, ne savez vous pas que l'amour

inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse seculi hujus, inimicus Dei constituitur.

5. An putatis quia inaniter Scriptura dicat : Ad invidiam concupiscit spiritus qui habitat in vobis?

6. Majorem autem dat gratiam. Propter quod dicit : Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

7. Subditi ergo estote Deo, resistite autem diabolo, et fugiet à vobis.

8. Appropinquate Deo et appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores; et purificate corda, duplices animo.

9. Miseri estote, et lugete, et plorate; risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mœrorem.

10. Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos.

11. Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem. Si autem judicas legem, non es factor legis, sed judex.

12. Unus est legislator et judex, qui potest perdere et liberare.

13. Tu autem quis es, qui judicas proximum? Ecce nunc qui dicitis : Hodiè aut crastino ibimus in illam civitatem, et faciemus ibi quidem annum, et mercabimur, et lucrum faciemus;

14. Qui ignoratis quid erit in crastino.

15. Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis : Si Dominus voluerit, et : Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.

16. Nunc autem exultatis in superbiis vestris. Omnis exultatio talis, maligna est.

17. Scienti igitur bonum facere, et non facienti, peccatum est illi.

de ce monde est une inimitié contre Dieu, et que par conséquent quiconque voudra être ami de ce monde se rend ennemi de Dieu?

5. Pensez-vous que l'Écriture dise en vain : L'esprit qui habite en vous vous aime d'un amour de jalousie?

6. Mais aussi il donne de plus grandes grâces. C'est pourquoi il est dit : Dieu résiste aux superbes, et donne sa grâce aux humbles.

7. Soyez donc soumis à Dieu, résistez au diable, et il s'enfuira de vous.

8. Approchez-vous de Dieu, et il s'approchera de vous : lavez vos mains, pécheurs, et purifiez vos cœurs, vous qui avez l'âme double.

9. Affligez-vous vous-mêmes; soyez dans le deuil et dans les larmes; que votre ris se change en pleurs, et votre joie en tristesse.

10. Humiliez-vous en la présence du Seigneur, et il vous élèvera.

11. Mes frères, ne parlez point mal les uns des autres. Celui qui parle contre son frère, ou qui juge son frère, parle contre la loi et juge la loi : si vous jugez la loi, vous n'en êtes point observateur, mais vous vous en rendez le juge.

12. Il n'y a qu'un législateur et qu'un juge qui peut sauver et qui peut perdre.

13. Mais vous, qui êtes vous, pour juger votre prochain? Je m'adresse maintenant à vous qui dites : Nous irons aujourd'hui ou demain en une telle ville, nous demeurerons là un an, nous y trafiquerons, nous y gagnerons beaucoup;

14. Quoique vous ne sachiez pas même ce qui arrivera demain.

15. Car qu'est-ce que votre vie, sinon une vapeur qui paraît pour un peu de temps, et qui disparaît ensuite? Au lieu de cela vous devriez dire : S'il plaît au Seigneur, et si nous vivons, nous ferons telle ou telle chose.

16. Et vous maintenant, vous vous élevez dans vos pensées présomptueuses. Toute cette présomption est mauvaise.

17. Celui donc qui sait le bien qu'il doit faire, et qui ne le fait pas, est coupable de péché.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Unde bella, contentiones quibus inter vos pro rebus terrenis quodammodò belligeratis, et lites; Græcè, *et pugnæ;* tam rerum quàm verborum. In vobis, inter vos suscitantur? Nonne hinc (nempe) ex concupiscentiis vestris? Græcè : *Ex voluptatibus vestris?* id est, ex pravis desideriis voluptatum et rerum delectabilium hujus mundi. Quæ militant (adversùs spiritum) in membris vestris? oculis, auribus, linguâ, manibus, etc., quibus concupiscentiæ vestræ utuntur tanquàm armis, dùm per ipsa exerunt se in actus externos, et quod mens improba pravè suggerit, manus vel lingua, vel cæterorum membrorum consensus intemperanter obedit, inquit Beda. Hinc alter Apostolus, ad Rom. 6, v. 13, clamat : *Ne exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato*, id est, concupiscentiæ, quæ est peccati fomes. Alii per *bella et lites in vobis*, intelligunt quibus in unoquoque homine caro pugnat et militat adversùs spiritum. Unde auctor Hypognostici, lib. 4, cap. 8, ex hoc loco S. Jacobi probat contra Pelagianos concupiscentiam esse malam, quia serit in nobis bella et lites. Auditis, inquit, quale officium habeat nimium dilecta vestra concupiscentia, id est, bella et lites, quibus discordare facit corpus et spiritum vestrum?

Vers. 2. — Concupiscitis (divitias, honores, voluptates hujus mundi) et non habetis. Et tamen frequenter non assequimini quod vitiosè concupiscitis, et sic, quod miserrimum est, solo affectu pravo animam conspurcatis nullâ inde secutâ utilitate. Occiditis; quidam etiam rerum temporalium aviditate usque ad cædes et homicidia perveniunt : quod etiam inter primos illos Christianos mirum non est, cùm diabolus inter fideles semper aliquos suos habuerit, Judam inter Christi apostolos; Nicolaum inter primos septem diaconos, Act. 6, v. 5, ut multi credunt; incestuosum Corinthiensem, 1 ad Cor. 5, v. 1. Et zelatis. Et plures, si non occidant, zelo tamen amaro rebus alienis invident, et ad se trahere conantur. Vatablus et Erasmus, quos recentiorum multi sequuntur, legunt : *Invidetis* et *zelatis;* nam *occidere* et *invidere* apud Græcos differunt tantùm unâ litterâ. *Invidetis* ergo dolentes de aliorum prosperitate; *zelatis*, dùm conamini sua ipsis præripere, aut vos illis anteponere. Et non potestis adipisci, id quod zelatis et ambitis, atque ita

inter vacua tantùm vana et nociva desideria vitam totam consumitis. LITIGATIS (Græcè, *pugnatis*, rixando et contendendo) ET BELLIGERATIS; et per modum belli vos invicem oppugnatis, quod maximè fit quandò familia contra familiam tanquàm exercitus contra exercitum : ET NON HABETIS; et per *lites illas* et bella non obtinetis quæ vultis. PROPTER QUOD (id est, propterea quòd) NON POSTULATIS. Non petitis ab eo qui *dare* debet, sed *viribus tantùm* humanis assequi nitimini : nec ulla habetur ratio gratiæ Dei, inquit Cajetanus, cùm tamen Deus non tantùm spiritualium, sed etiam temporalium bonorum sit largitor. Unde : *Sine causâ istâ petuntur ab hominibus, vel à dæmonibus*, ait Augustinus, in psalm. 66; *nam quæcunque bona accipiunt* etiam *inimici Dei, ab illo accipiunt, et cùm ab aliis petunt et accipiunt, nescientes ab illo accipiunt; facit* enim *hæc Deus*, inquit, *et solus facit*, nempe tanquàm causa principalis et independens ab omnibus aliis.

VERS. 3. — PETITIS (*aut certè petitis quidem à Deo*, aliqui ex vobis qui cæteris videntur esse meliores) ET NON ACCIPITIS (non enim sufficit quocumque modo petere) EO QUOD MALÈ PETATIS; quia rem aliàs bonam vitiosâ petitione, cui non est à Deo promissa impetratio, postulatis : nam oratio impetratoria debet esse pia, perseverans, et de pertinentibus ad salutem, ut cum theologis docet S. Thomas. UT IN CONCUPISCENTIIS VESTRIS (Græcè, *voluptatibus vestris*) INSUMATIS; ut expendatis non ad sustentationem humanæ fragilitatis, sed ad redundantiam liberæ voluptatis, ait Beda : unde talia non *accipitis*, quia *non sunt* adjumenta salutis, sed instrumenta voluptatis. Dat tamen sæpè Deus reprobis opes et materiam voluptatum, *non* tamen precibus exoratus, sed naturali bonitate inclinatus, ut qui æternis bonis carituri sunt, tantisper in hâc vitâ delectentur fragilibus, et quasi per amœna prata ad carcerem deducantur, ait S. Gregorius. Deinde ut electi talia bona non magni faciant, cùm vident etiam dari Dei inimicis. *Nam beneficentissima providentia, et omnipotens Deus terrenam felicitatem concedit etiam impiis, ne pro magno quæreretur à bonis*, ait August. epist. 120.

VERS. 4. — ADULTERI, quorum anima fornicatur à Domino, cùm ei adhærere deberet tanquàm sponso. *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te, mihi autem adhærere Deo bonum est*, psalm. 72; de tali enim adulterio metaphorico, qui est amor mundi deserto creatore, hunc locum optimè interpretatur Augustinus, licèt etiam fieri potuerit ut inter illos Judæos christianos fuerint *aliqui* propriè dicti *adulteri*; *nam* Judæi naturaliter ad fornicationes et adulteria proclives erant : *Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat*, Jerem. 5, v. 8. Græcus addit, *et adulteræ*, quod quidam perperàm intrusum arbitrantur, quia S. Jacobus totâ hâc Epistolâ feminas non alloquitur; vel certè interpres hanc particulam omisit, quia sub genere masculino solet etiam femininum comprehendi. NESCITIS QUOD AMICITIA HUJUS MUNDI (quâ *hominibus* et rebus hujus mundi vitioso amore inhæretis) INIMICA EST DEI? quia Creatorem contemnit cùm ei creaturam in amore præponit. Ostendit, inquit Beda, *non tantùm* blasphemantes et Christi fidem persequentes esse Dei inimicos, sed qui sub fide et confessione nominis Christi, mundi illecebris et amori deserviunt, et terrenis cœlestia postponunt. Græcè, *inimicitia est Dei*; nam amor quo creatura præponitur Creatori est quidam (saltem interpretativus) contemptus et odium Dei. QUICUMQUE ERGO VOLUERIT AMICUS ESSE (amando ipsum propter ipsum) SECULI HUJUS, hominum et rerum hujus mundi, INIMICUS DEI CONSTITUITUR; nam inimicitias cum Deo exercet, et Deus cum ipso, dùm ille à Deo se avertit, et ad creaturas ejus convertitur, illisque tanquàm *ultimo fini* inhæret. Cùm tamen, inquit Augustinus, cap. 4, de diligendo Deo, omnia creata ut subjecta, ut famulantia, ut arrha sponsi, ut munera amici, ut beneficia Domini diligi debeant : sic tamen ut memineris semper quid illi debeas, nec ista propter se, sed ista propter illum, et per ista illum, et super ista illum diligas.

VERS. 5. — AN PUTATIS. Hic versus explicatu difficillimus est, adeò ut Erasmus dicat plaustra onusta interpretationibus à theologis recentioribus hùc convehi. QUIA INANITER (in vanum et sine causâ) SCRIPTURA DICAT, variis locis veteris Testamenti, *ubi* dicit Deum esse zelotem, ut Exod. 20, vers. 5, et alibi; vocando enim Deum zelotem, dicit quod jam sequitur, licèt non *iisdem verbis* : AD INVIDIAM CONCUPISCIT, usque ad quamdam zelotypiæ quasi invidiam amat suas sponsas, SPIRITUS (sanctus) QUI HABITAT IN VOBIS, per fidem et gratiam. Verti etiam potest : *Qui habitavit*, scilicet cùm baptizati estis, licèt quidam vestrûm habitatorem istum jam à se expulerint. Aliqui interpretes per spiritum intelligunt spiritum hominis carnalis, alii spiritum diaboli, et inde nata est tam multiplex hujus loci interpretatio. Verius est intelligi Spiritum sanctum, ut colligitur ex versu sequenti. Non ergo inaniter dicit Scriptura Deum amare instar zelotypi, *ut proinde mirum non sit quòd anima* diligens mundum, et cum eo adulterans, constituatur inimica Deo, sicut uxor in adulterio deprehensa sit *inimica marito*, et *frequenter* ab ipso interficitur. Tribuit igitur Apostolus invidiam et zelotypiam Deo, loquens more humano, ad significandam maximam indignationem ex amore ortam. Sic etiam multis in locis ira et furor, qui sunt pravi hominum affectus, tribuuntur Deo ad repræsentandam magnitudinem pœnæ quam peccatoribus infligit.

VERS. 6. — MAJOREM AUTEM DAT GRATIAM; Spiritus sanctus autem *dat majora dona gratuita*, et *pretiosiora* ornamenta sponsæ suæ, quàm det mundus, si ipsa cum eo adulteretur; mundus enim dat terrenas et transitorias voluptates; Spiritus sanctus cœlestes et æternas. PROPTER QUOD DICIT; ideò Spiritus sanctus in Scripturâ sacrâ dicit, Proverb. 3, v. 34 : DEUS SUPERBIS (quales sunt qui honores mundi et mundum amant) RESISTIT, deprimendo et humiliando eos. Cùm Deus omnes peccatores dicatur *punire*, *superbis* specialiter dicitur resistere, inquit Carthusianus, quia

Deo manus quasi violentas injiciunt, dùm gloriam et honorem suum eripere ei volunt. Quod olim à poetis adumbratum per gigantes, qui imponentes Pelion Ossæ Jovem è cœlo deturbare, et regnum ejus rapere conati sunt. Hæc est ratio cur Augustinus tam sæpè Pelagianos titulo illi hæresi quasi proprio *superbos* appellet, quia gloriam Deo et gratiæ ejus debitam, sibi ac libero suo arbitrio ascribebant, dùm gratiam aut nullam in principio hæresis suæ agnoscebant, aut in fine liberi arbitrii pedissequam faciebant. Hanc autem sancti Jacobi sententiam sic vertit Hieronymus, Proverb. 1, v. 34 : *Ipse deludet illusores;* superbi enim illudere et deridere alios solent, Deus verò iis resistere dicitur quando vicissim deludit eos, et aliis ridiculos facit. HUMILIBUS AUTEM (qualis omnis vera Christi sponsa debet esse) DAT GRATIAM, dona gratiarum et eorum incrementa usque ad gloriæ consummationem. Non quòd humilis habeat à se humilitatis virtutem, cui Deus ex merito addat gratiam, sed Deus etiam præparat valles ut in eas defluant aquæ cœlestium gratiarum. Nascitur autem humilitas primò ex sui et Dei, ac intervalli inter utrumque contemplatione ; creatura enim instar nihili, Deus omnia, media intercapedo infinita est; deinde ex consideratione profundissimæ dependentiæ quâ in omni motu et opere verè bono à Dei gratiâ dependemus. Hæc est meditatio quæ S. Augustinum, tantâ doctrinâ et tot divinis charismatibus ad cœlum usque sublimem, tam humilem tamen et submissum fecit : et hanc virtutem homini christiano tam necessariam ait, epist. 56, ut si rogaretur quænam sit prima christiani hominis virtus, responderet humilitatem : quænam secunda, iterùm humilitatem : quænam tertia, humilitatem, et quoties rogaretur, hoc idem diceret. *Non quòd alia non sint* aliarum virtutum *præcepta quæ dicantur*, inquit, *sed* quia *nisi humilitas omnia quæcumque benè facimus et præcesserit, et comitetur, et consecuta fuerit, et proposita quam intueamur, et apposita cui adhæreamus, et imposita quâ reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia; vitia quippe cætera in peccatis, superbia verò etiam in rectè factis timenda est, ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.* Nihil enim in laudem nostram vertere possumus, ut ibi quiescat, sed sicut flumina è mari oriuntur, et circulo quodam perpetuo in mare iterùm referuntur, ita omnium humanarum laudum cursus nullibi hærere debet, sed perpetuo fluxu recurrere in Deum, unde est omne bonum.

VERS. 7. — SUBDITI ERGO ESTOTE DEO ; quandoquidem humilibus dat gratiam, profundissimâ ergo humilitate vos et vestra Deo subjicite; ab ipso enim habetis omnia. Præceptores vitæ spiritualis inter utilissima exercitia præscribunt ut quoties inter aliud agendum Dei recordamur, profundissimâ cordis submissione nos et nostra in abyssum nostri nihili demittamus; Deus enim nos excipit et sustentat, si nos ei permittamus, et nihilum nostrum in ipsum molliter delabi sinamus. RESISTITE AUTEM DIABOLO : *Assumendo scutum fidei, ut possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*, ad Ephes. 6, v. 16; fide enim divinæ promissionis et gratiæ auxilio se involvendo, ictus telorum diaboli tutissimè vitantur : imò bellorum spiritualium periti suadent tentationibus, præsertim venereis, non ex adverso resistere, et cum eis litigare, sed imaginationem aliò avertere; quia imagines spurcæ in animum etiam sine consensu admissæ vestigia quædam sordium plerùmque relinquunt, antequàm possint expelli. Tutissimum ergo est imaginationem leni flexu ad aliud declinare, et fide ac gratiâ advocato auxilio se tanquàm loricâ involvere. ET FUGIET A VOBIS ; desinet tentare; superbus enim est, et formidat iterùm tentare, quia formidat iterùm succumbere. Falsum autem est quòd diabolus semel victus nunquàm ampliùs eumdem hominem ad idem peccati genus tentet, ut rectè contra quosdam exemplo tentationum sancti Jobi et aliorum sanctorum probant S. Thomas et Carthusianus. Imò creditur, ait Carthusianus, quòd sicut quisque angelum custodem, ita dæmonem tentatorem habeat, qui ad eadem vel diversa peccatorum genera tentare non cessat. Non potest tamen ampliùs quàm ei permittat Deus, ut ex historiâ tentationum B. Jobi quoque patet.

VERS. 8. — APPROPINQUATE DEO, affectibus animi, non pedibus corporis; non enim spatia locorum peccatorem à Deo separant, sed peccata affectuum ab eo nos alienant. Appropinquat ergo qui affectum à rebus terrenis avertit et convertit ad Deum. Non monet autem sanctus Jacobus ut appropinquemus sine gratiæ ejus tractu et adjutorio : *Nemo* enim *potest venire ad me*, ait Christus, *nisi Pater traxerit eum*, Joan. 6, v. 44. *Converte nos ad te, Domine, et convertemur*, Thren. 5, v. 21. Sic ovis perdere se potuit, dùm spontè vagatur, quæ redire non potuit nisi humeris pastoris reportaretur, Luc. 15, v. 5. Justi quoque dici possunt Deo magis appropinquare ardentiùs diligendo, ait Carthusianus, arctiùs se uniendo, et ad similitudinem ejus propiùs de die in diem accedendo. Quòd tamen iterùm sine ejus tractu fieri non potest : unde sancta ejus sponsa clamat : *Trahe me, post te curremus*, Cant. 1, v. 3. ET APPROPINQUABIT VOBIS, affectu amoris reciproco, quo peccatorem appropinquantem ut pater filium prodigum revertentem complectitur, et accurrens cadit super collum ejus et osculatur, Luc. 15, v. 20. Justis quoque ardentiùs amantibus Deus appropinquat per incrementa gratiarum, clariùs se ostendendo et intimiùs per doni sapientiæ et charitatis augmentum, per divinorum gustum et interiorem amplexum se uniendo, ait Carthusianus. EMUNDATE MANUS VESTRAS, opera vestra quæ manibus et quovis corporis membro operamini; est enim manus præcipuum operandi organum, et organum organorum, ut Aristoteles appellat, sub quo cætera intelliguntur : PECCATORES ; hâc compellatione significat non præcipi corporalem ablutionem manuum, quæ apud Judæos erat usque ad superstitionem frequentissima, Marci 7, v. 7, sed spiritualem munditiam peccatorum; unde et addit : ET PURIFICATE

CORDA, voluntatem à pravis rerum terrenarum cupiditatibus. Jubet ut purificent corda sua, cùm tamen Deus dicatur fide purificare corda, Act. 15, v. 9, ut significetur in actibus bonis non tantùm gratiæ Dei, sed etiam liberi arbitrii operationem misceri : unde, ut notat sæpè Augustinus, quidquid boni in uno Scripturæ loco tribuitur libero arbitrio, tribuitur gratiæ Dei in altero. DUPLICES ANIMO ; ex duplici quasi animâ compositi, quarum una in Deum, altera in mundum inclinat; eodem enim sensu virum duplicem animo appellavit, cap. 1, v. 8. Tales hodiè plurimi Christiani, qui et pii esse, et tamen simul mundi voluptatibus frui volunt, claudicantes in utramque partem, et instar Samaritanorum colentes Deum simul et idola.

VERS. 9. — MISERI ESTOTE ; miserias et afflictiones æquo animo et libenter tolerate; verbum enim Græcum à tolerantiâ deductum est, ut notat Erasmus : ET LUGETE; lugubrem corporis cultum, qualis est saccus, cinis, cilicium, assumite : ET PLORATE ; et lacrymas doloris testes fundite. RISUS VESTER (quo inter voluptates mundanas faciem exhilarâstis) IN LUCTUM CONVERTATUR, in tristem vultûs habitum commutetur : ET GAUDIUM (cordis, quo rebus terrenis delectati estis) IN MŒROREM, in veram tristitiam cordis, ut non tantùm exteriori habitu, sicut hypocritæ, sed vero et intimo animi dolore peccata vestra lugeatis. Sic risus malus bono luctu, malum gaudium mœrore bono, ut contrarium contrario curabitur. Describit ergo hìc Apostolus interiorem et exteriorem hominis pœnitentis statum.

VERS. 10. — HUMILIAMINI (ex peccatorum et infirmitatis vestræ contemplatione submittite vos toto corde) IN CONSPECTU DEI, ante oculos Dei omnia etiam interiora inspicientis : unde vera, non fictitia debet esse humilitas, quia nulla hypocrisis fallere Deum potest : ET EXALTABIT VOS, gratiâ sublimiori in præsenti, et glorià in futuro; licèt non propter istam exaltationem vos ipsos humilietis; quò enim charitas, quæ humilitati et cæteris virtutibus imperat, ab intuitu mercedis remotior, eò purior et gratiæ ac gloriæ magis meritoria est. Licitum tamen est, saltem secundariò, cor suum inclinare ad faciendas justificationes Dei propter retributionem, psalm. 118, et Trid., sess. 6, cap. 11; unde Christus et apostoli sæpè excitant fideles ad opera virtutum spe regni cœlorum. De purissimo ergo tantùm charitatis amore loqui videtur Bernardus, serm. 83 in Cantica, dùm ait : « Purus amor de spe vires non sumit, nec tamen diffidentiæ damna sentit; impurus est, qui et aliud cupit. » Rogatus autem quondam à sanctâ animâ Christus Dominus cur ita amaret et tam libenter exaltaret humiles, respondit : *Quia sum veritas;* penès humiles autem, qui infirmitatem, miseriam et nihilum suum agnoscunt, veritas est; falsitas penès superbos, qui aliquid se esse putant. Vita ergo præsens et futura positæ sunt quasi in eâdem bilance, ait Thomas Anglicus, et quantùm vita præsens deprimitur, tantùm exaltatur futura.

VERS. 11. — NOLITE DETRAHERE ALTERUTRUM, unus alteri. Peccatum hoc valdè frequens et quotidianum est, etiam inter eos qui boni haberi volunt : hi enim sæpè vel ex invidiâ, vel quia se ab aliis læsos putant, devorant plebem Domini, psal. 52, v. 5, id est, meliores se, non ut olus aut carnes, sed ut cibum panis, qui quotidiè et cum omnibus aliis cibis comeditur, ut notat S. Augustinus. Redit Apostolus ad vitia linguæ, de quibus cap. præcedenti tam multa dixerat. Sub detractione autem intelligitur etiam contumelia, quæ aliàs distinguitur à detractione, sicuti rapina à furto; detractio enim occultè, contumelia palàm proximi famam lædit; detractio ex odio plerùmque, contumelia ex irâ oriri solet, ait S. Gregorius. QUI DETRAHIT FRATRI, imponendo ei falsum crimen, aut verum, sed occultum manifestando; quod ex genere suo est peccatum mortale, et tantò gravius furto, quantò fama bonis fortunæ præponderat. AUT QUI JUDICAT FRATREM SUUM, qui condemnat eum judicio temerario. *Judicare* pro condemnare frequens est in sacrâ Scripturâ. DETRAHIT LEGI, infamat quodammodò legem tanquàm iniquam, quæ prohibet detractionem tanquàm contrariam charitati proximi. ET JUDICAT LEGEM, et judicio suo quodammodò condemnat legem, quia scienter eam transgreditur, quasi malè esset posita; sicut enim peccator dicitur interpretativè contemnere legislatorem, ita et ejus legem. SI AUTEM JUDICAS LEGEM (tanquàm malè positam et prohibentem ea quæ deberet permittere), NON ES FACTOR LEGIS, non facis opera legis tanquàm subditus et obediens præceptis ejus; SED JUDEX, sed geris te ut judicem et superiorem legis, dùm in eam judicium et sententiam condemnatoriam quasi pronuntias.

VERS. 12. — UNUS EST LEGISLATOR, principalis et supremus, cujus cæteri omnes sunt ministri et vicarii; unde ex Græco verti potest : *Unus est ille legislator*, ubi particula *ille* excellentiam quamdam et principalitatem significat; quod Calvinus et Beza callidè hìc dissimulant, cùm tamen sæpè aliàs vim istius particulæ notare soleant. ET JUDEX, itidem supremus, qui est Christus aut Deus, *per quem reges regnant, et legum conditores justa decernunt*, Proverb. 8, v. 15, unde cavete legi ejus detrahere, aut eam judicare. QUI POTEST PERDERE (æternâ morte peccantes contra legem suam) ET LIBERARE, à culpâ et pœnâ; Græcè, inverso ordine, *qui potest salvare et perdere*. Calvinus ex hoc loco colligit principes tam seculares quàm ecclesiasticos neminem posse obligare in conscientiâ, quia Deus est unicus legislator, inquit, qui legibus suis conscientias sibi subjicere potest; sicut solus animæ salutem et interitum in suâ manu habet. Sed Calvinus non considerat quòd leges principum ministrorum Dei sint quodammodò etiam Dei, qui suas facit, dùm iis obedire præcipit : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, ad Romanos 13, v. 1. *Necessitate subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*, ibid., v. 5. *Obedite præpositis vestris*, ad Hebræos 13, v. 15. Hinc peccatis contra leges humanas commissis offenditur et contemnitur Deus, qui

leges illas servari præcipit. Mentitur autem et stultescit Calvinus dùm Papam se facere legislatorem Deo æqualem dicit.

Vers. 13. — Tu autem quis es (cujus auctoritatis) qui judicas proximum? qui judicio temerario condemnas proximum in corde tuo, quasi esses judex et superior ejus; cùm tamen sis par aut inferior, par verò in parem nullum habeat imperium. Ecce nunc; Græcè, *age nunc*, sicut initio cap. sequentis; est autem particula ad attentionem aut ad aliam actionem excitans. A judiciis temerariis transit ad aliam temeritatem, quâ homines judicant et disponunt de futuris contingentibus, tanquàm ea in manu et potestate suâ haberent. Qui dicitis (dicere soletis inter vos): Hodiè aut crastino, cùm tamen juxta vetus adagium nescias quid serus vesper vehat, et multò minùs quid dies crastinus; ibimus in illam civitatem, quasi iter vestrum à Dei providentiâ et gubernatione non penderet, cùm tamen *cor hominis disponat viam suam, sed Domini sit dirigere gressus ejus*, Prov. 16, v. 9; et faciemus ibi (agemus, sive morabimur) quidem annum, quæ longioris adhuc temporis est præsumptio, quasi homo non tantùm de hodierno et crastino vitæ die, sed de toto anno securus esse possit. Et mercabimur, et lucrum faciemus, ubi Apostolus notare videtur artes et subtilitates avarorum mercatorum, qui per dolos lucra sibi fabricant et certò spondent; ideòque *argentum fabricare* dicuntur, ut quidam exponunt, Baruch. 3, vers. 18.

Vers. 14. — Qui ignoratis (et idcò stultè ista dicitis) quid erit in crastino, an vita vestra in crastinum diem duratura sit.

Vers. 15. — Quæ est enim vita vestra (cui rei similis est)? vapor est (vapori, seu fumo, qui vi caloris ex humido resolvitur, simillima) ad modicum parens, qui exiguo tempore, dùm per aerem scandit, apparet. Et deinceps exterminabitur, et mox dissipabitur, ac ex oculis evanescet; Græcè enim : *Et deinceps disparet.* Talis maximè est vapor matutini roris, qui surgente sole mox in tenuissimum et vix visibilem fumum dissolvitur, et illicò universus disparet; unde psalm. 38 : *In imagine pertransit homo*, quasi rei tantùm umbra, imago et simulacrum, non vera et solida res sit; et quia sic evanescit ut nullum post se vestigium relinquat, alibi comparatur vestigio carinæ navis in fluctibus, et semitæ avis per aerem volantis, quæ commotis alis transvolavit, et nullum signum invenitur itineris illius, Sapient. 5, v. 11. Cùm igitur vita nostra sit tam fugax et brevis, stultum est multa in futurum sollicitè disponere, lucra et divitias per multos labores, quasi in multa secula victuri essemus, accumulare. Pro eo ut dicatis (vice ejus quod dicere debeatis hæc aut similia verba ore vel corde) : Si Dominus voluerit, cujus nutu vita nostra decurrit, terminosque ei constituit qui præteriri non poterunt, Job. 14, v. 15, unde meritò providentiæ ejus in omnibus nostris deliberationibus et consiliis recordari debemus et eam adorare; sine quâ favente nec consilia benè concipiuntur, nec consulta felicem exitum sortiuntur. Et si vixerimus, faciemus hoc aut illud. Hæc est secunda conditio ex parte hominis, quæ postponitur priori ex parte Dei, quia ab illâ pendet; non enim tantùm actiones nostræ, sed vita ipsa et esse nostrum ab omnipotente voluntate Dei perpetuò dependent; *in ipso enim vivimus, movemur et sumus*, Actorum 17, v. 28, unde Psaltes : *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos*, psalm. 24, magis nempe sollicitus oculos semper levare ad Dominum, unde vita et motus pendebat, quàm aspicere terram ante se ubi poneret gressus suos; certior se divino adjutorio quàm humanâ industriâ evasurum omnes laqueos pedum. Deplorat Carthusianus hunc pium loquendi et cogitandi modum non ampliùs servari à Christianis, sed omnia agi prudentiâ et arte humanâ, perinde atque si non esset providentia in cœlo; et hanc causam esse putat cur quandoque aliqui subitâ morte tollantur è medio, ut homines excitentur et cogitent numen esse in mundo, quo sustentante stat vita nostra, quo deserente illicò cadit. Non tamen necesse est in omni proposito semper ore aut corde actu dicere : *Faciam si Dominus voluerit, aut si vixero*, sed sufficit habitu et animi præparatione, ut notat Hugo; nam ipsemet apostolus Paulus aliquando actu hoc dicit, ut : *Veniam ad vos citò, si Dominus voluerit*, 1 ad Cor. 4, v. 19, nunc solo habitu, ut : *Per vos proficiscar in Hispaniam*, ad Rom. 15, v. 28.

Vers. 16. — Nunc autem, non obstante quòd vita vestra sit tam brevis et à manu Dei continuò pendula, exultatis (Græcè, *gloriamini*), vanissimo gaudio, quod etiam in exultationem erumpit; in superbiis vestris, in honoribus et divitiis, quibus erigimini et superbitis, quasi honores, opes, vita vestra, à terrâ solùm sustententur, non suspendantur è cœlo. Omnis exultatio (Græcè, *gloriatio*) talis (quâ non in Domino, sed in vobis ipsis gloriamini et exultatis) maligna est, nequam et excellenter mala, ut vos Græca indicat : diabolicum enim est lætari cum malefeceris, et exultare in rebus pessimis, Proverb. 2, v. 14.

Vers. 17. — Scienti igitur bonum facere, sicuti vos scientes estis, qui totam Moysis legem nôstis; ideòque alios docere et cathedras magistrales in Ecclesiâ rapere contenditis. Claudit præcedentium capitum exhortationes et doctrinam generali sententiâ, quâ in lege doctos et magisterium affectantes terret; nam tota hæc S. Jacobi Epistola, ut Beda notat, præcipuè dirigitur ad Hebræorum legisperitos ad fidem conversos, homines garrulos et superbos, qui aliorum ambiebant esse doctores, et in Ecclesiâ, sicut ante in Judaismo, vocari ab hominibus rabbi; scientiâ quidem satis conspicui, sed operibus christianarum virtutum, ac præcipuè humilitate destituti. Et non facienti, et omittenti facere; sed multò magis, si contrarium etiam faciat. Peccatum est illi, insignis peccati reus tenetur, quando præceptum faciendi urget; peccatum enim ex scientiâ longè graviùs est peccato ignorantiæ, tametsi nec ille prorsùs à reatu liber esse possit, qui nesciens erravit; cùm ipsa boni ignorantia non parvum sit malum, inquit Beda : nam *servus qui cognovit*

voluntatem Domini et non fecit, vapulabit multis; qui non cognovit et fecit digna plagis, vapulabit paucis, Lucæ 12, v. 47 et 48. Hinc litterati specialiter obligantur ut sint coram Altissimo justi ac recti, et coram proximis exemplares, inquit Carthusianus. Multi tamen, proh dolor! habent scientiam inflantem sine charitate ædificante. Unde S. Gregorius, ad illa verba Ezechiel. 3, v. 14: « *Spiritus levavit me et assumpsit me,* » *nonnulli sunt,* inquit, *quos spiritus elevat, sed non assumit; quorum intellectus ad spiritualia emicat, sed vita in factis carnalibus remanens intellectui non concordat.*

CAPUT V.

1. Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis.

2. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt; et vestimenta vestra à tincis comesta sunt.

3. Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis; thesaurisâstis vobis iram in novissimis diebus.

4. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat; et clamor eorum in aures Domini sabaoth introivit.

5. Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra, in die occisionis.

6. Addixistis, et occidistis justum, et non restitit vobis.

7. Patientes igitur estote, fratres, usque ad adventum Domini; ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferrens donec accipiat temporaneum et serotinum.

8. Patientes igitur estote et vos, confirmate corda vestra; quoniam adventus Domini appropinquavit.

9. Nolite ingemiscere, fratres, in alterutrum, ut non judicemini. Ecce Judex ante januam assistit.

10. Exemplum accipite, fratres, exitûs mali, laboris, et patientiæ, prophetas qui locuti sunt in nomine Domini.

11. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, et mirerator.

12. Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester: Est, est; Non, non; ut non sub judicio decidatis.

13. Tristatur aliquis vestrûm? oret. Æquo animo est? psallat.

14. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini:

15. Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei.

16. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio justi assidua.

17. Elias homo erat similis nobis, passibilis; et oratione oravit ut non plueret super terram, et non pluit annos tres et menses sex.

18. Et rursùm oravit; et cœlum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum.

19. Fratres mei, si quis ex vobis erraverit à veritate, et converterit quis eum,

20. Scire debet quoniam qui converti fecerit pec-

CHAPITRE V.

1. Maintenant à vous, riches; pleurez, poussez des cris et des hurlements, dans la vue des misères qui doivent fondre sur vous.

2. La pourriture consume les richesses que vous gardez : les vers mangent les vêtements que vous avez en réserve :

3. La rouille gâte l'or et l'argent que vous cachez : et cette rouille portera témoignage contre vous, et dévorera votre chair comme un feu : c'est le trésor de colère que vous vous amassez pour les derniers jours.

4. Sachez que le salaire que vous faites perdre aux ouvriers qui ont fait la récolte de vos champs, crie contre vous; et que leurs cris sont montés jusqu'aux oreilles du Seigneur des armées.

5. Vous avez vécu sur la terre dans les délices et dans le luxe; vous vous êtes engraissés comme des victimes préparées pour le jour du sacrifice;

6. Vous avez condamné et tué le juste, sans qu'il vous ait fait de résistance :

7. Mais vous, mes frères, persévérez dans la patience jusqu'à l'avénement du Seigneur : vous voyez que le laboureur, dans l'espérance de recueillir le fruit précieux de la terre, attend patiemment que Dieu envoie les pluies de la première et de l'arrière-saison.

8. Soyez ainsi patients, et affermissez vos cœurs; car l'avénement du Seigneur est proche.

9. N'ayez point d'aigreur, mes frères, les uns contre les autres, afin que vous ne soyez pas condamnés. Voilà le Juge qui est à la porte.

10. Prenez, mes frères, pour exemple de patience, dans les mauvais succès et dans les afflictions, les prophètes qui ont parlé au nom du Seigneur.

11. Voilà que nous les appelons bienheureux de ce qu'ils ont tant souffert : vous avez appris aussi quelle a été la patience de Job; et vous avez vu la fin du Seigneur; car le Seigneur est plein de compassion et de miséricorde.

12. Mais avant toutes choses, mes frères, ne jurez ni par le ciel, ni par la terre, ni par quelque autre chose que ce soit; mais contentez-vous de dire : Cela est; ou : Cela n'est pas; afin que vous ne soyez point condamnés.

13. Quelqu'un parmi vous est-il dans la tristesse? qu'il prie. Est-il dans la joie? qu'il chante de saints cantiques.

14. Quelqu'un parmi vous est-il malade? qu'il appelle les prêtres de l'Église, et qu'ils prient sur lui, en l'oignant d'huile au nom du Seigneur.

15. Et la prière de la foi sauvera le malade : le Seigneur le soulagera; et s'il a des péchés, ils lui seront remis.

16. Confessez donc vos fautes l'un à l'autre; et priez l'un pour l'autre, afin que vous soyez sauvés; car la prière persévérante du juste peut beaucoup.

17. Élie était un homme sujet, comme nous, à toutes les misères de la vie : et cependant ayant prié Dieu avec ferveur qu'il ne plût point, il cessa de pleuvoir sur la terre durant trois ans et demi.

18. Et ayant prié de nouveau, le ciel donna de la pluie, et la terre produisit son fruit.

19. Mes frères, si l'un d'entre vous s'écarte du chemin de la vérité, et que quelqu'un l'y fasse rentrer,

20. Qu'il sache que celui qui convertira un pécheur, et le retirera de son égarement, sauvera sa

catorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, et operiet multitudinem peccatorum.

propre âme de la mort, et couvrira la multitude de ses propres péchés.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — AGITE NUNC, DIVITES ; Græcè, *age*, ut sit non verbum, sed adverbium exhortandi, ut cap. præcedenti, v. 13, juxta lectionem Græcam ; FLORATE, lacrymis contritionis, non desperationis, ut interpretatur Calvinus, nam quamdiù peccatores adhuc vivunt, spes salutis non est omninò intercisa, ideòque exhortationes apostolicæ ad spem potiùs quàm ad desperationem spectant ; ULULANTES, magno et confuso ejulatu, indicio magni doloris : *Plangam et ululabo, faciam planctum velut draconum, et luctum quasi struthionum ;* Hebr., כבנות יענה, *Cibnot jagana*, id est, quasi filiarum ululæ, Michææ 1, v. 8. Quia verò ululatus propriè luporum et ferarum est, quidam existimant alludi ad crudelitatem divitum avarorum, qui instar ferarum diripiunt et dilaniant pauperes. IN MISERIIS VESTRIS, super miseriis vestris, ut vertit Erasmus ; miseriis, inquam, non hujus vitæ (licèt multi divites magnas sæpè hìc etiam patiantur), sed alterius vitæ et æternis, quas pluraliter miserias vocat, quia in corpore et animâ, et in utroque varii generis erunt. QUÆ ADVENIENT VOBIS, nisi miseriarum istarum metus vos ad pœnitentiam et Dei misericordiam compellat.

VERS. 2. — DIVITIÆ VESTRÆ (naturales, ut agrorum et arborum fructus) PUTREFACTÆ SUNT, vetustate, quia esurientibus egenis gratis aut modico pretio tempore suo non distribuistis, sed absconditis usque ad annonæ charitatem. *Qui abscondit frumenta maledicetur in populis ; benedictio autem super caput vendentium*, Prov. 11, v. 26. ET VESTIMENTA VESTRA, quæ plurima et pretiosa ad vanitatem et superbiam vobis confici jubetis, nudis interim et frigore trementibus pauperibus. Vestimenta cum auro et argento inter divitias artificiales computantur. A TINEIS COMESTA SUNT, cùm ea in scrinìis vestris nimis diù conclusa, non tam ad usum quàm ad ostentationem custoditis ; solent enim tineæ et blattæ invadere vestimenta, præsertim pretiosa, pupurei aut affinis coloris, et ex panno ipso in arcâ concluso etiam generantur, præcipuè si araneus una includatur, inquit Plinius.

VERS. 3. — AURUM ET ARGENTUM VESTRUM, quæ sunt præcipuæ divitiæ artificiales, in arcis vestris otiosæ, et extra usum jacentes ; ÆRUGINAVIT, id est, æruginem nimis longo situ contraxit, quia usu et manibus non teritur, ut splendescat ; ET ÆRUGO EORUM ; propriè ærugo est rubigo æris ; sed æris nomine aurea et argentea pecunia etiam intelligitur, quia olim apud Romanos ex ære tantùm pecunia signabatur, aurum verò et argentum librâ appendebantur. IN TESTIMONIUM (avaritiæ et nequitiæ vestræ) VOBIS ERIT (contra vos erit apud Deum) ET MANDUCABIT CARNES VESTRAS (devorabit corpora vestra in inferno, licèt non consumat), SICUT IGNIS, velut ignis ipse infernalis : nam ignis est proximum instrumentum quo ira Dei corpora avarorum devorabit et affliget ; sed ærugo auri et argenti ad illud incendium etiam concurret, tanquàm testis avaritiæ, propter quam ignis ille eos devorabit : *Dabit ignem et vermes in carnes eorum ut urantur et sentiant usque in sempiternum*, Judith 16, v. 21. THESAURIZASTIS VOBIS IRAM ; accumulando per avaritiam thesauros auri et argenti, simul accumulàstis vobis materiam iræ divinæ, et pœnarum inferni. Græcus duabus istis vocibus, *vobis iram*, caret, et putantur ex Rom. 2, versu 5, esse hùc intrusæ. IN NOVISSIMIS DIEBUS, in novissimos mundi dies, quando Dominus ad judicandum veniet ; nam præpositio *in* cum ablativo casu, seu apud Græcos cum dativo, in Scripturâ sæpè exponi debet per accusativum ; unde etiam interpres noster aliquando in accusativum vertit, ut *in desideria cordis*, ad Rom. 1, v. 24 ; Græcè, *in desideriis cordis ;* item *in mendacium*, ibid. v. 25 ; Græcè, *in mendacio*, etc. Cajetanus et quidam alii, qui juxta lectionem Græcam solùm legunt *thesaurizâstis in novissimis diebus*, putant senilem avaritiam hìc taxari, quæ in ultimis vitæ diebus non cessat, et quidem avidiùs quàm unquàm antea, thesauros congregare. Quod turpissimum et absurdissimum est, juxta illud Ciceronis de senectute : Avaritia senilis quid sibi velit non intelligo ; potest enim quidquam esse absurdius, quàm quò minùs viæ restat, eò plus viatici quærere? Sed præcipuè tales sunt in senectute, qui pecunias amare cœperunt in juventute ; unde Galenus, in libro de curandis animi Affectibus, dicit juvenem amatorem pecuniæ post annum vitæ quadragesimum non posse ampliùs corrigi.

VERS. 4. — ECCE MERCES OPERARIORUM ; ostendit tantam esse avaritiæ rabiem ut non tantùm neget pauperibus ea quibus indigent, sed etiam eripiat pauculum illud quod habent ; QUI MESSUERUNT ; et proinde si qui alii operarii, hi digni sunt pane et cibo suo, cùm triticum et materiam panis vobis messuerint ; REGIONES VESTRAS, agros spatiosos et feraces ; QUÆ FRAUDATA EST A VOBIS, fraude, vi, aut quocumque alio modo iniquo detenta ; vox enim Græca est generalis, nec tantùm fraudem sonat ; CLAMAT, vindictam in cœlum ; est enim unum ex quatuor peccatis quæ juxta Scripturæ phrasim dicuntur in cœlum clamantia, ut homicidium voluntarium innocentis, Genes. 4, v. 10 ; oppressio pauperum, Exod. 3, v. 7 ; defraudatio mercedis operariorum, S. Jacobus hoc loco ; peccatum Sodomiticum, Genes. 10, v. 20. Clamor verò iste significat specialem atrocitatem criminis, quæ nata sit Deum ad iram et vindictam severissimam provocare. ET CLAMOR EORUM, operariorum ; Græcè, *clamores eorum qui messuerunt :* ut clamàsse non tantùm semel, sed pluries, propter indigentiam suam et sceleris enormitatem, significentur. Boni autem malorum vindictam à Deo postulare possunt, si amore justitiæ, non odio personæ ; deinde ut mali si prædestinati sint, flagellis eru-

diti revertantur ad Deum ; si reprobi sint, ut citiùs moriantur, et peccando desinant peccatorum et æternorum cruciatuum cumulum augere, ut ait auctor sermonis 73 de Diversis, in Appendice operum S. Augustini. In aures Domini sabaoth, id est, exercituum ; quod addit ad terrorem avarorum, inquit Beda, qui putant pauperes nullum defensorem habere, cùm habeant eum qui stipatus est et dominatur innumeris exercitibus hominum et angelorum. *Tibi derelictus est pauper ; orphano tu eris adjutor*, psalm. 9. Introivit ; unde clamor pervenit usque ad cœlum, ubi Deus dicitur habitare.

Vers. 5. — Epulati estis, splendidè et delicatè ; Græcè : *Deliciati estis*. Alloquitur jam eos divites qui, erga pauperes avari, gulæ et ventri suo liberales sunt. Super terram, in rebus quæ sunt super terram, sive terrenis, cùm tamen vestræ deliciæ et habitatio deberent esse in cœlis : idcircò enim Deus

Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Terrestres verò deliciæ brutorum sunt, quæ ideò prona in terram, non in cœlum spectant. Aliqui, *super terram*, exponunt, tanquàm super mensam epulati estis, more scilicet brutorum, quorum mensa est terræ superficies, ut significetur aviditas quâ epulis inhiant, saturitas, et omnis modus edendi ac bibendi bestialis. Qui ergo se homines esse meminerunt, animum è patinis et concupiscentiæ laqueis eripere debent. Cùm manducas, inquit Bernardus, nequaquàm totus maduces, sed corpore suam refectionem postulante mens suam non negligat. Hinc in solemnibus olim apud Judæos epulis, num. 10, v. 10, jubentur canere tubis, in recordationem Dei sui ; et hodie in cœnobiis et mensis ecclesiasticorum benè institutis, ante aut inter refectionem sacra lectio conjungitur, quâ mens erigatur ut gulæ laqueos et blandimenta supervolet. Et in luxuriis, in conviviorum luxu ; nam luxuria non solùm veneream, sed etiam voluptatem gulæ significat, ut patet ex illo poetæ Lucani :

. . . . . *O prodiga rerum*
Luxuries ! nunquàm parvo contenta paratu.

Et verbum Græcum hoc loco propriè luxum mensarum significat ; unde interpres, 1 ad Timoth. 5, v. 6, *delicias* vertit. Enutristis corda vestra, carnales concupiscentias quæ habitant in cordibus vestris. Græcus aliter hæc distinguit : *Et luxuriati estis, enutristis corda vestra* Enutriuntur autem corda, sive cordium concupiscentiæ, quando desideria earum implentur, et ad satietatem quiquid postulant conceditur. Aliqui per *corda* intelligunt mentem, sive supremam animæ partem, quæ intellectum et voluntatem complectitur : nam qui in luxu conviviorum assident, non tantùm corpus suum, sed mentem ipsam in carnem et ventrem depressam quodammodò saginant ; unde intellectus ad intelligenda spiritualia crassus et hebes ; voluntas ad eadem amanda, torpida et inepta redditur ; fitque mysticè quod dicitur, 4 Reg. 25, v. 10 : *Nabuzardan princeps coquorum* ut vertunt septuaginta, *destruxit muros Jerusalem*. Muri Jerusalem sunt virtutes quibus anima vallatur ; princeps coquorum est venter, cui coqui serviunt ; muros igitur Jerusalem princeps coquorum destruit, quia virtutes animæ, cùm non restringitur venter, perdit, ait S. Gregorius, lib. 30, cap. 13, Moral. In die occisionis ; Græcè, *Sicut in die mactationis ;* veluti in die solemnis sacrificii, quando ex mactatis victimis sacræ et opiparæ epulæ olim instruebantur ; unde cœna pontificalis pro lautâ et opiparâ in proverbium abiit. Perinde igitur quotidiè, inquit Apostolus, epulati estis, ac si semper festa, convivia ac bacchanalia essent.

Vers. 6. — Addixistis, ad mortem ; Græcè, *condemnâstis* ; si non tanquàm judices qui mortis sententiam ferunt, saltem tanquàm falsi testes, aut quovis alio modo injusto cooperantes ad necem. Et occidistis Justum, hominem quemvis justum indefinitè. Sæpè enim à divitibus et saturis, quales hic S. Jacobus alloquitur, pauperes et justi, etiam usque ad mortem injuriarum aut alio prætextu adiguntur. Multi tamen interpretes, tam Græci quàm Latini, de Christo à Judæis morti addicto et occiso hæc intelligunt, probabili sensu, quia *justum* hoc loco Apostolus nominat cum articulo Græco, qui excellentiam sæpè significat, sicut Actor. 7, v. 52, unde verti poterat : *Occidistis justum illum*. Et in hunc sensum fortè collimans, interpres verbum *resistit*, quod mox sequitur, vertit per præteritum, *restitit*, cùm in Græco sit tempus præsens. Potuerunt autem tunc adhuc aliqui Judæi Christi crucifixores vivere, quia S. Jacobus tantùm triginta tribus circiter annis Christo supervixit, et incertum est quanto tempore post Christi mortem hæc Epistola scripta fuerit ; deinde si non in se, saltem in patribus suis et gente suâ dici possunt Christum occidisse. Et non restitit vobis, etiamsi resistere potuisset ; justi enim non resistendo, sed patiendo, singularem animi fortitudinem ostendunt ; quæ maximè eluxit in capite omnium justorum Christo, qui *tanquàm ovis ad occisionem ductus obmutuit*, Isaiæ 53, v. 7 ; Græcè : *Et non resistit vobis ;* et resistere non solet vobis ; nam excellenter justi dùm affliguntur ab impiis, non hominum visibilem manum, sed invisibilem Dei in se extentam considerant, ut ait S. Gregorius ; sine enim providentiâ Dei, aut agente, aut justissimè permittente, ne capillus quidem de capite justorum cadit ; unde manus impiorum contemplandæ sunt tanquàm virgæ et flagella quibus filios suos ad vitam, non ad mortem, Pater benignissimus castigat. Hinc Satan flagellaturus justum Job, quasi non ipse, sed Deus hoc facturus esset : *Extende*, inquit, *paululum manum tuam*, etc., Job. 1, v. 11.

Vers. 7. — Patientes igitur (Græcè, *longanimes*, patientiâ longâ et constanti) estote, fratres, vos pauperes christiani Judæi, quos divites sic occidunt et affligunt. A divitibus, avaris, superbis, et comessatoribus, transit ad pauperes, quos ipsi affligebant ; qui enim scribunt ad multitudinem, quæ varia hominum genera continet, nunc ad unam, nunc ad alteram partem, sermonem vertunt, et contraria in ipsis vitia damnant, aut virtutes diversas laudant, ut in S. Paulo

etiam notavimus. USQUE AD ADVENTUM DOMINI, ad judicium universale, quando omnibus electis in corpore et animâ plenam patientiæ et bonorum operum mercedem retribuet. Aliqui hoc referunt ad judicium particulare quod exercetur in uniuscujusque morte, sed præter modum loquendi Scripturæ, quæ per *adventum Domini*, aut per *diem Domini*, solet intelligere famosum illum, quando *veniet in nubibus cœli* ad judicium universale. ECCE AGRICOLA (exemplo agricolarum, qui terrestrem fructum tam patienter expectant, eos spes præmii cœlestis animat ad patientiam) EXPECTAT PRETIOSUM, id est, charum et amabilem ad honestas delicias et vitæ sustentationem, FRUCTUM TERRÆ, cujus tamen quando arat, occat, seminat, etc., nullum specimen, nullam adhuc videt apparentiam; PATIENTER FERENS, rei speratæ dilationem, et solâ spe interea se lactans, juxta illud poetæ:

Spes alit agricolas.

Græcè, *longanimans super eo*, quia per longa anni tempora spem illam trahit, animo in tempus messis intento; DONEC ACCIPIAT TEMPORANEUM, imbrem tempestivum, sive primi temporis, qui semina terræ primùm credita irriget ad germinandum; Græcè enim: *Donec accipiat pluviam tempestivam;* quidam tamen vertere malunt, *pluviam matutinam*, quia sequitur: ET SEROTINUM; et imbrem qui serò et paulò ante frugum maturitatem decidit, ut humore isto grana turgescant, et spicæ repleantur; considerant enim totum tempus quo seges à semente usque ad maturitatem adolescit, tanquàm diem unum, cujus manè sive initium sit in primo germine, vespera seu finis paulò ante maturitatem. Sic Scriptura alibi: *Dominus descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum*, Joelis 2, v. 23; ubi Chaldæus paraphrastes vertit: *Demisit vobis pluviam primitivam tempestivè, et serotinam in mense nizan*, quia pluvia primitiva seu matutina in Palæstinâ cadit circa mensem octobrem, quando semina incipiunt germinare; serotina verò in mense nizan, qui partem martii et aprilis nostri complectitur, quando segetes in Terrâ sanctâ maturescere incipiebant; unde in Paschate secundâ die Azymorum Judæi offerebant primum manipulum spicarum Domino, Levit. 23, v. 11. Plerique Latini interpretes, ad Græcum textum non respicientes, *temporaneum et serotinum* ad fructuum diversitatem referunt, quorum aliqui primo messis tempore, alii seriùs maturescunt; nec malè, nisi textus Græcus ad pluviam temporaneam et serotinam expressè referret, imitatus phrasim Hebraicam, Deuteron. 11, v. 14; Jerem. 5, v. 24; Oseæ 6, v. 3, etc. Mysticè fructum temporaneum Beda intelligit gloriam animæ post mortem, serotinum verò carnis incorruptionem in resurrectione.

VERS. 8. — PATIENTES IGITUR ESTOTE (isto agricolæ exemplo) ET VOS, etiam vos qui non corruptibilem terræ fructum, ut agricola, sed cœlestem gloriæ immortalis mercedem expectatis. Rectè autem electi comparantur agricolis terram arantibus, qui dùm arant, nullam fructuum partem accipiunt; imò nequidem apparentiam vident, sed totum expectant in futurum; reprobi verò sunt similes bobus Palæstinis fruges maturas triturantibus, quibus os inter triturandum non alligatur, ut mercedem aliquam sui laboris mordicùs arripiant; sic enim reproborum labores bonis temporalibus in præsenti sæpè compensantur: *Ephraim* (id est decem tribus idololatricæ) *vitula docta diligere triturare; arabit Judas*, id est, tribus veri Dei cultrix, Oseæ, 10, v. 11. ET CONFIRMATE CORDA VESTRA, ne ponderi afflictionum succumbant, sed tantisper adhuc patienter tolerent; QUONIAM ADVENTUS DOMINI (ad judicium universale) APPROPINQUAVIT, appropinquare cœpit; mors enim uniuscujusque, quæ in vicino est, non est aliud quàm quædam inchoatio judicii universalis; qualis enim in morte per judicium particulare quisque judicatur, talis, in judicio universali apparebit. Ipsum quoque judicii universalis tempus appropinquat, *quia mille anni apud Dominum sicut dies unus*, 2 Petri 3, v. 8.

VERS. 9. — NOLITE INGEMISCERE, FRATRES (ex impatientiâ et indignatione) IN ALTERUTRUM, unus adversùs alterum quia imperfectiones ejus non vult tolerare, sed quâvis occasione adversùs eas gemit et irascitur; UT NON JUDICEMINI, condemnemini ad pœnas, vel æternas vel temporales, pro gravitate delicti vestri; qui enim ad tales gemitus et impatientiam faciles sunt, in Dei judicium et indignationem incidunt, qui jubet ut alter alterius onera portemus, et sic adimpleamus Christi (id est, charitatis) legem, ad Galat. 6, v. 2. ECCE JUDEX (vivorum et mortuorum Christus) ANTE JANUAM ASSISTIT, in proximo est ut iterùm redeat in hunc orbem inferiorem ad judicium universale. *Ante januam*, vel *ad januam*, vel *in januis esse*, Hebraica phrasis est et multarum linguarum, quando aliquid instat, et jamjam futurum est. Quod quomodò de die judicii verum sit, paulò ante diximus.

VERS. 10. — EXEMPLUM (in exemplum) ACCIPITE, FRATRES. Hortatur eos ad patientiam exemplis sanctorum, quos Scriptura narrat gravissimas afflictiones pro justitiâ passos esse. EXITUS MALI, id est, malæ, seu laboriosæ mortis. Græcè generaliùs, *passionis malorum;* sed quia passio pro exitu vitæ, seu morte per tormenta illata aliquando accipitur, videtur interpres pro passione *exitum* vertisse. Nec voci *laboris*, quæ mox sequitur, quidquam respondet in Græco; unde Erasmus et interpretum multi existimant eam textui nostro adhæsisse ex quâdam aliâ ejusdem Græci vocabuli versione; unus enim vocem κακοπαθείας verterat, *exitûs mali;* alter, *laboris;* scriba deinde aliquis tertius utramque vocem textui Latino inseruit. ET PATIENTIÆ; Græcè, *longanimitatis*, longæ et constantis patientiæ in adversis. PROPHETAS, Eliam, Isaiam, Jeremiam, etc., qui tam multa mala olim à suis, et quidam ad mortem usque, passi sunt. QUI LOCUTI SUNT, qui tamen tam sancti et Deo tam familiares erant, ut populo loquerentur et prædicarent, IN NOMINE DOMINI, auctoritate non suâ, sed Dei, à quo missi fuerant ad prædicendum futura, et castigandum peccata; unde tanquàm fistulæ quædam mundissimæ

et cœlestes erant per quas Spiritus sanctus hominibus loquebatur; si autem illi tanta passi sunt, quid vos tot affectuum terrenorum sordibus inquinati?

VERS. 11. — ECCE BEATIFICAMUS EOS, beatos prædicamus propter spem futuræ beatitudinis, QUI SUSTINUERUNT; Græcus hodiè, *qui sustinent*, qui propter Deum multa mala tolerant, sive ex nostrâ gente Judaicâ, sive alienigenæ fuerint. SUFFERENTIAM JOB AUDISTIS, patientiam S. Job, qui Idumæus ex posteris Esaü, non Judæus erat, ex sacris Litteris narrari audivistis. Hinc refelluntur Thalmudici et Lutherus, qui historiam Jobi fabulam et fictæ tantùm patientiæ imaginem esse volunt; non enim fictis, sed veris patientiæ exemplis suos Judæos excitare debuit S. Jacobus. ET FINEM DOMINI, quo Dominus finivit ea quæ contigerunt B. Jobo, reddens ipsi in fine omnia duplicia, Job ult., v. 10; VIDISTIS, per fidem in illâ historiâ sacrâ: QUONIAM MISERICORS DOMINUS EST; plurimùm et ex visceribus misericors, ut vox Græca sonat: nec miserationes suas intra viscera sua continet, sed etiam est ET MISERATOR; libenter miseretur, et miserationes suas in homines effundit. Ideòque patientiam illam S. Jobi tam largiter, etiam in hoc mundo, est remuneratus, S. Aug., ep. 120, cap. 9, quem Beda et alii multi sequuntur, aliter et subtiliùs hunc versum interpretatur: nam *finem Domini* intelligit Christi mortem et gloriam resurrectionis, ascensionisque in cœlum mox secutam. *Non ait* apostolus Jacobus, inquit Augustinus, *sustinentiam et finem Job audistis, sed sustinentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, tanquàm diceret: Mala temporalia sicut Job sustinuerat, sed pro hâc sustinentiâ non temporalia bona sperate, quæ illi aucta redierunt, sed æterna potiùs, quæ in Domino præcesserunt*, id est, corporis resurrectionem et æternam corporis ac animæ gloriam. Sequentia deinde verba, *quoniam misericors*, etc., huic etiam sensui sic aptari possunt; quia misericors est Dominus, ut vel in hoc mundo patientiam suorum (ut S. Jobi) coram hominibus glorificet, vel post mortem in occulto coronet, inquit Beda.

VERS. 12. — ANTE OMNIA AUTEM, quia hoc vitium valdè commune est, et tamen Deo maximè displicens. Per illud *ante omnia*, inquit Augustinus, serm. 28, de Verbis Apostoli, cautos nos fecit adversùs linguam nostram, ut attendamus præ cæteris, ne nobis subrepat consuetudo jurandi. NOLITE JURARE, vocare Deum in testem, nisi magnâ necessitate compulsi; est enim juramentum tanquàm medicamentum, inquit S. Thomas, quod nonnisi cogente necessitate sumere oportet. Postquàm superiùs satis apertè linguæ vitia est insectatus, hìc tandem, ut omnes reliquias evellat, jurandi consuetudinem, quod est peccatum linguæ obscurius, et à multis aut nullum, aut leve peccatum reputatur, vult abolere, imitatus Christum Dominum, Matth. 5, v. 34, 35, etc. NEQUE PER CŒLUM; rationem addit Christus: *Quia thronus Dei est*, Matth. 5, v. 34; in cœlo enim tanquàm throno majestas Dei residet: *In sole posuit tabernaculum suum*, psalm. 18; unde qui per cœlum jurat, per Deum jurare censetur, Matth. 23, v. 22, sicuti per regiam majestatem jurat qui per solium aut sceptrum ejus jurat. Sic olim etiam gentiles per cœlum et sidera, non tantùm per Jovem, jurare solebant; Virgil., Æneid. 6:

. . . . . *Per sidera juro.*

Et alibi:

. . . . . *Per sidera testor,*
Per superos, atque hoc cœli spirabile lumen.

Pharisæi autem et multi inter Judæos credebant juramenta per cœlum et creaturas concepta ad nihil obligare; unde Christus et Jacobus hunc errorem conati sunt eis eximere. NEQUE PER TERRAM: *Quia scabellum est pedum Dei*, ait Christus, Matth. 5, v. 35: unde terra est pars quædam throni, in quâ Dei pedes quasi requiescunt, ut proinde jurans per terram meritò censeatur etiam per Deum jurare; nam majestas Dei etiam in terrâ relucet, et in operibus terrenis, licèt obscuriùs quàm in cœlo. Sic quoque gentiles, et Virgilius, Æneid. 12:

. . . . . *Terram, mare, sidera juro.*

NEQUE ALIUD QUODCUMQUE JURAMENTUM; aliud quocumque modo conceptum, nempe per alias creaturas, aut per Deum ipsum; hoc est quod Christus ait: *Dico vobis non jurare omninò*, Matth. 5, v. 34. SIT AUTEM SERMO VESTER, quo aliquid affirmatis aut negatis, EST, EST; sermo quidem affirmans, quo de hoc vel illo dicitur *est*, sit *est* nudum et simplex, nullo vestitum juramento: NON, NON; sermo etiam negans, quo de aliquo dicitur *non est*, si *non est* simplex sine ullo juramenti additamento. Hunc sensum clariùs exprimunt Græca: *Sit autem vestrum illud etiam*, etiam: *et illud non*, non, id est, vestrum etiam, sit *etiam*; et vestrum non, sit *non*; unde interpres potiùs hic vertit verba Christi Domini, Matth. 5, v. 37, quàm S. Jacobi, innuens eumdem utriusque esse sensum. Christus verò addit: *Quod autem his abundantius est, à malo est*, id est, juramentum quod ex abundanti affirmationibus et negationibus superadditur, originem habet ex vitio hominum, qui mendaces sunt; ideòque alii ipsis affirmantibus aut negantibus credere nolunt, nisi etiam jurent. Vel *à malo*, id est, à diabolo, ut quidam cum Theophylacto exponunt, quia diabolus invexit jurandi consuetudinem. UT NON SUB JUDICIO (Græcè, *sub judicium*) DECIDATIS; ut non incidatis in divinum judicium et condemnationem, dùm nomen Domini assumitis in vanum, passim et sine necessitate, aut magnâ utilitate testem eum invocando, et auctoritatem ejus interponendo quotidianis vestris sermonibus; sic enim nomen Dei obsolescit et quasi vilipenditur; sicuti princeps non honorari, sed irrideri se putaret, si ad omnia passim etiam minima subditorum negotia testis advocaretur. Veluti ergo vestis pretiosa in dies festos solet reservari, ita nomen Dei precibus et divinis aut valdè seriis sermonibus debet consecrari, inquit Theodoretus. Deinde qui sæpè jurat, falsum aliquando jurat: *Inter* enim *tot cogitationes incertas et volaticas, inter tot conjecturas et fallacias humanas, quando tibi non subrepit quod falsum est posito in regione falsitatis*, ait S. Aug., serm. 28, de Verbis Apo-

stoli. Itaque *Falsa juratio exitiosa est*, inquit : *vera juratio, periculosa est : nulla juratio, secura est.* Juramentum tamen non est intrinsecè malum, imò est actus religionis, si habeat tres comites, *veritatem, judicium et justitiam*, Jer. 4, v. 2, ut ibi docet S. Hier. Veritas adest, quando juratur verum ; judicium adest, quando prudenter propter necessitatem aut magnam utilitatem juratur ; justitia adest, quando materia juramenti est justa, id est, licita et honesta : sic apostoli et alii sancti, imò Deus ipse in Scripturâ sacrâ jusjurandum aliquando interponunt. Anabaptistæ hodiè, et olim Pelagiani, negabant juramentum esse licitum, et formulas jurisjurandi in Scripturâ expressas negabant esse vera juramenta, quos Augustinus, epist. 99, refellit. Græcus textus hodiè ultimam particulam hujus versûs sic legit : *Ut non in hypocrisim decidatis.* Sed meritò corruptus existimatur, cùm duas voces, *hypo, crisin*, id est, *sub judicium*, in unam conjungat.

Vers. 13. — Tristatur aliquis vestrum, propter temporale damnum aut corporale incommodum, vel quamcumque seculi adversitatem, sicut homines imperfecti et ab amore rerum terrenarum nondùm planè avulsi tristari solent. Et hæc est *tristitia seculi*, quæ *mortem operatur*, 2 ad Cor. 7, v. 10. Viri autem perfecti tristitiâ seculi nunquàm reverà tristantur, sed solùm interdùm, *quasi tristes* propter externas afflictiones, *semper autem* corde et in Domino *gaudentes*, 2 ad Cor. 6, v. 10. Supra, v. 9, S. Jacobus vetuit ingemiscere, cùm unus ab altero affligitur aut aliquid incommodi patitur ; jam docet quid in tali et omni aliâ afflictione agere debeant : Oret ; non ad vana seculi solatia recurrat, sed ad Deum, qui ubique præsens est, per orationem se convertat, qui illas tristitiæ nubes citò dissipare, et in spirituale gaudium commutare solet. Magna erat tristitia Davidis cùm diceret : *Renuit consolari anima mea*, sed ecce inquit : *Memor fui Dei, et delectatus sum*, psal. 76. Aliqui tristitiam hoc loco interpretantur acediam, quæ est torpor et tristitia de bono spirituali propter repugnantiam carnis ad spiritum, quæ per orationem etiam efficacissimè dispellitur. Æquo animo est? Græcè : *Bono animo est quis?* animo tranquillo, et cum quâdam modestâ æqualitate non effusè hilari, qualis est hilaritas sanctorum, quæ petulans et dissoluta non est : psallat, cantico spirituali, quo gratias Deo pro istâ hilari animi tranquillitate agat, et nova gratia per psalmos et cantica affluenter hilaritatem istam alat ; magnam enim vim ad animos exhilarandos, et in bonum aut in malum commovendos, musica habet ; hinc Davide cytharam pulsante Saûl meliùs habebat, et spiritus malus ab eo fugiebat, 1 Reg. 16, v. ult. : et cùm Elisæus animum suum excutere et erigere ad Deum vellet ut prophetiæ et divini influxûs magis idoneus esset, jussit psaltem advocari, 4 Reg. 3, v. 15. Hinc in Ecclesiâ cantus et psalmodia instituta, ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat, ait Aug., lib. 10, cap. 33 Confess. *Psallere* propriè est manu instrumentum musicum tangere : *Ore* enim *cantatur, manu psallitur*, inquit Aug., psalm. 104. Ψάλλειν enim Græcè tangere et percutere significat : sed hìc, ut sæpè alìàs, sumitur generaliter, ut etiam spiritu oris, non tantùm tactu manûs, quispiam dicatur psallere : nec solo oris aut psalterii sonitu, sed mente præcipuè psallendum : *Psallam spiritu, psallam et mente*, 1 ad Cor. 14, v. 15 ; hoc enim est psallere sapienter : *Quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter*, psalmo 46, vel ut alia versio habet : *Psallite intelligenter*, id est, non inani sonitu, sed cum intellectûs attentione, ut magis res ipsa quæ canitur, et sententiæ quibus voces animantur, nos moveant, quàm modulatio cantûs : aliàs enim in illâ delectatione aurium peccatum esse censet Aug., lib. 10, cap. 33 Confess., cujus sancta et sublimis theologia, nisi apud spiritualissimos, hodiè parum est in usu.

Vers. 14. — Infirmatur quis in vobis ; si quis inter vos gravi morbo, et cum periculo vitæ laboret ; nam verbum Græcum propriè significat viribus destitui, ut solent illi qui in lectum et gravem morbum sunt prostrati, ut Act. 9, v. 37, ad Rom. 8, v. 3, ubi S. Paulus ait legem infirmatam fuisse per carnem, quando viribus planè destituta nihil omninò ad salutem operari in hominibus posset, propter carnalem concupiscentiam spiritum hominis deprimentem. Quanquàm non negem verbum *infirmari* interdùm latiùs, et pro morbo etiam non periculoso accipi, ut Matth. 25, v. 36, et alibi. Docet ergo hìc Apostolus quid in gravibus corporis infirmitatibus facere debeant, et hâc occasione legem Christi de sacramento extremæ Unctionis iis promulgat, ut docet Trid., sess. 14, c. 1 de extremâ Unctione. Non autem ipse, aut alius apostolus hoc sacramentum instituit, ut quidam malè docuerunt, quia sacramenta pertinent ad fundamentum novæ legis, et ideò ad legislatorem Christum spectabat eorum institutio, ait S. Thomas, quæst. 29, art. 3, Supplementi. Ex hoc loco colligunt theologi sacramentum extremæ Unctionis non esse administrandum euntibus ad prælium, aut carnificis manu morituris, quia tales propriè non sunt infirmi : item neque levi morbo, aut citra periculum vitæ decumbentibus, quia hi pro absolutè infirmis à S. Jacobo non habentur. Inducat (Græcè *advocet*) presbyteros Ecclesiæ, aliquem ex presbyteris Ecclesiæ ; nam unus ad inungendum sufficit. Plures tamen convenienter advocari possunt ad majorem efficaciam precum ex opere operantis, et ad infirmi consolationem. Hinc colligitur, et Ecclesiæ traditio probat, quòd nec laici, nec ordinati infra presbyteratum sint idonei ministri extremæ Unctionis. Ex eo autem quòd Apostolus dicat, *inducat*, non autem *inducantur*, colligit Thomas Anglicus, quòd infirmus debeat verbo vel signo petere hoc sacramentum ut ei administrari possit ; sed non rectè ; nam ex sententiâ communi et praxi Ecclesiæ administratur apoplecticis, et nullo signo petentibus ; sufficit enim desiderium interpretativum, quod habere censetur, et sufficienter manifestat omnis qui christianam vitam profitetur, modò non constet de contrario. Et orent

SUPER EUM, fundendo preces ad Deum; non tantùm *pro eo*, ut vertit Beza, sed *super eum;* quam versionem etiam probat Calvinus; Apostolus enim respicit ad formam hujus sacramenti deprecatoriam, quæ inter ungendum ab aliquo presbyterorum super infirmum pronuntiatur; hæc est enim principalis et substantialis oratio, quam aliæ secundariæ et accidentales præcedere aut subsequi soleat. UNGENTES EUM OLEO, olivarum, quod solum propriè est oleum, quia ex oleæ baccis expressum : unde balsamum, vel succi pingues, ex seminibus, nucibus, etc., expressi, in proprietate sermonis oleum non sunt, licèt vulgariter propter similitudinem sic appellentur. Oleum verò illud debet esse ab episcopo benedictum, ut unctio spiritualis per gratiam quæ hoc sacramento confertur descendat à capite Christo per barbam Aaronis, sive episcopi oleum benedicentis, in oram vestimenti ejus, id est, in sacerdotes inferiores, qui oleum benedictum applicant infirmis, ut S. Thomas exponit. Unctio autem ex traditione ecclesiasticâ fieri debet in organis quinque sensuum externorum, qui sunt quinque radices omnium peccatorum; ad morborum autem radices applicandæ sunt unctiones et medicamenta. Adduntur etiam à concilio Florentino, et in quarumdam Ecclesiarum ritualibus, unctio renum, ubi concupiscentia viget, et unctio pedum, ubi potentia locomotiva; sed non tanquàm de necessitate sacramenti, quia concupiscentia et potentia executiva non sunt primæ radices vel januæ per quas peccata in animam intrant, sicuti quinque sensuum fenestræ : unde in unctione quinti sensûs hoc sacramentum substantialiter absolvitur, et effectum suum operatur. IN NOMINE DOMINI; invocato nomine sive virtute Christi Domini super eum : quod fit quando inter ungendum profertur forma sacramenti deprecatoria. Beda tamen, *in nomine Domini*, id est, inquit, oleo consecrato in nomine Domini.

VERS. 15. — ET ORATIO FIDEI; et forma illa verborum deprecatoria ex fide impetrandæ salutis prolata. Oratio autem ista secundùm Ecclesiæ Romanæ ritum his verbis concipitur: *Per istam sanctam unctionem*, etc. Aliæ quædam Ecclesiæ verbis aliis utuntur, quæ non sunt temerè respuenda, inquit Catharinus, licèt melius esset omnes formas ad unicam Romanam revocare. Varietas autem ista inde videtur orta, quòd duorum tantùm sacramentorum formæ, baptismi scilicet et Eucharistiæ, in Scripturâ sacrâ sint expressæ, quia baptismus in necessitate ab omnibus conferri potest, forma verò Eucharistiæ exprimit illius sacramenti fidem, quæ est de necessitate salutis, inquit S. Thom., quæst. 29, art. 7, ad 1 Supplementi : cæterorum autem sacramentorum formas ex traditione apostolicâ accepimus, quæ in diversis Ecclesiis quantùm ad verba facilè variari potuerunt, modò maneat idem substantialis sensus. SALVABIT, salute spirituali per gratiæ infusionem, et etiam salute corporali, si ita expediat ad animæ salutem, INFIRMUM, Græcè *laborantem;* quo verbo multi interpretes significari putant gravem et quasi intolerabilem infirmitatem, sub quâ æger laborando succumbat; licèt tamen vox illa latiùs pro languido tantùm, et fesso sæpè etiam accipi soleat. Effectus ergo hujus sacramenti est sanatio mentis, ait concilium Florentinum, et in quantum expedit sanatio etiam corporis. Falsum ergo est et à Tridentino, sess. 14, cap. 3, de extremâ Unctione damnatum, quod Calvinus hìc docet, hanc S. Jacobi unctionem tantùm ad gratiam sanationis corporalis pertinuisse, et in primitivâ quidem Ecclesiâ in usu, jam verò desiisse; nam Innocentius I, qui anno Christi 400 cum S. Augustino vixit, de hâc Unctione tanquàm de sacramento in Ecclesiâ adhuc durante loquitur; et Beda, qui anno 700 Christi florebat, in hujus versûs commentario : *Nunc Ecclesiæ consuetudo tenet*, inquit, *ut infirmi oleo consecrato ungantur à presbyteris, et oratione comitante sanentur.* ET ALLEVIABIT (Græcè, *eriget*) EUM DOMINUS, per gratias actuales Dominus animum ejus eriget, et levius reddet pondus infirmitatis eum deprimens; cum corpore enim infirmi jacere solet etiam animus tam vi morbi quàm pondere habituum et inclinationum pravarum, quas olim peccando acenmulavit, depressus; unde gratiis extraordinariis opus habet, ut se erigere, et tentationibus diaboli calcaneo vitæ ejus insidiantis resistere possit, ut docet Trid., sess. 14, cap. 2. Unde primarius hujus sacramenti effectus est gratiæ habitualis incrementum cum gratiis actualibus concomitantibus, quibus homini infirmo in extremo vitæ periclitanti adversùs tot pericula, quæ maximè tunc ingruere solent, subveniatur; ideòque *sacramentum exeuntium* nuncupatur, ait Trid., ibidem, cap. 3. Salus verò corporis est secundarius et conditionatus effectus, si saluti animæ expediat; sacramenta enim propter salutem animæ principaliter instituta sunt, nec quidquam infallibiliter conferunt, nisi in quantum ei prodesse potest. ET SI IN PECCATIS SIT; Græcè : *Si peccata sit perpetratus.* Sed intelligitur si ita sit perpetratus ut adhuc in eis sit et permaneat; unde interpres optimè sensum expressit. Hinc quoque natum dogma illud theologorum, quo dicunt per extremam Unctionem peccatorum reliquias abstergi; nam hæ reliquiæ sunt inprimis omnia peccata tam venialia quàm mortalia, quæ per pœnitentiam ex negligentiâ vel ignorantiâ, ut ait S. Thomas, 3 p., quæst. 65, art. 1, nondùm etiam quoad culpam sunt remissa; sæpè enim accidere potest ut infirmus sit adhuc in peccato mortali propter confessionem invalidam, aut defectum attritionis sufficientis, et tamen hoc ignoret; delebitur autem per extremam Unctionem, si, quando suscipit, fuerit generaliter de omnibus peccatis suis verè attritus; unde meritò unctio consummativa aut suppletiva pœnitentiæ à theologis appellatur. Hinc patet quantâ diligentiâ hoc sacramentum à pastoribus debeat administrari; cùm ab eo sæpè salus æterna infirmorum dependeat. Secundò reliquiæ peccatorum etiam vocantur, pœnæ post remissam culpam restantes; quas tamen extrema Unctio immediatè ex opere operato non tollit, sed per gratias actuales in animo infirmi excitatas, quibus per actus proprios debitum pœnarum minuit, aut totum exhaurit; nam pœnas

restantes ex opere operato immediatè delere, non videtur alicujus sacramenti, sed solius sacrificii missæ effectus; nec ad istum effectum opus est infusione gratiæ, quam omnia sacramenta ex opere operato immediatè operantur. Tertiò, S. Thomas inter peccatorum reliquias ponit debilitatem et hebetudinem mentis ad operandum bonum, ortam ex habitibus et dispositionibus pravis, ex præteritorum peccatorum imaginationibus, etc., quas etiam reliquias extrema Unctio dispellit aut minuit, gratiis excitantibus erigendo et alleviando animum infirmi, ut paulò ante dicebamus. REMITTENTUR EI. Hæc remissio, cùm sit tantùm conditionalis, *si in peccatis sit*, innuitur esse tantùm secundarius sacramenti effectus. Patet quoque adversùs hæreticos hanc unctionem non solùm pertinuisse ad sanitatem corporalem, ut ipsi contendunt; nam per gratiam sanitatum peccata non remittebantur; unde cùm apostoli oleo ungunt infirmos, Marc. 6, v. 13, non dicuntur peccata remisisse, sed corpora tantùm sanâsse, licèt Maldonatus contendat illud fuisse verum sacramentum extremæ Unctionis, addatque hanc esse veram et communem sententiam; sed immeritò. Imò contrarium innuit Trid., sess. 14, c. 1, quando ait hoc sacramentum à Christo Domino apud Marcum insinuatum fuisse, nempe tanquàm in futuri sacramenti figurâ tantùm et typo.

VERS. 16. — CONFITEMINI ERGO, quandoquidem peccata tantùm occulta et peccatorum reliquias sacramentum Unctionis per se deleat, peccata verò manifesta per aliud confessionis sacramentum debeant expiari, ista ergo confiteamini. Conjunctio tamen *ergo* hodiè non est in Græcis, et Syrus pro eâ *autem* reponit. Catharinus tamen et alii quidam meliùs omnem hic conjunctionem omitti existimant. ALTERUTRUM, non Deo tantùm, sed unus alteri, nempe homo homini, potestatem ad remittendum peccata à Christo habenti, Matth. 18, v. 18, Joan. 20, v. 23, si confessio facienda sit sacramentalis; aut etiam confitemini non habenti illam potestatem, si confessio ad mutuam reconciliationem, ad consilium, consolationem, vel orationis adjutorium fiat; aut certè etiam in signum pœnitentiæ, aut offensi Numinis; quòmodò olim ante Christi adventum et potestatem clavium datam hominibus, confessio peccatorum fieri solebat, ut Levit. 5, v. 18, num. 5, versu 7; Matth. 3, v. 6. PECCATA VESTRA, gravia peccata presbyteris, sicuti in lege maculas gravioris lepræ ostendere oportebat sacerdotibus, Levit. 14, v. 2, Lucæ 17, v. 14, ut hìc docet Beda; levia autem, inquit, et quotidiana peccata coæqualibus confiteri possumus; non tamen quasi laici aut clerici nondùm sacerdotes, possint confitentes absolvere à peccatis, cùm careant potestate clavium; sed quia orationibus suis, consolatione aut consilio juvare pœnitentes possunt. Deinde humilitas illa confitentis peccata sua alteri non sacerdoti potest esse magni meriti et satisfactionis apud Deum. Hinc olim in necessitate, cùm abesset sacerdos, mos fuit peccata etiam mortalia confiteri laicis, ut patet ex canone *Quem pœnitet*, distinctione primâ, de Pœnitentiâ, et S. Thomâ, q. 8, art. 2 Supplementi; sed mos iste jam desiit; nisi quòd nautæ in periculo naufragii soleant sibi invicem confiteri, ait Sotus in 4, distinct. 18, q. 4, art. 1. Ex isto quoque S. Jacobi loco mos adhuc in Ecclesiâ permanet, ut sacerdos in missâ, in primâ et completorio confiteatur ministris, etiam non sacerdotibus, ut notat Thom. Anglicus. Calvinus et Erasmus urgent hìc vocem *alterutrum*, negantque ideò hunc locum ullo modo posse intelligi de confessione sacramentali, quia si pœnitens non sit sacerdos, non potest confessio sacramentalis utrinque esse reciproca, seu ad alterutrum, inquiunt, quandoquidem sacerdos non possit sacramentaliter confiteri non sacerdoti. Sed vox *alterutrum* aut *ad invicem*, ut eamdem vocem Græcam alibi vertit interpres, non significat necessariò illam mutuam et reciprocam inter duos confessionem, sed etiam unius è duobus ad alterum; sicut etiam cùm dicitur: *Subjecti invicem*, ad Ephes. 5, v. 21, nempe non uterque alteri, sed inferior superiori; item *hospitales invicem*, 1 Petr. 4, v. 9, id est, unus alteri, ut incola peregrino. ET ORATE PRO INVICEM, justi pro injustis, perfecti pro imperfectis. UT SALVEMINI; Græcè: *Ut sanemini;* sed ad sanitatem animæ maximè aspicit Apostolus; ideòque SALVEMINI optimè interpres vertit. MULTUM ENIM VALET, ad impetrandum. Non dicit, *totum valet*, inquit Thomas Anglicus, quia oratio facta pro alio non est semper efficax; nam ut sit efficax et certò impetratoria, quatuor conditiones requiruntur: ut sit pia, perseverans, ad salutem, pro se. Hæc autem ultima conditio deficit si justus oret pro alio. DEPRECATIO, non tam verbalis quàm mentalis; absit enim ab oratione multa locutio, inquit August., epist. 121; nam plerùmque hoc negotium plus gemitibus quàm sermonibus agitur, plus fletu quàm affatu. JUSTI, quia Filius Dei est, Patri suo amabilis, et ad impetrandum maximè idoneus: *Voluntatem timentium se* (timore filiali) *faciet, et deprecationem eorum exaudiet*, psalm. 144. Hinc patet quàm utile sit rogare justos et devotos ut orent pro nobis, et quantò humiliùs et ferventiùs orationes eorum petimus, eò magis ad percipiendum fructum orationis ipsorum nos disponimus, ait Carthusianus. Deprecatio autem propriè est oratio, quâ malum aliquod averti postulamus. ASSIDUA; alii vertunt *efficax;* Græcè, *energumena*, id est, actuosa, incitata et fervens, ita ut homo orans non tam agere quàm agi videatur à Spiritu per ipsum postulante gemitibus inenarrabilibus, ad Rom. 8, v. 26. Talis deprecatio Eliæ hominis spiritu, igne et zelo pleni; cujus *verbum quasi facula ardebat*, Eccles. 48, v. 1. Talis autem oratio identidem repeti, et assidua, id est, frequens et ferè continua esse solet; unde interpres non malè *assidua* vertit, quidquid Beza murmuret. Deinde, licèt necesse sit variis operibus continuationem orationis interrumpi, est tamen assidua in suâ causâ, seu in desiderio charitatis, quo omnia propter Deum operari debemus, ut docet S. Thomas, 2-2, q. 83, art. 14; qui enim Deo amore conjunctus providet eum in conspectu suo semper, beneplacitum

ejus in omnibus rebus fieri desiderat; hoc autem desiderium est optima et sublissima oratio; unde inter omnes orationes quas Christus in hoc mundo fudit, illa summa et excellentissima fuit, inquiunt contemplativi : *Pater, non mea, sed tua voluntas fiat.* Hoc autem assiduè, saltem virtualiter aut interpretativè, postulare censetur qui Dei beneplacito in omni opere et eventu dulciter acquiescit, et à divinâ providentiâ per aspera et mollia volens ducitur, non invitus trahi debet.

Vers. 17. — Elias homo erat. Exemplo unico Eliæ probat quantùm valeat oratio etiam unius justi fervida et efficax. Similis nobis passibilis, hoc est, similibus nobiscum corporis et animi affectionibus præditus, ut vox Græca sonat; et proinde tunc homo corpore mortalis, et fami, siti, cæterisque naturalibus passionibus obnoxius; unde esuriens à corvis et à viduâ Sareptanâ passi debuit, 3 Reg. 17. Statum hunc passibilem Eliæ commemorat, ut distinguat à statu impassibilitatis quam jam assecutus postquàm curru igneo in cœlum raptus est; ne nos homines passibiles, mortales et miseri, aliquid à Deo posse impetrare desperaremus; et licèt justitiâ ac sanctitate inferiores Eliâ simus, Deus tamen omnibus justis justa et justè postulantibus daturum se promisit. Fortassè etiam S. Jacobus voluit tacitè refellere quorumdam Hebræorum errorem, qui putaverunt Eliam, dùm in terris viveret, fuisse immortalem, et cumdem cum Phinees summo pontifice filio Eleazari, decepti falsâ interpretatione Scripturæ, Num. 25, v. 13, quos refellit Torniellus ad annum mundi 2583, num. 20. Et oratione oravit, valdè fervente et intentâ oratione; hoc enim significat ista geminatio vocis, phrasi Hebræis usitatâ. Ut non plueret, ad castigandam superbiam et impietatem regis Achab, ac idololatriam decem tribuum Israel, 3 Reg. 17. Super terram, Samariæ scilicet et regionum circa quas decem tribus incolebant. Et non pluit, clauso cœlo, ut loquitur Christus, Lucæ 4, v. 25, quasi Elias clavem haberet cœli, ac condus et promus cœlestium aquarum esset. Annos tres et menses sex. Tempus hoc siccitatis à Christo, Luc. 4, v. 25, didicit S. Jacobus, cùm Scriptura vetus illud non exprimat.

Vers. 18. — Et rursum oravit, ferventi iterùm et humili oratione, pronus in terram, ponens faciem suam inter genua sua, 3 Reg. 18, v. 42; et cœlum dedit pluviam, parvâ nubeculâ de mari ascendente, in nubes magnas conversâ, et cœlum contenebrante, 3 Reg. 18, v. 42; Et terra dedit, germinando dare cœpit; Græcè enim *germinavit*, aquis pluvialibus irrigua; fructum, ubi longâ inediâ tabe cor superbi regis et gentis idololatræ ad pœnitentiam inflexum vidit, ait Beda. Erat enim Elias, licèt tam severus, cum severitate tamen misericors; unde à discipulo suo Eliseo vocatur *currus Israel et auriga ejus*, 4 Reg. 2, v. 12; *currus* ad portandum humiles et infirmos; *auriga* ad frænandum et castigandum superbos. Si autem unica unius justi oratio talia ac tanta impetravit, quantùm plurium justorum assidua deprecatio valebit?

Vers. 19. — Fratres mei; qui jam audistis Eliam tam ferventer orâsse pro pluviâ, ut hominum et jumentorum mortuorum carnem à morte præsente liberaret, cogitate quid pro liberandis ab æternâ morte animabus agere nos oporteat. Proinde, si quis ex vobis erraverit (per errorem in fide aut moribus) a veritate, à verâ et rectâ vitæ regulâ, quæ ad vitam æternam ducit. Duo autem genera hominum ab hâc veritate errant, hæretici, qui à veritate fidei deflectunt, et mali Christiani, qui veritatem Dei in injustitiâ detinent, ut de eis qui sciunt et non faciunt, loquitur Apost. ad Rom. 1, v. 18. Et converterit quis eum, oratione, doctrinâ, monitione, correptione, exemplo ad virtutem et viam rectam revocaverit.

Vers. 20. — Scire debet (cogitet ille, vel *sciat*, ut Græcus habet) quoniam qui converti fecerit peccatorem, quod facere potest increpationes et monita salutis auribus ejus insonando, oculis exempla virtutum ingerendo, etc.; quanquàm nisi interiùs Deus cor convertat, surdo loquatur, et cæco ostendat viam; ideòque preces addere oporteat, ne frustra sit omnis noster labor. Ab errore viæ suæ (quæ ducit eum ad mortem) salvabit (liberabit) animam ejus. Græcus omittit verbum *ejus*, non sine emphasi, quasi dicat : Salvabit animam unam, rem totius mundi pretiosissimam, magno sanguinis Filii Dei pretio redemptam. A morte, æternâ; unde patet quantâ charitate et zelo conversioni animarum incumbere debeant, prælati præsertim et pastores, quibus id incumbit ex officio; et cùm omnes animæ sint in perfectione æquales, omnes æquali affectu complecti oportet, sine ullo divitiarum aut nobilitatis discrimine; in quo nimis multi hodiè peccant, magis ad lanam et lac ovium, quàm ad scabiem earum curandam intenti; quod futurum prævidens Christus, Joan. 21, v. 15 et seqq., Petro, et in ipso omnibus Ecclesiæ pastoribus, bis agnos, id est, pauperes à quibus parùm lanæ, nihil lactis speratur, semel tantùm oves commendavit, ut alibi adhuc notavimus. Et operiet, conteget ante oculos Dei, ne ampliùs ab eo aspici possint; hoc autem facit quando peccatorem ad viam justitiæ reducit. Multitudinem peccatorum, illius quem ab errore viæ suæ pravæ converti fecerit. Cùm verò oculis Dei nihil tegi possit, nisi penitùs aboleatur et esse desinat, hinc sequitur peccata per gratiæ sive justitiæ habitualis infusionem prorsùs extingui, sicuti tenebras infuso lumine, noctem die superveniente supprimi et tegi quandoque dicimus. Aspicit Apostolus ad Proverb. 10, v. 12, ubi dicitur : *Universa delicta operit charitas*, quia qui proximum verâ charitate amat, peccata ejus tegit ne videantur, et quantùm in se est delet ac extinguit. Quia verò Apostolus quasi ex abrupto sine ullâ salutatione et epistolari clausulâ scriptionem suam sic finit, non malè Cajetanus dixit libelli potiùs quàm epistolæ formam habere; nec sanè ineptè libello potiùs quàm epistolâ docentur Judæi toto orbe dispersi.

IN EPISTOLAM CATHOLICAM I
B. PETRI APOSTOLI
Præfatio.

Hæc prior S. Petri Epistola à nemine unquàm in dubium revocata est; digna enim profectò apostolorum principe est, inquit Erasmus, plena auctoritatis ac majestatis apostolicæ, verbis parca, sententiis differta.

Ubi et ad quos scripta sit dubitatur. Romæ scriptam Eusebius, Hieronymus, et Catholicorum plerique existimant. Erasmus, Calvinus, et hæretici passim Babylone in Babyloniâ, sive Chaldæâ, quia Petrus videtur hoc significare cap. ult., v. 13. Sed nostri respondent Romam vocari à Petro Babylonem, propter idololatriæ tunc ibi regnum, et omnium superstitionum confusionem.

Cùm ergo S. Petrus, Hieronymo teste, Romam venerit anno Claudii imperatoris 2, id est, Christi 44, oportet eum eodem aut sequenti anno hanc epistolam scripsisse, quia S. Marcus evangelista eo tempore Romæ adhuc cum Petro erat, ut patebit infra, cap. 5, v. 13; Marcus autem anno Claudii 3, sive Christi 45, ut testatur Eusebius, postquàm Evangelium suum Romæ scripsisset, Alexandriam in Ægyptum ad regendam illam Ecclesiam à Petro est missus. Unde sequitur hanc Petri Epistolam scriptam esse ante omnes S. Pauli Epistolas; nam prima inter Paulinas est prima ad Thessal., ut in ejus præfatione diximus, illa verò solùm anno Claudii 10, Christi 52, ut Baronio videtur, vel anno Christo 50, ut Adrichomio placet, scripta fuit.

Petrum verò non ad Judæos, sed ad gentiles christianos undique propter persecutiones dispersos, hanc Epistolam scribere multi existimant, propter cap. 2 versum 10, ac inter eos Ribera, Oseæ 2, n. 4, licèt sententiam suam revocet in præfatione Epistolæ ad Hebræos. Verius ergo est quod Hieronymus, Didymus, et alii censent, scriptam principaliter esse ad Hebræos per varias regiones gentium dispersos, etiamsi Ecclesiis ipsorum plurimi etiam gentiles christiani iisdem persecutionibus exagitati, et hùc illùc fugitivi, permixti essent: unde S. Petrus nunc eos tanquàm Judæos, nunc tanquàm gentiles alloquitur. Unde etiam factum est ut S. Augustinus, lib. 22, c. 89, contra Faustum, dicat S. Petrum hanc Epistolam ad gentiles scripsisse. Attamen præcipuè ad Judæos, quia, licèt omnium pastor universalis esset, specialiter tamen circumcisionis et Judæorum apostolus, et curæ eorum vinculo peculiari astrictus erat: *Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes*, ad Galat. 2, v. 8.

Argumentum Epistolæ excelsum et sublime est; revocat enim ipsis in memoriam vocationem suam, quâ è tenebris ad admirabile lumen, è miseriis ad æternam felicitatem, per æternam prædestinationem in sanguine Christi vocati sunt: unde debere eos tanquàm peregrinos et advenas hanc vitam pertransire, et ab affectu rerum terrenarum abstractos conversationem habere in cœlis. Hinc de variis virtutum officiis, et tolerandis fortiter adversitatibus, eos admonet, signans iis quasi vias per quas ad speratam felicitatem transire oporteat.

Cæterùm sensus et interpretatio Epistolæ difficilis est, partim quia Petri phrasis multò quàm Paulina perplexior, partim quia in his non perinde sublevamur veterum commentariis, ait ad Thomam cardinalem Eboracensem Erasmus.

IN EPISTOLAM CATHOLICAM I
B. PETRI APOSTOLI
COMMENTARIA.

CAPUT PRIMUM.

1. Petrus, apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ,

2. Secundùm præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritûs, in obedientiam et aspersionem

CHAPITRE PREMIER.

1. Pierre, apôtre de Jésus-Christ, aux fidèles qui sont étrangers et dispersés dans les provinces du Pont, de la Galatie, de la Cappadoce, de l'Asie et de la Bithynie,

2. Qui sont élus, selon la prescience de Dieu le Père, pour recevoir la sanctification du Saint-Esprit,

sanguinis Jesu Christi : gratia vobis et pax multiplicetur.

3. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis,

4. In hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cœlis in vobis,

5. Qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem paratam revelari in tempore novissimo.

6. In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus :

7. Ut probatio vestræ fidei multò pretiosior auro (quod per ignem probatur), inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem, in revelatione Jesu Christi :

8. Quem cùm non videritis, diligitis ; in quem nunc quoque non videntes creditis : credentes autem exultabitis lætitiâ inenarrabili et glorificatâ :

9. Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum.

10. De quâ salute exquisierunt, atque scrutati sunt prophetæ, qui de futurâ in vobis gratiâ prophetaverunt :

11. Scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi : prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias :

12. Quibus revelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis, Spiritu sancto misso de cœlo, in quem desiderant angeli prospicere.

13. Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfectè sperate in eam quæ offertur vobis gratiam in revelationem Jesu Christi :

14. Quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis ;

15. Sed secundùm eum qui vocavit vos Sanctum : et ipsi in omni conversatione sancti sitis :

16. Quoniam scriptum est : Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.

17. Et si Patrem invocatis eum qui sine acceptione personarum judicat secundùm uniuscujusque opus, in timore incolatûs vestri tempore conversamini ;

18. Scientes quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vanâ vestrâ conversatione paternæ traditionis :

19. Sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, et incontaminati :

20. Præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus propter vos,

21. Qui per ipsum fideles estis in Deo qui suscitavit eum à mortuis, et dedit ei gloriam, ut fides vestra et spes esset in Deo :

22. Animas vestras castificantes in obedientiâ charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentiùs :

pour obéir à la foi, et être arrosés du sang de Jésus-Christ : que Dieu vous comble de plus en plus de sa grâce et de sa paix.

3. Béni soit le Dieu et le Père de Notre-Seigneur Jésus-Christ, qui, selon la grandeur de sa miséricorde, nous a régénérés par la résurrection de Jésus-Christ d'entre les morts, pour nous donner l'espérance de la vie,

4. De cet héritage où rien ne peut ni se détruire, ni se corrompre, ni se flétrir, qui vous est réservé dans les cieux, à vous

5. Que la vertu de Dieu garde par la foi, pour vous faire jouir du salut qui doit être montré à découvert à la fin des temps.

6. C'est ce qui doit vous transporter de joie, lors même que pendant cette vie, qui est si courte, vous seriez affligés de plusieurs maux,

7. Afin que votre foi ainsi éprouvée, étant beaucoup plus précieuse que l'or, qui est éprouvé par le feu, se trouve digne de louange, d'honneur et de gloire, à l'avénement glorieux de Jésus-Christ,

8. Que vous aimez, quoique vous ne l'ayez jamais vu, et en qui vous croyez, quoique vous ne le voyiez point encore maintenant ; ce qui vous fait tressaillir d'une joie ineffable et pleine de gloire,

9. Et remporter le salut de vos âmes, pour récompense de votre foi :

10. Ce salut, dans la connaissance duquel les prophètes, qui ont prédit la grâce que vous deviez recevoir, ont désiré de pénétrer, l'ayant recherché avec grand soin ;

11. Et ayant examiné, dans cette recherche, en quel temps et en quelle conjoncture l'Esprit de Jésus-Christ, qui les instruisait de l'avenir, leur marquait que devaient arriver les souffrances de Jésus-Christ, et la gloire qui devait les suivre,

12. Il leur fut révélé que ce n'était pas pour eux-mêmes, mais pour vous, qu'ils étaient ministres et dispensateurs des choses que ceux qui vous ont prêché l'Évangile, par le Saint-Esprit envoyé du ciel, vous ont maintenant annoncées, et dans le secret desquelles les anges mêmes désirent de pénétrer.

13. C'est pourquoi ceignant les reins de votre âme, et vivant dans la tempérance, attendez avec une espérance parfaite la grâce qui vous sera donnée à l'avénement de Jésus-Christ :

14. Évitant comme des enfants d'obéissance, de devenir semblables à ce que vous étiez autrefois, lorsque, dans votre ignorance, vous vous abandonniez à vos passions ;

15. Mais soyez saints dans toute la conduite de votre vie, comme celui qui vous a appelés est saint,

16. Selon qu'il est écrit : Soyez saints, parce que je suis saint.

17. Et puisque vous invoquez comme votre Père celui qui, sans avoir égard à la différence des personnes, juge chacun selon ses œuvres, ayez soin de vivre dans la crainte durant le temps que vous demeurez comme étrangers sur la terre ;

18. Sachant que ce n'est point par des choses corruptibles, comme de l'or ou de l'argent, que vous avez été rachetés de la vaine superstition où vous avait fait vivre la tradition de vos pères ;

19. Mais par le précieux sang de Jésus-Christ, comme de l'Agneau sans tache et sans défaut,

20. Qui avait été prédestiné avant la création du monde, mais qui a été manifesté dans les derniers temps pour l'amour de vous,

21. Qui par lui croyez en Dieu, lequel l'a ressuscité d'entre les morts, et l'a comblé de gloire, afin que vous missiez votre foi et votre espérance en Dieu.

22. Rendez vos âmes pures par une obéissance d'amour, et que l'affection sincère que vous aurez pour vos frères vous donne une attention continuelle à vous témoigner les uns aux autres une tendresse qui naisse du fond du cœur ;

23. Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi, et permanentis in æternum,

24. Quia omnis caro ut fenum, et omnis gloria ejus tanquàm flos feni : exarnit fenum, et flos ejus decidit ;

25. Verbum autem Domini manet in æternum ; hoc est autem verbum quod evangelizatum est in vos.

23. Ayant été engendrés de nouveau, non d'une semence corruptible, mais incorruptible, par la parole de Dieu qui vit et subsiste éternellement.

24. Car toute chair est comme l'herbe, et toute la gloire de l'homme est comme la fleur de l'herbe : l'herbe sèche et la fleur tombe.

25. Mais la parole du Seigneur demeure éternellement ; et c'est cette parole qui vous a été annoncée par l'Evangile.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Petrus. Hoc nomen ei dulciùs sapiebat, inquit Carthusianus, quia à Christo Domino suo impositum, Marci 3, v. 16. Nomen quoque magnificum, et de quo meritò in Domino gloriabatur, quia petram significat super quam Christus ædificavit Ecclesiam suam, Matth. 16, v. 18 ; Joan. 21, v. 15. In principio tamen secundæ Epistolæ *Simonem*, vetus et circumcisionis nomen, *Petro* addit. Apostolus Jesu Christi, imò princeps et caput apostolorum : quod tamen ex humilitate subticuit. Apostolus ergo est per excellentiam ; sicuti Cicero orator, Virgilius poeta, et inde Romana Petri sedes, non autem cæterorum apostolorum, Apostolica vocatur : veluti etiam nullius alterius apostoli sedes continuâ episcoporum successione hùc usque duravit. Electis, ad regnandum cum Christo ; famosè enim per electos intelligi solent quos Christus distinguit à vocatis tantùm, quando dicit : *Multi sunt vocati, pauci verò electi*, Matth. 20, v. 16. S. Petrus tamen et apostoli, omnes fideles quando credunt, baptizantur, et secundùm Deum vivunt, *electos* vocant, quia nesciunt quid futuri sint, inquit Augustinus, cap. 7, de Corrept. et Grat. Non tamen vocantur electi ab illo, inquit, qui novit eos non habere perseverantiam, quæ ad beatam vitam perducit electos, scitque illos ita stare ut præsciat esse casuros. Advenis ; qui regiones illas non tanquàm natale solum, sed ut peregrini aliunde adventantes incolunt : unde eamdem vocem Græcam *peregrinos* vertit interpres, Hebr. 11, v. 13. Falluntur ergo qui *advenas* hìc interpretantur proselytos, sive eos qui ex gentilismo ad religionem Judaicam accesserant ; licèt proselytum aliquando *advenam* etiam vertat, ut Act. 6, vers. 5. Sensu autem spirituali et supra textum assurgente, inquit Didymus, *advenæ* sunt animæ rationales dùm in corporibus terrenis temporaliter constituuntur : quæ verba, licèt in bonum sensum trahi possint propter animæ rationalis immortalitatem, sapere tamen videntur errorem Origenis, qui cum Platone putavit animas creatas esse ante corpora, et in ea tanquàm advenas et peregrinos detrudi. Nam erroribus Origenis infectum fuisse Didymum præceptorem suum fatetur S. Hieronym. Dispersionis ; dispersis per varias illas regiones quas mox enumerabit. Hæc autem dispersio non est illa facta in morte Stephani, Act. 8, v. 1 ; nam hæc solùm facta est per Judæam et Samariam ; sed alia posterior, inquit Ribera, de quâ S. Paulus loquitur ad Hebræos 10, v. 34 ; ad eosdem enim Hebræos Paulum ibi et Petrum hìc scripsisse colligitur ex 2 Petri 3, v. 15. Verùm non est necesse istam dispersionem restringere ad illam ultimam quâ per bonorum suorum rapinas, Hebr. 10, v. 34, Judæi christiani dispersi sunt, sed comprehendere oportet omnes dispersiones vetustiores sub Antiocho tempore Machabæorum, et sub aliis tyrannis ; nihil enim omni tempore proclivius fuit Judæis quàm fugere in proximas Asiæ Minoris regiones, quæ illo et superioribus seculis erant totius ferè orbis terræ fertilissimæ et amœnissimæ. Ponti, regionis Asiæ Minoris conterminæ Ponto, sive mari Euxino ; unde nomen habet. Galatiæ, regionis ejusdem Asiæ Minoris, quæ olim occupata à Gallis : unde *Gallo-Græcia* aliter appellatur. Civitatem hanc incolebant Galatæ, ad quos apostolus Paulus unam Epistolam scripsit. Cappadociæ, regionis quoque ad mare Euxinum, sed magis orientalis quàm Pontus. Capitalis civitas Cappadociæ erat Cæsarea, S. Basilii Magni nativitate et episcopatu nobilis. Asiæ, specialissimè dictæ, quæ *Ionia* aliter appellatur, cujus caput est Ephesus. *Asia* enim apud scriptores tripliciter accipitur : primò pro Asiâ majore, quæ est quarta pars orbis terræ, et Asiam minorem, Syriam, Persiam, Tartariam, et ingentes tractus terrarum versùs Orientem complectitur ; secundò pro Asiâ Minore, quæ præter Pontum, Galatiam, Cappadociam, Ioniam, Bithyniam, alias etiam multas regiones continet, ut Pamphyliam, Lycaoniam, Pisidiam, Iconiam, Liciam, Ciliciam, etc., quarum etiam mentio fit in Scripturis sacris ; tertiò pro Asiâ strictissimè Minore, seu minimâ, ut sic dicam, quæ unicam tantùm prioris Asiæ Minoris regionem comprehendit, quomodò hìc et plerumque in Scripturis novi Testamenti, ut Actor. 2, v. 9, Actor. 19, v. 22, et alibi accipi solet. Bithyniæ, regionis juxta Pontum è regione Constantinopolis, in quâ Nicæa et Chalcedon urbes duobus conciliis œcumenicis celebres, et Nicomedia imperatoris Diocletiani olim sedes, ideòque innumerabilium martyrum carnificina nobilis. Ex his patet Judæos decem tribuum, ad quos universim scribit S. Jacobus, non tantùm complecti istos per Pontum, Galatiam, etc., dispersos, quibus jam scribit S. Petrus, sed longè plures, per ortum et occasum longissimo intervallo à se invicem dissitos, ut in Argumento Epistolæ S. Jacobi diximus ; quæ fortassis ratio etiam fuit cur S. Jacobus non per modum epistolæ, quæ ad certos homines et certas regiones mitti solet, sed per modum libelli sine clausulâ epistolari scripserit, ut ante monuimus.

Vers. 2. — Secundum præscientiam Dei Patris ; electis, inquam, iuxta præscientiam quâ Deus Pater

ab æterno præscivit scientiâ visionis et approbationis gratiam et gloriam, quam in tempore daturus erat iis quos separabat à massâ damnationis. Unde quia ista præscientia supponit prædestinationem seu decretum divinæ voluntatis de gloriâ et gratiâ dandâ electis, sæpè accipitur pro ipsâ prædestinatione, ut cap. 18 de Dono perseverantiæ docet Augustinus, juxta phrasim Apostoli : *Non repulit plebem suam quam præscivit*, ad Rom. 11, v. 2.; unde etiam hic locus (*Electis secundùm præscientiam*) exponi potest electis per prædestinationem Dei Patris. Hâc autem præscientiâ, prout ad intellectum pertinet, scit Deus quid sit facturus, inquit Augustinus, ideòque factum suum tanquàm sanctum approbat, multùmque differt à præscientiâ quâ peccata hominum præscit, quæ ipse nec facit, nec approbat. Præscientia etiam ista malè et contra Augustinum accipitur pro quâdam scientiâ medîâ, ut recentiores vocant, quæ omne decretum liberum divinæ voluntatis antecedit ; malè etiam pro præscientiâ seu prævisione meritorum, quasi Deus non eligat homines ad gloriam tanquàm finem, nisi ex prævisis meritis ipsorum ; priùs enim ratione prædestinat ad gloriam tanquàm finem, quem in isto prædestinationis decreto præscit ; deinde prædestinat et præscit merita per quæ tanquàm media ad finem illum homines perducit. In SANCTIFICATIONEM SPIRITUS, id est, ut sancti fierent, non sanctitate legali, sed spirituali, per gratiam Spiritûs sancti : nam *elegit eos ante mundi constitutionem ut essent sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate*, ad Ephes. 1, v. 4. Sanctificatio autem, sive sanctitas ista, tam imperfectam viæ, quàm perfectam patriæ sanctitatem comprehendit ; ad utramque enim Deus electos suos elegit et prædestinavit, licèt sanctitas patriæ sit prior in intentione quàm sanctitas viæ, sicut finis prior est mediis. Græcè tamen, *in sanctificatione Spiritûs*, per sanctificationem Spiritûs sancti futuram ; Pater enim elegit per sanctificationem tanquàm per suæ dilectionis et electionis formale objectum : *Quid enim Deus diligebat in Jacob antequàm natus aliquid boni fecisset, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum?* ait Augustinus epist. 105. In OBEDIENTIAM, ut jam sanctificati obediant legi Christi per gratiæ adjutorium ; ad hanc enim quoque obedientiam eliguntur tanquàm ad medium quo perveniatur ad vitam æternam. Licèt enim vox *electio* à theologis scholasticis soleat appropriari electioni ad gloriam, in Scripturâ tamen et ab Augustino indifferenter usurpatur pro electione ad gloriam et gratiam, perinde ac vox *prædestinatio*. ET ASPERSIONEM, et ut *aspergantur*, *non aspersione sanguinis vitulorum et taurorum* ad emundationem carnis, ad Hebr. 9, v. 13, sed SANGUINIS JESU CHRISTI, qui *emundat conscientiam* à peccatis et *ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi*, ad Hebr. 9, v. 14. Ex his patet S. Petrum hîc indicare totam SS. Trinitatem ad salutem hominum electorum concurrisse, unicuique personæ peculiare suum munus attribuendo : Pater, qui divinitatis et bonitatis fons est, infinitâ suâ misericordiâ motus, aliquos ex massâ damnatâ eligit, prædestinat et præscit ; Spiritus sanctus, qui charitas et sanctitas est, eos sanctificat ; Filius carne assumptâ suo sanguine eosdem aspergit, dùm totam sanctificationem et universa gratiæ et gloriæ dona morte suâ est eis promeritus. GRATIA VOBIS, quæ gratiam sanctificantem, auxiliatricem, et omnia dona spiritualia Christi merito nobis donata complectitur ; ET PAX, quæ est *vinculum sanctæ societatis*, *compago spiritalis*, *ædificium de lapidibus vivis*, inquit Augustinus in psal. 149, MULTIPLICETUR ; gratia per bonorum operum multiplicationem augeatur, et vinculum pacis mutuâ et multiplicatâ charitate arctiùs astringatur ; et licèt fieri non possit quin dissensiones et rixæ interdùm oriantur etiam inter sanctos, ut inter Paulum et Barnabam, Actor. 15, v. 39, non tamen debent esse tales quæ concordiam occidant, quæ charitatem interimant, ait Augustinus in psal. 33 ; nam et tibi ipsi, inquit, aliquando resistis, et tecum rixaris, dùm aliquid fecisse pœnitet, et tamen te non odisti. Carthusianus *pacem* intelligit tranquillitatem mentis in Deo, quia sancti in omni eventu tam in prosperis quàm adversis Deo se infigunt, habentes corpus subditum animæ, animam spiritui, spiritum Deo ; quæ subordinatio ab Augustino *tranquillitas ordinis* appellatur.

VERS. 3. — BENEDICTUS (sit, benedictione laudis et gratiarum actionis) DEUS ET PATER DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, Deus Christi Domini nostri per naturæ ejus humanæ creationem in tempore, Pater per generationem personæ ejus divinæ in æternitate, sicut duo ista distinguit et interpretatur Beda. QUI SECUNDUM MISERICORDIAM SUAM, qui non per merita nostra, sed per misericordiam quâ misertus est universalem humani generis in primo parente lapsum. MAGNAM ; Græcè, *multam*, variam quoad multiplices misericordiæ effectus ; vel *copiosam*, ut Erasmus vertit. REGENERAVIT (per baptismum) NOS, qui meritis nostris generati eramus ad mortem. IN SPEM VIVAM, ad vitam animæ et corporis semper viventem et sempiternam, quæ est spei nostræ objectum ; aut certè, si spes non pro spei objecto, sed pro habitu vel actu accipiatur, *spes viva* est *spes vitæ*, ut Syrus vertit ; vel ut alii : Spes quæ charitatem tanquàm vitam suam per quam operatur conjunctam habet, qualis est spes sanctorum ; spes verò *improborum*, *non viva*, *sed mortua* est, et frustra sine charitate sperant se perventuros ad vitam æternam. PER RESURRECTIONEM CHRISTI, tanquàm per causam exemplarem in quâ Deus Pater ideam quamdam nostræ regenerationis spiritualis ostendere voluit ; nam resurrectio Christi quædam *regeneratio fuit*, *ideòque Paulus*, Actor. 13, v. 33, illud psalm. 2, *ego hodiè genui te*, explicat de Christi resurrectione. EX MORTUIS, ex numero mortuorum ; quo etiam adumbratus fuit terminus à quo regenerationis nostræ à morte peccati ad vitam spiritualem. Œcumenius tamen, Beda, Erasmus, et alii particulam *per resurrectionem* non conjungunt cum verbo *regeneravit*, sed cum eo quod proximè præcessit, *in spem vivam*, ut spes viva æternæ vitæ, tam animæ quàm corporis, significetur in nobis excitari per re-

surrectionem Christi, quia quò caput præcessit, eòdem sequentur et membra ejusdem mystici corporis.

Vers. 4.—In hæreditatem in corruptibilem regeneravit nos, inquam, ut tanquàm filii per istam regenerationem spiritualem adoptati possideamus vitam æternam per modum paternæ hæreditatis; nec talis qualis est terrena hæreditas, ad quam *fur* quandoque *appropiat, aut tinea corrumpit*, Lucæ 12, v. 33, sed cujus possessio sit incorruptibilis et sempiterna. Et incontaminatam, quæ nullis sordibus inquinatur, unde nobis vilior reddi possit; quod hæreditati terrenæ, ut pretiosæ supellectili à parentibus nobis relictæ, et aliis bonis terrenis sæpè evenit. Beda *incontaminatam* dicit, quia nullus immundus in illam hæreditatem intrare potest. Et immarcescibilem, quæ senio aut vetustate marcescere nequit; nullum enim tædium, nullus languor beatis in videndo, amando, gaudendo, unquàm obrepit, oculus enim semper vigilat, amor semper fervet, gaudium semper exultat. Conservatam, per æternam præscientiam quam Deus Pater in memoriâ retinet. In cœlis; est enim hæreditas *non terrena, sicut illa veterum Hebræorum in* terrâ promissionis, sed cœlestis: hæc enim est *saculus* ille *qui non veterascit, thesaurus non deficiens in cœlis*, Lucæ 12, v. 33; sunt etiam illæ *multæ mansiones in domo Patris*, Joan. 14, v. 2. In vobis; non enim hæreditas illa in cœlis conservatur, nisi in ipsis electis, qui jam per æternam prædestinationem sunt cœli cives ascripti, filii adoptivi, et illius hæreditatis participes. Græcè tamen, in vos, id est, in gratiam vestri, sive pro vobis.

Vers. 5.—Qui in virtute Dei (qui per potentiam gratiæ Dei) custodimini, tanquàm præsidio militari, ut verbum Græcum significat, contra hostes vestros, carnem, mundum, diabolum; nisi enim electi in viâ hujus vitæ adversùs hostes istos tam vigiles et infestos potentiâ et efficaciâ gratiæ Dei custodirentur, nunquàm ad speratam hæreditatem pervenirent: *Nisi* enim *Dominus custodierit civitatem*, etc., ps. 126. *Nec est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos*, Jerem. 10, v. 23; gratia enim Christi efficax ad singulos gressus et bonos liberi arbitrii motus homini per peccatum primi parentis saucio et infirmato necessaria est, ut S. Augustinus tam sæpè, et ex professo epist. 107 ad Vitalem Semipelagianum, docet: *Gratia*, inquit, *ad singulos actus datur... quia liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus..... Quapropter ut in Deum credamus et piè viva mus, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei; non quia velle non debemus et currere, sed quia ipse in nobis et velle operatur et currere.* Et Beda post suum magistrum: *Illius per omnia quærendum est auxilium, ut perficiamur à quo initium bonæ actionis accepimus.* Per fidem, quæ est fundamentum totius justitiæ bonorum operum, et quasi ostium per quod gratia Dei, quâ benè vivitur, in animam influit: *Sine fide* enim *impossibile est placere Deo*, ad Hebr. 11, v. 6. In salutem, ad æternam salutem animæ et corporis; hic enim est finis custodiæ divinæ per potentissimam gratiæ efficaciam, quâ Deus tam firmiter electos custodit et tenet, ut nemo eos de manu ejus finaliter possit eripere, Joan. 10, v. 29. Nec tamen oportet ideò securum et in bonis operibus negligentem esse, quia per actiones *nostras hæc Dei custodia peragitur*; periculumque est ne ex negligentiâ nostrâ, vel superbiâ, quâ nobis nimis placemus, deseramur ope gratiæ, et remaneamus in infirmitate naturæ, ait post August., sermone 8 de Epiphaniâ, S. Leo; et ideò jubemur cum metu et tremore salutem nostram operari, quia *Deus* (qui deserere negligentes et superbos potest) *operatur in nobis velle et perficere*, ad Philip. 2, v. 12 et 13. Paratam revelari, promptam jam et quasi in procinctu ut reveletur, et manifestetur toti mundo; vox enim *paratam* hìc non est participium, sed nomen, significans salutem electorum, hactenùs conservatam quasi occultè et repositam in cœlis, jam in promptu et proximo esse ut reveletur, quia versamur in mundi vesperâ et *novissimâ horâ*, 1 Joan. 2, v. 18. In tempore novissimo, ultimo illo judicii universalis die, quando plena salus et gloria tam animæ quàm corporis *omnium electorum* angelis et hominibus apparebit.

Vers. 6. — In quo (tempore novissimo) exultabitis, lætitiâ animi tam abundante ut etiam resultet in gestum corporis. Græcè, *in quo exultatis*. Propter quam rem paulò ante à me dictam, nempe quòd hæreditas vobis conservetur in cœlis, etc., etiam nunc exultatis lætitiâ spirituali. Quæ lectio à multis verior æstimatur. Modicum nunc, modico tempore in præsenti vitâ, quæ tota momentum est si cum beatâ æternitate comparetur. Si oportet, nam oportet aliquando; ideòque tribulationes hujus vitæ, ait Thomas Anglicus, Psalmista *necessitates* appellat: *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, de necessitatibus meis erue me*, psal. 24. Videbat enim Rex sanctus aliam legem repugnantem in membris suis legi mentis suæ; quæ est communis omnium justorum tribulatio; quibus proinde deesse non potest hæc saltem materia tristitiæ. Contristari, labore aliquo molestante et tristitiam afferente, licèt majori gaudio spirituali possit opprimi; unde tales non propriè tristes dicuntur, sed *quasi tristes, semper autem gaudentes*, 2 ad Cor. 6, v. 10. In Græco non est verbum *contristari*, sed participium *contristati*, et particula, *si oportet* inclusa est parenthesi, hoc modo: *In quo exultatis modicum nunc (si oportet) contristati.* Unde ad vitandam parenthesim Erasmus particulam *si oportet*, vel, ut ipse vertit, *si opus est*, rejicit usque ad finem hujus versûs. In variis tentationibus, per multiplices tribulationes tam internas quàm externas, à diabolo, mundo, carne; nam *omnes qui volunt piè vivere in Christo Jesu*, à talibus hostibus *persecutionem patientur*, 2 ad Tim. 3, v. 12; unde Sapiens monet: *Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem*, Eccles. 2, v. 1. Falluntur ergo Christiani qui inter delicias hujus mundi, et per viam laxam putant se operari posse suam salutem, similes Juliano et veteribus Pelagianis, qui philosophi Dinomachi philosophiam, ut ait Augustinus, amplexati, veram virtutem cum amore voluptatum posse consistere cen-

sebant. Sed non minùs contra voluptatum illecebras quàm contra duras persecutiones tyrannorum pugnandum est : *Si quis* enim *diligit mundum* (id est, mundi voluptates, honores, opes), *non est charitas Patris in eo*, ait dilectus Christo Apostolus, 1 Joan. 2, v. 15.

Vers. 7. — Ut probatio vestræ fidei, ut patientia, quâ fides vestra variis tentationibus probatur, ut rectè Beda exponit; vel, ut alii, *probatio fidei*, est fides probata, ut abstractum positum sit pro concreto, et regimen pro concordantiâ; minùs tamen benè. Multò pretiosior auro, quod rex metallorum est, et in tanto pretio ab hominibus mundanis habetur. Græcus interjicit particulam *illo pereunte*, sive illo quod perit, ut fides dicatur pretiosior auro corruptibili. (Quod per ignem probatur) quod jam non solùm ad lapidem Lydium exploratur, an verum purumque aurum sit, sed etiam in fornace ad idem experimentum tam operosè liquatur. Quantò ergo magis Deus patientiam et fidem electorum suorum omni auro sibi pretiosiorem desiderat igne tribulationum probari! *Tanquàm aurum in fornace probavit illos*, etc., Sap. 3, v. 6. Benè sanctorum patientia assimilatur auro, inquit Beda, quia sicut aurum in fornace clausâ ignibus examinatur, et deinde prolatum cujus sit fulgoris apparet; ita fidelium constantia inter pressuras contemptibilis et stulta videtur, tempore autem retributionis quantùm flammis passionum profecerit, et quantæ gloriæ sit apparebit: unde addit Apostolus : Inveniatur (à judice Christo) in laudem, apud judicem et electos judici assistentes. Laus autem propriè vocatur quando alicujus virtus et excellentia verbis deprædicatur. Et gloriam, quâ toti mundo gloriosi reddentur et celebres. Videtur enim loqui non de visione beatificâ, quam theologi gloriam beatorum appellant, sed de gloriâ famæ et nominis, quæ affinis est laudi et honori, quibus Apostolus gloriam hic associat. Et honorem, quo Judex eos afficiet elevando et inserendo eos cœlestibus mansionibus in domo Patris sui. Vel certè intelligi potest *laus, gloria, honor*, non creaturæ, sed Dei, ut significetur quòd Deus in omni bono quod in mundo agitur, laudandus sit verbis, glorificandus admirationibus, honorandus operibus virtuosis, inquit Carthusianus; sic enim debemus, inquit, proprium intendere præmium, ut nos ipsos et quidquid boni ad nos spectat finaliter et principaliter ad Dei gloriam referamus. In revelatione Jesu Christi; in die extremi judicii, quando Christus in nubibus conspicuus apparebit, et revelabitur qui nunc ab oculis mortalium in cœlo est absconditus.

Vers. 8. — Quem cum non videritis, oculis carnis, saltem plerique vestrûm; nam Judæi ad quos scribit, plerique omnes nati erant in Ponto, Galatiâ, etc., ad quas regiones patres eorum fuerant olim dispersi, nec viderant Christum in Judæâ conversantem, nisi fortassè aliqui in solemnitatibus quibus Jerosolymam quotannis solebant convenire, ut patet Act. 2, v. 9. Diligitis, ut Deum et redemptorem vestrum, dilectione supernaturali et super omnia. In quem nunc quoque non videntes (ipsum postquàm in cœlum est sublatus) credITIS; fides enim obscura præire debet dilectioni viæ, sicut visio clara dilectioni patriæ. Vox tamen ista *creditis* interjecta est ab interprete ad claritatem, quamvis necessaria non sit ad sensum Credentes autem exultabitis, postea quando videbitis eum facie ad faciem. Græcè tamen, *exultatis*, ut sit exultatio viæ, non patriæ : exultatio quâ adhuc infirmi exultant Deo adjutori suo, psal. 80, non quâ sancti exultant in glorià, et lætantur in cubilibus suis, ps. 149. Lætitia inenarrabili, cujus materia sunt deliciæ inenarrabiles : quomodò enim enarrari possent, cùm, *nec oculus viderit, nec auris audiverit, nec in cor hominis ascenderit quæ præparavit Deus iis qui diligunt eum?* 1 ad Cor. 2, v. 9 ; et glorificata, quia est pars gloriæ cœlestis, quæ in visione, amore, et fruitione, seu lætitiâ illâ inenarrabili consistit. Lætitia quoque sanctorum adhuc in terrâ peregrinantium, sæpè est inenarrabilis et glorificata, quia est lætitiæ cœlestis et gloriosæ quidam gustus : unde Aug., l. 10, c. 40 Confess.: *Aliquando introduxisti me* (inquit ad Deum) *in affectum multum inusitatum, introrsùs ad nescio quæ dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit quod vita ista non erit.* Item lib. 9, cap. 10, in colloquio quodam de regno cœlorum cum suâ matre, mente subitò in Deum raptâ et rapidâ, ut loquitur, cogitatione æternam sapientiam super omnia manentem attingens, in interiora Dei gaudia absorptus et reconditus : *Si talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ*, inquit, *nonne hoc est : Intra in gaudium Domini tui?*

Vers. 9. — Reportantes (recipientes jam in spe et in gratiâ viæ, postea verò in re et in gloriâ patriæ) finem fidei vestræ; fides enim est fundamentum et medium per quod primò ad justitiam, et deinde ad vitam æternam tanquàm ad finem pervenitur; fides enim seminat in lacrymis, quod postea cum exultatione metet. Salutem animarum, gratiam et gloriam. Salus autem inchoata, sive justitia redditur in hâc vitâ; salus animæ consummata redditur postea, et salutem corporis etiam secum trahet. Nomine autem *salutis* comprehendi hic etiam salutem inchoatam gratiæ et justitiæ hujus vitæ patebit ex sequentibus.

Vers. 10. — De qua salute exquisierunt, à Deo precibus et desideriis, propter quæ Daniel *vir desideriorum* appellatus est, Daniel. 9, v. 23; et Isaïas ex quâdam desiderii velut impatientiâ exclamat : *Utinam disrumperes cœlos et descenderes!* Isaïæ 64, v. 1; atque scrutati sunt, diligenter et sollicitè investigaverunt anhelantes saltem à longè intellectu conspicere quæ vos oculis intuemini; ut proinde de hâc vestrâ felicitate meritò vobis possitis gratulari : *Beati* enim *oculi qui vident quæ vos videtis*, Lucæ 10, v. 23. Desiderabant autem prophetæ et priores sancti vivere in mundo tempore Christi et legis novæ, ut sublati è mundo statim regna cœlestia conscenderent, inquit Beda; non autem quasi qui Christum in carne viderunt fuerint ideò aliis sanctiores, ait Didymus, qui Abrahæ, Moysis, Eliæ sanctitatem supra plurimos novi Testamenti sanctos extollit. Prophetæ, quibus à Deo reve-

latum erat redemptionem generis humani per Filii Dei incarnationem et crucem peragendam esse. Qui DE FUTURA IN VOBIS GRATIA; novi Testamenti quam antea *salutem* vocavit, jam *gratiam* vocat. Vox *futurâ* adjecta est ab interprete; Græcè enim ad verbum, *qui de in vos gratiâ*, scilicet aliquando effundendâ. PROPHETAVERUNT, ut Jacob, David, Isaias, Jeremias, Daniel, Joel, Michæas, Malachias, etc.

VERS. 11. — SCRUTANTES IN QUOD VEL QUALE TEMPUS; post quot annos, et qualis tunc mundi futurus esset status; unde Danieli revelatæ sunt hebdomades annorum quæ restabant usque ad adventum Christi, Daniel. 9, v. 25; Isaiæ verò et Michææ revelata est pax universalis et tranquillitas illa temporum imperii Romani sub Augusto Cæsare, quando Christus natus est, Isaiæ 2, v. 4; Michææ 4, v. 3. SIGNIFICARET (per inspirationem propheticam) IN EIS SPIRITUS CHRISTI, Græcè, *ille in eis*, etc., id est, ille qui in eis erat et loquebatur Spiritus sanctus, qui à Christo ut Filio Dei procedit. Hinc enim adversùs Græcos colligitur Spiritum sanctum procedere à Filio, cujus dicitur Spiritus. Glossa tamen ordinaria *spiritum Christi* intelligit non Spiritum sanctum, sed angelum qui Christum repræsentabat in veteri Testamento, per quem inspirabat prophetas, et leges Judæis dabat; nam Christus tanquàm Verbum Dei miro et ineffabili modo erat in angelis, in quorum edictis lex ipsâ dabatur, ait Augustinus, lib. 3, cap. 11, de Trin.; et Nabuchodonosor igne divino afflatus, ait Aug., cap. 14, contra Judæos, videre se dixit in fornace præter tres socios Danielis speciem viri similis Filio Dei, Daniel. 3, v. 91: unde multi veterum Patrum tam Græcorum quàm Latinorum existimant angelos qui passim assumptâ specie corporali apparebant in veteri Testamento repræsentâsse specialiter illam personam Trinitatis quæ aliquando corpus humanum assumptura erat. PRÆNUNTIANS EAS QUÆ IN CHRISTO SUNT, quæ Christo sunt illatæ, Græcè, *eas in Christum*, nempe venturas, PASSIONES; afflictiones in flagellatione, coronatione, crucifixione, etc.; has enim per os Davidis, Isaiæ, Jeremiæ, et aliorum olim Spiritus sanctus prænuntiavit. ET POSTERIORES (quæ post Christi passiones et mortem secutæ sunt) GLORIAS, resurrectionis, ascensionis, missionis Spiritûs sancti, exaltationis nominis et judiciariæ potestatis in fine seculi.

VERS. 12. — QUIBUS (prophetis) REVELATUM EST, ab eodem Spiritu Christi, QUIA NON SIBIMETIPSIS. Quòd non in commodum ipsorum, seu ad fidem in ipsis congenerandam aut fovendam quando res prophetatæ evenirent; nam passio et gloria Christi tanquàm futuræ post sua tempora prophetis revelabantur. VOBIS AUTEM (Judæis postea tempore Christi futuris) MINISTRABANT EA, per donum prophetiæ, quasi ministri vestri de commodo vestro spirituali solliciti, antequàm nati essetis, QUÆ NUNC (tempore novæ legis) NUNTIATA SUNT VOBIS, ut testimonia veterum prophetarum cum Evangelio et rebus quæ jam evenerunt comparantes, faciliùs fidem Christi susciperetis, et susceptam constantiùs retineretis. PER EOS QUI EVANGELIZAVERUNT VOBIS, per apostolos et evangelistas, qui in Ponto, Galatiâ cæterisque regionibus, quas incolitis, Christi fidem nuper evangelizaverunt. SPIRITU SANCTO, Græcè, *in Spiritu sancto*, per Spiritum S., MISSO DE CŒLO, in die Pentecostes in apostolos, Act. 2, v. 4, ut fide et scientiâ eos illuminaret, charitate et zelo animaret ad disseminandum toto orbe inter persecutiones et mortes Christi Evangelium. IN QUEM, Spiritum sanctum, tanquàm in objectum beatæ suæ contemplationis, quem tamen tam sublimem et excellentem Spiritum Pater et Filius propter vos de cœlo in terras demiserunt. Vel *in quem*, Christum, ut Beda interpretatur, quamvis obscurè; nam nomen Christi versu solùm præcedenti et longo intervallo antecessit. Verùm Græci omnes non *in quem* sed *in quæ* legunt, ut illud pronomen *quæ* referat mysteria passionum et gloriarum Christi, et totam œconomiam incarnationis Verbi, ac evangelicæ prædicationis: quæ lectio tanquàm magis genuina cæteris præfertur passim à recentioribus. DESIDERANT ANGELI PROSPICERE; cum magnâ attentione, ut faciunt hi qui procumbentes aut demisso capite in pulteum aut rem profundam inspiciunt; hoc enim vox Græca propriè significat, ut Jacob. 1, v. 25, notavimus. Sic autem desiderant angeli mysteria illa redemptionis humani generis inspicere, non quasi ea jam non prospiciant, sed quia prospiciendo nunquàm fatigantur, atque in futurum semper prospicere desiderant, et divinam in eis sapientiam sine fine admirari. Id significâsse putantur duo cherubini insidentes propitiatorio arcæ, obversis sibi vultibus, et oculis in arcam dejectis, Exod. 25, v. 20, quasi desiderantes introspicere quid lateret in arcâ, quæ erat veluti thesaurus in quo recondita mysteria incarnationis, passionis, et mirabilium omnium Verbi incarnati.

VERS. 13. — PROPTER QUOD. Finito satis longo et magnifico Epistolæ suæ exordio, ad sublimem vitæ christianæ viam et virtutum supernaturalium officia incipit eos exhortari. SUCCINCTI; sumpta à viatoribus metaphora, qui, ut ad iter sint magis expediti, tunicas attollere et circa lumbos succingere solent, ne diffluant; Judæi enim olim et multæ nationes longioribus tunicis utebantur. LUMBOS MENTIS VESTRÆ, sedem lubricarum et pravarum cogitationum et cupiditatum animi vestri; in lumbis enim corporis venereæ cupiditates, quæ omnium vehementissimæ sunt, residere dicuntur: unde, sicut ex specie præcipuâ totum genus, ita per lumbos omnium pravarum cupiditatum sedes solet intelligi. Perfectè autem succinguntur lumbi, quando non tantùm diffluentes in prava desideria cupiditates voluntatis restringuntur, sed etiam vanæ et vagæ cogitationes intellectûs reprimuntur; succingit enim lumbos mentis, inquit Beda, qui hanc etiam à cogitatione restringit. Hoc autem perfectorum et difficillimum est propter humanæ imaginationis inquietudinem. SOBRII, potu ac cibo et cæteris vitæ adjumentis utentes quantùm necessitas flagitat, non quantùm voluptas suadet. Quia verò tales solent esse vigilantes, et ad seria excitati, eadem vox Græca significat etiam *vigilare*, quomodò interpres vertit, 2 ad Tim. 4, v. 5:

unde hic etiam pro *sobrii* potuit *vigilantes* vertere. PERFECTÈ SPERATE, spe per charitatem perfectâ, et usque ad finem perseverante sperate; IN EAM QUÆ OFFERTUR VOBIS (*ab apostolis et fidei prædicatoribus*) GRATIAM, gratuitum vitæ æternæ donum; IN REVELATIONEM JESU CHRISTI; sperate, inquam, usque ad ultimam Christi revelationem, in judicio universali, *quando gratiam illam* omnibus electis plenè et perfectè secundùm gloriam animæ et corporis conferet. Græcè tamen, *in revelatione*, ut significetur gratia illa electis danda in die revelationis Christi : *quod in eumdem* ferè sensum redit.

VERS. 14. — QUASI FILII OBEDIENTIÆ. Perfectè et perseveranter sperate, ostendentes vos filios verè obedientes *cœlesti Patri qui* vos adoptavit; et imitantes Christum Filium Dei naturalem, qui dicit se descendisse de cœlo, non ut faciat voluntatem suam, sed Patris, Joan. 6, v. 38 : unde obedientia ista intelligitur filialis quæ ex amore, non ex servili metu, facit voluntatem amantissimi Patris. Particula *quasi*, non similitudinem, sed identitatem et veritatem significat, *ut* Joan. 1, v. 14. NON CONFIGURATI; non conformati et veluti figurâ aut veste induti; PRIORIBUS IGNORANTIÆ VESTRÆ DESIDERIIS, id est, cupiditatibus carnalibus prioris vitæ, quando in ignorantiâ infidelitatis vestræ adhuc vivebatis; moribus enim sive bonis sive malis tanquàm veste et figurâ nos involvimus, et sicuti piè viventes Christi mores, imò Christum ipsum induere dicuntur, ad Rom. 13, v. 14; *ita qui impiè* vivunt, veteris Adami desideria, et illum ipsum veterem hominem induunt, ac se ei configurant, et quidem tam exactè, ut, quamdiù in infidelitate manent, nullum verè *bonum* et Deo placens desiderium habere possint; quia *sine fide impossibile est placere Deo*. Quidam ex hoc versu colligunt hanc Epistolam non ad Judæos esse scriptam, sed ad gentiles, de *quibus dicitur* : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, ad Ephes. 5, v. 8. Sed licèt ignorantiæ et tenebræ gentilium et idololatrarum densiores essent tenebris Judæorum, *qui verum Deum agnoscebant*, Judæi tamen tam obscuratum habebant etiam intellectum, ut in veteri Testamento gratiam novi non agnoscerent, et : *Usque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum*, 2 ad Cor. 3, v. 15.

VERS. 15. — SED SECUNDUM EUM QUI VOCAVIT VOS, SANCTUM; sed *conformes facti illi qui ex proposito* vobis dandi vitam æternam vocavit vos ad fidem, qui est Deus sanctus per essentiam. ET IPSI IN OMNI CONVERSATIONE; etiam vos ipsi in omni operatione et cunctis moribus vestris, SANCTI SITIS; Græcè, *fiatis*; pro modulo vestro sancti et immaculati efficiamini. Hæc autem sanctitas est sanctitas viæ, habetque multos peccatorum venialium nævos et imperfectiones admixtas; sanctitas enim vera est charitas, quæ thesaurus quidem magnus est, sed quem in hâc vitâ portamus in vasis fictilibus, 2 ad Cor. 4, v. 7. Hâc sanctitate sanctum se esse confidebat David quando dicebat : *Custodi animam meam quia sanctus sum*; ps. 85. *Nec fuit ista superbia* hominis *elati, sed confessio non ingrati*, inquit August.

VERS. 16. — QUONIAM SCRIPTUM EST (Levit. 11, v. 44) : SANCTI ERITIS; Græcè, *estote;* est enim præceptum expressum imperativo modo : QUONIAM EGO SANCTUS SUM, imò sanctitas ipsa per essentiam. Debent autem *filii, si non* possunt æquales, saltem similes esse suo patri; sic Christus : *Estote perfecti*, inquit, *sicut Pater vester cœlestis perfectus est*, Matth. 5, v. ult.; et alibi rogat Patrem : *Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te*, Joan. 17, v. 21 ; licèt perfectio creaturæ, et unio charitatis fraternæ, sit tantùm rudis quædam adumbratio perfectionis naturæ divinæ et illius unitatis quâ Pater et Filius unâ essentiâ et uno charitatis increatæ vinculo arctissimè constringuntur.

VERS. 17. — ET SI PATREM INVOCATIS EUM, quotidiè dicendo : *Pater noster, qui es in cœlis*, ex formulâ Christi, Matth. 6, v. 9. QUI SINE ACCEPTIONE PERSONARUM; non attendendo conditiones personarum, quæ ad rem et sententiæ justitiam non pertinent, ut an dives sit quispiam, an pauper; nobilis, an ignobilis; liber, an servus, etc. Vide quæ de acceptione personarum, Jac. 2, v. 1 et 4, diximus. JUDICAT, tam bonos quàm malos; licèt enim *Pater non judicet quemquam* per visibilem judicis præsentiam, *sed omne judicium* tale *dederit Filio*, Joan. 5, v. 22, judicat tamen cum Filio invisibiliter, quatenùs idem cum eo Deus est, inquit Didymus. SECUNDUM UNIUSCUJUSQUE OPUS; non sicut pater carnalis, inquit Beda, qui filiis peccantibus indulgentiùs parcere quàm servis consuevit. Sub opere autem etiam *cogitationes*, et verba, *operumque* debitorum omissiones comprehendi debent, ut rectè notat Carthusianus. IN TIMORE, filiali scilicet, quo filius primariò timet offensam patris, deinde secundariò pœnas, *quatenùs* sunt offensæ illius effectus; qui enim timet offensam, secundùm rectam rationem timere etiam debet quæcumque ex offensâ consequi possunt, qualia inprimis sunt ipsa hæreditatis privatio, et gehennæ supplicium, ait Catharinus. Videtur enim hìc intelligi non timor pœnarum servilis quo Deus ut dominus à servo, sed filialis quo ut pater à filio timetur; dixit enim ante : *Si Patrem invocatis*, cùm aliàs : *Si Dominum* dicere debuisset. INCOLATUS VESTRI TEMPORE; dùm terram hanc tanquàm advenæ et peregrini modico temporis spatio incolitis; *incolatus* enim, Græcè παροικία, habitationem advenarum significat; unde παροικον, *advenam* vertit interpres, ad Ephes. 2, v. 19. CONVERSAMINI, in omni actu tam interno quàm externo.

VERS. 18. — SCIENTES, *cognoscentes quoque* per fidem et perpendentes, QUOD NON CORRUPTIBILIBUS quantumvis pretiosis, AURO ET ARGENTO; Græcè, aptiori ordine ut ab ignobiliori ascendatur ad nobilius, *argento vel auro*, quæ sunt pretiosissima metallorum, unde pecunia et pretia rerum venalium cuduntur : REDEMPTI ESTIS, tanquàm servi captivi persoluto lytro, ut verbum Græcum sonat : DE VANA, *inutili* et in multis noxia, VESTRA CONVERSATIONE, in judaismo; cæremoniæ enim legales de se inutiles erant ad veram justitiam.

Deinde scribæ et Pharisæi multa mandata hominum noxia admiscuerant contra legem divinam. PATERNÆ TRADITIONIS; conversatione, inquam, à patribus vestris per institutionem et consuetudinem vobis traditâ. Tales erant traditiones quibus docebantur dare templo et sacerdotibus ea quæ parentibus alendis necessaria erant, ita ut irritum facerent mandatum Dei propter traditionem suam, Matth. 15, v. 6.

VERS. 19. — SED PRETIOSO SANGUINE, infiniti pretii in se, quia sanguis iste unitus est divinitati; et deinde ratione meriti in ejus effusione, quia à personâ infinitæ dignitatis dimanabat; QUASI AGNI IMMACULATI CHRISTI, similis agno paschali qui fuit ejus figura; et ideò absque maculâ et ullo defectu debebat eligi, Exod. 12, v. 5, ut expressior esset imago Christi, in quem nulla macula originalis vel actualis peccati cadere poterat; ET INCONTAMINATI, nec ullâ labe aspersi. Hujus agni lanâ, id est, exemplo conversationis induimur; lacte, id est, dulci doctrinâ nutrimur; carnibus, id est, sacramento Eucharistiæ roboramur; sanguine redimimur, ait Thomas Anglicus. Sicut enim sanguis primi agni paschalis positus super utrumque postem et superliminaria domorum in quibus comedebatur, liberavit primogenitos Hebræorum à percutiente angelo, Exodi 12, v. 13, ita sanguis Christi ab æternâ morte liberat electos, qui sunt filii primogeniti æterni Patris.

VERS. 20. — PRÆCOGNITI QUIDEM, in æternâ prædestinatione per præscientiam visionis, quâ Deus præcognovit quid ipse in tempore esset facturus. Hæc ergo præcognitio sequitur prædestinationem et præordinationem divinæ voluntatis : *Est enim scientia quâ Deus in suâ prædestinatione*, ut 107 epistolâ loquitur Augustinus, *sua opera præscit* : unde præscientia ista pro ipsâ prædestinatione aliquando sumitur. Hæc enim est præscientia de quâ Apostolus : *Quos præscivit et prædestinavit*, etc., ad Rom. 8, v. 19. Non tamen existimamus esse verum quod hic addit Cathar., Christi incarnationem primò omnium divinæ menti occurrisse; nam Deus priùs secundùm rationem cogitâsse videtur de eripiendis aliquibus hominibus ex massâ damnationis, deinde de Filii incarnatione tanquàm de medio ad illum finem aptissimo. Electio verò horum et istorum hominum determinatè facta est ex meritis Christi : *Elegit nos in ipso*, etc., Ephes. 1, v. 4. Vel si decretum eripiendi aliquos homines in confuso tanquàm imperfectum in Deo non admittatur, dicendum videtur electionem Christi et cæterorum hominum simul factam esse, ita ut Deus simul et semel intenderit corpus unum mysticum perfectum ex capite Christo et cæteris electis tanquàm membris constituere; cum tali tamen cohærentiâ et dependentiâ, ut virtus capitis esset propter vitam membrorum, et vicissim vita membrorum ordinaretur ad capitis gloriam. ANTE MUNDI CONSTITUTIONEM, ab æterno; nam ante mundi constitutionem et tempora secularia sola fuit æternitas. Græcè, *ante mundi fundationem* : unde aliqui vertunt : *Ante jacta mundi fundamenta*, ut tacitè refutentur philosophi qui fundamentum mundi corporei, id est, materiam primam negabant creatam à Deo, sed eam ipsi coæternam faciebant, ut Ephes. 1, v. 4, in simili diximus. MANIFESTATI AUTEM, per divini decreti executionem de Verbo incarnando et *fide ejus in toto* orbe prædicandâ; fuit enim : *Mysterium* hoc *absconditum à seculis et generationibus, nunc autem manifestatum sanctis ejus*, ad Coloss. 1, v. 26. NOVISSIMIS TEMPORIBUS; ultimâ hâc mundi ætate quæ à Christi tempore decurrit usque ad finem mundi; nos enim sumus : *In quos fines seculorum devenerunt*, 1 ad Cor. 10, v. 11. Mysterium tamen incarnationis quoad substantiam quibusdam olim prophetis per revelationem manifestatum est, sed multæ circumstantiæ absconditæ manserant, quas sola experientia et exhibitio mysterii manifestavit. PROPTER VOS, Judæos, quibus primò et principaliter *verbum salutis hujus missum est*, Act. 13, v. 26.

VERS. 21. — QUI PER IPSUM, per gratiam ipsius, FIDELES ESTIS, creditis, IN DEO; Græcè, *in Deum*. Hinc patet non tantùm opera bona fidem sequentia, sed etiam ipsam primam fidem esse donum Dei, et ex gratiâ Christi; qui enim credunt, Dei aguntur Spiritu; qui non credunt, libero avertuntur arbitrio, ait S. Prosper, epistolâ ad Ruffinum contra Semipelagianos, qui dicebant : Annuntiato sibi Evangelio, qui volunt, credunt; qui crediderunt, justificationem merito fidei et bonæ voluntatis accipiunt, ut ibidem narrat S. Prosper. QUI SUSCITAVIT EUM A MORTUIS. Hanc et similes Scripturas rapiebant olim Ariani ut Christum purum hominem, non Deum fuisse probarent, quasi ab alio suscitari debuerit, non seipsum suscitare potuerit. Sed ipse etiam dicit alibi, se *habere potestatem ponendi animam suam et iterùm sumendi eam*, Joan. 10, v. 18; et : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*, Joan. 2, v. 19. Itaque nunc Deus Pater cui appropriatur potentia, nunc ipse Christus seipsum suscitare dicitur, ut una eademque divinitas utriusque et potentia significetur. ET DEDIT EI GLORIAM, præter gloriam resurrectionis, dedit etiam ei gloriam corporis, gloriam ascensionis, gloriam missionis Spiritûs sancti et exaltationem nominis per prædicationem Evangelii; denique gloriam judiciariæ potestatis in fine seculi. UT FIDES VESTRA; eo fine, ut contemplando resurrectionem Domini et cæteras istas glorias quibus Deus eum glorificavit, faciliùs ad fidem adduceremini. ET SPES ESSET IN DEO; Græcè, *in Deum* : et spe immobili speraretis in Deum, quòd aliquando ad resurrectionem et gloriam similem perventuri essetis, cujus exemplum in Christo capite vestro præcessisse cognovistis; hoc enim promisit Deus qui verax est, et facere potest qui omnipotens est.

VERS. 22. — ANIMAS VESTRAS CASTIFICANTES, purificantes; castitas enim hic generaliter pro quâlibet puritate et munditiâ à peccatis accipitur. Græcum participium est præteriti temporis, *postquàm castificâstis*. Adjuti nempe fide et gratiâ Dei. Unde idem Petrus alibi Deo, non hominibus, tribuit istam purificationem animæ : *Fide purificans corda eorum*, Act. 15, v. 9 : unde et hic addit : IN OBEDIENTIA CHARITA-

TIS, per obedientiam quâ obeditur præceptis divinæ charitatis, quæ est principium omnis boni operis. Græcè : *In obedientiâ veritatis*, quâ obeditur veritati fidei, quæ per charitatem operatur, ad Galat. 5, v. 6. Fides enim mandata legis christianæ ostendit, quæ charitas implet : *Plenitudo enim legis est dilectio*, Rom. 13, v. 10. Talibus autem fidei et charitatis, id est, divinæ gratiæ operibus, animæ fideles quotidiè purificantur à peccatis venialibus, et in justitiâ crescunt, et si quando contingat à justitiâ excidere, iisdem operibus à Deo excitatæ ad justitiam resurgunt. Græcus addit : *Per Spiritum ;* nam Spiritus sanctus et veritate fidei nos illuminat, et igne charitatis ad operandum accendit. IN FRATERNITATIS AMORE SIMPLICI ; Græcè, *non simulato*, id est, per charitatem fraternam minimè simulatam et hypocriticam. Græcè : *In fraternitatis amorem*, id est, ad conciliandam perfectam inter vos charitatem fraternam ; quæ, si simulata non est, facit fratrem suum bonorum operum suorum et spiritualium divitiarum participem, quia animæ spirituales invidæ non sunt, inquit Œcumenius. Ex CORDE ; Græcus addit *puro ;* nullâ terrenâ concupiscentiâ contaminato, quale est cor quo frater purè propter Deum sine ullâ carnalis affectûs permixtione diligitur. Hoc *cor purum* alibi vocatur *cor totum : Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo*, Matth. 22, v. 37 ; totum enim cor diligit Deum quando vel solum Deum diligit, vel si dilectio ad aliud se extendit, Deus tamen ita cor implet, ut propter ipsum solum illud aliud diligatur, nec Dei dilectio ullum inde detrimentum vel diminutionem accipiat : *Dilectio enim Dei nullum à se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur*, inquit August., l. 1, cap. 22, de Doctrinâ Christi. INVICEM DILIGITE ATTENTIUS, Græcè, *extentè ;* valido et extento conatu, sive *impensè*, ut vertunt Arias et Erasmus, adverbium enim illud significat attentionem qualis cernitur in fidibus cytharæ benè extentis ; si enim charitas fraterna languida et flaccida sit, facilè dissolvitur et tota evanescit.

VERS. 23. — RENATI ; regenerati spiritualiter per gratiam sanctificantem, quâ ad esse quoddam supernaturale et deiforme evehimur, ut filii Dei adoptivi et fratres inter nos simus, ideòque meritò nos invicem attentiùs diligere debeamus. NON EX SEMINE CORRUPTIBILI, ex quali corpora corruptibilia generantur et nascuntur, SED INCORRUPTIBILI ; veritas enim ejus est incorruptibilis, sicut et partus qui ex semine isto nascitur : licèt enim voces prædicantium transeant, veritas tamen incorruptibilis manet ; ideòque Christus : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*, Matth. 24, vers. 35. PER VERBUM, evangelicæ prædicationis, quod est illud semen incorruptibile : *Semen enim est verbum Dei*, Lucæ 8, v. 11 ; et : *Voluntariè genuit nos verbo veritatis*, Jacobi 1, v. 18. DEI VIVI, semper viventis, ET PERMANENTIS IN ÆTERNUM ; ut proinde meritò semen ejus sit ei quodammodò simile, id est, incorruptibile. *Verbum Dei* quidam hìc intelligunt Christum Verbum increatum æterni Patris : sed aliud ex versu ultimo colligitur, ubi quod hìc λόγον, appellat ῥῆμα, quod pro Verbo increato non solet sumi. Beda intelligit verbum quod accedit ad elementum in sacramento baptismi, quo spiritualiter renascimur : sed non est necesse vocem istam ad illud verbum quod est forma sacramenti baptismi restringere.

VERS. 24. — QUIA OMNIS CARO, homo carneus et corruptibilis ; *caro* enim per synecdochen pro toto homine carneo et mortali sæpè in Scripturâ accipitur : *Verbum caro factum est*, Joannis 1, v. 14 : *Omnis caro corruperat viam suam*, Genes. 6, v. 12. Probat verbis Isaiæ 40, v. 6, semen unde homines carnaliter nascuntur esse corruptibile ; semen verò unde spiritualiter renascimur esse incorruptibile. UT FENUM ; similis feno et teneræ herbulæ brevissimæ durationis, quæ *mane floret et transit, vespere decidit, indurat et arescit*, psal. 89. Pro *feno* Erasmus et alii vertunt *gramen*, nam vox hebraica, חציר, *chatsir*, apud Isaiam gramen sive fenum vivens et nondùm resectum significat, quale est *fenum* sive gramen *tectorum, quod priusquàm evellatur, exaruit*, psalm. 128. Si autem caro sit instar feni tam corruptibilis, semen quoque unde caro formatur æquè corruptibile et transitorium esse oportet. Et ne ei dicatur multos tamen esse qui in istâ corruptibilitate carnis, dignitate, potentiâ, scientiâ, divitiis, et omni gloriâ in hoc mundo florent, addit : ET OMNIS GLORIA EJUS ; et omnis claritas et splendor carnis quo homines mortales fulgent, et aliorum oculos et admirationem in se convertunt, TANQUAM FLOS FENI ; flos enim est gloria feni : unde si caro sit instar feni, flos et gloria carnis flori et gloriæ feni similis erit. Qualis verò et quantæ durationis est flos feni ? EXARUIT FENUM, tempore siccitatis, quando sol terræ humorem exsugit, nec ulla pluvia ad eum reparandum cadit : hoc autem maximè accidit feno quod inter rimas tectorum germinat, et priusquàm evellatur exarescit. ET FLOS EJUS DECIDIT ; deficiente succo, qui florem scapo suo alligabat. Sic flos et gloria hominum, carne per senium aut morbum exarescente, decidit et exarescit : sæpè etiam morte violentâ, sicuti flos spiritu venti incurrente, omnis gloria hominum uno flatu dispergitur : *Homo enim sicut fenum, dies ejus tanquàm flos agri sic efflorebit, quoniam spiritus pertransibit in illo et non subsistet, et non cognoscet amplius locum suum*, psalm. 102. Quàm copiosus ex his verbis sermo homini etiam infacundo suggeritur, inquit Catharinus, ad ponendum ante omnium hominum oculos suam vanitatem et amentiam, qui tantâ divitiarum et honorum cupiditate flagrant, quæ tamen tantâ velocitate flaccescunt. Vide Hieronym., epist. 139, ad Cyprianum. Duo olim philosophi maximè contrariis moribus istam hominum amentiam, Democritus perpetuo risu, Heraclitus fletu insectati sunt ; Democrito enim omnia quæ agimus ineptiæ, Heraclito miseriæ videbantur. Seneca verò, cap. 15, de Tranquillitate, Democritum magis quàm Heraclitum probat : Elevanda enim sunt omnia, inquit, et facili animo ferenda, humaniusque est deridere vitam quàm deplorare : majoris quoque animi

est qui risum non tenet, quàm qui lacrymas, et nihil magnum, nihil severum, nec serium quidem ex tanto apparatu putat.

Vers. 25. — Verbum autem Domini (quo seminatur fides Christi) manet in æternum; quia veritas ejus est sempiterna : et deinde effectum gignit sempiternum; non enim generat carnem mortalem similem feno, et gloriam transitoriam tanquàm florem feni, sed novam creaturam, *divinæ consortem naturæ*, 2 Petri 1, v. 4. *Novum hominem qui secundùm Deum creatus est in justitiâ et sanctitate veritatis*, ad Ephes. 4, vers. 24. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo natus est*, Joan. 1, v. 13, cujus gloria in æternum permanebit.

CAPUT II.

1. Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum et simulationes, et invidias et omnes detractiones :

2. Sicut modò geniti infantes, rationabile, sine dolo, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem :

3. Si tamen gustâstis quoniam dulcis est Dominus.

4. Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum et honorificatum :

5. Et ipsi tanquàm lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.

6. Propter quod continet Scriptura : Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum : et qui crediderit in eum, non confundetur.

7. Vobis igitur honor credentibus; non credentibus autem, lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli,

8. Et lapis offensionis, et petra scandali his qui offendunt verbo, nec credunt, in quo et positi sunt.

9. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis; ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.

10. Qui aliquando non populus, nunc autem populus, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.

11. Charissimi, obsecro vos tanquàm advenas et peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversùs animam :

12. Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detractant de vobis tanquàm de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.

13. Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum; sive regi, quasi præcellenti :

14. Sive ducibus, tanquàm ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum :

15. Quia sic est voluntas Dei ut benè facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam;

16. Quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei.

Forma et veluti substantia hujus novi et à Deo geniti hominis, est gratia sanctificans; gloria est visio Dei, quâ in æternum beatus et gloriosus erit. Hoc est autem verbum : Ut autem sciatis quodnam sit istud verbum in æternum permanens, semen incorruptibile Dei vivi, supra v. 23, et opifex tam admirandi operis, illud est verbum, quod evangelizatum est in vos, quod per prædicationem evangelicam ab apostolis seminatum est in aures vestras; hoc enim verbum assensu fidei apprehensum, et Deo incrementum dante, vitam et gloriam æternam in vobis germinabit; unde felicitatem vestram æstimare, diu noctuque inter gratiarum actiones exultare, et ad beatam illam vitam anhelare debetis.

CHAPITRE II.

1. Vous étant donc dépouillés de toute sorte de malice, de tromperie, de dissimulation, d'envie et de médisance,

2. Comme des enfans nouvellement nés, désirez ardemment le lait spirituel et pur, afin qu'il vous fasse croître pour le salut;

3. Si toutefois vous avez goûté combien le Seigneur est doux.

4. Et vous approchant de lui comme de la pierre vivante que les hommes, à la vérité, ont rejetée, mais que Dieu a choisie et mise en honneur,

5. Entrez vous-mêmes aussi dans la structure de cet édifice, comme étant des pierres vivantes, pour composer une maison spirituelle et un ordre de saints prêtres, afin d'offrir à Dieu des sacrifices spirituels qui lui soient agréables par Jésus Christ.

6. C'est pourquoi il est dit dans l'Écriture : Je vais mettre en Sion la principale pierre de l'angle, la pierre choisie et précieuse; et quiconque aura foi en cette pierre ne sera point confondu.

7. Ainsi cette pierre est une source d'honneur pour vous qui croyez; mais, pour les incrédules, la pierre que les architectes ont rejetée, et qui néanmoins est devenue la tête de l'angle,

8. Leur est une pierre contre laquelle ils se heurtent, et une pierre qui les fait tomber, eux qui se heurtent contre la parole, par une incrédulité à laquelle ils ont été abandonnés.

9. Mais quant à vous, vous êtes la race choisie, l'ordre des prêtres rois, la nation sainte, le peuple conquis, afin que vous publiiez les grandeurs de celui qui vous a appelés des ténèbres à son admirable lumière;

10. Vous qui autrefois n'étiez point son peuple, mais qui maintenant êtes le peuple de Dieu; vous qui autrefois n'aviez point obtenu miséricorde, mais qui maintenant avez obtenu miséricorde.

11. je vous exhorte, mes bien-aimés, à vous abstenir, comme étrangers et voyageurs, des désirs charnels qui combattent contre l'âme.

12. Conduisez-vous parmi les gentils d'une manière pure et sainte, afin qu'au lieu qu'ils médisent de vous, comme si vous étiez des méchants, les bonnes œuvres qu'ils vous verront faire les portent à rendre gloire à Dieu, au jour où il daignera les visiter.

13. Soyez donc soumis, pour l'amour de Dieu, à tout homme, soit au roi comme au souverain,

14. Soit aux gouverneurs comme à ceux qui sont envoyés de sa part, pour punir ceux qui font mal, et pour traiter favorablement ceux qui font bien.

15. Car la volonté de Dieu est que, par votre bonne vie, vous fermiez la bouche aux hommes ignorants et insensés;

16. Etant libres, non pour vous servir de votre liberté comme d'un voile qui couvre vos mauvaises actions, mais pour agir en serviteurs de Dieu.

17. Omnes honorate : fraternitatem diligite : Deum timete; regem honorificate.

18. Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis et modestis, sed etiam dyscolis.

19. Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injustè.

20. Quæ enim est gloria, si peccantes, et colaphisati suffertis? sed si benè facientes, patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.

21. In hoc enim vocati estis; quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus;

22. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus :

23. Qui cùm malediceretur, non malè dicebat : cùm pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti se injustè :

24. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus; cujus livore sanati estis.

25. Eratis enim sicut oves errantes; sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.

17. Rendez honneur à tous; aimez vos frères, craignez Dieu, honorez le roi.

18. Serviteurs, soyez soumis à vos maîtres avec toute sorte de respect, non seulement à ceux qui sont bons et doux, mais aussi à ceux qui sont rudes et fâcheux;

19. Car ce qui est agréable à Dieu est que, dans la vue de lui plaire, nous endurions les peines qu'on nous fait souffrir avec injustice.

20. Aussi quel sujet de gloire aurez-vous, si c'est pour vos fautes que vous endurez les mauvais traitements? Mais si, en faisant du bien, vous souffrez avec patience, c'est là ce qui est agréable à Dieu.

21. Car c'est à quoi vous avez été appelés, puisque Jésus-Christ même a souffert pour nous, vous laissant ainsi un exemple, afin que vous marchiez sur ses pas,

22. Lui qui n'avait commis aucun péché, et de la bouche duquel nulle parole trompeuse n'est jamais sortie.

23. Quand on l'a chargé d'injures, il n'a point répondu par des injures : quand on l'a maltraité, il n'a point fait de menace; mais il s'est livré entre les mains de celui qui le jugeait injustement.

24. C'est lui qui a porté nos péchés en son corps sur la croix, afin qu'étant morts au péché, nous vivions pour la justice; c'est par ses meurtrissures que vous avez été guéris.

25. Car vous étiez comme des brebis égarées, mais maintenant vous êtes retournés au pasteur et à l'évêque de vos âmes.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Deponentes igitur, quandoquidem in novos homines spiritualiter sic renati, et omnes fratres inter vos facti estis, evellentes è cordibus vestris omnia vitia, et maximè charitati fraternæ contraria, ut omnem malitiam, deliberatam voluntatem apertè nocendi alteri, et omnem dolum, quo per occultam deceptionem fratri nocumentum affertur; et simulationes, Græcè, *hypocrises*, quibus aliud in corde geritur, aliud in ore, gestu, aut facto prætenditur; et invidias, quibus fratrum prosperitatibus invidetur : *Charitas* enim fraterna *non æmulatur*, 1 ad Cor. 13, v. 4; et omnes detractiones, quibus occultè fama aliena minuitur. Vitia autem ista, malitia, dolus, simulatio, invidia, detractio, non sunt puerorum, sed virorum; ideòque longè abesse debent à vobis neophytis, semine verbi Dei et baptismate nuper renatis.

Vers. 2. — Sicut modo geniti infantes, similes infantibus recenter in lucem editis; illi enim ex semine corporali geniti, vos ex spirituali nuper regeniti estis. Rationabile, quo secundùm partem animæ rationalem et spiritualem nutriamini, non secundùm animalem, sicuti infantes lacte materiali nutriri solent. Malè quidam vetusti codices legunt, *rationabiles;* est enim epitheton lactis, ut ex Græco patet. Sine dolo, minimè dolosum; est enim alterum epitheton lactis, ut ex Græco patet, quod Græcè unicâ voce ἄδολον exprimitur. Lac concupiscite, non concupiscentiâ carnali, quomodò infantes lac et ubera matrum concupiscunt, sed concupiscentiâ rationali et spirituali, quomodò spiritus dicitur concupiscere adversùs carnem, ad Galat. 5, v. 17. Lac autem istud rationabile, sive rationale, est doctrina christiana tam fidei quàm morum, suavis et digeri facilis, ut eam capere possint etiam infantes in fide et recentes à baptismo. Eadem doctrina est lac sine dolo, quando tota sincera et sine deceptione ac permixtione hæreticæ pravitatis est; quidam enim Judæi ad fidem conversi eo tempore conabantur dolosè legem veterem permiscere Evangelio, et Moysen Christo, contra quos pugnat apostolus Paulus totâ epistolâ ad Galatas. Ut in eo, ut per illud sinceræ doctrinæ lac, crescatis, in vitâ spirituali; sicut enim infantes lacte crescunt et impinguantur, ita novi Christiani in doctrinæ christianæ præceptis, meditando, et quantùm valent operando, paulatim in viros spirituales perfectos adolescunt, et veluti dentes iis crescunt, ut solidum cibum possint mandere, id est, difficiliora fidei mysteria intelligere, et ardua operari, qualia sunt persecutiones, flagella, cruces, mortem, pro Christo fortiter tolerare. Iisdem Hebræis postea scribens Paulus increpat eos quòd parvuli adhuc manerent : *Cùm deberetis magistri esse propter tempus*, inquit, *rursùs indigetis ut doceamini quæ sint elementa, et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo*, Hebr. 5, v. 12. Quidam tamen hunc Petri locum sic explicant, ut etiam perfectis in doctrinâ et operibus fidei lac commendet, quia omnes Christianos recenter baptizatos considerat, inquiunt, ut novos homines, et sicut modò genitos infantes respectu vitæ veteris et peccatricis, in quâ paulò ante vivebant. Sed quandoquidem Petrus faciat mentionem incrementi quo vult eos crescere per omnes quasi ætatum gradus, non est ratio cur lac non solis tribuat imperfectis, quales erant plerique neophyti statim à baptismo, solidum verò cibum perfectis, sicut Paulus, 1 ad Cor. 3, v. 2 : *Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ : parvulus enim est; perfectorum autem est*

solidus cibus, Hebr. 5, v. 13. In salutem, ut crescatis, inquam, usque ad perfectam salutem, et statum beatitudinis animæ et corporis, qui est terminus ultimus in quo stat et finitur incrementum vitæ spiritualis. Oportet autem in hâc vitâ spirituali crescere secundùm omnem dimensionem, inquit Thomas Anglicus; secundùm longitudinem longanimitatis, secundùm latitudinem charitatis, secundùm profunditatem humilitatis, et altitudinem contemplationis.

Vers. 3. — Si tamen gustastis, spirituali gustu et *affectu voluntatis*; quod vos gustâsse non dubito, quando primùm ad fidem et baptismum venistis. Alii pro, *si tamen*, vertunt, *si quidem*, et particula Græca propriè hoc significat; unde, *si tamen*, non dubitativè, sed affirmativè accipi debet. Quoniam dulcis est Dominus, quòd et tam benignus ac suavis sit Christus Dominus cujus doctrina recenter ad fidem conversis dulcis instar lactis esse solet; unde vos dulcedine istâ primâ allecti, magis magisque lac istud concupiscere, et in eo crescere debetis, donec ab uberibus ejus ablactemini. Alludit ad versum istum: *Gustate et videte quoniam suavis* (Hebraicè, *quoniam bonus*) est *Dominus*, psalm. 33; quod Septuaginta, quos sequitur hìc S. Petrus vertunt, *quoniam*, χρηστός, *benignus est Dominus*. Hinc Græci gentiles olim ex vicinitate nominis, Christum Dominum, et primos Christianos appellabant χριστιανούς, quasi benignos, suaves et dulces. Χρηστόν, *cùm perperàm christianus pronuntiatur à vobis*, ait Tertullianus, cap. 3 Apologetici, *de suavitate vel benignitate compositum est*; et Suetonius, c. 25 Claudii, Christum vocat Chrestum. Dulcedo autem Christi et Dei gustatur præcipuè ab iis qui charitatem et donum sapientiæ secundùm aliquem gradum habent, ait Carthusianus; hi enim in suis meditationibus, orationibus, affectionibus ad Deum, et bonis operibus, quibus serviunt ei in lætitiâ, sentiunt quàm magna sit multitudo dulcedinis ejus; Deus etiam ex immensâ suâ bonitate, inquit, frequenter gratiosè prævenit homines etiam imperfectos et incipientes infundendo iis dulcedinis suæ saporem, ut ad delectationes spiritûs eos alliciat, et à carnalibus avertat. Gustato enim spiritu desipit omnis caro, inquit S. Greg. Propter modum etiam operandi et attrahendi suavissimum, quo gratia Dei in omne opus bonum voluntatem inclinat, gratia præveniens et omnis gratia actualis, passim ab August. delectatio, dulcedo, suavitas, appellatur. Quem imitata synodus Arausicana, can. 7, gratiam quâ fideles moventur ad consentiendum veritati, suavitatem vocat. S. Aug. tamen versum illum 9 psal. 39, *gustate et videte*, etc., de gustu sacræ Eucharistiæ intelligit, ubi spiritualis dulcedo *in proprio fonte degustatur*. Unde quia olim statim à baptismo solebant Eucharistiam sumere, fortasse ad dulcedinem hujus sacramenti hìc maximè respexit apostolus Petrus. Quomodò etiam quidam intelligunt illud, ad Hebr. 6, v. 4: *Qui illuminati sunt* (id est, baptizati sunt) *gustaverunt etiam donum cœleste*, etc., ut ibi diximus.

Vers. 4. — Ad quem (Christum Dominum) accedentes, charitatis motibus et similitudine sanctitatis *propiùs et propiùs quotidiè accedentes*; ad Deum enim, qui ubique præsens est, motu locali accedi aut recedi non potest, sed similitudine accedimus, dissimilitudine recedimus. Hoc modo si justus et iniquus eâdem catenâ ligentur, dicimus, unum ab altero longè distare, ait Augustinus in psalm. 94: sí autem unus sit in oriente, alter in occidente, inquit, et moribus sint similes, juxta invicem sunt. Lapidem vivum, qui est instar lapidis fundamentalis in Ecclesiæ christianæ ædificio. Sed lapis iste vivus est, et omnibus ejusdem ædificii lapidibus super ipsum ædificatis Spiritum gratiæ *inspirat, et vitam impertit. Christus in naturâ divinâ* est ipsa vita, in naturâ assumptâ vivit vitâ humanâ in optimo gradu, vitâ gratiæ in summo statu, vitâ gloriæ in excellentiæ termino possibili menti creatæ, ait Carthusianus. Ab hominibus quidem, Judæis contribulibus suis, reprobatum, rejectum, quasi non Messias eorum, sed impostor esset, nec mereretur locari in fundamento Ecclesiæ, sed in crucem affigi: *In propria* enim *venit, et sui eum non receperunt*, Joan. 1, v. 11; et *tolle, tolle, crucifige eum*, Joan. 19, etc. A Deo autem electum, per æternam prædestinationem, *quâ statuit eum in naturâ assumptâ facere* lapidem Ecclesiæ fundamentalem, cujus merito cæteri electi beneficium electionis consequerentur: *Elegit* enim *nos in ipso ante mundi constitutionem*, ad Eph. 1, v. 4. Et honorificatum, per resurrectionem à mortuis, ascensionem in cœlum, et locationem ad dexteram suam supra omnes ordines angelorum.

Vers. 5. — Et ipsi, et vos ipsi etiam, tanquam lapides vivi, similes lapidi vestro fundamentali Christo, quem paulò ante lapidem vivum appellavit; totum enim hoc Ecclesiæ mysticum ædificium ex lapidibus vivis eodem spiritu gratiæ animatis constare debet. Superædificamini, super lapidem istum fundamentalem ædificati estis cemento charitatis. In Græco est verbum simplex, *ædificamini*, sed interpres ad lapidem super quem surgit ædificatio respiciens, verbo composito *superædificamini*, vertit. Domus spiritualis, ita ut omnes Christo superædificati, et fide, spe, charitate, cum ipso et inter vos connexi, sitis domus *quædam non materialis, quale olim fuit tabernaculum* et templum Salomonis, sed spiritualis et mystica. Res enim novi Testamenti, quæ rebus corporalibus veteris Testamenti *figurabantur*, solent in Scripturâ vocari spirituales, licèt sint etiam visibiles et corporeæ (sicut sunt homines ex quibus Ecclesia componitur), quia leges, ritus, et quidquid in novo Testamento geritur, ad spiritualem gratiam et gloriam animarum destinatur. Carthusianus, Anglicus et Cajetanus putant Ecclesiam vocari domum spiritualem quia Spiritus sanctus in eâ habitat per gratiam: *Nescitis quòd templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis*, 1 ad Cor. 3, v. 16. Sacerdotium sanctum, tanquàm sancta sacerdotum congregatio, superædificamini eidem lapidi vivo Christo. *Sacerdotium* hìc accipitur collectivè, sicut *presbyterium* pro congregatione et cœ-

tu presbyterorum, 1 ad Timoth. 4, v. 14. Ecclesia autem Christo superædificata, vocatur cœtus sacerdotum metaphoricè; quæ metaphora satis se manifestat ex præcedentibus et sequentibus; lapides enim vivi, totum ædificium, et ædificatio quæ præcedit, metaphorica sunt, et actus sacerdotii qui sequuntur, metaphorici tantùm, non proprii actus sacerdotii sunt, ut mox patebit. Malè ergo Beza et hæretici hinc colligunt nullum aliud esse in Ecclesiâ propriè dictum sacerdotium, quod non ad omnes fideles pertineat. Nec refert quòd in toto novo Testamento nomen sacerdotis nunquàm tribuatur Evangelii ministris, ut objicit Beza: nam inprimis falsum hoc est, cùm sæpè fiat mentio presbyterorum qui sunt iidem cum sacerdotibus, quidquid hæretici contradicant. Deinde ut esset verum, satis nobis est sacrificium proprium et visibile in Ecclesiâ à Christo institutum esse: sacrificio enim propriè dicto semper conjunguntur propriè dicti sacerdotes, qui ad illud Deo offerendum deputantur, ut docet Trid., sess. 23, cap. 1. Esse autem in Ecclesiâ proprium sacrificium præter alios apertè fatetur Augustinus, cap. 11 de Spiritu et Litterâ: *In ipso*, inquit, *verissimo et singulari sacrificio, Domino Deo nostro agere gratias admonemur;* quod non est aliud quàm sacrosanctum missæ sacrificium, in quo sacerdos ad præfationem hodiè adhuc cantat: *Gratias agamus Domino Deo nostro.* Offerre spirituales hostias, ad offerendum et sacrificandum Deo, non hostias carnales arietum, vitulorum, etc., quæ cum lege veteri abrogatæ sunt, sed spirituales bonorum operum hostias; bona enim opera sacrificantur Deo, si ad eum referantur; sic enim cœlum quodammodò ascendunt in odorem suavitatis. Aliàs enim *ipsa* etiam *misericordia quâ homini subvenitur, si propter Deum non fit, non est sacrificium*, ait Aug., l. 10, cap. 6, de Civ. Dei: nam *sacrificium* debet *esse res divina;* ideòque *veteres Latini*, inquit, *tali vocabulo illud appellaverunt;* sic quando *bonus et rectus usus* corporis nostri *ad Deum refertur*, inquit, *sacrificium est.* Unde ut hoc modo exhibeamus corpora nostra hostiam viventem hortatur Apost., ad Rom. 12, v. 1; sed *quantò magis anima nostra fit sacrificium*, ait ibidem Aug., *quando se refert ad Deum ut igne amoris ejus accensa formam concupiscentiæ secularis amittat, eique tanquàm incommutabili formæ subdita reformetur, hinc ei placens quod ex ejus pulchritudine acceperit!* Acceptabiles Deo, placentes Deo; placent verò quando illas sicut debemus, id est, propter ipsum facimus, ait loco citato Augustinus. Per Jesum Christum, per Jesu Christi gratiam; nam sacerdotio sancto fungi, et boni aliquid acceptabile Deo gerere, non nisi per Jesum Christum valemus, inquit Beda. Sumus enim palmites, qui nisi in hâc vite manserimus, fructum ferre non possumus, Joan. 15, v. 4.

Vers. 6. — Propter quod, propterea, quia tanquàm sacerdotium sanctum, domus spiritualis ac lapides vivi Christo in Ecclesiæ structurâ superædificamini. Continet Scriptura; Græcè, *continet in Scripturâ;* brevi periochâ et paucorum verborum ambitu, ut verbum Græcum sonat, comprehendit Deus in Scripturâ apud Isaiam 28, v. 16. Alii vertunt passivè, *continetur in Scripturâ;* verba enim activa aliquando neutraliter aut passivè accipiuntur, ut *indurat* pro *induratur*, ps. 89, v. 6, et alia alibi. Ecce pono, æterno meo decreto disposui ponere, in Sion, in Ecclesiæ fundamento; mons enim Sion, in quo erat regia Davidis, typus fuit Ecclesiæ, in quâ regnaturus erat Christus: *Constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*, psal. 2. *Accessistis ad montem Sion* (id est, ad Ecclesiam) *et civitatem Dei viventis*, ad Hebr. 12, v. 22. Lapidem, Christum lapidem vivum. Vocatur autem Christus lapis à prophetis propter firmitatem, ait Beda, et totum Ecclesiæ ex electis ædificium dicitur ex lapidibus, non ex luto et argillâ, compositum, quia firmissimum est. Deinde cementum charitatis, quo lapides colligantur, est finaliter indissolubile: *Charitas nunquàm excidit*, 1 ad Cor. 13, v. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi?* ad Rom. 8, vers. 35. *Non rapiet eas quisquam de manu meâ*, Joan. 10, vers. 28. Summum angularem; Græcè unica vox composita est, quasi dicas, *summangularem*, id est, in capitali fundamenti angulo collocandum, unde apud Isaiam 28, v. 16, additur: *In fundamento fundatum.* Lapis fundamentalis dicitur summus in ædificio, sicut radix in arbore, non situ locali, sed officio sustentandi; arbor enim et ædificium considerantur ut homo quidam inversus, qui capite in terram defixo pedes sursùm erectos habeat: unde de eodem lapide Christo dicitur: *Factus est in caput anguli*, psal. 117, ut proinde caput et summitas anguli unum idemque planè significent. Vocatur autem Christus lapis angularis, sive locatus in angulo potiùs quàm alio loco fundamenti, quia *angulus in ædificio*, inquit August., serm. 18 de Verbis Domini, *non est, nisi ubi duo parietes ex adverso venientes in unum conveniunt, et quâdam unitate conjunguntur:* Christus autem parietem unum de Judæâ, alterum de gentibus venientem, in ædificio Ecclesiæ copulat, et facit utraque unum. Vide quæ de eâdem re diximus, ad Ephes. 2, v. 20. Electum, ex universo genere lapidum vivorum, ut collocaretur in illo fundamenti angulo: *Dilectus meus electus ex millibus*, Cant. 5, v. 10. Pretiosum; Christi enim divinitas est quasi pretiosissima gemma inserta humanitatis auro. Verti etiam potest *honoratum*, quomodò interpres, Lucæ 14, v. 8. Et qui crediderit in eum, fide quæ per charitatem operatur, ad Gal. 5, v. 6: Non confundetur, non afficietur pudore, quia exciderit spe ingenti quâ speraverat per fidem Christi regnare in cœlis, sed certissimè assequetur id quod speravit, si omnia perficiat quæ fides eum docet. Sunt verba Isaiæ prophetæ, cap. 28, v. 16, juxta versionem Septuaginta; Hebraicè autem vertente S. Hieronymo: *Qui crediderit, non festinet;* volendo scilicet nimis citò accipere id quod sperat; multi enim festinando spes suas corruperunt, et confusi sunt. Quidam tamen non de nihilo suspicantur interpretes Septuaginta legisse aliud verbum Hebraicum quàm legerit S. Hier., nempe *japis*, id est, confundetur, pro *jasis*, id est, festinabit.

1. Vers. 7. — Vobis igitur honor; honori et gloriæ æternæ, non confusioni erit lapis iste pretiosus et honoratus. Credentibus, fide vivâ, et per eam fidem in Ecclesiæ structuram venientibus, ut lapidi fundamentali superædificemini. Non credentibus autem, incredulis autem, seu fidem respuentibus; hoc enim propriè significat vox Græca. Lapis quem reprobaverunt, quem rejecerunt tanquàm inutilem Ecclesiæ fundamento : *Nolumus hunc regnare super nos*, Luc. 19, v. 14. Ædificantes; Judæorum scribæ, Pharisæi, pontifices, quorum erat synagogam doctrinâ et moribus ædificare. Beda generaliter intelligit ædificantes opera sua, et nolentes Christum lapidem in fundamento cordis sui ponere; opera enim quæ fidem et charitatem Christi pro fundamento non habent, inutilia sunt, et in vanum laborant qui ædificant ea. Hic factus est, à Deo, nolentibus et invitis illis synagogæ ædificatoribus, in caput anguli, in fundamentum angulare ædificii Ecclesiæ, ubi duo Judæorum et gentilium parietes inter se concurrunt et copulantur. Non dicitur autem factus ipsis in caput anguli, tanquàm in honorem ipsorum, sed in despectum, quia non sunt de illo ædificio cujus Christus est angulare fundamentum.

Vers. 8. — Et lapis offensionis, ad quem pede offenditur in viâ, et petra scandali, quæ scandalum et offendiculum est faciens hominem cadere et claudicare; *offensio* enim et *scandalum* differunt ut causa et effectus; nam scandalum est ipsum offendiculum, seu lapis positus in viâ, qui est causa offensionis lapsûs et claudicationis, à verbo Græco σκάζω, id est, claudico. His qui offendunt verbo; qui pedem quasi allidunt verbo evangelico, et consequenter impingunt in Christum, tanquàm in lapidem offensionis, qui verbo evangelico hominibus annuntiatur. Hi autem sunt qui nec credunt, Græcè, unicâ voce, *incredentes*, seu *increduli sunt*, id est, qui fidem respuunt, et à veritate auditum avertunt, ut versu præcedente in eodem verbo notavimus. His enim Christus propriè est lapis offensionis et occasio ruinæ, qui, cùm Evangelium audierint, credere tamen nolunt. In quo, ordine incredulorum, et positi sunt, etiam justo Dei judicio collocati sunt. Peccatum enim originis et alia quæ superaddiderunt, meruerunt ut desererentur, et in incredulorum classe ponerentur, ut optimè Œcumenius. Græcè tamen : *In quod et positi sunt*. Unde multi sic explicant, ut Judæi qui legem et prophetas pædagogos ad Christum acceperant, *in hoc*, id est, ad credendum in Christum *positi* et ordinati fuerint à Deo. Sed sensus iste supponit quòd particulæ *nec credunt* respondeant in Græco duæ voces, sicut in Latino; cùm tamen unica sit quæ verti potest, *incredentes* aut *increduli*, vel *discredentes*, ut supra diximus. Unde potiùs dicuntur positi seu ordinati à Deo in hoc seu ad hoc ut essent de numero incredulorum; non tanquàm in finem à Deo intentum, sed tanquàm in pœnam quæ consequitur eorum peccatum : quomodò dicuntur vasa quædam facta in contumeliam, et apta in interitum, ad Rom. 9, v. 21, 22. Hinc positio illa quâ ab æterno redacti sunt in istum ordinem incredulorum ac reproborum, præsupponit peccati prævisionem, non antecedit, ut Beza et Calvinistæ volunt; Deus enim creat hominem reprobum ad gloriam suam tanquàm ad finem : hunc finem autem assequitur non sicut in electis, ostendendo in iis misericordiam suam, sed permittendo finale peccatum, et ostendendo justitiam.

Vers. 9. — Vos autem, Judæi fideles, genus electum, Filii Dei, regeniti ab eo per baptismum, electi autem ut in structurâ Ecclesiæ coædificemini Christo lapidi pretioso, electo, fundamentali. Sumpsit autem apostolus Petrus hæc verba ex Exod. 19, v. 5, sensum litteralem transferendo in spiritualem, qui præcipuè intendebatur à Spiritu sancto. Ibi autem Deus ait ad veteres illos Judæos : *Eritis mihi in peculium de cunctis gentibus*, id est, populus peculiaris, ut Septuaginta vertunt, seu populus electus, ut vertit Theodosius. Populus autem ille electus, ut sub peculiari Dei gubernatione induceretur in terram promissionis, fuit figura populi electorum, quem Deus ad æternam gloriam per gratiam perducit. Regale sacerdotium; sacerdotes regales, sive qui simul etiam sint reges. Unde Chaldæus, Exod. 19, v. 6, unde Apostolus hæc verba sumpsit, vertit : *Eritis mihi reges et sacerdotes;* Christus enim *fecit nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram*, Apoc. 1, v. 6; et 5, v. 10. Sicut autem omnes Christiani sunt reges impropriè dicti, quia per Christi gratiam concupiscentiæ et passionibus suis imperant, ac eas Deo rebellantes debellant, ita etiam sunt tantùm metaphorici sacerdotes, ad offerendas Deo spirituales laudis et bonorum operum hostias, ut supra, v. 5, est explicatum; exceptis iis qui ad offerendum propriè dictum sacrificium in Ecclesiâ ordinati sunt. Beda omnes Christianos dicit reges appellari propter spem regnandi in cœlis cum Christo. Possunt etiam omnes dici sacerdotes regales, quia sunt membra unius summi sacerdotis Christi, qui simul Sacerdos et Rex noster est, ut Aug., l. 20, c. 10, de Civit. Dei. Unde spirituale nostrum sacerdotium tam in Christo capite, quàm in singulis ejus membris est conjunctum in eâdem personâ cum regno spirituali; secùs ac in populo Judaico, ubi potestas sacerdotalis pertinebat ad solam tribum Levi, regia verò potestas ad alias tribus, ut Benjamin, Juda, Ephraim, etc., successivè. Aliqui etiam putant non vacare mysterio, quòd, cùm Exod. 19, v. 6, Deus dicat Israelitis : *Eritis mihi in regnum sacerdotale*, septuaginta interpretes, quos hìc sequitur S. Petrus, verterint ordine inverso, *sacerdotium regale;* existimant enim Spiritum sanctum etiam respexisse ad propriè dictum sacerdotium novæ legis, quod regiam potestatem antecedit, cùm tamen in lege veteri potiùs sequeretur. Habet autem populus Christianus sacerdotium regale in summo Pontifice, cui suâpte naturâ convenit præesse omnibus regibus, et relativè ad spiritualia de iis disponere, ait Cajetanus. Gens sancta, per gratiam sanctificantem et charitatem, quâ anima fit unum cum Deo, qui est ipsa sanctitas. Cùm antea

dixerit omnes Christianos esse sacerdotes, meritò jam vocat gentem sanctam, quia sanctitas maximè decet sacerdotes; quam etiam exercent quoties hostias spirituales Deo offerunt, id est, opera sua bona per amorem charitatis ad Deum referunt, ut v. 5 diximus. POPULUS ACQUISITIONIS; Græcè, *populus in vindicationem*, ut Arias vertit, id est, populus qui sanguine Christi acquisitus et ex servitute diaboli in libertatem filiorum Dei vindicatus est sicut olim populus Israelitarum ex servitute Ægypti. UT VIRTUTES, nempe sapientiam, misericordiam, fortitudinem, aliasque virtutes, et divina attributa, quæ maximè elucent in illâ acquisitione populi electorum et redemptione generis humani. *Virtus* hìc non significat solùm potentiam, ut sæpissimè in Scripturâ solet, sed virtutem, ut à vitio distinguitur, ut patet ex voce Græcâ: quâ significatione solùm quater in totâ Scripturâ novi Testamenti reperitur, ter apud Petrum, et semel apud Paulum, ad Phil. 4, v. 8. ANNUNTIETIS EJUS; verbo et novæ vitæ exemplo ubique prædicetis ad gloriam Dei sicut Moyses et filii Israel, postquàm transito mari Rubro effugerant captivitatem Ægypti, cecinerunt carmen in laudem sui liberatoris, Exod. 15. QUI DE TENEBRIS, ignorantiæ et peccatorum. Multa enim ignorabant et errabant, non tantùm gentiles, sed etiam Judæi, circa fidem Mediatoris, et totam redemptionis generis humani œconomiam; nam Messiam suum futurum hominem simul et Deum plurimi ignorabant, ut colligitur ex Joan. 10, v. 33: unde Augustinus, tract. 18 in Joannem, de illis ait: *In homine non intelligebant Deum, habitaculum cernebant, habitatorem ignorabant.* In voce *tenebrarum* videtur alludere ad Ægyptum unde populus ille antiquus per Moysen eductus est, quia *Ægyptus* tenebras significat, ait Beda: vox enim ista pro fusco et nigro olim usurpari solita est teste Julio Scaligero; tenebræ autem sunt nigræ. Vos VOCAVIT; vocatione externâ per prædicatores evangelicos, vocatione internâ per occultam fidei inspirationem; IN ADMIRABILE, quod mirabilia operatur, et mirabilia fidei mysteria, ut Trinitatis, incarnationis, etc., revelat, quæ abdita et inscrutabilia fuerunt maximis philosophorum ingeniis; LUMEN SUUM, fidei et gratiæ lumen, subobscurum jam quidem, et velut in nube splendens, per quod tamen vocat vos ulteriùs ad splendidissimum æternæ gloriæ lumen in cœlis. Ignis enim lucens in columnâ nubis, qui Israelitas toto itinere à tenebris noctium defendit, et ad promissas sedes inenarrabili calle perduxit, ut loquitur Beda, fuit typus nebulosi luminis fidei, quo per tenebras hujus seculi ad patriam cœlestem tendimus, sinuoso et inenarrabili itinere per quod divina prædestinatio electos suos agit.

VERS. 10. — QUI ALIQUANDO, olim quando peccato et concupiscentiis vestris adhuc serviebatis, non POPULUS, Deo non subditi per obedientiam fidei et dilectionis, NUNC AUTEM, postquàm ad Christi fidem conversi estis, POPULUS DEI. Omnes homines quidem sunt populus Dei per creationem et providentiam quâ eos regit, sed peculiariter fideles electi sunt populus Dei, quos per fidem et gratiam ad vitam æternam perducit; ideòque eos *plebem dilectam* vocat Paulus ad Rom. 9, v. 25, ubi etiam verba ista Osee 2, v. ult., de populo gentilium ad fidem converso exponit; Petrus verò hìc eadem verba de Judæis in principio Ecclesiæ magno numero ex infidelitate ad fidem perductis: nec id mirum, quia Osee loquitur tam de filiis Juda quàm de filiis Israel, qui in unum Ecclesiæ populum congregandi erant: *Et congregabuntur*, inquit, *filii Juda et filii Israel pariter, et ponent sibimet caput unum*, Osee 1, v. ult. Sub populo Israel autem comprehendit omnes gentiles idololatras, per quorum regiones decem tribus Israeliticæ dispersæ fuerant, et quorum etiam idololatriam imitabantur, quando adhuc in regno Samariæ habitabant. Carthusianus tamen et aliqui alii putant Petrum perinde ac Paulum verba Osee accepisse de gentilibus ad fidem conversis, qui cum Judæis dispersi et mixti erant per regiones Ponti, Galatiæ, etc., 1 Petri 1, v. 1. QUI NON CONSECUTI MISERICORDIAM, quando adhuc in ignorantiæ tenebris et servitute peccati versabamini, NUNC AUTEM MISERICORDIAM CONSECUTI, gratiam vocationis ad fidem, quam non vestris meritis, sed ex solâ magnâ et singulari Dei omnipotentis misericordiâ estis consecuti: licèt enim etiam infideles et reprobi in multis bonis temporalibus experiantur Dei misericordiam, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, non tamen in bonis æternis, quæ donantur solis electis ex singulari illâ misericordiâ, unde *vasa misericordiæ* specialiter vocantur, ad Rom. 9, vers. 23.

VERS. 11. — CHARISSIMI, OBSECRO VOS. Obsecrat princeps apostolorum qui imperare poterat, quia lenitas prælatorum plures ad virtutem flectit, quàm imperiorum severitas frangere possit. TANQUAM ADVENAS, qui aliunde hùc advenistis; vestrarum enim animarum origo est cœlestis: ET PEREGRINOS, qui per terram alienam ad patriam vestram iter facitis; patria enim electorum cœlum est, patria reproborum terra, cui amore inhærent: ideòque post mortalem vitam ex hâc terrenâ suâ patriâ in perpetuum exilium relegantur, inquit Beda: hinc de ipsis Psalmista: *Vocaverunt nomina sua in terris suis*, ps. 48. ABSTINERE VOS, non apponendo cor, A CARNALIBUS DESIDERIIS, quibus voluptates carnales et terrenæ appetuntur, et iis inhæretur; peregrini enim illi fatui sunt, qui vel amœnitate viarum capti, vel hospitiorum deliciis inescati, ibi hærent, et patriæ suæ obliviscuntur. Transire igitur per voluptates istas oportet, non adhærere: hoc autem fit quando non propter ipsas, sed per ipsas tantùm operamur; sic enim desideria gustûs et tactûs sub ordine rationis posita, et ad finem honestum ac spiritualem relata, desinunt esse carnalia, fiuntque quodammodò spiritualia, inquit Carthusianus. QUÆ MILITANT, tanquàm milites diaboli, aut tela ignea nequissimi, contra quæ assumendum esse scutum fidei monet alter apostolus ad Ephes. 6, v. 16. ADVERSUS ANIMAM, ut eam per consensum quasi lethali vulnere mittant in mortem æternam;

non enim sensu, sed consensu desideria carnis lædunt animam.

VERS. 12. — CONVERSATIONEM VESTRAM, modum vivendi externum, INTER GENTES, Ponti, Galatiæ, etc., quæ fidem nondùm susceperunt, et inter quas tamen vivere vobis necesse est. HABENTES BONAM, sapientem et honestam; hoc enim est quod Paulus ait : *In sapientiâ ambulate ad eos qui foris sunt*, ad Coloss. 4, v. 5. Debemus enim Deo bonam conscientiam, proximo bonum exemplum : quod licèt ad omnes Christianos spectet, maximè tamen ad prælatos, sacerdotes, religiosos, et verbi divini prædicatores, ait Carthusianus, quorum mores singulari quàdam luce sanctitatis perfusi esse debent : *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, etc., Matth. 5, v. 16. UT IN EO, ut in loco ejus, seu in vicem ejus. Unde quidam vertunt : *Ut pro eo;* varius enim est usus hujus particulæ apud Græcos. QUOD DETRECTANT, malè loquuntur, DE VOBIS TANQUAM DE MALEFACTORIBUS; gentiles enim christianum hominem omnium scelerum reum, deorum, imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicum existimabant, inquit Tertull. in Apologetico : miracula quæ patrabant, artes magicas reputabant, in conventibus antelucanis, quando corpori et sanguini Domini communicare dicebantur, carnes infantium eos epulari jactabant, ut ex Tertulliano et Irenæo intelligimus. Ad hæc incestus et scelera Nicolaitarum et Gnosticorum, quia ex Christianis exierant, Christianorum esse putabantur. Denique Judæi christiani aliqua gentis suæ propria vitia retinebant. EX BONIS OPERIBUS, justitiâ, temperantiâ, et cæteris virtutum operibus, quæ in conversatione humanâ foris lucent; VOS CONSIDERANTES, et proprio suo sensu convicti; GLORIFICENT DEUM, qui legum suarum sanctitate, et adjutorio gratiæ, famulos suos à vitiis abstractos per *vias virtutum* sic facit ambulare; IN DIE VISITATIONIS, quando per gratiam suam eos fortassè visitare, et ad fidem suscipiendam inclinare dignabitur : tunc enim incipient glorificare Deum quem in plenâ suâ infidelitate contemnebant. Visitatio in Scripturâ est duplex, gratiæ et vindictæ : visitat enim nos Deus quando miseretur, et quando punit. Ille sumitur in bonam partem, sicut Lucæ 19, v. 44, et alibi.

VERS. 13. — SUBJECTI IGITUR ESTOTE, quasi diceret : Ut igitur talibus bonis exemplis permovere possitis gentiles, quibuscum conversamini, ad fidem et Dei laudem, nolite esse principibus et superioribus vestris rebelles, quo nomine apud alios infamaturnatio Judæorum; sed *subjicite* vos *libenter*, OMNI HUMANÆ CREATURÆ, omni homini habenti legitimam potestatem in vos, cujuscumque sit nationis, *qualibuscumque sit præditus moribus*. Particula ergo *omni*, distribuit pro generibus singulorum, sive pro generibus et nationibus hominum habentium jurisdictionem vel auctoritatem in ipsos. Meritò autem hujus rei eos monet, quia Judæi gens cervicosa et alieni jugi impatiens erat, maximè si superiores gentiles idololatræ essent quales tunc erant Romani, qui non tantùm Judææ et Palæstinæ eo tempore dominabantur, sed etiam Ponto, Galatiæ, Cappadociæ, per quas regiones dispersi erant Judæi isti ad quos scribit. Didymus tamen, Beda, Cajetanus, et alii, *creaturam* hìc accipiunt pro dignitate et principatu, quia homines dicuntur creari reges, præsides, magistratus, etc., quando ad tales dignitates evehuntur, et qui evecti sunt, creaturæ evehentium solent appellari. Quæ interpretatio ingeniosa et probabilis est, si alibi in Scripturâ vocem *creatura*, sic usurpari ostendi posset; nam quòd Œcumenius locum alterius apostoli ad Ephes. 2, v. 15, quasi huic similem allegat, ubi dicitur Christus duos, Judæorum et Gentilium, populos *condere* (Græcè, *creare*) in semetipso *in unum novum hominem*, non est omninò *simile* : nam *creare* ibi propriè non est evehere ad dignitatem, sed compingere utrumque populum in unum corpus novi hominis, cujus caput sit Christus. Cajetanus creaturam appellari, *humanam* dicit à causâ efficiente, quia officium regendi humanis suffragiis creatur. Sed qui à Deo immediatè principatum accipiunt, ut Saul, David, etc., etiam humanæ creaturæ dicuntur; unde potiùs à causâ materiali, sive quia ipsi principes homines sunt, creaturæ humanæ vocantur. PROPTER DEUM, id est, non timore pœnæ aut ex humanâ adulatione, sed propter amorem sic ordinantis Dei : *Qui* enim *potestati resistit*, *Dei ordinationi resistit*, ad Rom. 13, v. 2, Græcè, *propter Dominum*, Christum, qui, Matthæi 22, v. 21, jubet reddi quæ sunt Cæsaris Cæsari, etc., ait Œcumenius. SIVE REGI QUASI PRÆCELLENTI, supremam jurisdictionis potestatem in republicâ habenti, qualis tunc maximè imperator Romanorum Claudius Cæsar, sub cujus *imperio hanc Epistolam scriptam in præfatione* diximus. Romanis tamen à tempore expulsi Tarquinii Superbi ultimi regum suorum, nomen *regis* odiosum erat; ideòque Cæsares se imperatores, non reges appellaverunt; imperator enim propriè est qui tanquàm dux supremus imperat militibus in bello. Explicat jam S. Petrus quibus creaturis humanis velit eos subjectos esse : nempe regibus ante omnes, qui à Deo specialiter ad regendum alios constituti esse dicuntur : *Per me reges regnant*, etc., Proverb. 8, v. 15.

VERS. 14. — SIVE DUCIBUS. Erasmus, Arias et alii vertunt, *præsidibus;* quomodò etiam interpres noster, Matth. 27, v. 2, et alibi. Intelliguntur enim hìc non belli tantùm, sed negotiorum populi duces, quales sunt omnes præsides, judices et magistratus provinciarum, aut *urbium*. TANQUAM AB EO (rege) MISSIS; ideòque non est contemnenda eorum auctoritas, licèt sit subalterna, nec regiam illam præcellentiam habeat, quia saltem est radius quidam *regiæ* potestatis à quâ mittuntur, ut vice ejus provincias aut urbes gubernent. Solebant autem reges, sive imperatores Romani ad provincias regendas mittere proconsules, præsides, aut procuratores; unde Pilatus præses Judææ dicitur, Matth. 27, v. 2, quem tamen non præsidem, sed procuratorem Tiberii Cæsaris appellat Cornelius Tacitus, lib. 15 Annalium. Didymus et alii

multi, *ab eo*, non rege, sed Deo missos interpretantur, ut nempe subditi non tantùm in regiâ et supremâ potestate, sed etiam in inferioribus præsidibus, Dei eos etiam mittentis imaginem et auctoritatem intueantur : *Non est* enim *potestas nisi à Deo*, ad Rom. 13, v. 1. Sed illa particula *quasi præcellenti*, addita *regi*, magis indicat significari quòd missio illa à rege fiat. Ad vindictam malefactorum, ad punitionem eorum qui malè agunt. *Si* enim *malum feceris, time*; *non enim sine causâ gladium portat*, ait alter apostolus, ad Rom. 13, v. 4. Laudem vero bonorum, ad præmiandum laude et honore eos qui insignium virtutum opera in republicâ exercent; talium enim virtutes solent variis honorum titulis compensari, vel ab ipsis subalternis reipublicæ præsidibus, vel à supremis regibus, quibus subalterni præsides eos laudant et commendant. Laus verò ista bonorum et vindicta malorum sunt fines proximi propter quos supremi reges subalternos duces et præsides in provinciam mittunt, aut propter quos secundùm rectam rationem mittere debent. Narrat enim S. Petrus simpliciter quænam sit actio boni regis, aut præsidis, inquit Beda; non quòd omnes illo suo officio fungantur prout oportet.

Vers. 15. — Quia sic est voluntas Dei præcipientis ea quæ sequuntur; nam particula *sic* ad sequentia potiùs quàm ad præcedentia referri debet, ut ex Græcâ constructione patet. Ut benefacientes, subjiciendo vos et obediendo regibus et magistratibus, ac in omni humanâ conversatione honestè ambulantes, obmutescere faciatis; Græcè *capistretis*, sicut Arias vertit, id est, veluti capistro ut freno injecto obturetis os, ne liberè possint loqui; quod fit quando malè loquendi materia iis subtrahitur. Imprudentium hominum, *insipientium*, ut alii vertunt, aut *stultorum*; nam qui etiam philosophiæ et sapientiæ nomen inter gentiles habebant, reverà et coram Deo stulti erant : *Obscuratum* enim *erat insipiens cor eorum, et dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt*, ad Rom. 1, v 21. Ignorantiam, quâ seducti existimabant et passim jactabant Christianos esse legum et principum contemptores, superstitionem exitiabilem et per flagitia invisam, ut de ipsis loquitur Tacitus, lib. 15 Annalium.

Vers. 16. — Quasi liberi, subjecti, inquam, estote omni humanæ creaturæ, ut v. 13 dixi, non tamen quasi servi inviti et solo timore pœnæ, sed quasi liberi et libentes dilectione justitiæ, seu propter Deum, ut eodem v. 13 additum est. Vera enim libertas christiana, quam morte suâ nobis peperit Christus, non est libertas à legum divinarum vel humanarum obedientiâ, sed à servitute peccati et concupiscentiæ, quæ in membris nostris habitat; sub quâ servitute gemens alter apostolus clamat : *Infelix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis hujus?* et mox respondet : *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*, ad Rom. 7, v. 24. Et non quasi velamen malitiæ, non quasi prætextum quo inobedientiam vestram, fornicationes, ebrietates, cæterorumque flagitiorum turpitudines veletis ac celetis. Habentes libertatem, possidentes aliam libertatem quam vobis donavit Christus, quando ex servitute diaboli et peccati vos redemit. Quidam enim in principio Ecclesiæ libertatem christianam malè interpretabantur, quasi per illam liberi essent ab obedientiâ principum suorum et dominorum; quod avidè arripuerunt quidam ad fidem ex judaismo conversi, quia Judæi omni tempore se principibus idololatris subjici indignissimè tolerabunt, reputantes se esse populum à Deo olim electum, cujus ipse fuisset legislator, nec fecisset taliter omni nationi, nec judicia sua manifestàsset eis. Nicolaitæ etiam hoc extendebant ad libertatem à quibusdam naturæ legibus, quæ amorem voluptatum et concupiscentiam carnis refrenari jubent; unde per fornicationes et incestus se polluere, liberum et licitum Christianis esse volebant. Quidam, cùm Apostolus libertatem appellat, *velamen malitiæ*, suspicantur alludere ad veterem morem, quo servi in manumissione pileum, deformis et semirasi capitis velamentum, accipiebant. Sed sicut servi Dei, qui servitute liberâ ex amore domini sui, corde libero, libenti et dilatato, viam mandatorum currunt.

Vers. 17. — Omnes honorate, etiam ethnicos secundùm uniuscujusque conditionem, ut hâc humanitate allecti minùs sint à fide christianâ alieni. Unde in epistolis nostris solemus etiam non christianos vocare *dominos*, quia omnibus ad consequendam salutem debemus quodammodò liberam charitatis servitutem, ut ait Augustinus, cap. 26, de Gestis Pelagii; deinde in omnibus saltem naturalem Dei imaginem venerari possumus. Denique egestati omnium et necessitatibus subvenire debemus; quod secundùm Hebræam phrasim est quoddam genus honoris, juxta illud 1 ad Tim. 5, v. 3 : *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.* Fraternitatem dilicite; sed præsertim Christianos, quia fratres vestri sunt et domestici fidei, diligere et honorare honore præcipuo oportet. Hunc enim ordinem charitatis præscribit alius Apostolus, ad Galatas 6, v. 10 : *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* Fraternitatis, quæ est inter omnes Christianos, meminit, ut domini et superiores servos suos et subditos fratres suos esse in Christo recogitent, et se communem patrem et judicem habere in cœlis, qui sine acceptione personarum judicat, ut notat Beda. *Fraternitatem* verò in abstracto potiùs quàm *fratres* dixit, ut rationem specialis dilectionis distinctiùs exprimeret, quæ non reperitur in ethnicis et infidelibus. Deum timete, timore filiali. Dilectioni proximi subjungit timorem Dei filialem, qui ex dilectione Dei proficiscitur, quia timor iste dilectionem et honorem proximi, subjectionem erga reges et superiores, ac omnia virtutum officia imperat et regit, quæ Deus à nobis fieri præcipit. Hæc enim omnia faciunt boni, quia offendere Deum timore filiali timent. Regem honorificate, imperatorem Romanum, quamvis ethnicum et improbum,

honorate civiliter, in se, si quando adesse contigerit, aut in suis ministris ; deinde honorem tributorum et aliorum officiorum præstando, quæ mala non sunt, et à subditis ei debentur. Non erat autem eo tempore alius rex Ponti, Galatiæ, etc., ubi Judæi ad quos scribit agebant, quàm imperator Romanus, qui non erat Nero, ut Estius et quidam alii existimant, sed Claudius Neronis prædecessor ; scripta enim est hæc Epistola initio imperii Claudii statim atque S. Petrus Antiochiâ Romam migraverat, ut in præfatione Epistolæ indicavimus.

Vers. 18. — Servi, Græcè, *famuli domestici*, qui latiùs patent quàm servi propriè dicti, cùm famulos liberos etiam comprehendant. Subditi estote, submittite vos per obedientiam, nec putetis libertate christianâ vos ab eorum officiis liberos factos esse. In omni timore, cum perfecto timore reverentiali, qui amorem, non aversionem conjunctam habeat, dominis. Sicut vox *servus*, paulò ante famulum etiam liberum, ita hìc vox *dominus*, herum quoque comprehendit, qui non est dominus in illo rigore, quo dominus servum sive mancipium respicit. Non tantum bonis, id est, benignis, et modestis, moderatis; Græcè, *æquis*, qui imperia sua æquitate et justitiâ moderantur. Sed etiam dyscolis asperis et morosis. *Dyscolus* propriè est stomachus nauseabundus, qui cibum difficulter et morosè recipit, à κόλον, quod Græcè cibum significat; transfertur verò ad mores hominum difficiles et morosos. Malè autem Beda à scholâ hanc vocem deducit, quasi *dyscolus* sit idem ac indisciplinatus et agrestis, tanquàm qui ad scholas difficulter adduci possit ; sed hoc pacto *dyscolus* non per simplex *cappa*, sed per *chy* et cum aspiratione scribi deberet. Interpres autem unam vocem Græcam per aliam Græcam explicat ; nam *dyscolis* non est vox Græci textûs, sed alia quæ propriè curvum, distortum, et pravum significat : quomodò vertit interpres Lucæ 3, v. 5.

Vers. 19. — Hæc est enim gratia, hoc enim est opus Deo valdè gratum ex singulari gratiâ ejus proceders, et quo insuper gratiam novam et gloriam apud eum initis ; unde versu sequenti, *gratia apud Deum* appellatur. Si propter Dei conscientiam, si propter conscientiam quam de Deo habet, dictantem sibi hoc esse opus generosum, Deo gratissimum et acceptissimum, quidquid interim homines aliter judicent ; sed Deo teste et incorrupto judice estote contenti ; sunt enim multi non tantùm ethnici, sed qui boni Christiani haberi volunt, et tamen illatas injurias dissimulare putant viro honesto indignum, inquit Gagneus, quia mundi pluris quàm Dei conscientiam æstimant. Sustinet quis tristitias, patienter ferat omnes molestias quæ corpori et animo tristitias afferunt, ut labores immodicos, famem, sitim, nuditatem, verbera, cæterasque injurias et ignominias quibus exerceri olim solent servi et mancipia, præsertim in navibus, pistinis, et ergastulis. Patiens injustè ; domini enim injusta, crudelia et inhumana in servos suos exercebant, ut narrat Seneca, epistolâ 42. Unde servi ex impatientiâ sæpè dominos suos trucidabant, adeò ut epistolâ 4, idem Seneca dicat non pauciores servorum irâ quàm cecidisse regum, natumque inde proverbium : *Totidem quisque hostes habet, quot servos.* Meritò igitur hìc monet servos Apostolus ut sæva ista dominorum imperia non propter humanos fines patienter sufferant, sed propter respectum et conscientiam Dei, quâ conscii sunt illum delectari patientiâ eorum qui vitam miseram propter ipsum tolerant, sicut fortitudine martyrum qui pro ipso vitam profundunt.

Vers. 20. — Quæ enim est ; Græcè, *qualis ;* modica scilicet aut omninò nulla, gloria, materia gloriæ, et insignis laudis. Si peccantes, sicut servi sæpè peccant et offendunt dominos, et colaphisati, et ideò alapis pro meritis vestris contusi. Colaphi leviores sunt flagellis, ordinaria servorum pœna ; sed servi quidam superbi flagellis quàm colaphis cædi malebant, quia ludibrium et irrisio quædam colaphis inesse videbatur, ut narrat Seneca, cap. 4, lib. de Constantiâ sapientis. Græcum autem in Latinum, *colaphus* deduci videtur ab Hebræo קלף, *culaph*, quod concutere et collidere significat. Sufferetis, patienter toleratis ; quod quidem etiam est laudabile, si quis propter Deum justas peccatorum suorum pœnas sufferat, sed non est materia gloriæ et insignis laudis ; talem enim propriè vox Græca κλέος significat ; sed si benè facientes, et tamen colaphisemini aut flagellemini, patienter sustinetis, ex charitate propter Deum, hæc est gratia apud Deum, hoc demùm est opus insigniter Deo gratum, quo novam gratiam et gloriam illustrem mereamini apud ipsum.

Vers. 21. — In hoc enim vocati estis ; ad patiendum enim et fanda atque nefanda forti animo tolerandum ad Christianismum vocati estis ; quia et Christus, etiam Christus ipse Filius Dei Patris et Deus noster, passus est, flagella, colaphos, mortem, pro nobis. Quidam textus legunt *pro vobis*, non tantùm pro liberis, sed etiam pro vobis servis et mancipiis, qui tam viles et despecti estis in hoc mundo ; sed apud Deum *non est servus, neque liber ; omnes enim unum sunt in Christo Jesu*, ad Galat. 3, vers. 28. Vobis relinquens exemplum ; Græcè, ὑπόγραμμον, quod propriè significat exemplar quale à magistris præscribitur pueris ut addiscant scribere : quod exemplar solet esse longè perfectius quàm id quod pueri ad ejus imitationem conscribunt. Ut sequamini, à longè saltem, et non passibus æquis ; nam exemplar passionum Christi in infinitum perfectius est quàm omnes tribulationes et mortes Christianorum. Vestigia ejus, per vias duras quas paupertate, fame, siti, lassitudine, colaphis, flagellis, cruce onustus perambulavit Christus, ut tam ipse quàm omnes ejus sequaces Patri dicere possint : *Propter verba labiorum tuorum*, id est, propter mandata tua, *ego custodivi vias duras*, psal. 16. Quæ tamen onera accessu charitatis cor dilatantis tam levia fiunt ut idem dicat : *Viam mandatorum tuorum cucurri cùm dilatâsti cor meum*, psalm. 118. Quomodò conditionem servorum

glorificat, inquit Beda quos benefacientes et sine culpâ à dominis crudelibus vapulantes dicit esse imitatores dominicæ passionis.

VERS. 22. — QUI PECCATUM NON FECIT, imò nec facere potuit; si enim facere potuisset, Deus non fuisset, ac proinde inidoneus qui sacrificio crucis ex rigore justitiæ Patri satisfaceret pro peccatoribus : unde alter apostolus : *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*, Hebr. 7, v. 26. Nec solùm non fecit peccatum in propriâ personâ, sed nec in Adamo, cùm ab eo per naturalem originem non fluxerit, et quisquis peccatum originale habuit ex Adamo, etiam actuale peccatum in propriâ personâ aliquando adultus fecit, ut docet Augustinus, lib. 5, cap. 15, contra Julianum; nam : *Nullus est hominum*, inquit, *præter Christum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* Unde quia Virgo mater nullum peccatum actuale ætatis accessu fecit, ut Trident., sess. 6, can. 23, definit, ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis sequitur nec ipsam habuisse originale infantilis ætatis exortu : quod facile, ut puto, Augustinus admisisset, si eo tempore ejus rei fuisset mota quæstio. Quod etiam ex cap. 36 et 42, de Naturâ et Gratiâ, colligi potest; nam capite illo 36, dicit quòd de virgine Mariâ propter honorem Domini nullam prorsùs, cùm de peccatis agitur, habere velit quæstionem : etiamsi autem de solis peccatis actualibus secundùm quosdam id intelligatur, tamen juxta argumentationem Augustini illo libro 5, cap. 15, contra Julianum, sequitur, si virgo ætate adultâ nullum habuit actuale peccatum, nec in infantiâ habuisse originale; rectè enim sequitur secundùm D. Augustinum : Habuit originale, ergo habuit actuale; igitur ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis rectè sequetur : Non habuit actuale, ergo non habuit originale. NEC INVENTUS EST, neque fuit; quomodò vertit interpres, Isaiæ 53, v. 9, unde hæc verba desumpsit S. Petrus; quod enim non est, dicitur non inveniri phrasi Hebræis usitatâ. DOLUS IN ORE EJUS, mendacium, quo quemquam dolosè circumvenerit; sicut enim nullum opere peccatum fecit, ita nullum ore commisit.

VERS. 23.—QUI CUM MALEDICERETUR, conviciis afficeretur à scribis et Pharisæis dicentibus eum dæmonium habere, in Beelzebub ejicere dæmonia, Samaritanum, vini potatorem esse, NON MALEDICEBAT, Græcè, *non remaledicebat.* Licèt autem Joannis 8, v. 44, dixerit Pharisæis : *Vos ex patre diabolo estis*, nullum tamen fuit convicium, sed justa et ex charitate reprehensio : nec ullum antea convicium Pharisæorum præcesserat, cui talionem reddere videretur : unde mox, versu 48, ubi Judæi maledicentes ei aiunt : *Nonne benè dicimus nos quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes?* solùm modestè iis reponit : *Ego dæmonium non habeo.* Similiter Matth. 12, v. 24, cùm dixissent : *In Beelzebub eum ejicere dæmonia*, iterùm modestè respondet : *Omne regnum in se divisum*, etc.; deinde post aliquantulum sermonem, ut verba ejus speciem correptionis potiùs quàm vindictæ et remaledicentiæ habere viderentur, demùm, v. 31, *progeniem viperarum* eos appellat. CUM PATERETUR, sputa, alapas, flagella, crucem, NON COMMINABATUR, talionem aut vindictam, sed : *Sicut agnus coram tondente se obmutuit*, Isaiæ 53, v. 7. Semel tamen respondit ministro infligenti alapam : *Si malè locutus sum*, etc., Joannis 18, v. 23, non minando tamen, sed ne videretur irreverenter Caiphæ pontifici respondisse, docens nos quomodò non tantùm bonos, sed etiam malos sacerdotes debeamus revereri. Sic Paulus, cùm ab Ananiâ pontifice sine ullâ judicii formâ percuti jussus esset, dixissetque ei : *Percutiet te Deus, paries dealbate*, Act. 23, v. 3, et ab astantibus monitus esset quòd summum Dei sacerdotem maledixisset, excusat se mox, v. 5 : *Nesciebam, fratres, quia princeps est sacerdotum.* Monet etiam Thomas Anglicus dictum esse signanter, *cùm pateretur*, quia Christus aliquando corripiendo peccatores ex charitate, mortem æternam est comminatus, Matth. 10, v. 15; Luc. 13, v. 5, et alibi : non tamen, comminatus est quando patiebatur, ne minæ et correptio ex impatientiâ et amore vindictæ prosilire viderentur. TRADEBAT AUTEM, non subterfugiendo, sed voluntariè permittendo se manibus quærentium animam suam; imò ultrò obviàm eundo et rogando quem quærerent, Joannis 18, v. 4. JUDICANTI SE INJUSTÈ, Pilato, qui nec sibi subditum, nec pœnam ullam commeritum morti adjudicavit. Græci omnes hodiè aliter et contrario modo legunt : *Tradebat autem judicanti justè*, id est, causam suam et vindictam tradebat in manus Patri suo judici justo, qui dicit : *Mea est ultio, et ego retribuam*, Deuteron. 32, v. 35. Quam Græcorum lectionem multò veriorem Estius et alii existimant.

VERS. 24. — QUI PECCATA NOSTRA, peccatorum nostrorum pœnas, ingens scilicet et gravissimum omnium peccatorum humani generis tam originalium quàm actualium pondus, IPSE, qui nullum tamen peccatum proprium habebat, PERTULIT; Græcè, *sustulit*, sive *sursùm elevavit* : unde interpres idem verbum vertit *offerre*, 1 Pet. 2, v. 5, quia quæ offeruntur in sacrificium, efferuntur in altum, et collocantur super altare. IN CORPORE SUO, tanquàm in victimâ quâdam piaculari, ut peccata simul cum illâ victimâ quasi consumerentur in holocaustum. Quod aliter exprimens Paulus : *Vetus homo noster*, inquit, *simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati*, ad Rom. 6, v. 6. SUPER LIGNUM, super crucem, tanquàm altare in quo sacrificium corporis ejus alienis peccatis onustum offerebatur Deo Patri. Non longè absimili phrasi dicitur Christus *tulisse de medio chirographum quod erat contrarium nobis, et affixisse illud cruci*, ad Coloss. 2, v. 14. UT PECCATIS MORTUI; ut dùm nullos ampliùs actus peccatorum vitales exercemus, sicut mortui desinunt vitaliter operari : sive Paulinâ phrasi, ut dùm *peccatum non regnat in mortali nostro corpore, ut obediamus concupiscentiis ejus*, ad Rom. 6, v. 12 : JUSTITIÆ VIVAMUS, opera justitiæ per Christi gratiam

exerceamus : sive, ut loquitur Paulus : *Vivamus Deo in Christo Jesu Domino nostro*, ad Rom. 6, v. 11; et : *Exhibeamus membra nostra arma justitiæ Deo*, ibid., v. 12. CUJUS LIVORE, verberum signis et vulneribus; Græcè, *vibice*, qui est tumor ex flagris aut contusione in carne excitatus, cui livor, sive lividus color permisceri solet : unde poeta Juvenalis, satyrâ 16, vibicem appellat nigram tumidis livoribus offam his versibus :

Audeat excussos prætori ostendere dentes,
Et nigram in facie tumidis livoribus offam.

SANATI ESTIS, à peccatorum vestrorum vulneribus et morbis : unde dominorum vestrorum livores, vibices, et injustas plagas libenter sufferte propter eum qui merito plagarum suarum vos sanavit.

VERS. 25. — ERATIS ENIM, non tantùm gentiles idololatræ, sed etiam vos Judæi ante susceptam Christi fidem, SICUT OVES ERRANTES, à pastore suo aversæ, et à grege fidelium aberrantes per deserta et spineta vitiorum; SED CONVERSI ESTIS NUNC, ipso pastore priùs vos ad se convertente : *Converte me et convertar, quia tu Dominus Deus meus*, Jerem. 31, v. 18. Gratia enim Dei convertendo prævenit, et liberum arbitrium hominis sequitur impulsum convertentis, ut Augustinus, et fides docet. Unde ut Christus Petrum ad pœnitentiam et lacrymas converteret, se priùs debuit versùs illum convertere et respicere, Luc. 22, v. 61. *Negavit primò Petrus*, inquit Ambrosius in illum locum, *et non flevit, quia nondùm respexerat Dominus : negavit secundò, et nondùm flevit, quia adhuc non respexerat Dominus : negavit et tertiò, conversus respexit Jesus, et amarissimè flevit.* Ut autem hanc gratiæ convertentis necessitatem et ovis aberrantis imbecillitatem magis exprimeret bonus pastor, ovem errantem inventam non tantùm post se vocat, aut ante se agit, sed *in humeros suos imponit*, Luc. 15, v. 5. Licèt enim liberum arbitrium cum gratiâ ambulet, suaviter tamen ambulat, quem gratia Dei portat, inquit doctus et pius Thomas Campensis. AD PASTOREM, Christum, qui verbo et exemplo, et præcipuè gratiâ interiori ovium sit pastor, præcipuè tamen fuit Judæorum : unde Matth. 15, v. 14, dicit se *non esse missum nisi ad oves quæ perierant domûs Israel*, nempe *ut illis præsentiam sui corporis exhiberet, non ut oves quas habebat in gentibus contemneret et præteriret*, inquit Augustinus, serm. 74, de Tempore; ad gentes enim ipse non venit, sed discipulos misit. ET EPISCOPUM, superintendentem et inspectorem (id enim vox *episcopus* propriè significat) sicut pastor vigilat et attendit super gregem suum ut lupos arceat, oves aberrantes sibilo, fistulâ, cane, ad gregem revocet, scabiosis aut ægris medeatur, *fessas sublevet*. ANIMARUM VESTRARUM; omnia enim pastoris et episcopi munia animabus electorum suorum spiritualiter præstat Christus : unde Propheta : *Sicut pastor gregem suum pascet in brachio suo, congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit*, Isai. 40, v. 11. Christus quoque unicus supremus pastor; cæteri tantùm vicarii ejus sunt : unde Petro, Joannis 21, v. 17, non dicit : *Pasce oves tuas*, sed *oves meas* : meritòque sanguinem earum tanquàm suarum de manu negligentis vicarii pastoris et speculatoris requiret, Ezech. 33, v. 6. Multi tamen hodiè, inquit Thomas Anglicus, Christo longè dissimiles, non animarum sed possessionum pastores et episcopi sunt, divitiis, non animabus attendentes. Postquàm S. Petrus servos tam multis admonuit officiorum erga dominos suos, de dominorum tamen erga servos officiis tacet, quia, ut quidam suspicantur, in regionibus Ponti et Galatiæ, etc., per quas Judæi isti dispersi erant, vix ulli Judæorum erant *domini servorum*, sed *ut in regione alienâ* vel serviebant, vel tam pauperes erant, ut servos non possiderent. Apud gentiles autem Ephesios et Colossenses, qui divites et multorum servorum domini erant, non tantùm servos, sed dominos officiorum erga servos suos admonet, ad Eph. 6, v. 9; ad Coloss. 4, v. 1.

CAPUT III.

1. Similiter et mulieres subditæ sint viris suis; ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant,

2. Considerantes in timore castam conversationem vestram.

3. Quarum non sit extrinsecùs capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus;

4. Sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritûs, qui est in conspectu Dei locuples.

5. Sic enim aliquando et sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectæ propriis viris.

6. Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans; cujus estis filiæ benefacientes, et non pertimentes ullam perturbationem.

7. Viri similiter cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquàm et cohæredibus gratiæ vitæ; ut non impediantur orationes vestræ.

CHAPITRE III.

1. Vous aussi, femmes, soyez soumises à vos maris, afin que, s'il y en a qui ne croient pas à la parole, ils soient gagnés par la bonne vie de leurs femmes, sans le secours de la parole;

2. Considérant la pureté dans laquelle vous vivez et le respect que vous avez pour eux.

3. Ne mettez point votre ornement à vous parer au dehors, par la frisure des cheveux, les enrichissements d'or et la beauté des habits;

4. Mais à parer l'homme invisible caché dans le cœur, par la pureté incorruptible d'un esprit plein de douceur et de paix; ce qui est un riche et magnifique ornement aux yeux de Dieu.

5. Car c'est ainsi qu'autrefois les saintes femmes qui espéraient en Dieu se paraient, étant soumises à leurs maris;

6. Telle était Sara, qui obéissait à Abraham, l'appelant son seigneur; Sara, dont vous êtes devenues les filles, en imitant sa bonne vie, et ne vous laissant abattre par aucune crainte.

7. Et vous de même, maris, vivez sagement avec vos femmes, les traitant avec honneur et discrétion, comme le sexe le plus faible, et considérant qu'elles sont avec vous héritières de la grâce qui donne la vie, afin qu'il ne se trouve en vous aucun empêchement à la prière.

8. In fine autem, omnes unanimes compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles :

9. Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes ; quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis.

10. Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo, et labia ejus ne loquantur dolum.

11. Declinet à malo, et faciat bonum ; inquirat pacem, et sequatur eam.

12. Quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum ; vultus autem Domini super facientes mala.

13. Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?

14. Sed et si patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini.

15. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de eâ quæ in vobis est spe :

16. Sed cum modestiâ et timore conscientiam habentes bonam, ut in eo quod detrahunt vobis confundantur qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem.

17. Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati quàm malefacientes :

18. Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, Justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu :

19. In quo et his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit,

20. Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cùm fabricaretur arca : in quâ pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam.

21. Quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma ; non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi,

22. Qui est in dexterâ Dei, deglutiens mortem ut vitæ æternæ hæredes efficeremur ; profectus in cœlum, subjectis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus.

8. Enfin, qu'il se trouve entre vous tous une parfaite union de sentiments, une bonté compatissante, une amitié de frères, une charité indulgente, accompagnée de douceur et d'humilité,

9. Ne rendez point mal pour mal, ni outrage pour outrage : mais au contraire répondez par des bénédictions, sachant que c'est à cela que vous avez été appelés, afin de recevoir, comme un héritage, la bénédiction de Dieu.

10. Car si quelqu'un aime la vie, et désire d'avoir des jours heureux, qu'il empêche sa langue de se porter à la médisance, et que ses lèvres ne prononcent point de paroles de tromperie.

11. Qu'il se détourne du mal, et qu'il fasse du bien ; qu'il recherche la paix, et qu'il travaille pour l'acquérir.

12. Car le Seigneur a les yeux ouverts sur les justes, et les oreilles attentives à leurs prières ; mais il regarde les méchants avec colère.

13. Et qui sera capable de vous nuire, si vous ne pensez qu'à faire du bien?

14. Si néanmoins vous souffrez pour la justice, vous serez heureux. Ne craignez donc point les maux dont ils veulent vous faire peur, et n'en soyez point troublés ;

15. Mais ayez soin de sanctifier dans vos cœurs le Seigneur Jésus-Christ. Soyez toujours prêts à répondre pour votre défense à tous ceux qui vous demanderont raison de l'espérance que vous avez,

16. Le faisant toutefois avec douceur et avec modestie, et conservant votre conscience pure, afin que ceux qui décrient la vie sainte que vous menez en Jésus-Christ, rougissent de vous diffamer.

17. Car il vaut mieux être maltraités, si Dieu le veut ainsi, en faisant bien qu'en faisant mal ;

18. Puisque Jésus-Christ même a souffert une fois la mort pour nos péchés, le Juste pour les injustes, afin qu'il pût nous offrir à Dieu, étant mort en sa chair, mais étant ressuscité par l'Esprit :

19. Par lequel aussi il alla prêcher aux esprits qui étaient retenus en prison,

20. Qui autrefois avaient été incrédules, lorsqu'au temps de Noé ils s'attendaient à la patience de Dieu, pendant qu'on préparait l'arche, dans laquelle si peu de personnes, savoir huit seulement, furent sauvées au milieu de l'eau.

21. Ce qui était la figure à laquelle répond maintenant le baptême, qui, ne consistant pas dans la purification des souillures de la chair, mais dans la promesse que l'on fait à Dieu de garder une conscience pure, vous sauve par la résurrection de Jésus-Christ,

22. Qui ayant détruit la mort, afin que nous devinssions les héritiers de la vie éternelle, est monté au ciel, et est à la droite de Dieu, les anges, les dominations et les puissances lui étant assujétis.

COMMENTARIA.

VERS. 1.—SIMILITER ET MULIERES. Sicut antea præcepi ut servi subjecti essent dominis suis, similiter nunc præcipio ut mulieres SUBDITÆ SINT VIRIS SUIS, non tanquàm servæ et mancipia dominis, quia *vir* quidem *caput est mulieris*, sed *sicut Christus caput est Ecclesiæ*, ad Ephes. 5, v. 23, qui Ecclesiam ut sponsam, non ut mancipium tractat ; nec ista serviliter metu flagellorum, sed amore liberali Christo servit. UT ET SI QUI ; ut etiam si qui fortè viri earum, NON CREDUNT, Græcè, *discredunt*, nempe positivo etiam dissensu repugnantes, VERBO, fidei et evangelicæ prædicationis ibi annuntiato. Apostolus christianas uxores, quarum mariti adhuc erant infideles, specialiter admonet, quia illis majus periculum erat ne viros suos propter infidelitatem contemnerent : et deinde ut eos ad fidem fortè pertraherent, si blandæ ipsis et obsequentes essent. PER MULIERUM, uxorum suarum, CONVERSATIONEM, modestam, honestam, et in omnibus licitis et honestis sine rixâ et murmuratione maritis obsequentem, SINE VERBO, sine prædicatione verbali, quam mariti earum increduli rejiciunt, LUCRIFIANT, Christo et fidei aggregentur.

VERS. 2. — CONSIDERANTES, tanquàm silentem quamdam prædicationem, IN TIMORE, reverentiali erga suos maritos; timor enim iste non est maritorum considerantium uxores, sed uxorum reverentium suos maritos : nam particula hæc, *in timore*, non cum participio præcedenti, sed sequentibus conjungi debet, ut ex Græcâ constructione patet. CASTAM CONVERSATIONEM VESTRAM, tam intra quàm extra thorum maritalem, ut cum aliis viris non conversentur, et suo cum omni verecundiâ et castitate conjugali utantur; ut sit quod poeta quidam ait :

Non tristis thorus, attamen pudicus :

sic enim sæpè mariti infideles ad fidem, fideles mali ad virtutem ab uxoribus piis et modestis convertuntur; ampliùsque valet privatum exemplum admixtâ quandoque blandâ et uxoriâ admonitione, quàm publici concionatoris verbum.

VERS. 3. — QUARUM (mulierum) NON SIT EXTRINSECUS, in homine externo et foris apparente, cui opponitur versu sequenti *homo cordis absconditus*, CAPILLATURA; Græcè, *implicationis capillorum*, ubi genitivus *implicationis* regitur à voce *cultus*, quæ paulò post sequetur. Dicit ergo Petrus quod alter apostolus 1 ad Timoth. 2, v. 9, *nec in tortis crinibus*, etc., quo reprehenditur affectata structura calamistratæ comæ, quâ feminæ comere et ornare caput solent, ut formosiores appareant; feminarum enim mundanarum cultus est pectine crines infarcire, inquit Tertullianus, comam struere, cutem fingere, cervicem enervare, pectus nudare, aut ventilante serico tegere, lenocinia factitare. Quædam etiam, ut idem ait, tanquàm formosiùs non concinnos crinium implicatione coercebant, sed in flocculos vagos et volucres relaxabant. In quâ veteri puellarum istarum lascivià, nostrarum hodiè dissolutiones et mores agnoscimus. Aliæ crinem cocco vertebant, ait idem, quia flavus color in crinibus formosior censebatur; unde flammea earum capita, ignis infernalis omen appellat. AUT CIRCUMDATIO AURI; Græcè, *aut circumpositionis aureorum;* aut cultus circumpositionis aureorum ornamentorum, ut sunt aureæ armillæ in brachiis, aurei annuli in digitis, aurea monilia è collo pendentia, aureæ vittæ, quibus implicantur et coercentur crines capitis. Ad hæc etiam lumina lapillorum adduntur, et sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit, ait Tertul., l. de Habitu muliebri, graciles aurium cutes calendarium expendunt, saltus et insulas tenera cervix fert, uno lino decies sestertium inseritur, id est, viginti quinque millia aureorum, supputatore Renano. Et mirum negotium est, ait S. Cyprianus, quòd mulieres ad omnia delicatæ, ad vitiorum sarcinas fortiores sint viris. AUT INDUMENTI VESTIMENTORUM, aut pretiosi pallii sive muliebris pallæ quâ vestes inferiores teguntur, CULTUS; Græcè, *ornatus*. Itaque non sit in corpore feminarum externus ornatus capillaturæ, aureorum circulorum in collo, brachiis, manibus, neque ornatus appareat pretiosæ pallæ; quibus tam libenter, ut formosus appareat, ornari solet iste sexus; potest enim in tali ornatu esse grave peccatum scandali, si viros ad libidinem provocet, et adolescentùm suspiria post se trahat, ut loquitur Tertul. In quo tamen sæpè mirè sibi complacent puellæ, quia formosiores se existimant quo à pluribus ambiuntur; et hoc fine non tantùm illa ornamenta extrinsecùs assumunt, sed etiam cutem medicaminibus ungunt, genas rubore maculant, oculos fuligine colliniunt, inquit idem Tertul., lib. de Cultu feminarum. Quæ omnia quantùm Deo displiceànt, clamat Propheta : *Decalvabit*, inquit, *Dominus verticem filiarum Sion, et crinem earum nudabit*, etc., Is. 3, v. 17. Nec omninò excusat uxores Tertul., quæ hoc ornatu maritis suis placere student : Securæ estote benedictæ, inquit cap. 4, lib. de Cultu feminarum : uxor nulla deformis est marito suo, satis placuit quando electa est, seu moribus, seu formâ commendata. Unde generaliter, ait, studium placendi per decorem, de conscientiâ integrâ non venit. Hinc Cathar. accusat Cajet. tanquàm feminis in ornatu nimis indulgentem; et de confessariis conqueritur qui vanis et superfluis ornamentorum vanitatibus studentes, feminas tam facilè absolvunt. Certè S. Carolus Borromæus dicitur eas quæ aperto pectore se offerebant à mensâ Domini repulisse. Vide quæ de eâdem re, 1 ad Tim. 2, v. 9, diximus.

VERS. 4. — SED QUI ABSCONDITUS EST; Græcè significantiùs, *sed ille occultus;* qui non corporis externi, ubi sunt officinæ sensuum, habitator, sed CORDIS HOMO, id est, interior homo qui in corde residet, sive in supremâ parte animæ, quæ spiritus hominis vocatur, et unde exeunt cogitationes ac humani affectus; cor enim in Scripturâ quando ad spiritum transfertur, nunc intellectum, nunc voluntatem, nunc utrumque significat, sive totam mentem, quæ duas facultates proprias homini ex summo velut apice animæ emicantes complectitur. Iste ergo homo cordis sit cultus et ornatus mulierum christianarum, ut *omnis gloria filiæ regis* sit *ab intus, in vestitu* interiori *deaurato, circumdata varietate* virtutum, psalm. 44; unde addit : IN INCORRUPTIBILITATE, id est, per incorruptibilitatem quâ anima à vitiis corrumpentibus per virtutum ornamenta custoditur. S. Hieronymus, lib. 1, cap. 4, contra Jovinianum, *in incorruptione*, legit; animus enim per virtutes hujus vitæ redditur magis incorruptus, quàm propriè incorruptibilis. Cajetanus et quidam alii sic exponunt, quasi homo ille interior cordis dicatur situs in incorruptibilitate, sive in parte incorruptibili et immortali animæ rationalis; quod verum est; sed non videtur iste Apostoli sensus. QUIETI ET MODESTI SPIRITUS; Græcè inverso ordine, *lenis et quieti spiritûs;* aut, sicut S. Hieronymus loco citato legit, *mitis et silentis spiritûs;* quies enim tam animi quàm corporis, pedum præsertim et linguæ, maximè decet feminas; plateatim enim, aut de domo in domum sine necessitate vagari, et linguæ crepitaculum perpetuò agitare, meretricum est, et leviculârum : *Occurrit illi mulier ornatu meretricio, garrula ac vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis*, Prov. 7, v. 10. Hinc apud veteres hiero-

glyphicum probæ mulieris erat concha, quæ semper tacet, et domi manet. Modestia quoque ac lenitas spiritûs maximum ornamentum est mulieris; hæc virtus iras earum ac perturbationes moderatur, quibus non se solas, sed etiam maritos suos ac totam familiam perturbant. QUI EST IN CONSPECTU DEI; qui spiritus ornatus incorruptibilitate illâ virtutum cum quiete et modestiâ, verè et coram Deo est, LOCUPLES, dives et magni pretii; unde interpres Marci 14, v. 3, et 1 ad Timoth. 2, v. 9, eamdem vocem Græcam *pretiosum* vertit. Considerat ergo Apostolus spiritum piarum feminarum instar cycladis et stolæ auro textæ, virtutum gemmis et splendoribus exornatæ, quâ se induere potiùs debeant, quàm ornamenta vana periculosaque homini suo externo et corpori circumponere: Quod non tantùm de feminis, sed etiam multò magis de viris dictum esse oportet: Pensate enim, ait S. Gregorius, quæ culpa sit hoc viros appetere, à quo pastor Ecclesiæ curavit feminas prohibere; nam quia viri plus prudentiæ et rationis à Deo acceperunt, debent feminis exemplo in omnibus præire, tanquàm earum capita, inquit Carthusianus.

VERS. 5. — SIC ENIM ALIQUANDO; hoc enim modo in incorruptibilitate spiritûs quieti et modesti olim ante Christi adventum, seculis non tam sanctis quàm sunt tempora ista novæ legis; ET SANCTÆ MULIERES, uxores patriarcharum, et matres vestræ, SPERANTES IN DEO, quarum spes non erat gloria terrena, quæ quæritur ornatu corporis, sed Deus et gloria cœlestis, ORNABANT SE, non tam corpus suum et hominem externum, quàm spiritum et hominem interiorem cordis, SUBJECTÆ PROPRIIS VIRIS; ornabant se, inquam, maximè per subjectionem quâ viris in spiritu quieto et modesto obediebant tanquàm capitibus suis.

VERS. 6. — SICUT SARA OBEDIEBAT ABRAHÆ, non tantùm in re et administratione familiæ, sed per longas in terram Chanaan, in Ægyptum, ad regem Geraræ, peregrinationes, ad omne obsequium lateri ejus semper adhærens; DOMINUM EUM VOCANS, quia in regimine familiæ ei suberat, licèt non serviliter, et quoad jura thori etiam ei par esset. Dominum autem vocavit quando ad angelum promittentem ei semen subridens dixit: *Consenui, et dominus meus vetulus est;* Genes. 18, v. 12; nihil enim est efficacius ut uxor virum sibi ad omnem obedientiam subjiciat, quàm si ei in omnibus blandè et sollicitè obediat. Abraham verò vicissim uxorem Sara, dominam meam vel principissam meam appellabat; hoc enim nomen Hebraicum שרי *Sarai* significat. Mutavit autem postea Deus nomen *Sarai* in *Saram*, sive *dominæ meæ*, in *dominam*, Gen. 17, v. 15, significans dominatum ejus in virum suum Abrahamum esse nimis angustum, cùm ipsa per Isaac et Christum filium suum futura esset domina omnium gentium. CUJUS ESTIS FILIÆ, non tantùm propagatione carnis, sed etiam similitudine spiritûs; BENEFACIENTES, dùm benefacitis, et obedientiam illam erga maritum suum, cæterasque virtutes uxorias matris vestræ imitamini. Ex hoc loco satis patet quod in præfatione Epistolæ diximus, ad Judæos, non ad gentiles hanc Epistolam scriptam esse, cùm uxores eorum filias Saræ appellet. ET NON PERTIMENTES, quasi mariti asperiùs vos sint tractaturi, quia dicuntur capita et quodammodò domini uxorum suarum, ULLAM PERTURBATIONEM; Græcè, *terrorem*, aut *animi consternationem*, ut Arias vertit; facilè enim sexus ille imbecillis ad minimum virorum strepitum consternatur, et se ac familiam perturbat. Œcumenius, *benefacientes*, de beneficentiâ et liberalitate in pauperes ac domesticos intelligit, à quâ virtute deterreri uxores non oporteat, nec perturbari, si viri earum aliquando rationem exigant eorum quæ in familiâ expenduntur. Timere autem terrorem aut perturbationem, est phrasis isti similis, gaudere gaudio, currere cursum, quæ est Hebræis valdè familiaris.

VERS. 7. — VIRI SIMILITER; viros jam officii erga suas uxores vicissim admonet. COHABITANTES. Estote uxoribus vestris sine asperitatibus, quibus fortè abigantur à contubernio, aut thoro. SECUNDUM SCIENTIAM, juxta regulas scientiæ sanctorum ac rectæ rationis, quam viri majorem quàm feminæ habere solent et debent, ut tanquàm capita eas et familiam regant. Thomas Anglicus, post Œcumenium, *cohabitationem* intelligit reciprocam redditionem debiti conjugalis, quæ debet secundùm scientiam administrari, ne conjuges sint sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. QUASI INFIRMIORI; solent enim feminæ corpore et animo infirmiores esse viris, ut proinde viri infirmitatem istam debeant sustentare et aliquo honore consolari. VASCULO MULIEBRI, instrumento et adjutorio muliebris sexûs, tam ad generationem et educationem prolis, quàm ad familiæ totius regimen: *Faciamus ei adjutorium simile sibi*, Gen. 2, v. 18; vas enim more Hebræorum significat quodlibet instrumentum, quo in operatione aliquâ adjuvamur, sive concavum sit, quod Latinis propriè vas dicitur, sive non. IMPARTIENTES HONOREM, id est, honestè et benignè tanquàm matresfamiliàs et ejusdem jugi conjuges, non tanquàm ancillas eas tractando; non tamen ut primus eis cedatur locus, quod nunc in plerisque regionibus stultissimè videmus fieri, inquit Erasmus; non enim oportet sic honorare uxorem, ut inde adversùs maritum superbiat: *Mulier* enim *si primatum habeat, contraria est viro suo*, Ecclesiastici 25, v. 30. Hinc quia philosophi olim studiis immersi omnem rei familiàs curam uxoribus remittebant, pessimas et dominatrices uxores plerique habuerunt; de quibus, ac de toto feminino genere in libris suis multa conqueruntur. S. Hier., et eum secutus Beda, *honorem* intelligunt abstinentiam à concubitu, quia copula etiam maritalis res de se fœda et inhonesta est; colligunt hoc ex eo quod mox sequitur, UT NON IMPEDIANTUR ORATIONES VESTRÆ. Similiter enim Paulus: *Nolite*, inquit, *fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*, 1 ad Cor. 7, v. 5. Sed talis honor abstinentiæ concubitûs videtur solùm esse species una honoris generalioris, quem uxoribus præcipit hìc impertiri S. Petrus, quas in thoro pudicè et verecundè, extra thorum liberali-

ter ac minimè serviliter vult tractari. TANQUAM ET COHÆREDIBUS; eò etiam magis oportet iis honorem istum impertiri, quòd in jure hæreditatis, GRATIÆ VITÆ, gratuitæ vitæ æternæ, sint pares viris; indifferenter enim ex massâ damnatâ Deus viros et feminas gratuitâ prædestinatione elegit; imò fortassè plures feminæ quàm viri ad illam æternam hæreditatem perventuræ sunt, sicut sexus iste magis Deo devotus esse solet, quàm virilis. *Ut non impediantur;* Græcè, *interdicantur*. Oratio enim debet esse continua : *Sine intermissione orate*, 1 ad Thes. 5, v. 17. *Oportet semper orare et non deficere*, Lucæ 18, v. 1, quia et statutis ad orationem horis, et affectu charitatis, quo omnes nostras actiones ad Deum referre, et mentem sursùm elevare debemus, perpetuò quasi orandum est, ut exponit S. Thom., 2, 2, q. 83, art. 14. *Orationes vestræ*, per lites et jurgia domestica, quæ inter virum et uxorem exoriri solent, si hæc in nullo honore, nec tanquàm materfamiliàs à viro habeatur, sed asperè tanquàm mancipium tractetur; tales enim animorum et familiæ perturbationes christianorum conjugum orationes et omnia pietatis exercitia impedire, intercidere, et interficere solent; oratio enim et omnis in Deum mentis elevatio, vel omninò negligitur, aut cœpta facillimè dispergitur, ubi animi quies et tranquillitas abest.

VERS. 8. — IN FINE AUTEM, id est, finaliter ac denique, OMNES UNANIMES, ejusdem animi estote, intellectu idem sentientes, idem amantes voluntate; sic enim pax et concordia inter vos erit : *Cor unum et anima una*, Actor. 4, v. 32. Postquàm Apostolus singulatim varia genera hominum officii sui admonuit, nunc ad universum cœtum Christianorum exhortationem suam convertit. COMPATIENTES, sympathiâ quâdam inter vos affecti, ut vox Græca sonat, tanquàm membra ejusdem corporis, cujus caput est Christus, mutuis gaudiis aut doloribus aliorum tangamini : *Flebam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi*, Job. 30, v. 25. Sicut autem malum culpæ est incomparabiliter majus malo pœnæ, ita longè magis compati debemus proximis peccato dejectis, quàm pœnâ temporali afflictis, inquit Carthus. Quod tamen hodiè parùm in usu esse videmus, nisi apud valdè spirituales, qui res spiritu Dei et veritate æstimant, non solo sensu, ut homines animales solent, qui ideò promptiores sunt ut ad fornicationes, pugnas, et id genus aliorum peccata rideant cum Democrito, quàm ut fleant cum Heraclito. FRATERNITATIS AMATORES; Græcè, unicâ voce, *philadelphi*, fratrum christianorum amatores; sicut enim natura ab eodem parente derivata amorem naturalem conciliat inter fratres, ita gratia ab eodem Christi baptismate transfusa est fundamentum amoris supernaturalis inter Christianos. MISERICORDES, ex intimis visceribus, ut vox Græca significat, non ex solâ externâ tristitiâ vultûs, ut solent hypocritæ; unde veri misericordes alienam miseriam sublevant quando possunt, hypocritæ se excusant. MODESTI; Græca vox affabiles et benignos magis significat, prout etiam interpres vertit, Act. 28, v. 7. Tales autem in conversatione mutuâ, et maximè inter infideles, debent esse Christiani, imitantes præceptorem suum, qui dicit : *Discite à me, quia mitis sum et humilis corde*, Matth. 11, v. 29. HUMILES, parvi in oculis suis. Hâc particulâ carent hodiè codices Græci; sed interpres noster et Œcumenius olim videntur legisse. Vera autem Christianorum humilitas est, inquit S. Prosper, in nullo superbire, in nullo murmurare, nec ingratum esse, nec querulum, sed in omnibus Dei judiciis gratias Deo agere, eumque laudare, cujus omnia opera aut justa sunt, aut benigna.

VERS. 9. — NON REDDENTES MALUM, tanquàm malum et contristativum proximi, PRO MALO, inflicto vobis ab aliis. Licet tamen appetere vindictam propter vitiorum correptionem, aut justitiæ conservationem, ait S. Thom., 2, 2, q. 158, art. 1 ad 3, dummodò tamen vindicta inferatur à Deo, vel à potestate publicâ, quæ Dei vicem in terris gerit, ad Rom. 13, v. 4; homines enim privati sunt inidonei judices propriæ injuriæ, quia nemini mortalium injuriæ suæ parvæ videntur, ait ex Salustio S. Thomas, 2, 2, q. 157, a. 2 ad 2; unde ex amore proprio facilè in vindicando se modum excederent. NEC MALEDICTUM PRO MALEDICTO, nec convicium pro convicio. Prohibet ergo pro malo reddere talionem tam factis quàm dictis. Rara virtus et humilium tantùm et fortium injurias propter Christum tolerare, et premere altum corde dolorem. SED È CONTRARIO BENEDICENTES, benè apprecantes maledicentibus. Homines ergo Deo similes esse debent, qui reddit bonum pro malo, quia bonus est; bonum pro bono, quia justus est; nulli tamen malum pro bono, quia hoc iniquum est, ut post magistrum suum Augustinum ait S. Prosper. In hoc tamen sumus dissimiles, quòd malum pro malo etiam Deus reddat, quia ad ipsum, non ad nos vindicta spectat, qui dicit : *Mihi vindicta*, etc., ad Rom. 12, v. 19. QUIA IN HOC (quod mox sequitur) VOCATI ESTIS, gratis à Deo per æternam prædestinationem, cùm tamen peccatis vestris injuriâ eum affecissetis : unde bonum pro malo vobis reddidit. UT BENEDICTIONEM, id est, vitam æternam, quæ est effectus divinæ benedictionis : *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali*, ad Eph. 1, v. 3. Benedictio enim Dei erga homines est benefacere; dicit enim et factum est : benedictio hominis erga Deum est laudare : benedictio hominis erga hominem in bonis spiritualibus est benè precari. HÆREDITATE POSSIDEATIS, titulo hæreditatis, tanquàm filii per gratiam adoptivi, quorum est hæreditas : *Si* enim *filius, et hæres*, ad Gal. 4, v. 7. Memores ergo benedictionis illius quam vobis, licèt inimicis, præparavit Deus, benedictionem etiam impertimini malefactoribus et maledicentibus vobis.

VERS. 10. — QUI ENIM VULT VITAM DILIGERE; qui voluntate et desiderio ardenti vitam æternam et beatam, quæ sola verè vita est, diligit et consequi cupit. Sunt verba psal. 33, paucis immutatis, sed eodem sensu. ET DIES VIDERE BONOS et dies felices experiri. Boni aut mali dies dicuntur à bonitate aut malitiâ re-

rum, quas homines patiuntur in diebus suis : solus autem beatus æternitatis dies est perfectè bonus : in hoc autem seculo dies justorum mali sunt, si externas afflictiones aut incommoditates plerùmque aspicimus ; boni tamen si interna gaudia et divinas consolationes attendamus : *Omnes dies pauperis mali*, inquit Sapiens ; si nempe famem et egestatem pauperis attendimus : sed de mente consciâ recti mox additur : *Secura mens* (Hebraicè, טוב לב, *tob leb* id est, bonum cor) *quasi juge convivium*, Prov. 15, v. 15. Abraham, inquit Augustinus in psalm. 33, habuit dies bonos, sed intùs in corde ; habuit dies malos quando mutavit regionem fame : et Paulus qui tam prolixè ærumnas suas describit : *In fame et siti, in frigore et nuditate*, etc., 2 ad Cor. 11, v. 27, paulò tamen ante spirituali lætitiâ exultans : *Repletus sum consolatione*, inquit ; *superabundo gaudio in omni tribulatione nostrâ*, 2 ad Cor. 7, v. 4. COERCEAT LINGUAM SUAM A MALO, à maledicentiâ et detractione ; ET LABIA EJUS. Ponit duo instrumenta quibus verba formantur, inquit Thomas Anglicus ; nam per linguam interiùs, per labia exteriùs voces articulantur. NE LOQUANTUR DOLUM. Ne dolosis et mendacibus verbis circumveniant proximum. Deinde, quia non sufficit à vitiis istis linguæ abstinere, addit :

VERS. 11. — DECLINET A MALO, à quocumque opere externo pravo, ut furto, homicidio, adulterio ; nec tamen adhuc satis est omnia præcepta negativa implevisse declinando ab omni malo linguæ et operis, sed etiam : ET FACIAT BONUM, præcepta affirmativa implendo quando tempus urget faciendi bonum quod præcipitur ; parùm enim est ut non expolies vestitum, sed etiam vesti nudum, ait Augustinus. INQUIRAT PACEM ; studeat habere pacem cum Deo, secum, et cum proximo, ET SEQUATUR EAM ; Græcè, *persequatur eam ;* magno studio etiam fugientem persequatur, ut eam apprehendat, et tanto bono perfruatur. Antea à peccatis cordis abstinendum esse dicit ; nam odium, invidia, et similes pravi cordis affectus, sunt qui pacem internam et externam maximè turbant : unde cùm pacem inquirendam monet, à talibus etiam affectibus abstinendum significat. Non potest tamen pax justorum esse perfecta in hoc mundo ; nam etiam inter sanctos Paulum et Barnabam rixa fuit, Act. 15, v. 39, quæ tamen non occideret concordiam, ait Augustinus, psal. 33, nec interficeret charitatem : Omnis etiam quem pœnitet, inquit, rixatur secum, sed ista rixa tendit ad concordiam.

VERS. 12. — QUIA OCULI DOMINI (misericordes et benigni) SUPER JUSTOS, intenti sunt ut eos protegat à malo, det vitam, et faciat dies videre bonos : unde ipsis etiam dormientibus vigilat tamen Domini oculus super eos, et pro eis : ubi enim est amor, ibi cor et oculus. ET AURES EJUS, intentæ sunt et inclinatæ IN PRECES EORUM, ut citò audiat, et exaudiat, si ita eis expedit ; nec enim medicus omnia concedere debet ægris. Nec tamen etiam cùm petuntur quæ non expedire nesciuntur, rejicit Deus justorum preces, sed in melius convertit. VULTUS AUTEM DOMINI ; compositio facici severa et irascentis ; vultus enim propriè non tam faciem quàm faciei habitum et compositionem significat ; et sæpè, ut hìc, pro compositione severâ et asperâ accipi solet : unde deductum est adjectivum *vultuosus*, pro homine tristis et asperi vultûs. Oculi, aures, vultus, per metaphoram rerum corporearum ad incorporeas tribuuntur Deo. Oculi sunt intellectus vigilantis ; aures voluntas preces exaudire cupientis ; vultus sunt minæ Dei irascentis. SUPER FACIENTES MALA, ut eos severè et pro meritis puniat.

VERS. 13. — ET QUIS EST ; nemo sanè, vel valdè rarus, QUI VOBIS NOCEAT, etiam in bonis temporalibus, et hujus vitæ mortalis ; nam qui maledicentibus benedicunt, et in omni conversatione humiles et modesti sunt, non solent ab aliis etiam malis hominibus malè tractari. Vox autem Græca, quam interpres *nocere* vertit, propriè *malè tractare* significat, quomodò etiam Arias vertit : *Omnes* tamen *qui piè in Christo vivere volunt, persecutionem patientur*, ait alter apostolus, 2 ad Tim. 3, v. 12 ; nam si non semper exteriorem, saltem interiorem persecutionem patiuntur à concupiscentiâ suâ, et angelo Satanæ, qui non cessat concupiscentiam armare et animare contra spiritum. Quidam etiam sententiam Pauli restringunt ad tempus persecutionis, quando omnium primò et maximè piissimi quique solent à tyrannis invadi. SI BONI, patientiæ, modestiæ, et omnis virtutis ; *boni* enim hìc est genitivus neutrius generis : unde Erasmus *bonitatis* vertit ; ÆMULATORES FUERITIS? conando seriâ æmulatione et imitatione vitam vestram ad omnis boni et virtutis normam componere ; Græcè, *imitatores*, sicut interpres eamdem vocem vertit, ad Ephes. 5, v. 1 : *Estote*, inquit, *imitatores*, etc. Unde quidam hìc eodem modo (*boni*) interpretantur *Dei*, qui est essentialiter bonus, et bonitas ipsa : tam in Græco enim quàm in Latino ambiguum est an genitivus *boni* sit neutrius an masculini generis.

VERS. 14. — SED ET SI QUID, in facultatibus vestris, famâ, aut corpore, PATIMINI, à persecutoribus et improbis hominibus, PROPTER JUSTITIAM, propter fidem et christianas virtutes, quæ infidelibus et impiis sunt exosæ : *Nemo* autem *patiatur ut homicida, aut fur*, etc., ut dicet infra, cap. 4, v. 15. Unde patet *justitiam* hìc accipi generaliter pro omni virtute cui talia vitia opponuntur. BEATI critis ; adeò nihil vobis nocebit vero nocumento, et quod æstimari debeat, ut propter talem patientiam hìc spe, postea reipsà in cœlis beati futuri sitis. Sic amaritudo potionis, vulnus sectionis, dolor adustionis, non nocent ægro si sanitati prosunt. TIMOREM AUTEM EORUM, tribulationes et afflictiones, quarum timorem vobis incutiunt persecutores ; timor enim hìc metonymicè pro objecto timoris ponitur ; NE TIMUERITIS ; quid enim timeatis quod coronas accumulat, et æternam felicitatem adauget? Ideò. *Justus quasi leo confidens absque terrore erit*, Prov. 28, v. 1. ET NON CONTURBEMINI, ut quidam infirmi, quibus error ita mentem conturbat et excutit, ut à fide aut justitiâ deficiant. Inter medias igitur adversitates servanda in parte superiori tranquillitas mentis, licèt pars

inferior à conturbatione libera non sit : ut de tali illud poetæ dici possit :

Mens immota manet, lacrymæ volvuntur inanes.

VERS. 15. — DOMINUM AUTEM CHRISTUM. Isaiæ 8, v. 13, cujus verba hìc imitatur S. Petrus, nomen Christi non additur; sed addidit hoc loco Apostolus, ut obiter fortè indicaret Deum, de quo passim loquuntur prophetæ, et qui loquebatur in prophetis, fuisse Christum, qui *post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*, Baruch. 3, v. ult.; et : *Ego ipse qui loquebar, ecce adsum*, Isaiæ 52, v. 6. SANCTIFICATE, sanctum prædicate et annuntiate omnibus hominibus: non in ore vestro tantùm, ut faciunt illi qui eum labiis glorificant, sed cor eorum longè est ab eo, Isaiæ 29, v. 13; sed IN CORDIBUS VESTRIS, fide per dilectionem in cordibus vestris operante et foràs in Christianorum *virtutum opera erumpente*, quibus Christi nomen ab omnibus sanctificetur et glorificetur; cor enim est instar lucernæ in quâ ardet charitatis oleum, et lucem exemplorum per externa opera in oculos aliorum spargit: *Sic luceat lux vestra*, etc., Matth. 5, v. 16. Joannes *erat lucerna ardens et lucens*. Joan. 5, v. 35. Quia ergo fundamentum divini amoris, et basis operum, est purus *fidei oculus*, *quo sancti ubique* et in omnibus operibus Deum et Dei excellentiam corde suo contemplantur, et in ipso requiescunt; quid aliud est Deum sanctificare in cordibus suis, inquit Beda, nisi sanctitatem ejus, quàm incomprehensibilis gloriæ sit, intimo cordis affectu intueri; quantam in se sperantibus fortitudinem vincendi dare valet, cujus inæstimabilis *sanctitas fulget*? PARATI SEMPER; *quisque* pro modulo suo et gratiâ quam à Deo accepit, AD SATISFACTIONEM, ad satisfaciendum respondendo; Græcè, *ad apologiam* seu defensionem : quod indicat Christianos in illo Ecclesiæ principio variorum criminum ab infidelibus falsò fuisse accusatos : unde Tertullianus apostolorum temporibus proximus scripsit Apologeticum pro Christianis adversùs gentes. OMNI POSCENTI vos, petenti à vobis, sive ut discat, sive ut carpat mysteria nostræ fidei; RATIONEM, saltem generalem ex principiis fidei, quæ omnes tenentur scire, DE EA SPE, beatæ et æternæ vitæ, quam fides christiana sperare jubet servantibus mandata Christi. Infideles enim irridebant Christianos, et incredibile esse dicebant homines *in hoc mundo tam despectos et afflictos*, multis etiam in occulto criminibus, ut fama erat, laborantes, cœlo aliquando et æternâ beatitudine potituros, quam sibi unius hominis etiam crucifixi merito obventuram sperabant. Itaque vult hìc S. Petrus omnes in præparato et promptu habere quasdam responsiunculas saltem generales, quibus infidelibus et maximè gentilibus ex tempore utcumque satisfacerent, quando de spe tam magnificâ cœlestium bonorum interrogarentur : ut dicendo se credere Christo Deo quem prophetæ tam diù ante prædixerant venturum in mundum, deinde qui tot miraculis et portentis Deum revera se esse ostendisset; mortuum verò pro salute mundi non necessitate aliquâ, sed quia voluit : unde etiam propriâ virtute resurrexit à mortuis. Crimina autem quæ Christianis objiciantur falsa esse, Christi legem esse purissimam, quæ nullius criminis aut minimi peccati licentiam Christianis tribuat : addere etiam possunt plurimos viros sanctissimos et miraculis illustres in hâc spe et fide discessisse. Hæc autem præparatio tunc in principio Ecclesiæ magis quàm nunc erat necessaria, quia Christiani tunc ubique inter *infideles habitabant*, à *quibus propter odium* et novitatem religionis multis interrogationibus vexabantur. Unde ex hoc loco colligi non potest unicuique esse licitum de rebus fidei ctiam difficilibus disputare, ut hæreticos passim factitantes videmus; nam S. Petrus, ut fatetur etiam ipse Calvinus, non mandat ut quâcumque de re fuerit agitata quæstio, parati simus ad eam solvendam; neque enim *omnium* est, *ait* idem Calvinus, de quovis argumento disserere : nam ideò præter idiotas sunt olim et hodiè in Ecclesiâ doctores, sacerdotes, et legisperiti, qui custodiunt scientiam, et de difficilioribus quæstionibus respondent : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam*, Malach. 2, v. 7. Nec S. Petrus hoc loco contrarius est Christo qui ait apostolis suis : *Nolite cogitare quomodò, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illâ horâ quid loquamini*, Matth. 10, v. 19, loquitur enim Christus de sollicitâ et anxiâ cogitatione, quâ sollicitari et trepidare solent qui plurimùm studio et viribus suis, parùm in Dei ope confidunt. Undè Lucas quasi Matthæum exponens : *Nolite*, inquit, *solliciti esse qualiter aut quid respondeatis*, Luc. 12, v. 11. Œcumenius etiam dicit Matthæum intelligendum esse de responsione coram tyrannis tantùm, Petrum verò hìc de responsione faciendâ infidelibus quibuscumque in communi conversatione. QUÆ IN VOBIS EST; de spe, inquam, quæ in cordibus vestris radicata est, et tanquàm anchora vos firmat adversùs tempestates et persecutiones.

VERS. 16. — SED CUM MODESTIA; cum modestâ et humili lenitate (vox enim Græca propriè lenitatem significat) rationem spei et fidei vestræ reddite, non rixando aut clamosis disputationibus incalescendo, ut faciunt illi qui gloriam suam magis quàm Christi, aut proximorum instructionem quærunt. ET TIMORE, reverentiali erga eos qui rationem spei vestræ à vobis reposcunt. Hâc enim modestiâ, reverentiâ, et animi tranquillitate, omnia sua agere decet Christianos, qui Deum ubique præsentem sciunt et cogitant. Nullus enim servus frugi arrogans est in conspectu domini sui, ait Œcumenius. Timorem autem pro reverentiâ usurpavit adhuc ante, v. 2. CONSCIENTIAM HABENTES BONAM, ab omni scelere puram, ut reverentia et modestia illa non sit hypocritica, sed ex radice puræ conscientiæ et internæ humilitatis nascatur; ut sic humilitas, quæ *omnium virtutum* est *magistra*, et loquendo discatur, et vivendo monstretur, ait Beda. UT IN EO; ut quantùm ad id, vel, ut vice et loco ejus : unde quidam *ut pro eo* vertere malunt. QUOD DETRAHUNT VOBIS; Græcus addit : *Tanquàm malefactoribus*, ut supra, c. 2, v. 12; sed meliùs hoc loco omittitur, quia hoc satis significatur per verba mox sequentia, quando dicuntur *conversationem eorum calumniari*. CONFUNDANTUR,

pudore suffundantur, QUI CALUMNIANTUR, tanquàm malam et flagitiosam, VESTRAM BONAM IN CHRISTO, secundùm Christum, sive secundùm fidei christianæ regulas, CONVERSATIONEM; vitam quam inter ipsos ducitis; quia enim Christiani idola contemnebant, et legem Mosaicam non servabant, tam à gentilibus quàm à Judæis homines impii reputabantur.

VERS. 17. — MELIUS ENIM EST; honorabilius nobis et utilius ad vitæ æternæ præmium, BENEFACIENTES, benè operando, et conversando secundùm leges christianæ fidei quæ per dilectionem operatur (SI VOLUNTAS DEI VELIT), si ita voluntas Dei est, ut quis pro benefactis afflictiones patiatur. Aliquando autem Deus propriâ voluntate afflictiones justis immittit ad exercitium virtutis, ut Tobiæ cæcitatem; aliquando diaboli, aut *hominum malitiâ immitti permittit*, ut Jobi tribulationem : semper verò vult et donat patientiæ virtutem. Unde S. August., cap. 2, lib. de Dono perseverantiæ, ex hoc loco probat pati pro Christo esse Dei donum, quod tamen non omnibus electis datur. PATI, etiam usque ad mortem; unde mox id probat exemplo mortis Christi. QUAM MALEFACIENTES, quàm propter scelera vestra; quanquàm etiam virtus sit scelerum suorum supplicia amore correctionis et justitiæ pati. Tria enim sunt genera patientium, quorum exempla in Christo et latronibus simul crucifixis habemus : Christus enim propter benefacta, duo latrones propter malefacta, sed unus correctus, alter incorrectus crucifixus est. Notat hìc Beda *stultitiam* eorum qui quando ob suam culpam reprehensionem aut contumelias patiuntur, æquo animo tolerant; sed quando sine suâ culpâ reprehenduntur, statim in iram effervescunt, et qui hactenùs irreprehensibiles fuerant, jam propter impatientiam justè reprehendi possint.

VERS. 18. — QUIA ET CHRISTUS. Probat melius esse propter beneficia pati, quia tales in passione suâ Christo assimilantur; sicut peccatores qui flagellis corriguntur, dextro latroni; qui non corriguntur, sinistro latròni similes sunt, ut inquit Beda. SEMEL. Propter enim divini suppositi patientis excellentiam unica oblatio sufficiebat ut consummaret sanctificatos *in sempiternum*, ad Heb. 10, v. 14. PRO PECCATIS NOSTRIS, electorum, inquit Estius post Augustinum; nam tantùm pro delendis omnibus peccatis electorum mortuus est, si spectemus mortis efficaciam. Vox *nostris* abest à Græco, sed interpres addidit, fortè ut indicaret Christum non mortuum pro peccatis angelorum. MORTUUS EST; Græcè, *passus est*; sed mors ejus dicitur passio per excellentiam; licèt enim Christus multa alia totâ vitâ suâ passus sit, mors tamen *fuit* illa passio, quam Pater æternus præcipuè acceptavit in satisfactionem nostrorum peccatorum. JUSTUS PRO INJUSTIS, ut inde Christi immensa charitas appareat: *Vix enim pro justo quis moritur*, ad Rom. 5, v. 7. Appareat quoque infinita misericordia Patris, qui ut servos nequam et impios redimeret, Filium innocentem tradidit; denique apparet divinæ justitiæ severitas, quæ non aliâ quàm dilectissimi Filii victimâ placari et peccatoribus reconciliari potuit. UT NOS, à peccatis mundatos per gratiam in hâc vitâ, et ab omnibus etiam peccatorum reliquiis per gloriam in alterâ, OFFERRET DEO, Patri; Græcè, *adduceret*, quia per peccata longè ab eo recesseramus. MORTIFICATUS QUIDEM CARNE, morte quidem violentâ secundùm corpus carneum interfectus. Beda et plurimi olim Latini ante nuperam correctionem Romanam legebant, *mortificatos*, ut ad homines id referatur, non ad Christum. VIVIFICATUS AUTEM, iterùm vitæ restitutus, quando surrexit à mortuis, SPIRITU, per Spiritûs sancti virtutem, vel certè, *Spiritus*, hìc intelligi potest, *Filius in substantiâ deitatis*, qui *spiritus est quoniam corpus non est*, inquit Augustinus, epist. 99. Spiritus enim Christi, sive Verbum Patris, animæ et corpori in morte unitum manens, partes illas in resurrectione iterùm copulavit, et Christum hominem vivificavit. Ex hoc loco probat S. Athanasius, inquit Beda, operationem trium personarum in divinis esse unam et indivisam, quia Pater et Filius etiam dicuntur vivificare et suscitare mortuos, Joan. 5, v. 21. Multi tamen per *spiritum*, hìc non Spiritum sanctum, aut Verbum incarnatum, sed animam Christi intelligunt, quâ totus Christus, etiam secundùm carnem, vitâ quâdam excellentiori in resurrectione vivificatus est, quando gloria animæ in corpus etiam redundavit, et ex animali spirituale factum est : *Seminatur* enim *corpus animale, surget corpus spirituale*, 1 ad Cor. 15, v. 44.

VERS. 19. — IN QUO, Spiritu sancto, aut Spiritu Christi, qui erat *in* Noe et aliis, qui tunc erant sancti, inquit Beda, post Augustinum. ET HIS QUI IN CARCERE ERANT SPIRITIBUS, animabus quæ in carne et tenebris ignorantiæ tanquàm in carcere et custodiâ detinebantur, inquit August., epist. 99, de quâ custodiâ loquitur Psalmista cùm orat : *Educ de custodiâ animam meam*, psalm. 141. Unde Beda pro *in carcere*, legit *in carne*; quæ mutatio textûs ex Augustini interpretatione fortassè originem duxit. Potest tamen probabilissimè per *carcerem* locus inferni subterraneus intelligi, licèt in cæteris hujus obscurissimi textûs particulis interpretatio S. Augustini retineatur; si tamen textûs Græci adjutorium imploremus, qui legit, *et his qui in carcere spiritibus*, subintelligendo *sunt*, *non autem erant*, ut significetur Christus in Spiritu suo olim tempore Noe prædicâsse illis spiritibus qui jam sunt in inferni carcere, quando adhuc vivebant in corporibus suis. VENIENS, non per assumptam propriam carnem, sicut postea quando Verbum caro factum est; sed per Noe, et quosdam alios sanctos, quos tanquàm organa sua inspirabat; aut per alias etiam creaturas, quibus homines variis *modis* instruebat. PRÆDICAVIT, pœnitentiam et conversionem ad Deum à vitâ suâ malâ : *Omnis* enim *caro corruperat viam suam*, Genes. 6, v. 12. Spiritus autem Christi à principio mundi nunquàm destitit hominibus prædicare, visis congruis alloquens quos volebat, et sicut volebat, ait August., epist. 99.

VERS. 20. — QUI INCREDULI FUERANT; Græcè, unicâ voce, *incredulis*; et clariùs ad sensum S. Augustini verteretur, *qui increduli fuerunt*, quàm *fuerant*; nam

S. Augustinus negat prædicationem istam factam esse à Christo in descensu animæ ejus ad inferos spiritibus qui olim fuerant increduli, sed factam esse spiritibus illis quando adhuc erant in corporibus suis, et fuerunt, et permanserunt increduli. ALIQUANDO, olim tempore Noe. QUANDO EXPECTABANT, spiritus illi peccatores, DEI PATIENTIAM; Græcè, *longanimitatem*; sperantes quòd Deus in suâ infinitâ patientiâ et longanimitate perseveraret usque in finem, nec eos generali diluvio obrueret, sicut futurum prædicabat ipsis Noe, et alii per quos Spiritus Christi tanquàm per organa concionabatur. Græcè tamen : *Quando expectabat illa Dei longanimitas*, ut ista expectatio non fuerit spirituum, sive hominum peccatorum, quibus Noe diluvium denuntiabat, sed ipsius Dei expectantis per centum aut ampliùs annos, ut ad pœnitentiam converterentur. Nam reverà illi propriè dicuntur expectare Dei patientiam, quos pœnitere incipit, et desiderant ut Dei patientia ipsorum misereatur : Hoc autem non desiderabant increduli et pessimi illi peccatores qui prædicantem Noe et fabricam arcæ irridebant. Dei igitur patientia potiùs illos expectabat, ut ad cor et pœnitentiam redirent. Unde Augustinus, epistolâ illâ 97, legit conformiter ad Græcum textum : *Quando expectabat Dei patientia;* quomodò etiam legit Missale Romanum in Epistolâ feriæ sextæ post Pascha; adeòque Estius non veretur dicere planè verisimile esse mendum irrepsisse in vulgatam nostram lectionem, et interpretem nostrum olim vertisse, sicut S. Augustinus et Græca habent. Præter istam obscurissimæ et profundissimæ Scripturæ interpretationem, ut loquitur S. Augustinus, est alia etiam probabilis, et ferè communis recentiorum, qui de descensu animæ Christi ad inferos in triduo mortis etiam exponunt, aiuntque Christum ibi in spiritu suo creato, sive in animâ, prædicâsse spiritibus eorum qui increduli aliquando fuerant prædicationi Noe, sed tamen postea incipiente jam diluvio credidisse, et ad Deum jam conversos esse per pœnitentiam, quos cùm adhuc in carcere purgatorii, aut limbi, anima Christi invenisset, prædicavit illis suum adventum, se esse Messiam, et humani generis redemptorem, pœnasque eorum per quamdam indulgentiam remisisse, quorum nondùm erat expletum purgatorium, ut omnes unà secum eveheret in cœlum. Unde singula verba textûs sic ferè exponunt : *In quo*, in quo spiritu, sive animâ suâ : *et his qui in carcere erant*, in purgatorio, aut limbo; *spiritibus*, animabus defunctorum; *veniens*, in triduo mortis descendens ad inferos, id est, ad loca subterranea, ubi animæ justorum expectabant; hæc autem loca erant sinus Abrahæ, sive limbus patrum, et purgatorium; sententia enim S. Th. et communis theologorum est, excepto ferè solo Bellarmino, Christum non descendisse per realem præsentiam usque ad inferos damnatorum. *Prædicavit*, evangelizavit, ut cap. præcedenti v. 6 loquitur S. Petrus, seu nuntium bonum et lætum iis annuntiavit se esse Christum ac eorum redemptorem, qui passione suâ lytrum Patri solvisset, et cœlum hactenùs clausum reserâsset. *Qui increduli fuerant*, noluerant credere Noe annuntianti ipsis generale orbis terræ diluvium. *Aliquando*, in principio et toto illo tempore, *cùm fabricaretur arca*. Postea tamen cùm vidissent erumpentibus è cœlo et abysso subterraneâ aquis diluvium inundare, ad pœnitentiam et Deum conversi fuerant; ideòque animæ eorum tempore mortis Christi in limbo patrum, vel fortè adhuc quædam in purgatorio erant. Hæc tamen expositio, licèt ferè communis, ut dixi, recentiorum, magnas habet difficultates, ad quas nemo hactenùs aliquid solidè potuit respondere : nam nullum in Scripturis videtur esse vestigium quòd superveniente diluvio aliqui sint ad Deum conversi, præter illos octo homines qui intraverant arcam; præsertim cùm non tantùm centum aut mille, sed numerosissimam turbam, ut loquitur Catharinus, velint salvatam fuisse; unde hæc incredulorum conversio nequidem in mentem venit S. August., epist. illâ 99, quâ respondet Evodio de intelligentiâ hujus difficilis Scripturæ eum consulenti. Deinde cur anima Christi potiùs prædicavit spiritibus justorum qui submersi fuerant diluvio, quàm tot millibus et longè pluribus aliorum qui à tempore diluvii usque ad Christi resurrectionem descenderant ad limbum aut purgatorium? quod argumentum videtur maximè ab hâc opinione avertisse S. Augustinum; dixisset enim potiùs S. Petrus animam Christi prædicâsse patriarcharum et prophetarum, ac omnium qui in carcere illo erant, spiritibus; non specialiter spiritibus suffocatorum in aquis tempore diluvii. Secundùm verò S. Aug. interpretationem, S. Petrus prædicationis ad illos incredulos factæ ideò meminit, ut doceat quòd priusquàm Christus venisset in carne pro nobis moriturus (quod semel tantùm fecit, ut supra vers. 18 dixit) sæpè tamen antea venerit in spiritu suo divino ad quos volebat, visis eos admonens sicut volebat, ait illâ epistolâ S. Augustinus; atque ita, vel in carne, vel in spiritu suo, à principio mundi usque ad finem non destitit salutis hominum curam gerere Inter prædicationes autem factas olim spiritu Christi, illa tempore Noe fuit maximè memorabilis, cùm duraverit centum annis, et ad omnes homines qui tunc in mundo erant; cùm verisimile sit famam arcæ per tot annos ædificatæ toto orbe sparsam fuisse. Unde insignis figura fuit evangelicæ prædicationis Christi in carne assumptâ, cujus sonus exivit in omnem terram. Deinde arca fuit figura Ecclesiæ, ut mox dicet S. Petrus; et illi qui increduli fuerunt tempore Noe, significant incredulos tempore prædicationis evangelicæ, dùm ædificatur Ecclesia; qui verò crediderunt, et per aquam in arcâ salvati sunt, significant eos qui tempore Evangelii per baptismum in Ecclesiâ salutem æternam consequuntur, ut eâdem epistolâ docet Augustinus. IN DIEBUS NOE, tempore illo centum annorum quibus occupatus fuit in fabricandâ arcâ; tot enim annos impendisse docet S. Augustinus, lib. 15, cap. ult., de Civit., et alii S. Patres passim; colligiturque probabiliter ex eo quòd Noe quingentorum annorum fuerit quando accepit mandatum de fabricandâ arcâ, Gen. 5, v. ult. et Gen. 6, v. 14 : quando autem absolutâ

arcâ supervenit diluvium, erat 600 annorum, Gen. 7, v. 6. Augustinus alibi dicit 120 annos fuisse impensos in fabricatione arcæ, propter verba Gen. 6, v. 3. Cum fabricaretur arca, cujus fabricatio etiam erat quædam prædicatio, ait S. Augustinus, epist. illà 99; cogitare enim debebant illi increduli non de nihilo tantam machinam à Noe et filiis ejus tanto tempore et labore fabricari. In qua pauci; Græcè, *paucæ*, ut sit adjectivum, *animæ*, quod sequitur; id est, octo animæ, octo homines, qui vocantur animæ per synecdochen, quâ pars ponitur pro toto; erant enim quatuor viri, Noe et tres filii, ac totidem uxores. Unam verò ex tribus filiorum Noe uxoribus fuisse Sibyllam Babyloniam, seu Erythræam, Berosus Annii narrat, et ipsa etiam Sibylla in carminibus sibyllinis dicit se nurum Noe, et cum marito suo fuisse in arcâ; sed tam Berosus ille quàm carmina Sibyllæ sunt suspectæ fidei. Salvæ factæ sunt, servatæ, ne suffocarentur aquis cum cætero genere humano. Per aquam, beneficio aquæ elevantis et sustentantis arcam, in quâ octo illi homines cum brutis animantibus inclusi erant.

Vers. 21. — Quod et vos; Græcè, *nos*, quod meliùs quadrat cum verbo *efficeremur* versu sequenti. Nunc, tempore legis novæ. Similis formæ, efformatum ad similitudinem sui prototypi, et ei quasi è regione respondens, ut vox Græca, ἀντίτυπον, significat. Vide quæ de istâ voce, ad Hebr. 9, v. 24, diximus. Salvos facit baptisma, quo abluente corpus, infunditur gratia sanctificans animæ, quæ est semen æternæ salutis. Periodus ergo sic est ordinanda: *Quod baptisma similis formæ nunc salvos vos facit.* Quædam exemplaria Græca pro *quod*, longè ad sensum clariùs legunt *cui*, scilicet aquæ, ut significetur baptisma esse similis formæ, sive esse simile illi aquæ per quam octo illæ animæ salvæ factæ sunt tempore diluvii; sicuti enim aqua diluvii elevans arcam eripuit morti octo animas quas incluserat, ita aqua baptismalis elevat in cœlum et salvat quos Ecclesiæ arca continet; non quòd omnes qui in Ecclesiâ sunt salventur, sed quia nemo salvatur nisi qui in Ecclesiâ fuerit. Paucitas etiam salvatorum in arcâ respectu innumerabilis multitudinis quæ suffocata est diluvii aquis, significat paucitatem prædestinatorum, si comparentur cum reprobis. Quod etiam duabus aliis veteris Testamenti figuris indicavit Deus, ut quando ex tot centenis millibus qui egressi sunt ex Ægypto, solùm duo, Josue et Caleb, intraverunt terram promissionis; et deinde quando omnes Judæi abducti sunt in Babylonem, exceptis paucis qui manus Chaldæorum evaserunt, et remanserunt in eâdem terrâ promissionis. Unde quod per tot figuras olim indicaverat, ipse Christus apertis verbis postea dixit: *Multi sunt vocati, pauci verò electi*, Matth. 22, v. 14. Non carnis depositio sordium, non baptisma quatenùs per ipsum deponuntur et abluuntur sordes corporis, sed conscientiæ bonæ interrogatio, sed id quod baptizans interrogat catechumenum quando eum baptizat, nempe fides, dolor de peccatis, et propositum emendationis; nam baptizans interrogat: *An credat? An abrenuntiet diabolo?* etc., cui catechumenus respondet: *Credo, abrenuntio*, etc. Hæc ergo fides et abrenuntiatio quæ interrogatur à baptizante, et respondetur à baptizando, sunt dispositiones necessariæ ad effectum et gratiam baptismi in adulto catechumeno; ac proinde baptismus quatenùs illas dispositiones conjunctas habet, non præcisè quatenùs corpus abluit, salvat animam abluendo eam à peccatis. Ex quibus patet *interrogationem* hìc sumi concretim et metonymicè, pro re quæ à baptizante interrogatur. Dicitur autem interrogatio bonæ conscientiæ, quando catechumenus respondet non fictè, sed bonâ et sincerâ conscientiâ, se credere et abrenuntiare; qui enim fictè ad baptismum accedit, non consequitur sacramenti gratiam, nisi fictionem et obicem amoverit. Aliqui vertunt, *stipulatio conscientiæ bonæ*, quia vox Græca stipulationem etiam significat: et huic loco rectè quadrare dicit Gagnæus: stipulatio enim à jurisconsultis vocatur certa verborum formula quâ quis totidem verbis respondet interroganti, ut: *Promittis? promitto: Dabis? dabo.* Unde in baptismo est quædam interrogatio quasi stipulatoria, quando baptizans interrogat: *Credis?* et baptizandus respondet: *Credo.* In Deum; conscientiæ bonæ, inquam, ad Deum, et coram Deo, qui cor intuetur, et non tantùm ad homines, qui facilè decipi possunt ab iis qui credere se dicunt, et reverà non credunt; qui se diabolo et peccato abrenuntiare, et verè non abrenuntiant. Hinc patet particulam *in Deum* non cum voce *interrogatio*, quæ immediatè præcedit, sed cum *conscientiæ bonæ* debere conjungi. Per resurrectionem Jesu Christi; baptisma, inquam, salvos nos facit per resurrectionem quâ Christus resurrexit ut nos baptismate suo justificaret et salvos faceret; verba enim ista *per resurrectionem*, proximè conjungenda sunt istis præcedentibus *salvos facit baptisma*: cætera verò verba intermedia includenda sunt parenthesi. Dicitur autem baptisma operari salutem, et salvos nos facere per resurrectionem, quia sicut ab æternâ sapientiâ ordinatum fuerat ut Christus morte suâ pro peccatis nostris Patri satisfaceret, et redemptionis lytrum solveret, ita etiam constitutum fuit ut ipse idem homo vivens, ac proinde à mortuis resurgens, pretium suæ mortis per baptisma et per alia instrumenta ab ipso instituta nobis applicaret; homo enim Christus jam in cœlis vivens est principalis operans, et gratiam infundens in baptismo et omnibus sacramentis. Quo eodem sensu dicitur *traditus propter delicta nostra, et resurrexisse propter justificationem nostram*, ad Rom. 4, v. ult.: *Ut justificet nos, et justos faciat nos*, inquit S. August., serm. 15, de Verbis Apostoli. Alii exponunt quòd baptismus ideò per resurrectionem nos salvos faciat tanquàm per causam exemplarem, quia resurrectio Christi fuit quoddam exemplar et formula quâ docemur, quomodò à morte peccatorum ad justitiam et vitæ novitatem resurgere debeamus: huic autem formulæ maximè conformamur in baptismo, cujus immersio significat mortem et sepulturam Christi; emersio verò resurrectionem à morte et sepulcro adumbrat, ut alter apostolus, ad Rom. 6, v. 4, si-

gnificat. Solebat enim olim baptismus per immersionem in aquam et emersionem administrari, qui mos usque ad tempora S. Th. perduravit, ut ex 3 part., quæst. 66, art. 7, colligere licet.

VERS. 22. — QUI EST IN DEXTERA DEI, ad dexteram Dei Patris, sive loco apud Patrem honorabilissimo, utpote in essentiâ et potentiâ ei cœqualis : unde alter apostolus probat Christum esse majorem angelis, quia Pater nulli unquam angelorum dixit : *Sede à dextris meis*, ad Hebr. 1, vers. 13. Licèt autem à principio conceptionis Christus secundùm divinitatem fuerit æqualis Patri, specialiter tamen post resurrectionem et ascensionem in cœlum dicitur sedisse à dextris ejus, quia hoc tunc evidentiùs declaratum fuit. Secundùm verò humanitatem, sedet à dextris Dei, quia dextera est locus beatitudinis et electorum, quorum Christus est caput etiam secundùm humanitatem. DEGLUTIENS MORTEM ; ita perfectè mortem animæ et corporis consumens, ut ne vestigium quidem ejus ampliùs appareat, sicut id quod deglutitur, penitùs ex oculis evanescit ; hoc verò demùm fiet quando post beatam resurrectionem *novissima destructur mors*, 1 ad Cor. 15, v. 26, et *absorpta fuerit mors in victoriâ*, ibid., v. 54, quæ verba, sicut et hæc S. Petri, desumpta sunt ex Isaiæ 25, v. 8 ; ubi enim in Vulgato legitur : *Præcipitabit mortem in sempiternum*, Hebræus legit : *Bilia hammevet lenet sach*, id est, absorbebit sive deglutiet mortem in sempiternum. UT VITÆ ÆTERNÆ, beatæ vitæ animæ et corporis, HÆREDES EFFICEREMUR, nos electi et filii Dei adoptivi per gratiam ; nam hæreditas est possessio filiorum. Hæc tamen et proximè præcedentia verba absunt à textu Græco et Syriaco. PROFECTUS IN CŒLUM, elevans corpus suum per dotem agilitatis usque ad supremum cœlum, sedem beatorum. Quomodò autem vel in quâ parte cœli corpus Christi collocatum sit : *Curiosissimum est et supervacaneum quærere : nec est fragilitatis nostræ cœlorum secreta discutere*, ait Augustinus, cap. 6, lib. de Fide et Symbolo. S. Thomas supra convexam cœli empyrei superficiem ipsum collocat, quia dicitur *ascendisse super omnes cœlos*, ad Ephes. 4, v. 10. Alii malunt intra ipsius empyrei cavam quamdam capacitatem aurâ cœlesti plenam cum cæteris beatis contineri. SUBJECTIS SIBI, à Patre suo, qui *constituit eum ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum et potestatem*, ad Ephes. 1, v. 21. In ascensione autem Christi angeli qui subjecti erant ei secundùm rem, subjecti sunt secundùm manifestationem, inquit Thomas Anglicus. ANGELIS, minoribus, qui tanquàm ordinarii nuntii ad homines mitti solent, ET POTESTATIBUS, et VIRTUTIBUS ; et majoribus angelis ; elegit enim angelorum nomina, quæ majorem quamdam excellentiam in imperando et operando sonant, ut tam minores quàm majores angelos subjectos esse Christo, etiam ut homini, significaret ; ratione enim unionis hypostaticæ humanitas Christi et beatitudine et surpernaturalibus omnibus perfectionibus supra universos angelos altissimè elevata est. Vide quæ ad Ephes. 1, v. 21, diximus. Ex hoc loco et aliquot similibus Catharinus, Valentia, Suarez, et quidam alii scholastici, decent Christum non tantùm hominibus, sed etiam angelis gratiam et gloriam meruisse, sed contra S. Augustinum et Thomam : illi autem scholastici supponunt Verbum divinum incarnandum fuisse etiamsi primus homo non peccâsset ; cujus tamen oppositum longè est probabilius.

CAPUT IV.

1. Christo igitur passo in carne, et vos eâdem cogitatione armamini ; quia qui passus est in carne, desiit à peccatis :

2. Ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis.

3. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam, his qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, et illicitis idolorum cultibus.

4. In quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem, blasphemantes ;

5. Qui reddent rationem ei qui paratus est judicare vivos et mortuos.

6. Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est ; ut judicentur quidem secundùm homines in carne, vivant autem secundùm Deum in spiritu.

7. Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus.

8. Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes ; quia charitas operit multitudinem peccatorum.

9 Hospitales invicem sine murmuratione ;

10. Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alter-

CHAPITRE IV.

1. Puis donc que Jésus-Christ a souffert en sa chair, armez-vous de cette pensée, que tout homme qui est mort à la concupiscence charnelle a cessé de pécher ;

2. En sorte que, durant tout le temps qui lui reste de cette vie mortelle, il ne vive plus selon les passions des hommes, mais selon la volonté de Dieu.

3. Car c'est bien assez que dans le temps de votre première vie, vous vous soyez abandonnés aux mêmes passions que les païens, vivant dans les impudicités, dans les mauvais désirs, dans les ivrogneries, dans les banquets de dissolution et de débauche, dans les excès du vin, et dans le culte sacrilége des idoles.

4. Ils trouvent maintenant étrange que vous ne couriez plus avec eux, comme vous faisiez, à ces débordements de débauche et d'intempérance ; et ils prennent de là sujet de vous charger d'exécrations :

5. Mais ils rendront compte à celui qui est prêt à juger les vivants et les morts.

6. Car c'est pour cela que l'Evangile a aussi été prêché aux morts, afin qu'ayant été punis devant les hommes selon la chair, ils reçussent devant Dieu la vie de l'esprit.

7. Au reste, la fin de toutes choses s'approche. Conduisez-vous donc avec sagesse, et soyez vigilants dans la prière.

8. Mais avant toutes choses, ayez une charité persévérante les uns pour les autres ; car la charité couvre beaucoup de péchés.

9. Exercez entre vous l'hospitalité sans murmurer.

10. Que chacun de vous rende service aux autres

utrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.

11. Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tanquàm ex virtute quam administrat Deus; ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum; cui est gloria et imperium in secula seculorum. Amen.

12. Charissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat.

13. Sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.

14. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis; quoniam quod est honoris, gloriæ et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus super vos requiescit.

15. Nemo autem vestrûm patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.

16. Si autem ut christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine.

17. Quoniam tempus est ut incipiat judicium à domo Dei; si autem primùm à nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio?

18. Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?

19. Itaque et hi qui patiuntur secundùm voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.

selon le don qu'il a reçu, comme étant de fidèles dispensateurs des différentes graces de Dieu.

11. Si quelqu'un parle, qu'il paraisse que Dieu parle par sa bouche; si quelqu'un exerce quelque ministère, qu'il le fasse comme n'agissant que par la vertu que Dieu lui donne; afin qu'en tout ce que vous faites, Dieu soit glorifié par Jésus-Christ, à qui appartient la gloire et l'empire dans les siècles des siècles. Amen.

12. Mes très-chers frères, ne soyez point surpris lorsque Dieu vous éprouve par le feu des afflictions, comme si quelque chose d'extraordinaire vous arrivait:

13. Mais réjouissez-vous plutôt de ce que vous participez aux souffrances de Jésus-Christ, afin que vous soyez aussi comblés de joie dans la manifestation de sa gloire.

14. Vous êtes bienheureux si vous souffrez des injures et des diffamations pour le nom de Jésus-Christ; parce que l'honneur, la gloire, la vertu de Dieu, et son Esprit, repose sur vous.

15. Mais que nul de vous ne souffre comme homicide, ou comme larron, ou comme médisant, ou comme envieux du bien d'autrui.

16. S'il souffre comme chrétien, qu'il n'en ait point de honte; mais qu'il en glorifie Dieu.

17. Car voici le temps où Dieu doit commencer son jugement par sa propre maison; et s'il commence par nous, quelle sera la fin de ceux qui rejettent l'Evangile de Dieu?

18. Si le juste même se sauve avec tant de peine, que deviendront les impies et les pécheurs?

19. C'est pourquoi, que ceux qui souffrent selon la volonté de Dieu, persévérant dans les bonnes œuvres, remettent leurs âmes entre les mains de celui qui en est le créateur, et qui leur sera fidèle.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Christo igitur passo; quandoquidem ergo Christus mortem pro nobis passus sit, ut cap. præcedenti, v. 18, dicebamus, in carne, quantùm ad carnem suam mortalem, qui in divinitate erat impassibilis; quod significatum fuerat in ariete immolato, et Isaac liberato, Gen. 22, v. 13: Et vos eadem (similiter) cogitatione, hâc scilicet quæ mox à me subjicietur; Græcè, *eamdem cogitationem*; ubi Œcumenius subintelligit præpositionem *secundùm*, quia ista cogitatio quam mox subjiciet, est secundùm cogitationem passionis Christi, sive est illi similis, cùm mors Christi in carne sit exemplar mortificationis carnis nostræ. Armamini; estote armati adversùs carnis concupiscentiam in bello hoc quotidiano, ubi *caro concupiscit adversùs spiritum, et spiritus adversùs carnem*, ad Galat. 5, v. 17. Quia qui passus est in carne; quòd ille qui mortuus est concupiscentiæ carnali, et illam crucifixit ad similitudinem quamdam Christi qui mortuus et crucifixus est carne, desiit a peccatis, destitit jam peccare et exercere opera concupiscentiæ carnalis; sicut qui carne mortuus est, destitit exercere opera vitæ carnalis et animalis.

Vers. 2. — Ut jam, post conversionem suam ad fidem, non desideriis hominum, pravis cupiditatibus hominum corruptorum, qui secundùm naturam humanam gratiâ Dei destitutam vivunt, sed voluntati Dei, secundùm Dei voluntatem: *Hæc est autem voluntas Dei sanctificatio nostra*, 1 ad Thess. 4, v. 3, ubi loquitur Apostolus de sanctificatione et justitiâ bonorum operum, quæ desideriis hominum pravis opponuntur. Quod reliquum est in carne vivat temporis; vivat quod reliquum temporis est in carne; ita enim hæc verba ordinanda sunt: sed voluntati Dei, inquit, vivat reliquum temporis vitæ, quod post conversionem ad Christum vivet in carne mortali.

Vers. 3. — Sufficit enim, et plus quàm sufficere debet. Græcus addit: *Nobis*. Ubi S. Petrus se inter peccatores numerat, non quòd talis reverà fuerit, sed generis sui peccata communia reputat, inquit Cajetanus. Quidam tamen codices Græci *vobis*, non autem *nobis*, legunt. Præteritum tempus, vitæ scilicet in peccatis antea actæ, ad voluntatem gentium, ad pravas cupiditates et desideria carnalia infidelium gentilium, quos imitati estis, consummandam, perficiendam: quomodò loquitur alter apostolus: *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis*, ad Gal. 5, v. 15. Dicit autem sufficere, non quasi licuerit vitâ gentium vivere, sed quia minùs damnabilis fuit eo tempore quo fide et gratiâ novi Testamenti destituti erant. His qui ambulaverunt in luxuriis; quibusdam vestrûm, qui olim vitam duxerunt in lasciviis et omni effreni libidine dissolutæ vitæ, quæ ad venerem aut ad gulam pertinet: Desideriis, pravis concupiscentiis, quas luxuriosi et lascivi homines sæpè intra pectus continent, quia exequi opere externo non audent, aut non possunt. Vinolentiis, quibus hominum ebriosorum gula et fauces bulliunt et ardent, ut quidam vocem Græcam explicant. Comessationibus, conviviis

quæ extra tempus ad voluptatem et petulantiam ab hominibus carnalibus celebrantur. POTATIONIBUS, quibus ebriosi inter se certant, *commorantes in vino, et studentes calicibus epotandis*, Proverb. 23, v. 30. ET ILLICITIS; Græcè, *nefandis*, aut *abominatis*, quomodò interpres noster vertit, Act. 10, v. 28 : unde videtur *illicitis*, hìc accepisse pro rebus abominandis in quibus nihil liciti vel boni est : quomodò Virgilius Busiridem immanem tyrannum vocat *illaudatum*, quia in eo nihil omninò laude dignum erat, cùm tamen res vulgariter malæ semper aliquid boni et laude dignum permixtum habeant. IDOLORUM CULTIBUS; Judæorum enim quidam in Ponto, Galatiâ, Cappadociâ, etc., exules, gentibus permixti, verisimiliter ad idololatriam eorum aut amicitiâ, aut metu, aut paupertate seducti deflexerant, vel saltem de idolothytis, et mensis eorum illicitis participaverant.

VERS. 4. — IN QUO, quapropter, seu de quâ re, ADMIRANTUR, gentiles tanquàm rem peregrinam et exoticam, ut verbum Græcum sonat : NON CONCURRENTIBUS VOBIS; dùm vos post conversionem ad fidem christianam non ampliùs concurritis cum ipsis IN EAMDEM LUXURIÆ, lasciviæ quæ ad Venerem, gulam, et omnem morum dissolutionem pertinet; id enim vox Græca propriè significat, CONFUSIONEM; Græcè, *refusionem*, quâ jam sicut ante christianam velut aqua effundamini cum ipsis in eamdem morum dissolutionem. BLASPHEMANTES, ideòque maledicunt vobis et religioni, quæ talem morum in melius mutationem docet.

VERS. 5. — QUI REDDENT RATIONEM, blasphemiæ et totius vitæ suæ dissolutæ, EI QUI PARATUS EST JUDICARE, Christo, cui Pater omne judicium dedit, et ipse exequi est paratus. VIVOS, quos in extremo judicii die vivos in mundo reperiet; ET MORTUOS, qui à principio mundi eò usque defuncti fuerint, quos ut in judicio compareant, suscitabit à mortuis.

VERS. 6. — PROPTER HOC ENIM; ut mortui etiam judicentur, non tantùm illi qui tunc reperientur vivi. ET MORTUIS, etiam illis qui jam mortui sunt ante Christi adventum; *mortui* enim hìc planè videntur intelligi eâdem significatione ac in versu præcedenti. EVANGELIZATUM EST; eis dùm viverent, fides et gratia Evangelii olim annuntiata est à Spiritu Christi inspirante patriarchas et prophetas aliosque sanctos legis tam naturæ quàm Mosaicæ. Hoc eodem sensu dixit, cap. præcedenti, v. 19, Christum in spiritu suo prædicâsse incredulis tempore Noe. UT JUDICENTUR, ut quamvis, postquàm crediderunt sicut, exponit S. Aug., epist. 99, judicati fuerint; Græcus enim aoristus potest etiam per tempus præteritum exponi : deinde frequens est in Scripturis tempus unum pro alio poni, ut notat Œcumenius. SECUNDUM HOMINES, secundùm judicia hominum, qui juxta apparentiam externam judicant de hominibus probis, et eos qui inter persecutiones aut hujus vitæ miserias moriuntur, in perpetuum perditos putant. IN CARNE, per conditionem carnis mortalis, ut quia caro eorum mortua, sepulta, et consumpta est, putantur ab hominibus profanis nunquàm ad judicium resurrecturi ut mercedem fidei et bonorum operum recipiant, quasi sepulcra sint futura domus illorum in æternum. Idem erit sensus si cum Græcis *carne*, sine præpositione legamus. VIVANT AUTEM, vitâ naturali et supernaturali beatâ, quam ut accipiant non in animâ tantùm, sed etiam in corpore, in fine seculi resurgent ad judicium Judicis vivorum et mortuorum. Si autem boni judicandi sunt, et rationem reddituri, mali non effugient. SECUNDUM DEUM, secundùm verum Dei judicium, etiamsi aliter judicaverint olim homines carnales; IN SPIRITU; Græcè, *spiritu*, iterùm sine præpositione, id est, per virtutem spiritûs Christi eos vivificantis : videtur enim *spiritus* sumi hìc, sicut cap. præcedenti, v. 18; veluti ibidem, v. 19, *spiritus* sunt qui hìc vocantur *mortui;* et ibi *prædicatio*, hìc dicitur *evangelizatio :* unde duo ista obscura loca debent utcumque se mutuò illustrare. Sed hìc locus præsertim tam tenebrosus visus est Catharino, ut nihil fuerit ausus commentari : « Ego enim, inquit, non istius ingenii sum, ut quod nescio velim profiteri me scire. Maximè verò in hoc loco laborant qui existimant evangelizationem istam factam ab animâ Christi spiritibus in limbo aut purgatorio, intra triduum mortis : quomodò enim illis spiritibus tunc evangelizatum est ut judicentur? » etc. Potest tamen probabiliter sic exponi : Propterea Christus mortuis, sive spiritibus mortuorum, qui perierunt diluvio tempore Noe, evangelizavit in carcere limbi et purgatorii, ut quamvis *judicati fuerint*, et condemnati olim *secundùm homines*, id est, secundùm judicia Noe et aliorum hominum qui videbant eos aquis suffocari, *in carne*, quantùm ad carnem mortalem, in quâ videbant eos à Deo puniri, *vivant autem*, viverent autem vitâ beatâ, primò animæ, deinde corporis, *secundùm Deum*, secundùm verum et justum Dei judicium, qui justos et electos suos vitâ æternâ præmiat; *in spiritu*, quoad spiritum, sive animam, secundùm quem, carne olim diluvio absumptâ, in limbo aut purgatorio adhuc degebant, exspectantes suam redemptionem : aut certè *in spiritu*, id est, per Spiritûs sancti operationem. Igitur breviter sensus erit Christum, quando descendit ad inferos, ideò spiritibus illis evangelizâsse, ut eos et præsentiâ suâ, et visione divinæ essentiæ bearet.

VERS. 7. — OMNIUM AUTEM, rerum humanarum, et machinæ totius hujus mundi corruptibilis, FINIS APPROPINQUAVIT : unde brevi et hostium vestrorum blasphemiæ et flagitia finem et condignas pœnas accipient; vestra verò patientia et virtus coronabitur. Finitur autem unicuique quodammodò hìc mundus quando per mortem habitatione orbis terræ expellitur. Deinde omnium hominum et totius mundi interitus etiam appropinquavit, quia, licèt aliquot adhuc annorum millibus duraret, *mille* tamen *anni apud Dominum sicut unus dies*, 2 Petr. 3, v. 8; quod autem tantùm uno aut altero die abest, dicitur in propinquo esse. Denique sumus in novissimâ ætate, et quasi senectute mundi, quæ quamdiù duratura sit, incertum est; unde sicuti senes dicuntur appropinquâsse fini et morti suæ, ita etiam hæc ultima mundi ætas; ideòque alius apostolus clamat : *Filioli, novissima hora est*, 1 Joan. 2,

v. 18. ESTOTE ITAQUE PRUDENTES, sapientes et in omnibus circumspecti, cùm versemini in medio nationis pravæ, nec tantùm inter hostes visibiles, sed invisibiles, *quia adversarius vester diabolus*, etc., 1 Petri 5, v. 8. Erasmus et alii vertunt : *Estote sobrii*, quia verbum Græcum vel prudentem, vel sobrium, vel temperantem esse, significat. ET VIGILATE IN ORATIONIBUS ; Græcè, *vigilate in orationes*, sive ad orandum ; somniculosæ enim aut distractæ orationes parùm aut nihil impetrant apud Deum ; unde Sapiens monet : *Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum*, Ecclesiast. 18, v. 23. Oportet enim attentionem orationi adjungere, et hoc tantùm versare in corde quod profertur in ore, inquit Augustinus. Quia tamen fieri non potest quin aliquando distrahamur, ideò non præcipitur nobis ne distracti simus in oratione, sed jubemur vigilare ne distrahamur, ait Glossa in cap. 7 Matth. Prudentiæ vult conjungi orationem, quia sine gratiâ, quam oratio impetrat, omne humanæ prudentiæ studium, et officia virtutum, quæ prudentia dirigit, nihil ad vitam æternam adjuvant.

VERS. 8. — ANTE OMNIA AUTEM, ante cæteras omnes virtutes, quia charitas regina et mater est virtutum, sine quâ nullum est meritum, nullum perfectè bonum ; MUTUAM IN VOBISMET IPSIS, inter vosmet ipsos, sive *in vos ipsos*, ut Græcus textus habet ; CHARITATEM CONTINUAM HABENTES, amorem fraternum, quo invicem, sicut nos ipsos, et utrosque propter Deum et in Deo diligamus. Debet autem hæc charitas esse continua, id est, nullis inimicitiis aut offensionibus interrupta ; sed quotiescumque se offert occasio, foras in officium alicujus virtutis erga fratres debet exire. Potest autem charitas magis esse continua quàm hospitalitas et externa virtutum officia, quæ S. Petrus subjungit, quia hæc per officia corporis et per tempora opportuna fieri necesse est, inquit Beda ; charitas verò, cujus instinctu hæc foris aguntur, quia interiori homini præsidet, semper ibidem haberi potest, quamvis non semper in publico ostendi possit ; Græcam tamen vocem, quam interpres hìc *continuam* interpretatur, Erasmus *vehementem*, alii *intensam* vertere malunt. QUIA CHARITAS, ista fraterna, OPERIT, tegit ne ab aliis conspiciantur, benignè dissimulat, et patienter sustinet : *Charitas* enim *benigna est, patiens est*, etc., 1 ad Cor. 13, v. 4 ; imò operiendo sanat, et quantùm in se est, orationibus et admonitionibus delet : *Qui* enim *converti fecerit peccatorem, operiet multitudinem peccatorum*, ut ait Jacob, c. 5, versu ultimo ; si verò peccatum in ipsum commissum fuerit, libenter condonat ; contra verò qui fratrem odit, peccata et vitia ejus discooperit, per detractionem aliis ostendit et exaggerat. MULTITUDINEM PECCATORUM, peccata proximorum, quantumvis sint multa ; unde Petro interroganti quoties fratri in se peccanti dimittere deberet, an septies ? respondit Christus, non tantùm septies, sed septuagesies septies, id est, innumerabilibus vicibus, et quotiescumque in ipsum peccaret ; ponitur enim numerus certus pro incerto, Matth. 18, v. 22. Hanc sententiam desumpsit S. Petrus ex Proverb. 10, v. 12, ubi juxta Hebraicam veritatem S. Hieronymus vertit : *Odium suscitat rixas, et universa delicta operit charitas*. Commendat igitur charitatem ab effectu, quia pacem et concordiam gignit, sicut è contra odium rixas et bella parit. Ex consequenti tamen charitas operit, et operiendo delet multitudinem propriorum peccatorum ejus qui charitate fraternâ fervet ; unde Augustinus, tractatu primo in Epistolas Joannis, interpretatur, charitas delicta extinguit : Dimittuntur enim debita ei qui dimittit debitoribus suis ; et justissimum est apud Deum, ait Beda, ut juxta mensuram pietatis quâ mensi fuerimus, remetiatur nobis. Unde non est cur Calvinus quorumdam Papistarum crassam ignorantiam, ut loquitur, accuset, qui hâc S. Petri sententiâ utuntur ad probandam bonorum operum pro peccatis suis satisfactionem.

VERS. 9. — HOSPITALES INVICEM, libenter hospitio excipientes alii alios Christianos aliunde profugos aut adventantes, et maximè Evangelii ministros ; quam hospitalitatem in Caio suo laudat S. Joannes Epistolæ c. 3, v. 5. Habebant autem Christiani eo tempore quamdam hospitalitatis tesseram quam dabat eis Ecclesia unde veniebant, quâ ostensâ ab aliis hospitio excipiebantur. Hanc autem sæpè mutabant propter quosdam deceptores infideles, qui eam imitabantur, et sic in domos Christianorum se insinuabant. SINE MURMURATIONE, non murmurando, quòd hospites et peregrini nimis sæpè fortè adveniant et vobis sint onerosi ; sed si pauperes estis, pauca et hilariter offerte ; et ut quidam de paupere, sed hilari hospite ait :

Super omnia vultus
Accessêre boni, nec iners pauperque voluntas.

VERS. 10. — UNUSQUISQUE SICUT ACCEPIT GRATIAM, quodcumque charisma et donum à Deo, sive temporale, sive spirituale. Quæcumque enim gratis et sine meritis nostris præcedentibus à Deo accipimus, vocantur generali nomine *gratiæ ;* unde Augustinus vitam nostram, ingenium, liberum arbitrium, et omnes facultates, quæ ab animâ vel corpore nostro resultant, gratias Dei generaliter solet appellare ; omnia enim ista nullis præcedentibus nostris meritis à Deo creatore accepimus. Hinc distinctio gratiæ in gratiam supernaturalem propriè dictam, et gratiam creationis. Postquàm ad charitatem et hospitalitatem est adhortatus, monet jam generaliter ut omnia dona et talenta Dei liberaliter et hilariter in alios impendant. IN ALTERUTRUM ILLAM ADMINISTRANTES, alii aliis ; illi nempe qui dona illa acceperunt, aliis qui indigent communicantes, ut membra ejusdem corporis, quæ alia aliis mutuas commoditates communicare solent ; oculus regit pedem, pes oculum portat, etc. Dicit, *administrantes*, vel, ut Græcus, *ministrantes*, quia charitas unumquemque nostrum ministrum alterius et servum quodammodò facit : *Qui major est vestrùm, erit vester minister*, Matth. 23, v. 11 ; unde S. Gregorius primus inter pontifices se *servum servorum Dei* appellavit. SICUT BONI ; ex Græco etiam verti potest, *præclari*, id

est, valdè fideles et seduli. DISPENSATORES; Græcè, *œconomi*, qui non tam sua quàm Domini sui talenta et bona aliis dispensant. MULTIFORMIS GRATIÆ DEI, multiplicium donorum gratuitorum Dei. Varia enim sunt dona et talenta, corporis, animi, rerum externarum, quæ omnia eo fine dat Deus, ut ex charitate fraternâ indigentibus ea dispensemus, ne si in terram defodiamus, aut reponamus in sudario, accidat nobis quod servo illi evangelico qui ejectus est in tenebras exteriores, Matthæi 25, v. 30. Non oportet quidem Dei vocationem præcurrere, et talenta ejus in suam gloriam convertere; sed tamen etiam Deo ad officium dispensatoris vocanti non debemus contumaciter resistere. Licèt enim *otium sanctum quærat charitas veritatis, negotium tamen justum suscipit necessitas charitatis; quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati; si autem imponatur, suscipienda est propter charitatis necessitatem*, ait Augustinus, lib. 19, cap. 19, de Civit. Sed implendus antea veritate est animus, ut tanquàm ex fonte proximis depromere, non tantùm de canali, aspergere possis, fiatque quod dicit Sapiens : *Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide*, Proverb. 5, v. 16. Quia tamen non omnes ad omnia à Deò vocantur, oportet secundùm inclinationem spiritûs, et admixtam operationi delectationem, Dei vocationem æstimare; nam gratia Dei nihil aliud est quàm delectatio quædam spiritualis, secundùm S. Augustini theologiam.

VERS. 11. — SI QUIS LOQUITUR, si quis à Spiritu sancto acceperit sermonem sapientiæ, aut scientiæ, juxta illud : *Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum*, 1 ad Cor. 12, v. 8; sive donum sapienter et scienter prædicandi et loquendi de rebus divinis. QUASI SERMONES DEI, loquatur, non quasi sermones suos et humanos, sed quasi verba Spiritûs sancti, qui per Scripturas sacras dictat, et occultis suggestionibus quod utile est auditoribus concionanti inspirat. Ipse enim est qui labia veri concionatoris aperit, qui velle et perficere pro bonâ voluntate operatur in omnibus, ad Philip. 2, v. 13. Non loquuntur ergo quasi sermones Dei, qui fabulas et curiositates sacris concionibus immiscent, qui vinum sacræ Scripturæ aquâ sapientiæ secularis diluunt, aut qui ex concionibus et sermonibus Dei vanam gloriam et suî admirationem magis quàm populi ædificationem captant, quorum *mens avida laudis in superbiæ rapitur excessus, et fit immunda vanitate, dùm sibi videtur clara virtute*, inquit S. Prosper, epist. ad Demetriadem, c. 16. SI QUIS MINISTRAT, si quis gratiam et donum ministrandi in Ecclesiâ accepit, sive circa curam animarum, sive circa altare, aut circa mensas pauperum, quibus diaconi præpositi erant, Actor. 6, v. 3. TANQUAM EX VIRTUTE; Græcè, *ex fortitudine*. Ministret non tanquàm virtutem et vires rectè ministrandi à se habeat, sed QUAM ADMINISTRAT DEUS; Græcè, *suppeditat*, id est, quam per gratiam suam suppeditat et suggerit Deus. Sine eo enim non possumus rectè ministrare, sine quo nihil possumus rectè facere; ipse enim et vires naturæ donat ut faciamus, et gratiam Spiritûs sancti ut rectè faciamus. UT IN OMNIBUS (actionibus nostris) HONORIFICETUR DEUS; honor et gloria Deo tribuatur à nobis, cùm omnes actiones nostras bonas ab eo ut principio emanare, et in eum ut finem referendas esse cogitamus, et facto ipso referimus; sive enim manducamus, sive bibimus, sive aliud quid faciamus, omnia in gloriam Dei facere præcipit alius Apostolus 1 ad Cor. 10, v. 31. PER JESUM CHRISTUM, per Jesu Christi merita ob partam nobis gratiam. Ista enim est necessaria ut actiones nostras in Deum amore casto tanquàm in finem ultimum referamus, et Deus in omnibus honorificetur à nobis. Hæc autem est propria hominis lapsi et per Christum erecti gratia, quæ in omnibus bonis operibus nos prævenit et sequitur, et sine quâ *liberum arbitrium sibi permissum non nisi in suam perniciem movetur*, ut ait S. Prosper, epist. ad Ruffinum, c. 17. CUI EST GLORIA, cui Deo uni et trino est et debetur gloria et honor; idcòque in omnibus actionibus nostris jure meritoque honorificari debet. Imò *universa facies et vultus sacrarum Scripturarum benè intuentes id admonere invenitur, ut qui gloriatur, in Domino glorietur*, ait August., c. 89 Enchirid.; id est, ut creatura rationalis in omnibus, non suam, sed Dei gloriam quærat. ET IMPERIUM, imperandi et regendi potestas; sicuti enim creator omnium est, ita omnium creaturarum rectorem esse oportet. IN SECULA SECULORUM, in omnem æternitatem. AMEN, verum hoc sit, et sic fiat. Nam Hebraicum *amen* veritatem, fidelitatem, et certitudinem significat. Postquàm autem pio isto animi motu et tanquàm brevi saltu exiliit, mox in viam redit, et institutum prosequens, ait :

VERS. 12. — CHARISSIMI, NOLITE PEREGRINARI, valdè admirari et obstupescere, tanquàm ad rem peregrinam et insolitam; unde interpres vertit idem verbum, *admirari*, sup. v. 4. IN FERVORE, propter fervorem ignis tribulationum vestrarum; Græcè, *ignitione illâ quæ in vobis*. In principio enim Ecclesiæ erant acerrimæ et velut ignitæ persecutiones in novam Christi religionem. QUI AD TENTATIONEM VOBIS FIT, quem Deus accidere vobis permittit ad examen et experimentum patientiæ vestræ, ut ea toti mundo innotescat. QUASI NOVI; Græcè, *peregrini*, et insoliti. ALIQUID VOBIS CONTINGAT; nam Deus electos suos igne examinare et tanquàm aurum in fornace probare solet, nec à protomartyre Abel usque ad ultimum electum in fine seculi nasciturum cessabunt persecutiones, inquit Beda.

VERS. 13. — SED COMMUNICANTES CHRISTI PASSIONIBUS, sed quia in igne isto tribulationum participes estis passionum Christi, quas à principio vitæ usque ad mortem crucis perpessus est, GAUDETE, gaudio potiùs exultate quàm tristitiâ dejiciamini : gloriosum enim est membrum esse simile suo capiti, militem suo duci. UT ET IN REVELATIONE GLORIÆ EJUS, ut etiam postea, quando toti mundo revelabitur gloria ejus, et vivorum ac mortuorum judex gloriosus in nubibus apparebit, GAUDEATIS EXULTANTES, gaudio

magno et insolito, quod etiam in exultationem et gestum corporis erumpet, cùm beatitudo animæ in gloriam etiam corporis resultabit.

Vers. 14. — Si exprobramini, si probris et male dictis afficiamini, in nomine Christi, propter nomen Christi, à quo Christiani appellamini, et cujus professionis religionem, beati eritis, beatitudine æternâ, si cætera quæ sunt ejus religionis impleatis. Græcè, sine ullo verbo substantivo, *beati*, spe estis in hoc seculo, re eritis in futuro. Quoniam quod est honoris, gloriæ, et virtutis Dei; quia id in quo consistit verus honor, vera gloria, et vera virtus, seu fortitudo; quæ dona non à se ipsis, sed à Deo homines accipiunt. Et qui est Spiritus ejus, et Spiritus Dei cum omnibus istis suis donis, super vos requiescit, inhabitans et insidens animas vestras, agitans vos, et ducens per vias rectas : *Filii* enim *Dei Spiritu Dei aguntur*, ad Rom. 8, v. 14; unde similes Christo capiti vestro estis, de quo dicitur : *Requiescet super eum Spiritus Domini*, Isaiæ 11, v. 2. Non est igitur ignominiosum, sed honorabile, non inglorium, sed gloriosum, non infirmum, sive infirmitatis signum, sed potiùs virtutis et fortitudinis, exprobrari et pati pro Christo, ideòque beati sunt qui pro eo merentur pati. Textus Græcus magis succinctè : *Quoniam gloriæ et Dei Spiritus super vos requiescit;* ideò beati eritis quia Spiritus gloriæ et beatitudinis largitor, qui est Dei Spiritus, requiescit et habitat in vobis. Spiritus enim iste est *pignus* et arrha *hæreditatis nostræ*, quæ est beatitudo æterna, ad Ephesios c. 1, v. 14. Græcus unâ sententiâ auctior est quàm textus Latinus; addit enim : *Qui secundùm ipsos blasphematur, secundùm vos autem glorificatur;* qui Spiritus Dei super vos requiescens, per infideles, qui eum ignorant, maledicitur; per vos autem, qui ejus in vobis sentitis operationem, laudatur et glorificatur. Præpositio *secundùm*, adhuc alibi pro præpositione *per* usurpatur, ut 1 ad Cor. 12, v. 8.

Vers. 15. — Nemo autem vestrum patiatur, supplicio aliquo corporali afficiatur peccans in leges seculi hujus justas, ut homicida, qui pœnâ etiam capitali ut hodiè puniebatur legibus Romanorum, quibus tunc subditæ erant Pontus, Galatia, et cæteræ provinciæ quas incolebant Judæi, ad quos scribit S. Petrus. Aut fur, qui legibus Romanis non extremo supplicio, sed mitiùs puniebatur. Aut maledicus, conviciator et diffamator, adversùs quos agi injuriarum poterat tam civiliter quàm criminaliter. Græcè tamen, *maleficus*, quales præter homicidas sunt qui dolo malo alios mutilant, vulnerant, etc.; specialiter etiam propter facinoris atrocitatem malefici vocantur, qui ad nocendum magicis artibus utuntur. Aut alienorum appetitor; Græcè unico verbo composito, *alienorum episcopus*, sive inspector et speculator, quales sunt homines rapaces, qui rebus alienis insidiando occasiones et modos speculantur ut surripiant; unde non malè interpres vertit, *alienorum appetitor*, quia emissitii illi oculi, ut loquitur Comicus, et attenta inspectio rerum alienarum, ex appetentiâ et avidate habendi oritur. Œcumenius tamen interpretatur curiosum inspectorem morum alienorum, ut quod calumnietur inveniat; hoc enim, inquit, scelesti ac veteratoris, et in omne malum prompti animi indicium est.

Vers. 16. — Si autem (patiatur) ut Christianus, quia Christi fidem et religionem profitetur, quæ apud infideles invisa est. Nomen Christianorum primò discipulis Christi inditum est Antiochiæ, Actor. 11, v. 26, ab ipsismet Antiochenis infidelibus, ut quidam existimant; sed S. Athanasius à S. Petro et Barnabâ aliisque ibi discipulis communi consilio nomen istud impositum dicit, ut fideles non tantùm ab infidelibus Judæis et gentilibus, sed etiam ab hæreticis nomine tenùs solùm Christianis distinguerentur, et ut impleretur illud : *Vocabitur tibi nomen novum*, Isaiæ 62, v. 2. Ab infidelibus autem Christiani non tantum Christiani, aut Chrestiani, sed etiam Nazareni, aut Galilæi, aut Sybillistæ appellabantur, quia ad confutandum gentiles libris Sybillarum sæpè utebantur. Non erubescat, nam pro virtute pati non erubescendum, sed gloriosum est; unde subdit : Glorificet autem Deum, laudet et gratias agat Deo ipsi donatum esse, non tantùm in Christum credere, sed pro Christo etiam pati, ad Philipp. 1, v. 29, et Lucas : *Ibant gaudentes à conspectu concilii, quia digni habiti*, etc., Actor. 5, v. 41. In isto nomine, in istâ re; nomen enim, aut verbum, more Hebræorum, pro re ipsâ sæpè ponitur; aut certè, *in isto nomine*, id est, hâc de causâ; nam nomen pro causâ et titulo rei solet etiam usurpari. Non intelligi autem hîc nomen Christi videtur colligi ex Græco, *in parte istâ*, ex hâc parte, et propter hanc causam; quo modo particula, *in parte*, sumitur etiam ad Coloss. 2, v. 16.

Vers. 17.—Quoniam tempus est (hâc vitâ durante) ut incipiat judicium, quo Deus peccata hominum punit, quia justus est, et ne peccata videantur ipsi placere. Judicium autem istud jam incipit, ut in judicium universale tandem aliquando desinat. A domo Dei, à Dei domesticis, seu electis, qui sunt in ecclesiâ, quæ est domus Dei. Hi enim temporaliter flagellantur in hoc seculo, ne æternaliter torqueantur in futuro; nam electi multa peccata venialia, et quandoque mortalia committunt, à quibus igne tribulationum purgari debent. Deinde *nullus est hominum tantâ justitiâ præditus, cui non sit necessaria tentatio tribulationis, vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem*, ait S. Augustinus, lib. 22, cap. 20, contra Faustum. Si autem primum a nobis, si autem vindicta Dei primùm incipit à suis electis, nec illis parcit quos diligit, quis finis eorum, quale erit finale judicium reproborum. Sicuti æterna beatitudo dicitur finis ultimus electorum, ita æterna damnatio est finis reproborum, quia in illo miseriæ statu sine fine alio permanebunt. Qui non credunt Dei Evangelio? Græcè, *qui discredunt*, seu renuunt credere, pertinaces scilicet in suâ infidelitate. Quantâ enim illic ferit districtione quos reprobat, si hîc sic cruciat quos amat! inquit Beda; si sic flagellantur filii, quid debent sperare servi nequissimi? sicuti enim *aliter agricola parat fal-*

cem sarmentis fructuosis, aliter infructuosis, ita Deus *nec probis nec reprobis parcit, illis purgandis, istis amputandis*, inquit ibidem Augustinus; quod probat exemplo S. Pauli, qui, ne magnitudo revelationum eum extolleret, traditus à Deo fuit angelo colaphizanti, 2 ad Cor. 12, v. 7, qui tamen alios tradebat Satanæ ne discerent blasphemare, 1 ad Timoth. 1, v. 20.

Vers. 18. — Et si justus vix, ægrè et cum multo labore, ut vox Græca propriè significat, salvabitur; Græcè, *salvatur*, ad salutem æternam ei destinatam pervenit; nam propter culpas etiam leves Deus in hâc vitâ igne tribulationum eum purgat, et flagellis virtutem ejus exercet; non quòd liberare justum laboriosum sit Deo, inquit Beda; sed ut ostendatur meritò damnatam esse naturam propter peccatum primi hominis, non vult facilè de tanto malo etiam omnipotens liberare; aliàs cor quantumvis durum potest infusâ gratiâ protinùs emollire: *Gratia* enim *quæ humanis cordibus tribuitur, à nullo corde duro respuitur; ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur*, inquit Augustinus, cap. 8 lib. de Prædestinatione sanctorum. Impius, à Deo prorsùs aversus, ut Œcumenius interpretatur; et peccator, simplex etiam peccator, cujus vita, licèt non planè aversa sit à Deo, peccat tamen mortaliter. Possunt tamen impius et peccator accipi pro eodem, quia qui peccat, impiè agit, cùm ita se gerat ac si Deum nullum esse existimaret, ait idem Œcumenius. Ubi parebunt; Græcè, *ubi parebit?* Ubi comparebit in judicio? nullibi comparere audebit timore tam districti et tremendi judicis; cogetur tamen à Deo et angelis, Dei ministris, comparere ad sinistram inter hædos. Hâc formulâ loquendi, *intelligitur quomodò non parcatur impiis tanquàm sarmentis præcisis ad combustionem, quando justis non parcitur propter perficiendam purgationem*, ait Augustinus, lib. 22, cap. 20, contra Faustum. Hinc etiam animæ immortalitas et fidei christianæ veritas probari potest, inquit Carthusianus, quia videmus impios quosdam usque ad ultimam senectutem abundare et frui omnibus hujus vitæ commoditatibus; pios verò quosdam multis exerceri tribulationibus. Si autem anima non manet à corpore superstes ut bonorum aut malorum mercedem post hanc vitam recipiat, ubi Dei justitia? ubi providentia est? aliàs enim *miserabiliores sumus omnibus hominibus*, ait alter Apostolus 1 ad Cor. 15, v. 19. Hunc locum ex Proverbiorum 11, v. ultimo, juxta versionem Septuaginta citat apostolus Petrus, quem S. Hieronymus ex Hebræo sic vertit: *Si justus in terrâ* (in hâc vitâ) *recipit* pœnas suorum delictorum, *quantò magis impius et peccator* in futurâ vitâ recipiet condignam mercedem suorum peccatorum! Non significatur ergo electos in die judicii periclitaturos esse de suâ salute, sed in hâc vitâ per multos labores, et macularum, quas subinde contrahunt, purgationes ad eam pervenire.

Vers. 19. — Itaque, cùm res ita se habeat, et via salutis sit tam arcta et difficilis; et hi qui patiuntur; etiam hortor eos qui persecutiones et tribulationes in hoc mundo patiuntur, secundum voluntatem Dei, inferentem aut permittentem eas tribulationes ipsis inferri. Utraque autem Dei voluntas, sive faciat ipse, sive fieri permittat, justa est, quia *justus Dominus in omnibus viis suis*, psalm. 144. Fideli creatori, qui sibi commissa et apud se deposita fideliter servat, commendent animas suas, tradant ei velut in depositum, *omnem sollicitudinem* suam *projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de nobis*, ut cap. sequenti, v. 7, Petrus dicet; Dei enim gratiæ in omnibus perfectè inniti oportet, et nihil suum reputare, quandoquidem salubriter prohibeamur in nostro opere aliquid nobis tanquàm nostrum vindicare, ait S. Fulgentius ex doctrinâ sui magistri Augustini et Apostoli, qui ait *Deum operari in nobis velle et perficere*, ad Philipp. 2, v. 13; idque non suadendo tantùm et illuminando intellectum, sed miro et ineffabili modo inclinando voluntatem, ut ait S. Augustinus, cap. 20, lib. de Prædest. sanctor. Nec tamen idcircò oportet otiari, sed in benefactis; Græcè, *in beneficentiâ*, seu in *benefaciendo*, id est, bonis interim operibus operam dando; quia, licèt Deus, cui commendamus animas nostras, et in quem omnem nostram sollicitudinem projicimus, operetur ista in nobis, non tamen sine nobis; sed ita tamen ut non nos, sed ipse incipiat, et gratiâ suâ nos præveniat; unde non tantùm ipsum opus, sed operis etiam conatum ei tribuere debemus. Totum quippe dandum est Deo, nec aliquid boni est de quo tanquàm de nostro, quod nobis non dederit Deus, gloriari possimus, inquit S. Augustinus, cap. 19, de Dono perseverantiæ, et ante ipsum S. Cyprianus: *In nullo gloriandum est*, inquit, *quando nostrum nihil est.* Ridet verò Augustin., cap. 17, de Dono perseverantiæ, eos qui dicunt tali prædicatione audientibus plus desperationis quàm exhortationis afferri: *Hoc* enim *est dicere*, inquit, *tunc de suâ salute hominem desperare, quando spem suam non in se ipso, sed in Deo didicerit ponere, cùm tamen propheta clamet: Maledictus omnis qui spem habet in homine*, Jerem. 17, v. 5. Et idem August., cap. 11, de Prædest. sanctorum: *Miror*, inquit, *homines infirmitati suæ se malle committere, quàm firmitati promissionis Dei.* Et objiciens sibi ex personâ Pelagianorum: *Sed incerta est mihi, inquis, de me ipso voluntas Dei*; respondet: *Quid ergo? tuane tibi voluntas de te ipso certa est, nec times? Qui videtur stare, videat ne cadat. Cùm igitur utraque incerta sit, cur non homo firmiori potiùs quàm infirmiori fidem suam, spem, charitatemque committit?*

CAPUT V.

1. Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis Christi passionum; qui et ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator;

CHAPITRE V.

1. Je vous prie donc, vous qui êtes prêtres, étant prêtre aussi comme vous, et témoin des souffrances de Jésus-Christ, et devant participer à sa gloire qui sera un jour découverte :

2. Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum; neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè;

3. Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.

4. Et cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.

5. Similiter, adolescentes, subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

6. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis :

7. Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.

8. Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquàm leo rugiens circuit, quærens quem devoret;

9. Cui resistite fortes in fide; scientes eamdem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri.

10. Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicùm passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.

11. Ipsi gloria et imperium in secula seculorum. Amen.

12. Per Silvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter scripsi; obsecrans et contestans, hanc esse veram gratiam Dei, in quâ statis.

13. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone coelecta, et Marcus filius meus.

14. Salutate invicem in osculo sancto. Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Jesu. Amen.

2. Paissez le troupeau de Dieu qui vous est commis, veillant sur sa conduite, non par une nécessité forcée, mais par une affection volontaire qui soit selon Dieu; non par un hontueux désir du gain, mais par une charité désintéressée;

3. Non en dominant sur l'héritage du Seigneur, mais en vous rendant les modèles du troupeau, par une vertu qui naisse du fond du cœur.

4. Et lorsque le prince des pasteurs paraîtra, vous remporterez une couronne de gloire qui ne se flétrira jamais.

5. Vous aussi, jeunes gens, soumettez-vous aux prêtres. Tâchez de vous inspirer tous l'humilité les uns aux autres, parce que Dieu résiste aux superbes, et donne sa grâce aux humbles.

6. Humiliez-vous donc sous la puissante main de Dieu, afin qu'il vous élève dans le temps de sa visite,

7. Jetant dans son sein toutes vos inquiétudes et vos peines, parce qu'il a soin de vous.

8. Soyez sobres, et veillez; car le démon votre ennemi tourne autour de vous comme un lion rugissant, cherchant qui il pourra dévorer.

9. Résistez-lui donc, en demeurant fermes dans la foi, sachant que vos frères qui sont répandus dans le monde souffrent les mêmes afflictions que vous souffrez.

10. Mais je prie le Dieu de toute grâce, qui nous a appelés en Jésus-Christ à son éternelle gloire, qu'après que vous aurez souffert un peu de temps, il vous perfectionne, il vous fortifie, et vous affermisse sur un solide fondement.

11. A lui soit la gloire et l'empire dans les siècles des siècles. Amen.

12. Je vous ai écrit, ce me semble, assez brièvement par notre frère Silvain, qui est un homme fidèle, vous déclarant et vous protestant que la vraie grâce de Dieu, est celle dans laquelle vous demeurerez fermes.

13. L'Église qui est dans Babylone, et qui est élue comme vous, et mon fils Marc, vous saluent.

14. Saluez-vous les uns les autres par un saint baiser. Que la paix soit avec vous tous qui êtes en Jésus-Christ. Amen.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — SENIORES ERGO; Græcè *presbyteros;* quod nomen Græcum interpres meliùs reliquisset, ut fatentur Erasmus et alii, quia *presbyter* hìc non ætatem senilem, sed episcopale et pastorale munus significat, ut patet ex v. 2, ubi monet ut pascant greges suos; unde etiam illi quos S. Lucas, Actor. 20, v. 17, vocat *majores natu*, seu seniores, Græcè *presbyteros*, mox, v. 28, *episcopi* appellantur. Particula *ergo* abest à textu Græco; potest tamen significare illationem ex v. 18 præcedentis cap. : Si justus vix salvabitur, ergo videte, episcopi et pastores, ut greges vestros pascatis, et munere vestro sollicitè fungamini, etc. QUI IN VOBIS SUNT, qui inter vos sunt, et vobis præsunt. OBSECRO. Subditos suos orat cùm imperare posset, quia superiorum preces sæpè plus valent quàm imperia. CONSENIOR; Græcè, *compresbyter*. Vocat se non summum sacerdotem, aut summum pontificem, sed compresbyterum, aut coepiscopum, ut isto humilitatis exemplo eos doceat quomodò subditos suos tractare debeant, non ut dominantes in cleris, sicut infra v. 3 dicet. Ita etiam familiaritas et dignatio, quâ superior inferioribus salvâ auctoritate se quodammodò æquat, amorem magnum et benevolentiam conciliat; quâ de causâ Julius Cæsar, primus Romanorum imperator, milites suos commilitones appellabat, ut Suetonius narrat. ET TESTIS CHRISTI PASSIONUM, testis fidei christianæ per passiones pro Christo toleratas, aut per passiones Christi passionibus similes; dicuntur enim *testes*, Græcè, *martyres*, qui tribulationes et mortem ipsam pro Christo patiuntur, et non tantùm verbis, sed rebus ipsis, fidem et religionem Christi testantur. Beda tamen et multi hoc sic accipiunt, quasi Petrus dicat se interfuisse tanquàm testem Christo patienti in horto, in domo Caiphæ, Pilati, et juxta crucem. Sed quod primò diximus, ex antithesi ejus quod sequitur magis videtur esse ex mente Apostoli. QUI ET EJUS QUÆ IN FUTURO, in extremo judicii die, REVELANDA EST, toti mundo manifestanda est, quando judex in nubibus apparebit; GLORIÆ Christi, quâ in animâ et corpore gloriosus apparebit; COMMUNICATOR, communicans et particeps jam sum in æternâ Dei prædestinatione; sicut enim passionibus Christi jam communico, ita postmodùm gloriæ ejus communicabo; si enim *commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus*, 2 ad Timoth. 2, v. 12. Spe autem ejusdem participationis gloriæ Christi tacitè eos ad viriliter certandum et communicandum Christi passionibus

animat. Quidam hinc colligunt S. Petro suam ad æternam gloriam prædestinationem revelatam fuisse.

Vers. 2. — Pascite, verbo doctrinæ, exemplo vitæ, oratione, sacramentis, eleemosynis tam corporalibus quàm spiritualibus. Verbum *pascendi* à rectoribus ovium irrationalium, ad rectores rationalium transfertur; unde Homerus regem, *pastorem populorum* sæpè appellat; et Jeremiæ 3, v. 15 : *Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientiâ et doctrinâ.* Dulce autem S. Petro erat verbum pascendi, inquit Carthusianus, quod ter ei à magistro suo Christo inculcatum fuerat : *Pasce oves* aut *agnos meos*, Joan. 21, v. 15. Qui in vobis est, qui in potestate vestrâ et sub regimine vestro est; unde aliqui vertunt, *qui penes vos est*; nam esse penes aliquem non tantùm significat apud, sed in dominio et potestate esse. Gregem Dei, Christi Dei, quem mox, v. 4, principem pastorum appellabit. Singuli ergo pastores ita greges suos pascere debent, tanquàm uni supremo principi pastorum, cujus sunt omnes oves, rationem se reddituros esse sciant. Jure autem Petrus, cui Christus totius gregis sui, id est, Ecclesiæ universalis, curam commiserat, mandat inferioribus pastoribus ut quisque gregem Dei qui secum est sollicitâ gubernatione tutetur, inquit Beda. Providentes, superintendentes, et attentè prospicientes quasi ex altiori speculâ suprasubjectum gregem, ut vox Græca propriè significat, quam *episcopisantes* vertere possemus. Non coactè; Græcè, *non necessariò*, non ex rerum temporalium necessitate compulsi, quomodò multi, potiùs quàm ex amore Dei aut ovium, pastorales curas suscipiunt, non habentes aliunde unde vivant, inquit Beda. Sed spontaneè, voluntariè, libenter, et ex affectu spiritualis boni suarum ovium. Secundum Deum, secundùm Dei voluntatem, qui prohibet nos mercedem temporalem primariò intendere, sed præmia æterna et Dei honorem principaliter aspicere. Spontaneum pastorem à coacto distinguit Paulus quando ait : *Si volens hoc ago, mercedem habeo; si autem invitus, dispensatio mihi credita est*, 1 ad Cor. 9, v. 17; qui enim voluntariè et ex animo evangelizat, aut munere pastorali fungitur, amplam mercedem à Deo accipit; qui verò invitus aut necessitate coactus, est instar meri dispensatoris, qui iis quibus domini sui bona dispensat, magis prodest quàm sibi ipsi, ut interpretatur Augustinus. Neque turpis lucri gratia, propter temporale lucrum turpiter ex munere tam sacro et divino captandum. Dicitur ergo lucrum turpe non tam in se, quàm quia ex affectu turpi captatur à pastoribus et ecclesiasticis avaris, qui ex beneficiis suis student ditescere. Sed voluntariè; Græcè, *prompto animo*, ut Arias et alii vertunt, id est, ultroneo et alacri animo ex solo intuitu spiritualis commodi ovium, sicuti veri pastores; non intuitu temporalis lucri, ut mercenarii solent, qui ideò non ad gregem, sed ad lucrum promptum animum habent, inquit Cajetanus; unde quando illis lucra temporalia subtrahuntur, curam ovium abjiciunt, aut negligentiùs eas curant, quia lac et lanam, non ovium salutem, quærebant : *Mercenarii* enim *lupo veniente fugiunt*. Joan. 10, v. 12; aut si oves suas non, deserunt, fiunt quales describit propheta, *speculatores cæci, canes muti non valentes latrare*, Isaiæ 56, v. 10. Igitur episcopi et pastores debent Ecclesiam suam ædificare, ait Beda, sicut olim Israelitæ tabernaculum, quod Ecclesiæ figura fuit; nam Israelitæ voluntariè et certatim plura contribuerunt quàm necesse esset ad fabricam, et artifices ipsi spontè se obtulerunt ad faciendum opus, Exod. 36, v. 2.

Vers. 3. — Neque ut dominantes in cleris; Græcè, *ut dominantes cleris;* vel tanquàm dominatum exercentes adversùs cleros, sive Ecclesias particulares, quæ singulis episcopis quasi per sortem obtigerunt; *clerus* enim Græcè, *sortem* Latinè significat; unde, *si dormiatis inter medios cleros*, psalm. 67, id est, inter partes quæ singulis in sortitione obtigerunt in primâ illâ divisione terræ promissionis, quæ à Josue facta est per sortem ex mandato Dei, Josue 1, v. 6; hinc passim in Scripturâ partes illæ vocantur *sortes;* Græcè, *cleri;* Hebraicè, *goraloth*, ut sors filiorum Juda, Ruben, etc. Quia deinde olim hæreditates et officia per sortes distribui solebant, hinc quævis hæreditas et officium, tam seculare quàm spirituale, solet sors appellari. Illi autem episcopi et pastores dominantur suis cleris, qui non tanquàm patres suis filiis, sed sicut domini suis mancipiis asperè et superbè imperant, lucrum ac honorem suum magis æstimantes quàm spirituale bonum subditorum; unde similes sunt tyrannis, qui in hoc à legitimis principibus secularibus distinguuntur, quòd omnia ea referant ad commoda et gloriam suam, quæ veri principes referunt ad subditorum utilitatem. Illi quoque episcopi et pastores dominantur in cleris, inquit Œcumenius, qui pompâ vestium sybariticâ mensâ, principes seculi imitantur, et adversùs suos subditos se erigunt. S. Hieronymus verò per *cleros*, non totos episcoporum aut pastorum greges, sed inferiorum clericorum ordines intelligit, qui in Ecclesiâ specialiter sunt clerus, sors, et pars Domini, cujus servitio dedicati sunt; sicuti olim Levitæ servientes in tabernaculo et templo; quamvis etiam è contra Dominus diceretur clerus et pars hæreditatis ipsorum, quia nullam partem sortiti erant in divisione terræ promissionis, sed tanquàm filii et domestici Dei ex portione dominicâ, id est, ex decimis et oblationibus quæ debebantur Domino, vivebant. Sed forma (Græcè, *typi*, seu exemplaria) facti gregis, sed fieri debetis formulæ quædam et exemplaria in quæ grex vester aspiciat, ut ad eorum similitudinem mores suos componat, et ut oves Jacob ex aspectu virgarum similes fœtus concipiat; exempla enim magis movent subditos quàm verba. Unde Paulus ad Titum insulæ Cretæ archiepiscopum : *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in gravitate;* quando enim pastor per abrupta graditur, grex ejus in præcipitium labitur, ait S. Gregorius; et *quia stultè egerunt pastores, et Dominum non quæsierunt, propterea grex eorum dispersus est*, Jeremiæ 10 v. 21, quomodò enim alios formare possunt, qui ipsi infor-

mes et monstrosi sunt? Monstrosus autem pastor est, ut majora crimina taceantur, qui modò calicem Domini signat, modò talos agitat, qui in avibus cœli ludit, aut canes instigat, ait S. Gregorius. Væ ergo, væ æternùm prælatis et præsidentibus vitam carnalem, negligentem, scandalosam ducentibus, quia universa subditorum peccata in ipsos redundabunt, inquit Carthusianus. Ex animo, exempla illa virtutum quæ subditis præbent, ex corde et amore erga Deum et salutem spiritualem oviam procedant, non fingantur ex hypocrisi, ut videantur ab hominibus. Particula tamen hæc, *ex animo*, abest à textu Græco. Per tres ergo illas superiores particulas, *non coactè, non turpis lucri gratiâ, non ut dominantes in cleris*, indicantur tres generales vitiosi fines, propter quos ambiri solent pastoratus et dignitates ecclesiasticæ; nempe fuga paupertatis, avaritia, et superbia.

Vers. 4. — Et cum apparuerit, in judicio universali, redditurus unicuique prout gessit sive bonum sive malum, princeps pastorum, id est, Christus, qui et ovium et pastorum princeps, archipastor, et Dominus est, utpote qui oves et pastores proprio suo sanguine emerit. Unde non repugnat quòd Romanus Pontifex dicatur etiam archipastor et princeps pastorum, quia id habet participativè tantùm et tanquàm supremus Christi in terris vicarius, neque est Dominus ovium sicuti Christus. Percipietis, tanquàm præmium providentiæ et curæ vestræ pastoralis, immarcescibilem gloriæ coronam, gloriosam coronam, quæ est vita æterna, quæ nullo fine desinit, nullo fastidio marcescit. Significat ergo vitam æternam reddi bonis operibus ex justitiâ, sicuti olim coronæ ex floribus aut foliis lauri, oleæ, querceûs, etc., contextæ donabantur victoribus in stadio et agone : sed illæ celeriter marcescebant, et exarescebant; corona verò gloriæ, quam reddet Christus, æterna est et immarcescibilis. Thomas Anglicus per *coronam gloriæ* intelligit aureolam doctorum et prædicantium verbum Dei, quæ est præmium quoddam accidentale, sicut aureola virginum et martyrum.

Vers. 5. — Similiter, simili modo et reciprocè; videtur enim respicere ad versum primum, ubi episcopos et pastores vocavit seniores, quibus jam juniores correlativè opponit, et officii sui admonet. Adolescentes; Græcè, *juniores*, inferiores et subditi seniorum; maxima enim turba subditorum solet esse adolescentium, aut saltem ætate juniorum suis episcopis et pastoribus, præsertim olim circa prima tempora Ecclesiæ, quando senes tantùm aut ætate valdè maturi solebant assumi ad regimen aliorum. Hinc etiam Romulus ad reipublicæ suæ regimen concilium ex senibus instituit, quem ideò senatum patrum appellavit : « Delecti, inquit Sallustius, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientiâ validum erat, reipublicæ consultabant : hi vel ætate vel similitudine curæ patres appellabantur. » Multi tamen interpretes *adolescentes* et *juniores*, non tantùm pastoribus subditos, sed generaliter qui ætate juniores sunt intelligunt; nam tales etiam aliquam reverentiam senioribus impertiri debent, propter experientiam et virtutes quas longo usu senes acquisivisse supponitur : unde illud : *Coram cano capite consurge, et honora personam senis*, Levit. 19, v. 32. Etsi verò senectus sit signum virtutis, hoc tamen signum aliquando deficit, ait S. Thomas 2-2, quæst. 63, art. 3, hinc illud : *Senectus venerabilis est, non diuturna, nec annorum numero computata*, Sapient. 4, v. 8. Creduntur etiam Hispani, Itali, Galli, dominum vocare *signor, signore, seigneur*, quasi *seniorem*, quia juniores cæteris paribus debent seniores tanquàm dominos honorare. Subditi estote, per obedientiam; magnum enim est inobedientiæ vitium, ait S. Bernardus, per quod angelus cœlum, homo paradisum, Saûl regnum, perdiderunt. Senioribus, presbyteris, sive episcopis et pastoribus vestris, ut v. 1 exposuimus : *Obedite præpositis vestris et subjacete eis*, ad Hebr. 13, v. 17. Non erat autem necesse plura præcipere subditis quàm subjectionis præceptum, ait Beda, quia senioribus, v. 3, præceperat ut essent forma commissi sibi gregis : unde sufficiebat ut juniores aspicerent in formulas et exempla seniorum, ut cætera omnia discerent. Ne autem seniores, qui aliis præsunt, putarent se exceptos esse ab officiis humilitatis, addit : Omnes autem invicem. Unusquisque erga alterum, etiam superior erga inferiorem. Humilitatem insinuate, exhibete et ostendite; Græcè, *humilitatem induite*, tanquàm formosam vestem, injectâ fibulâ arctè corpori adhærentem, ut quidam vocis Græcè energiam explicant; quasi S. Petrus omnes tam inferiores quàm superiores admoneat ne pretiosis vestibus corpus ornent, sed potiùs humilitate et perpetuâ modestiâ erga alios, tanquàm amictu pretiosissimo et quòcumque incedunt sibi adhærente, se induant; qui enim superiores sunt dignitate, habent etiam quod in suis inferioribus venerentur, et se humilient, si cogitent eos esse imagines sanctissimæ Trinitatis, filios Dei adoptivos, membra Christi : *Multi* enim *unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*, ad Rom. 12, v. 4. Deinde cogitet superior quòd etsi dignitate sit major, multos tamen habeat subditos gratiâ et charitate majores, inquit Carthusianus; unde Paulus jubet nos *honore invicem prævenire*, ad Rom. 12, v. 10, et *in humilitate superiores sibi invicem arbitrari*, ad Philipp. 2, v. 3. Quia Deus superbis, erigentibus se contra ipsum, resistit, deprimendo et humiliando eos in hoc aut in futuro seculo; humilibus autem, humiliantibus semetipsos per Dei gratiam, dat gratiam, copiosiorem; gratia enim est instar pluviæ, quæ de tumoribus collium defluit ad profunda vallium. Vide quæ de hâc eâdem sententiâ diximus, Jacobi 4, v. 6. Valdè autem pensenda et magni ponderis est ista sententia, ait Carthusianus, ideòque princeps apostolorum et Jacobus frater Domini suis Epistolis inseruerunt; nullum enim est vitium generalius et per omnes homines magis diffusum quàm superbia; hæc Luciferum cum dæmonibus, hæc primos parentes nostros perdidit, et eodem fermento totam posteritatis massam. Sumpta verò est illa sententia ex Proverb. 3, v. 34, iuxta versionem Septuaginta, ubi S. Hieronymus ver-

tit : *Ipse deludet illusores*, id est, humiliabit et ludibrio exponet superbos qui aliis illudunt, *et mansuetis dabit gratiam*, ubi humiles vocat mansuetos, quia mansuetè et modestè cum omnibus conversantur, nec adversùs quemquam arroganter se elevant.

VERS. 6. — HUMILIAMINI IGITUR, humiliter ambulate et cum timore, SUB POTENTI MANU DEI, quæ elevata est ut feriat et deprimat superbos. Manus Dei omnipotentiam ejus significat, quâ Deus decreta suæ voluntatis tanquàm manu dextrâ exequitur. UT VOS EXALTET, glorià cœlesti et æternâ, quæ est maxima gratia quam Deus dat humilibus. IN TEMPORE VISITATIONIS, in fine seculi, quando visitabit gregem suum, dividetque oves ab hœdis. Deus dicitur visitare tam eos quibus beneficia confert, quàm quibus pœnas irrogat. In Græco abest genitivus *visitationis*, et putatur hic additus in Latino ex cap. 2, v. 12.

VERS. 7. — OMNEM SOLLICITUDINEM VESTRAM, anxiam curam omnium rerum, quæ ad vos, sive in tempore, sive in æternitate pertinent. Vox Græca, quàm interpres *sollicitudinem* vertit, propriè significat anxiam quamdam sollicitudinem, ἀμέριμνος dividit et distrahit mentem, et, ut ait poeta :

...Animum nunc hùc, nunc dividit illùc,
Et rapit in partes varias...

Non prohibetur ergo modica cura quæ à Dei voluntate et providentiâ tota suspensa sit, ut anima quidquid evenerit de manu sponsi sui tranquillo animo excipere parata sit ; cogitans omnia quæ in tempore et æternitate eveniunt, sapientissimè à Deo sic ordinata esse, ad bonum electorum et Dei gloriam. PROJICIENTES (celeriter et expeditè) IN EUM, inter brachia ipsius, quæ sunt bonitas et providentia. *Jacta super Dominum curam tuam*, ps. 54, unde sententiam suam B. Petrus mutuatus esse videtur. QUONIAM IPSI CURA EST DE VOBIS ; *Non* ergo, inquit S. Augustinus, serm. 5, de Verbis Apostoli, *subducet se ut cadatis, ille qui vos creavit, et de ipsis capillis vestris, securitatem vobis dedit*, Matth. 10, v. 30, Lucæ, 21, v. 18. *Quid* ergo *times hominem*, ait ibidem Augustinus, *ô homo in sinu Dei positùs ? Tu de illius sinu noli cadere, quidquid ibi passus fueris ad salutem valebit, non ad perniciem.* Fortassè inimicus novaculâ contra te armatus venit, secundùm illud : *Sicut novacula acuta fecisti dolum*, ps. 51 ; igitur, inquit ibi Augustinus, *non nisi ad superflua tua* radenda *admittitur, sicut capilli* corporis novaculâ *sine detrimento carnis raduntur.* Imò *etiam ista vita*, inquit, *cogitantibus aliam vitam inter superflua deputanda est ; nam et martyres contempserunt illam.* Cæterùm, ista projectio omnium sollicitudinum et curarum in Deum, unicum et solidissimum est tranquillitatis hujus vitæ fundamentum ; igitur oportet nos sub potenti manu Dei ita humiliari et cum timore incedere, ut tamen timor noster sit tranquillus, non sollicitus, projectâ omni sollicitudine in Deum, et levando jugiter oculos nostros ad eum, sicut dicebat David : *Oculi mei semper ad Dominum*, psal. 24, et quasi illi diceretur, inquit ibi Augustinus, quid agis de pedibus tuis cùm non ante te attendis ? *Quoniam ipse*, inquit Psalmista, *evellet de laqueo pedes meos.* Non est ergo necesse ut ille sit multùm sollicitus de pedibus suis, qui oculos semper erectos habet ad Dominum, quia super talem Dominus ipse firmat oculos suos, et gressus ejus dirigit. Unde oculis alienis quasi utitur, juxta illud : *Instruam te in viâ hâc quâ gradieris ; firmabo super te oculos meos*, ps. 31.

VERS. 8. — SOBRII ESTOTE, in cibo, potu, somno et cæteris hujus vitæ commoditatibus et solatiis ; usus enim moderatus horum omnium sub sobrietate et temperantiâ comprehenditur, juxta illud Christi : *Attendite ne graventur corda vestra in crapulâ et ebrietate, et curis hujus vitæ*, Lucæ 21, v. 34. Græcè, *curis vitalibus*, quæ pertinent ad victum et amictum, et vitæ hujus commoditates. ET VIGILATE ; militibus enim civitatem custodientibus maximè necessaria est sobrietas et vigiliæ, ne comessationibus aut somno deditos hostis opprimat. QUIA ADVERSARIUS VESTER, qui ex professâ malitiâ humano generi adversatur, qui totius naturæ lapsus in primo parente causa fuit, nec cessat posteros ejus quos potest usque ad finem mundi peccatis insuper actualibus pertrahere in ruinam ; et ideò meritò ab Hebræis שטן, *Satan*, id est, adversarius et hostis per antonomasiam est appellatus. DIABOLUS, calumniator, à verbo Græco διαβάλλειν, quod propriè trajicere et transfigere significat, quia calumniatores jaculo linguæ famam alienam transverberant et interficiunt. Lucifer autem princeps dæmonum per excellentiam diabolus appellatur, quia per se et ministros dæmones existimationem hominum perdere, et eos Deo invisos reddere perpetuò studet. TANQUAM LEO, rex et fortissimus animalium, cui nemo resistere facilè potest ; unde *non est nobis colluctatio adversùs carnem et sanguinem*, id est, homines mortales, *sed adversùs principes et potestates*, ad Ephes. 6, v. 12. RUGIENS (præ fame) CIRCUIT, circumambulat unumquemque nostrûm, ut videat à quâ parte eum commodissimè invadere possit ; licèt enim regnum diaboli morte Christi destructum sit, ipse tamen regno depulsus per deserta et avia circumiens adhuc usque ad finem seculi latrocinatur, ait Origenes, lib. 5, in Epist. ad Rom. ; circuit autem diabolus Lucifer per satellites suos dæmones, qui hìc in aere nobiscum versantur ad tentationem et exercitium electorum ; ipse verò diabolus princeps dæmonum per mortem Christi ejectus est foràs, Joan. 12, v. 31, et missus est in inferni abyssum, et ibi religatus usque ad mille annos, id est, ad tempora Antichristi, Apoc. 20, v. 2 et 3. QUÆRENS, tanquàm hostis clausos obsidens muros explorat quæ pars membrorum nostrorum minùs stabilis sit, cujus aditu ad interiora penetret, ait S. Cyprianus, offert oculis formas illicientes, canorâ musicâ aures tentat, linguam convitio provocat, etc. QUEM DEVORET, spiritualiter occidat, ac eum quodammodò deglutiat et sibi incorporet : sicuti enim justi dicuntur membra Christi, ita impii membra diaboli.

VERS. 9. — CUI RESISTITE, sicuti milites sobrii et vigilantes resistere solent hosti qui dolo vel assultu

tentat invadere civitatem, FORTES IN FIDE; Græcè, *solidi in fide*, id est, scuto fidei solido et impenetrabili armati, divinis nempe futuræ vitæ promissionibus solidè et immobiliter adhærentes : *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*, ad Ephes. 6, v. 16. Hæc autem fides non est sola, sed comitem charitatem habet, quæ pugnando et operando brachia movet : *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur*, ad Galat. 5, v. 6. SCIENTES, considerantes et perpendentes ad solatium vestrum, quia levamen tribulationis quoddam est habere socios in tribulatione. EAMDEM PASSIONEM; Græcè, *easdem passiones*, similes tribulationes et afflictiones, EI QUÆ IN MUNDO EST VESTRÆ FRATERNITATI, fratribus vestris Christianis, qui per alias mundi partes dispersi sunt inter infideles et persecutores. *Fraternitas* ergo hìc sumitur concretim, ut Sup. c. 2, v. 17. FIERI, inferri ab infidelibus; Græcè, *perfici*, seu impleri, ut significet divino consilio, non casu accidere, ut Christiani ab impiis in hoc mundo multa patiantur, usque ad illam mensuram quam Dei prædestinatio præfinivit.

VERS. 10. — DEUS AUTEM (Pater) OMNIS GRATIÆ, auctor et largitor omnium donorum gratuitorum, quibus electos suos perducit ad vitam æternam; QUI VOCAVIT NOS, per fidem : *Quos* enim *prædestinavit, hos et vocavit*, ad Rom. 8, v. 30. IN ÆTERNAM SUAM GLORIAM, ut æternæ suæ gloriæ participes faceret; hìc enim vocationis nostræ et omnium gratiarum quas in hâc peregrinatione largitur, est finis. IN CHRISTO JESU, per Christi Filii sui merita; ex hoc enim meritorum fonte fluunt omnes gratiæ quas Pater nobis confert à primâ vocatione usque ad ultimum æternæ gloriæ præmium. MODICUM PASSOS, modico tempore et leves tribulationes, si cum duratione et dignitate præmii comparentur : *Non* enim *sunt condignæ passiones hujus temporis*, etc., ad Rom. 8, v. 18; et : *Quod in præsenti momentaneum et leve est tribulationis nostræ*, etc., 2 ad Cor. 4, v. 17. IPSE PERFICIET, usque ad summum ædificii spiritualis fastigium, quod est vitæ æternæ corona. Græcè, *ipse compaginabit*, sicuti ædificii partes in unam compagem construi solent : unde hoc idem verbum interpres vertit *instruere*, ad Galat. 6, v. 1. CONFIRMABIT, sicut ædificia jam perfecta anchoris aut novis columnis et fulcris firmantur, ut aeris tempestates et ventos diutiùs ferre possint; SOLIDABITQUE, Græcè, *roborabit*. Græcus adjicit etiam quartum verbum, *fundabit*. Quæ omnia sunt verba mecanica, ab ædificio corporali translata ad spirituale ædificium quod Deus inchoat in hâc mortali vitâ, perficit verò, consummat et omnibus suis demùm partibus compaginat in futurâ vitâ, gloriæ culmen imponendo, et sic confirmando, solidando, et fundando suos electos, ut ab illo felicissimo statu nunquàm decidere possint. In Græco hodiè verba illa sunt alterius modi et temporis, *perficiat, confirmet, solidet, fundet*, quibus optat tantùm sic fieri, non certo futurum dicit; quanquàm hæc certissimò eventura sint in electis, ad quos solos aut præcipuè apostoli exhortationes et sermones suos dirigere solent.

VERS. 11. — IPSI GLORIA, ab omnibus debetur pro æternâ illâ gloriâ, et cæteris gratuitis donis ad quæ electos suos vocat; ET IMPERIUM, potestas ab omnibus creaturis agnoscenda, quâ omnia potest et *operatur secundùm consilium voluntatis suæ*, ad Ephes. 1, v. 11. IN SECULA SECULORUM. AMEN, in omnem æternitatem. Vide eamdem sententiam supra, cap. 4, v. 11. Sancti autem qui omnes actiones suas et omnia in Dei gloriam perpetuò referre solent, sæpè in tales apertas Dei laudes et glorificationem ex abundantiâ cordis ebulliunt.

VERS. 12. — PER SILVANUM, Epistolæ hujus latorem, non autem scriptorem, ut quidam existimant. Exprimit Epistolæ tabellarium, quia eo tempore pseudo-apostoli quidam falsis epistolis, quasi à veris apostolis missæ essent, solebant interdùm fideles decipere, ut patet ex 2 Thess. 2, v. 2, et alibi. Hìc autem Epistolæ hujulus putatur esse Silas Hebræis dictus, Latinis et Græcis Silvanus, quem socium evangelicæ prædicationis in locum Barnabæ assumpsit Paulus, Act. 15, v. 40. FIDELEM FRATREM VOBIS, quia non tantùm christianus, sed etiam Judæus natione erat, sicut isti ad quos Petrus scribit. Magnus autem inter discipulos Domini erat iste Silas : unde numeratur inter *viros primos in fratribus*, Act. 15, v. 22, et in principio duarum Epistolarum ad Thess. sub nomine Silvani ponitur à S. Paulo ante Timotheum. UT ARBITROR, BREVITER SCRIPSI, non aliam quamdam Epistolam, ut quidam malè interpretantur, sed hanc ipsam : quod ut Syrus indicaret, vertit : *Hæc pauca scripsi*. Græcè autem, *perpauca scripsi*; nec enim verbis valdè prolixa est hæc Epistola, et amantibus breves videntur amicorum, de rebus præsertim magnis et jucundis, epistolæ : unde fortasse addit : *Ut arbitror*, quia ex eorum ferè affectu brevitas vel prolixitas æstimanda erat. Licèt autem brevis sit verbis, sententiis tamen diffusa est, mirabiliterque præclara, inquit Carthusianus. OBSECRANS, ut servetis ea quæ vobis scripsi. Sæpiùs autem filios et subditos suos precibus molliter trahit, quàm duris imperiis urget apostolorum princeps : *Charissimi, obsecro vos*, etc., 1 Pet. 2, v. 11; *Obsecro consenior*, etc., 1 Pet. 5, v. 10. ET CONTESTANS, et unà testificans vobis tanquàm apostolus Christi, Magistro olim familiarissimus, et scientiâ fidei ac rerum divinarum abundè instructus, cui proinde meritò credere debetis, HANC ESSE VERAM, quidquid fortè quidam pseudo-apostoli aliud vobis garriant, GRATIAM DEI, gratiam istam fidei christianæ quam prædicatione meâ, aut aliorum apostolorum suscepistis, adeò ut : *Licèt angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam*, etc., ad Galat. 1, v. 8. IN QUA STATIS; in quâ gratiâ hactenùs plerique vestrùm, licèt multis pulsati tentationibus, firmiter permanetis.

VERS. 13. — SALUTAT VOS ECCLESIA, salutem temporalem et æternam vobis optat ecclesia Christianorum, QUÆ EST IN BABYLONE, in urbe Româ,

quam figuraliter Babylonem vocat, ait S. Hieronymus : בבל, *Babel* enim Hebraicè *confusionem* significat; Romæ verò eo tempore maxima omnium religionum et errorum confusio erat : et : *Cùm omnibus dominaretur gentibus, omnium tamen gentium serviebat erroribus*, inquit idem Hieronymus. Unde Cornelius Tacitus, historicus gentilis, indignans religionem christianam sub Nerone in Urbem introisse : « Exitialis superstitio, inquit, rursùs erumpebat, non modò per Judæam, originem hujus mali, sed per Urbem etiam, sub principe Nerone, quòd cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque, » lib. 15 Annalium. Sicut etiam Babylon olim monarchiæ Orientis caput fuit, ita postea Roma caput Occidentis : unde à Romulo *condita est Roma velut altera Babylon, et veluti pricris filia Babylonis*, ait S. Aug., lib. 18, cap. 22, de Civit. Multas quoque inter veterem Babylonem et Romam similitudines enumerat Orosius : « Similis ortus, inquit, similis potentia, similis magnitudo, similia tempora, similia bona, similia mala : » notatque quòd sicut Babylon post annos 1164 eversa est, ita Roma anno Urbis conditæ 1164, ab Alarico Gothorum rege capta et excisa fuit. Denique sicut olim Judæi in medio Babylonis sub Nabuchodonozore captivi inter idololatras degebant, ita pœna Ecclesia Christi, inquit Thomas Anglicus, in medio infidelitatis Romanæ Urbis, tempore S. Petri fulgebat. Noluit autem Petrus nomen Romanæ Urbis exprimere, quia nolebat ab infidelibus sciri ubinam moraretur, si fortè Epistola ejus in manibus ipsorum venisset : vel etiam, ut suspicatur Baronius, fortassè metuebat ne Claudius Cæsar eum redderet amico suo Herodi Agrippæ, ex cujus vinculis Petrus ab angelo ereptus evaserat, Act. 11, v. 11. Calvinus verò et sectarii passim negant hùc per Babylonem intelligi Romam, sed Babylonem Chaldaicam, ne S. Petrum sedisse Romæ, et Romanum Pontificem ejus esse successorem admittere cogantur, refellitque Calvinus nominatim Eusebium et S. Hieronymum qui hoc affirmant : argumentum autem Calvini est quòd S. Petrus Jerosolymis adhuc erat in concilio apostolorum, Act. 15, v. 7, quod existimatur celebratum fuisse anno Christi 51, qui fuisset S. Petri in Sede Romanâ annus septimus : sed Petrus potuit Româ Jerosolymam venisse, et iterùm Romam redivisse, ut ex S. Hieronymo ad Galat. 2, v. 9, notavimus. COELECTA, simul vobiscum ad fidei et vitæ æternæ gratiam electa. Beda et pleraque vetusta exemplaria legunt *collecta* : sed malè, ut ex Græco patet. ET MARCUS, evangelista, non autem Joannes Marcus consobrinus Barnabæ, de quo mentio Act. 12, v. 12 ; Act. 15, v. 39, et alibi. Erat ergo Marcus evangelista tunc Romæ cum Petro, ubi rogatus à Cæsarianis equitibus, ut narrat Clemens Alexandrinus, Latinè scribebat suum Evangelium, paulò antequàm missus à S. Petro abiret ad regendam Ecclesiam Alexandrinam anno Christi 45, Claudii imperatoris 3, S. Petri in Sede Romanâ 1, juxta calculum Baronii. FILIUS MEUS, in Christo per Evangelium à me genitus. Unde non videtur S. Marcus fuisse unus ex *septuaginta* duobus discipulis Christi, licèt hoc tradat S. Epiphanius, dicatque eum fuisse è numero discipulorum qui scandalizati sunt propter illa verba Christi : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, etc., Joan. 6, v. 54 ; idcòque discessisse à Christo, sed reductum fuisse à S. Petro. Incertum etiam est, quod sine auctore scribit Nicephorus, Marcum fuisse S. Petri ex sorore nepotem : imò quidam etiam dixerunt, ut narrat Œcumenius, fuisse filium S. Petri secundùm carnem, colligentes hoc ex Act. 12, v. 12. Sed dupliciter falluntur, quia nec Maria illa, de quâ ibi fit mentio, fuit uxor S. Petri, nec filius ejus Joannes Marcus est Marcus evangelista, ut paulò ante dixi. S. Augustinus vocat Marcum Matthæi in Evangelio abbreviatorem, quia breviùs complexus est plurima quæ magis diffusè Matthæus : aliqua tamen prout à S. Petro audiverat, *sicut trinam Petri negationem*, prolixiùs narrat *quàm* Matthæus.

VERS. 14. — SALUTATE INVICEM. Vox Græca propriè significat salutationem cum amplexu. IN OSCULO SANCTO, cum osculo inter amplexandum sancti et casti amoris indice : unde Græcè, *in osculo charitatis ;* solent enim olim Christiani invicem salutantes se complecti et osculari, ut ad Rom. ult., v. 16, et alibi notavimus. GRATIA VOBIS OMNIBUS. A gratiâ cœpit Epistolam, in gratiâ consummavit, mediam gratiâ respersit, ut errorem Pelagianum omni locutionis suæ parte damnaret, ait Beda, et Ecclesiam Christi non nisi per ejus gratiam salvari posse doceret. Græcè tamen : *Pax vobis omnibus*, sed pax nostra non est aliud quàm gratia, quâ Deo reconciliamur, et quâ benè operando pacem cum eo servamus. QUI ESTIS IN CHRISTO JESU, qui in unum Christi corpus mysticum per fidem, spem, et charitatem, estis coadunati. Notat Beda quòd, licèt scribat nominatim Ecclesiis Ponti, Galatiæ, etc., significet etiam se omnibus omninò Christianis toto orbe dispersis scribere.

IN EPISTOLAM CATHOLICAM II
B. PETRI APOSTOLI
Præfatio.

Hanc secundam Epistolam in fine vitæ suæ, ut colligitur ex cap. 1, v. 14, et ad eosdem scripsit S. Petrus, ad quos primam, ut patet ex cap. 3, v. 1. Verisimile ergo est scriptam esse Romæ, et ex ultimo

carcere, unde eductus est ad crucem ; ut non immeritò Baronius eam reponat in annum Christi 68, qui erat imperatoris Neronis 12, S. Petri in Romanâ Sede 24.

Hâc Epistolâ confirmat suos Judæos, ne seduci se patiantur à carnalibus quibusdam pseudo-apostolis et hæreticis, quales erant discipuli Simonis Magi, et Nicolaitæ. Nulla enim est via per quam plures Christi oves seducuntur, et ad inferos molliter descendunt, quàm lata et laxa via carnalium voluptatum : unde supremus vicarius Christi et gregis universi pastor Ecclesiam moriens hujus periculi admonere voluit, et hoc quasi testamentum ei relinquere, cùm per revelationem accepisset sibi instare vitæ finem.

Hujus epistolæ argumentum et sententias imitatur S. Judas in suâ canonicâ. Unde apparet eos falli qui existimant Simonem et Judam martyrio affectos esse ante Petrum et Paulum.

Olim in Ecclesiâ disputatum est an esset Epistola S. Petri genuina : sed plures S. Patres, et vetera concilia, ac novissimè Trid. eam in sacræ et canonicæ Scripturæ partem receperunt : et Calvinus ipse fatetur eam nihil continere Petro indignum, sed unum spiritûs apostolici vigorem et gratiam ubique exprimi. Imò tot mysteria continet, inquit Fevardentius, quot verba. Et certè si non esset S. Petri, fuit (quod nemo dixerit) insignis alicujus impostoris, qui mentitur et S. Petri nomen in principio, et dicit se transfigurationi Christi interfuisse, cap. 1, v. 16, et S. Paulum vocat charissimum suum fratrem, cap. 3, v. 15.

Colligebant aliqui non esse S. Petri propter discrepantiam styli hujus Epistolæ à priori ; sed S. Hier. hoc diversitati interpretis attribuit, quasi S. Petrus linguâ Syriacâ, sibi magis familiari et vernaculâ, sensus animi sui expresserit ; aliquis verò discipulorum ejus Græco idiomate verterit, ut ejus fortè intelligentia ad plures perveniret. Quidam existimant S. Marcum 1 Epistolæ, Glauciam autem, alium S. Petri discipulum, cujus meminit Clemens Alexandrinus, hujus Epistolæ Græcum interpretem fuisse.

IN EPISTOLAM CATHOLICAM II
B. PETRI APOSTOLI
COMMENTARIA.

CAPUT PRIMUM.

1. Simon Petrus, servus et apostolus Jesu Christi, iis qui cœqualem nobiscum sortiti sunt fidem in justitiâ Dei nostri et Salvatoris Jesu Christi :

2. Gratia vobis et pax adimpleatur in cognitione Dei, et Christi Jesu Domini nostri;

3. Quomodò omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam et pietatem donata sunt, per cognitionem ejus qui vocavit nos propriâ glorià et virtute,

4. Per quam maxima et pretiosa nobis promissa donavit ; ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.

5. Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestrâ virtutem, in virtute autem scientiam,

6. In scientiâ autem abstinentiam, in abstinentiâ autem patientiam, in patientiâ autem pietatem,

7. In pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.

8. Hæc enim si vobiscum adsint et superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione.

9. Cui enim non præstò sunt hæc, cæcus est, et manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.

10. Quapropter fratres magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem fa-

CHAPITRE PREMIER.

1. Simon Pierre, serviteur et apôtre de Jésus-Christ, à ceux qui sont comme nous participants du précieux don de la foi par la justice de notre Dieu et Sauveur Jésus-Christ :

2. Que la grâce et la paix croissent en vous de plus en plus, par la connaissance de Dieu et de Jésus-Christ notre Seigneur.

3. Comme sa puissance divine nous a donné toutes les choses qui regardent la vie et la piété, en nous faisant connaître celui qui nous a appelés par sa propre gloire et par sa propre vertu,

4. Et nous a ainsi communiqué les grandes et précieuses grâces qu'il avait promises, pour vous rendre par ces mêmes grâces participants de la nature divine, si vous fuyez la corruption de la concupiscence qui règne dans le siècle par le déréglement des passions ;

5. Apportez aussi de votre part tout votre soin pour joindre à votre foi, la vertu; à la vertu, la science ;

6. A la science, la tempérance; à la tempérance, la patience ; à la patience, la piété ;

7. A la piété l'amour de vos frères; et à l'amour de vos frères, la charité.

8. Car si ces grâces se trouvent en vous, et qu'elles y croissent de plus en plus, elles feront que la connaissance que vous avez de Notre Seigneur Jésus-Christ ne sera point stérile et infructueuse.

9. Mais celui en qui elles ne sont point, est un aveugle qui marche à tâtons : il ne se souvient pas de quelle sorte il a été purifié des péchés de sa vie passée.

10. Efforcez-vous donc de plus en plus, mes frères, d'affermir votre vocation et votre élection par les

ciatis ; hæc enim facientes, non peccabitis aliquandò.

11. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi.

12. Propter quod incipiam vos semper commonere de his ; et quidem scientes et confirmatos vos in præsenti veritate.

13. Justum autem arbitror, quamdiù sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione :

14. Certus quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi.

15. Dabo autem operam et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.

16. Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam; sed speculatores facti illius magnitudinis.

17. Accipiens enim à Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsâ ad eum hujusmodi à magnificâ gloriâ : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui ; ipsum audite.

18. Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto.

19. Et habemus firmiorem propheticum sermonem ; cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies clucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris :

20. Hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit.

21. Non enim voluntate humanâ allata est aliquando prophetia ; sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.

bonnes œuvres; car agissant de cette sorte, vous ne pécherez jamais;

11. Et par ce moyen Dieu vous donnera une entrée favorable au royaume éternel de notre Seigneur et Sauveur Jésus-Christ.

12. C'est pourquoi j'aurai toujours soin de vous faire ressouvenir de ces choses, quoique vous soyez déjà instruits et confirmés dans la vérité dont je vous parle,

13. Croyant qu'il est bien juste que, pendant que je suis dans cette tente, je vous réveille, en vous en renouvelant le souvenir.

14. Car je sais que dans peu de temps je dois quitter cette tente, comme Notre-Seigneur Jésus-Christ me l'a fait connaître.

15. Mais j'aurai soin que, même après ma mort, vous puissiez toujours vous remettre ces choses en mémoire.

16. Au reste, ce n'est point en suivant des fables et des fictions ingénieuses que nous avons fait connaître la puissance et l'avénement de Notre-Seigneur Jésus-Christ ; mais c'est après avoir été nous-mêmes les spectateurs de sa majesté.

17. Car il reçut de Dieu le Père un glorieux témoignage d'honneur, lorsque, de cette nuée où la gloire de Dieu paraissait avec tant d'éclat, on entendit cette voix : Voici mon Fils bien-aimé, dans lequel j'ai mis toute mon affection ; écoutez-le.

18. Et nous entendîmes nous-mêmes cette voix qui venait du ciel, lorsque nous étions avec lui sur la sainte montagne.

19. Mais nous avons les oracles des prophètes, dont la certitude est plus affermie, auxquels vous faites bien de vous arrêter, comme à une lampe qui luit dans un lieu obscur, jusqu'à ce que le jour commence à paraître et que l'étoile du matin se lève dans vos cœurs,

20. Étant persuadés avant toutes choses que nulle prophétie de l'Écriture ne s'explique par une interprétation particulière.

21. Car ce n'est point par la volonté des hommes que les prophéties nous ont été anciennement apportées, mais c'est par le mouvement du Saint-Esprit que les saints hommes de Dieu ont parlé.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Simon Petrus. Primum nomen est circumcisionis, alterum impositum à Christo, Joan. 1, v. 42, quia super eum tanquàm super petram ædificaturus erat Ecclesiam suam, Matth. 16, v. 18. *Petrus* Syriacè dictus *Cephas* à ceph, id est, petrâ. Simonis nomen non Hebræis tantùm, sed Græcis et Latinis notum fuit. Latini et Græci tamen videntur à similitate nasi derivâsse ; sicut Romani Labeonem à labiorum crassitudine. Unde miro et occulto naturæ consensu delphini, qui rostrum simum habent, Simonis nomine ita delectari scribit Plinius, lib. 9, cap. 8, ut si quis è littore maris, ubi habitant delphini, Simonem inclamet, statim è profundo exiliant et ludibundi adnatent littori. Servus, in ministerio evangelico ; nec simplex tantùm et vulgaris servus, sed et apostolus Jesu Christi, quales in munere evangelico sunt omnium primi : *Quosdam* enim *posuit Deus in Ecclesiâ, primò apostolos, secundò prophetas*, etc., 1 ad Cor. 12, v. 28. Apostoli et prophetæ nomina sua libris aut epistolis suis præfigere solent, non ad vanitatem, sed ad fidelium securitatem, ut auctores scirent; quia hæretici et pseudo-prophetæ eos adulterinis suis scriptis sæpè fallebant. Omittit tamen Petrus suum inter apostolos principatum, ne jactare videretur ; quamvis Christus eum et sui amoris et suæ auctoritatis vicarium reliquisset, et ecclesiasticæ potestatis plenitudinem super Ecclesiam universalem tribuisset, inquit Carthus. Unde S. Prosper in carmine de Ingratis :

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.

Iis qui coæqualem ; Græcè, *æquè pretiosam*, ut Arias et Erasmus vertunt. Nobiscum, apostolis, et primi meriti in Ecclesiâ viris. Unde omnes, præsertim pastores inferiores apostolis, excitat ut ad prædicationem evangelicam æquale studium et zelum afferant cum apostolis, quibuscum fide sunt æquales, ait Œcumenius. Sortiti sunt, gratis et sine meritis suis, sicut obtingunt ea quæ per sortem obveniunt, fidem, non Mosaicam, ut quidam interpretantur, sed christianam : scribit enim quidem ad Judæos dispersionis Ponti, Galatiæ, etc., sed qui christiani facti erant. Vocat autem fidem omnium Christianorum æqualem, et æquè pretiosam, quantum ad fidei objectum et mysteria, quæ eadem ab omnibus creduntur : deinde, quia fides in omnibus electis est fundamentum ejusdem beatitudinis objectivæ, quæ res pretiosissima et

Deus ipse est. In justitia Dei nostri ; per justitiam quam habemus à Deo Patre nostro. Justitiam operum intelligit, inter quæ fides, quâ Evangelio credimus, est prima. De quâ justitiâ loquitur Christus : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm scribarum*, etc., Matth. 5, v. 20. Unde S. Prosper, lib. 1, c. 23, de Vocat. gent., ex hoc loco probat fidem esse donum Dei, quia eam sortimur non per merita et justitiam nostram, sed per justitiam quæ est Dei ut causæ efficientis assensum fidei, et bona opera sequentia fidem in nobis per gratiam suam operantis. Et Salvatoris Jesu Christi, tanquàm causæ meritoriæ omnis gratiæ nostræ apud Patrem.

Vers. 2. — Gratia vobis, omne donum Dei gratuitum supernaturale, tam habituale quàm actuale, et pax, quam cum Deo, hominibus, et quisque secum habere debet, adimpleatur ; crescat et augeatur in dies. Apostolicæ Epistolæ apprecationem gratiæ in principio et fine ascribere solent, quia in gratiâ Christi Salvatoris omne bonum hujus vitæ, et semen æternæ ad quam conditi sumus, continetur. In cognitione Dei, per fidem, quâ Deus in hâc vitâ cognoscitur, et quæ omnis gratiæ supernaturalis est fundamentum. Cajetanus cognitionem Dei interpretatur Dei visionem in æternâ vitâ, quæ est ultimum complementum gratiæ et donorum præsentis vitæ : sed verius est intelligi cognitionem hujus vitæ per fidem, quia in fine Epistolæ, ubi S. Petrus apprecationem repetit : *Crescite*, inquit, *in gratiâ et in cognitione Domini*, etc., ubi apertè fidei incrementum intelligitur : deinde Græcum verbum quod interpres *adimpleatur* hìc vertit, potiùs incrementum et multiplicationem quàm ultimum complementum et consummationem significat : unde idem verbum antea vertit *multiplicetur*, 1 Pet. 1, v. 2. Et Christi Jesu, tanquàm hominis : omnes enim capitales fidei christianæ articuli aut de Deo aut de Christo homine sunt. Domini nostri, non tantùm per creationem, quatenùs Deus est, sed etiam per redemptionem ex alienâ servitute : pretio sui sanguinis quatenùs homo est.

Vers. 3. — Quomodo omnia nobis. Post solemnem apprecationem gratiæ et pacis, ad Epistolæ exordium et doctrinam accedit, ut Œcumenius rectè distinguit : quanquàm S. Prosper et Beda hæc verba annectant versui superiori, etiam non malè. Divinæ virtutis suæ ; sicuti, inquit, omnia divinæ suæ omnipotentiæ munera, quæ ad vitam, ad gloriam vitæ æternæ, et pietatem, et ad gratiam quâ colitur Deus in hâc vitâ, donata sunt, à Deo Patre. S. Prosper, cap. 29, contra Collatorem, legit activâ significatione *donavit*, et totum locum sic vertit : *Quomodò omnia nobis divinâ virtute suâ, quæ ad vitam et pietatem pertinent, donavit* : quod ad lectionem Græcam propiùs accedit. Per cognitionem ejus, per fidem in Christum ; hæc enim fidei cognitio est principium et primum semen nostræ salutis, ex quo cæteræ omnes gratiæ germinant, et catenatim sequuntur. Qui vocavit nos, ad gratiam et gloriam, propria gloria ; Græcè, *per propriam gloriam*, per gloriosum suum descensum de cœlis ; non enim archangelum misit, inquit Beda, sed ipsemet gloriosus Dei Filius per incarnationem ad nos venit, ut ad beatitudinem æternam vocaret. Et virtute ; Græcè, *et per virtutem*, per virtutes suas, quibus verbo et exemplo discipulos suos, et in ipsis totam Ecclesiam instruxit : *Discite à me quia mitis sum et humilis corde*, etc. *Virtus* enim hìc sumitur ut solet à philosophis moralibus et ut distinguitur à vitio ; quomodò solùm quater accipitur in toto novo Testamento : nempe hoc capite bis, deinde 1 Pet. 2, v. 9, denique ad Phil. 4, v. 8, alibi verò ubique *virtus* significat vim ac potentiam, quæ Græcè dicitur δύναμις, cùm virtus moralis ἀρετὴ appelletur.

Vers. 4. — Per quem, Filium Christum, idcircò prædestinatum et missum in hunc mundum. Maxima et pretiosa ; quid enim majus et pretiosius glorià æternâ futuræ vitæ, et gratiâ præsentis viæ, quâ in filios Dei adoptamur, et ad gloriam æternam perducimur ? Nobis promissa, quæ in Scripturis sacris ab eo promissa, donavit, æterno suo decreto ex meritis passionis dilecti Filii sui prævisis. *Elegit* enim *nos et gratificavit in dilecto Filio suo*, ad Ephes. 1, v. 4 et 6. Ut per hæc, maxima et pretiosa dona efficiamini, non tantùm nos apostoli, sed etiam vos quicumque inter Christianos etiam ordinis infimi, divinæ consortes naturæ, per gratiam sanctificantem, quâ anima hominis justi fit deiformis, ut loquitur S. Dionysius ; licèt enim gratia sanctificans sit quoddam accidens creatum supernaturale, est tamen altissima participatio divinæ naturæ : unde S. Th. 1-2, quæst. 110, art. 4, ponit eam non in aliquâ potentiâ, sed immediatè in ipsâ essentiâ et substantiâ animæ, ut sit quasi altera anima supernaturalis, et divinæ cujusdam conditionis ac naturæ à quâ habitus supernaturales in potentias naturales animæ profluant, sicut ipsæ potentiæ naturales à naturali substantiâ animæ promanant. Vocatur etiam gratia adoptionis, quia per eam homo justus adoptatur in filium Dei consortem divinæ naturæ sui Patris, cui proinde hæreditas debetur ex ipso jure adoptionis, inquit S. Thom. 1-2, quæst. 114, art. 3. Appellatur quoque gratia gratum faciens, quia per eam anima grata et amabilis redditur Deo, *hinc ei placens, quòd ex ejus pulchritudine acceperit*, ait S. Augustinus, lib. 10, cap. 6, de Civit. Dei. Imò multi theologi docent tam sublimem esse istius gratiæ, licèt creatam, pulchritudinem, ut si per impossibile Deus non esset ubique, sanctissima tamen Trinitas in animam illam descenderet, et se ei non solùm affectu, sed etiam substantialiter conjungeret ; sicque explicant illud : *Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*, Joan. 14, v. 23 ; unde meritò anima justi dicitur esse templum Dei et Spiritûs sancti : *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis*, 1 ad Cor. 3, v. 16. Multi tamen docent hanc gratiam sanctificantem non distingui reipsà ab habitu charitatis, quia officium amoris est amantem in rem amatam quodammodò transformare, et ejusdem naturæ consortem efficere ; unde : *Qui* casto amore *adhæret Domino unus spiritus est*,

1 ad Cor. 6, v. 17. Hinc Christus Patrem orat ut discipuli et electi ejus per illam amoris agglutinationem : *Sicut tu, Pater, in me, et ego in te, et ipsi in nobis unum sint*, Joan. 17, v. 21. Hæc autem unitas, similitudo, et deiformitas, ultimum suum complementum accipiet demùm in alterâ vitâ : *Cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*, Joan. 3, v. 2. Quia enim proprium Deo est videre connaturaliter seipsum sicuti est, nec ulla natura creata tam excellens creari potest quæ hoc possit; oportet ut ex supernaturali consortio divinæ naturæ facultatem videndi habeamus, inquit subtiliter Cajetanus. FUGIENTES EJUS QUÆ IN MUNDO EST. In hominibus amatoribus mundi; sicut enim domus metonymicè pro inhabitantibus accipi solet, ita mundus pro mundi incolis, et præsertim pro iis qui mundo impuris amoribus affixi sunt; ideòque mundani appellantur : *Mundus eum non cognovit*, Joan. 1, v. 10, etc. CONCUPISCENTIÆ CORRUPTIONEM, carnalis concupiscentiæ, quæ in voluptatibus gulæ, et venereis præcipuè versatur, quibus omnis virtus et decor animæ corrumpitur; in his enim voluptatibus perditissimi erant, aliosque perdebant eo tempore Nicolaitæ, et Simonis Magi discipuli. Dixit *fugientes*, quia cum voluptatibus carnalibus non est cominùs pugnandum, sed eminùs, seu fugiendo potiùs quàm aggrediendo; sunt enim blandissimæ dominæ, ut eas vocat Cicero, et vincent ac vincient quisquis eis se conjunxerit : Unde apostolus alter non dicit : *Dimicate adversùs fornicationes*, sed *Fugite fornicationem*, 1 ad Cor. 6, v. 18; nec in Græco est *fugientes*, præsentis temporis, sed *postquàm effugeritis*, quia tunc perfectè, quantùm fieri potest et solet in hâc vitâ, divinæ consortes naturæ efficimur, quando à corruptione concupiscentiæ et voluptatibus carnalibus alienati, et iis mortui sumus, habitatque et vivit in nobis Spiritus Dei vivi, nosque vicissim in ipso supra creatam nostram essentiam vivimus, ait sublimis et pius contemplator Joannes Rusbrochius, cap. 13, de verâ Contemplatione, et ab ipso vitales gratiæ aquæ scaturiunt, et flumina multiplicium donorum in spiritum nostrum manant. Ibi anima supra seipsam erecta vivit in oblivione et contemptu rerum omnium, quæ divino amori impedimentum afferre possunt.

VERS. 5. — VOS AUTEM CURAM OMNEM; quomodò omnia quæ ad vitam et pietatem à Deo donata sunt nobis, ut v. 3 dixi, ita vos vicissim omnem sollicitudinem, id est, perfectam et valdè diligentem : *Qui enim mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis*, Proverb. 18, v. 9. SUBINFERENTES, gratiæ Dei cooperationem vestram studiosè miscendo et substernendo. Græcè, paulò aliter : *Et hoc ipsum autem* (vel clariùs : *Et in hoc ipsum autem*, ut Œcumenius legit); STUDIUM OMNE ADINFERENTES, nempe ne pigri et desides gratiæ Dei cooperatores simus; licèt enim gratia ipsa operetur in nobis ut ei cooperemur, vult tamen Deus ut cooperationis nostræ admoneamur, sicut vult agricolam plantare et rigare arbusta ut ipse det intrinsecùs incrementum, licèt sine ullâ agriculturâ posset ea creare : *Sicut etiam non est ideò ab oratione cessandum pro iis quos corrigi volumus, etiamsi nullo hominum orante pro Petro Dominus respexit eum, et fecit peccatum suum flere*, ait S. Augustinus, de Correptione, cap. 5. Communi enim ejus providentiâ per orationes, correptiones, admonitiones, etc., quæ sunt gratiæ quædam generales externæ, vult gratias particulares internas inserere etiamsi interdùm aliter operetur. *Quare autem isti sic, illi aliter, et innumerabilibus modis vocentur ut reformentur, absit ut dicamus judicium Dei luti esse debere*, ait loco citato S. Augustinus, *sed figuli*. MINISTRATE; Græcè, *subministrate*, adjiciendo et suggerendo prævenienti gratiæ Dei, sicuti pedissequæ solent dominæ suæ subministrare; IN FIDE VESTRA, cum fide vestrâ, seu ad fidem vestram, ne sola sit et otiosa, imò mortua; nam *Fides sine operibus mortua est*, Jacob. 2, v. ult. VIRTUTEM; subministrate, inquam, et addite virtutes morales, quas statim eleganti gradatione catenation recensebit; *virtus* enim hìc iterùm non pro potentiâ et fortitudine, sed pro bonâ conversatione et virtute morali accipitur, ut rectè notat Beda. Ponit autem fidem ante virtutes morales, quia nulla virtus vera et undique bona est, quæ ad finem ultimum, qui Deus est, actu aut virtualiter non refertur; licèt ipsa ex proximo fine bona sit, et donum Dei, ut docet S. Augustinus, lib. 4, cap. 3, contra Julianum. Unde ridet Julianum qui Fabricios, Regulos, Fabios, Scipiones, Camillos, aliosque Romanos gentiles laudaverat tanquàm veris virtutibus præditos, etsi solùm *steriliter bonos*, ut loquebatur Julianus; hoc enim homines illi sine fide peccabant, inquit Augustinus, *quod non ad eum finem ista opera retulerunt, ad quem referre debuerunt : qui* autem *non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc est, ejus quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis operibus velut membris constat, tenebrosum est, hoc est*, inquit, *plenum nigredine peccatorum;* in hunc sensum exponens illud : *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tenebrosum erit*, Matth. 6, v. 23; oculus enim, inquit, est intentio dirigens opus morale virtutis ad scopum quo oportet, hoc est ad Deum : ut enim veræ et perfectæ sint virtutes, Creatori debent servire : *Sine amore* enim *Creatoris, nullus benè utitur creaturis*, ait ibidem Augustinus. IN VIRTUTE SCIENTIAM; Græcè, *cognitionem :* Cum virtutibus moralibus subministrate et adjungite prudentiæ scientiam, et cognitionem quæ considerat omnes circumstantias, et circumspicit quà, quomodò, quando incedere oporteat in humanâ conversatione et exercitio virtutum moralium. Unde prudentia dicitur auriga virtutum, sine quâ nulla virtus moralis esse potest.

VERS. 6. — IN SCIENTIA AUTEM ABSTINENTIAM; Græcè, *continentiam*. Cum scientiâ et cognitione prudentiæ adjungit voluptatum carnalium continentiam et abstinentiam, quia illæ omnium vitiorum maximè corrumpunt prudentiæ judicium. Unde de voluptate carnali viri prudentes dicere debent, quod proceres Trojani de Helenâ apud Homerum, inquit Aristoteles, lib. 2, cap. 9, Ethic. : « Quamvis formosa et lepida sit, optimum est eâ carere, et eam à nobis ablegare; » veris-

simum enim est illud Sapientis : *Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes*, Ecclesiast. 19, v. 2. In abstinentia autem patientiam. Cum abstinentiâ conjungite rerum adversarum et molestarum tolerantiam, sine quâ virtute abstinentia voluptatum diù durare non potest ; qui enim molestiarum hujus vitæ impatientes sunt, facillimè ad voluptatum carnalium solatia dilabuntur. Hinc Epicteti philosophi dictum erat : Ἀνέχου καὶ ἀπέχου, id est, patere et abstine : quæ duo verba si homines observarent, inquiebat Epictetus, impeccabiles essent, vitamque tranquillissimam agerent ; quid enim illo homine tranquillius qui inter dura et mollia immotus manet, nec patientia ejus frangitur doloribus, nec abstinentia solvitur voluptatibus? In patientia autem pietatem : cum patientiâ associate pietatem in Deum, ne patientia vestra sit similis philosophorum, qui multa sæpè dura, sed ob vanam *gloriam*, aut *alium finem humanum* patiuntur : vos verò omnia quæ patimini, per pietatem quâ colitur Deus, referte in ipsum tanquàm finem ; sic enim verâ et rectâ pietate coletis Deum ; dilectio enim Dei. *Est Dei cultus, est vera religio, est recta pietas, hæc tantùm Deo debita servitus*, ait S. Aug., lib. 10, cap. 4, de Civ. Dei. Beda, quem multi sequuntur, intelligit hìc *pietatem* fraternam erga eos à quibus patimur ; sed vox Græca propriè pietatem in Deum significat ; et pietas illa fraterna est amor fraternus, qui mox subsequitur.

Vers. 7. — In pietatè autem amorem fraternitatis : cum pietate et amore erga Deum conjungite amorem fraternum erga fratres, præcipuè Christianos ; quidam enim magnam exteriùs speciem pietatis in Deum præferunt : qui sicut in seipsos duri sunt, ita in fratres rigorosi, nec satis compassivi et succurrentes, ait Carthusianus. Verus autem amor fraternus considerat quid maximè conducat ad spirituale bonum fratrum, et totâ intentione procurat, ut quos docendo vel redarguendo nequit, orando vel benefaciendo ad affectum pietatis convertat, ait Beda. In amore autem fraternitatis charitatem : cum amore fraterno charitatem erga Deum jungite, quâ fratres *parè propter Deum tanquàm vos ipsos diligatis* ; nam sunt quidam qui diligunt fratres, et eis blandiuntur, non propter Deum, imò non propter fratres ipsos, sed propter semetipsos ; sicuti solent ambitiosi, qui prælaturas et officia captant inter fratres, inquit Catharinus. Amori proximi charitas Dei meritò adjungitur, inquit Beda, quia nec Deus sine proximo, nec proximus sine Deo perfectè amari potest. Amor tamen Dei excellentior est amore proximi, quia proximum sicut nos, Deum supra nos, ex toto corde, totâ animâ, totâ virtute, diligere jubemur. Consuetudine tamen amoris fraterni, ait Beda, oportet nos ad amorem conditoris ascendere, et sic interpretatur illud : *Qui non diligit fratrem quem videt, Deum, quem non videt, quomodò potest diligere?* 1 Joan. 4, v. 20 Notanda gradatio et ascensus virtutum per octo gradus quasi scalæ, aut ædificii spiritualis cujus fundamentum est fides, fastigium et supremum complementum charitas, cætera intermedia sunt quasi parietes, inquit Th. Anglicus.

Vers. 8. — Hæc enim, hæ virtutes gradatim jam enumeratæ, si vobiscum adsint ; Græcè, *vobis cùm adsint* : unde Erasmus, Gagnæus, Estius, et alii putant interpretem nostrum sic vertisse, sed scribæ alicujus oscitantiâ vocem illam *vobiscum* ex duabus, additâ insuper particulâ *si*, conflatam fuisse. Et superent ; Græcè, *et abundent*, supra mensuram vulgarem : unde *superent* hìc non est verbum activum, ut inadvertenter accepit Beda, sed neutrum. Si igitur, inquit, non tantùm simpliciter et tenuiter illæ virtutes vobis adsint, sicut adsunt *animalibus* et *imperfectis* Christianis, qui istas virtutes multis imperfectionibus involutas possident ; sed abundè et excellenter, sicut Christiani spirituales et perfecti eas habere solent. Non vacuos ; Græcè, *non pigros*, sicut eamdem vocem vertit interpres, ad Tit. 1, v. 12. *Qui enim virtutibus* illis, et præsertim charitate abundant, pigri et otiosi esse non possunt, quia charitas est fidei et cæterarum virtutum anima, quæ eas agitat, nec pigras esse sinit ; habet enim comitem Spiritum Dei, quo filii Dei aguntur, ad Rom. 8, v. 14. Nec sine fructu, bonorum operum mercede, quos fructus producit bona arbor, id est, bona voluntas. *Quid est autem bona voluntas nisi charitas?* inquit Augustinus ; charitas enim facit ut opera nostra bona quæ aut ipsa elicit aut imperat, grata sint Deo, fructuosa et meritoria : si autem bona opera fructum vitæ æternæ producunt, ergo falluntur hæretici qui bonorum operum merita negant. Vos constituent, vos reddent et efficient ; nam *constituere* aut *ponere* sæpè apud Græcos accipiuntur generaliter pro efficere ; in Domini nostri Jesu Christi cognitione, in fide quâ Christus cognoscitur ; nam aliàs fides Christi sine istis operibus otiosa et mortua est, neque ad salutem sufficiens, sicut *fides quæ per charitatem operatur*, ad Gal. 5, v. 6.

Vers. 9. — Cui enim, licèt talis fide mortuâ Christum cognoscat, non præstò sunt hæc ; Græcè, *non adsunt hæc*, bona opera virtutum quas jam enumeravi, cæcus est, non videt quid hìc et nunc in particulari agendum sit : qui enim virtutibus moralibus caret, prudentiam quoque non habet, quæ est oculus aut fax quædam cæteris virtutibus viam ostendens. Unde incontinentes etiamsi in universali sciant fornicationem tanquàm turpem fugiendam esse, in particulari tamen *contra prudentiam practicè errant* et cæcutiunt, judicantes hìc et nunc eam propter delectationem appetendam esse : et hoc sensu dicitur errare omnis qui operatur iniquitatem, sive omnis peccans esse ignorans. Unde Hebræi *peccare* dicunt חטא, *chata*, quod propriè significat aberrare à scopo, quia nempe peccans non dirigit arcum et opus suum per prudentiam in scopum quo deberet. Et manu tentans, palpans parietes et ea quæ cum circumstant, ut viam inveniat, quam non videt ; oculus enim scientiam, manus operationem designat, inquit Beda. Cæcus ergo et manu tentans est qui, scientiam rectæ operationis non habens, quidquid sibi rectum videtur operatur,

et lumen veritatis ignorans, quasi manum ad opus quod non videt, extendit. Verbum Græcum quod interpres vertit *manu tentans*, videtur derivàsse, ut notat Erasmus, à mure terrestri, qui cæcitate et acumine rostri similis talpæ est; hic enim extra terram deprehensus, rostro et pedibus anterioribus tanquàm manibus tentat reperire foramen et cavum suum ut effugiat. Arias tamen et alii vertere malunt *non procul videns;* nam myopes Aristotele et Græcis vocantur qui ex propinquo tantùm, et semiclausis oculis, non autem procul videre possunt, à verbo μύειν, quod claudere significat. Tales metaphoricè sunt homines carnales virtutibus destituti, qui tantùm vident res hujus mundi ante oculos suos positas, nec ad res cœlestes aut futuri seculi procul quasi distantes oculum mentis attollere valent. OBLIVIONEM ACCIPIENS, ita se gerens ut planè oblitus esse videatur et immemor beneficii. PURGATIONIS factæ in baptismo quando venit ad fidem; VETERUM SUORUM DELICTORUM, quæ olim ante baptismum in suâ infidelitate commiserat.

VERS. 10. — QUAPROPTER, FRATRES, ne destituti bonis virtutum illarum operibus sitis cæci et manu tentantes, MAGIS SATAGITE, potiùs hoc diligenter agite et curate, UT PER BONA OPERA virtutum, quas supra recensui. Græcus textus hodiè caret istâ particulâ; sed in quibusdam vetustis exemplaribus legitur, et subaudienda est, etiamsi non exprimeretur, ut diffiteri non audet etiam Calvinus. CERTAM, Græcè, *firmam*, quoad effectum suum nempe, ne ab effectu vocationis et gratiâ Dei excidatis, sed ex constanti perseverantiâ apud vos et alios qui bona vestra opera intuentur, certam morali quâdam certitudine et maximè probabilem efficiatis, VESTRAM VOCATIONEM, quâ ad fidem et ad opera virtutum fidem sequentia per prædicationem evangelicam, ex proposito dandi vobis vitam æternam, à Deo vocati estis; omnimodam autem certitudinem talis vocationis absque revelatione habere non possumus, propter amoris naturalis et infusi, et omnium virtutum naturalium et infusarum magnam conformitatem, ait Carthusianus; ET ELECTIONEM, quâ Deus vos è massâ damnatâ ad æternam gloriam elegit, FACIATIS, non quidem certam et firmam faciatis æternam electionem in se ipsâ, quæ in Deo est immobilis, ideòque nec incerta in se vel infirma esse potest; sed ut firmam faciatis in effectibus suis, per quos eam Deus executioni mandari decrevit; et deinde certam faciatis in vestrâ et aliorum existimatione, ut de cursu vestro bono rectoque discatis vos ad prædestinationem divinæ gratiæ pertinere, ait S. Augustinus, cap. 22 de Dono perseverantiæ, et sicut ex doctrinâ S. Augustini optimè hunc locum explicat S. Thomas, 1 part., q. 23, art. ultimo, ad 3; nam sicut causæ secundæ, inquit, non possunt egredi ordinem causæ universalis, sed ipsum exequuntur, ita prædestinatio non potest quidem per creaturas impediri, sed potest adjuvari. Orandum igitur et in operibus bonis satagendum, non quasi aliquis non electus possit per opera ista in numerum electorum irrepere; sed quia Deus per talia media vult electos ad gloriam præparatam perducere. Unde ex hoc loco nullâ ratione firmâ probari potest, quod post Molinam, Vasquium, Valentiam, Lessium, multis argumentis hìc contendit Cornelius à Lapide, nempe electionem ad gloriam ex prævisis electorum meritis factam esse. Si autem prædicatio prædestinationis sine prævisis meritis factæ homines segniores facit, ut dicunt, ad opera bona, sola etiam futurorum operum præscientia (quam nemo nisi impius Deo denegare potest) segniores etiam faceret, ut cap. illo 22 de Dono perseverantiæ, docet Augustinus: nam æterna Dei præscientia bonorum et malorum operum est tam immobilis, quàm prædestinatio facta non ex prævisis meritis. Non oportet autem in prædicandâ prædestinatione imitari malum medicum, qui bonum medicamentum malè et insalubriter valetudini humanæ infirmitatis apponit, inquit Augustinus; nulla enim inprimis inter prædestinatos et non prædestinatos facienda est discretio, sed potiùs supponendum est omnes quos prædicator alloquitur esse prædestinatos, ut facit S. Paulus, S. Petrus, et alii in Epistolis suis faciunt. Hanc autem prædicandi formulam cap. 22 de Dono perseverantiæ, præscribit S. Augustinus: *Vos ipsam obedicndi perseverantiam à Patre luminum sperare debetis, et quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere vos non esse à prædestinatione populi ejus alienos, quia etiam hoc ut faciatis ipse largitur. Absit autem à vobis ideò desperare de vobis, quia spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis! Maledictus* enim *omnis qui spem habet in homine*, Jeremiæ 17, v. 5. HÆC ENIM FACIENTES, virtutum de quibus supra opera bona exercentes; NON PECCABITIS ALIQUANDO, nunquàm peccabitis gravi et mortali peccato, unde à gratiâ Dei excidatis. Græcè: *Non impingetis aliquando*, nempe cum gravi lapsu, metaphora deducta ab iis qui in viâ currentes pedem offendunt, caduntque in terram cum gravi aut levi læsione; hìc autem læsionem gravem significat, quia ut quis nunquàm leviter impingat et peccet venialiter, nisi specialissimâ gratiâ fieri non potest: *In multis enim offendimus omnes*, Jacobi 3, v. 2; etsi enim singula, non tamen omnia venialia vitare possumus: nam quando quis intentus est ut vitet unum, subitò ex fragilitate et instabilitate mentis incidit in aliud, inquit Carthusianus.

VERS. 11. — SIC ENIM, operando et per octo gradus virtutum supra, v. 5, 6, 7, enumeratos scandendo, quasi per octo gradus ædificii, ait Beda, in monte positi, cujus ascensus est octo graduum, Ezechiel. 40, v. 34; ABUNDANTER MINISTRABITUR VOBIS; Græcè *sub ministrabitur*, à Deo per abundantem gratiam sanctificantem, quam in præmium bonorum operum Deus quotidiè subministrat, et accumulat in hâc vitâ iis qui per octo illos gradus, fugientes mundanam concupiscentiæ corruptionem, ascendunt versùs cœlum. INTROITUS IN ÆTERNUM REGNUM; gratia enim sanctificans dat jus ad regnum, et portas quasi aperit; et quidem ad regnum non fugitivum et temporale, quales olim Assyriorum, Chaldæorum, Persarum, Græco-

rum, Romanorum, monarchiæ fuerunt, quæ tamen ab hominibus tantoperè æstimatæ sunt, sed ad regnum æternum. Si autem bonorum operum abundantia aperit et dilatat introitum æterni regni, profectò falsum est nihil nos mereri per bona opera; imò quòd omne opus, quod vocamus bonum, sit verum et damnabile peccatum, ut dicunt nostri temporis hæretici. DOMINI NOSTRI, ET SALVATORIS JESU CHRISTI, qui in Ecclesiâ electorum triumphante per gratiam et gloriam, quibus eos sibi subditos et obedientissimos efficiet, regnabit in æternum, conregnabuntque cum eo electi, utpote naturæ ejus divinæ consortes facti, idem videntes et volentes quod Deus ipse : *Si sustinebimus, et conregnabimus*, 2 ad Timoth. 2, v. 12. Propterea in capitibus viginti quatuor seniorum tanquàm regum *coronæ aureæ*, Apoc. 4, v. 4.

VERS. 12. — PROPTER QUOD, ut ministretur vobis abundanter ille introitus in regnum, INCIPIAM, non quasi jam non incœperim, sed incipiam magis frequenter, imò semper, ut mox dicet; Græcè tamen, *non negligam*, quod est clarius, VOS SEMPER COMMONERE, per litteras : nam licèt pastor corpore sit absens, curâ tamen et sollicitudine debet semper præsens esse suo gregi. Debent autem semper et indesinenter monitionibus pastorum oves sustentari, quia semper sunt in periculo lapsûs; unde boni pastores, inquit Carthusianus, quantùmcumque laboraverint circa suas oves, videntur nihil unquàm fecisse, ideòque proponunt quotidiè de novo incipere, quia enim principia fervent, ut in fervore maneant, semper in principio manere volunt. Unde S. Franciscus quotidiè solitus est suis dicere : *Fratres, incipiamus Deo servire.* DE HIS, de gradibus illis virtutum, quibus ad cœlum et regnum æternum scanditur; ET QUIDEM SCIENTES, per fidem et doctrinam christianam olim plantatam in vobis, ET CONFIRMATOS VOS, et etiam per exercitia virtutum in fide et operibus fidei firmos et stabiles; IN PRÆSENTI VERITATE, in doctrinâ christianæ fidei et operum; nam continuâ nihilominùs monitione indigetis propter hæreticos et pseudomagistros, qui sæpè subnervant et labi faciunt etiam firmos; ad quod etiam propria et naturalis infirmitas mutabilitasque sufficit; quia gratia Dei sic hominibus *velle donat*, ait S. Prosper, lib 2 de Vocatione gentium, cap. 28, *ut etiam à perseveraturis mutabilitatem illam, quâ possint nolle, non auferat; alioqui nemo unquàm fidelis recessisset à fide, neminem concupiscentia vinceret*, etc.; unde *nunquàm debet in auribus fidelium vox illa Domini non sonare : Vigilate et orate, ne intretis in tentationem.* Væ igitur pastoribus, ait Feuardentius, qui tribus per annum concionibus aut fortassè nullâ, oves suas pascunt, contenti temporalibus emolumentis. Si enim scientes et confirmatos oporteat semper commonere ut pergant, et ne deficiant in viâ virtutum, quid oportet agere circa ignorantes et infirmos, quales sunt plebei, et præsertim rustici?

VERS. 13. — JUSTUM AUTEM ARBITROR, imò certò scio justum esse, cùm sim pastor et apostolus vester, QUAMDIU SUM IN HOC TABERNACULO, in hoc corpore mortali, quod animæ peregrinanti et militanti inter hostes est instar tabernaculi; duo enim genera hominum olim utebantur tabernaculis, ut notat Beda, peregrini per deserta loca, et milites; nos autem hic sumus peregrini et advenæ, ac insuper circumvallati diabolo, mundo, et *carnalibus desideriis, quæ militant adversùs animam*, 1 Petri 2, v. 11. Unde veteres illi patriarchæ, Abraham, Isaac, Jacob, ut hujus vitæ peregrinationem adumbrarent, in terrâ Promissionis tanquàm alienâ, *in casulis* (Græcè, *in tabernaculis*) *habitaverunt*, ad Hebræos 11, v. 9. SUSCITARE VOS : nam perfecti etiam interdùm dormitant, IN COMMONITIONE, exhortatione ad fidei constantiam et perseverantiam operum.

VERS. 14. — CERTUS, certò sciens per Christi revelationem, QUOD VELOX EST, intra breve tempus futura, DEPOSITIO TABERNACULI MEI, mors in quâ corpus meum deponam, sicuti viator confecto itinere, aut miles finitâ militiâ deponit, et complicat suum tabernaculum; tabernaculo enim non indiget qui in propriâ domo jam habitare potest. Petrus autem et omnes sancti dicuntur deponere tabernacula sua, non inferendo sibi, sed acceptando mortem à tyrannis, aut causis naturalibus illatam, et quidem voluntate in Dei beneplacitum resolutâ acceptant libenter, licèt inferiori appetitu reformident; unde Christus ad Petrum : *Cùm senueris, alius te ducet quò tu non vis*, Joannis 21, v. 19. Si autem Petrus in Babylone dicat mortem sibi instare, quomodò Romæ crucifixus est? inquit Calvinus. Certè, addit, nisi maria et terras momento transvolârit, procul ab Italiâ mortuum esse constat. Sed somniat Calvinus; nam non hanc secundam, sed primam suam Epistolam Babylone scriptam indicat S. Petrus, 1 Petri 5, v. 13; deinde Babylonem ibi Romam intelligi ex sanctorum Patrum interpretatione ostendimus. SECUNDUM QUOD ET DOMINUS NOSTER JESUS CHRISTUS SIGNIFICAVIT MIHI, quando fugienti Neronem Christus in viâ Appiâ venit ei obviàm crucem bajulans, et dicens : *Vado Romam iterùm crucifigi*, ut Glossa ordinaria, Thomas Anglicus, et alii multi exponunt. Quod verum esse potest, si S. Petrus Româ fugisset antequàm conjectus esset in carcerem, ut indicat S. Ambrosius in concione de Basilicis non tradendis hæreticis; tunc enim hanc Epistolam postea in carcere fortassè scripserit, adeòque in eâ hujus Christi apparitionis facere potuit mentionem. Sed alii, quos sequitur Baronius, credunt fugam S. Petri factam esse ex ipso carcere, et statim à reditu fuisse crucifixum; unde consequenter dicere oportet fugam illam accidisse ante scriptam hanc Epistolam. Loquitur ergo hìc S. Petrus de aliâ incognitâ nobis Christi apparitione, aut etiam de illâ Joannis 21, v. 19, ubi Christus prædicit eum cùm senuerit morte afficiendum; unde ex senectutis suæ consideratione facilè potuit conjectare depositionem tabernaculi sui velocem et in proximo esse.

VERS. 15. — DABO AUTEM OPERAM, monendo vos tam verbo quàm scripto, miraculis et exemplis in-

calcando et profundè in animos vestros imprimendo, reliquo vitæ meæ tempore, quod breve est; ET FREQUENTER, Græcè, *singulatim*, ut vertit Arias, id est, ad singulas occasiones et frequentissimè; HABERE VOS, UT VOS habeatis in promptu, et memoriter teneatis, POST OBITUM MEUM, ut sic non tantùm in vitâ meâ, sed etiam post mortem ea quæ dico, scribo, exemplis ostendo, prosint vobis. Mors sanctorum, dicitur obitus, inquit Thomas Anglicus, quia ipsi tunc vadunt obviàm sponso. Sed hæc potiùs est pia contemplatio, quàm vera etymologica ratio; obitus enim non tantùm sanctorum, sed omnium hominum est, quia anima humana est immortalis; unde mortem corporis obeundo, et supra eam quasi calcando, transit ad aliam vitam. Hinc Græci et S. Petrus hic vocant *exodum*, id est, exitum, quia anima per mortem non extinguitur, sed exit et discedit è corpore, sicut miles è tabernaculo. UT HORUM, quæ vobis tanto studio et diligentiâ inculco, MEMORIAM FACIATIS, memoriâ recolatis, et opere compleatis. Præter enim doctrinæ præstantiam, quam discipulis suis tradebat S. Petrus, quia Christus ter eum rogaverat: *Petre, amas me? diligis me plus his? pasce oves meas*, Joannis 21, v. 15, ideò immensâ charitate erga oves sibi commissas flagrabat, ut narrat discipulus ejus S. Clemens. Hinc ab ovibus suis reciprocè et tenerrimè amabatur; ut proinde memoria doctrinæ cum tantâ charitate eis traditæ altissimè animis eorum inhæreret. Græca quædam scholia, et multi controversiarum contra hæreticos scriptores superiora verba sic interpretantur: *Dabo operam et frequenter habere vos*, scilicet in animo meo, *post obitum meum*, oraboque Deum pro vobis ne ista quæ vos docui memoriâ vestrâ excidant, sed ut eorum recordemini et memoriam faciatis; unde ex hoc loco probant sanctos in cœlis orare pro nobis. Sed prior interpretatio est verior et genuina; nec oportet adversùs hæreticos doctrinam certam incertis interpretationibus infirmare potiùs quàm confirmare. Solent enim hæretici talia argumenta, cæteris validioribus neglectis et dissimulatis, arripere, discutere, exsibilare, et quasi in triumphum ducere, cum magno sæpè doctrinæ catholicæ præjudicio.

VERS. 16. — NON ENIM DOCTAS FABULAS SECUTI; doctrina enim mea meretur altè animis vestris et memoriæ infigi, quia in eâ tradendâ non sum secutus elegantes quidem et variâ doctrinâ seculari pictas et ornatas, sed tamen vanas et falsas philosophorum aut hæreticorum fabulas. Beda et plurima vetusta exemplaria non legunt *doctas*, sed *indoctas*, malè: nam Græcè *sophisticatas*, quæ vox sapienter et artificiosè conflictas significat. NOTAM FECIMUS VOBIS, prædicando et scribendo; DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI VIRTUTEM, potentiam et divinam majestatem; ET PRÆSENTIAM, quâ toti mundo præsens apparebit Judex vivorum et mortuorum in secundo suo adventu. Unde eamdem vocem Græcam interpres vertit *adventum*, infra, cap. 3, v. 4. Malè autem vetusti multi codices *præscientiam* legunt. SED SPECULATORES FACTI, non è longinquo, sed contemplatores è vicino; unde Græcè *inspectores*, nempe propriis oculis corporeis è proximo. ILLIUS (Christi) MAJESTATIS, cujusdam scintillæ magnitudinis divinæ, quæ in corpus ejus effulsit, quando *facies ejus resplenduit sicut sol, vestimenta autem facta alba sicut nix*, Matth. 17, v. 2.

VERS. 17. — ACCIPIENS ENIM, nempe fuerat; unde Erasmus, Arias et alii simpliciter vertunt *acceperat*, ne verbum substantivum more Hebræo subaudire oporteat. A DEO PATRE HONOREM ET GLORIAM, honorificam et gloriosam attestationem, præter illam divinæ lucis scintillam quæ redundàrat in corpus; VOCE DILAPSA, supernè delatâ, IN EUM, Græcè *ei*, id est, in gratiam et testimonium magnitudinis ejus; HUJUSMODI, qualem mox referam, A MAGNIFICA GLORIA, Dei Patris, qui in nube lucidâ gloriam et majestatem ejus repræsentante per angelum loquebatur: HIC EST FILIUS MEUS DILECTUS, unicus, naturalis, non adoptivus, ex substantiâ meâ ab æterno genitus, et mihi æqualis; ideòque amore infinito dilectus; unde Græcè cum duobus articulis emphaticis: *Hic est ille Filius meus, ille dilectus*, quomodò eadem sententia exprimitur Matthæi 17, versu 5, ubi hæc transfigurationis historia narratur, et iterùm quando eadem vox cum Spiritu sancto in specie columbæ super eum descendit, Matthæi 3, versu ultimo. IN QUO, Græcè, *in quem*, erga quem; MIHI COMPLACUI, singulari prorsùs et infinitâ complacentiâ. In Christo enim, ut Deus est, tantùm quantùm in seipso sibi complacet Pater; in eo autem ut homo est magis quàm in omnibus universim creaturis simul sumptis; quia illa humanitas in idem cum Verbo divino suppositum arctissimè constricta et sublimissimo modo deificata est. IPSUM AUDITE, in præceptis fidei et morum, quæ tradit vobis, et ipsi in eis obedite. Hæc tamen particula non est in Græco, sed additur in historiâ transfigurationis, Matthæi 17, versu 5. Alludit autem ad prophetiam illam Moysis: *Prophetam de gente tuâ suscitabit tibi Dominus, ipsum audies*, Deuteron. 18, versu 15. Si autem Pater ut Christum Filium ejus audiremus jussit, non sunt profectò fabulæ, sed divina oracula quæ ipse nos docuit, et vobis tradidimus.

VERS. 18. — ET HANC VOCEM: *Hic est Filius meus*, etc.; NOS AUDIVIMUS, ego, Jacobus et Joannes, DE CŒLO, aereo, et ex nube quæ montem obumbraverat, ALLATAM, formante eam angelo, qui in personâ Patris loquebatur, CUM ESSEMUS CUM IPSO, tempore transfigurationis, IN MONTE SANCTO, in monte Thabor, qui in medio Galilææ situs, et sanctus ab apostolis nominatus est propter multa mirabilia quæ à Christo in eo monte facta sunt; nam in eo transfiguratus est ante mortem, et in eodem post resurrectionem, ut à multis creditur, *apparuit plus quàm quingentis fratribus simul*, 1 ad Corinth. 15, v. 6, quæ apparitio videtur esse eadem cum illâ de quâ Matthæus: *Undecim discipuli* (tanquàm cæterorum fratrum ductores) *abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus*, Matth. ult., v. 16; deinde ex illo monte de octo beatitudinibus apostolis suis disseruit Christus, et multa alia

fecit. Mons Thabor hodiè vocatur *Tor*, excelsus valdè, trium circiter milliarium itinere, undique rotundus, et in vertice planus; in quo olim monasteria et ecclesiæ variæ ædificatæ, quarum adhuc vestigia et rudera exstant inter vepres et arbusta, quibus totus mons obsitus est, ut narrat testis oculatus Franciscus Quaresmius in Elucidatione Terræ sanctæ. Franciscus Lucas tamen, Matth. 17, existimat non in monte Thabor, sed in monte Libano, qui excelsior est quàm Thabor, transfigurationem Domini accidisse, quia paulò ante transfigurationem, Matth. 16, vers. 13, Christus dicitur venisse in partes Cæsareæ Philippi, ubi est mons Libanus; et ibidem mansisse apparet sex dies, post quos duxit Petrum et duos alios in montem ut oraret, et se transfiguraret, Matth. 17, v. 1. Sed hæc conjectura non est sufficiens ad refellendam S. Hieronymi et veterem traditionem de transfiguratione in monte Thabor; nam sex illos dies aut octo, ut ait Lucas 9, v. 28, impendere potuit non hærendo in partibus Cæsareæ Philippi, sed eundo versùs montem Thabor.

VERS. 19. — ET HABEMUS, nos Judæi, FIRMIOREM PROPHETICUM SERMONEM, quò magis confirmari et certiores reddi de Christi excellentiâ et divinitate possimus, quàm per vocem Patris delapsam de cœlo in eum. Non ergo hìc dicitur auctoritas prophetarum esse firmior et major in se quàm auctoritas Dei Patris in monte sancto testantis Christum esse Filium suum; sed testimonium prophetarum de Christo dicitur esse firmius ad hoc probandum apud Judæos, apud quos certissimum et multorum seculorum usu firmatum erat libros prophetarum esse verè verbum Dei, et ex afflatu Spiritûs sancti compositos. De voce autem illâ delapsâ è cœlo magis dubitare poterant : *Possent* enim *infideles per conjecturas humanas et illicitas curiositates ad magicas artes eam referre, qui sic detrahunt Christo, ut etiam dicant eum magicis artibus fecisse quæ fecit*, inquit Aug., sermone 27 de Verbis Apost. Putat autem Beda S. Petrum aspexisse ad illum sermonem propheticum Davidis : *Filius meus es tu, ego hodiè genui te*, psal. 2. Errat ergo Erasmus, qui dicit Patris vocem vocari hìc sermonem propheticum, per quem Pater prophetat, inquit, omnia sibi placitura quæcumque Filius dicturus aut facturus erat; hìc autem Patris sermo, sive vox allata de cœlo in monte Thabor tam evidens de Christo præconium continens, est firmior et majoris ponderis ad probandum, ait Erasmus, quàm dicta veterum prophetarum, qui obscurè et per involucra de Christo prophetaverunt. Sed cuivis statim coacta apparet hæc Erasmi interpretatio, et apertè refellitur, quia propheticus iste sermo statim, versu sequenti, vocatur prophetia Scripturæ, non Dei Patris. CUI BENE FACITIS ATTENDENTES, id est, cui sermoni prophetico in libris prophetarum vestrorum scripto diligenti lectione et scrutatione attendentes benè facitis, ut ex ipsis quæ olim prophetæ prædixerunt de Messiâ futuro jam impleta esse agnoscatis in Christo, atque ita in fide crescatis et confirmemini. Sic laudantur Judæi Beroenses, qui cùm à Paulo et Silâ *suscepissent verbum* Dei, *cum omni aviditate quotidiè scrutabantur Scripturas*, et prophetias veteris Testamenti, *si hæc ita se haberent*, Actor. 17, v. 11. Possunt enim interdùm utiliter homines etiam laici legere Scripturas, quando nullum subversionis et falsæ interpretationis est periculum. Sæpè tamen periculum non deest, cùm Scripturæ multis in locis sint tam obscuræ ut etiam ab eruditissimis difficillimè intelligantur. *Quod totum provisum divinitùs esse non dubito*, inquit August., l. 2, c. 6, Doctrinæ christianæ, *ad edomandam labore superbiam, et intellectum à fastidio revocandum, cui facilè investigata plerùmque vilescunt;* et ideò Ecclesia hodiè non omnibus passim laicis sacræ Scripturæ lectionem permittit. QUASI LUCERNÆ; sermones enim Prophetarum non solis aut splendidæ facis, sed instar lucernæ tenue lumen spargunt; LUCENTI IN CALIGINOSO LOCO, qui præter tenebras noctis etiam caliginibus, nebulis et squalloribus lumen lucernæ retundentibus, infectus est. Tales enim sunt Scripturæ prophetarum, quæ tenui lumine variis figuris et ænigmatibus involuto et obscurato lucent. DONEC DIES ELUCESCAT, per auroram, quando desinit nocturnarum lucernarum usus. Hæc verò aurora est abundantius fidei Christianæ lumen, quo ex doctrinâ Christi et apostolorum pleniùs quàm ex oraculis prophetarum Judæi fideles paulatim illustrabantur. ET LUCIFER, Christus, *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*, Joan. 1, v. 9; dictus Lucifer, quia sicut stella Luciferi, sive Veneris in cœlo solem præcurrens diem cum aurorâ inchoat, Christus fidei lumine adhuc quidem obscuro, sed tamen clariore nocturnis prophetarum lucernis diem inchoat beatæ æternitatis, in quâ, fugato hoc imperfecto fidei tanquàm auroræ lumine, divina essentiâ per gloriæ lumen splendidissimum in montibus beatorum clarissimam diem faciet. ORIATUR IN CORDIBUS VESTRIS, per fidei lumen, quo corda et mentes vestras abundantiùs illustrabit; ita Œcumenius meliùs quàm Beda et plurimi alii, qui hunc Luciferi ortum ad lumen gloriæ in patriâ, non ad lumen fidei in præsenti viâ referunt. Unde Carthusianus Luciferum interpretatur Christum, non secundùm naturam humanam, sed secundùm divinam quam intuentur beati; Lucifer, inquit, est Christus lucis æternæ candor, splendor gloriæ, et sapientia Patris. Ex hoc loco olim Ariani Filium esse Patre, tanquàm Luciferum sole, minorem probare conati sunt. Sed ex talibus locutionibus typicis et metaphoricis nec æqualitas nec inæqualitas Filii et Patris certò colligi potest. Unde Christus, qui hìc Lucifero, alibi soli comparatur, Malachiæ 4, vers. 2; comparatur autem hìc Lucifero, quia in naturâ assumptâ auroram et lumen fidei post nocturnas lucernas prophetarum attulit in mundum.

VERS. 20. — HOC PRIMUM INTELLIGENTES, benefacitis, inquam, attendentes prophetico sermoni; hoc tamen ante omnia cogitantes et cognoscentes ne erretis; QUOD OMNIS PROPHETIA SCRIPTURÆ, quæ in sacrâ Scripturâ comprehensa est, ut prophetiam veram, quales in Scripturâ sacrâ continentur, à falsâ prophe-

tiâ dæmonum et hæreticorum distinguat, ait Œcumenius. PROPRIA INTERPRETATIONE NON FIT, non est verbo aut scripto edita à prophetis, propriis verbis et phrasibus à se composita, quâ proprios et humanos animi sui sensus explicarent ac interpretarentur.

VERS. 21. — NON ENIM VOLUNTATE HUMANA, libero hominis arbitrio applicante intellectum ad cognoscenda futura contingentia et res ab humanâ cognitione semotas, quando vellet; nam talia cognoscere, non est in potestate hominis, sed Dei solius: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos*, Isaiæ 41, v. 23. ALLATA EST ALIQUANDO PROPHETIA, olim allata est, et *venit in mentem* prophetarum; aut etiam per prophetas allata est ad homines, quos illi futurorum aut rerum quarumlibet procul à cognitione humanâ remotarum admonebant. Prophetia *enim non* tantùm est futurorum contingentium, sed omnium quæ à cognitione nostrâ longè absunt, ut docet S. Thomas 2-2, quæstione 171, a. 3. Licèt autem nec sensus nec verba prophetarum humanæ voluntatis et inventionis essent, liberi tamen erant in annuntiando quæ à Deo didicerant prophetæ, et sic spiritus prophetarum prophetis subjecti esse dicuntur, 1 ad Cor. 14, vers. 32. Hæc autem à Petro dicuntur, inquit Beda, ne quis ad libitum suum Scripturas exponere audeat, sed sicut sensus earum non humanâ voluntate et ingenio sunt excogitati, ita eos exponere oportet eodem spiritu quo conscripti, hoc est, Spiritu divino, qui per orationes et munditiam cordis magis impetratur quàm studio, et humani ingenii quantùmvis magnis, infirmis tamen viribus. Hinc quotiescumque Ecclesia novâ hæresi oppugnata fuit, Deus semper organa aliqua Spiritûs sancti præparavit, quibus per sapientiæ donum intelligentiam controversarum Scripturarum infunderet, et ad pugnandum contra Ecclesiæ hostes cœlesti fortitudine armaret. Unde Fulgentius, lib. 2, cap. 18, de Veritate prædestinationis, de hæresi Pelagianâ et ejus expugnatore Augustino disserens: *Beatus Augustinus*, inquit, *indutus virtute ex alto abundantiùs omnibus* Patribus Græcis et Latinis *laboravit; non autem ipse, sed gratia Dei cum illo. Ipsius enim ministerio Dominus uberiorem hujus rei fidelibus suis instructionem præbuit; non* enim *defuit benignitas miserantis Dei, quæ militem suum spiritualis gratiæ armis tantò fortiùs præcingeret, quantò acriùs adversùs eamdem gratiam vasa iræ diabolus instigaret;* addit deinde S. Fulgentius: *Cuncta hostilium machinamenta telorum cœlestis juvaminis virtute* Augustinum *confregisse*, et *etiam posteris certandi et vincendi ordinem ostendisse, si quando victa pravitas recidivo ausu infandum caput erigere niteretur. Sensum quippe Christi habens, tam gratiæ Dei quàm humani arbitrii, et officia discrevit et merita; semper divinis humana subjiciens;* et denique addit: *Hunc legat omnis qui salutem adipisci desiderat, humiliter orans misericordiæ Dominum, ut eumdem spiritum intelligentiæ legens accipiat, quem ille accepit ut scriberet; et eamdem illuminationis gratiam adipiscatur ut discat quam ille adeptus est ut doceret.* SED SPIRITU SANCTO INSPIRATI, sicuti spiritus organa sua inspirat et implet ut sonent. Græcè tamen *acti*, seu *impulsi*; nam lumen prophetiæ non est habituale et permanens, *sicut est lux in sole, sed actuale et transitorium*, sicut lumen in aere, ut docet S. Thomas, 2-2, quæst. 171, art. 2. Unde prophetæ inspirationem et impulsum Spiritûs sancti non habent quando volunt, ut patet 4 Reg. 3, vers. 15, et 4 Reg. 4, vers. 7. Hanc tamen inspirationem propheticam ministerio angelorum fieri docet S. Thomas, 2-2, quæst. 172, art. 2, quia ordo, inquit, divinæ providentiæ habet ut infima per media ordinentur, ut S. Dionysius, docet. LOCUTI SUNT, non sicut vates gentilium et arreptitii dæmonum, qui instar fistulæ inanimatæ dant sine mente sonos, non intelligentes quid dicant, nec postea recordantes; sed veri prophetæ sanâ mente arcana quæ in occulto visionum cœlestium lucidissimo mentis intuitu cognoscebant, foras auditoribus suis verbis qualibuscumque efferebant, inquit Beda. Ita tamen ut Spiritus sanctus non tantùm esset sensuum inspirator, *sed etiam verborum et sententiarum dictator*; nam aliàs prophetica et sacra Scriptura non magis esset verbum Dei quàm conciliorum generalium decreta, quæ, ne à veritate aberrent, Spiritûs sancti assistentiâ diriguntur, ut majores nostri Lovanienses in Justificatione censuræ suæ anni 1588, cap. 1, benè demonstrant. SANCTI DEI HOMINES, scriptores prophetiarum et aliorum librorum veteris Testamenti. Vocat illos sanctos, quia Deus nonnisi justos et sanctos ad talia scribenda adhibere solet, etiamsi quidam sanctitate suâ exciderint, ut Salomon trium librorum sacræ Scripturæ auctor; *sed si illo cadente, quæ per illum dicta sunt delerentur judicaretur, quia ipse dixerat, non quia per illum dicta erant*, ait S. Augustinus in psal. 126. *Homines* autem *Dei* in Scripturâ specialiter vocantur, qui sunt sigularia instrumenta Dei ad illuminandum aut movendum alios, quales sunt prophetæ, apostoli, episcopi, doctores, ut 1 ad Timoth. 6, v. 11, 2 ad Tim. 3, ultimo, etc.

CAPUT II.

1. Fuerunt verò et pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem.

2. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur:

3. Et in avaritiâ fictis verbis de vobis negotiabuntur; quibus judicium jam olim non cessat, et perditio eorum non dormitat.

CHAPITRE II.

1. Or, comme il y a eu de faux prophètes parmi le peuple, il y aura aussi parmi vous de faux docteurs qui introduiront de pernicieuses hérésies, et qui, renonçant au Seigneur qui les a rachetés, attireront sur eux-mêmes une soudaine ruine.

2. Et plusieurs les suivront dans leurs débauches; et à cause d'eux on blasphémera la voie de la vérité;

3. Et qui, vous séduisant par des paroles artificieuses, trafiqueront de vos âmes pour satisfaire leur avarice: mais la condamnation qui les menace depuis longtemps s'avance à grands pas; et la main qui doit les perdre n'est pas endormie.

4. Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari;

5. Et originali mundo non pepercit, sed octavum Noe justitiæ præconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens.

6. Et civitates Sodomorum et Gomorrhæorum in cinerem redigens, eversione damnavit; exemplum eorum qui impiè acturi sunt, ponens:

7. Et justum Lot oppressum à nefandorum injuriâ ac luxuriosâ conversatione eripuit;

8. Aspectu enim et auditu justus erat; habitans apud eos qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant.

9. Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos verò in diem judicii reservare cruciandos;

10. Magis autem eos qui post carnem in concupiscentiâ immunditiæ ambulant; dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes;

11. Ubi angeli fortitudine et virtute cùm sint majores, non portant adversùm se execrabile judicium.

12. Hi verò velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem et in perniciem, in his quæ ignorant blasphemantes, in corruptione suâ peribunt,

13. Percipientes mercedem injustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias; coinquinationes et maculæ, deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes vobiscum,

14. Oculos habentes plenos adulterii, et incessabilis delicti; pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritiâ habentes, maledictionis filii;

15. Derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit:

16. Correptionem verò habuit suæ vesaniæ; subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam.

17. Hi sunt fontes sine aquâ, et nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur.

18. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos qui paulùm effugiunt, qui in errore conversantur;

19. Libertatem illis promittentes, cùm ipsi servi sint corruptionis; à quo enim quis superatus est, hujus et servus est.

20. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi, his rursùs implicati superantur; facta sunt eis posteriora deteriora prioribus.

21. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsùm converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato.

4. Car si Dieu n'a point pardonné aux anges qui ont péché, mais les a précipités dans l'abîme, où les ténèbres sont leurs chaînes, pour être tourmentés et tenus comme en réserve, jusqu'au jugement;

5. S'il n'a pas épargné l'ancien monde, mais n'a sauvé que sept personnes avec Noé, prédicateur de la justice, en faisant fondre les eaux du déluge sur le monde des méchants;

6. S'il a puni les villes de Sodome et de Gomorrhe, en les ruinant de fond en comble, et les réduisant en cendres, et en a fait un exemple pour ceux qui vivraient dans l'impiété;

7. Et s'il a délivré le juste Lot, que ces abominables affligeaient et persécutaient par leur vie infâme,

8. Ce juste qui demeurait parmi eux, étant tous les jours tourmenté dans son âme juste par leurs actions détestables, qui offensaient ses yeux et ses oreilles:

9. Le Seigneur sait délivrer ceux qui le craignent des maux par lesquels ils sont éprouvés, et réserver les pécheurs au jour du jugement, pour être punis:

10. Et principalement ceux qui, pour satisfaire leurs désirs impurs, suivent les mouvements de la chair; qui méprisent les puissances; qui sont audacieux; qui sont amoureux d'eux-mêmes; et qui, blasphémant la saine doctrine, ne craignent point d'introduire des sectes nouvelles;

11. Au lieu que les anges, quoiqu'ils soient plus grands en force et en puissance, ne se condamnent point les uns les autres avec des paroles d'exécration et de malédiction.

12. Mais ceux-ci, comme des animaux sans raison, qui ne suivent que le mouvement de la nature, et qui sont nés pour être la proie des hommes qui les font périr, attaquant par leurs blasphèmes ce qu'ils ignorent, périront dans les infamies où ils se plongent,

13. Recevant la récompense que mérite leur iniquité. Ils mettent la félicité à passer chaque jour dans les délices; ils s'y abandonnent de telle sorte, qu'ils ne sont qu'ordure et infamie, et que ce n'est qu'excès dans les festins de charité qu'ils font avec vous.

14. Ils ont les yeux pleins d'adultère, et d'un péché qui ne cesse jamais: ils attirent à eux, par des amorces trompeuses, les âmes légères et inconstantes: ils ont dans le cœur toutes les adresses que l'avarice peut suggérer; ce sont des enfants de malédiction.

15. Ils ont quitté le droit chemin, et se sont égarés, en suivant la voie de Balaam, fils de Bosor, qui aima la récompense de son iniquité,

16. Mais qui fut repris de son injuste dessein; une ânesse muette, qui parla d'une voix humaine, ayant réprimé la folie de ce prophète.

17. Ce sont des fontaines sans eau, des nuées qui sont agitées par des tourbillons; de noires et profondes ténèbres leur sont réservées.

18. Car tenant des discours d'insolence et de folie, ils amorcent, par les passions de la chair et les voluptés sensuelles, ceux qui peu de temps auparavant s'étaient retirés des personnes infectées d'erreur;

19. Leur promettant la liberté, quoiqu'eux-mêmes soient esclaves de la corruption, parce que quiconque est vaincu est esclave de celui qui l'a vaincu,

20. Parce que, si, après s'être retirés des corruptions du monde par la connaissance de Jésus-Christ notre Seigneur et Sauveur, il se laissent vaincre, en s'y engageant de nouveau, leur dernier état est pire que le premier;

21. Car il eût mieux valu pour eux n'avoir point connu la voie de la justice, que de retourner en arrière après l'avoir connue, et d'abandonner la loi sainte qui leur avait été prescrite.

22. Contigit enim eis illud veri proverbii : Canis reversùs ad suum vomitum ; et : Sus lota in volutabro luti.

22. Mais ce qu'on dit ordinairement, par un proverbe véritable, leur est arrivé : Le chien est retourné à ce qu'il avait lui-même vomi : et le pourceau, après avoir été lavé, s'est vautré de nouveau dans la boue.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — FUERUNT VERÒ ET PSEUDOPROPHETÆ, qui *visionem cordis sui loquebantur, non' de ore Domini*, Jerem. 23, v. 16. IN POPULO, nostro Israelitico ; quorum in libris prophetarum et toto veteri Testamento sæpè fit mentio. Diabolus quippe est simia Dei, et sicut Deus per veros prophetas homines ad virtutes et veri Numinis cultum perducere solitus est, ita diabolus per suos pseudoprophetas ad vitia et idololatriam pertrahebat. SICUT ET IN VOBIS, inter vos Christianos jam factos, ERUNT ; et jam pauci quidam incœperunt, futuri aliorum longè plurium semina. MAGISTRI MENDACES, hæresiarchæ et hæretici : et sicuti toto tempore legis Mosaicæ nunquàm defuerunt pseudoprophetæ in populo, ita nec in Ecclesiâ Christi deerunt hæretici usque ad consummationem seculi. Unde S. Augustinus à primo hæretico Simone Mago usque ad Pelagium hæreses 88 enumerat : multæ exortæ, et post nostra tempora exorituræ sunt. QUI INTRODUCENT ; Græcè, *subintroducent*, nempe clandestinè sicut hæretici incipere solent, qui sub vestimentis ovium occultant lupos rapaces. SECTAS PERDITIONIS ; Græcè, *hæreses perditionis*, quæ ducunt ad æternam perditionem. Quidam etiam hanc perditionem extendunt ad exitia quæ hæreses regnis et provinciis afferre solent : quod veterum hæresum exemplis facilè probari potest : nova verò Lutheranismi et Calvinismi exempla etiam sentimus. Addit *perditionis*, quia utraque vox, tam *secta* quàm *hæresis*, aliquando accipitur in bonam partem ; sunt enim voces quas Græci medias vocant ; si enim spectemus rationem etymologicam, secta est via doctrinæ quam quis sectandam sibi delegit : unde interpres noster viam alibi vertit *sectam : Secundùm sectam* (Græcè, *viam*) *quam dicunt hæresim*, Act. 24, v. 14 : hæresis verò est electio talis vitæ. Postea verò utraque vox in malam tantùm partem usurpari cœpit, quia veris Christianis suo arbitrio sectam doctrinæ eligere non licet ; nam *Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio quod inducerent elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt*, inquit Tertullianus, c. 6, de Præscriptionibus. ET EUM QUI EOS EMIT, pretio sanguinis sui à peccati et diaboli tyrannide redemit : *Redempti estis de vanâ vestrâ conversatione pretioso sanguine Agni*, 1 Pet. 1, v. 18. Tria genera hominum dici possunt redempti sanguine Christi : electi perfectè et propriissimè redempti sunt : secundò reprobi, qui ad gratiam baptismi pervenerunt, sed *gratiam redemptionis* postea *irritam fecerunt*, ut loquitur synodus Valentina, cap. 5, imperfectè et secundùm quid redempti dicuntur, cùm à peccatis suis in baptismo reverà fuerint purgati ac redempti, ut eadem synodus docet : tertiò reprobi qui nihil unquàm gratiæ ex Christi meritis adepti sunt, solùm sunt redempti quoad sufficientiam pretii, non quoad applicationem et efficaciam. DOMINUM NEGANT, tales futuri sunt ut negent ; loquitur enim non tam de præsentibus quàm de futuris hæreticis, qui introducent sectas, etc. Hi autem Christum, cujus sunt servi emptitii, non verbis quidem apertè negabunt cùm se Christianos esse dicturi sint, sed doctrinâ quâ cum prædicant non qualem veritas ostendit, sed qualem ipsi sibi fingunt, ait Beda ; destruunt enim doctrinam Christi et Christum ipsum, quantùm in se est, dùm Arius negat eum Patri æqualem, dùm Photinus negat eum esse Deum, Manichæus negat esse hominem, Pelagius negat esse parvulorum redemptorem, etc. ; factis quoque Christum negant, dùm non vitâ Christianorum, sed infidelium vivunt. SUPERDUCENTES SIBI, super seipsos et in caput suum attrahentes, CELEREM PERDITIONEM, damnationem æternam, quæ celeriter venit, quia statim post hanc vitam mortalem, quæ celerrimè transcurrit. Aliqui volunt hìc etiam aspici ad perditionem et mortem temporalem hæresiarcharum, quos Deus in exemplum suorum sectatorum infelici et abominandâ morte solet perdere ; nota enim sunt Arii Nestorii, et plurima aliorum exempla, et novissimè Calvini, quem morbo pediculari, vermibus ex ulcere circa pudenda ebullientibus, cum fœtore intolerabili, inter blasphemias et execrationes infelicem animam exhalâsse inter alios scribit Feuardentius, licèt Calvini discipulus Beza reclamet, et falsum id esse dicat.

VERS. 2. — ET MULTI SEQUENTUR, non tantùm eundo, sed currendo, EORUM LUXURIAS, carnales voluptates, quas verbo et exemplo docent : facilè autem hæresiarchæ tales multitudinem sequacium post se trahunt, cùm natura hominis peccato corrupta et effeminata in voluptates corporis ruat ferè sicut lapis ad centrum. Hæc causa fuit cur seculo elapso tam multi subitò à verâ fide defecerint ad Lutherum et Calvinum, qui, abrogatâ mortificationum et bonorum operum necessitate, solâ fide hominibus cœlum promittebant : ut proinde mirum non sit quòd Calvinus glorietur se, dùm adhuc viveret, plus quàm trecenta millia hominum in suas partes pertraxisse. Simili de causâ plurimi olim discipuli ex academicis, peripateticis et stoicis ad epicureos deficiebant : unde quidam philosophus peripateticus rogatus cur tam multi ex scholâ ejus ad Epicurum, nulli ab Epicuro ad ipsum transirent, appositè respondit : Quia ex gallis multi fiunt capones, ex caponibus nulli galli ; virtus enim virilis est et mascula, voluptates femineæ et emasculatæ sunt. Græci codices plerique hodiè non *eorum luxurias* legunt, sed *eorum perditiones*, id est, vitam eorum perditam, seu vitia quibus se perdunt sicut illi quos sequuntur. PER QUOS, propter quos hæresiarchas et hæresiarcharum discipulos, ac luxuriarum eorumdem sectatores, VIA VERITATIS, doctrina vera, quæ est via arcta ducens ad vitam, BLASPHEMABITUR, maledicetur ab infidelibus, qui pessimam hæreticorum vitam considerantes, credunt talia flagitia doceri in scholâ et

Ecclesiâ Christi, cùm hæretici adhuc Christianorum nomen retineant. Sic eo tempore omnia simonianorum, nicolaitarum, et gnosticorum dedecora, veris Christianis attribuebantur : propter quæ fortassè Cornelius Tacitus, l. Annal. 15, Christi religionem superstitionem exitiabilem appellat.

VERS. 3. — ET IN AVARITIA, per avaritiam; FICTIS VERBIS, ùd deceptionem compositis, ut hypocritæ et mercatores solent, qui merces suas improbè laudando dulcibus et mendacibus verbis emptores decipiunt; ad quos videtur hìc Apostolus alludere : *Per dulces sermones et benedictiones, seducentes corda innocentium*, ait alter apostolus ad Rom. 16, v. 18. *Devorantes domos viduarum, et simulantes longam orationem*, Luc. 20, v. ult. DE VOBIS NEGOTIABUNTUR, ex vobis mercaturam quamdam exercebunt; Græcè, *vos negotiabuntur* ; ex vobis captabunt lucrum, sicut mercatores ex mancipiis aut pecoribus solent, quæ ipsi mercantur et negotiantur; homines enim simplices sinunt se tanquàm mancipia et irrationalia pecora ab hæreticis duci, ut eos crumenâ et re suâ emungant. Exempla avaritiæ hæreticorum nostri temporis tot sunt quot monasteria, templa, ædes, et supellectiles sacras, in Galliâ, Germaniâ, Belgio, et totâ Europâ, spoliaverunt et diripuerunt. Quorum in istâ rapinâ duces esse solent eorum doctores et ministri, vociferantes indignum esse aureos et argenteos calices, ciboria et thecas pretiosas servire Papistarum idololatriis, præstare ea diripi et cedere in pauperum usus; similes Judæ Iscariotæ, qui indignatus Magdalenæ unguentum in caput Christi effundi, dicebat debuisse potiùs vendi, et pretium dari pauperibus, cùm tamen nulla ei esset cura de egenis, sed : *Quia fur erat et loculos habens*, Joan. 12, v. 6, et Christi eleemosynas in proprios usus convertebat. Beza tamen et Calvinistæ hæc apostoli Petri verba convertunt adversùs religiosos et ecclesiasi, quorum aliquos studere avaritiæ non negamus, inquit Cathar., sed ista vitia à nobis non excusantur, nec fictis et mendacibus verbis crumenas fidelium evacuant, cùm non falsa, sed vera dogmata ipsis prædicent. Cajetanus, post Hugonem et Thomam Anglicum, hanc B. Petri sententiam applicat prædicatoribus quæstuariis, olim magis quàm jam, qui populi christiani devotione ad quæstum abutuntur : Prædicantes, inquit Cajetanus, quòd quicumque pro indulgentiâ plenariâ, quam se dare dicunt, solverit unum carolinum aut ducatum, erit in eo statu ac si tunc primùm baptizatus esset, aut unam animam liberabit à purgatorio. QUIBUS JUDICIUM, damnationis æternæ, JAM OLIM, ab æterno, quando ex prævisis eorum sceleribus decretum fuit, NON CESSAT, venire; Græcè, *non otiatur*, sed festinat et appropinquat, licèt ipsi hìc in otio, deliciis, gloriâ et æstimatione hominum vivant, nec Deus de eorum suppliciis cogitare videatur; tempus tamen hujus vitæ nocte dieque currere non cessat, et brevi aderit supplicium tempus; ET PERDITIO EORUM, cruciatus æternus jam olim iis decretus, NON DORMITAT, vigilat in mente Dei, qui non sinet tempus suppliciis eorum destinatum impunè elabi.

VERS. 4. — SI ENIM DEUS ANGELIS, creaturis intellectualibus homine longè nobilioribus et Deo vicinissimis : unde Lucifer vocatur *signaculum similitudinis* sui opificis, Ezech. 28, v. 12, propter sublimitatem et excellentiam imaginis Dei menti ejus impressæ : ut proinde angeli illi multò majorem superbiendi occasionem habuerint, quàm homo, terra et cinis. PECCANTIBUS; Græcè, *postquàm peccavissent*, per superbiam et consensum conspirationemque cum Lucifero, qui naturæ suæ excellentiâ inflatus dicebat : *Similis ero Altissimo*, sicut eum sub personâ superbissimi regis Babylonis loquentem inducit Isaias 14, v. 13, quemadmodùm eumdem sub majestate et gloriâ regis Tyri describit Ezech. 28, v. 12, 13, etc. Peccato autem superbiæ etiam accessisse invidiam in genus humanum propter Verbi incarnationem angelis ante lapsum revelatam multis hìc argumentis contendit Catharinus, quem sequitur Suarez, Cornelius à Lapide, et ferè illi qui contra S. Thomam docent Verbum divinum fuisse incarnandum ad universi perfectionem, etiamsi primus homo non peccâsset, utunturque S. Pauli ad Hebræos 1, v. 6, auctoritate, malè, ut ibi diximus, in sententiam suam contortâ. NON PEPERCIT, adeò ut ne uni quidem ex tantâ cadentium angelorum multitudine gratiam pœnitendi sit largitus; et hoc ideò quia non tota multitudo angelorum perierat, inquit S. Augustinus, c. 29, Enchiridii : unde è contra quia tota natura humana in suo capite perierat, aliquibus hominibus à se electis pepercit, quibus ruinas angelorum impleret; unde : *Superna Jerusalem nullâ civium suorum numerositate fraudabitur, sed uberiore etiam copiâ fortassè regnabit*, ait ibidem Augustinus. SED RUDENTIBUS INFERNI DETRACTOS, peccatorum funibus, quibus infernus peccatores, et præsertim superbos ac in sublime elatos, deorsùm in suum abyssum trahit. Rudentes autem sunt funes non graciles et imbecilles, sed funes nautici et validissimi, quos nemo valeat frangere, ut significetur angelos non posse vincula illa disrumpere, et se ex iis expedire. Græcè tamen, *catenis caliginis* : nec participium *detractos* in Græco habetur, et fortassè vox ista ex Isaiâ desumpta et hìc addita est, ubi de Lucifero loquens : *Detracta est ad inferos superbia tua*, Isaiæ 14, v. 11, et paulò post : *Ad infernum detraheris in profundum laci*, ibid., v. 15. Catenæ autem caliginis dicuntur quibus mali angeli sub caligine carceris constricti reservantur, ut indicat S. Judas cùm ait Deum *vinculis æternis sub caligine* angelos *reservâsse*, Judæ, v. 6, respiciens ad hunc B. Petri locum. Dedit autem Deus caligini officium catenæ, ait Cajetanus, ad retinendam virtutem motivam dæmonum, ne possint inde exire, hoc est, decreto suo sub caligine eos veluti ibi ligatos continet. IN TARTARUM TRADIDIT; Græcè unico verbo, *tartarizavit*, id est, in infimum inferorum carcerem, ubi damnati irrevocabiliter cruciantur, detrusit. Quem locum Plato tartarum appellat, et poetæ omnes, etiam Latini, post ipsum : unde Virgilius campos elyzios apud inferos à tartaro suppliciorum loco distinguens, fingit Sybillam narrare Æneæ :

Dextera quæ Ditis magni sub mœnia tendit
Hâc iter elysium nobis, at læva malorum
Exercet pœnas et ad impia tartara mittit.

A tartaro fortassè primus S. Petrus verbum ταρταρόω finxit; apud enim nullum alium legitur. CRUCIANDOS; vox ista etiam à Græco abest; IN JUDICIUM, in extremi et universalis judicii diem, RESERVARI, ut reservarentur; tunc enim omnes dæmones solvendi sunt, ut in judicio cum hominibus compareant, et publicâ ignominiâ afficiantur, propter peccata hominum quos seduxerunt, et ut cum ipsis retrudantur in infernum, nunquàm ampliùs exituri. Totus hic locus in Græco clarior, et ad verbum sic habet : *Sed catenis caliginis tartarizans, tradidit in judicium reservatos.* Dubitant theologi quomodò verum sit malos angelos statim post peccatum et ante conditum hominem fuisse in tartara detrusos, et catenis caliginis traditos ibi reservari ad diem judicii, cùm plurimi vagentur hìc in aere, et diabolus ipse, sive Lucifer assumpto corpore serpentis tentaverit Evam, et postea in specie humanâ Christum, Matth. 4, v. 1. Propterea Beda aliique multi dicunt tartarum hìc non significare locum inferni infra terram, sed aerem nostrum caliginosum, qui respectu cœli et superiorum regionum aeris potest infernus et tartarus appellari : unde diabolus dicitur *princeps potestatis aeris hujus*, ad Ephes. 2, v. 2, et dæmones universim vocantur *rectores mundi tenebrarum harum*, ad Ephes. 6, v. 12. Sed verius apparet diabolum et omnes dæmones initio in profundum inferni et propriè dictum tartarum fuisse præcipitatos, et maximam eorum multitudinem semper ibi reservari, licèt aliqui per dispensationem, ut loquitur S. Thom., permittantur inde egredi ad exercitium electorum. Pœnas tamen suas semper secum ferunt, igne infernali tanquàm Dei instrumento agente in distans. Aliqui etiam dæmones certis locis in superficie terræ alligatos esse propter causas nobis incognitas ad pœnam ipsorum, loca à malignis spiritibus infesta indicant, et experientiâ sibi notum testatur Catharinus.

VERS. 5. — ET ORIGINALI MUNDO; Græcè, *et prisco mundo;* et deinde si hominibus mundi prisci incolis, qui à primâ origine usque ad diluvium per annos 1656, duravit, NON PEPERCIT, diluvio aquarum suffocans omnes homines præter octo, et propter hominem universa animalia præter pauca reservata in futuri mundi semen, et tunc quidem quando homines rerum divinarum rudes, utpote qui solam naturæ legem peccato obscuratam pro duce haberent; idcòque misericordiâ magis digni videbantur quàm nunc post novam et tantam Evangelii lucem : non tantùm autem homines et animalia deleta, sed magna pars superficiei terræ immutata, montibus alicubi depressis, aut novis cumulo arenarum suscitatis, et confusis tantâ et diuturnâ mole aquarum omnibus fermè veteris mundi lineamentis, ut probabiliter conjectat Beda; SED OCTAVUM NOE; sed Noe, qui tantùm erat octavus, solùmque septem alios secum habuit in arcâ hoc est, ut alibi dicit, in universum octo animas, 1 Pet. 3, v. 20 : octavus etiam Noe vocatur, quia fortassè ultimus inter octo ingressus est arcam, inquit Thomas Anglicus post Hugonem : non vocatur autem octavus ab Adamo, quia solùm ab eo fuit decimus; JUSTITIÆ PRÆCONEM, qui justitiam Dei vindicativam mundo imminere tam verbo quàm ipsâ arcæ fabricatione prædicabat, et ut homines à peccatis suis ad justitiam converterentur per centum illos fabricationis annos continuò ipsis inculcabat; CUSTODIVIT, ab interitu *per contemptibile lignum justum gubernans*, Sapient. 10, v. 4; DILUVIUM MUNDO IMPIORUM, id est, mundo qui ab impiis tunc gigantibus et sceleratis hominibus, præsertim ex posteris Cain, incolebatur; INDUCENS, tremendâ prorsùs divini judicii severitate, qui miserorum et à gratiâ Dei desertorum mortalium peccatis sic irascitur, ut universos simul et semel obrueret.

VERS. 6. — ET CIVITATES SODOMORUM ET GOMORRHÆORUM; et denique si Sodoma et Gomorrha cum duabus aliis civitatibus vicinis, *Adamâ* et *Seboim;* erant enim quinque civitates intra circulum, qui idcò *Pentapolis* vocabatur, in amœnissimâ parte terræ sanctæ in fine tribûs Juda versùs Orientem; quarum quatuor igne cœlesti perierunt, quinta *Segor* servata est precibus Lothi, ut salvaret se et familiam suam in eâ, Genes. 19, v. 21. Strabo tamen, lib. 16 Geographiæ, dicit prædicari ab indigenis fuisse ibi tredecim urbes, quarum metropolis fuerit Sodoma. Hoc est tertium exemplum quo S. Petrus probat hæreticos non evasuros iram Dei, qui peccata tam angelorum quàm hominum tam horrendâ pœnâ solet plectere. IN CINEREM REDIGENS, fulmine et sulphurei ignis pluviâ, Genes. 19, v. 24, EVERSIONE DAMNAVIT, loca incendii undis Mortui maris contegendo; et ut vestigia veteris pœnæ et iræ Dei in nefandas libidines in omnem posteritatem permanerent, bitumine, nitro et alimentis ignium, aquas maris inspissavit, terram circùm sterilitate damnavit; vicinarum etiam arborum poma, ut testatur Josephus, cinere complevit; quæ speciosa aspectu, sed tacta in cinerem et fumum evanescunt : indicatque idem Sapiens : *In testimonium nequitiæ*, inquit, *fumigabunda constat deserta terra, et incerto tempore fructus habentes arbores*, Sapient. 10, v. 7. In isto autem mari Mortuo dicuntur adhuc extare quædam veterum civitatum ruinæ. Pisces qui ex Jordane quandoque exundante in ipsum deferuntur, statim enecantur; nec ullum animal potest in eo lacu vivere : idcòque mare Mortuum appellatur. Causa est nimia salsedo, et bituminis copia; unde homines manibus pedibusque ligatis injecti supernatant, non propter spiritus sulphureos et bituminosos pondera sursùm repellentes, ut credit Adrichomius, sed propter aquæ densitatem et pondus; ex certâ enim Archimedis demonstratione, solidum liquido injectum supernatat, si aquæ moles solido magnitudine æqualis, ipsi solido præponderet. Longitudo lacûs à septentrione versùs meridiem, est itineris quatuor aut quinque dierum : latitudo ab occidente in orientem, quatuor aut quinque leucarum. Aqua ejus non est tam fœtida hodiè, quàm aliqui auctores narrant; nam nullum sal aliud Jerosolymis et in vicinis civitatibus consumitur, quàm ex

eo lacu, ut Quaresmius testatur; nec littora circumquàque sunt ita nuda et exusta flammis, quin frater Anselmus Minorita narret se in parte littoris viridi et pascuis abundante lavisse pedes, et vidisse natantes Mauros et Græcos, nec quidquam ex aquâ fœtoris percepisse. Brocardus tamen à dextrâ et sinistrâ parte aridis et sterilibus montibus præcingi scribit. EXEMPLUM EORUM, exemplar et typum in quo licet veritatem quasi depictam cernere : unde eamdem vocem Græcam interpres vertit *exemplar*, ad Hebr. 9, v. 23; QUI IMPIÈ ACTURI SUNT, imitando nefandam Sodomitarum libidinem, aut alia quæcumque enormia flagitia perpetrando; PONENS, omnibus seculis, ait Beda; putatur enim vestigium illud excidii Sodomorum mansurum usque ad finem seculi, ut homines impii cogitent quòd sicuti illæ civitates igne cœlesti in cinerem redactæ sunt, ita ipsi mittendi sunt : *In stagnum ignis et sulphuris*, ubi *cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum*, Apoc. 20, v. 10.

VERS. 7. — ET JUSTUM LOTH, nepotem Abrahæ ex fratre suo Aram, OPPRESSUM; Græcè, *fatigatum*, valdè fatigatum usque fermè ad oppressionem, A NEFANDORUM INJURIA, non tantùm quando vim inferebant domui ejus ut educerent angelos, Gen. 19, v. 9, sed toto tempore quo inter ipsos habitavit; homines enim nefarii solent justos sibi dissimiles malè tractare et injuriis vexare. Vox tamen *injuriâ* abest à Græco. Ac LUXURIOSA CONVERSATIONE, ab impudico et dissoluto genere vivendi, ERIPUIT, à peccatis Sodomorum per gratiam suam, et à pœnâ per angelos suos, qui manum Loth et uxoris ac duarum filiarum arripientes, eduxerunt extra Sodomam cùm nollent exire, Gen. 19, v. 16.

VERS. 8. — ASPECTU ENIM ET AUDITU JUSTUS ERAT; nec enim oculi ejus, nec aures pollutæ sunt turpitudine flagitiorum, quamvis videndo et audiendo ad libidinem sollicitaretur, ut exponit Œcumenius. HABITANS APUD EOS; unde mirum est justum et incontaminatum permansisse, cùm : *Qui tangit picem, inquinetur ab eâ*, Eccl. 13, v. 1. QUI DE DIE IN DIEM, perseveranter et sine cessatione, ANIMAM JUSTAM, ipsius justi Loth, INIQUIS OPERIBUS, fornicationibus, adulteriis, masculorum concubitibus, quæ ab illâ nefandâ civitate peccata sodomitica jam vocantur, CRUCIABANT, occasio erant cur ipse se cruciaret; Græca enim ad verbum sic habent : *Aspectu enim et auditu ille justus habitans in ipsis, diem ex die animam justam iniquis operibus cruciabat* : ut sit iste sensus, quòd justus Loth aspiciendo et audiendo flagitia Sodomitarum, iniquis istis ipsorum operibus seipsum discruciaret : et quidem verbum Græcum propriè significat cruciatum quali tortores noxios in equuleo positos discruciare solent : unde apparet magna justitia Loth qui ex abundantiâ amoris Dei et proximi, ita peccatis alienis, quæ emendare non poterat, animam suam sic discruciabat, et cum justo David videndo prævaricantes tabescebat, psal. 118.

VERS. 9. — NOVIT DOMINUS, ut jam exemplis Noe et Loth probatum est, PIOS DE TENTATIONE ERIPERE, ne à pravis hominibus corrumpantur, inter quos habitant, et à quibus tentantur ad malum; INIQUOS VERO, ut angelos malos, originalem mundum, et Sodomitas, quorum exempla ante attulit, IN DIEM JUDICII (universalis) RESERVARE CRUCIANDOS, quia in illo die novus cruciatus accidentalis dæmonibus infligetur, ut ante diximus, et homines mali in corpore et animâ graviùs cruciabuntur quàm jam in solâ animâ, inquit Beda. Videtur hìc S. Petrus claudere sententiam superiùs, v. 4, inchoatam : *Si Deus angelis*, etc., quibus exemplis sanè patet quòd : *Novit Dominus*, etc.

VERS. 10. — MAGIS AUTEM; Græcè, *Maximè autem*, cruciandos reservat, EOS QUI POST CARNEM, tanquàm pedissequi post dominam suam, cujus desideriis in omnibus obsequuntur; IN CONCUPISCENTIA, tanquàm in viâ quâdam lutosâ, IMMUNDITIÆ, libidinum immundarum, quæ polluunt animam et corpus, AMBULANT; tam internis animi affectibus quàm externis corporis operibus. Tales eo tempore erant hæretici Simoniani et Nicolaitæ, qui promiscuum feminarum usum permittebant : tales etiam nostro ævo Lutherus, qui religiosus et sacerdos monialem duxit, et ex eâ sex liberos suscepit, inquit Feuardius, Bucerus Trigamus, Œcolampadius, Munsterus, Vermilius, et sexcenti alii religiosi et sacerdotes apostatæ, qui sacrilegis nuptiis exemplo Lutheri se polluerunt; Bezam etiam non puduit flagitia sua sodomitica versibus elegantibus celebrare : et denique universi religiosi aut sacerdotes à fide apostatæ, statim ac primò ferè omnium, ad nuptias convolant, ostendentes quo spiritu impulsi religionem catholicam deseruerint. Unde S. Petrus videtur hìc tanquàm in speculo, ait Catharinus, hæresiarchas et hæreticos nostri temporis repræsentare. DOMINATIONEMQUE CONTEMNUNT, non tantùm sunt immundi et luxuriosi, sicut Sodomitæ, sed etiam superbi, sicut Lucifer et cacodæmones; nam dominos suos et superiores tam seculares quàm ecclesiasticos, imò Deum ipsum, qui est Dominus dominorum, contemnunt. Tales etiam erant primi illi hæretici Simoniani, Nicolaitæ, etc. S. Hieronymus, lib. 1, cap. 25, contra Jovinianum, dicit, sui temporis hæreticos hìc à S. Petro describi : sed et nostri temporis, et omnium temporum describuntur, quia omnes sunt sibi similes; omnium enim hæreticorum mater est superbia, ait S. Augustinus, soror autem est libido; difficile enim est hæreticum reperire qui diligat castitatem : non quòd labiis eam præferre desistat, sed quòd non conservet in conscientiâ, aliud loquens, et aliud faciens, ait S. Hieronymus, in cap. 9 Osee. Superbiam suam et contemptum dominationum ostendunt etiam nostri temporis hæretici, qui reges et principes, pontifices et episcopos contemnendo, totum regimen tam sacrum quàm politicum, quantùm in ipsis est, ad se trahunt; et paulatim etiam usque ad atheismum proficiunt, ut multis exemplis probari potest. Beza tamen hæc verba S. Petri torquet contra clericos à jurisdictione secularium principum exemptos; quasi idem sit dominationi seculari non subesse,

et eam contemnere; honorant enim secularem potestatem clerici, et licèt ei non subsint, alios tamen superiores ecclesiasticos habent à quibus coerceantur. Si autem Sodomitæ propter libidinem, et angeli mali propter superbiam, sic puniti sunt, quomodò isti hæretici, qui simul luxuriosi et superbi sunt, evadent? AUDACES, magna enim est audacia superiores suos contemnere, et præsertim seculares, qui *non sine causâ gladium portant*, ad Rom. 13, v. 4. Nonne enim audax in Cæsarem Lutherus, qui totam Germaniam et imperium sic perturbare est ausus? Nonne audax in Pontificem, qui anno 1520 omnes Juris pontificii tomos in foro Wittenbergensi publicè manu carnificis jussit exuri? Nonne audax discipulus ejus Thomas Muncerus, qui anno 1525 aliquot centena millia rusticorum in Germaniâ contra principes suos armavit? SIBI PLACENTES, in suo sensu pertinaces, et imaginationum suarum idololatræ: unde Erasmus *præfracti* vertit. SECTAS NON METUUNT INTRODUCERE, opiniones in religione novas, quibus discipulos et sectatores post se trahant, qui ab eorum nominibus Simoniani, Nicolaitæ, Ariani, Lutherani, etc., appellantur. BLASPHEMANTES Deum, contra cujus doctrinam sectas introducunt. Græcus aliter: *Glorias non metuunt blasphemantes*, id est, maledicere iis qui in Ecclesiâ aut seculo sunt gloriosi, et in majestate ac dignitate positi, non metuunt; sicut enim dominationem, sive eos qui dominium jurisdictionis in ipsos habent, contemnunt, ita quoslibet in glorià et dignitate constitutos eàdem superbià conviciantur et maledicunt. Hic sensus confirmatur ex S. Judæ v. 8, qui ferè totam suam Epistolam formavit ex hâc secundâ S. Petri; ibi enim interpres eamdem Græcam sententiam vertit: *Majestatem autem blasphemant*. Varietas provenit ex æquivocatione vocis Græcæ δόξα, quæ nunc opinionem, nunc gloriam et dignitatem, sive majestatem significat: unde interpres hìc in priori significatione accepit, quando vertit *sectas*, seu opiniones hæreticas, quibus sibi hæresiarchæ sectas parant: et postea, ut sensus suppleretur, verbum *introducere* additum est ab eodem interprete. Quanti autem majestatum blasphematores sint hæretici hujus seculi, historiæ Belgii et Galliæ narrant, in quibus convicia et maledicta Calvinistarum adversùs catholicam et christianissimam majestates describuntur: patet etiam ex libro Lutheri adversùs regem Angliæ, quem non tantùm sicut discipulum, sed sicut asinum et pecus mille conviciis proscindit.

VERS. 11. — UBI ANGELI, quandoquidem angeli, FORTITUDINE ET VIRTUTE, robore et potentiâ naturalium et supernaturalium donorum, CUM SINT MAJORES, luteis et infirmis hominibus, NON PORTANT, non inferunt, ut explicat S. Judas, v. 9, ADVERSUM SE, unus adversùs alterum ejusdem naturæ, bonus angelus adversùs malum: quod S. Judas probat exemplo Michaelis disputantis cum diabolo, et altercantis de Moysi corpore; EXECRABILE JUDICIUM; Græcè *blasphemum judicium*, quo nempe unus alterum reum judicat blasphemando et execrando ipsum; Græcus addit *apud Dominum;* nam Satan et angeli mali comparent interdùm cum angelis bonis coram Domino, ut patet Job. 1, v. 6. Sunt aliæ multæ hujus loci interpretationes, sed hanc quam sequimur, præit nobis S. Judas, Epistolæ suæ, v. 9.

VERS. 12. — HI VERO, hæresiarchæ ac eorum asseclæ, VELUT IRRATIONABILIA PECORA; Græcè, *irrationabilia animalia;* quæ eadem verba interpres vertit *muta animalia*, Judæ v. 10. Irrationabilia enim animalia dicuntur muta, quia voce articulatâ carent, et mugiunt tantùm, aut mutiunt confuso sono; inde enim vox *mutus*, derivata putatur. NATURALITER IN CAPTIONEM; Græcus addit *facta;* quæ naturâ suâ à Deo facta sunt ut venatu aut alio modo ab hominibus capiantur, ET IN PERNICIEM; Græcè, *et in corruptionem*, id est, et ut interficiantur ac corrumpantur in escam et necessitates hominum; quia enim ratione carent, ideò in alimentum et usum hominum ratione utentium naturaliter destinantur. Græcè tamen non adverbium *naturaliter*, sed nomen *naturalia* positum est: *Naturalia facta in captionem et perniciem*. Sed nomina aliquando usurpantur adverbialiter; ideòque ista verba exponi possunt sicut ante, vel certè: *Naturalia facta*, etc., quæ impetu quodam naturali, sicut bruta animalia, dùm voluptatibus suis inhiant, incidunt in laqueos quibus capiuntur in æternam suam perniciem, ut exponit Beda. IN HIS QUÆ IGNORANT BLASPHEMANTES; castitatem et virtutes christianas, ac sacrosancta fidei mysteria, quæ ignorant, maledictis proscindentes. Clariùs S. Judas, v. 10: *Quæcumque ignorant, blasphemant*. IN CORRUPTIONE SUA, propter libidines suas, quibus animam et corpus corrumpunt, PERIBUNT, æternâ morte.

VERS. 13. — PERCIPIENTES MERCEDEM INJUSTITIÆ, pœnas scelerum suorum. Pœna vocatur merces injustitiæ quia injustitiæ debita est: unde alter apostolus: *Stipendium peccati mors*, ad Rom. 6, v. ult. Injustitiam autem vocat omne peccatum, quomodò è contra omne opus bonum justitia appellari solet, tam in veteri quàm novo Testamento. VOLUPTATEM EXISTIMANTES DIEI DELICIAS; putantes veram voluptatem consistere in diei unius aut alterius deliciis carnalibus, sicut Epicuri de grege porci, qui credunt nihil superesse post hanc vitam; Græcè, non *diei delicias*, sed *in die*, vel *in diem delicias*, quas Œcumenius delicias quotidianas interpretatur. Beda verò *diei delicias* intelligit honestas, quibus liceat claro die operam dare; cùm tamen potiùs essent voluptates deliciæ noctis et obscœnissimæ; eò enim usque delabuntur homines etiam christiani, ut instar cynicorum et canum publicè et claro die ea exercere audeant quæ natura tenebris velari voluit. *Gratiâ* enim *non subveniente, quid sunt homines nisi, quod ait apostol. Petrus, velut muta animalia procreata naturaliter in captivitatem et interitum?* ait S. Aug., l. 2, c. 8, de Nupt. COINQUINATIONES ET MACULÆ; homines isti non tantùm sunt libidinibus coinquinati et maculosi, sed sunt ipsæmet potiùs coinquinationes et maculæ, in quibus nihil est puri; ita in omnes libidinum fœditates et dedecora sunt projecti. Sic hominem

sceleratissimum scelus ipsum ; hominem impudentissimum ipsàm impudentiam solemus appellare. Hoc autem propriè convenit hæreticis Gnosticis, qui ex Nicolaitis sunt orti, quorum nefandas libidines et pollutiones non sine ruboris præfatione S. Epiphanius narrat : Levitæ autem ipsorum, inquit, qui sanctitate inter eos præcipui erant, non utebantur feminis, sed inter se sodomiticè congrediebantur ; ut proinde non de nihilo S. Petrus supra, v. 6, excidii Sodomorum ad terrorem ipsorum mentionem injecerit. Cùm verò hæc libidinum monstra Christianos se vocarent, maximam *nomini christiano infamiam* inusserunt, ut ex Tertulliano et vicinis temporibus apostolorum Patribus constat. Unde fortè hùc spectat quòd Christianos martyres sub Nerone non perinde in crimine incendii urbis Romæ, de quo falsò accusabantur, quàm odio humani generis convictos fuisse narrat Tacitus. Delicias affluentes, in cibo, potu, incessu, etc., ut solent molles et effeminati ; in convivis suis, quæ agapæ, sive charitates vocabantur apud primos Christianos, *in* quibus pauperes *epulabantur gratis*, et recreabantur cum divitibus. Hodiè tamen Græcè : *In deceptionibus suis*, id est, per deceptiones falsæ doctrinæ et hypocrisis, quibus divitias à vobis emungunt, et in gratiam divitum se insinuant, ut lautè et delicatè cum illis vivant. Luxuriantes vobiscum ; Græcè : *coepulantes vobis*, opiparè et luxuriosè vobiscum epulantes. *Luxuria enim non tantùm in venereis*, sed etiam in luxu mensarum dicitur, juxta illud poetæ :

O prodiga rerum
Luxuries, nunquàm parvo contenta paratu !

Vers. 14. — Oculos habentes plenos adulterii, qui non respirant nisi adulteria et impuros amores : oculi enim sunt sedes amoris, et scintillant ubi cor ardet ; et incessabilis delicti, et aspiciendo formosa aut *impudica sine* cessatione de uno peccato in aliud pertrahunt ; nam *oculi sunt in amore duces*, ut ait quidam ; et principium amoris impudici est aspectus *impudicus*, inquit Nazianzenus ; unde meritò S. Job . *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*, Jobi 31, v. 1. Libido autem venerea verè est incessabile delictum, inquit Catharinus, quod si fortè opere expleri nequit, in corde tamen ignis ardet, nisi Deus magno miraculo cor purificet ; proinde qui vim illam incendii *restinctam sentiunt*, Deo assiduas gratias agant. Pellicientes, concessis voluptatibus, quas verbo et exemplo docent, allicientes et attrahentes ad suam hæresim. Græcè, *inescantes*, sicut pisces allicere et inescare solent piscatores ad deglutiendum hamum cum escâ. A pelliciendo dicitur pellex, quæ propriè est concubina, blanditiis virum à suâ uxore alienans et ad se pelliciens. Animas instabiles, inconstantes et adhuc infirmas in fide ; tales enim animæ sunt maximè opportunæ hæreticorum *fraudibus*, præsertim si illi per amœnam et latam carnalium voluptatum viam, quibus animæ infirmæ maximè capiuntur, cœlum et vitam æternam promittant, sicut antiqui illi gnostici, et ex parte nostri temporis Hugonistici, ut Fevardentius eos appellat. Cor exercitatum avaritiâ habentes, non solùm habentes cor avarum, sed etiam studio ac sollicitudine habendi, et undique corradendi exercitatum ; avarè enim undique conquirebant ut prodigè in luxus mensarum et libidines suas expenderent. Multorum etiam non tantùm hæreticorum, sed etiam *piorum (quantàm apparet) in* Ecclesiâ virorum corda aviditas illa habendi exercet, etiam usque ad cæcitatem ; videntur enim esse simplices et SS. Tobiæ, sed quos dormientes juxta parietem stercora hirundinum excæcant, Tobiæ, 2, v. 11. Hirundines sunt sancti in altum volantes, quorum conversatio est in cœlis, ait Thomas Anglicus ; stercora *ipsorum* sunt bona temporalia, quæ arbitrantur ut stercora, ut Christum lucrifaciant, ad Philip. 3, v. 8. Maledictionis filii, digni *maledictione* æternâ, quam hæreditabunt, sicut filii hæreditatem patris. *Filius maledictionis, filius gehennæ, filius mortis*, etc., Hebraicâ phrasi est idem ac dignus morte, etc.

Vers. 15. — Derelinquentes rectam viam, qui postquàm semel reliquerunt viam fidei rectam, erraverunt, ab hâc et alterâ parte viæ rectæ deflectentes, sive ab *uno* errore *in* alterum vagi et *palantes*, prout avaritia aut voluptas iis suadet. Unde S. Judas, v. 13, eos *sidera errantia*, sivè planetas vocat, qui à mediâ Zodiaci ecliptică nunc in septentrionem, nunc in austrum palantur et evagantur. Secuti viam, id est, avaritiam, Balaam, arioli, ad quem Bala rex Moab miserat nuntios habentes pretium divinationis in manibus, ut divinando malediceret Israelitis, Num. 22, v. 7. Ex Bosor, Græcè, *Ipsius Bosor*, nempe filius. Vocatur tamen Balaam filius Beor, Num. 22, v. 5 ; sed Græci nomina Hebraica facilè in alios sonos vicinos mutant, ut plurimis exemplis apud Septuaginta patet ; nam ex Hebraico משה *Moseh*, fecerunt Moysen, ex שלמה *Selomoch*, Salomon, ex ישעיהו *Iesahiahu*, Isaiam, ex ירמיהו *Irmeiahu*, Jeremiam, denique ex בלעם *Bilam*, Balaam. Beda tamen Bosor, non patrem, sed civitatem Balaami fuisse putat. Qui mercedem iniquitatis, pecuniam et munera quæ sperabat ex iniquâ maledictione populi cui benedixerat Dominus, amavit, in tantum ut cùm Deus jussisset eum Israel benedicere, iteratis tamen impiis sacrificiis, et mutato aliquoties loco unde castra Israelitarum despicere posset, conatus sit maledicere, Num. 22 et 23.

Vers. 16. — Correptionem vero habuit, correptus verò et redargutus fuit, suæ vesaniæ, Græcè, *propriæ transgressionis*, quâ ex insanâ avaritiæ cupiditate tentabat transgredi præceptum Domini, qui ei jusserat ne Israelitis malediceret ; subjugale, jumentum quale homines ad ferendas sarcinas et onerà subjugare solent ; erat autem asina ; mutum animal, voce articulatâ et humanâ naturaliter destitutum. Vocabulum *animal* abest à Græco. Hominis voce loquens, angelo *linguam* et labia ejus movente, ut domino suo eam tertiò verberanti diceret : *Cur percutis me ? ecce jam tertiò*, etc., Num. 22, v. 28, nesciens quid diceret, quia ejus imaginatio percipere non poterat quid esset tertiò percutere, cùm numerare sit opus rationis

inquit ex Aristotele Carthusianus; unde Avicenna dicit : « Gallina numerum pullorum non noscit, sed multitudinem percipit. » Verba autem asinæ non fuerunt propriè verba correptionis, sed solùm querelæ, quòd se progredi nolentem percuteret. Verùm hoc ipso asina confudit Balaami dementiam. *Quòd* ipsa *prohibitionem Domini per angelum factam transgredi non auderet, quam ille cupiditate avaritiæ transgredi conabatur, quamvis eamdem cupiditatem timore supprimeret*, ait Augustinus, quæst. 48 super Numeros. PROHIBUIT PROPHETÆ INSIPIENTIAM, dando occasionem ut angelus se ostenderet Balaamo, et prohiberet ne insipienter contra præceptum Dei Israeli maledicere vellet. Asina corripit et prohibet prophetæ avari insipientiam, quando docti ab indoctis, clerici à laicis meritò reprehenduntur et lacerantur propter avaritiam, inquit Beda. Vocatur Balaam propheta, sicut sacerdotes Baal vocantur prophetæ, 3 Reg. 18, v. 19; nam fuit gentilis, idololatra, magus et ariolus, qui consulto dæmone responsa dabat; sacrificabat enim in montibus et excelsis, ut idololatræ solebant, Num. 23, v. 29. Idem colligit S. Augustinus, q. 48 super Numeros, quia *loquente asinâ non est territus*, utpote *talibus*, inquit, *monstris assuetus*. Dicit etiam eum fuisse et mansisse reprobum, quia S. Petrus hoc loco reprobos quosdam viam ejus secutos fuisse ait. Locutus tamen ei fuerat Dominus, licèt esset propheta dæmonum, *quia Deus utitur etiam malis ad utilitatem bonorum*, inquit S. Thomas, 2-2, quæst. 172, art. 6, unde benedictionem Israelis et præclaram illam prophetiam : *Orietur stella ex Jacob*, etc., Numer. 24, v. 29, non furente animo et nesciens quod diceret, sicut vates dæmonum solent, ut docent Œcumenius et S. Th., 2-2, q. 165, art. 2, sed animo præsenti et ad verba et sensus attento protulit.

VERS. 17. — HI SUNT FONTES, quia se aquâ vitæ et veræ fidei doctrinâ plenos jactant, ut omnes hæretici solent. Hæc tamen et sequentia de iis qui habent veram fidem, sed sine operibus, exponit S. Augustinus : *Fontes appellat*, inquit, *quòd acceperint agnitionem Christi; siccos autem, quia non congruenter vivunt*, cap. 23, lib. de Fide et Operibus. SINE AQUA; et tamen sicci sunt, aut certè luto ad inquinandos tantùm homines, non aquâ ad abluendos aut potandos pleni sunt. Tales etiam hæretici nostri temporis, à longè fontes speciosi et quasi marmore circumscripti esse videntur; si verò fundum inspicias, veterum hæreticorum Simonis, Joviniani, Berengarii, et aliorum cœnum et sordes tantùm videbis. ET NEBULÆ, etiam aridæ, quæ plurimùm siccæ exhalationis, nihil fœcundi humoris vehunt, factæ solùm ad obscurandum solem, non ad fundendum doctrinæ salutaris rorem. Unde S. Judas, v. 12, vocat eos *nubes sine aquâ*. TURBINIBUS EXAGITATÆ, ventis turbulentis hùc illùc impulsæ; prout enim lucri, voluptatis, vanæ gloriæ et aliarum perturbationum spes ab hâc aut illâ parte afflat, opiniones et doctrinam suam mutant hæretici; idcircò Judæ, v. 12, vocantur *nubes quæ à ventis circumferuntur*. Inter turbines quibus exagitantur hæretici, Thomas Anglicus argumenta etiam philosophica recenset, quibus ipsi in Ecclesiâ tempestates movent. QUIBUS CALIGO TENEBRARUM, quibus hæreticis, qui per nebulas significantur; particula enim *quibus* est masculini generis, ut ex Græco patet, cùm tamen *nebulæ* etiam in linguâ Græcâ sint generis feminini. *Caligo tenebrarum* sunt tenebræ tenebrarum et densissimæ, quales sunt tenebræ infernales à regione lucis remotissimæ. Congrua autem tenebrarum pœna iis infligitur, qui tanquàm nubes aliis obstaculo fuerunt, ne solem justitiæ et veritatem cernerent, ait Catharinus. *Caliginem tenebrarum* interpres vertit *procellam tenebrarum*, Judæ 13, quia caligo illa tenebrosa plena est tempestate, confusione, fletu et stridore dentium. RESERVATUR, in æterno Dei decreto. S. Judas addit *in æternum*, quod etiam Græca hìc habent.

VERS. 18. — SUPERBA ENIM VANITATIS LOQUENTES, verba vanitate tumentia, ampullas et sesquipedalia projicientes; *doctrina* enim *hæreticorum non in sensu, sed in multiloquio et clamore versatur; inflati tument et sacratiora se invenisse gloriantur*, ait S. Hieronymus, Isaiæ 22. Unde computari solent ranis quæ inflato gutture suas coaxationes magnâ gravitate resonant; hæretici enim rerum penuriam abundantiâ verborum compensant, ut arbores infructiferæ foliis abundare solent. Hâc ergo inflatâ et splendidâ eloquentiâ PELLICIUNT, Græcè, *inescant*, quasi appositâ escâ, ut aves et pisces decipi solent, alliciunt, IN DESIDERIIS CARNIS LUXURIÆ, per desideria carnalis luxuriæ; quæ cùm naturæ hominum corruptæ per se blandiantur, et superbâ insuper ac splendidâ eloquentiâ illa desideria licita esse prædicent, et exemplo suo discipulis præeant, mirum non est si facilè pelliciant, EOS QUI PAULULUM EFFUGIUNT, Græcè, *effugerunt*, qui parùm et aliqualiter solùm ab infidelitate et vitiis carnalibus se abstraxerunt, id est, homines adhuc imperfectos et animas instabiles, ut dixit vers. 14. QUI IN ERRORE CONVERSANTUR, paululùm effugerunt, inquam, illos qui adhuc in medio errore fidei et pravorum morum versantur, infidelitatis tenebris et luxuriæ cœno adhuc immersi. Unde quia istis pessimis tam vicini adhuc sunt, faciliùs ab hæreticis pelliciuntur, et in medium lutum, unde emerserant, retrahuntur.

VERS. 19. — LIBERTATEM fruendi carnalibus voluptatibus impunè et sine offensâ Dei, ILLIS, discipulis suis, PROMITTENTES, et hanc interpretantes esse libertatem christianam ad quam Christus nos vocavit; unde dicuntur *Dei nostri gratiam in luxuriam transferre*, Judæ v. 4; *putaverunt* enim *hoc esse liberè vivere, ut de tantâ redemptione securi, quidquid liberet licere sibi arbitrarentur*, ait Augustinus, cap. 24 de Fide et Operibus. Horum imitatores sunt hæretici nostri seculi, jejunia, vota monastica, castitatem et bonorum operum necessitatem abrogantes, et docentes nullum hominem quantùmvis omnibus flagitiis coopertum posse damnari, modò credat. Hæc vitæ libertas, non virtutum amor, tam multos iis discipulos conciliat. Quis enim non libenter audiat : Manducemus et bibamus, et in æternum regnabimus? ait S. Hieronymus

ad Jovinianum ipsis simillimum, qui è monacho factus erat cupediarius, ut loquitur Hieronymus. CUM IPSI (hæresiarchæ) SERVI SINT CORRUPTIONIS, subjugati sint à carnali et corruptâ suâ concupiscentiâ, cui serviunt sicut dominis mancipia. Unde libertatem veram aliis dare non possunt, cùm ipsi veram et miseram servitutem serviant. Probat autem se non malè vocâsse eos *corruptionis servos*; A QUO ENIM QUIS SUPERATUS EST, in bello, more veteri, HUJUS ET SERVUS EST. Græcè: *Huic et servus factus est;* captivi enim olim in bello servari ad serviendum, aut vendi aliis solebant; unde etiam à servando nomen servi derivatum est. Hunc S. Petri locum adversùs Pelagianos libertatem arbitrii jactantes sæpè ex aliâ versione sic citat S. Augustinus: *A quo quis devictus est, huic et servus addictus est;* verùm servi victi et capti bello non propriè addicti dicebantur, sed addicti apud veteres illi propriè erant, qui pecuniæ damnati, quia solvere non poterant, creditoribus tantisper dùm solvissent in servitutem addicebantur. Licèt autem mali homines servi sint peccati et concupiscentiæ suæ, non ideò tamen liberum arbitrium amiserunt, ut Lutherus ex hoc loco malè argumentatur; *nam liberum arbitrium usque adeò in peccatore non periit, ut per illud peccent maximè omnes qui cum delectatione peccant, et amore peccati hoc eis placet quod eis libet*, ait Augustinus, lib. 1, cap. 2, ad Bonifacium. Nam obedire est opus liberi arbitrii: tam autem peccatores dicuntur obedire peccato, quàm justi obedire justitiæ, ad Rom. 6, v. 16.

VERS. 20. — SI ENIM REFUGIENTES; Græcè: *Si enim postquàm effugerunt.* Probat non veram, sed falsam esse libertatem quam promittunt hæresiarchæ Christianis quos seducunt. COINQUINATIONES MUNDI. Peccata quibus mundanorum hominum animæ inquinari solent. IN COGNITIONE DOMINI NOSTRI, per cognitionem et fidem Domini nostri; non quasi per fidem solam recedatur ab inquinationibus mundi, sed quia fides et cognitio Christi est principium omnium gratiarum quibus perfectè receditur, et quibus homo à servitute peccati transit ad justitiæ libertatem. His RURSUS IMPLICATI, tanquàm aves et pisces retibus hæresiarcharum eos inescantium, ut ante dixit, SUPERANTUR, atque ita servi peccati et concupiscentiæ suæ rursùs fiunt. Hinc patet falsum esse quod calvinistæ et hæretici *hujus temporis docent, justitiam semel* adeptam non posse amitti; ideòque omnes fideles esse certos de suâ salute. FACTA SUNT EIS POSTERIORA; posterior eorum status, quo in pristinas sordes retracti sunt; DETERIORA PRIORIBUS, quia jam sunt apostatæ, peccant ex scientiâ aut ignorantiâ affectatâ, et denique propter ingratitudinem, et quia malè usi sunt gratiis prioribus. Unde quia habitatorem Spiritum sanctum ejecerunt, dant iterùm locum priori spiritui immundo, qui non redit solus, sed *assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus*, Lucæ 11, vers. 26; Græcè autem: *Ultima pejora primis*, quæ sunt etiam ipsissima verba Græca quibus hìc utitur S. Petrus; ut proinde ad illam Christi sententiam videri possit aspexisse. Figura hujus mutationis in deterius fuit uxor Loth, quæ postquàm evasisset incendium Sodomorum et retrospexisset, ita in deterius conversa est, ut ex creaturâ *rationali fieret irrationalis et statua salis*, Gen. 19, v. 26.

VERS. 21. — MELIUS ENIM ERAT ILLIS; minus enim malum fuisset illis in hæresim, et pristinas sordes *relapsis* NON COGNOSCERE VIAM JUSTITIÆ, *non cognovisse* fidei et christianæ legis præcepta, quæ sunt unica via ducens ad justitiam, et deinde ad vitam æternam, QUAM POST AGNITIONEM, post susceptam fidem et cognita fidei mysteria ac præcepta, RETRORSUM CONVERTI, Græcè, *reverti;* unde interpres addidit vocem *retrorsùm*, ad explicandam verbi istius proprietatem; AB EO QUOD ILLIS TRADITUM EST per apostolos et Evangelii sui præcones, SANCTO MANDATO, lege christianâ, quæ observatores suos sanctos facit. S. Ambrosius tamen dicit perfidis prodesse quòd ex parte crediderint, etiamsi in æternum pereant, spectando nempe numerum peccatorum, non gravitatem; pauciora enim peccata commiserunt quando fideles erant, sed post agnitam veritatem apostatæ facti committunt graviora, quia jam ex scientiâ aut ignorantiâ affectatâ peccant; hæc autem peccata longè graviora sunt prioribus ex simplici ignorantiâ in infidelitate commissis; ideò enim S. Paulus dicit se misericordiam consecutum esse, quia ignorans persecutus erat Ecclesiam in incredulitate, 1 ad Tim. 1, v. 13; nam mitior est causa eorum qui nescientes peccant, ait S. Aug., cap. 25 de Fide et Oper.

VERS. 22. — CONTIGIT ENIM EIS, accidit enim ut in ipsis verificetur ILLUD VERI PROVERBII, illud verum proverbium scriptum Proverb. 26, v. 11: CANIS REVERSUS AD SUUM VOMITUM, ut illum resorbeat, non autem ut iterùm vomat; quod patet si integrum Proverbium inspiciatur: *Sicut canis qui revertitur ad vomitum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam;* sicut ergo canis resorbens id quod vomuerat, immundior est quàm antea quando simplicem tantùm escam devoraverat, ita peccator quando iterat stultitiam, et ad easdem peccatorum sordes revertitur, quibus per baptismum aut pœnitentiam se exoneraverat; ET SUS LOTA IN VOLUTABRO LUTI; et etiam accidit ut alterum proverbium in ipsis verificetur; sus postquàm à luto et *sordibus suis lota est, in volutabro luti iterùm se volvit* ac revolvit, et fit immundior quàm ante fuit. Græcè tamen: *In volutabrum luti*, nempe iterùm reversa; hoc enim participium ex superiori proverbio repeti debet. *Hoc ultimum proverbium* S. Petrus de suo addit, inquit Beda, aut certè sumpsit è communi, et fortassis alludit ad Borboritas, hoc est, lutosos, quomodò propter immunditiam olim à fidelibus vocati sunt gnostici. Libidinosi homines vocantur canes propter impudentiam et salacitatem, porci et sues propter spurcitiam, in quâ se volvunt ut sues in luto. Talibus etiam voluptatibus homines obbrutescunt, ut stolidi prorsùs et stupidi fiant, sicut sues stolidissimum et sine ullo ingenio animal, cui anima, ut dici solet, à naturâ data est pro sale.

CAPUT III.

1. Hanc ecce vobis, charissimi, secundam scribo Epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem :

2. Ut memores sitis eorum quæ prædixi verborum à sanctis prophetis, et apostolorum vestrorum, præceptorum Domini et Salvatoris.

3. Hoc primùm scientes, quòd venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes,

4. Dicentes : Ubi est promissio, aut adventus ejus? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ.

5. Latet enim eos hoc volentes, quòd cœli erant priùs, et terra, de aquâ et per aquam consistens Dei verbo;

6. Per quæ, ille tunc mundus aquâ inundatus periit.

7. Cœli autem qui nunc et sunt, et terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii, et perditionis impiorum hominum.

8. Unum verò hoc non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus.

9. Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant : sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.

10. Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa verò calore solventur, terra autem, et quæ in ipsâ sunt opera exurentur.

11. Cùm igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus?

12. Expectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent.

13. Novos verò cœlos et novam terram secundùm promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat.

14. Propter quod, charissimi, hæc expectantes, satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace;

15. Et Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini; sicut et charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis,

16. Sicut et in omnibus Epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.

17. Vos igitur, fratres, præscientes custodite; ne insipientium errore traducti excidatis à propriâ firmitate.

18. Crescite verò in gratiâ et in cognitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi. Ipsi gloria et nunc, et in diem æternitatis. Amen.

CHAPITRE III.

1. Mes bien-aimés, voici la seconde lettre que je vous écris : et dans toutes les deux je tâche de réveiller vos âmes simples et sincères par mes avertissements,

2. Afin que vous vous souveniez des paroles des saints prophètes dont j'ai déjà parlé, et des préceptes de notre Seigneur et Sauveur que vous avez reçus de nous, qui sommes vos apôtres.

3. Sachez, avant toutes choses, qu'aux derniers temps il viendra des séducteurs pleins d'artifice qui suivront leurs propres passions,

4. Et qui diront : Qu'est devenue la promesse de son second avénement? car depuis que nos pères sont dans le sommeil, toutes choses demeurent au même état où elles étaient au commencement du monde.

5. Mais c'est par une ignorance volontaire qu'ils ne considèrent pas que les cieux furent faits d'abord par la parole de Dieu, aussi bien que la terre qui parut hors de l'eau, et qui subsiste au milieu de l'eau;

6. Et que le monde d'alors périt, étant submergé par le déluge des eaux.

7. Aussi les cieux et la terre d'à-présent sont gardés par la même parole, et sont réservés pour être brûlés par le feu, au jour du jugement et de la ruine des hommes méchants et impies.

8. Mais il y a une chose que vous ne devez pas ignorer, mes bien-aimés, qui est qu'aux yeux du Seigneur un jour est comme mille ans, et mille ans comme un jour.

9. Ainsi le Seigneur n'a point retardé l'accomplissement de sa promesse, comme quelques-uns se l'imaginent; mais il vous attend avec patience, ne voulant pas qu'aucun périsse, mais que tous retournent à lui par la pénitence.

10. Car le jour du Seigneur viendra comme un voleur : et alors, dans le bruit d'une effroyable tempête, les cieux passeront, les éléments embrasés se dissoudront, et la terre, avec tout ce qu'elle contient, sera consumée par le feu.

11. Puis donc que toutes ces choses doivent périr, quels devez-vous être, et quelle doit être la sainteté de votre vie et la piété de vos mœurs?

12. Attendant et hâtant par vos désirs l'avénement du jour du Seigneur, où l'ardeur du feu dissoudra les cieux, et fera fondre les éléments.

13. Car nous attendons, selon sa promesse, de nouveaux cieux et une nouvelle terre, dans lesquels habitera la justice.

14. C'est pourquoi, mes bien-aimés, vivant dans l'attente de ces choses, faites en sorte que le Seigneur vous trouve dans la paix, et que vous soyez purs et irrépréhensibles à ses yeux;

15. Et croyez que la longue patience dont use notre Seigneur est pour votre bien, et c'est aussi ce que Paul, notre très-cher frère, vous a écrit, selon la sagesse qui lui a été donnée;

16. Comme il fait aussi en toutes ses lettres, où il parle de ces mêmes choses; dans lesquelles il y a quelques endroits difficiles à entendre, que des hommes ignorants et légers détournent en de mauvais sens aussi bien que les autres Ecritures, dont ils abusent à leur propre ruine.

17. Vous donc, mes frères, qui connaissez toutes ces choses, prenez garde à vous, de peur que, vous laissant emporter aux égarements de ces hommes insensés, vous ne tombiez de l'état solide où vous êtes établis.

18. Mais croissez de plus en plus dans la grâce et dans la connaissance de notre Seigneur et Sauveur Jésus-Christ. A lui soit gloire, et maintenant, et jusqu'au jour de l'éternité. Amen.

COMMENTARIA.

VERS. 1.— HANC ECCE VOBIS, CHARISSIMI; postquàm descripsit hæreticorum mores, sermonem ad fideles vertit, addens quòd pericula ab ipsis imminentia fuerint causa scribendi hanc Epistolam; SECUNDAM SCRIBO

EPISTOLAM; unde falluntur hæretici Lutherus et Lutherani, qui secundam hanc Epistolam esse B. Petri negant, confutante eos etiam Calvino et Bezâ; cujus, obsecro, esset spiritus, inquit Beza, tam impudenter mentiri? quale mendacium suspicari de eo cujus tam sancta est doctrina, impium esset. Alteram autem scribit Epistolam, quia pastori non debet esse satis semel admonuisse suum gregem, sed frequenter repetere debet: *Insta opportunè, importunè*, 2 ad Tim. 4, v. 2; *clama, ne cesses*, Isaiæ 58, v. 1. Sicut nempe irrationalium ovium pastores, qui quotidiè eas educunt, et fistulâ ad pastum invitant; IN QUIBUS, Epistolis 1 et 2, VESTRAM EXCITO, ne obdormiscat, IN COMMONITIONE, per admonitiones pastorales, SINCERAM MENTEM, puram et fide ac charitate splendentem: nam mentes etiam puræ ac sanctæ indigent frequenti monitione et excitatione pastorum, quia caro blanditiis suis facilè sopit quamvis vigilantem spiritum, et ejus sinceritatem ac munditiem obscurat; si autem sinceræ et vigiles mentes frequenter excitandæ sint ne sopiantur, quantò magis illæ quæ in tenebris et sordibus peccatorum altè dormiunt!

VERS. 2. — UT MEMORES SITIS EORUM QUÆ PRÆDIXI, de quibus superiùs, cap. 1, vers. 29, mentionem feci, VERBORUM A SANCTIS PROPHETIS editorum, quibus attendendum dixi tanquàm lucernæ lucenti in caliginoso loco, et viam salutis æternæ monstranti; ET APOSTOLORUM VESTRORUM, PRÆCEPTORUM, et ut memores etiam sitis præceptorum ab apostolis vestris traditorum. Græcè hodiè: *Et apostolorum nostrorum mandati*, id est, ut memores sitis mandati nostrorum, sive nostri, qui sumus apostoli DOMINI ET SALVATORIS; quæ sunt etiam præcepta Domini et Salvatoris; *non* enim *doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini*, etc., cap. 1, vers. 16; vel, ut alii, *apostolorum*, inquam, *Domini et Salvatoris*, ita ut isti duo genitivi ab obliquo *apostolorum*, non ab altero, *præceptorum*, aut *mandati*, regantur.

VERS. 3. — HOC PRIMUM SCIENTES, hoc autem præcipuè et ante omnia scire vos oportet; nam præscientia futurarum hæresium plurimùm confert ne incauti in eas incidatis; QUOD VENIENT; non enim mittuntur à Deo hæretici, sed venient ultrò et accurrunt; *non mittebam prophetas, et ipsi currebant*, Jeremiæ 23, v. 21; IN NOVISSIMIS DIEBUS, Græcè: *In ultimo dierum*, id est, in novissimâ et ultimâ temporum mundi ætate, quæ à morte Christi usque ad finem mundi decurrit; nos enim sumus *in quos fines seculorum devenerunt*, 1 ad Cor. 10, v. 11; hic enim est ultimus et finalis mundi status, post quem nulla ampliùs legis aut religionis generalis mutatio fiet. IN DECEPTIONE, cum deceptione, quâ hominibus illudendo à fide christianâ eos avertent. ILLUSORES, qui irridebunt et illudent simplicitati fidelium, quasi soli homines rustici et stupidi ista futura credant, non autem ingeniosi et philosophiâ instructi, quales se esse jactabunt. JUXTA PROPRIAS CONCUPISCENTIAS, secundùm leges concupiscentiæ suæ carnalis, non secundùm legem spiritûs, AMBULANTES, in vitâ vitiorum progredientes de malo in pejus.

VERS. 4. — DICENTES, illudendo et irridendo justos et simpliciores: UBI EST PROMISSIO AUT ADVENTUS EJUS? Ubi est? nondùm venit et nunquàm veniet adventus Christi secundus ad judicium universale toties promissus: *Amodò videbitis Filium hominis venientem in nubibus cœli*, Matthæi 26, v. 64. Particula *aut* non disjunctivè, sed identicè pro *sive* accipitur; non enim sunt duo diversa, sed idem, *ut* ex Græco patet: *Ubi est promissio adventûs ejus?* Illi ergo hæretici fidem secundi adventûs Christi ad judicium elevantes et subsannantes, negabant bonorum et malorum operum futuram in illo judicio retributionem; quâ spe ac metu sublatis homines omnibus libidinibus et voluptatibus facillimè frena lavant; si enim nulla bonorum spes, nullus malorum in futurum metus, utamur creaturâ, inquient, tanquàm in juventute celeriter, et non prætercat nos flos temporis; nullum sit pratum quod non prætercat luxuria nostra; umbræ enim transitus est tempus nostrum, ut Epicurei, Sapientiæ 2, philosophantur. EX QUO ENIM, ex quo tempore, Græcè, *ex quâ*, nempe die; Hebræi enim diem pro tempore usurpare solent, speciem pro genere; PATRES DORMIERUNT, majores nostri somno mortis sopiti sunt; OMNIA SIC PERSEVERANT, cœlum et elementa, siderum motus, dierum noctiumque, ætatis et hyemis curricula, et tota universi œconomia perseveravit, sicut hoc tempore videmus administrari, et hoc quidem *ab initio creaturæ*, à principio mundi et creaturæ à Deo conditæ, quantùm ex historiis intelligere possumus. Hoc argumento illusores isti simplicibus persuadere conantur mundum in eodem cursu, sine generali quam fides docet immutatione, sine resurrectione mortuorum et finali judicio in æternum duraturum; quo etiam argumento Aristoteles mundi æternitatem conatur astruere, cùm tamen mundus et mundi cursus ex Creatoris nutu pendeat, qui omnia uno ictu abrumpere et confringere potest.

VERS. 5. — LATET ENIM EOS HOC, quod jamjam dicam, VOLENTES, sponte volentes ignorare. Pronomen *hoc* non regitur à participio *volentes*, sed est nominativus, suppositum verbi *latet*; *hoc*, inquit, latet eos, et quidem per ignorantiam affectatam, sponte volentes ignorare, cùm facilè veritatem discere possent ex Scripturis; QUOD CŒLI, quos Deus in principio creavit; respicit enim ad historiam Genes. 1: *In principio creavit Deus cœlum et terram*, etc.; Hebraicè, *cœlos*, quia vox Hebraica שמים *scamaim*, caret numero singulari. ERANT, id est, existebant seu creati erant, PRIUS, olim in principio mundi corporei, Græcè: *Jam olim*. Probat aliam fuisse hujus mundi faciem, et proinde hæreticos falli, qui dicunt omnia sic olim semper fuisse; unde colligebant sic etiam perseveratura in æternum. ET TERRA; nam Deus in principio creavit simul cœlum et terram; sed quia terra erat inanis et vacua, aquisque cooperta, ideò tertio mundi die jussit Deus aquas congregari in unum locum, ut appareret arida, Genes. 1, v. 9, et sic terra facta est,

DE AQUA; Græcè, *ex aquâ*, ita ut extra aquam emineret; unde dicitur tunc Deus firmâsse terram super aquas, psalm. 135. ET PER AQUAM CONSISTENS, coagulata et compacta per aquam, tanquàm humore suo partes terræ fermentantem et alligantem, ne in pulverem tota diffluat, et alendis frugibus ac animalibus reddatur inutilis; unde terra divinâ dispensatione venis aquarum tota intrinsecùs plena est, inquit Beda, sicut corpus animantium venis sanguinis redundare conspicimus, ne ariditate deficeret, si aquarum irrigatio cessaret. Aliqui *per aquam* exponunt quasi sustentantem terræ elementum, sicuti octo animæ tempore diluvii dicuntur salvæ factæ per aquam quæ sustentavit arcam, 1 Pet. 3, v. 20; sed terra non sustentatur ab aquâ, sicut arca aut navis, cùm terra sit gravius quàm aqua elementum. DEI VERBO, quo Deus jussit ut cœlum et terra fierent, ut aquæ congregarentur in unum locum, etc. Aliqui recentiores totum hunc locum ad philosophiam trahunt, ut inde probent cœlos ex aquâ fuisse productos; unde particulam *de aquâ*, sive, Græcè, *ex aquâ*, referunt ad cœlos, et particulam *per aquam* referunt ad terram, hoc sensu : Cœli erant priùs consistentes ac coagulati de aquâ, et terra per aquam consistens. Sed participium *consistens* satis apertè ad solam terram, non ad cœlos refertur; deinde S. Petrus non vult hìc philosophari de causâ materiali cœlorum, an sint ex aquâ compacti, an ex aliâ materiâ; sed solùm ex historiâ Genesis vult ostendere aliam fuisse mundi faciem initio quàm jam videamus; quod hæretici illi volentes et voluntariè ignorabant, cùm ex cap. 1 Genes. certò possent cognoscere; non potest autem certò ex Genesi cognosci an cœli ex aquâ sint coagulati, præsertim illi quos Deus statim in principio creavit cum terrâ : nam de firmamento, quod quarto die in medio aquarum creatum est, Genes. 1, v. 6, major est apparentia et probabilitas ex aquis factum esse.

VERS. 6. — PER QUÆ, cœlos et terram, nam diluvium et à cœlo et à terrâ inductum fuit, quando *cataractæ cœli* ad pluendum *apertæ sunt, et rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ*, quæ est sub terrâ, Genes. 7, v. 11. Aliqui tamen vertunt *per quos*, ut solùm ad cœlos referatur; Græcum enim pronomen est ambiguum, et potest tam esse neutrum quàm masculinum plurale. ILLE TUNC MUNDUS, elementaris, habitaculum animalium, unà cum animalibus suis et incolis, quem mundum originalem et mundum impiorum, cap. 2, vers. 5, appellavit. AQUA INUNDATUS PERIIT, morte et suffocatione cunctorum *in quibus erat spiraculum vitæ in terrâ*, Genes. 7, v. 21, et deinde ipse etiam mundus elementaris inferior terram et aerem complectens periit, quia terra tamdiù aquis submersa pristinam fœcunditatem et figuram perdidit; terra enim, inquit Beda, plerisque in locis, deletâ eâ quam primò acceperat faciem dissimilem recepit : aer quoque sive cœlum in quo animalia spirant, in pluvias corruptus fuit. Quidam interpretes mundum qui periit interpretantur sola mundi animalia, ut ponatur continens pro contento : alii solùm mundum elementarem animalia continentem intelligunt. Sed utrumque conjungendum est; periit enim habitaculum cum suis habitatoribus; nam habitatores includendos in isto mundo satis patet ex cap. 2, v. 5, ubi S. Petrus ait Deum mundo originali non pepercisse; deinde ipsum etiam habitaculum non excludi ab hâc appellatione mundi, statim ex vers. sequenti constabit, ubi non tantùm animalia et volatilia cœli, sed etiam cœlos ipsos periisse indicabit, ut subtiliter advertit S. Augustinus, lib. 20, cap. 18, de Civit. Dei. Hoc etiam postulare videtur scopus et intentum S. Petri, qui cœlos et terram in fine mundi igne conflagrationis perituros non incredibile esse probat, quia iidem olim perierunt diluvii aquis.

VERS. 7. — CŒLI AUTEM, cœli aerei, seu spatium aeris à terrâ sursùm quousque vapores et halitus ascendunt, quomodò cœlum accipitur quando aves volatilia cœli appellantur; cœlum enim in Scripturâ significat universum spatium transparentium corporum à terrâ usque ad supremum mundi tectum; et nunc pro unâ, nunc pro alterâ tantùm illius totius spatii parte vox *cœlum* ex adjunctis verificatur. QUI NUNC SUNT; post illos nempe veteres originalis mundi cœlos, qui per aquas diluvii perierunt, in quas fuerunt conversi : *Totus* enim *aut penè totus iste aer ventosus, quod* S. Petrus *cœlos vocat, in humidam qualitatem* et pluvias *conversus fuerat, atque hoc modo cum terrâ perierat, cujus prior facies diluvio deleta fuerat*, ait S. Aug., lib. 20, cap. 18, de Civit. Dei. ET TERRA, quæ etiam nunc est, et cujus facies plurimùm differt ab illâ quæ olim confusa et deleta est diluvii aquis, EODEM VERBO, divino decreto, quo olim Deus cœlum et terram creaverat, et terram per aquam consistere jusserat, ut v. 5 dixit, REPOSITI SUNT; Græcè, *thesaurizati sunt*, quasi in thesauro reconditi; in verbo enim et decreto quod Deus apud se ab æterno pronuntiavit, fixum et constitutum est quid de cœlo et terrâ ac cæteris mundi elementis in fine seculi fieri deceverit. Hinc patet Bedam non satis advertisse ad vocem Græcam, quando interpretatur cœlos et terram qui nunc sunt, repositos esse et restitutos in locum cœli et terræ qui diluvio perierant; nam, etiamsi hoc sit verum, vox tamen *thesaurizati*, non hoc, sed aliud significat. IGNI RESERVATI, ut igne conflagrationis corripiantur et pereant, qui olim contrario aquarum elemento perierant; IN DIEM JUDICII, universalis, quando illa mundi per ignem innovatio fiet; ET PERDITIONIS IMPIORUM HOMINUM, qui dies erit etiam dies perditionis æternæ impiorum, quos ignis ille involvet et unà secum detrahet in infernum : *Ignis* enim *ante* judicem *præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus*, psalm. 96.

VERS. 8. — UNUM VERÒ HOC, quod statim dicam, contra eos qui dicunt : *Ubi est promissio aut adventus ejus?* supra, v. 4, NON LATEAT VOS, CHARISSIMI : Scitote et perpendite, atque ad æternitatis mensuram, quam Deus intuetur, vestros etiam oculos attollite, QUIA UNUS DIES, quòd tempus unius diei, APUD DOMINUM, Christum, cujus, ut Deus est, mensura est æternitas,

SICUT MILLE ANNI, non minor est tempore mille annorum; ET MILLE ANNI, et è contra tempus mille annorum, SICUT DIES UNUS, non est majus tempore unius diei. Imò omnia tempora ab initio mundi usque ad finem, unum diem reputari indicat Christus, Matth. 20, cùm omnes operarios diversis unius diei horis ad vineam vocatos fuisse dicit, ut advertit S. Amb.; si enim mille anni vel quodlibet tempus finitum ad æternitatem conferatur, in quâ Deus omnia tempora contemplatur, totum est æquale uni diei, quia nullius durationis unus dies et mille anni reputantur; finiti enim ad infinitum nulla est proportio : unde David mille annos respectu æternitatis, quam veluti propriam mensuram intuetur Deus, comparat diei hesternæ quæ nihil ampliùs est, quia tota effluxit : *Mille anni ante oculos tuos tanquàm dies*, etc., psalm. 89. Tempora verò nostra nobis videntur longa, quia fluxum eorum tantùm attendimus, et horas, dies, menses, annos numeramus : si verò mentem in altum attollimus et mensuram æternitatis aspicimus, omnia tempora in unum quasi momentum confluunt, et omnem longitudinis proportionem amittunt : *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt*, psalm. 89. Ut ergo brevitas et vanitas omnium rerum humanarum appareat, quæ nobis longæ et magnæ aliquando videntur, oculos ad illam æternitatem frequenter elevare oportet, et cum David *annos æternos* in mente habere, psalm. 76. Hoc est enim quod theologi mystici dicunt hominem spiritualem debere extra tempus et locum vivere, id est, cogitatione et affectu in æternitate et immensitate Dei defixum esse, ut æternitas sit ejus tempus, immensitas locus. Verùm non solùm æternitatem, sed etiam annos ipsos nostros, non quidem venturos, sed cùm effluxerunt, intuendo advertimus quàm breves fuerint; nam : 66 annum jam excessi, inquit Catharinus, et semihorà tantùm videor mihi vixisse : imò nequidem semihorà, sed nihil omninò est quod jam totum effluxit; transierunt enim omnia sicut umbra, sicut navis per aquam, sicut avis aut sagitta per aerem, quæ nullum post se relinquunt vestigium, ut Sapiens philosophatur, Sapient. 7.

VERS. 9. — NON TARDAT DOMINUS PROMISSIONEM SUAM. Christus non trahit moras ultra tempus à se promissum et constitutum, sicut faciunt illi qui vel mutant consilium, vel ab aliis fortioribus impediuntur ne promissum servent : sic pater non tardat hæreditatem dare filio, cùm adultæ ætatis tempus expectat, nec medicus dare purgationem ægroto, inquit Thomas Anglicus. SICUT QUIDAM EXISTIMANT; Græcè : *Sicut quidam tarditatem dicunt*, id est, sicut quidam nescientes consilium Dei et *momenta quæ Pater posuit in suâ potestate*, Act. 1, v. 7, existimant esse ejus tarditatem, cùm tamen ne momento quidem temporis expectabit ultra tempus ab æterno præfixum. SED PATIENTER AGIT, parcens mundo et peccatoribus, quos ignis ille perdet; PROPTER VOS, ut numerus vester electorum compleatur : scribit enim electis dispersionis Ponti, Galatiæ, etc., ad quos scripserat primam Epistolam, ut dicit hoc cap., v. 1; Græcè : *Sed longanimiter agit erga vos;* longanimitas enim quâ Deus iram suam differt, cedit in bonum electorum, quorum numerum interea temporis paulatim colligit et lentè implet, cùm singulis seculis tam pauci electi sint comparatione tot reproborum. NOLENS ALIQUOS, vestrûm, sive electorum, ad quos, ut diximus, hanc Epistolam scribit, PERIRE, morte æternâ : unde si fortè electi in peccata mortalia inciderint, expectat tempus pœnitentiæ; addit enim : SED OMNES AD PŒNITENTIAM REVERTI, ut sic ad Dei amicitiam redeant, et discedant in gratiâ. Non est ergo necesse hìc se torquere quomodò Deus noli quemquam perire, cùm tamen longè plures pereant quàm salvi fiant; nam loquitur de solis electis, ad quos etiam S. Pauli et aliorum Epistolæ principaliter diriguntur; illi enim propriè sunt quorum saluti apostoli et evangelistæ student, cùm reproborum salus sit desperata : *Omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur*, 2 ad Tim. 2, v. 10. Si verò vox *omnes* non ad electos restringatur, sed pro omnibus omninò, nec tantùm generibus singulorum, sed singulis etiam generum distribuat, sic Deus non vult aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti, voluntate antecedente, quâ omnes homines ut creaturas rationales et æternæ felicitatis capaces contemplatur; non autem voluntate consequente, quâ eos ut tales et tales, nempe fures, adulteros, ac peccatores considerat; sic enim quosdam propter peccata sua vult perire, nec pœnitendi gratiam vult illis concedere : « Veluti rex terrenus, ait Carthusianus, vult omnes suos subditos voluntate antecedente prosperè vivere, in quantum subditi sunt, non tamen in quantum sunt fures et latrones; » sic enim vult voluntate consequente quosdam ut tales supplicio afficere. Signum autem et effectus illius voluntatis antecedentis in Deo sunt gratiæ quædam generales et externæ, quas omnibus seculis, etiam gentibus quæ permissæ sunt ingredi vias suas, Deus tribuit, ut se cognoscant et metuant. Sunt enim beneficia quæ à cœlo, terrâ, mari, homines accipiunt, *ut ad cultum et dilectionem sui imbuantur auctoris*, ait S. Prosper, lib. 2, cap. 4, de Vocatione gentium; licèt tales gratiæ generales et externæ, sine speciali et internâ, ad convertendas efficaciter hominum mentes non sufficiant.

VERS. 10. — ADVENIET AUTEM DIES DOMINI, quando extremo et universali judicio orbem terrarum judicabit; UT FUR, ex improviso, sicut hominibus somno sopitis fures nocte in domos irrepere solent : unde alter Apostolus ait : *Ut fur in nocte*, 1 ad Thessal. 5, v. 2, quam particulam Græca etiam hìc habent. Hunc repentinum et inexpectatum adventum Christus, Matth. 24, et Luc. 2. 27, 17, comparat cum repentinâ inundatione diluvii tempore Noe : *Edebant, bibebant, uxores ducebant, usque in diem quâ intravit Noe in arcam, et venit diluvium, et perdidit omnes*, Eodem Lucæ capite etiam monentur apostoli memores esse uxoris Loth, quid scilicet illi acciderit dùm amicorum et rerum percuntium amore contra angeli vetitum retrò respexit. Ex quâ comparatione diluvii cum igne conflagrationis mundi quidam conjectaverunt olim mundum à Chri-

sto usque ad finem tot annos duraturum quot sunt ab Adamo usque ad diluvium, nempe 1656 : sed vanè; nam Christus non loquitur de tempore quod aliquoties rogatus noluit discipulis suis indicare, sed loquitur de securitate, quâ homines in fine mundi genio et voluptatibus securè indulgentes subitò opprimentur, sicut olim aquis diluvii. Eâdem vanitate Lutherus suo tempore prædicavit mundum non ultra centum annos duraturum, quia pervenisset, ut inquiebat, usque ad equum album, Apocal. 6, v. 2 : et tamen centum jam illi anni elapsi sunt; mortuus enim est Lutherus anno 1546. In quo die, statim post judicium et prolatam judicis sententiam, ut docet Augustinus, lib. 20, cap. 16, de Civit., CŒLI aerei, sive tres regiones aeris quæ olim aquis diluvii maximâ parte perierant in pluvias conversæ, MAGNO IMPETU stridente et sibilante, ut vox Græca significat : unde Arias *stridenter*, Erasmus *procellæ in morem*, vertunt; venti enim procellosi strident et sibilant. Sed tamen quia causa stridoris et sibili erit impetus vehemens quo ignis ille regiones aeris corripiet et dissilire faciet in partes, non malè etiam interpres noster *magno impetu*, vertit. TRANSIENT, in aliam qualitatem, correpti et inflammati igne illo acerrimæ activitatis et divinæ potentiæ instrumento : unde non est dubium quin partes aeris, dùm ab illo igne excoquentur et purgabuntur, in igneam substantiam vertendæ sint, sicut olim tempore diluvii in pluvias corruptæ sunt : quamvis, Deo per se aut per causas secundas hoc agente, ad naturam aeris mox redituræ sint : et ideò fortassè S. Petrus verbo *transient* potiùs quàm *peribunt*, maluit uti; aliquantò enim mitius est transire quàm perire, ut notat S. Augustinus, lib. 20, cap. 24, de Civit. Non est autem necesse universum cœlum aereum circa totam terram simul et eodem momento ab illo igne corripi, sed scholastici quidam existimant quòd incendii impetus per diversa hemisphæria successivè discurret. Licèt verò pars aliqua ignis conflagrationis præcessura sit Judicis faciem, ut terreat et torquere incipiat reprobos statim post corporum resurrectionem, tamen demùm post judicium absolutum, et Christo cum exercitu electorum se in cœlum recipiente, ignis ille multiplicatus cœlum aereum et cætera elementa invadet et purgare incipiet, ut probabilissimè conjectat S. Augustinus, lib. 20, c. 16 et 30, de Civit.; licèt non pauci alii theologi purationem illam mundi antecessuram Judicis adventum et resurrectionem mortuorum putent. ELEMENTA VERO, terra et aqua ex quibus præcipuè corpora mixta temperantur et componuntur, ideòque speciali quâdam ratione et magis propriè elementa vocantur quàm aer et ignis, quos S. Petrus cœlos potiùs appellat; elementum enim partem materialem fundamentalem alicujus compositi significat. CALORE SOLVENTUR, Græcè : *Æstuantia solventur*, id est, vehementissimâ alterationè rarescent, ut calor et æstus ille ad omnia corpora mixta quæ in istis elementis delitescunt, pertingere possit, et ea in sua elementa dissolvere. TERRA AUTEM, in quâ homines domos, palatia, arces, urbes, etc., ædificare, natura lapides, auri, argenti venas, etc., operari solent; ET QUÆ IN IPSA SUNT OPERA, tam ab arte quàm à naturâ facta. Græcè : *Et terra, et quæ in ipsâ opera*. Non solùm elementa terræ et aquæ calore solventur, sed cum terrâ etiam omnia artis et naturæ opera, quæ terræ adhærent. Repetit ergo *terram*, quæ sub elementis fuerat comprehensa, quia hoc speciale præ elemento aquæ habet, quòd homines plurima opera in ejus superficie erigere, et natura in ejus visceribus operari soleant, quæ tantoperè ab hominibus æstimantur; et tamen ut eorum vanitas appareat, omnia isto mundi incendio EXURENTUR, vertenda in ignem, aut saltem per calorem corrumpenda. Itaque universa, excepto homine, animantia, omnes plantæ, lapides, metalla, mineralia quæ in terrâ et aquis sunt, præter urbes et ædificia, dissolventur et redibunt in sua elementa. OEcumenius *opera* non materialia, sed peccata impiorum intelligit, propter quæ ipsi exurentur; sed sensu non satis litterali; agit enim apertè S. Petrus de innovatione mundi corporei, contra eos qui dicebant : *Ubi promissio adventûs ejus? omnia sic perseverant ab initio creaturæ*, supra, v. 4.

VERS. 11. — CUM IGITUR HÆC OMNIA, cœlum et elementa, opera et universa corpora mixta quæ in eis sunt, DISSOLVENDA SINT; Græcè, *dissolvantur;* Dei decreto condemnentur et judicentur dissolvenda; propter homines enim, cœli et elementorum incolas, hæc facta et sic temperata erant; finitâ autem hominum habitatione, dissolvenda sunt; sicuti finitâ militiâ dissolvuntur tabernacula, et cessante fine cessant media. QUALES OPORTET VOS ESSE, quàm puros et mente à rebus istis hujus mundi corruptibilibus et fugitivis elevatos. Oportet ergo ut *ad id quod mente contingimus, totam animam quodammodò colligamus*, ait S. Augustinus, lib. 2, cap. 16, de libero Arbitrio, *et ponamus ibi atque stabiliter infigamus, ut non jam privato suo gaudeat quod implicavit rebus transeuntibus, sed exuta omnibus temporum et locorum affectionibus apprehendat id quod unum atque idem semper est; sicuti enim tota vita corporis est anima, sic beata vita animæ Deus est.* IN SANCTIS CONVERSATIONIBUS, quibus cum omni humilitate, modestiâ, pace, suavitate, cum omnibus hominibus conversemini; ET PIETATIBUS, et omnibus pietatis erga Deum et proximos officiis, Deum fide, spe et charitate colendo, proximis corporalis et spiritualis misericordiæ opera impertiendo.

VERS. 12. — EXPECTANTES, per spem, quâ in cœlum et præmia cœlestia electis tunc retribuenda erecti esse et vigilare debetis; ET PROPERANTES, festinantes per merita bonorum operum vos præparare. Licèt enim properando, ad locum tantùm, non ad tempus et diem constitutum citiùs pervenire possimus, per metaphoram tamen etiam ad diem properare dicimur, quando ardentibus affectibus tanquàm animi passibus ad eum anhelamus, et quasi appropinquamus. IN ADVENTUM DIEI, quando ad judicium universale veniet, DOMINI, Græcè, *Dei*, quo Christi divinitatem adversùs Arium probant Patres Græci; PER QUEM, adventum, aut diem Domini; ad utrumque enim etiam in Græco,

referri potest; hoc est, per Christi Dei omnipotentiam, quæ in illo adventu et die se exeret; CŒLI, aerei, quos antea, v. 7, per aquas diluvii olim periisse indicaverat; igne conflagrationis, divinæ omnipotentiæ instrumento; SOLVENTUR, rarescendo; ET ELEMENTA, terra et aqua, ut v. 10 dictum est; IGNIS ARDORE; Græcè, uno verbo, *æstuantia*, ut vers. 10; TABESCENT, sicut nix aut cera tabescere dicitur quando liquescit; unde Græcè, *liquescent;* ex quo S. Augustinus et ferè Patres Latini, colligunt elementa solùm quoad qualitates, non secundùm substantiam, interitura; sicuti metalla per liquationem quædam accidentia, non substantiam mutant; unde Paulus, 1 ad Corinth. 7, v. 31: *Præterit figura hujus mundi:* nam figura, non substantia præteribit, ait Beda post SS. Augustinum et Hieronymum. Cœlos tamen non solùm aereos, sed sidereos etiam arsuros multi Patres, præsertim Græci, et ex scholasticis Catharinus, Molina, aliique existimant; quod etiam libri Sybillini olim testati sunt; unde Ovidius:

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, et mundi moles operosa laboret.

Quod non est incredibile, si nulli sint solidi orbes sidereorum cœlorum, aut orbes ipsi et sidera compacta sint ex aquis, sicut lib. 1 Recognitionum se à B. Petro accepisse narrat S. Clemens; quanquàm libri isti sint suspectæ fidei. Favet etiam illud Isaiæ 34, vers. 4: *Tabescet omnis militia cœlorum*, id est, stellæ; item: *Cœli sicut fumus liquescent*, Isaiæ 51, vers. 6. Et sanè olim initio Ecclesiæ Christiani videntur existimâsse cœlos sidereos etiam arsuros; nam gentiles inter alia Christianis objiciebant quòd cœlo et astris interitum denuntiarent, ut narrat Minutius Felix, qui circa annum Christi 200 cum Tertulliano floruit; nec aliud respondet Felix, quàm philosophos eorum Stoicos et Epicureos idem asserere. Hinc inter Stoicos Seneca, capite ultimo, de Consolatione, ad Marciam: *Cùm tempus advenerit quo se mundus renovaturus extinguat, viribus ista se suis cadent, et sidera sideribus incurrent, et omni flagrante materiâ, uno igne, quidquid nunc ex disposito lucet, ardebit.* Et ne incredibilis videatur tam repentinus interitus rei tam vastæ et operosæ, ostendit à simili: *Urbes*, inquit, *constituit ætas, hora dissolvit; momento fit cinis, diù sylva.* In hoc tamen Stoici et Epicurei dissidebant à veritate et Christianis, quòd ex veteribus mundi cineribus alium similem perpetuò renasciturum certis et sine fine redituris annorum periodis existimarent.

VERS. 13. — NOVOS VERÒ CŒLOS, aereos, veteribus igne conflagrationis purgatis. Cœli tamen etiam siderei, licèt fortè solvendi et igne purgandi non sint, tamen innovabuntur, et lucem ampliorem, et qualitates statui hominum beatorum, qui eos incolent, accommodatas accipient; in quem sensum multi interpretantur illud Isaiæ 30, vers. 26: *Erat lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter*, etc. ET NOVAM TERRAM, innovatam per ignem; et sicubi ignis ille partes aliquas terræ, aquæ, vel cœli, substantialiter fortè corruperit, virtus divina postea restituet alias ejusdem speciei, et insuper infundentur elementis istis. *Qualitates, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant; ut scilicet mundus in melius innovatus, aptè accommodetur hominibus, etiam carne in melius innovatis*, ait S. Augustinus, lib. 20, cap. 16, de Civit. Dei. Hâc quoque innovatione ostendere volet Deus quantùm sibi peccata hominum displiceant, quorum contagio non solùm homines, sed ipsa quoque elementa quodammodò inficiat, sicuti quibusdam peccatis loca sacra pollui dicuntur. Propter hanc autem tam amœnam et desideratam innovationem, omnis nunc creatura dicitur ingemiscere ut liberetur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei, ad Romanos 8, versu 19. Unde cùm cœli dicuntur perituri, psalm. 101, et cœlum et terra transitura, Matth. 24, vers. 35, non significantur omninò peritura quoad substantiam, sed sicut infans in puerum, puer in juvenem, juvenis in virum perit et transit, ait S. Hieronymus, Isaiæ 51 et 65. SECUNDUM PROMISSA IPSIUS, Domini, Isaiæ 65, v. 17: *Ecce ego creo cœlos novos et terram novam;* et S. Joannes dicit se vidisse *cœlum novum et terram novam*, Apocalyp. 21, v. 1. EXPECTAMUS, per spem ex divinâ promissione conceptam. Quia verò nec Isaias, nec S. Joannes, nec S. Petrus novæ aquæ meminerunt, sed tantùm novæ terræ et novi cœli, dubitant aliqui Patres an aqua etiam innovanda sit, et mansura cum terrâ in æternum. Beda aquam et ignem extinguenda putat, quia de aquâ dicitur: *Et mare jam non est*, Apocalyp. 21, v. 1; sed omnia elementa dicuntur pertinere ad perfectionem universi, et proinde duratura in æternum. Mare tamen tunc non erit, nempe quale jam est, salsum, turbulentum et in terræ concavitatem seorsim congregatum; quod propriè dicitur mare; sed undique sicut in principio mundi terræ circumfusum; unde S. Thomas, in quartum, distinct. 48, quæst. 2: *Terra*, inquit, *erit lucida et pervia sicut vitrum in superficie; aqua sicut crystallus; aer sicut nunc est cœlum; ignis sicut nunc sunt luminaria cœli.* IN QUIBUS, cœlis novis et terrâ novâ, JUSTITIA HABITAT, perfectè justi et beati corpore ac animâ, divinâ destinatione jam quodammodò habitant, et in æternum habitabunt; et, licèt in cœlis plerùmque habitaturi et mansuri sint, terra tamen et omnia elementa sunt partes universi, quod est integrum B. habitaculum. Catharinus terram novam pueris ante baptismum morientibus inhabitandam destinat, ubi, inquit, in perpetuum laudabunt Deum; unde ipse et multi alii scholastici partem aliquam terræ hortis et floribus et fontibus tanquàm paradisum amœnissimum aquis discooperiant, in quâ pueri isti ambulantes se recreent, et de rebus naturalibus ac divinis totâ æternitate philosophentur. Quæ omnia remotissima sunt à S. Augustini et discipulorum ejus sensu, qui tanquàm fide certum docent parvulos illos pœnâ ignis, licèt mitiùs cæteris damnatis, torquendos esse. Et sanè dùm Catharinus et alii clementes in illos misellos videri volunt, crudeles sunt: nam tali opinione puerpe-

ras negligentiores in procurando suorum parvulorum baptismo, meretrices in abortibus audaciores reddunt.

VERS. 14. — PROPTER QUOD, quapropter, et quia res ita se habent; HÆC EXPECTANTES, nempe cœlos novos et terram novam, ac totius universi futuram innovationem, Christique ad judicium adventum; SATAGITE, vigilantem et diligentem operam date; IMMACULATI, à graviorum criminum maculis, et præsertim à fornicationibus simonianorum et nicolaitarum, quæ maculant animam et corpus; ET INVIOLATI, Græcè, *irreprehensibiles*, etiam in minimis delictis, quantùm fieri potest, EI, Christo Judici, INVENIRI, quem nulla etiam minima macula latere poterit. *Scrutabitur*, enim tunc *Jerusalem in lucernis*, Sophoniæ 1, vers. 12; IN PACE, cum pace et amicitiâ, quam cum Christo Judice habebunt omnes immaculati et electi. Beda tamen particulam IN PACE jungit participio EXPECTANTES, ut Apostolus moneat ut expectando judicii et innovationis mundi diem, pacem interea cum aliis et in seipsis servent, omnes carnis illecebras regimini spiritûs felicissimâ pace subdentes, inquit Beda.

VERS. 15. — ET DOMINI NOSTRI LONGANIMITATEM, quâ iram suam in impios, et in mundum impiorum habitaculum exercere differt; SALUTEM ARBITREMINI; propter salutem vestram differri cogitate, ut interea temporis numerus electorum compleatur, et qui adhuc sunt in peccatis, revertantur ad pœnitentiam, ut v. 9 dixit, et cumulum meritorum impleant, ad quem sunt prædestinati. SICUT ET CHARISSIMUS; quamvis enim Paulus Petro in faciem restitisset, ad Galat. 2, vers. 11, nulla tamen inde indignationis amaritudo dulcedinem charitatis Petri erga Paulum minuerat. FRATER NOSTER PAULUS, in Christo et munere apostolico confrater; SECUNDUM DATAM SIBI, à Christo; neque enim ab homine acceperat, didicerat Evangelium suum, sed per revelationem Jesu Christi, ad Galat. 1, v. 22; SAPIENTIAM, sublimem rerum divinarum intelligentiam. Ecce primus apostolorum, inquit Beda, quasi oblitus sui prioratûs et datarum sibi clavium regni, datam Paulo sapientiam miratur, quia nimirùm moris est electorum ut aliorum magis quàm suas virtutes mirentur, quibus se ad profectum excitent. Sed tamen ita Petrus laudat Pauli sapientiam, ut omnem ejus laudem refundat in Christum et Deum, à quo datam ei dicit; sic enim laudandæ sunt virtutes hominum, ut Deus in hominibus laudetur, non ut ipsi inde superbiant. SCRIPSIT VOBIS, in Epistolâ ad Hebræos, qui in terrâ sanctâ et circa dispersi habitabant, quorum pars erant isti dispersionis Ponti, Galatiæ, etc., ad quos Petrus utramque suam Epistolam scribit; aut certè, ut non improbabiliter Cajetanus, designat epistolas Pauli ad Galatas, Ephesios et Colossenses, qui sunt populi Asiæ Minoris, per quam dispersi erant Judæi isti quibus scribit S. Petrus. Œcumenius tamen et alii volunt respici ad Epistolam ad Rom. 2, v. 4; nam Romæ etiam permixti gentilibus christianis Judæi quidam Christiani habitabant. Sed non videtur S. Petrus ad unicam illam sententiam in longâ Epistolâ ad Rom. 2, v. 4, obiter interjectam respexisse, sed totum ferè contextum Epistolæ ad Hebræos, in quâ omnibus fermè capitibus inculcat Judæis christianis ut inter tribulationes et persecutiones adventum Domini in fide et bonis operibus patienter expectent, ut multis exemplis, Hebræorum 3, vers. 14, Hebræorum 6, v. 11, Hebræorum 10, v. 36, etc., benè ostendit Catharinus; et à cap. 11 usque ad finem Epistolæ nihil aliud agit Paulus quàm variis exemplis et rationibus eos ad eamdem patientiam et perseverantiam animare. Unde ista verba S. Petri : *Sicut scripsit vobis*, non ad proximè præcedentia, sed ad priora illa vers. 14: *Hæc spectantes satagite*, etc., referri debent. Quæ si vera sunt, nascitur hinc invictum argumentum, ut idem Catharinus advertit, non esse alium auctorem Epistolæ ad Hebræos quàm S. Paulum, de quo tamen olim ita dubitatum est.

VERS. 16. — SICUT ET IN OMNIBUS EPISTOLIS, scribit. Hinc colligitur Epistolas S. Pauli scriptas fuisse ante hanc S. Petri; imò verisimilius est, ut alibi diximus, nullam S. Pauli scriptam post prima vincula, nequidem Epistolam ad Hebræos, aut secundam ad Timotheum; hæc verò ultima S. Petri vel in ipsis postremis S. Petri et S. Pauli vinculis, vel paulò ante scripta est, cùm uterque martyrio jam esset proximus, ut colligitur 2 Petri 1, vers. 14. LOQUENS IN EIS DE HIS, de quibus nunc etiam scribo, et loquor vobis, nempe ut Christiani immaculatos se per bona opera custodiant ab hoc seculo, expectantes adventum Domini; hæc enim est materia generalis per omnes Epistolas apostolicas dispersa. Legerat ergo S. Petrus omnes S. Pauli Epistolas, ut notat S. Gregorius, homil. 18 in Ezechielem, et in Epistolâ ad Galat., cap. 2, viderat narratam à Paulo reprehensionem quâ Paulus ei in faciem restiterat, quia reprehensibilis erat; et tamen charissimum fratrem vocat, et sapientiam ejus admiratur, ut *qui primus erat in apostolatûs culmine*, ait S. Gregorius, *esset primus et in humilitate. Pensate ergo, fratres charissimi*, inquit, *in quo mentis vertice stetit, qui illas Epistolas laudavit, in quibus scriptum se vituperabilem invenit. Quæ illa mansuetudo tanta esse potuit, quæ quies animi, quæ solidítas atque imperturbatio cogitationis? Ecce à minore suo reprehenditur, et reprehendi non dedignatur.* IN QUIBUS, non Epistolis, quia pronomen *quibus* non est feminini generis, ut ex Græco patet, sed *in quibus*, nempe scriptis Paulinis. Unde Erasmus vertit : *Inter quæ*. Quædam tamen Græca exemplaria legunt : *In quibus*, nempe Epistolis, feminino genere; SUNT QUÆDAM DIFFICILIA INTELLECTU. *Sunt* enim *in Scripturis sanctis profunditates bonæ, quæ ob hoc teguntur ne vilescant, ob hoc quæruntur ut exerceant, ob hoc aperiuntur ut pascant*, ait S. Aug., sentent. 67, apud Prosperum; contra sectarios nostri temporis qui jactant Scripturam sacram esse facilem intellectu; ideòque omnibus etiam mechanicis lectionem ejus permittunt et suadent, accusantque Ecclesiam catholicam, quæ quosdam ignorantes, et præsertim

mulierculas, à lectione Bibliorum arcet, sicut parentes parvulis cultros è manibus extorquent, ne seipsos lædant. Hoc autem S. Petri testimonio premi se sentiens Calvinus : Quæritur, inquit, unde ista obscuritas, cùm Scriptura instar lampadis nobis refulgeat, certôque gressus nostros dirigat? Respondeo, inquit, quòd etsi mysteria regni Christi sint à sensu carnis abscondita, modum tamen docendi sic temperat Deus, ut conspicuam illic lucem habeant quicumque Spiritum sanctum vitæ ducem sequi non recusant. Quod perinde est ac si dicat Scripturam claram esse iis qui Spiritu Dei aguntur, et ad intelligendum inspirationem ejus habent; hunc autem Spiritum Dei omnes hæretici sibi tribuunt, licèt non tantùm à Catholicis, sed à se invicem in sensu Scripturarum toto cœlo distent, unde patet futilem esse evasionem, nisi nos docuerit Calvinus quinam sint illi qui in interpretatione Scripturarum Spiritu Dei agantur. QUÆ INDOCTI, rerum divinarum imperiti; licèt litterarum secularium, ut hæretici esse solent, sint doctissimi. ET INSTABILES, in fide non firmiter stantes et radicati; unde tales tanquàm palea levis vento superbiæ de aream Ecclesiæ facilè auferuntur. DEBRAVANT, Græcè, *detorquent*, in pravos sensus detorquent contra Spiritûs sancti mentem. S. Augustinus, cap. 14, de Fide et Operibus, existimat S. Petrum hìc maximè respicere ad loca S. Pauli in Epistolâ ad Romanos : *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro*, ad Roman. 3, vers. 20 : *Justitia Dei per fidem Jesu Christi*, ibidem vers. 22 : *Si Abraham ex operibus justificatus est*, etc., ad Roman. 4, v. 2 : *Justificati ergo ex fide*, ad Roman. 5, v. 1; quæ hæretici in principio Ecclesiæ in hunc sensum detorserunt, quasi ex solâ fide Christi sine bonis operibus homo veram justitiam et salutem possit consequi; unde simoniani, nicolaitæ et gnostici, solâ fide contenti, voluptatibus se immergebant, et omnibus flagitiis contaminabant; unde contra istam falsam opinionem apostolicæ Epistolæ Jacobi, Petri, Joannis et Judæ, maximè diriguntur, ut ibidem advertit S. Augustinus. Aliàs verò idem Augustinus, Epistolâ ad Valentinum et monachos Adrumetinos, inter difficilia loca S. Pauli reponit illa in quibus gratia Dei præveniens cum libero hominis arbitrio componitur; quam *quæstionem difficillimam et paucis intelligibilem* ibidem vocat Augustinus. Sed et plurima alia loca difficilia S. Pauli, ex quibus malè intellectis variæ hæreses exortæ sunt, colligit Catharinus, quæ nos etiam ferè cùm S. Paulum interpretaremur annotavimus. SICUT ET CÆTERAS SCRIPTURAS : nam sacrarum Scripturarum liber est quasi hortus communis, ex cujus floribus Catholici ut apes mel, hæretici ut aranei venenum sugunt; omnes enim hæretici hæreses suas ex sacrâ Scripturâ perperàm intellectâ fabricant; unde S. Augustinus ad illum versum psalm. 67 : *Increpa feras arundinis*, seu *feras calami*, *ut ipse legit* ; Hæretici, inquit, *sunt feræ*, *quia non intelligendo nocent* : calamum autem Scripturam interpretatur, metonymicè sumendo causam pro effectu, quomodò etiam lingua significat vocem. IN SUAM IPSORUM PERDITIONEM, non tantùm in aliorum quos seducunt æternam perditionem, sed etiam in suam ; qui duces aliorum sunt in errore, primi etiam sunt in cruciatu et æternâ perditione.

VERS. 17. — VOS IGITUR, FRATRES, PRÆSCIENTES quòd hæretici abutantur Scripturis ad suam et suorum discipulorum perditionem, CUSTODITE, cavete et diligenter vos custodite, NE INSIPIENTIUM, Græcè *exlegum*, et hominum nefariorum qui leges et præcepta Ecclesiæ ac superiorum non curant, quales maximè sunt hæresiarchæ, ERRORE TRADUCTI, seducti extra viam veritatis; sunt enim superbi et duræ cervicis tauri, qui simplices populorum vaccas et mulierculas oneratas peccatis post se captivas ducunt, ut ait S. August. in illum versum psal. 67 : *Congregatio taurorum in vaccis populorum*, etc. EXCIDATIS A PROPRIA FIRMITATE, à fidei et christianarum virtutum constantiâ, in quâ per Dei gratiâm firmiter statis. Hinc refellitur hæresis sectariorum qui docent neminem à verâ fide posse excidere : non enim moneret et metueret ipsis Apostolus ne exciderent, si hoc fieri non posset; unde Apostolus alter dicit Hymenæum et Philetum reipsâ à veritate excidisse, 2 ad Tim. 2, v. 18. Deus enim providentissimâ voluntate quosdam non perseveraturos perseveraturis miscet, ut qui stat videat ne cadat, et discamus non alta sapere, sed cum timore et tremore salutem nostram operari, inquit S. August., c. 13, de Dono perseverantiæ.

VERS. 18. — CRESCITE VERÒ, bonorum operum incrementis eundo de virtute in virtutem, IN GRATIA, tam actuali, quæ nos ad benè operandum adjuvat, quàm in habituali, quæ nos Christo et Deo propriè gratos facit. Vult illos ditescere in gratiâ, quam c. 1, v. 2, iis apprecatus fuerat, ut *gratiam pro gratiâ* recipiant, Joan. 1, v. 16; ET IN COGNITIONE DOMINI NOSTRI, etc. Crescite etiam in fide quâ nunc cognoscimus Christum Deum per speculum in ænigmate usque ad speciem quâ cognoscemus eum facie ad faciem. IPSI GLORIA, sit nempe pro gratiâ et cognitione istâ, cæterisque beneficiis humano generi præstitis. ET NUNC, dùm tempora hujus vitæ mortalis labuntur, quæ successivis motibus quasi musicâ quâdam harmoniâ Christi et Dei gloriam laudesque cantant; deinde omnis creatura certis quibusdam nutibus, si sapientibus oculis inspiciatur, Conditoris sui laudes nobis insinuare non cessat; unde Augustinus : *Væ qui derelinquunt te ducem, et oberrant in vestigiis tuis, qui nutus tuos pro te amant, et obliviscuntur quid innuas. O suavissima lux purgatæ mentis sapientia! non enim cessas innuere nobis quæ et quanta sis, et nutus tui sunt omne creaturarum decus. Ut artifex enim quodammodò innuit spectatori operis sui, de ipsâ over pulchritudine, ne ibi totus hæreat, sed speciem corporis fabricati sic percurrat oculis, ut in eum qui fabricaverit, recurrat affectu*, l. 2, c. 16, de libero Arbitrio. ET IN DIEM ÆTERNITATIS, in quo vivemus post elapsa hæc tempora, et sine fine Salvatoris et Conditoris nostri gloriam et laudes longè amœniùs et sublimiùs quàm nunc in hâc vitâ cantabimus. DIEM ÆTERNITATIS VO-

cat, quia unicus dies, imò unicum instans est semper stans, et unum idemque sine partium fluxu permanens. AMEN ; oh ! verum hoc sit, et ita fiat ; meretur enim æternam gloriam ab omnibus suis creaturis, quæ etiam ad hunc finem conditæ sunt : *Universa* enim *propter semetipsum operatus est Dominus*, Proverb. 16, v. 4.

IN EPISTOLAM CATHOLICAM I
B. JOANNIS APOSTOLI
Præfatio.

Quin hæc prima Epistola à B. Joanne Evangelistâ dilecto Christi discipulo scripta sit, nunquàm inter Catholicos, sicut de duabus posterioribus, dubitatum est; spiritus enim idem in hâc et in ejus Evangelio manifestè apparet.

Christi divinitatem et simul humanitatem asserit, et doctrinam istam variis exhortatiunculis intertexit, quibus ad bonos mores, et præcipuè ad Dei ac proximi charitatem animos inflammat; ut proinde meritò S. Augustinus hanc Epistolam dulcem appellet iis quibus sanum est palatum cordis. Nomini quoque auctoris sui convenit : nam *Joannes*, sive Hebraicè יוחנן *Iochannan*, à gratiâ nomen habet; à radice חנן *Chanan*, quæ nihil est aliud quàm charitas Dei diffusa in cordibus nostris.

S. Augustinus et alii hanc Epistolam ad Parthos scriptam esse dicunt, id est, ad Judæos christianos per Parthiam et vicinas Orientis regiones dispersos, quorum olim majores à Salmanazare et Nabuchodonosore fuerant abducti; ipsi verò à S. Simone, Judâ, Thomâ, et ab ipso etiam S. Joanne, ut Baronius et quidam alii existimant, ad fidem Christi conversi fuerant. Catholica igitur, sive universalis est Epistola, ad nullam certam urbem aut provinciam missa, sed ad totum Orientem, et licèt ad Judæos principaliter, tamen etiam consequenter ad gentiles et quoscumque Christianos.

An scripta sit ante an post Evangelium S. Joannis, incertum est. Plurimi tamen existimant post Evangelium, aut eodem tempore cum Evangelio scriptam. Quidam tamen argumento probabili, sed incerto, colligunt scriptam ante Evangelium, quia hæc Epistola maximè nititur asserere Christi humanitatem contra basilidianos qui negabant Christum fuisse hominem verum; sicut in Evangelio suo maximè asserit Christi divinitatem contra Cerinthum et Ebionem; Basilides autem videtur fuisse paulò antiquior Cerintho, ut ex Catalogo hæreticorum apud S. Epiphanium et S. Augustinum colligitur.

IN EPISTOLAM CATHOLICAM I
B. JOANNIS APOSTOLI
COMMENTARIA.

CAPUT PRIMUM.

1. Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ.

2. Et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis.

3. Quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo.

4. Et hæc scribimus vobis ut gaudeatis, et gaudium vestrum sit plenum.

S. S. XXV.

CHAPITRE PREMIER.

1. Nous vous annonçons la parole de vie qui était dès le commencement, que nous avons entendue, que nous avons vue de nos yeux, que nous avons regardée avec attention, et que nous avons touchée de nos mains;

2. Car la vie même s'est rendue visible ; nous l'avons vue ; nous en rendons témoignage ; et nous vous l'annonçons, cette vie éternelle, qui était dans le Père, et qui est venue se montrer à nous.

3. Nous vous annonçons ce que nous avons vu, et ce que nous avons entendu, afin que vous entriez vous-mêmes en société avec nous, et que notre société soit avec le Père, et avec son Fils Jésus-Christ.

4. Et nous vous écrivons ceci afin que vous en ayez de la joie ; et que votre joie soit complète.

(Vingt-huit).

5. Et hæc est annuntiatio quam audivimus ab eo, et annuntiamus vobis : Quoniam Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.

6. Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur, et veritatem non facimus.

7. Si autem in luce ambulamus, sicut et ipse est in luce, societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato.

8. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.

9. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.

10. Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis.

5. Or, ce que nous avons appris de Jésus-Christ et ce que nous vous enseignons, est que Dieu est la lumière même, et qu'il n'y a point de ténèbres en lui :

6. De sorte que si nous disons que nous avons société avec lui, et que nous marchions dans les ténèbres, nous mentons, et nous ne pratiquons pas la vérité.

7. Mais si nous marchons dans la lumière, comme il est lui-même dans la lumière, nous avons ensemble une société mutuelle; et le sang de Jésus-Christ son Fils nous purifie de tout péché.

8. Si nous disons que nous sommes sans péché, nous nous séduisons nous-mêmes, et la vérité n'est point en nous.

9. Mais si nous confessons nos péchés, il est fidèle et juste pour nous les remettre, et pour nous purifier de toute iniquité.

10. Que si nous disons que nous n'avons point péché, nous le faisons menteur, et sa parole n'est point en nous.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — QUOD FUIT, Græcè *erat*, sicut interpres Joannis 1, v. 1, vertit; AB INITIO, quòd ab initio omnis creaturæ existebat, et de quo tunc verum erat dicere FUIT, non autem cum creaturis jam incipit. Quo insinuatur Christi secundùm divinitatem æternitas : nam ante creaturas nulla alia duratio erat quàm dies æternitatis, in quo tunc soli vivebant Pater, Verbum, et Spiritus sanctus : unde *fuit*, seu *erat*, non tempus fluens, sed semper stantem æternitatem significat. Hinc Sapientia Patris, quod est Verbum ejus, alibi de seipsâ dicit : *Dominus possedit me ab initio viarum suarum* (id est, creaturarum, per quas sapientia et omnipotentia Dei tanquam per vias quasdam extra se foras exit) *ab æterno ordinata sum*, etc., Proverb. 8, v. 22. Incipit autem S. Joannes Epistolam suam ab abrupto sine salutatione et nominis sui expressione, sicut Evangelium suum; ut proinde libelli potiùs quàm epistolæ habeat formam, veluti etiam diximus de Epistolâ S. Pauli ad Hebræos : nomen autem suum ideò non præfixisse existimat Catharinus, quia non tam suo quàm omnium apostolorum nomine videtur scribere : unde verbis pluralis numeri, *audivimus*, *vidimus*, etc., fermè utitur. QUOD AUDIVIMUS, nos apostoli, dùm in carne assumptâ et ore proprio loqueretur nobis : Verbum autem illud quod ab initio et ab æterno fuerat, audiebant, quia eadem est persona quæ ab æterno in naturâ divinâ substitit, et quæ in tempore naturam humanam in ejusdem suppositi unitate assumpsit. *Quod vidimus*, nec tantùm alienis oculis, ut auriti non oculati testes solent, sed *oculis nostris*, corporeis; Verbum enim nudum quod tantùm corde videri poterat, carne indutum est ut oculis corporeis videretur, et cor sanaretur in nobis, unde Verbum videremus, ut hìc philosophatur S. Augustinus. Verùm quia potest aliquis oculis propriis rem aliquam perfunctoriè videre, quasi parùm adhuc dixisset, addit : QUOD PERSPEXIMUS, non in superficie tantùm, sed intùs et sub cute quodammodò visu penetravimus; longâ enim trium ampliùs annorum conversatione omnia intima Christi cognoverant apostoli. Græcè tamen : *Quod contemplati sumus;* ut significentur apostoli sæpè et attentè cum affectu, admiratione, et stupore quodam (sicut vocem Græcam explicat Œcumenius) contemplati et speculati fuisse ex propinquo Christi humanitatem, velut in hac expositam, ut addit Erasmus. ET MANUS NOSTRÆ CONTRECTAVERUNT, nec tantùm auditu et visu, qui falsis interdùm imaginibus illuduntur, ut audiri et videri putentur homines qui sunt spiritus et spectra, sed manus nostræ frequenter tetigerunt, tractaverunt, et palpaverunt, ut facilè tactu ipso dignoscere potuerimus non fuisse spiritum, qui carnem et ossa non habet. Contrectaverat eum Joannes in sinu ejus recumbens, Joan. 13, v. 25; Thomas et cæteri apostoli putantur eum palpàsse post resurrectionem, ut experirentur an spiritus esset, Joan. 20, v. 27; Luc. 24, v. 39; osculando quoque eum sæpè contrectaverunt : nam morem fuisse ut foris redeuntes magistrum suum osculaverentur colligitur ex osculo Judæ, Matth. 26, v. 49, et ex multis utriusque Testamenti Scripturis constat apud Judæos, et deinde primos Christianos, moris fuisse ut foras euntes, aut domum revertentes, se mutuò in osculo sancto salutarent. DE VERBO, de Filio æterni Patris, genito per intellectum : ideòque est Verbum mentis; VITÆ, in quo est vita increata, quâ ipse vivit : *In ipso* enim *vita erat*, Joan. 1, v. 4, et ex quo vita omnis creata tam naturalis quàm supernaturalis in creaturas fluit. Erasmus more suo vertit : *De sermone vitæ;* sed *verbum* aliquid simplicius sonat quàm sermo ex multis vocibus complexus : ideòque *sermo* non tam benè simplicitati Verbi divini, quàm *verbum* convenit; deinde vox *sermo* tantùm orationi vocali complexæ, non mentali, sicuti *verbum*, tribui solet. Tota autem hæc periodus pendet à verbo *annuntiamus*, quod sequetur; ut sensus sit : *Annuntiamus vobis de verbo vitæ quod fuit ab initio, quod audivimus*, etc. Annuntiare autem de verbo vitæ, quidam explicant per Hebraismum, ut sit idem ac annuntiare verbum vitæ

quod fuit ab initio, etc., sed *verbum* apud Græcos, sive λόγος, est masculini generis, quod non convenit cum pronomine *quod*, quando dicitur : *Quod fuit ab initio;* unde potiùs sensus est : Annuntiamus vobis de verbo vitæ illud quod fuit ab initio, etc., quæ est divini Verbi divinitas.

Vers. 2. — Et vita ; Verbum ipsum vivens in se, et alios vivificans ; mox enim dicet vitam istam fuisse ab æterno apud Patrem : *Sicut* enim *Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso*, Joan. 5, v. 26. Particula *et*, ut Gagnæus, Catharinus, et alii notant, videtur more Hebraico sumi pro *quia*, vel *enim*, Gen. 14, v. 18 : *Erat enim sacerdos Dei altissimi;* Hebraicè, *et ipse sacerdos*, etc. Totus autem hic secundus versus parenthesi intercludi debet, aut utrinque duobus punctis, quæ parenthesi æquivalent. Manifesta est, quando *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*, Joan. 1, v. 14 ; et vidimus, oculis corporis, ut paulò ante iterùm dixit ; sed amor verbosus est, et eadem potiùs iterat quàm de re amatâ sileat. Œcumenius etiam modum loquendi hìc perturbatum excusat, quia Apostolus elegantes Græcorum nugas de industriâ contemnit, ut salutem nostram non in verbis, sed in operibus consistere ostendat : deinde obscuritate istâ magis nos attentos facere voluit, quia quod primâ statim fronte intelligitur, vilescere solet. Et testamur, etiam usque ad mortem et martyrium ; nam quem Græci martyrem, Latini testem appellant : *Cùm* autem *displiceret testimonium* veritatis *hominibus adversùs quos dicebatur*, inquit Augustinus, *testes passi sunt omnia quæ passi sunt martyres*. Didymus omnia verba et ferè syllabas hìc ponderans, existimat S. Joannem potiùs dixisse : *Et vidimus et testamur*, quàm : *Et perspeximus et testamur*, quia quæ apostoli simpliciter viderant, testari et narrare aliis potuerunt ; multa verò abdita mysteria quæ perspexerant, et cum stupore fuerant contemplati, inenarrabilia erant. Et annuntiamus vobis, per Evangelium, quod bonum nuntium significat ; vitam æternam ; Græcè : *Vitam illam æternam ;* Verbum divinum, quod est vita illa increata et æterna per essentiam, ex quo nobis etiam fluit vita æterna per participationem. Quæ erat, ab æterno et antequàm mundus fieret, apud Patrem ; manet enim conjunctissimum intellectui Patris tanquàm ejus Verbum ; et apparuit nobis, in carne assumptâ : *Post hæc* enim *in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*, Baruch. 3, v. ult.

Vers. 3. — Quod vidimus et audivimus, inquam, annuntiamus vobis. Eadem repetit, non tamen otiosè, sed ut causam finalem hujus annuntiationis subjiciat. Ut et vos societatem (Græcè *communionem*) habeatis nobiscum, ut ejusdem gratiæ et gloriæ nobiscum participes efficiamini : unde ex amore et charitate vestri non lucri aut honoris cupiditate, tantos evangelicæ prædicationis labores assumimus ; et ut videatis quantæ sit dignitatis illa nobiscum societas, et societas nostra, quam vos nobiscum, et nos vobiscum habemus, sit cum Patre et cum Filio ejus Jesu Christo ; et ut per gratiam *efficiamur divinæ naturæ* Patris et Filii *consortes*, 2 Pet. 1, v. 4, ac visione ejusdem essentiæ beati, cujus ipsi comprehensione sunt beatissimi. Cum Patre autem et Filio Spiritus sanctus quoque intelligitur, qui amor et nexus amborum est. Cum Christo etiam ut homine habemus bonorum cœlestium societatem, quia sumus *filii*, *et hæredes Dei, cohæredes autem Christi*, ad Rom. 8, v. 17.

Vers. 4. — Et hæc scribimus vobis, nempe beatam illam societatem nostram, vestramque cum Patre et Filio ejus aliquando futuram ; ut gaudeatis, gaudio spirituali, ob spem futuræ tantæ felicitatis. Sed quia gaudia spiritualia hujus vitæ imperfecta, multis doloribus extenuata, multis adversitatibus interpolata sunt, ideò addit : Et gaudium vestrum sit plenum, perfectum omni plenitudine, et æternâ duratione perpetuum ; quod demùm in alterâ vitâ futurum est, quando : *Adimplevit nos lætitiâ cum vultu suo, et delectationes in dexterâ ejus usque in finem*, psalm. 15. Gaudium autem, sive delectatio, quæ spiritualibus actibus virtutum tanquàm mel suo favo adhæret, non est ultimus finis ad quem Apostolus fideles excitat, sed omnis delectatio ad facilitandum virtutis actum proximè refertur, actus verò in Dei gloriam. Particulam *ut gaudeatis* Græca non habent, leguntque tantùm : *Hæc scribimus vobis ut gaudium vestrum sit plenum*. Quædam exemplaria legunt : *Ut gaudium nostrum*, etc. ; quod Beda sic interpretatur, quomodò illud : *Implete gaudium meum*, ad Philipp. 2, v. 2, quia gaudium doctorum impletur quando multos ad Patris et Filii ejus societatem perducuntur : *Lætantur* enim *sicut in messe, et sicut exultant victores captâ prædâ*, Isaiæ 9, v. 3.

Vers. 5. — Et hæc est annuntiatio, hæc est materia annuntiationis et prædicationis nostræ, quam audivimus ab eo, Christo, dùm nobiscum conversaretur, et annuntiamus vobis, quia quod in aure ab eo audivimus, jussi sumus prædicare super tecta, Matth. 10, v. 27. Quoniam Deus, sanctissima Trinitas unus Deus, lux est, non corporea, sed spiritualis ; sicut enim inter res sensibiles nihil luce purius, subtilius, et amœnius, ita substantia Dei subtilissima et purissima est, ejus intellectus veritate et infinitæ intelligentiæ luce plenus, ejus voluntas sanctissimo amore et eminentissimis virtutum luminibus radiat. Et hæc increata lux omnis luminis creaturæ rationalis fons est et origo ; est enim in intelligibilibus quod sol in sensibilibus. Hujus lucis primus radius et veluti rivulus est angelica natura, secundus humana : unde homo à Græcis φῶς, id est, lumen vocatur, propter inditum à naturâ lumen rationis, ait S. Nazianzenus, oratione 40. Hæc eadem lux increata animæ nostræ oculos agitat ut se suscipiant, ait Œcumenius, et ab his omnibus sensibilibus avertens ad solum sui amorem convertat. Et tenebræ, scilicet ignorantiæ et malitiæ, sive peccati, in eo non sunt ullæ ; lux enim purissima et infinita nullam maculam et mixturam tenebrarum habere potest. Dicitur tamen Deus *tenebras posuisse latibulum suum*, psalm. 17, non quòd tenebræ in ipso hæreant, sed propter nostram ignorantiam, inquit

Didymus : quia, licèt Deus inhabitet lucem, illa tamen est inaccessibilis et incomprehensibilis nobis, 1 ad Timoth. 6, v. 16. Post tenebras ergo lux illa latet, sicut sol post nubem.

VERS. 6. — SI DIXERIMUS, ore aut corde hoc verum esse affirmando, QUONIAM SOCIETATEM, quòd communicationem per lumen gratiæ sanctificantis, HABEMUS CUM EO, tanquàm cum purissimo luminis fonte, in quo tenebræ nullæ sunt; ET IN TENEBRIS AMBULAMUS, et tamen per noctem et tenebras peccatorum affectibus, tanquàm quibusdam animæ passibus, ambulemus, quod faciunt magni peccatores : venialiter autem tantùm delinquentes non propriè in nocte et tenebris, sed in die et luce ambulant, licèt transitoriâ interdùm umbrâ perstringantur; MENTIMUR, falsum dicimus verbo oris aut cordis, ET VERITATEM NON FACIMUS, nec opere ipso facimus veritatem quam verbo loquimur; adeòque opera nostra refellunt linguam et arguunt mendacem. Aut certè etiam *facere veritatem* potest hìc accipi, ut sæpè alibi, pro operari opus rectum et legi divinæ consentaneum : *Qui facit veritatem, venit ad lucem*, Joan. 3, v. 21. Qui ergo opera tenebrosa facit, non habet societatem cum Deo qui lux est : nam societas ista consistit in quâdam similitudine et participatione, quâ *efficimur divinæ consortes naturæ*, 2 Pet. 1, v. 4. *Quæ autem participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras?* 2 ad Cor. 6, v. 14.

VERS. 7. — SI AUTEM IN LUCE AMBULEMUS; si exerceamus opera luce divinæ gratiæ splendentia; qui enim à luce illuminatur, in luce ambulat, inquit Didymus; SICUT ET IPSE, Deus Pater; respicit enim ad vers. 3, et statim hoc loco Christum vocabit ejus filium; EST IN LUCE, in luce suâ increatâ, in quâ incommutabiliter manet; non autem sicut nos in luce ambulat, cum de affectu uno in alterum successivè non transeat : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, Jacobi 1, v. 4. Non est ergo æqualitas, sed quædam cum Deo similitudo in eo consistens, quòd sicut ille in luce suâ immobilis permanens vivit, et omnia operatur, ita nos in radiis istius lucis debemus conversari et nos movere. SOCIETATEM HABEMUS AD INVICEM, conjunctionem inter nos per gratiam et charitatem fraternam; deinde cum capite nostro Christo, et cum Dei luce in quâ ambulemus : nam opera lucis indicant gratiam et charitatem internam à quâ promanant. Cajetanus et quidam alii *ad invicem* exponunt, non inter nos apostolos et vos apostolorum discipulos, sed inter nos omnes et Deum Patrem, qui lux est in quâ ambulamus : sed videtur solùm ex consequenti, non immediatè hæc societas ab Apostolo significari. ET SANGUIS JESU CHRISTI FILII EJUS; meritum passionis ejus, in quâ sanguinem suum pro peccatoribus fudit. Vocat autem sanguinem Filii Dei et hominis, cujus erat ille sanguis. EMUNDAT NOS, per opera ista lucis, quibus meritum sanguinis ejus applicatur nobis, et ex cujus etiam merito opera ipsa profluunt; AB OMNI PECCATO, à quocumque, sive mortali, sive veniali, sive emundatio ista fiat in sacramentis, sive extra sacramenta per actus charitatis et contritionis, aliisque piis operibus, quibus quotidiana peccata successivè delentur, sicut successivè et frequenter committuntur : non autem quasi omnia copulatim et simul semper emundentur. Negat verò hanc expositionem et doctrinam Calvinus, aitque S. Joannem totum emundationis negotium sanguini Christi, nullam partem bonis operibus tribuere; negat etiam ullum meritum aut laudem bonis operibus tribui posse, quia qualecumque sit in nobis, inquit, rectè agendi studium, semper claudicando ad Deum tendimus; quidquid autem dimidium est, laudem apud Deum non meretur. Sed errat hæreticus, meritòque damnatus est à Tridentino, sess. 6, can. 25; nam hoc pacto nullum reverà esset opus bonum, si aliqua semper claudicatio ei sit admixta; bonum enim ex integrâ causâ, malum ex singulis defectibus, ut post S. Dionysium dicunt theologi; unde frustranea esset ad bona opera adhortatio, et falsa laus quâ S. Paulus tam sæpè fideles propter bona opera extollit; falsum quod ad Galatas ait : *Benè currebatis*, ad Galat. 5, v. 7, si in omni cursu homo etiam justus claudicet. Nec datur tantùm dimidium sanguini Christi, ut Calvinus ait, sed datur ipsi totum; licèt bonorum operum utatur instrumentis. Deinde ipsa etiam instrumenta ex pretio ejusdem sanguinis fabricata sunt, cùm ad nullum opus bonum evehamur, nisi gratiâ Dei, quæ ex Christi meritis fluit, qui proinde *dona sua*, *merita nostra esse voluit*, ut loquitur S. Augustinus.

VERS. 8. — SI DIXERIMUS, loquendo aut putando, QUONIAM PECCATUM NON HABEMUS, quòd vivamus totâ hâc vitâ sine peccato, ita ut nequidem venialiter unquàm peccemus, ut cap. 35 de Naturâ et Gratiâ exponit S. Augustinus; non enim debet hic locus sic intelligi quasi justus quispiam horâ unâ aut alterâ non possit esse sine omni reatu peccati venialis, sed quòd sancti non ducant vitam istam sine peccatis venialibus, ait S. Thomas, 3 parte, quæstione 79, art. 4, ad 2 : nam sancti concupiscentiam et fomitem peccati in sinu suo circumferunt; unde pugna ferè continua inter carnem et spiritum : *Qui* autem *pugnat, adhuc periclitatur, et aliquando percutitur, etiamsi non sternatur*, ait S. Augustinus, cap. 62, de Naturâ et Gratiâ. Unde refellitur interpretatio Calvini et hæreticorum, qui non tantùm aliquando, sed semper in omni actu homines justos percuti et peccare dicunt. Et, licèt qui natus est ex Deo non peccet, quatenùs Filius Dei et Deo similis, in quantum tamen dissimilis et filius carnis ac hujus seculi, peccare potest, inquit Augustinus, libro 2, capite 8, de peccatorum Meritis. Excipit tamen alibi beatam Virginem, *de quâ propter honorem Domini*, inquit, *nullam prorsùs, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem; unde enim scimus, quid ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere et parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum?* cap. 36, de Naturâ et Gratiâ. Postea verò, cap. 68, dicit se non nimis curare an quidam etiam alii fuerint sine peccato, modò Pelagius fateatur id eos consecutos esse per gratiam Dei. IPSI NOS SEDUCIMUS, nosmetipsos de-

cipimus, falsis rationibus id nobis persuadendo. Unde ne quis sic intelligeret quasi ideò seduceremus nos, non quia falsum esset, sed quia de vero bono nos laudando in superbiam extolleremur, addit, inquit Augustinus, cap. 34, de Naturâ et Gratiâ : ET VERITAS IN NOBIS NON EST, et omninò verum non est quod peccatum non habeamus. Non ergo fugiendo superbiam et causâ humilitatis dicit nos peccatum habere, sed quia hoc verum est; non enim ad sui humiliationem mentiri oportet.

VERS. 9.— SI CONFITEAMUR, ex verâ contritione cordis sacerdoti Dei ministro, si peccata sint mortalia; venialia autem sufficit confiteri soli Deo, quia non sunt materia necessaria sacramentalis confessionis, ut docent theologi. Opponit autem S. Joannes confessionem peccatorum negationi quâ aliquis seipsum seducens negat se habere peccatum, versu præcedenti. PECCATA NOSTRA, quæcumque, sive mortalia sive venialia, sine quibus, his vel illis, vita ista non ducitur, ut ante dixit. Beza Catholicos ridiculos esse dicit, qui ex hoc S. Joannis loco auricularem suam carnificinam (sic confessionem appellat) stabiliunt. Sed ridiculum non est quod Christus apud eumdem Joannem, capite 10, versu 23, instituit, cùm insufflans in discipulos dixit : *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis*, etc.; ubi magister Bezæ, Calvinus, *quorum remiseritis* ridiculè exponit quorum remissa esse testati fueritis; nam remittere peccata longè aliud significat quàm testari ea esse per passionem Christi remissa. Non oportet autem negligere frequenter confiteri saltem Deo peccata levia et venialia, ut monet hìc Augustinus : nam *si contemnis quando attendis, expavesce quando numeras*, inquit. *Levia multa faciunt unum grande, multæ guttæ implent flumen, multa grana faciunt massam;* ubi non dicit : Multa levia faciunt unum grave, sive multa venialia unum mortale; sed multa levia unum grande, quia multorum venialium cumulus grandior est, et Deo magis displicet, quàm singula venialia; unde etiam gravior dici potest, et sæpè gravitate suâ usque ad mortale peccatorem deprimit : *Qui* enim *spernit modica, paulatim decidet*, Ecclesiastici 19, versu 1. FIDELIS EST, in servando promissa; promisit autem confitentibus et pœnitentibus remissionem peccatorum : *Si impius egerit pœnitentiam*, etc., Ezechiel. 18, versu 21; ET JUSTUS, justum autem et æquum est ut benignissimus Pater confitentibus et pœnitentibus peccata dimittat, licèt per actum contritionis peccator non mereatur remissionem ex condigno, nec ex tam strictâ justitiâ quàm justo reddit mercedem. Interim tamen justitia, sive æquitas illa Dei, supositâ ejus promissione, Deum aliquo modo facit debitorem : *Tenemus* enim *debitorem*, inquit Augustinus, *quia tenemus misericordissimum promissorem.* Deinde, licèt non peccatori ex propriâ justitiâ, attamen Christo Deus debet nostrorum peccatorum remissionem, pro quibus sufficiens et condignum obtulit pretium. Denique justus quilibet potest ex justitiâ et de condigno per actum charitatis satisfacere et mereri remissionem venialium, ut scholastici docent. UT REMITTAT NOBIS PECCATA NOSTRA; etiamsi in novâ lege peccata mortalia per sacerdotes remittantur, Deus tamen, cujus illi ministri et instrumenta sunt, est principalis remittens; ET EMUNDET NOS, per infusionem munditiei spiritualis, quæ est gratia sanctificans, et Deo gratos ac acceptos nos reddens; AB OMNI INIQUITATE; quod v. 7 vocavit *peccatum*, jam vocat *iniquitatem*, quia in omni peccato est quædam iniquitas et injuria quæ infertur Deo.

VERS. 10. — SI DIXERIMUS. Adhuc eâdem formulâ loquendi utitur, quâ versu 6 et 8, quia hominum superbia est valdè prona ad dicendas suas laudes et excusanda sua peccata; QUONIAM NON PECCAVIMUS, originaliter, aut quandoque etiam actualiter, peccato mortali, vel veniali; loquitur enim ad adultos qui sciunt quid sit peccatum et peccare, et de talibus loquuntur. Inter peccata autem levia, quibus etiam non carent justi, numerat Augustinus immoderatum risum, nimiâ animi remissione jocari, curiosè aliquid videre ad concupiscendum, pluseulo cibo creare sibi cruditatem, in oratione distrahi, cap. 38 de Naturâ et Gratiâ. Alibi verò adjicit lapsum linguæ, et delectationem cogitationis, quâ desideriis peccati aliquantulùm consentimus, cap. ult., de Perfectione justitiæ. Beda autem generaliter : Impossibile est, inquit, quemlibet sanctorum non aliquando in minimis peccatis, quæ per sermonem, per cogitationem, per ignorantiam, per oblivionem, per necessitatem, per voluntatem, per subreptionem committuntur, lapsum incurrere. Nec tamen justi esse desinunt, quia citiùs à reatu Domino opitulante resurgunt. Imò quotidiè resurgendo et satisfaciendo, in virtutibus et perfectione, inquit Carthusianus, mirum in modum proficiunt, et sanctiores in dies fiunt. Cùm ergo Job dicit : *Non reprehendit me cor meum in omni vitâ meâ*, Job. 27, v. 6, de reprehensione ob grave peccatum, quo justitia amittitur, intelligi debet, ut patet ex verbis immediatè præcedentibus; unde idem antea fatetur se peccâsse, Jobi 7, v. 20, et 14, v. 16. Similiter intelligendum est quod dicitur in oratione Manasses : *Abraham, Isaac, Jacob tibi non peccaverunt;* quanquàm oratio ista ab Ecclesiâ inter apocrypha rejecta sit. MENDACEM FACIMUS EUM : non tantùm nos seducimus, sed etiam Deum dicimus fuisse mentitum, quando per prophetam dixit : *Omnes nos quasi oves erravimus*, Isaiæ 53, v. 6; *non est homo justus in terrâ, qui facit bonum et non peccet*, Ecclesiast. 7, v. 21. ET VERBUM EJUS, quod loquitur in Scripturis sanctis, NON EST IN NOBIS, non est in corde nostro radicatum per fidem, quia ei dicenti nos omnes esse peccatores non credimus.

CAPUT II.

1. Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum;

CHAPITRE II.

1. Mes petits enfants, je vous écris ceci, afin que vous ne péchiez point. Si néanmoins quelqu'un pèche, nous avons pour avocat envers le Père, Jésus-Christ qui est juste.

2. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.

3. Et in hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus.

4. Qui dicit se nósse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est.

5. Qui autem servat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta est; et in hoc scimus quoniam in ipso sumus.

6. Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.

7. Charissimi, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio; mandatum vetus est verbum quod audistis.

8. Iterùm mandatum novum scribo vobis, quod verum est et in ipso, et in vobis; quia tenebræ transierunt, et verum lumen jam lucet.

9. Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc.

10. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est.

11. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quò eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.

12. Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus.

13. Scribo vobis, patres, quoniam cognovistis eum qui ab initio est. Scribo vobis, adolescentes, quoniam vicistis malignum.

14. Scribo vobis, infantes, quoniam cognovistis Patrem. Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei manet in vobis, et vicistis malignum.

15. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo:

16. Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ; quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.

17. Et mundus transit, et concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.

18. Filioli, novissima hora est; et sicut audistis quia Antichristus venit, et nunc antichristi multi facti sunt; unde scimus quia novissima hora est.

19. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum; sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis;

20. Sed vos unctionem habetis à Sancto, et nóstis omnia.

21. Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam; et quoniam omne mendacium ex veritate non est.

22. Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam Jesus est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem et Filium.

23. Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet; qui confitetur Filium, et Patrem habet.

24. Vos quod audistis ab initio, in vobis perma-

2. Car c'est lui qui est la victime de propitiation pour nos péchés; et non seulement pour les nôtres, mais aussi pour ceux de tout le monde.

3. Or ce qui nous fait connaître que nous le connaissons véritablement, est si nous gardons ses commandements.

4. Celui qui dit qu'il le connaît, et ne garde pas ses commandements, est un menteur; et la vérité n'est point en lui.

5. Mais si quelqu'un garde sa parole, l'amour de Dieu est vraiment parfait en lui: c'est par là que nous connaissons que nous sommes en lui.

6. Celui qui dit qu'il demeure en Jésus-Christ, doit marcher lui-même comme Jésus-Christ a marché.

7. Mes bien-aimés, je ne vous écris point un commandement nouveau, mais le commandement ancien que vous avez reçu dès le commencement; et ce commandement ancien est la parole que vous avez entendue.

8. Et néanmoins je vous dis que le commandement dont je vous parle est nouveau: ce qui est vrai en Jésus-Christ et en vous, parce que les ténèbres sont passées, et que la vraie lumière commence déjà à luire.

9. Celui qui prétend être dans la lumière, et qui néanmoins hait son frère, est encore dans les ténèbres.

10. Celui qui aime son frère, demeure dans la lumière; et le scandale n'est point en lui.

11. Mais celui qui hait son frère est dans les ténèbres, il marche dans les ténèbres, et il ne sait où il va, parce que les ténèbres l'ont aveuglé.

12. Je vous écris, mes petits enfants, parce que vos péchés vous sont remis au nom de Jésus-Christ.

13. Je vous écris, pères, parce que vous avez connu celui qui est dès le commencement. Je vous écris, jeunes gens, parce que vous avez vaincu le malin esprit.

14. Je vous écris, petits enfants, parce que vous avez connu le Père. Je vous écris, jeunes gens, parce que vous êtes forts, que la parole de Dieu demeure en vous, et que vous avez vaincu le malin esprit.

15. N'aimez point le monde, ni ce qui est dans le monde. Si quelqu'un aime le monde, l'amour du Père n'est point en lui.

16. Car tout ce qui est dans le monde est, ou concupiscence de la chair, ou concupiscence des yeux, ou orgueil de la vie; ce qui ne vient pas du Père, mais du monde.

17. Or le monde passe, ainsi que la concupiscence; mais celui qui fait la volonté de Dieu, demeure éternellement.

18. Mes petits enfants, c'est ici la dernière heure: et, comme vous avez entendu dire que l'Antechrist doit venir, il y a dès maintenant même plusieurs antechrists; ce qui nous fait connaître que nous sommes dans la dernière heure.

19. Ils sont sortis d'avec nous, mais ils n'étaient pas des nôtres; car, s'ils eussent été des nôtres, ils fussent demeurés avec nous; mais ils en sont sortis, afin qu'on reconnût clairement que tous ne sont pas des nôtres.

20. Pour vous, vous avez reçu l'onction du Saint, et vous connaissez toutes choses.

21. Je ne vous ai pas écrit comme à des personnes qui ne connussent pas la vérité, mais comme à ceux qui la connaissent, et qui savent que nul mensonge ne vient de la vérité.

22. Qui est menteur, si ce n'est celui qui nie que Jésus soit le Christ? Celui là est un antechrist, qui nie le Père et le Fils.

23. Quiconque nie le Fils, ne reconnaît point le Père; et quiconque confesse le Fils, reconnaît le Père.

24. Faites donc en sorte que ce que vous avez ap-

neat. Si in vobis permanserit quod audistis ab initio, et vos in Filio et Patre manebitis.

25. Et hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam.

26. Hæc scripsi vobis de his qui seducunt vos.

27. Et vos unctionem quam accepistis ab eo maneat in vobis. Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium; et sicut docuit vos manete in eo.

28. Et nunc, filioli, manete in eo; ut cùm apparuerit, habeamus fiduciam, et non confundamur ab eo in adventu ejus.

29. Si scitis quoniam justus est, scitote quoniam et omnis qui facit justitiam, ex ipso natus est.

pris dès le commencement demeure toujours en vous. Si ce que vous avez appris dès le commencement demeure toujours en vous, vous demeurerez aussi dans le Fils et dans le Père.

25. Et c'est ce que lui-même nous a promis, en nous promettant la vie éternelle.

26. Voilà ce que j'ai cru devoir vous écrire touchant ceux qui vous séduisent.

27. Mais pour vous, que l'onction que vous avez reçue du Fils de Dieu demeure en vous; et vous n'aurez pas besoin qu'aucun vous enseigne; mais comme cette même onction vous enseigne toutes choses, et qu'elle est la vérité exempte de tout mensonge, demeurez dans ce qu'elle vous enseigne.

28. Maintenant donc, mes petits enfants demeurez dans le Fils de Dieu, afin que, lorsqu'il paraîtra, nous soyons plein de confiance, et que nous ne soyons pas confondus par sa présence.

29. Si vous savez que Dieu est juste, sachez aussi que tout homme qui vit selon la justice est né de lui.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — FILIOLI MEI; ex amoris teneritudine sic eos appellat : solemus enim nominibus diminutivis testari amorem similem amori tenerrimo matrum erga parvulos suos, quorum nomina solent diminutivè pronuntiare; ad quod etiam alludens Paulus : *Filioli mei*, inquit, *quos iterùm parturio*, ad Galat 4, v. 19. HÆC SCRIBO VOBIS, quæ jam proximè dixi, nempe veritatem non esse in iis qui dicunt se non habere peccatum, et Deum facere mendacem qui dicunt se non peccâsse; UT NON PECCETIS, ex superbiâ et nimiâ vestrî complacentiâ, existimando vos esse innocentes, ut interpretantur Hugo et Thomas Anglicus; vel certè, ut Beda, scribo vobis neminem esse sine peccato, non ut ex desperatione occasionem peccandi arripiatis, sed potiùs ut non peccetis, sive ut fragilitatis humanæ memores attentiùs contra tentationes vigiletis, et magis strenuè contra vitia dimicetis, præsertim contra majora et apertiora, quæ faciliùs Deo adjuvante superare potestis. SED ET SI QUIS PECCAVERIT, per superbiam aut quodcumque aliud peccatum, mortale aut veniale, non est desperandum, quia ADVOCATUM HABEMUS, patronum, qui miserorum et peccatorum causam agat. Advocatus Græcè dicitur paracletus; quæ vox vel consolatorem, vel advocatum significat. Consolatorem esse maximè Spiritui sancto appropriari solet, qui amor et charitas est, supernâ gratiâ et spiritualis unctionis consolationisque dulcedine implens pectora. Advocatum autem esse propriè convenit Christo secundùm naturam humanam, in quâ pretium redemptionis nostræ olim Patri pro nobis solvit, et jam quotidiè in singulorum peccatorum remissione virtutem illius pretii applicat, et etiam interpellat pro nobis, ad Romanos 8, v. 34, ad Hebr. 7, v. 25, quod est advocati et patroni munus. Interpellare autem Christi, ait Beda, est apud Patrem demonstrare se esse hominem, et pro naturâ humanâ rogâsse est eamdem naturam in divinitatis suæ celsitudinem suscepisse; interpellat ergo, inquit, non voce, sed miseratione, quia quod damnare in electis noluit, suscipiendo servavit. Sed hoc solùm est implicitè et impropriè interpellare et rogare Patrem; Scripturæ autem conformius est eum etiam propriè interpellare, ut ex S. Augustino ad Romanos 8, versu 34, notavimus. Orat autem vel verbo mentis, vel etiam verbo oris, inquit hìc Carthusianus. Quæ verò Beza adversùs invocationem sanctorum contra Catholicos hìc effutit, tantùm probant alios sanctos non esse tales advocatos qualis est Christus, qui proprio suo sanguine Patri ex justitiâ pro nobis satisfecit, et interpellando proprium meritum ab alio superiore mediatore independens allegat. Falsum quoque est quòd alii sancti nullam, ut ait Beza, rerum inferiorum notitiam habeant, cùm ipsemet fateatur eos de laborantium fratrum salute sollicitos esse : hæc enim sollicitudo aliquam rerum nostrarum notitiam supponit. APUD PATREM, suum nostrumque; unde spes impetrandæ veniæ crescit; Pater enim filii sui naturalis precibus facilè inclinatur, præsertim si roget pro filiis adoptivis; JESUM CHRISTUM JUSTUM, qui justas causas fovet et defendit; sicut enim advocatus justus causas injustas non suscipit, ut ait Beda, ita justas non respuit. Justa autem est causa nostra, si confiteamur et displiceant nobis peccata nostra.

VERS. 2.—ET IPSE EST PROPITIATIO, causa propitiationis, quia Patrem sacrificio crucis propitiatorio nobis propitium et placatum reddit. Interpres Syrus particulam *et* sumit causaliter more Hebræo pro *quia*, ut significet Christum non esse vulgarem advocatum, quales alii sancti esse possunt, sed singularem, qui non tantùm nudâ prece, sed oblatâ satisfactione æquivalenti, imò superante offensam, iratum Patrem propitiat et certissimè placat. PRO PECCATIS NOSTRIS, abolendis per gratiam, quæ ex merito illius sacrificii propitiatorii quotidiè in animas nostras infunditur. NON PRO NOSTRIS AUTEM TANTUM, nec tantùm pro peccatis meis vestrisque ad quos hæc scribo. SED ETIAM PRO TOTIUS MUNDI, pro peccatis omnium electorum, qui per totum mundum dispersi sunt, fuerunt et erunt, à primo electo usque ad ultimum in fine mundi nasciturum, inquit Beda. Nam ex sententiâ S. Augustini, quem perpetuò sequitur Beda, sicut Christus pro solis electis Patrem rogavit, Joan. 17, v. 9, ita propriè pro peccatis electorum finaliter abolendis sacrificium propitiatorium Patri obtulit. Quod dogma con-

cil. Valentinum adversùs Hincmarum hæresim Semipelagianorum renovantem, tam certum esse existimavit, ut ad veritatem apostolicam pertinere dixerit : *Illud nobis simpliciter et fideliter*, inquit, c. 4, *tenendum ac docendum placet, juxta evangelicam et apostolicam veritatem, quòd pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipse Dominus noster dicit*, Joan. 3 : *Sicut Moyses exaltavit serpentem*, etc., *ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Pretium illud omnibus et singulis totius mundi hominibus efficaciter salvandis sufficiens fuit, si Deus virtutem ejus iis applicare voluisset; unde Christus non tantùm pro electis, sed etiam pro reprobis mortuus est quoad sufficientiam, et horum multi per Christi merita consequuntur peccatorum suorum remissionem in baptismo vel per pœnitentiam; sed postea relabuntur et finaliter pereunt.

Vers. 3. — Et in hoc, per hoc tanquàm per signum quoddam conjecturale; scimus, non certò, ut contendit hìc cum Cajetano et hæreticis Catharinus, sed probabiliter tantùm : *Nullus* enim citra revelationem divinam certò *scire valet certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum*, ut ait Trident., sess. 6, cap. 9; quoniam cognovimus, cognitione affectivâ, sive per fidem quæ charitatem cohabet per quam operatur. Eum, Christum, advocatum nostrum. *Cognoscere* in Scripturâ sæpè non significat nudam intellectûs cognitionem, sicuti ad Rom. 1, v. 21 : *Cùm cognovissent Deum*, etc., sed cognitionem cum affectu et amore voluntatis conjunctam, qui intellectum in cognitione suâ defigit, et quàm suave sit objectum experimentaliter cognoscere facit; unde Glossa, cognoscere Deum, inquit, est Deum amare; sic Christus dicit : *Cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ*, Joannis 10, v. 14; sic *cognoscere uxorem*, propriè est uxorem amare; quâ phrasi honestâ Hebræi, et post eos Græci ac Latini utuntur, cùm carnale commercium significare volunt. Si mandata ejus observemus. *Signum* enim *dilectionis est exhibitio operis*, ait S. Gregorius; loquitur enim de observatione mandatorum, sicut Deus jubet observari, inquit Carthusianus, ex amore justitiæ, non timore pœnæ. Sed an amorem talem et tam purum quàm Deus à nobis exigit habeamus, certò scire non possumus; Dei enim et mandatorum in nobis amor per occultam reflexionem ad res terrenas sæpissimè inficitur.

Vers. 4. — Qui dicit, ore aut corde, se nosse eum, notitiâ affectivâ et amori permixtâ, ut versu præcedenti, et mandata ejus, tam legis naturæ quàm evangelicæ, non custodit, sicut Deus custodiri jubet, hoc est, propter ipsum, et ex amore justitiæ, non formidine pœnæ, sicut Judæi plerique olim legem Mosaicam custodiebant, mendax est, mendacium, sive falsum dicit. Inter mentiri autem et mendacium dicere, tale discrimen olim ponebat Publius Nigidius, studiis bonarum artium præclarissimus, inquit Nonius : Qui mentitur, ipse non falsus alterum fallere conatur; qui mendacium dicit, ipse fallitur : unde vir bonus præstare debet ut non mentiatur, vir prudens ne mendacium dicat. Et in hoc, homine istud dicente, veritas non est; explicat quo sensu dixerit eum esse mendacem, quia nempe falsum et mendacium dicit, licèt fortè non mentiatur, seu loquatur contra suam mentem.

Vers. 5. — Qui autem servat, propter ipsum, et ex amore justitiæ, ut ante diximus; est enim in Græco unum idemque verbum, quod interpres *servare*, *observare*, *custodire* vertit; verbum ejus, mandata quæ verbo locutus est hominibus, verè in hoc (homine) charitas Dei, quâ Deum diligit, perfecta est, quia usque ad opus externum quod charitas imperat, crescit et adolescit; sic peccatum dicitur consummatum, seu perfectum esse, quando non tantùm manet intra voluntatem, sed opere externo perficitur, Jacobi 1, versu 15; est enim hìc et ibi eadem vox Græca. Perfectiùs autem Deum amat, qui non tantùm in sinu suo amorem ejus fovet, sed ad amanda opera externa propter Deum extendit, ut rectè Cajetanus. Omnis ergo charitas, sive in se magna, sive parva sit, dicitur hìc perfecta, quando in opus externum prodit; et contra quævis charitas interior, quantùmvis magna, si foràs non prodeat, dicitur hoc modo imperfecta. S. Augustinus satis etiam benè et consonè ad ea quæ versu 7 sequentur, dicit perfectam esse Dei charitatem in eo qui diligit non tantùm amicos, sed etiam inimicos, et servat verbum illud Christi : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos*, Joannis 13, versu 34; dilexit autem Christus inimicos quando Patrem pro impetrandâ ipsis gratiâ et vitâ æternâ rogavit : *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*, Lucæ 23, versu 34, quâ *prece misericordissimâ et potentiâ præstantissimâ*, ait Augustinus, *mortem sempiternam ab iis expellebat;* orabat enim non pro reprobis, sed pro electis crucifixoribus, qui credendo sanguinem postea biberunt, quem sæviendo fuderant, ut dicit ibidem Augustinus. Et in hoc, per hoc quòd servemus verbum et mandata ejus, scimus, non certò, sed conjecturâ probabili, ut ante, v. 3, diximus, quoniam in ipso sumus, insiti in corpus ejus mysticum per charitatem, quæ est veluti quoddam gluten quo membra viva et sana in ipso et sub ipso tanquàm capite coagmentantur. Dixerat ante, v. 3, quòd observatores mandatorum fide et charitate cognoscerent Christum; jam explicat effectum istius charitatis, qui est inserere nos ipsi Christo.

Vers. 6. — Qui dicit, verè ac sine mendacio, se in ipso (Christo) manere, insitum esse et ei adhærere per charitatem, debet, ne inde excidat, sicut ille ambulavit, sicut olim conversatus est in hoc mundo, per virtutum omnium exercitia gradiendo, et ipse ambulare, per similia virtutum exercitia, non per æqualia : nam in corpore humano ambulante caput sublimiùs ambulat quàm pedes, venter, et cætera membra; Christus est caput, nos membra corporis ejus mystici, quod est Ecclesia; sequimur ergo post ipsum à longè, non comitamur pari passu : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, etc., Matth. 16, v. 24.

Vers. 7. — Charissimi (Græcè, *fratres*) non man-

DATUM NOVUM SCRIBO VOBIS, auribus vestris novum et hactenùs *inauditum*, SED MANDATUM VETUS; explicat autem quomodò vetus : QUOD HABUISTIS AB INITIO, quod prædicatum est vobis à principio vestræ conversionis ad Christum, ut exponit S. Augustinus; mandatum enim de dilectione Dei et proximi, quo implentur omnia mandata, sicut Deus impleri jubet, nempe ex ejus dilectione, non metu pœnæ, statim à *principio ipsis inculcatum fuerat*, *quia* hoc est peculiare Christi mandatum : *Hoc est præceptum meum*, etc., Joan. 15, v. 12, et ex gemino charitatis præcepto pendent universa lex et prophetæ, Matth. 22, v. 40. Didymus et OEcumenius *ab initio* intelligunt legis Mosaicæ, imò ab initio legis naturæ; nam præceptum de diligendo Deo et proximo non tantùm in tabulis lapideis, sed *in tabulis cordis carnalibus* tanquàm naturale scriptum fuit. Sed ista verba, *quod habuistis*, *quod audistis*, hìc et infra, versu 24, videntur significare quod priùs cum S. Augustino diximus. MANDATUM VETUS; Græcè : *Mandatum istud vetus*. Explicat adhuc magis disertè quo modo dixerit esse vetus; EST VERBUM QUOD AUDISTIS. Græca addunt sicut ante *ab initio*. Est *verbum* Christi de *dilectione* Dei et proximi, *quod* ab apostolis prædicari audivistis ab initio conversionis vestræ.

VERS. 8. — ITERUM, repeto tamen et dico : MANDATUM NOVUM SCRIBO VOBIS ; nam Christus illud innovavit, Matth. 5, v. 43, Joan. 13, v. 34, postquàm negligentiâ et pravâ interpretatione Judæorum ferè antiquatum esset : *cùm enim* lex vetus, Levitici 19, v. 18, dixisset : *Diliges amicum*, sive proximum, *sicut te ipsum*, Judæi à contrario sensu intulerunt et interpretati sunt odio habendum esse inimicum; Christus verò hoc correxit, et mandatum novâ explicatione innovavit : *Ego autem dico vobis*, *diligite inimicos vestros*, Matth. 5, v. 44; hoc autem est diligere *sicut Christus* dilexit nos, *cùm inimici ejus essemus*, Joan. 13, v. 34; deinde eò usque dilexit, ut animam et vitam corporalem poneret pro spirituali vitâ inimicorum, quod et nos facere debemus. Non pugnat ergo secum S. Joannes, quando antea dixit se scribere mandatum vetus; nam novum est et vetus diversâ consideratione; vetus est, quia ab initio Evangelii *ipsis* prædicatum, *non jam primò* à S. Joanne annuntiatum; novum autem est, quia à Christo, ut dixi, innovatum. S. Augustinus interdùm ab effectu novum appellat, quia hominem ex veteri et peccatore facit novum et Deo gratiosum. QUOD VERUM EST, quæ res, nempe mandatum illud esse novum, habet veritatem; IN IPSO, nempe Christo, qui novo modo illud observavit, *diligendo inimicos* et *moriendo pro ipsis*. Voces, *quod* et *verum*, non possunt esse adjectiva substantivi *mandatum*, quod in Græco est feminini generis; unde locus hic obscurus est, et in varias interpretationes distractus apud eos qui Græcè sciunt. ET IN VOBIS, etiam veritatem suam habet, qui illud sedulò custoditis; et rationem dat : QUIA TENEBRÆ peccatorum, infidelitatis et *ignorantiæ rerum divinarum* ; TRANSIERUNT, Christo illucescente orbi terræ posito in tenebris et umbrâ mortis : *Populus* enim *qui ambulabat in tenebris*, *vidit lucem magnam*, Isaiæ 9, v. 2. Græcè : *Quia tenebræ transeunt*, quotidiè magis magisque dissipantur, crescitque lumen fidei et charitatis fervor, tam in unoquoque vestrûm quàm in toto orbe terrarum, longiùs latiùsque in dies se diffundente Evangelii luce; ET VERUM, non falsum et fatuum, quale lucet in scholis gentilium philosophorum; LUMEN, Christianæ fidei; JAM LUCET, in cordibus fidelium per universum ferè orbem terræ illis temporibus cognitum ; nam solus Paulus ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum jam repleverat Evangelium, ad Rom. 15, v. 19, imò ab Arabiâ usque in Hispaniam, id est, ab Oceano orientali usque ad occidentalem, si conjungas ad Galat. 1, v. 17, cum ad Rom. 15, v. 28.

VERS. 9. — QUI DICIT, *congratulans* sibi de acceptâ jam christianâ veritate, SE IN LUCE ESSE, se luce fidei illuminatum esse, etiamsi in istâ luce non ambulet operibus quæ fides per charitatem operatur; ET FRATREM SUUM, quemlibet hominem ejusdem naturæ consanguinitate conjunctum, et filium ejusdem Patris per creationem, ODIT, cùm tamen novo charitatis mandato diligere *eum*, *quamvis inimicum*, deberet; IN TENEBRIS EST, peccatorum, quæ extinctâ luce gratiæ obfuscant ejus animam; USQUE ADHUC, non obstante præterito baptismo, quo fortassè à tenebris peccatorum verè fuerat emundatus.

VERS. 10. — QUI DILIGIT FRATREM, spirituali charitatis affectu, non solùm propter commoda sua, aut considerationes humanas; IN LUMINE MANET, in lumine gratiæ, quæ cordi ejus illucet et ipsum calefacit quamdiù fratrem diligit : *Dilectio* enim *proximi malum non operatur*, ad Roman. 13, v. 10; ET SCANDALUM IN EO NON EST, non impingit in viâ ad scandalum, sive offendiculum aliquod ut cadat, sicut solent qui in densis tenebris ambulant; sed ambulans in lumine rectà graditur, legemque universam implet sine gravi lapsu, quia plenitudo legis est fraterna dilectio, et omne mandatum in hoc verbo instauratur : *Diliges proximum sicut te ipsum*, ad Rom. 13, v. 9. Si verò proximum labi cernat, non inde scandalum et occasionem ruinæ accipit, sed corrigit potiùs quàm eum imitetur; aut si corrigere nequit, non indignatur, sed compatitur, et *Deum pro eo orat*.

VERS. 11. — QUI AUTEM, è contra, ODIT FRATREM SUUM, non odiendo in ipso iniquitatem, quod est odium perfectum, sed Dei creaturam; IN TENEBRIS, peccatorum et ignorantiæ, EST, sedet, tanquàm in carcere tenebroso, etiam cùm nihil agit et à malis operibus otiatur; ET IN TENEBRIS AMBULAT, et *quando operatur*, *nisi* Deus radio aliquo lucis *velut* fulgure in tenebris noctis gressus ejus dirigat, opera tenebrosa et nigredine peccati infecta facit; ET NESCIT QUÒ EAT, quid agat, sicut ambulans in densissimis tenebris nescit ubi gressum ponat; QUIA TENEBRÆ OBCÆCAVERUNT OCULOS EJUS, quia tenebriosi affectus peccati obscuraverunt judicium intellectûs ejus; talis *enim unicuique finis apparet*, *qualis quisque est*, *ait* Aristoteles, lib. 6, cap. 7 Ethic.; hoc est, ita unus-

quisque de bonitate rerum judicat prout affectus est : *Omnis* enim *via viri recta sibi videtur*. Proverb. 22, versu 2. et ideò omnis peccans est ignorans, ut post Aristotelem docet S. Thomas; nam judicio ultimo practico, quo voluntatem suam dirigit, judicat omnibus consideratis id appetendum esse, quòd reverà appetendum non est.

VERS. 12. — SCRIBO VOBIS, has litteras, quasi congratulatorias, FILIOLI, quos tenerrimè diligo, tanquàm matres parvulos suos filiolos. Omnes fideles sive magnos sive parvos sic compellat, sicut infra, v. 28, et ante, v. 1, ut rectè Titelmannus et Erasmus in paraphrasi; licèt multi interpretes aliter hìc *filiolos* interpretentur, nempe pro parvulis ætate corporis, aut fide mentis, quos statim, v. 14, *infantes* appellabit. Sed conformitas locorum jam citatorum aliud indicat; deinde, à *filiolis*, sive *infantibus*, proximè ad *adolescentes*, et gradatim ad *patres* transiret, non autem proximè ad *patres*, deinde ad *adolescentes*, ordine turbato; videtur ergo primo universim nomine *filiorum*, ut versu 1 et 28, omnes compellare, deinde per tres ætatum gradus à patribus ad adolescentes et infantes descendere. Carthusianus, Erasmus, Baronius, *filiolos* vocari existimant, quia per Evangelium eos genuisset; sed incertum est an S. Joannes unquàm evangelizaverit apud Parthos. QUONIAM REMITTUNTUR VOBIS, quia per baptismum, pœnitentiam et alios modos quibus applicatur fructus passionis Christi, delentur PECCATA vitæ superioris, et ea quæ adhuc quotidiè committitis; quæ causa est cur vos meritò in Domino exultetis, et ego congratuler vobis; PROPTER NOMEN EJUS, propter virtutem Christi, et meritum passionis ejus.

VERS. 13.—SCRIBO VOBIS, PATRES, in fide et doctrinâ fidei maturi ac perfecti, ita ut alios docere et spiritualiter gignere possitis; QUONIAM COGNOVISTIS EUM, per fidem, et scientiæ ac sapientiæ donum; QUI AB INITIO EST, Christum, qui *novus in carne*, *antiquus in divinitate*, inquit S. Augustinus, utpote cujus existentia est æternitas, et ab initio mundi jam erat cum Patre et Spiritu sancto. Hæc autem altissima fidei mysteria cognoscere, et ultra Christi humanitatem ad divinitatem et æternitatem ejus transcendere, patrum et seniorum est in scientiâ fidei et sanctorum. SCRIBO VOBIS, ADOLESCENTES; Græcè, *adolescentuli;* spirituali adolescentiâ et juventute fortes ac validi, et quasi in perfectâ ætate militari ad pugnandum et vincendum tentationes : voce enim Græcâ νεανίσκοι, quæ hìc habetur, Julius Pollux dicit significari propriè eos qui agunt quartam annorum hebdomadem, quæ ab anno 21 ætatis usque ad 28 extenditur. QUONIAM VICISTIS, fidei et gratiæ Dei armis, MALIGNUM; Græcè, *malum illum*, sive *nequam;* quod nomen per excellentiam diabolo attribuitur: hic autem malus per carnis concupiscentias et mundi vanitates oppugnat maximè adolescentes, et eos qui sunt in vigore adhuc et fervore ætatis, unde qui ardentes diaboli tentationes ferventiori gratiâ Dei vincunt, meritò in vitâ spirituali adolescentes robusti et militares vocantur.

VERS. 14. — SCRIBO VOBIS, INFANTES, recenter in baptismate renati, et in rebus fidei adhuc rudes et inexercitati. Œcumenii interpres vertit *pueruli*, quos propriè vox Græca significat, ne putentur significari qui nondùm fari possunt, qui propriè infantes appellantur; unde sequitur : QUONIAM COGNOVISTIS PATREM, Christum; estisque pueruli, seu infantulis grandiusculis similes, qui loqui jam incipiunt, et patrem à cæteris viris distinguere, ei libenter adhærere et amare. Sub tribus autem istis generibus hominum, *patribus*, *adolescentibus*, *infantibus*, omnes omninò Christiani comprehenduntur, qui vel sapientiâ et virtute perfecti sunt, ut patres, vel adhuc imperfecti, sed adversùs concupiscentiam, mundum, diabolum, fortes et pugnaces, ut adolescentes; vel imperfecti et imbecilles, qui aliená potiùs curâ foveri quàm propriâ virtute regi debent, ut infantes. Titelmannus tamen et alii quidam ad proprias corporum ætates hæc referunt; sed de ætatibus spiritûs S. Augustinus, Œcumenius, et alii passim, meliùs intelligunt. SCRIBO VOBIS; scribo, inquam, vobis; Græcè, *scripsi vobis;* nempe jam statim ante in hâc Epistolâ, aut certè respicit ad tempus quo legenda erat Epistola. JUVENES; vox eadem in Græco est, quam interpres versu superiori *adolescentes*, jam verò *juvenes*, vertit, ut ostendat vocem illam apud Græcos habere magnam latitudinem, cùm tamen apud Latinos juvenes sint majores natu adolescentibus. Repetit autem iterùm se scribere, aut scripsisse ad adolescentes, sive juvenes, quia aliquid novi adjicere volebat ad eorum laudes : deinde quia de pugnâ et victoriâ contra mundi illecebras verba facturus erat; pugna verò ista juvenibus in ætate viridi et militari, potiùs quàm patribus, senioribus, et infantibus conveniebat. In quibusdam tamen Græcis exemplaribus repetitur eadem de patribus sententia quæ habetur v. 13 : *Scribo vobis*, *patres*, etc., quam interpres noster hìc legisse non videtur, sicut nec Græcus Ariæ codex : et reverà repetitio ista videtur esse superflua. QUONIAM FORTES ESTIS, robore gratiæ Dei; et verbum Dei, fides quæ verbo Dei, sive per Evangelium tradita est vobis, MANET IN VOBIS; firmiter radicatum, quia firmiter creditis quæ verbo Dei annuntiata sunt vobis, et opere ipso viriliter exequimini; ET VICISTIS MALIGNUM, quia, ut ante dixi, diaboli tentationes muniendo vos et fortiter pugnando vicistis. Particula *et* more Hebræo videtur causaliter pro *quia* sumi, ut v. 2, in simili diximus. Arma autem quibus diabolo restiterunt et ipsum vicerunt dicit fuisse verbum Dei, juxta illud ad Ephes. 6, v. 16 : *Sumentes scutum fidei, ut possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.*

VERS. 15. — NOLITE DILIGERE MUNDUM tanquàm patriam et habitationem vestram, affectu propter ipsum ei inhærendo, perinde ac stulti viatores, quos itineris amœnitas ita delectat ut perversâ suavitate implicati alienentur à patriâ, ut loquitur S. Augustinus, lib. 1, c. 4, Doctrinæ christianæ. Alii per *mundum* homines mundanos intelligunt, quos ut mundani sunt diligere prohibemur, quia si vitia eorum diligimus, iisdem etiam inquinamur. NEQUE EA QUÆ IN MUNDO SUNT, res temporales et caducas, quas mundus continet, et ho-

mines mundani in amore et admiratione habent, ut opes, honores, et carnis voluptates : quibus tanquàm terrestribus vel marinis vehiculis nos uti oportet, ait S. Augustinus, ut perveniamus ad patriam : non autem amore iis inhærere sine relatione ad creatorem ; sic enim diligere est frui, non uti hoc mundo, quod licitum est : unde non dixit apostolus Joannes : *Nolite uti mundo*, ut advertit S. Augustinus, lib. 5, cap. 16, contra Julianum, sed : *Nolite diligere mundum. Qui enim non diligens utitur*, inquit Augustinus, *quasi non utens utitur, quia non ejus rei causâ utitur, sed alterius quam diligens intuetur :* alludens nempe ad illud Pauli : *Qui utuntur hoc mundo, tanquàm non utantur*, 1 ad Cor. 7, v. 31. Si quis diligit mundum, dilectione illâ fruitivâ, quâ in re aliquâ lætitiæ finis ponitur, ut loquitur S. Augustinus, lib. 1, c. 33, Doctrinæ Christianæ. Hæc autem dilectio mundi dicitur nos conformare huic seculo, ad Rom. 12, v. 2, quia talis dilectio animum diligentis in rem dilectam quodammodò transformat, finem in eâ constituendo, et in eam detorquendo beatitudinis appetitum ; cùm tamen per res creatas transire, et solis æternis oporteret inhærere, ut ait August., lib. 12, cap. 15, de Trinitate. Unde qui sic diligit mundum, inquit alibi, similis est sponsæ quæ acceptum à sponso annulum plus diligeret quàm ipsum sponsum ; cùm tamen sponsus ad hoc sponsæ det arrham ut in arrhâ suâ ipse ametur. Interdùm tamen dilectio latiùs sumitur, ut etiam usum, sive dilectionem medii propter finem comprehendat, quomodò Deus dicitur non diligere, qui tamen utitur, non fruitur nobis, ut notat S. Aug., lib. 1, cap. 31, Doctrinæ Christianæ. Non est charitas Patris, quâ Deus Pater et tota sanctissima Trinitas super omnia diligitur ; in eo. Unum enim cor duos adversarios amores non capit, inquit Beda : *Coangustatum enim est stratum, ita ut alter decidat*, Isaiæ 28, v. 20. Hoc autem stratum est fundus cordis nostri, inquit Carthusianus, in quo pariter quiescere non possunt amor mundi et amor Dei ; Deus enim aut solus, aut s< alia cum ipso, tamen propter ipsum vult amari : unde lib. 1, cap. 15, de libero Arbitrio, pulchrè docet S. Augustinus quomodò affici et uti rebus hujus mundi nos oporteat, ut nempe homo : *Non eis amore conglutinetur*, inquit, *neque velut membra sui animi faciat, quod fit amando, ne cùm resecari cœperint, eum cruciatu ac tabe fœdent ; sed eis totus superferatur, et habere illa atque regere, cùm opus est, paratus, et amittere aut non habere paratior.*

Vers. 16. — Quoniam omne quod est in mundo, quia omnes res hujus mundi, quæ æstimantur ab habitatoribus mundi, sive hominibus mundanis qui per dilectionem mundum inhabitant : nam dilectores mundi dilectione inhabitant mundum, inquit Augustinus, sicut cœlum inhabitant quorum cor est sursùm ; concupiscentia carnis est, voluptates carnales sunt, quæ per concupiscentiam carnis, sive per gulam et luxuriam appetuntur ; per metonymiam enim ponitur actus pro suo objecto ; et concupiscentia oculorum, divitiæ et opes, ut aurum, argentum, gemmæ, domus magnificæ, horti amœni, supellex splendida, vestes pretiosæ, et id genus alia, quorum aspectu homines delectati ad eorum concupiscentiam et avaritiam pertrahuntur. Vocatur ergo avaritia concupiscentia oculorum, quia præcipuè per sensum oculorum intrat in animam, sicuti concupiscentia carnis, sive gula et luxuria intrat per duos maximè carnales sensus, gustum et tactum. S. Augustinus tamen, quem sequitur S. Thomas, 2-2, quæst. 167, art. 2, per concupiscentiam oculorum intelligit generaliter curiositatem cognoscendi aliquid per visum, aut quemcumque alium sensum tam internum quàm externum, vel etiam per intellectum : vocatur autem specialiter oculorum concupiscentia, quia inter sensus oculi sunt ad cognoscendum principales, ait post Augustinum S. Thomas : unde omnia sensibilia videri dicuntur ; imò quæ etiam solo intellectu percipimus, videre dicimur. Juxta hanc omninò etiam probabilem interpretationem, defectatio quam omnes sensus in usu, ut loquitur S. Thomas, suorum objectorum percipiunt, pertinet ad concupiscentiam carnis : curiositas verò non oblectandi se in carne, sed experiendi et cognoscendi vana et curiosa per carnem, vocatur concupiscentia oculorum, ait S. Augustinus, lib. 10, cap. 35 Confessionum : unde concupiscentia carnis sectatur pulchra, canora, suavia, sapida, lenia, inquit ; concupiscentia verò oculorum sectatur etiam his contraria, non ad subeundam molestiam, sed propter noscendi libidinem. Hæc etiam curiositas, addit Augustinus, extendit se ad perscrutanda sensu vel intellectu secreta naturæ, quæ scire nihil prodest, et denique etiam usque ad artes magicas interdùm progreditur, per quas homines curiosi aliquid scire investigant : quâ curiositate Ephesii quidam dicuntur *curiosa fuisse sectati*, Act. 19, v. 19. Et superbia vitæ, inordinata cupiditas honorum, dignitatum, et similium, quæ vitam nostram elevant et spectabilem reddunt : unde hùc etiam spectat laus et vana gloria, quæ ex ingenio, scientiâ, aut etiam ex virtutibus ipsis captatur : omnis autem hæc cupiditas inordinata est, quando ista non propter aliud appetuntur quàm ut inde sit gaudium, ait August., lib. 10, cap. 36 Confess. Ad tres autem istas generales vitiorum radices, concupiscentiam carnis, oculorum, et superbiam vitæ, sive ut alii clariùs et breviùs, ad voluptatem, avaritiam et ambitionem, omnia peccata hominum revocantur. Hinc quia vita religiosa ad virtutum perfectionem et omnium vitiorum extirpationem instituitur, tribus votis essentialibus adversùs triplicem illam concupiscentiam armatur : voto castitatis contra concupiscentiam carnis, voto paupertatis contra concupiscentiam oculorum sive avaritiam, voto humilis obedientiæ contra superbiam vitæ. Tria quoque pro omnibus Christianis remedia indicat Christus : jejunium adversùs carnis concupiscentiam, eleemosynam contra avaritiam, humilem orationem contra vitæ superbiam, Matth. 17, v. 20 ; Luc. 11, v. 41, unde angelus Raphael : *Bona est oratio cum jejunio et eleemosynâ*, Tob. 12, v. 8. Si verò concupiscentiam

oculorum cum S. Augustino curiositatem interpretemur, Christus Dominus tribus istis concupiscentiis, et quidem eodem prorsùs ordine, à diabolo tentatus est, Matth. 4, v. 3 et cæteris. QUÆ NON EST EX PATRE, quæ concupiscentia triplex non habet originem ex Deo Patre, quia mala, et tentatrix ad malum est : *Unusquisque* enim *tentatur à concupiscentiâ suâ, Deus autem intentator malorum est, et neminem tentat*, Jac. 1, v. 13. Pronomen relativum *quæ*, non tantùm refert *superbiam vitæ*, sed etiam duplicem præcedentem concupiscentiam, ut ex Græco clariùs patet. Quærunt hic interpretes an etiam in renatis post ablatum peccati reatum concupiscentia debeat mala appellari. Sed solvit quæstionem S. Paulus Romanorum 7, v. 20, 21, ubi concupiscentiam in se jam justo habitantem, malum et peccatum appellat, quia concupiscit adversùs spiritum, et ad peccatum sollicitat : *Quis autem ita impudens, ita procax, pertinax, pervicax, ita postremò insanus et demens, qui cùm peccata mala esse fateatur, neget tamen esse malam concupiscentiam peccatorum?* ait S. Augustinus, lib. 6, cap. 15, contra Julianum ; nec enim tantùm objectivè et per accidens concupiscentia excitat ad malum, sicuti forma mulieris quæ homini impudico concupiscendi præbet occasionem, sed ex parte potentiæ ac per se voluntatem instigat in omnem indifferenter carnalem delectationem, non continendo se intra certos fines, sed transgrediendo eos quantùm potest, nisi à spiritu refrenetur. Unde cùm Julianus diceret concupiscentiam carnis esse bonam, et solum ejus excessum esse malum, quem aiebat *intra fines concessos animi potestate posse retineri*, respondet Augustinus : *Faciat animi potestas, si potest, ut ad transgrediendos fines à quibus transgrediendis eam revocat, non se libido commoveat. Quod si facere non potest, profectò ut fines non transgrediatur, improbo hosti resistitur, qui eos transgredi nititur* lib. 5, cap. 16, contra Julianum. Unde concupiscentia, sive fomes peccati, non est naturalis facultas appetendi jucunda et fugiendi molesta, ait Estius post Hesselium, quæ facultas est ab auctore naturæ, sed est vitium naturæ inclinans hominem ad ea appetenda quæ Deus prohibet, et ad aversanda quæ præcipit : ideòque hoc malum oppugnandum à nobis et odio habendum est : *Quod odi malum illud facio*, ad Rom. 7, v. 15 ; quam malitiam ipsum nomen *superbia vitæ*, quæ est concupiscentia honorum, apertè significat : si autem superbia vitæ non est à Deo Patre, nec etiam concupiscentia carnis et oculorum sunt ab eo, cùm omnium eadem sit ratio, et inordinationem aliquam significent : unde conjuges boni hoc malo ad generationem prolis benè utuntur, sicuti homo sapiens ad opus bonum utitur ministro imprudente, ait S. Augustinus, lib. 5, cap. 16, contra Julianum. SED EX MUNDO EST, sed originem habet ex corruptione mundi per peccatum ; ex hujus mundi enim amore quem creatori prætulimus, nobis accidisse probatur, inquit Beda, quia Deus fecerat homines rectos, etc., Ecclesiast. 7, v. ult. Non omnia tamen quæ ex mundo, sive ex peccato originem habent, sunt mala, quemadmodùm concupiscentia ista triplex : nam mors corporalis et miseriæ hujus vitæ ex peccato primi parentis etiam fluxerunt, et tamen mortalem et passibilem carnem assumpsit Christus, qui tamen assumere non potuit concupiscentiam : unde sequitur concupiscentiam non ideò præcisè esse malam quia ex peccato est, sed quia insuper est fomes peccati, sive inclinat ad peccatum, facitque animam rationalem concupiscere adversùs rationem et Spiritum sanctum : unde si possemus appetitum sensivitum sic compescere ut nullum haberet inordinatum et rebellem motum, si non compesceremus, imputaretur nobis ad peccatum, ait Medina, 3 part., q. 15, art. 2 : nam quia caro hominis est caro animalis rationalis, appetitus carnalis in homine debet bonum sensibile sibi consonum appetere secundùm ordinem rationis.

VERS. 17. — ET MUNDUS TRANSIT, quotidiè in partibus suis corrumpitur, et quasi senescit, præteritque figura ejus, 1 ad Cor. 7, v. 31, donec tandem in fine seculi igne conflagrationis corripiatur, elementa calore solvantur, 2 Pet. 3, v. 10 ; unde : *Cùm hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus*, etc., ibidem, v. 11. Vel si per *mundum* homines mundani intelligantur, ipsi quotidiè transeunt et moriuntur : *Quia omnis caro ut fenum, et omnis gloria ejus tanquàm flos feni*, 1 Pet. 1, v. 24. ET CONCUPISCENTIA EJUS, triplex nempe illa carnis, oculorum, et superbiæ vitæ concupiscentia, quibus mundum plenum esse dixit v. præcedenti : sumitur autem *concupiscentia* pro objecto suo, sicut ibi, sive pro voluptate carnis, divitiis, et honoribus, quæ hominibus morientibus unà quotidiè moriuntur et transeunt, aut etiam viventibus non rarò eripiuntur. QUI AUTEM FACIT VOLUNTATEM DEI, id quod voluntas Dei præcipit faciendum ; MANET IN ÆTERNUM, vitam æternam et beatam in Dei prædestinatione habet ; adhæret enim per obedientiam et amorem Deo æterno et immutabili, cùm homines mundani labenti et transeunti mundo per concupiscentiam inhæreant ; ideòque cum mundo transeunte transeunt etiam ipsi ad mortem æternam.

VERS. 18. — FILIOLI, Græcè, *pueruli*, quam vocem interpres antea, v. 14, *infantes* vertit : hic tamen significat paulò aliud quàm ibi ; vocat enim hic omnes universim *pueruli* ex teneritudine amoris : ibi dicuntur *infantes*, quia à baptismo recentes et rudes adhuc in scientiâ fidei. NOVISSIMA HORA EST, ultimum mundi tempus tanquàm ultima diei hora jam labitur. Tota enim mundi duratio est instar unius diei, cujus duodecima, id est, ultima hora, à morte Christi usque ad finem seculi labitur. Vocatur etiam ultima mundi ætas et quasi senectus : unde sicuti hominis senectus ab anno 50, scandendo sursùm, est quandoque longior quàm omnes inferiores ætates, ita fortassè novissima ista mundi hora, sive ætas, productior erit omnibus ætatibus præcedentibus : hoc enim videtur decere Dei benignitatem et misericordiam, ait Carthusianus, ut tempus gratiæ et salutis plurimorum cæteras

mundi ætates durationc excedat. Et sicut audistis, ex prædictione Christi, Joan. 5, v. 43, et Pauli, 2 Thessal. 2, v. 3; quia Antichristus, quòd Antichristus, capitalis ille Christi adversarius, quem Paulus loco citato hominem peccati et filium perditionis vocat. Joannes autem Antichristum primus appellat, quia caput est adversariorum Christi, sicut Lucifer, caput diabolorum, id est, calumniatorum, diabolus per excellentiam vocatur. Venit; decretum est ut aliquando veniat : aut certè brevi veniet; vox enim Græca, etiamsi sit præsentis temporis, tamen potiùs significat rei futuræ propinquitatem quàm præsentiam : unde Erasmus vertit : *Quòd Antichristus venturus sit.* Licèt autem dux ille adversariorum Christi unicus sit, varios tamen sub se milites et antecursores habet : unde addit : et nunc antichristi multi, id est, hæretici multi antichristiani, illius unius principalis Antichristi præcursores; qui proinde nomine ducis sui possunt etiam antichristi appellari; facti sunt, existere cœperunt; unde signum est ducem antichristorum brevi adfuturum, sicuti exploratores et metatores castrorum qui antecurrere solent, ducem cum exercitu adventare significant. Tales antichristi erant Simon, Basilides, Nicolaus, Cerinthus, et cæteri primitivæ Ecclesiæ hæretici, qui cum apostolis luctati sunt. Unde scimus, colligimus certò ex iis quæ Christus nobis prædixit : *Multi pseudoprophetæ surgent*, etc., Matth. 24, v. 11; *in novissimis temporibus discedent quidam à fide*, etc., 1 ad Timoth. 4, v. 1; quia novissima hora est, quòd ultima mundi ætas jam advenerit et peragatur, quæ quia incertæ durationis est, *vigilate*, inquit Christus Dominus, *quia nescitis quâ horâ*, sive quâ parte horæ illius novissimæ, *Dominus vester venturus sit*, Matth. 24, v. 24.

Vers. 19. — Ex nobis prodierunt; Græcè, *exierunt*; isti antichristi præcursores sui principis ex Ecclesiâ nostrâ egressi sunt per apostasiam à fide, quam exteriùs præferebant, aut etiam interiùs in corde gerebant; sed non erant ex nobis, non erant ex numero electorum et eorum qui *vocantur secundùm propositum*, ait August., c. 9 libri de Dono perseverantiæ, licèt essent vocati et vocantem secuti, et ex impiis justificati, et per lavacrum regenerationis renovati. Unde patet Calvinistarum hæresim, qui docent veram fidem et veram justitiam nunquàm amitti, repugnare è diametro doctrinæ S. Augustini, qui deinde, cap. 9 de Correptione, iterùm ait : *Non erant filii*, nempe adoptivi ad gloriam, *etiam quando erant in professione et nomine filiorum; non quia justitiam simulaverunt, sed quia in eâ non permanserunt.* Nam si fuissent ex nobis, per æternam illam discretionem electorum à reprobis, de quibus dicit Christus : *Non peribunt in æternum, et non rapiet eos quisquam de manu meâ*, Joan. 10, v. 28. Calvinus verò et Beza contra S. Augustini expositionem hoc intelligunt, si fuissent ex nobis per veram fidem, quasi omnes qui habent veram fidem permaneant in eâ et in Ecclesiâ usque ad mortem; cùm tamen etiam S. Paulus dicat Hymenæum et Alexandrum bonam conscientiam repulisse et circa fidem naufragâsse, 1 ad Timoth. 1, v. 19; permansissent utique nobiscum; per donum perseverantiæ usque ad finem in fide et justitiâ permansissent, aut si fortè excidissent, redivissent iterùm, et tandem usque ad finem perseverâssent. Poterat enim Deus in cordibus eorum operari, ut nullis adversitatibus cederent, nec ab ipso aliquâ superati tentatione discederent; cùm possit, ut ait Apostolus, 1 ad Corinth. 10, v. 13, facere ut non permitteret eos tentari supra id quod possunt; vel certè præsciens eos esse lapsuros, poterat antequàm id fieret auferre eos de hâc vitâ, inquit S. Augustinus, cap. 8 et 9, de Dono perseverantiæ. Quia ergo isti hæretici non erant grana tritici congreganda in horreum, sed paleæ permixtæ tritico, ventus tentationis superveniens eos extra aream abstulit. Sed ut manifesti sint, sed ideò permissi sunt exire ex nobis per apertam apostasiam ante ultimam discretionem, quam Christus in extremo judicio faciet, quando *triticum suum congregabit in horreum, paleas autem comburet igne inextinguibili*, Matth. 3, v. 12, ut electis tempore etiam hujus vitæ mortalis manifesti fiant, et electi cognoscant. Quoniam non sunt omnes ex nobis, quòd non omnes qui externâ professione, aut etiam interno assensu fidei videntur esse ex numero electorum, reverà sint electi; sunt enim quidam *qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt*, Lucæ 8, v. 13, nec finaliter redeunt quod hæresiarchis plerùmque contingit; nullum enim habetur probabilius signum reprobationis hominis adhuc viventis, quàm si hæresim condat, inquit Hesselius. Si autem reprobi non sint, licèt exeant, postea tamen revertuntur. Fieri enim non potest, inquit Augustinus, ut qui antichristi non sunt, remaneant foris. Hæc autem manifesta quorumdam reproborum apostasia in magnam electorum utilitatem cedit, dùm talibus exemplis perterriti humiliant se sub potenti manu Dei, et cum timore ac tremore suam salutem operantur, cogitantes *Deum operari in nobis velle et perficere pro bonâ suâ voluntate*, ad Philip. 2, v. 13, et neminem tam sanctum esse quin ex ipso cœli vestibulo ad inferos subitò decidere possit, si à gratiâ et manu Dei sustentante deseratur.

Vers. 20. — Sed vos, electi omnes, unctionem (Græcè, *chrisma*) habetis, gratiam Spiritûs sancti, quæ instar olei accensi intellectum fide illuminat, et voluntatem charitate inflammat; ex quo fidei et charitatis oleo aliæ deinde diversorum charismatum stillæ in animas perfectiores distillant; ut supernaturales irradiationes, admirabiles præventiones per raptus et mysticas contemplationes, occulti gustus, et gratiosissimæ visitationes, quibus mentes electorum in fide et ecclesiasticâ unitate immobiles reddantur, et per experientias supernaturales clarissimè sciant quòd vera sit catholicæ Ecclesiæ fides, inquit Carthusianus. Hæretici verò contra, quia chrismate illo Spiritûs sancti carent, ideò etiam veros ejus effectus non habent. A Sancto, à Christo Sancto sanctorum; et ideò non indigetis à me ista doceri, quia unctionem internam habetis, et lumine divinæ sapientiæ muniti, qui saltem

spirituales inter vos sunt, fulgetis. Omnes etiam Christiani certam istius olei et unctionis mensuram, alius majorem, alius minorem habent; Christus enim à chrismate, sive unctione nomen habet; et ab eo tanquàm capite Spiritûs sancti unctio ad omnia membra inferiora descendit; *de cujus plenitudine nos omnes accepimus*, Joannis 1, v. 16, unde ad omnes Christianos pertinet unctio, licèt in veteri Testamento ad duas solas personas, reges et sacerdotes pertineret, ait Augustinus, psal. 26. Hinc electi appellantur *regale sacerdotium*, 1 Petri 2, v. 9, et : *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram*, Apoc. 5, v. 10. Et NOSTIS OMNIA necessaria ad fidem et salutem, et omnia quæ jam scribo vobis, quomodò scilicet antichristi dignoscantur à veris electis, et quare perturbari non oporteat si quidam eorum exeant ex nobis. Non tribuit tamen omnibus de facto omnia scire sed quia doctores inter ipsos erant, quos unctio Spiritûs sancti accenderat, et super candelabrum posuerat, *ut lucerent omnibus qui in domo sunt*, Matth. 5, v. 15, et à quibus facilè illuminari poterant.

VERS. 21. — NON SCRIPSI VOBIS, excusat se propter infirmos et imperfectos quosdam, qui facilè indignari solent si quis eos docere velit tanquàm in rebus fidei rudes et ignaros, QUASI IGNORANTIBUS VERITATEM, quam ego ostendo vobis tantùm, et in memoriam revoco; SED QUASI SCIENTIBUS EAM, unde admoneo scientes, non doceo ignaros, ET QUONIAM OMNE MENDACIUM, et scientibus etiam quòd omnia falsa, qualia sunt dogmata eorum qui ex nobis exeunt et à fide apostatant; EX VERITATE NON EST, non procedit ex spiritu veritatis qui Deus est, sed ex spiritu erroris, qui diabolus est, qui *cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater ejus*, scilicet mendacii, Joan. 8, v. 44.

VERS. 22. — QUIS EST MENDAX? Quis autem est qui talia mendacia in doctrinâ fidei dicere et docere amat? NISI IS QUI NEGAT, sicuti negant Judæi infideles, qui alium Messiam expectant; QUONIAM JESUS EST CHRISTUS? quòd ille quem Jesum, sive Salvatorem vocamus, sit Christus, sive Messias in lege et prophetis olim promissus; Græcè : *Nisi qui negat quoniam Jesus non est Christus ;* nisi qui negationem istam profert : Jesus non est Christus; quod sensu coincidit cum eo quod interpres noster vertit. Non dicit autem S. Joannes neminem alium esse in fide mendacem, nisi istum qui negat, etc., sed neminem esse mendacem, si ille non sit qui negat, etc., quia hoc est tam execrabile mendacium, ut cætera in comparatione ejus aut parva videantur, aut nulla, inquit Beda ; est enim error capitalis in ipso primo religionis christianæ fundamento; HIC EST ANTICHRISTUS, unus ex minoribus antichristis, famosi illius antichristi præcursoribus; QUI NEGAT PATREM ET FILIUM, qui non solùm negat Filium, sed etiam primam in divinis personam esse Patrem ; non est enim alius Pater in divinis nisi Pater Jesu Christi; sicuti nec alius Filius nisi Jesus Christus.

VERS. 23. — OMNIS QUI NEGAT FILIUM. Probat quòd talis antichristus neget utrumque et Patrem et Filium, quia qui negat eum esse Filium Dei Patris, qui reverà est ejus Filius; NEC PATREM HABET, nec Patrem reverà per fidem apprehendit, cùm correlativa sint simul naturâ et cognitione, nec unum sine altero cognosci possit. Si ergo erratur in vero Filio, qui est terminus relationis Patris, necesse est ut erretur etiam in paternitate, quæ istum terminum et non alium respicit; unde Christus Dominus : *Neque me scitis, neque Patrem meum*, Joan. 8, versu 19. QUI CONFITETUR FILIUM, sub ratione et relatione Filii; ET PATREM HABET, etiam fide apprehendit et confitetur Patrem, quem Filius ut terminum et correlativum suum respicit; hinc Christus ait : *Si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis*, Joan. 8, versu 19. Requirit autem S. Joannes confessionem cordis, vocis et operis, inquit Beda, de quâ loquitur Paulus, cùm ait : *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto*, 1 ad Corinth. 12, versu 3, quod est, inquit Beda, apertè dicere : Nemo potest, nisi donante gratiâ Spiritûs sancti, perfectâ professione et actione Christo Domino famulari; pius enim affectus cordis, qui in externam confessionem oris aut operis exit, à Spiritu sancto inspirari debet. Hanc particulam, *qui confitetur*, etc., Græca hodiè non habent; sed tamen in quibusdam vetustis codicibus Græcis reperitur, et Syrus interpres eam legit. Unde Beza ex quatuor manuscriptis, ut fatetur, illam in textum suum restituit; ut hinc pateat Latinum nostrum textum esse in quibusdam Græco vulgari sinceriorem; contra id quod hæretici clamare solent de sinceritate moderni Græci textûs supra Latinum nostrum vulgarem.

VERS. 24. — Vos QUOD AUDISTIS, ab apostolis et eorum discipulis, AB INITIO, à primis nascentis Ecclesiæ temporibus; IN VOBIS PERMANEAT, per fidei constantiam : nam *licèt vel angelus de cœlo evangelizet vobis præterquàm evangelizatum est, anathema sit*, ad Galat. 1, versu 8 : hæc enim apostolorum fides est sola certa et regia via ad vitam æternam, à quâ vos abducunt novæ semitæ hæresiarcharum. Igitur ad tempora apostolorum regredi sursùm oportet, ut intelligamus quænam fides sit et eorum prædicatione et miraculis olim confirmata; unde S. Augustinus, cap. 17, de Utilitate credendi : *Dubitamusne*, inquit, *nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ ab Apostolicâ Sede per successiones episcoporum, hæreticis frustra circumlatrantibus, et partim plebis ipsius judicio, partim conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit?* et cap. 4 contra Epistolam Fundamenti : *Multa sunt*, inquit, *quæ me in Ecclesiæ catholicæ gremio justissimè tenent; tenet consensio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsâ Sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum*. Unde facilè solvitur objectio hæreticorum, qui quando ab ipsis novæ suæ doctrinæ postulamus miracula, ipsi vicissim à catholicis in Hollandiâ et Angliâ prædicatoribus eadem postulant; non enim ad nova miracula patranda tenemur, quia vetera apostolorum et sanctorum miracula ad fidei nostræ

confirmationem olim patrata nostra sunt, quandoquidem per successiones episcoporum ostendamus apostolorum fidem nostram esse; ipsis verò fidem novam annuntiantibus, prudenter credere non possumus, nisi nova edant miracula, quibus constet Deum eos misisse tanquàm novos apostolos, qui veterem Ecclesiæ fidem novitate superductâ antiquarent. SI IN VOBIS PERMANSERIT, etc., sincerum nempe et prout à fonte apostolorum fluxit, non luto hæreticorum turbatum et veneno infectum. ET VOS IN FILIO ET PATRE MANEBITIS, per gratiam in viâ, per gloriam in patriâ: anima enim per cognitionem et amorem Deo adhæret, ei quasi immergitur ac in ipso requiescit. Non meminit Spiritûs sancti, quia paulò ante solius Patris et Filii fuerat facta mentio. Filium ponit ante Patrem, ne futuri Ariani inde colligerent esse minorem Patre, quia nunquàm in Scripturâ ante Patrem nominaretur; aut certè quia nemo venit ad Patrem nisi per Filium, inquit Beda.

VERS. 25. — ET HÆC EST REPROMISSIO, Græcè, *illa promissio;* et hæc mansio in Filio et Patre est illa excellens et præclara res promissa, QUAM ipse Filius tam sæpè in Evangelio, ut Matthæi 19, versu 29; Joannis 3, versu 15, etc.; POLLICITUS EST NOBIS, tanquàm fidei et operum bonorum mercedem, VITAM ÆTERNAM; secundùm vulgarem Latinam syntaxim, *vita æterna* dicere oportuit, sed nomen antecedens more Hebræo positum est in eodem casu cum suo pronomine relativo, sicut *lapidem quem reprobaverunt factus est*, etc., pro *lapis quem*, etc., psal. 117; qualem phrasim Latini etiam usurpant; unde noster interpres ultrò vertit: *Sermonem quem audistis non est meus*, Joannis 14, versu 24, cùm Græcus dicat: *Sermo quem audistis*, etc. Vita autem famosè ac sine addito intelligitur beata et æterna, ait Augustinus in versum illum psal. 118: *Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam; quasi aliud non sit vivere*, inquit, *quàm sine ullâ miseriâ et sine ullo fine vivere.*

VERS. 26. — HÆC SCRIPSI VOBIS, quæ narravi à v. 18, DE HIS QUI SEDUCUNT VOS, de antichristis et hæresiarchis, qui vos quantùm in se est à rectâ fidei viâ in errores suos abducere tentant.

VERS. 27. — ET VOS UNCTIONEM QUAM ACCEPISTIS AB EO. Verba sic ordinanda sunt: *Et unctionem quam vos accepistis ab eo*, particula *et*, more Hebræo, pro adversativâ *sed* sumitur, ut Genes. 4, versu 10: *Sed servi tui*, etc., Hebraicè: *Et servi tui;* deinde iterùm est figura antiptosis, ut paulò ante, versu 25, quâ casus accusativus ponitur pro nominativo, ut *unctionem* pro *unctio;* sed unctio gratiæ Spiritûs sancti, inquit, quam per fidem et charitatem diffusam in cordibus vestris accepistis à Christo capite, uncto præ consortibus suis, et membra sua per Spiritum sanctum ungente; MANEAT IN VOBIS, Græcè, *manet*, intellectum illuminans, et voluntatem roborans, ne sinatis vos seduci ab illis antichristis. Manet autem unctio in iis maximè in quibus fides non est otiosa, sed per charitatem operatur; qui enim sedulò Dei mandata servant, non facilè sinuntur in hæreses labi; nunquàm enim hæresis solet esse primum peccatum, sed per corruptos antea mores, ac maximè per libidinem aut superbiam ad eam pervenitur; ET NON NECESSE HABETIS; excusat se iterùm, ut v. 21, ne videatur eorum ignorantiam carpere, et docendi munus superbè sibi usurpare; UT ALIQUIS DOCEAT VOS, tanquàm rudes et in rebus fidei adhuc elementarios; SED SICUT UNCTIO EJUS; sed illud et illo modo quo gratia Christi luminosa, DOCET VOS, assistendo et illuminando interiùs, DE OMNIBUS, quæ secundùm fidei dictamen agenda et vitanda sunt. Proprium est gratiæ Spiritûs sancti, inquit Cajetanus, quæ unctio vocatur, inclinare intellectum ad assentiendum omnibus quæ sunt fidei, et ad dissentiendum contrariis, modò proponantur ut nota; proinde de scientibus, qui ignorantiâ non falluntur, plenè verificatur quòd unctio doceat illos de omnibus quæ sunt fidei, tam acceptandis quàm respuendis. Loquitur S. Joannes tantùm de fidelibus perfectè illuminatis et instructis, quos Spiritus sanctus inhabitans illuminare et docere solet fugere hæreses, et firmiter veritatem amplecti. Et licèt non omnes tam perfectè instructi essent, solent tamen sacri scriptores totum Ecclesiæ corpus alloqui, quamvis ad unicam ejus partem respiciant. ET VERUM EST, quod unctio vos docet; Spiritus enim veritatis falsa docere non potest; ET NON EST MENDACIUM. More Hebræorum inculcat idem per negationem contrarii: sicut: *Morieris tu, et non vives*, Isai. 38, v. 1. ET SICUT DOCUIT VOS, ab initio per ministerium apostolorum plantantium et rigantium: unctione interim Christi ac Spiritûs sancti intrinsecùs dante incrementum, quia nisi adsit Spiritus sanctus cordi audientis, otiosus est sermo docentis, inquit Beda. Nemo ergo docenti homini tribuat quod ex ore docentis intelligit, quia nisi intùs sit qui doceat, doctoris lingua exteriùs in vacuum laborat: *Sonus* enim *verborum nostrorum aures percutit*, inquit hìc S. Augustinus, sed *magister intùs est. Quantùm ad me pertinet*, ait, *omnibus vobis locutus sum; sed quibus unctio illa intùs non loquitur, indocti redeunt. Magisteria forinsecùs adjutoria quædam sunt et admoniliones. Cathedram in cœlo habet qui corda docet.* Unde in Evangelio dicit: *Ne vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus*, Matth. 23, v. 10. Sic agricola quamvis plantet et riget, numquid ideò poma format? numquid nuditatem lignorum umbrâ foliorum vestit? MANETE IN EO, perseverate in eo quod unctio illa prima vos docuit: nec ulli novitati assensum præbeatis sub specie novæ inspirationis, inquit Cajetanus. Nunquàm enim vitæ æternæ viam invenire quisquam poterit, ait Beda, nisi illam sequatur fidei et operum castitatem, quæ per apostolos primitùs Ecclesiæ data est.

VERS. 28. — ET NUNC, FILIOLI. Sic omnes fideles ex teneritudine affectûs appellat, ut supra, v. 12, non autem solos ætate aut fide parvulos et imperfectos. Titelmannus, Erasmus in paraphrasi, et quidam alii existimant particulam *nunc* esse hìc adverbium non temporis, sed obsecrandi; quomodò interdùm simile adverbium usurpatur ab Hebræis, ut Genes. 18, v. 30: *Ne, quæso, indigneris, Domine*, Hebraicè: *Ne nunc indigneris, Domine.* MANETE IN EO; quasi dice-

ret : Propter pericula quæ vobis imminent, iterùm inculco et obsecro, perseverate in eo quod unctio prima Spiritûs sancti vos per apostolos docuit : vel, *in eo*, Christo, tanquàm membra in corpore, ut Cajetano, Ilesselio, Carthusiano, et aliis placet. UT CUM APPARUERIT, Christus vivorum et mortuorum judex, de quo vers. præced. facta mentio, cùm dixit : *Sed sicut unctio ejus*, etc. Apparitio verò Christi famosè significat illam quâ toti mundo in fine seculi judex apparebit. HABEAMUS FIDUCIAM, confidentiam et libertatem, ut vox Græca sonat ; sicut habet ille qui liberè et intrepidè coram judice stat et loquitur ; ET NON CONFUNDAMUR, pudore affíciamur, AB EO, Christo, qui æternâ confusione et damnatione eos confundet qui à susceptâ fidei doctrinâ per apostasiam defecerunt, et etiam illos verbi prædicatores qui non diligenter et assiduè rigando quod plantatum fuerat, causa fuerunt cur aliqui à fide defecerint. Ideò enim S. Joannes videtur subitò à secundâ personâ ad primam transivisse : *Manete ut habeamus*, etc. : nam perseverantia discipulorum signum est magistros suo officio rectè functos fuisse. IN ADVENTU EJUS, ad judicium universale.

VERS. 29. — SI SCITIS, sicut reverà per fidem certò scitis, QUONIAM JUSTUS EST, quòd Christus sit naturâ suâ justus ; est enim homo Deus, cujus proinde justissima et rectissima sunt voluntas et opera. SCITOTE, certò hoc etiam, QUONIAM ET OMNIS QUI FACIT JUSTITIAM ; quod etiam quicumque operatur justa et recta opera ; adeòque justitiâ operum justus et justo Christo similis est. *Facere justitiam*, tam in veteri quàm novo Testamento passim significat opera justa sive bona exercere, psal. 14, v. 2, et in toto Psalterio sæpissimè ; ad Rom. 9, v. 30 ; 1 Joan. 3, v. 7, etc. Ex IPSO NATUS EST, sicut ex operibus istis justitiæ quæ facit colligitur ; nativitas enim ista est per gratiam Dei, quæ operum justitiæ est radix ; sicuti enim filii naturales solent moribus exprimere patrem ex quo naturaliter nati sunt, ita filii Dei qui ex Christo sunt renati per gratiam quâ divinæ ejus naturæ consortes efficiuntur, 2 Pet. 1, v. 4, justis operibus suum imitantur et repræsentant patrem ; ita enim justa opera ex semine divinæ gratiæ oriuntur, veluti complexio et mores filii naturalis ex parentis semine originem ducunt. Sicuti tamen aliqua sunt perfectè, alia imperfectè justitiæ opera, ita duplex est ex Christo nativitas : nam perfectè et per gratiam habitualem in Christo renati opera perfectè justitiæ et vitæ æternæ ex condigno meritoria operantur : imperfectè autem et solùm per gratiam actualem renati, quos solùm movet, nondùm propriè inhabitat Spiritus sanctus, imperfectè etiam justitiam faciunt, solùmque ex charitate imperfectâ, quâ Deo quidem afficiuntur, sed non Deum super omnia amant, operantur. Præcipuus autem S. Joannis scopus esse videtur, ut notat Catharinus, ostendere omnem justitiam et rectitudinem operum ex Christi gratiâ profluere, ut Christo et Deo in omni opere bono gratias agamus, tanquàm omnis justitiæ fonti, ne similes simus Pharisæo, Luc. 18, v. 11, qui quidem Deo gratias agebat, sed gratiæ originem non recognoscebat : veræ tamen justitiæ lex et æquitas postulat ut unde flumina exeunt, illùc revertantur, ut denuò fluant, adeòque omni habenti detur et abundet, Luc. 19, v. 26.

CAPUT III.

1. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus. Propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum.

2. Charissimi, nunc filii Dei sumus ; et nondùm apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus ; quoniam videbimus eum sicuti est.

3. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est.

4. Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit ; et peccatum est iniquitas.

5. Et scitis quia ille apparuit ut peccata nostra tolleret ; et peccatum in eo non est.

6. Omnis qui in eo manet, non peccat ; et omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.

7. Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est ; sicut et ille justus est.

8. Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.

9. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit ; quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.

10. In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli.

CHAPITRE III.

1. Considérez quel amour le Père nous a témoigné, de vouloir que nous soyons appelés, et que nous soyons en effet enfants de Dieu. C'est pour cela que le monde ne nous connaît pas, parce qu'il ne connaît pas Dieu.

2. Mes biens-aimés, nous sommes déjà enfants de Dieu ; mais ce que nous serons un jour ne paraît pas encore. Nous savons que lorsque Jésus-Christ se montrera dans sa gloire nous serons semblables à lui, parce que nous le verrons tel qu'il est.

3. Et quiconque a cette espérance en lui se sanctifie, comme il est saint lui-même.

4. Tout homme qui commet un péché fait une iniquité ; car le péché est une iniquité.

5. Vous savez qu'il s'est rendu visible pour se charger de nos péchés, et qu'il n'y a point de péché en lui.

6. Quiconque demeure en lui ne pèche point : et quiconque pèche ne l'a point vu, et ne l'a point connu.

7. Mes petits enfants, que personne ne vous séduise. Celui qui fait les œuvres de justice, c'est lui seul qui est juste comme Jésus-Christ est juste.

8. Celui qui commet le péché est enfant du diable, parce que le diable pèche dès le commencement ; et c'est pour détruire les œuvres du diable que le Fils de Dieu est venu au monde.

9. Quiconque est né de Dieu ne commet point de péché, parce que la semence de Dieu demeure en lui ; et il ne peut pécher, parce qu'il est né de Dieu.

10. C'est en cela que l'on connaît ceux qui sont enfants de Dieu, et ceux qui sont enfants du diable. Tout homme qui ne fait point les œuvres de justice,

Omnis qui non est justus, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum;

11. Quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum;

12. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant; fratris autem ejus justa.

13. Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus.

14. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.

15. Omnis qui odit fratrem suum homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.

16. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere.

17. Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodò charitas Dei manet in eo?

18. Filioli mei, non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere et veritate.

19. In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus; et in conspectu ejus suadebimus corda nostra.

20. Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro, et novit omnia.

21. Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum:

22. Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata ejus custodimus, et ea quæ sunt placita coram eo facimus.

23. Et hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi, et diligamus alterutrum sicut dedit mandatum nobis.

24. Et qui servat mandata ejus, in illo manet, et ipsi in eo; et in hoc scimus quoniam manet in nobis, de spiritu quem dedit nobis.

n'est point enfant de Dieu, non plus que celui qui n'aime point son frère,

11. Car ce qui vous a été annoncé, et que vous avez entendu dès le commencement, est que vous vous aimiez les uns les autres:

12. Ne faisant pas comme Caïn, qui était enfant du malin esprit, et qui tua son frère. Et pourquoi le tua-t-il? Parce que ses actions étaient mauvaises, et que celles de son frère étaient justes.

13. Ne vous étonnez pas, mes frères, si le monde vous hait.

14. Nous reconnaissons, à l'amour que nous avons pour nos frères, que nous sommes passés de la mort à la vie. Celui qui n'aime point son frère demeure dans la mort.

15. Tout homme qui hait son frère est homicide. Or, vous savez que nul homicide n'a la vie éternelle résidente en lui.

16. Nous avons reconnu l'amour de Dieu envers nous, en ce qu'il a donné sa vie pour nous; nous devons aussi donner notre vie pour nos frères.

17. Si donc quelqu'un a des biens de ce monde, et que, voyant son frère en nécessité, il lui ferme son cœur, comment l'amour de Dieu demeurerait-il en lui?

18. Mes petits enfants, n'aimons pas de parole et de la langue, mais par œuvres et en vérité.

19. C'est par là que nous connaissons que nous sommes enfants de la vérité, et que nous en persuaderons notre cœur en la présence de Dieu.

20. Si notre cœur nous condamne, que ne fera point Dieu, qui est plus grand que notre cœur, et qui connaît toutes choses?

21. Mes bien-aimés, si notre cœur ne nous condamne point, nous avons l'assurance devant Dieu;

22. Et quoi que ce soit que nous lui demandions, nous le recevrons de lui; parce que nous gardons ses commandements, et que nous faisons ce qui lui est agréable.

23. Et le commandement qu'il nous a fait est de croire au nom de son Fils Jésus-Christ, et de nous aimer les uns les autres, comme il nous l'a commandé.

24. Or, celui qui garde les commandements de Dieu demeure en Dieu, et Dieu en lui; et c'est par l'esprit qu'il nous a donné que nous connaissons qu'il demeure en nous.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Videte, considerate et admiramini, qualem charitatem, quàm excellentem et stupendum amorem, dedit nobis Pater, impertiit nobis, sive erga nos Christianos exhibuit Deus Pater, id est, quomodò nos amavit; *charitas* enim hoc loco meliùs increata quàm creata intelligitur; licèt ex istâ charitate increatâ Dei profluat charitas creata, quam Spiritus sanctus diffundit in cordibus nostris. Dicitur verò Deus dare non solùm dona sua creata, sed etiam ipsam increatam charitatem, seu amorem ex quo illa profluunt; primum enim quod damus ei cui volumus bonum est ipse amor, quo volumus ei bonum, ait S. Thomas, 1 part., quæst. 38, art. 2: unde, quia Spiritus S. procedit ut amor, procedit in ratione primi doni, inquit idem; ideòque vocatur donum Dei altissimi. Urget hìc Catharinus verbum *videte*, et inde conatur confirmare suam opinionem quâ docet hominem justum certò et experimentaliter per effectus scire et videre charitatem et justitiam quam in se habet. Sed charitas, ut dixi, meliùs hìc accipitur non pro creatâ quæ nobis inhæret et quâ Deum diligimus, sed pro increatâ quæ in Deo est, et quâ ipse diligit, ut Œcumenius et Græci hunc locum exponunt: deinde nemo videre et certò scire potest tantâ certitudine cui falsum subesse non possit se habitum charitatis aut gratiam justificantem habere, ut Trident., sess. 6, cap. 9, et S. Thomas, 1-2, quæst. 112, art. 5, docent. Ut filii Dei, per gratiam adoptionis: licèt autem etiam reprobi eo tempore quò justè vivunt aliquo modo filii Dei vocari possint, propriè tamen et famosè soli filii promissionis sunt filii Dei, ut docet Augustinus, cap. 9, de Correptione; veri enim filii Dei sunt dati Christo: omnes autem dati Christo *non pereunt*, *sed habent vitam æternam;* Joan. 17: unde filii Dei *tunc verè sunt quod appellantur*, *si manserint in eo propter quod sic appellantur*, ut ibidem ait Augustinus. Nominemur, vero, non falso nomine: unde addit: Et simus; gratia enim adoptionis facit non reverà filios et hæredes

Dei, cohæredes Christi, ac divinæ ejus naturæ consortes, 2 Pet. 1, v. 4. Particula *et simus* abest à Græco, sed in verbo *nominemur* inclusa erat ; apud Hebræos enim *nominari* vel *vocari* sæpè usurpatur pro esse seu existere, quia quando res aliqua incipit existere, simul etiam nomen suum accipit : unde quod dicitur Matth. 21, v. 13 : *Domus mea domus orationis vocabitur*, Luc. 19, v. 46, exponitur : *Domus mea, domus orationis est.* PROPTER HOC, ideò autem, MUNDUS NON NOVIT NOS ; amatores hujus mundi non cognoscunt nec æstimant nostram istam dignitatem, quâ inter filios Dei ascripti sumus. Dilectores mundi, inquit Augustinus, dicuntur mundus, quomodò inhabitatores vocantur domus ; per dilectionem enim mundum inhabitant, eique adhærent. QUIA NON NOVIT EUM, quia Deum Patrem nostrum neque intellectu neque affectu novit : *Tenebris obscuratum habens intellectum, alienatus à vitâ Dei per ignorantiam*, ad Ephes. 4, v. 18 : unde quia mundus ignorat consilium Dei, credere non potest quòd homines tam viles et in mundo despecti sint filii Dei, et in æternum cum Patre suo regnaturi : unde postea et serò amatores mundi lamentabuntur, quòd in personâ eorum narrat Sapiens : *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, ecce quomodò computati sunt inter filios Dei*, etc., Sapient. 5, v. 4.

VERS. 2. — CHARISSIMI NUNC FILII DEI SUMUS, etiam in hâc vitâ mortali : licèt tot persecutionibus et tribulationibus afflicti, tamen filii Dei per gratiam adoptionis sumus, et ad æternam Patris nostri hæreditatem aliquando pertingemus. Electi non solùm tunc vocantur filii Dei postquàm Christi fidem et gratiam adoptionis reipsà susceperunt, sed etiam quando adhuc in suâ infidelitate et peccato manent, ut S. Augustinus, cap. 9, de Correptione, probat ex illo Joannis : *Jesus moriturus erat pro gente, nec tantùm pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum*, Joan. 11, v. 52. Hi autem erant gentiles, qui credendo *futuri erant* filii Dei, ait Augustinus, *per Evangelii prædicationem ; et tamen antequàm esset factum, jam filii Dei erant, in memoriali Patris sui inconcussâ stabilitate conscripti :* unde *filii Dei* secundùm phrasim Scripturæ solùm propriè sunt illi quos Christus oves suas vocat, etiamsi nondùm sint in Ecclesiæ ovili : *Animam meam pono pro ovibus meis, et alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili*, Joan. 10, v. 16, pro quibus etiam orat : *Non pro eis*, discipulis meis, *rogo tantùm, sed etiam pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me*, Joan. 17, v. 20. ET NONDUM APPARUIT ; quamdiù hoc corpore mortali adhuc induti sumus, nondùm experientiâ notum est : *Nec* enim *oculus vidit, nec auris audivit*, etc., 1 ad Cor. 2, v. 9 ; et : *Vita nostra abscondita est cum Christo in Deo*, ad Colos. 3, v. 3 ; QUID ERIMUS, quales et quàm gloriosi in animâ et corpore post resurrectionem futuri sumus. SCIMUS, per fidem autem certò cognoscimus, QUONIAM CUM APPARUERIT, id quod erimus, sive status ille gloriosus filiorum Dei : aut certè, ut alii malunt, quòd quando Christus in fine seculi judex in nubibus apparuerit, SIMILES EI ERIMUS, perfectè in corpore et animâ similes Christo Deo et Patri nostro erimus, licèt minimè æquales : *Nunc* verò *ei similes tantùm esse cœpimus primitias habentes spiritûs, adhuc dissimiles per reliquias vetustatis*, ait Augustinus, lib. 2, cap. 8, de peccatorum Meritis. In resurrectione autem totum in adoptionem transibit ; tunc enim cessabit omnis concupiscentia carnis adversùs spiritum, mortalitas corporis absorbebitur à vitâ et totum corpus gloriosum ac animæ suæ beatæ simillimum erit. QUONIAM VIDEBIMUS EUM, quia Christum secundùm utramque naturam videbimus, SICUTI EST, facie ad faciem, non per speculum et in ænigmate, quemadmodùm jam eum videmus per fidem ; unde *videre sicuti est* non tantùm significat videre, seu cognoscere verâ cognitione (quomodò etiam per fidem videtur et cognoscitur Deus), sed videre immediatè in se tanquàm proximo objecto, non in aliquâ creaturâ cum repræsentante. Unde particula *sicuti est* excludit omnem visionem modificatam per aliquod repræsentans, inquit Cajetanus ; tali enim modificatâ visione non facies Dei, et sicuti in se est, sed posteriora, sive terga ejus videntur, Exod. 33, v. ult. Reddit rationem quare tunc Christo perfectè secundùm animam et corpus glorioso similes erimus, quia in istâ imagine, quâ similes ei erimus, tunc plena similitudo fiet, quando ejus plenam perceperimus visionem, ait S. Augustinus, lib. 15, cap. 16, de Trinit. ; à gloriâ enim animæ, quæ in claræ Dei visione consistit, gloria in corpus redundabit : hoc est, impassibilitas, claritas, subtilitas, agilitas, quas dotes corporis gloriosi vocare solemus. Cùm ergo S. Joannes dicit : *Erimus et videbimus*, non loquitur de animabus beatorum à corpore separatis, sed de hominibus corpore et animâ constantibus ; sicuti constabat Christus, cui similes nos futuros dicit : unde malè hinc colligunt Calvinistæ animas beatorum ante resurrectionem non visuras Deum. Animæ tamen istæ sunt etiam Christo secundùm naturam divinam considerato similes per lumen gloriæ quo ad divinæ ejus naturæ participationem et ordinem quemdam divinum evehuntur, cui connaturale est videre Deum sicuti est, ut Cajetanus hìc et S. Thomas, 1 part., quæst. 12, art. 2, docent.

VERS. 3. — ET OMNIS QUI HABET HANC SPEM, aliquando participandi similitudinem illam cum Christo, et videndi eum sicuti est ; IN EO, per eum, sive per ejus gratiam, SANCTIFICAT SE, studet sanctitati et puritati cordis, cùm sciat solos mundos corde posse videre Deum ; aliàs enim spes ejus non esset spes, sed præsumptio, si speraret se impuro corde posse videre eum. Græcè, *purificat se*, vel, ut S. Augustinus legit, *Castificat se*. Purum et castum, ac immaculatum à seculi contagiis se servando : in quâ puritate vera sanctitas consistit. Notat autem S. Augustinus istâ phrasi *sanctificat se*, indicari quòd sub motu gratiæ Dei maneat libertas nostri arbitrii, quia licèt Deus nos sanctificet, non tamen sanctificat nolentes : unde quia agis ibi aliquid voluntate, ideò, inquit, et tibi aliquid tributum est. Non tamen sanctificas te de te, sed de illo qui venit ut habitet in te. Quæ doctrina

est contra sectarios, qui volunt liberum arbitrium agi tantùm à gratiâ, non simul etiam coagere, sed habere se merè passivè, quibus Trid. sess. 6, c. 5, can. 4, anathema dicit. Recentiores verò Calvinistæ, propiùs ad veritatem accedentes, dicunt liberum arbitrium aliquid quidem agere, sed irresistibili, ut ipsi loquuntur, impetu à gratiâ ad agendum abripi; quo loquendi modo videntur fatalem quemdam raptum, quo arbitrii libertas evertatur, significare : aliàs enim non errant si non ampliùs velint quàm S. Augustinus, cap. 12, de Correptione, ubi ait subventum esse infirmitati voluntatis humanæ ut à divinâ gratiâ indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur. SICUT ET ILLE SANCTUS EST, sicuti Christus, cui per beatificam visionem et virtutum supernaturalium splendorem assimilabimur, in utràque naturâ perfectè sanctus est. Non dicit : *Sicut ille sanctificat se*, quia Christus nequidem in naturæ humanæ gratiâ profecit, sed à primo conceptionis momento in eâ perfectus et consummatus fuit. Particula *sicut* similitudinem quamdam inæqualem, non æqualitatem significat; veluti dicere solemus, inquit S. Augustinus, parvam basilicam esse similem basilicæ majori, ad cujus proportionem ædificata est, etiamsi una centum cubitos longitudinis, altera solùm triginta habeat.

VERS. 4. — OMNIS QUI FACIT PECCATUM, qui committit quodcumque peccatum, etiam ex ignorantiâ vel infirmitate, non solùm ex malitiâ et expresso contemptu legis. Postquàm excellentiam filiorum Dei explicuit, et ad eam obtinendam spe ipsos erexit, nunc à contrario ostendit peccati gravitatem, quo filii diaboli efficimur. ET INIQUITATEM FACIT, etiam prævaricationem committit, violatque æquitatem divinæ legis. Peccare propriè est deficere à bono, et aberrare à scopo, ait Œcumenius; quod verbum Hebraicum חטאה *chata* etiam significat; unde formaliter peccatum distinguitur ab iniquitate, quæ propriè est prævaricatio et transgressio alicujus legis. ET PECCATUM EST INIQUITAS, quia omne peccatum est quædam iniquitas contraria æquitati et rectitudini divinæ legis, cujus omnia mandata sunt æquitas; nam æquitas latinè æqualitatem sive æquabilitatem significat, qualis est in rectitudine mensuræ ad quam cætera dirigi debent; lex autem rectitudinem actionum nostrarum mensurat; ideòque æquitatem habet, quam violat iniquitas quando transgreditur legem. Hinc *iniquitas* Græcè vocatur *anomia*, quæ vox propriè significat prævaricationem, sive transgressionem legis, quâ actio distorta et à rectitudine legis dissentiens efficitur. Particula *et* more Hebræo causaliter accipitur pro *quia;* causam enim reddit quare omnis qui facit peccatum etiam iniquitatem faciat; omnes enim qui peccant, inquit Beda, prævaricationis rei sunt, hoc est, non solùm illi qui data sibi scriptæ legis scita contemnunt, sed etiam illi qui innocentiam legis naturalis, quam in protoplasto omnes accepimus, sive infirmitate, sive negligentiâ, sive etiam ignorantiâ corrumpunt. Gravior tamen est iniquitas quando ex scientiâ transgredimur legem : unde Paulus ait concupiscentiam, sive peccatum, *factum esse supra modum peccans per mandatum*, ad Rom. 7, v. 13. Sumitur autem iniquitas tam pro reatu, seu formali peccati, quod deletur in baptismo, quàm pro materiali, seu concupiscentiâ, quâ caro adversùs spiritum etiam in renatis et justificatis concupiscit; quia iniquum est ut caro adversùs spiritum concupiscat, ut ait S. August., l. 2, cap. 5, contra Julianum; unde concupiscentia renatorum magis propriè dicitur iniquitas quàm dicatur peccatum.

VERS. 5. — ET SCITIS, per scientiam fidei, QUIA ILLE APPARUIT, quòd Christus eo fine in carne visibili apparuerit, et Verbum caro factum sit; UT PECCATA NOSTRA TOLLERET, id est, auferret culpas peccatorum et pœnas, dimittendo peccata quæ facta sunt, adjuvando ne fiant, et perducendo ad vitam ubi fieri omninò non possunt, ait Beda. Alii, *tolleret*, exponunt, *portaret*, hoc sensu : Ut peccatorum nostrorum pœnas humeris suis quodammodò portaret, et cruci affigeret, Patremque pro nobis satisfaciendo reconciliaret; *Ipse* enim *peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum*, 1 Petri 2, vers. 24. Peccatorum autem pœnæ sæpè peccata vocantur per metonymiam : et sanè verbum Latinum *tollere*, et Græcum ei respondens æquivalet duobus verbis Hebræis נשא *nasa*, id est, *auferre*, et סבל *sabal*, id est, *portare* seu bajulare, quorum utroque in eodem versu usus est Isaias : *Verè languores nostros ipse tulit*, seu abstulit, *et dolores nostros ipse portavit*, Isaiæ 53, vers. 4; sed *tollere* hoc loco meliùs exponi videtur per *auferre* quàm per *portare*, quia infra, vers. 8, tollere peccata explicat per dissolvere opera diaboli. ET PECCATUM IN EO NON EST, et solus non est ulli peccato obnoxius, quia Christus sic est homo ut etiam sit Deus, cujus sanctitati repugnat quodcumque peccatum tam originale quàm actuale in eodem supposito admittere; unde solus idoneus fuit qui peccata nostra tolleret, et Patri suo pro peccatis aliorum, et ad æqualitatem, et ex justitiâ satisfaceret. Hinc Beda et Œcumenius non malè particulam *et* more Hebræorum pro *quia* accipiunt, ut significetur causa quare Christus peccata nostra tollere fuerit idoneus, quia scilicet nulli peccato fuit obnoxius.

VERS. 6. — OMNIS QUI IN EO MANET, qui in Christi corpore per charitatem ei tanquàm capiti conglutinatus adhæret, et capitis influentias ab eo accipit, NON PECCAT, nempe per gratiam et charitatem, quâ in eo manet; *charitas* enim *non agit perperàm*, inquit Augustinus, *nec cogitat malum*, 1 ad Corinth. 13, v. 4. Nihil ergo refert quòd justi in Christo manentes venialiter interdùm peccent; *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus*, etc., 1 Joan. 1, vers 8, non enim peccant per charitatem, nec quatenùs Christi membra sunt recipientia ab eo capitis influxum. Probat enim S. Joannes, ut notat Hugo, peccatum in Christo non esse, quia nequidem membra infra ipsum tanquàm caput peccare possunt, quamdiù ex influentiâ capitis operantur. Ita hunc locum, quem appellat difficilem, interpretatur S. Augustinus, sequiturque S. Thomas, 2-2, quæst. 24, art. 11, ad primum. S. Hieronymus

tamen, lib. 2, cap. 1, contra Jovinianum, quem Carthusianus, Hesselius, Estius et alii sequuntur, exponit : *Non peccat*, nempe graviter et mortaliter, quamdiù in Christo manet ; nam per peccatum mortale non manet, sed excidit ex Christo, et ex membro vivo fit membrum mortuum ; quæ interpretatio est satis facilis. Sed cum S. Augustino *peccare* potest hìc accipi generaliter, ut loco citato 1 Joan. 1, vers. 8, et quidem probabiliùs, ut infra, vers. 9, patebit. Et OMNIS QUI PECCAT, quocumque peccato, et præsertim mortali juxta S. Hieronymi interpretationem ; nam peccatum mortale sæpè dicitur absolutè peccatum per antonomasiam ; NON VIDIT EUM ; gerit se perinde quasi nunquàm per fidem vidisset quàm suavis sit Dominus, cùm careat visione ejus practicâ, quâ fides dictat Deum in omni opere diligendum, et in eo delectandum esse ; unde ne putaretur dicere quòd omnis peccans sit infidelis, addit : NEC COGNOVIT EUM, cognitione practicâ et effectivâ, cujus lumen non suspenditur in intellectu, sed descendit et accendit amore voluntatem ; unde licèt peccans possit habere speculativam et superficialem, ut loquitur Didymus, Dei cognitionem, habet tamen ignorantiam practicam, et perinde se gerit ac si non cognosceret, cùm scientiâ suâ non utatur ; qui autem in Christo manent, et secundùm statûs sui conditionem operantur, Deum in hâc vitâ per fidem videre et cogitare delectantur, inquit Beda, donec ad ipsam speciem apertæ visionis in futuro perveniant. Hanc tamen visionem et cognitionem Catharinus explicat de visione quàdam peculiari, quam in hâc vitâ mortali non habent illi qui in communi sorte gratiæ vivunt, sed illi solùm qui sunt in gratiâ confirmati ; qui enim illam Dei visionem habent, inquit, non possunt ab eo excidere. Verùm multi altissimam Dei contemplationem aliquando adepti sunt, interdùm etiam graviter labuntur, nec illa contemplatio hominem impeccabilem reddit, ut qui stat, videat ne cadat.

VERS. 7. — FILIOLI, NEMO VOS SEDUCAT, à viâ veritatis in errorem abducat, quod facere nitebantur Simoniani et Nicolaitæ, qui bonorum operum necessitatem negabant, et solâ fide, sicut hæretici nostri temporis, hominem coram Deo justificari volebant, putantes per viam carnalium voluptatum latam et lætam perducere homines ad cœlum. QUI FACIT JUSTITIAM, opera justitiæ ; S. Joannes enim opera justitiæ vocat justitiam, sicut Psalmista facere virtutem posuit pro facere opus virtutis : *In Deo faciemus virtutem*, psalm. 59, et *facere veritatem*, Joan. 3, vers. 21, est facere opera veritatis, ut notat S. Fulgentius, lib. 1, cap. 9, ad Monimum. Opera autem justitiæ sunt quæ per justitiam, vel inchoatam, vel perfectam, Deus inspirat et operatur in nobis, ut ibidem ex doctrinâ magistri sui Augustini docet Fulgentius. JUSTUS EST, justitiâ perfectâ, si cum gratiâ actuali conjuncta sit gratia habitualis cum sanctificans ; vel justitiâ imperfectâ justus est, si gratia actualis bonorum operum inspiratrix sit avulsa à justitiâ habituali, ut in catechumeno peccatore, et qualem justitiam solùm imperfectam multi fuisse credunt in Cornelio antequàm ei apparuisset angelus, qui dixit orationes et eleemosynas ejus ascendisse ad Deum, act. 10, v. 4. SICUT ILLE (Christus) JUSTUS EST ; vocabulum *sicut* iterùm significat similitudinem cum Christo capite nostro, non æqualitatem. Similitudo in eo consistit quòd sicut Christus homo justus est vera justitia, quæ in opera bona influit, ita justitia nostra, sive perfecta, sive imperfecta, non est otiosa, sed in opera bona se exerit. Ideòque Simoniani et Nicolaitæ, qui frena libidini laxant, nec bonis operibus incumbunt, non sunt verè justi, nequidem justitiâ imperfectâ, quæ bonorum operum est inspiratrix ; justitia autem ista non est aliud quàm charitas perfecta, vel imperfecta, quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris.

VERS. 8. — QUI FACIT PECCATUM, quatenùs illud facit, EX DIABOLO EST, ex Lucifero dæmonum principe, tanquàm ex patre non substantiæ peccatoris, sed ipsius peccati ; quod diabolo illud operante in filiòs diffidentiæ, ad Ephes. 2, vers. 2, et per concupiscentias pravas inspirante, homo perficit consensu voluntatis ; aut si fortè diabolo absente homo per concupiscentiam illectus peccat, tamen turpis iste fœtus tribuitur diabolo tanquàm patri, quia suggestione ejus peccatum primi hominis perpetratum est, ex quo deinde nata concupiscentia, ex quâ antiquâ immunditiæ stirpe à diabolo plantatâ peccatorum nostrorum fructus nascitur, ut loquitur S. Augustinus, lib. 1, cap. 23, de Nuptiis. Sicut ergo Christus per gratiæ inspirationem est bonorum desideriorum parens, ita diabolus per concupiscentiæ suggestionem est malorum pater ; unde Christus ad Pharisæos : *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri facere vultis*, Joan. 8, vers. 44. QUONIAM INITIO, conditi mundi ; fuit enim brevissimum tempus inter diaboli creationem et lapsum. Primo tamen creationis suæ instanti mortaliter peccare non potuit, ut docet S. Thomas, quia in gratiâ habituali creatus fuit. DIABOLUS PECCAT ; nunquàm enim aut præsentium pœnarum enormitate, aut futurarum metu peccare desinit, inquit Beda ; peccat autem suo et aliorum peccato quos peccare facit, ita ut verbum *peccat* per *kal* et *hiphil* exponatur, ut loquuntur Hebræi ; probat enim peccatores esse ex diabolo, quia ab initio mundi non tantùm ipse peccat, sed alios tam angelos quàm homines peccare facit ; adeòque est primus auctor et fons unde peccatum in cæteras creaturas rationales fluxit. Simili phrasi dicit S. Paulus Spiritum sanctum postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus, ad Rom. 8, v. 26, quia postulare nos facit. Cæteris autem angelis ad laudem Creatoris gloriam suæ conditionis referentibus, mox ut ipse diabolus altitudinem suæ claritatis aspexit, inquit Beda, contra conditorem intumuit, perque eam superbiam de archangelo in diabolum et draconem est versus ; qui deinde exemplo et sollicitatione suâ tertiam partem stellarum, id est, angelorum, tanquàm cauda, post se in terram traxit, Apoc. 12, vers. 4, deinde felicitatem suam homini invidens assumpto

corpore serpentis, eum in peccatum illud magnum pertraxit, quo et ipse se et totum humanum genus perdidit : *Invidiâ* enim *diaboli mors in orbem terrarum introivit*, Sap. 2, v. 4, ideòque eum homicidam ab initio fuisse Christus dicit, Joan. 8, v. 44. Non dixit autem S. Joannes : Ab initio diabolus peccavit, sed *peccat*, quia superbiam suam et invidiam hucusque et semper continuat, obstinatus in malo, sicut angeli boni confirmati in bono. Et quidem sic peccat continuò diabolus, cæterique dæmones, ut omnia ad finem superbiæ suæ referant; ideòque mortaliter semper peccant, nunquàm venialiter tantùm, ut docet S. Thomas, 1-2, quæst. 89, art. 4; unde licèt diabolus naturaliter Deum diligat ut conservatorem, ait Thomas Anglicus, voluntas tamen ejus actum illum refert ad suam utilitatem, atque ita motum quem natura inchoat, voluntas deformat. In hoc, propter hoc autem, APPARUIT FILIUS DEI, indutus carne visibili, qui secundùm divinitatem invisibilis erat, UT DISSOLVAT OPERA DIABOLI, ut merito sanguinis, et per infusionem gratiæ quæ ex illâ sanguinis effusione manat, abolcat peccata nostra, peccatorumque pœnas, et hominem totum secundùm corpus et animam in vitam beatam reformet. Pœnæ tamen peccatorum non sunt propriè opera diaboli, licèt sint effectus peccati, ait Hesselius, quos Deus propter peccata nobis infligit; nam in Christi carne mortali nullum propriè erat opus diaboli, etiamsi esset mortalitas corporalis, quæ ex peccato in nos dimanavit : Christus enim verè dicebat : *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam*, Joan. 14, v. 30.

VERS. 9. — OMNIS QUI NATUS EST EX DEO, per gratiam quâ in filium Dei adoptatur; PECCATUM NON FACIT, secundùm gratiam nempe, quâ ex Deo natus est, ut S. Augustinus, lib. 2, cap. 8, de peccatorum Meritis, et alibi exponit. QUONIAM SEMEN IPSIUS, quia gratia seu charitas per quam tanquàm semen Dei in filium Dei concipitur, formatur et nascitur; IN EO MANET, ei inhæret, et ex eo quasi concrescit, quatenùs filius Dei est. Ex hoc loco fabricat Calvinus falsum suum dogma, quòd qui semel justificatus est, non possit peccare mortaliter, quia semen quo justificatus est, inquit, est omninò incorruptibile; unde in Davide adulterante, ait, latebat carbo vivus sub cineribus. Sed gravissimè errat : nam quolibet peccato mortali mors animæ inducitur, quæ illud semen et totam vitam spiritualem extinguit; peccavit autem mortaliter David, ut ipse etiam sæpiùs in Scripturâ fatetur. Deinde qui à fide apostatant, ut Hymenæus et Philetus, 2 ad Timoth. 2, vers. 18, et nunquàm ad fidem redeunt, nihil spiritualis vitæ retinere dici possunt. ET NON POTEST PECCARE, scilicet per legem mentis, hoc est, per charitatem, quæ Dei semen est, ait ex disciplinâ sui præceptoris Augustini S. Prosper, Epist. ad Demetriadem; *charitas* enim, inquit, *operit multitudinem peccatorum*, sine quâ nullum bonum esse potest, per quam deletur omne peccatum. Potest ergo peccare filius Dei potentiâ naturæ, sed non potest potentiâ habitûs gratiæ, inquit Thomas Anglicus, perinde ac si diceretur : Bonus scriptor non potest malè scribere. QUONIAM EX DEO NATUS EST, quia gratia ista quâ ex Deo natus, et filius Dei constitutus est, non potest esse principium et causa peccati. Potest tamen justus semen istud amittere, adeòque falsissimum est quod ait hìc Calvinus, S. Joannem clarè affirmare quòd Spiritus sanctus gratiam suam in nobis ad extremum usque ita prosequatur, ut ad vitæ novitatem inflexibilis perseverantia accedat. Sicut ergo S. Paulus in eodem homine duplicem quasi hominem, unum exteriorem, alterum interiorem considerat, quorum unus secundùm legem peccati per concupiscentiam carnis, alius secundùm legem mentis per gratiam operatur et concupiscit, ad Roman. 7, ita hìc S. Joannes eos inter se ita distinguit, ut homo interior natus ex Deo per gratiæ semen in ipso manens peccare non possit, secundùm inclinationem formæ illius, et quasi animæ supernaturalis, quâ in esse filii Dei constituitur, et divinæ naturæ consors efficitur, 2 Petri 1, v. 4, secundùm verò hominem exteriorem, quo filii Adam et seculi nascimur, proni scilicet et præcipites in omne malum, peccare possit; ideòque, *si dixerimus quoniam peccatum* secundùm istum hominem *non habemus, veritas in nobis non est*, 1 Joan. 1, v. 8. S. Hieronymus tamen conformiter ad id quod vers. 6 ex ipso diximus exponit : *Non potest peccare*, scilicet mortaliter, et quamdiù semen gratiæ sanctificantis in eo manet, in sensu composito, quia eo instanti quo peccat, semen illud, nativitas et filiatio divina evanescit; quem sensum tanquàm faciliorem Hesselius, Estius et plurimi recentiores sequuntur. Sed sensus S. Augustini et Prosperi altior et probabilior videtur; nam S. Joannes intendit probare excellentiam divinæ gratiæ, quâ filii Dei adoptivi, non obstantibus miseriis præsentis vitæ, constituimur; quòd illa omnis boni in nobis, et nullius mali sit fons et principium; et hoc contra Nicolaitas et primos illos Ecclesiæ hæreticos, ut advertit Cajetanus, qui dicebant fornicationes et voluptates carnales filiis Dei esse licitas, et hanc licentiam ex libertate christianâ, et ex gratiâ filiorum Dei promanare.

VERS. 10. — IN HOC, ex hoc signo, quòd alii non possint peccare, alii possint peccare, MANIFESTI SUNT, manifestantur et dignoscuntur, sicuti causæ per effectus certâ aut probabili conjecturâ dignoscuntur, FILII DEI, ET FILII DIABOLI; nam filii Dei ex inclinatione gratiæ et charitatis per Spiritum sanctum diffusæ in cordibus suis exteriùs operantur : *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*, ad Rom. 8, vers. 14. Filii autem diaboli spiritu diabolico et ex inclinatione concupiscentiæ, quam à patre suo diabolo habent, concupiscunt et opera sua externa faciunt; loquitur enim de operibus externis, ex quibus homines colligere possint an Dei an diaboli spiritu quis agatur. Quia verò concupiscentia etiam in justis manet, et secundùm eam aliquando sic operantur ut saltem venialiter peccent, eatenùs et secundùm quid filii seculi et diaboli dici possunt, ut docet S. Augustinus : *Proficimus in renovationem iustamque vitam*, inquit, *per quod filii Dei sumus, et ver oc veccare omninò non possumus, donec totum in hoc transmute-*

tur, etiam illud per quod adhuc filii seculi sumus; per hoc enim et peccare adhuc possumus, lib. 2, cap. 8, de peccat. Merit. Simili modo et peccatores dùm benè operantur, et per gratiam actualem ad perfectam justitiam se disponunt, sunt filii Dei secundùm quid; absolutè tamen et famosè soli justi justitiâ perfectâ et sanctificante, dicuntur filii Dei; sicuti soli injusti ac peccatores sunt absolutè filii diaboli; et hoc secundùm præsentis temporis justitiam et injustitiam, quæ per dilectionem Dei, aut cupiditatem seculi foris se manifestat. Aliàs sæpè in Scripturâ filii Dei et filii diaboli vocantur, secundùm æternam prædestinationem aut reprobationem, qualiscumque sit in præsenti tempore eorum status, ut v. 1, ex S. Augustino notavimus. OMNIS QUI NON EST JUSTUS, scilicet justitiâ operum; unde Græcè : *Omnis non faciens justitiam*, seu qui non exercet opera justitiæ quando debet et tenetur, ac proinde peccat peccato omissionis, NON EST EX DEO, eatenùs non est spiritualiter natus ex Deo, nec Dei filius : imò est ex diabolo : *Qui* enim *facit peccatum, ex diabolo est*, supra, v. 8 : nam censetur facere peccatum, qui bonum non facit quando facere debet; ET QUI NON DILIGIT FRATREM SUUM, et evidentissimè non est ex Deo ille qui proximum suum ejusdem naturæ communione fratrem verâ spirituali charitate non diligit; per charitatem enim cordibus nostris infusam ex Deo nascimur, et filii Dei constituimur : hanc autem non habet qui fratrem non diligit. *Sola* ergo *dilectio*, inquit Augustinus, *inter filios Dei et filios diaboli discernit*. Unde *quidquid vis habeas, charitatem solam non habeas, nihil tibi prodest : alia si non habeas, hanc habe, et implêsti legem; qui enim diligit proximum, legem implevit, et plenitudo legis est dilectio*, ad Rom. 13, v. 8 et 10.

VERS. 11. — QUONIAM HÆC EST ANNUNTIATIO; quia hæc res per nos apostolos annuntiata et prædicata, QUAM AUDISTIS AB INITIO, quam statim à principio vestræ conversionis audivistis prædicari à nobis, tanquàm mandatum præcipuum religionis : *Hoc est præceptum meum*, etc., Joannis 15, v. 12; UT DILIGATIS ALTERUTRUM, ut vos invicem dilectione spirituali diligatis. In dilectione autem proximi, etiam Dei dilectio includitur : nam dilectio proximi debet esse propter Deum magis dilectum.

VERS. 12. — NON SICUT CAÏN, non gerentes vos ad instar Caïni, QUI EX MALIGNO ERAT, qui secundùm animi perversitatem ex diabolo natus, et diaboli filius erat. Vox *maligno* est hìc masculini generis, et Græca πονηρὸς ei respondens significat nequam, malum, aut malignum, quod epithetum solet per excellentiam diabolo tribui. ET OCCIDIT FRATREM SUUM, Genes. 4, v. 8. Et ut ostendat Caïnum in isto homicidio fuisse ex diabolo, diabolique filium, interrogat : ET PROPTER QUID OCCIDIT EUM? Quænam fuit causa impulsiva occidendi eum respondet : QUONIAM OPERA EJUS MALIGNA ERANT; mala et Deo displicentia erant, ac operibus fratris dissimilia : et ex istâ dissimilitudine orta est invidia quæ impulit eum ad homicidium. Unicum verò opus Caïni malum narratur Genes. 4, v. 3, nempe quòd obtulerit Deo sacrificium de fructibus terræ, ad quod Deus non respexerit : unde colligitur opus illud externum, licèt secundùm se bonum, à voluntate tamen interiori malâ, quâ offerebatur, contaminatum fuisse; ideòque Deus priùs dicitur non respexisse ad Caïn, avertens scilicet oculos priùs ab interiori ejus malitiâ, et deinde non respexisse ad ejus munera, Genes. 4, v. 5. FRATRIS AUTEM EJUS JUSTA. Unicum etiam opus Abelis justum et Deo placitum Scriptura narrat, nempe sacrificium de primogenitis gregis sui et devotâ Deo mente obtulit; ideòque Deus ad eum et ad munera ejus respexit, Genes. 4, v. 4. Hæc quoque Abelis in Deum charitas in opere externo relucebat, cùm non de vilioribus, sed de primogenitis ovium fœtibus, et de adipibus pinguissimisque Deo offerret : cùm interim è contra nihil simile de Caïni muneribus narrando, Scriptura tacitè innuat vilissimam potiùs fructuum partem sacrificâsse, mentemque à Deo aversam istâ munerum vilitate ostendisse. Quod apertè etiam S. Paulus significat, cùm ait : *Fide Abel plurimam* (Græcè *plurem*, seu *excellentiorem*) *quàm Caïn hostiam obtulisse Deo*, ad Hebr. 11, v. 4. Cognovit autem Caïn sacrificium fratris placuisse, suum verò displicuisse Deo, igne fortè cœlitùs misso qui holocaustum Abelis consumpserit, ut traditio Hebræorum, et Theodotionis versio significat; vertit enim Theodotio : *Inflammavit Dominus super Abel et super munera ejus*. Simili miraculo Deus, Levit. 9, v. ult., sacrificium Aaronis; Judic. 6, v. 21, sacrificium Gedeonis; 2 Paralip. 7, v. 1, sacrificium Salomonis; 3 Reg. 18, v. 38, sacrificium Eliæ inflammavit; ut acceptum sibi esse ostenderet. Quia ergo tali signo Caïn sacrificium fratris sui justum et Deo gratum esse cognovit, invidit ei, et concepto ex invidiâ odio cædem ejus machinari cœpit. Ab istis autem duobus fratribus cœperunt nascendo et moriendo procurrere duæ civitates, ait August., lib. 15, cap. 1, de Civit., una diaboli, altera Dei; una reproborum, altera electorum; una terrestris, altera cœlestis. Unde Caïn quasi primus civitatis terrestris conditor dicitur civitatem ædificâsse, Gen. 4, v. 17, non autem Abel, quia peregrinus erat in terris, civitas verò ejus et conversatio in cœlis.

VERS. 13. — NOLITE MIRARI, FRATRES, tanquàm ad rem novam aut insolitam, cùm exemplum tam antiquum in duobus illis primis fratribus habeamus, et omnia secula plena sint similibus exemplis, SI ODIT VOS MUNDUS; si mundi dilectores vos ab amore mundi separatos, et cœlestibus desideriis intentos, oderint, ait Beda. Sicuti enim morum similitudo amicitiam conciliat, ita dissimilitudo odium et aversionem parit; qui enim per novam vitam exeunt de mundo, opera mundanorum damnare videntur tanquàm mala; unde mundani irascuntur, aut derident : hinc Christus : *Si de mundo fuisselis, mundus quod suum erat diligeret, sed quia elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*, Joan. 15, v. 19. Propterea ab initio seculi ad finem civitas mundi civitatem Dei persequitur et odit. Ali

quando tamen quidam mali vitam religiosam piorum laudant : imò similes iis esse exoptant, sed non in quantum mali et mundani sunt, ait Carthusianus, sed quatenùs adhuc aliquid boni et spiritualitatis habent.

VERS. 14. — Nos SCIMUS, nos fideles justi, quales nos omnes esse in Domino confido ; ex principiis fidei argumentando probabilissimè cognoscimus, atque ideò consolari nos oportet inter persecutiones et odia amatorum mundi ; QUONIAM TRANSLATI SUMUS, quòd per gratiam Christi portantis nos, non viribus nostris, translati simus, DE MORTE AD VITAM, de morte peccati ad gratiæ vitam, et consequenter à statu mortis æternæ ad æternæ vitæ statum ; QUONIAM DILIGIMUS FRATRES, quia charitatem fraternam exercemus erga omnes homines, qui unius naturæ communione ab eodem Patre Deo, aut à primo parente Adamo sunt fratres. Dat ergo signum unde singuli conjectare possint, an sint justi et translati de morte ad vitam : si nempe spirituali charitate diligant fratres propter Deum super fratres et super omnia dilectum ; talis enim dilectio solùm est justorum et filiorum Dei. Verùm quia nemo potest omninò certus esse se talem dilectionem habere, ideò fallitur hìc iterùm Catharinus, qui inculcat nos posse certos esse de nostrâ justitiâ absque speciali revelatione, cujus oppositum docet Trident., ut adhuc notavimus supra ad vers. 1. Nec omnimodam securitatem unicuique promittit S. Augustinus, quando hìc ait : *Redeat unusquisque ad cor suum ; si ibi invenerit charitatem fraternam, securus sit : quia transiit à morte ad vitam, et jam in dexterâ est.* Et ne tamen propter miserias hujus vitæ, quibus gloria nostra futura absconditur, incipiamus diffidere, eleganter Augustinus gratiam, quæ est semen gloriæ, radici arboris hiemalis comparat. *Viget enim,* inquit, *sed adhuc in hieme : viget radix, sed quasi aridi sunt rami. Intùs est medulla quæ viget, intùs sunt folia arborum, intùs fructus, sed æstatem expectant.* QUI NON DILIGIT. Græcus addit *fratrem*, id est, qui verò fratres suos propter Deum non diligit aetu vel habitu ; *sicut enim dicitur scire qui* scientiæ habitum habet, licèt non utatur, ita dicitur diligere qui dilectione habituali præditus est, etsi fortè dormiat. MANET IN MORTE, non est translatus de morte ad vitam, sed adhuc hæret sub termino à quo hujus translationis, sine charitate et Deo, qui est animæ vita ; vita enim carnis, ait Glossa, est anima, vita animæ Deus : charitas verò animam Deo conjungit : unde qui caret charitate caret vitâ animæ ; ideòque spiritualiter mortuus est. Charitatem verò habitualem Scripturæ et Patres passim usurpant pro gratiâ sanctificante, quia sive charitas à gratiâ illâ distinguatur, ut censet D. Thomas, sive non, ubicumque tamen est charitas, ibidem et gratia sanctificans, et contra : ideòque propter inseparabilem illum nexum una pro alterâ usurpatur.

VERS. 15. — OMNIS QUI ODIT FRATREM SUUM, aversando *hominem ipsum, non solùm hominis qualitatem,* HOMICIDA EST, affectu interno, licèt nondùm in eum extendat manus ; qui enim hominem odit, periisse eum cupit, ait S. Hieronymus ; sicut enim qui odit divitem, divitias ejus perire desiderat, inquit Cajetanus, ita qui hominem odit, vitam quâ homo constat perire cupit. Hoc autem pronuntiat S. Joannes adversùs eos qui odium fraternum parvi pendebant, modò homicidium aut noxa externa proximo non inferretur : veluti Christus ad Pharisæos peccata merè interna non magni æstimantes ait : *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo*, Matth. 5, v. 28. Unde sicuti Christus loquitur de perfecto in mœchiam consensu, ita hìc S. Joannes de *perfecto et consummato* fraterno odio. Tale est odium de quo S. Augustinus, epist. 109 ad religiosas quibus regulam scribit : *Lites,* inquit, *aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira crescat in odium, et trabem faciat de festucâ, et animam faciat homicidam.* ET SCITIS, per scientiam fidei, QUONIAM OMNIS HOMICIDA, sive homicidium sit tantùm internâ voluntate conceptum et partum, sive opere externo consummatum, NON HABET VITAM ÆTERNAM, gratiam sanctificantem, quæ est vitæ æternæ semen, ex quo illa infallibiliter germinabitur, si retineatur usque ad vitæ hujus mortalis finem ; IN SEMETIPSO MANENTEM, sibi inhærentem, et sicuti semen sub terrâ suâ defossum ; unde sequitur eum qui odit fratrem suum, illo semine et omni jure ad possidendam vitam æternam esse vacuum.

VERS. 16. — IN HOC, per hoc autem, COGNOVIMUS CHARITATEM DEI, *magnam et admirabilem charitatem* quâ Christus Deus dilexit nos ; QUIA ILLE ANIMAM SUAM, vitam suam corporalem ; sæpè enim in Scripturâ anima non formam hominis immortalem, sed ipsam animationem seu vitam corporis significat, ut : *Peremerunt animas hominum multas*, 1 Machab. 9, v. 2 ; et : *Animam illius serva*, Job. 2, v. 6 ; PRO NOBIS, Patri suo reconciliandis, POSUIT, voluntariè tradidit in mortem ab aliis inferendam. Et quia mors in Christo non erat pœna peccati, ut docet Augustinus, lib. 4, cap. 13, de Trinit., anima ab ipso invito auferri non poterat, sicut aufertur à nobis : ideòque posuit animam suam modo quodam peculiari, quia voluit, quando voluit, et quomodò voluit, ut ibidem ait Augustinus : unde et Christus ipse dicit : *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso*, etc., Joan. 10, v. 18. ET NOS DEBEMUS, exemplo capitis nostri, à quo non tantùm habemus adjutorium, sed etiam exemplum, inquit, Augustinus, PRO FRATRIBUS, pro salute spirituali proximorum nostrorum quorumcumque, ANIMAS PONERE, vitas nostras corporales morti exponere, quotiescumque ordo charitatis id postulat. Pastores autem, quibus ex officio incumbit pascere oves, strictiùs quàm alii, et non tantùm ex charitate, sed etiam ex justitiâ ad hoc tenentur : unde S. Augustinus consultus ab Honorato, epistolâ 180, an pastores in persecutione, ut se futuris temporibus servent, non possint sequi præceptum vel permissionem Christi, *cùm persequentur vos in civitate istâ, fugite in aliam*, Matth. 10, vers. 23, post longam disputationem concludit : *Quicumque isto modo fugit, ut Ecclesiæ necessarium mini-*

sterium illo fugiente non desit, facit quod Dominus illo loco *præcepit sive permisit; qui autem sic fugit ut gregi Christi ea quibus spiritualiter vivit, alimenta subtrahantur, mercenarius est, qui videt lupum venientem et fugit.* Ad exempla autem Pauli qui fugit Damasco, emissus à fratribus in sportâ, 2 ad Corinthios 11, versu ultimo, et S. Athanasii toties persecutionem Arianorum fugientis, respondet S. Augustinus, non defuisse alios ministros illis civitatibus, unde illi effugiebant. Qui verò non sunt pastores, non tenentur ex charitate vitam exponere, nisi ubi salus æterna proximi extremo periculo periclitatur; si tamen faciant extra tale periculum, ut si religiosus vel quilibet non pastor pestiferis cum periculo vitæ suæ sacramenta administret, optimè faciunt, et ad perfectionem charitatis hoc pertinet, ait S. Thomas, 2-2, quæstione 26, art. 5.

VERS. 17. — QUI HABUERIT, Græcè : *Qui verò habuerit.* Argumentatur enim à majori ad minus : Si debemus aliquando animas impendere pro fratribus, ergo etiam facultates nostras, quando fratres indigent. SUBSTANTIAM HUJUS MUNDI, facultates quas hic mundus ad victum, amictum et vitæ sustentationem suppeditat; vox Græca, quam interpres *substantiam* vertit, propriè significat vitam; sed sæpè usurpatur pro facultatibus, quibus vita subsistit et sustentatur; ideòque, *substantiam* hic vertit, alibi autem *victum*, Marc. 12, vers. ult. ET VIDERIT FRATREM SUUM, adeòque indigentiæ ejus conscius est, NECESSITATEM HABERE, indigentiam extremam aut gravem. Debet autem certò aut probabiliter de necessitate proximi constare antequàm quis ad dandam eleemosynam obligetur; quod Christus indicavit exemplo Lazari et divitis epulonis, Lucæ 16; tam enim frequens circa fores, et tam nota erat familiæ epulonis paupertas et miseria Lazari, ut canibus lingentibus ulcera ejus notus esset, nec oblatrarent, ut ingeniosè advertit Hesselius. ET CLAUSERIT VISCERA SUA, COR SUUM, AB EO, fratre suo, affectum misericordiæ suspendendo, ne in eum effluat, quod duri et avari facere solent; QUOMODO CHARITAS DEI, quâ non tantùm fratrem, sed Deum etiam diligere debet; est enim eadem charitas quâ Deus diligitur propter se, et frater propter Deum; MANET IN EO, residere potest in tam duro et clauso corde? Profectò non manet, sed extincta est; unde, quia charitas est vita animæ, mortua est talis anima; ideòque à posteriori colligitur eum peccare mortaliter, qui habet quod tribuat, nec tribuit fratri extremè aut graviter indigenti. Nam in quibusdam solùm casibus hoc verum est : primò si frater sit in extremâ necessitate, et fame tandem moriturus nisi ei subvenias, et tu habeas superflua ad vitam, id est, si tu aut illi quorum curam geris, non sint in pari extremâ necessitate; secundò sub peccato mortali obligaris tribuere eleemosynam si habeas superflua ad statum tuum, et proximus sit in gravi licèt non extremâ necessitate, nec alius appareat in promptu qui ei subveniat, inquit S. Thomas, 2-2, quæst. 32, art. 5, ad tertium; tertiò divites qui habent superflua vitæ et statûs, tenentur etiam in communes necessitates pauperum eleemosynas tempore et loco largiri; aliàs peccant mortaliter, ut plurimi et doctissimi scholastici, 2-2, quæstione 32, ex Scripturâ et Patribus docent; de talibus enim etiam divitibus, non tantùm de illis qui in extremâ aut gravi necessitate proximo ex superfluis succurrere negligunt, loquitur Christus : *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare,* Matth. 25, vers. 42. Obligatio autem ista dandi eleemosynam oritur ex duobus simul capitibus, quæ tangit hìc S. Joannes, nempe ex substantiâ hujus mundi quam dives possidet, et ex fratris necessitate; unde etiam obligatio tantò utrinque crescit, quantò vel substantia divitis, vel necessitas pauperis major fuerit. Obligatio tamen quâ divites tenentur superflua vitæ et statûs etiam in communes necessitates his aut illis pauperibus elargiri, oritur non principaliter ex necessitate pauperum communium, quæ tam gravis non est, sed ratione superfluorum bonorum quæ dives habet; hæc enim ex naturali jure debentur pauperum sustentationi, ut S. Thomas, 2-2, quæstione 66, art. 7, docet; secundùm enim naturalem ordinem à divinâ providentiâ institutum, inquit, res inferiores ordinatæ sunt ut per eas hominum necessitati subveniatur; unde cùm olim omnia essent communia, gentes censentur eâ conditione in divisionem bonorum consensisse ut egentibus subveniretur ab iis qui plura haberent quàm ad vitam et statum necessaria essent, ut latè ex S. Basilio, Ambrosio et aliis Patribus probat Valentia, tomo 3, disputat. 3, quæstione 9, puncto 4. Et reverà Scripturæ sacræ et sancti Patres videntur gravem admodùm obligationem ad eroganda superflua divitibus imponere : *Divitibus hujus seculi præcipe facilè tribuere,* etc., 1 ad Timoth. 6, vers. 19; unde Christus : *Væ vobis divitibus!* Lucæ 6, v. 24; et de divite qui retinet superflua dicit : *Facilius est camelum ingredi per foramen acûs,* etc., Lucæ 18, vers. 25. Hinc S. Augustinus, in psalm. 147 : « Ex eo quod Deus tibi dedit, tolle quod sufficit, cætera quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria; » additque res alienas possideri cùm superflua retinentur, quia scilicet ex præcepto deberent aliis distribui. Unde patet quàm meritò moneat Hesselius raros esse in mundo qui in pauperes sint tam liberales quàm deberent esse. Sed pastoribus et ecclesiasticis præcipuè incumbit hæc obligatio, qui ideò proventus ultra vitæ et statûs necessitatem plerùmque habent, ut patres pauperum esse possint. Pauci tamen quidam doctores, subtilitati ingenii et terrenis hominum affectibus indulgentes, obligationem istam aliquantulùm relaxant. Sed quod diximus est via arcta et scientia sanctorum, quam sacra Scriptura, sacri canones et sancti Patres nos docent; nec eam mirabitur qui cogitaverit nos esse advenas et peregrinos in hoc mundo, quibus præceptum est non diligere mundum, sed affectu supra mundum esse, et in cœlis conversari. Quia tamen multi sunt pauperes, nec potest ex eâdem re omnibus subveniri, non est necesse cuilibet petenti eleemosynam dare, sed prudentiæ uniuscujusque committitur propriarum

rerum dispensatio, ait S. Thomas, 2-2, quæst. 66, art. 7.

Vers. 18. — Filioli mei; omnes ex affectu paterno sic vocat, non solos ætate aut fide imbecilles, ut quidam non benè interpretantur; non diligamus verbo, tantùm, dando verba pro rebus, ut : *Deus vos adjuvet, ite in pace, calefacimini*, etc., Jacob. 2, v. 16. Neque lingua, blandâ solummodò loquelâ, quâ miseriis et infortuniis proximorum nos compati simulamus. Sed opere, ostendendo exhibitione operis dilectionem cordis, et veritate, verâ, non simulatâ dilectione. Verbum operi, linguam veritati opponit, significans veram cordis dilectionem non tantùm verba et folia, sed misericordiæ opera et fructus parere, nec linguæ blandiloquentiam veræ charitatis fraternæ signum esse. Quamvis autem ad veram dilectionem necesse sit ut loco ac tempore opera misericordiæ pariat, hoc tamen non sufficit, nisi etiam puritas intentionis accedat; nam multi jactantiæ causâ multa tribuunt, ait Augustinus, non quærentes nisi gloriam popularem, plenam ventis, nullâ stabilitate solidatam.

Vers. 19. — In hoc cognoscimus, per hoc quòd diligamus opere et veritate, probabilissimè conjecta-mus. Quoniam ex veritate sumus, quòd simus nati ex Christo, qui est veritas et fons unde omnis nostra vera dilectio scaturit; operatio enim arguit principium unde emanat; et in conspectu ejus, Græcè, *coram ipso*; unde particula *ejus* in nostro textu est masculini generis; oportebat autem dicere, *coram ipsâ;* sed S. Joannes respexit ad rem significatam, seu ad Christum, qui est veritas, non ad vocem *veritas*, quæ etiam apud Græcos est feminini generis. Suadebimus corda nostra, persuadebimus cordibus, sive conscientiis nostris, ut omnes remorsus et inquietudines compescant, tranquillaque et secura sint, non tantùm coram hominibus, qui intima aliorum non vident, sed coram Deo, cordium inspectore; unde vera, non tantùm apparens erit hæc tranquillitas cordis, nata ex cognitione quâ post cordis coram Deo et veritate examen existimamus nos diligere fratres opere et veritate; et proinde nos esse ex veritate, ac justos coram Deo. Verbum *suadere* sumitur hìc pro persuadere et contentum reddere, quomodò Matth. ult., v. 14, quòd verbum *quia* apud Græcos, regit accusativum, interpres Græcam phrasim hìc retinuit, quamvis apud Matthæum Latinâ phrasi accusativum Græcum in dativum mutaverit.

Vers. 20. — Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, quia è contrario si conscientia cordis nostri non persuasa et placata, sed inquieta remomorderit et condemnaverit nos, tanquàm qui verbo et linguâ, non opere et veritate proximos diligamus. Probat à contrario quòd examen et persuasio tranquillitasque conscientiæ bonæ fieri debeat coram Deo et veritate, quia si tantùm coram hominibus, et interim conscientia cordis nostri nos remordeat, non poterimus latere Deum, qui nequidem conscientiam cordis nostri latere possumus. Major est Deus; profectò Deus et immensitate præsentiæ, et acumine intelligentiæ, et potentiâ castigandi, major est, corde nostro, tantillo membro tam cæco, ad cognoscendum internos animi affectus, tam imbecilli ad castigandum conscientiæ morsibus et flagellis; et novit omnia, quæcumque etiam latent in abditissimis conscientiarum nostrarum latebris. Cùm ergo tam acutus ad noscendum, et tam potens ad castigandum sit Deus, meritò oculum ejus et manum metuere debemus, si per hypocrisim lingua fraternam dilectionem præferat, quam in veritate cor non gestat.

Vers. 21. — Charissimi, si cor nostrum, post examen, quo ante conspectum Dei et veritatis illud interrogavimus, *non reprehenderit nos*, sed responderit nobis non esse fictam, sed germanam nostram dilectionem, quâ nullum emolumentum expectamus à fratre, nisi salutem ejus, inquit Augustinus, nec ullius alterius criminis conscium se esse renuntiaverit. Hæc tamen responsio cordis et cognitio dilectionis ac puritatis ejus non est tam certa quàm rursùm hìc contendit Catharinus, sed tantùm probabilis; nam S. Paulus benè sibi conscius, 1 ad Cor. 4, v. 4, non audebat tamen certò judicare se esse fidelem dispensatorem, ait Hesselius : *Cor* enim *omnium inscrutabile, et quis cognoscet illud?* Jeremiæ 17, v. 9; fiduciam habemus, libertatem quamdam loquendi intrepidam, ut vox Græca significat, cum fiduciâ et magnâ spe impetrandi quod petitur, quæ ex cordis et conscientiæ puritate nascitur. Ad Deum accedendi, et ab ipso postulandi quibus ad vitam æternam indigemus.

Vers. 22. — Et quidquid petierimus, modò hoc ad salutem nostram æternam pertineat; quidquid enim aliud petitur, nihil petitur, non quia nulla omninò res est, sed quia in tantæ rei comparatione nihil est, ait Augustinus, tractatu 102 in Evangelium Joannis. Quomodò etiam Apostolus, ad Galat. 6, vers. 5, dicit eum nihil esse qui se putat aliquid esse, quia in comparatione hominis spiritualis, qui scit se gratiâ Dei esse id quod est, quisquis vana præsumit, nihil est, ait ibidem Augustinus. Accipiemus ab eo, tempore suo et loco, prout secundùm ordinem à divinâ sapientiâ constitutum expedit nobis ad salutem; oratio enim justi certò est impetratoria, si omnes conditiones veræ orationis habeat : *Omnia quæcumque petieritis*, etc., Matth. 21, vers. 22. Exaudiuntur tamen justi sæpè non ad voluntatem, sed ad salutem; sicut Paulus qui ter Dominum rogavit ut auferretur ab eo stimulus carnis, 2 ad Corinth. 12, vers. 8, cui Dominus respondit : *Virtus in infirmitate perficitur*, hoc est, tu vis auferri medicamentum quo ureris, inquit Augustinus; ego novi infirmitatem quâ gravaris; medicus secare vult, urere vult; tu vis revocare manus, sed ille vulneris sinum attendit, et scit quousque perveniat; non fit quod vis, sed fit quod tibi expedit. Contra impii aliquando exaudiuntur ad voluntatem, non ad salutem, ut Satan quando petiit tentare Jobum, Job. 1, v. 11, et quando legio dæmonum petiit ingredi gregem porcorum, Lucæ 8, vers. 32, quod concessit Dominus, inquit Augustinus, ut ostenderet diabolum in iis dominari qui vitam porcorum gerunt. Quoniam mandata

EJUS CUSTODIMUS; tales enim sunt amici Dei, qui omnia sibi salutaria impetrant, si credunt, si invocant, si secundùm propositum vocati sint, ait Augustinus, cap. 20, de Perfectione justitiæ; unde patet S. Joannem loqui tantùm de fidelibus et piis, qui soli, post diligens et coram Deo conscientiæ suæ examen, concipiunt fiduciam rogandi Deum, et accipiunt quidquid petunt; non autem de hominibus excæcatis, quos durum et insensibile cor non reprehendit. ET EA QUÆ SUNT PLACITA, non coram hominibus tantùm, quorum oculi sæpè falluntur sed CORAM EO, Deo, qui falli non potest. Falsum ergo est quod Calvinus et Beza docent, omnia opera nostra esse peccata, et quidem mortalia, quia in infinitam, inquiunt, majestatem venialiter tantùm peccari nequit. Sed profectò opera nostra non essent placita coram Deo, si vel tenuissimâ maculâ peccati venialis deformata apparerent in oculis Dei et veritatis. FACIMUS, excitati et adjuti gratiâ efficaci Salvatoris, sine quâ nemo mandata ut oportet et coram Deo custodit; hæc enim gratia est charitas, quæ est mandatorum et legis plenitudo; nunquàm enim coram Deo præceptum ullum impletur, nisi actu dilectionis quo propter ipsum aliquid facimus; debet enim Deus nobis placere, ut opera nostra ei placeant; breve enim præceptum est, ait Augustinus in psalm. 32: Ille placet Deo, cui placet Deus; unde Scriptura non præcipit nisi charitatem, ait idem lib. 3, cap. 10, Doctrinæ christianæ, quæ ex Deo est, 1 Joan. 4, v. 7, non ex nobis. Nec tamen impossibilia nobis jubet Deus, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis, sicut ex S. Augustino ait Tridentinum, sess. 6, cap. 11; omnia enim ista et facere et petere ut oportet possumus quidem, sed in eo qui nos confortat, ad Philip. 4, vers. 13, idèoque *in nullo gloriandum est quando nostrum nihil est*, ut ex S. Cypriano tam sæpè repetit et inculcat Augustinus.

VERS. 23. — ET HOC EST MANDATUM EJUS, præcipuum et fundamentale mandatum Dei Patris, quo electos suos ad vitam æternam perducit; UT CREDAMUS IN NOMINE, in nomen: nam præpositio *in* cum ablativo casu, sæpè in Scripturâ ponitur loco *in*, cum accusativo, ut: *Mitto vos sicut oves in medio*, id est, in medium, *luporum*, Matthæi 10, v. 16; FILII EJUS JESU CHRISTI. Universa fides Trinitatis et Incarnationis hoc fidei præcepto continetur, ait Cajetanus: nam Christus est Filius Patris secundùm divinitatem, et est Jesus, sive Salvator secundùm humanitatem; in Patre autem et Filio intelligitur etiam Spiritus sanctus, qui est amor et nexus utriusque. In nomen verò Christi credere, est credere in Christum ipsum; nam Hebræi solent usurpare nomen pro re significatâ: *Non aliud nomen est sub cœlo in quo oporteat nos salvos fieri*, Act. 4, v. 12. Differunt autem credere in Christum, credere Christo, et credere Christum, ut docet S. Thomas, 2-2, q. 2, art. 2; nam credere in Christum est credendo amare, credendo in eum ire, et ejus membris incorporari, ait S. Aug., tract. 29 in Evangelium Joannis; unde dæmones credunt Christum, sed non in Christum; et alibi: « Si quis fidem habet, inquit, sine spe ac sine dilectione, Christum esse credit, non in Christum credit; nam credendo in Christum, venit in eum Christus, et homo unitur in eum, et membrum in corpore ejus efficitur; quod fieri non potest, nisi spes accedat et charitas, » sermone 61, de Verbis Domini. Græcum tamen hodiè: *Ut credamus nomini Filii ejus*, etc.; sed Œcumenius ita explicat ut sit idem credere nomini, ac credere in nomine; et fortassè particula *in* excidit è textu Græco. ET DILIGAMUS ALTERUTRUM, nos invicem, SICUT DEDIT MANDATUM NOBIS: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*, etc., Joan. 13, v. 34, unde quia unica est charitas, quâ Deus et Christus propter se, deinde proximus propter Deum diligitur, idcircò S. Joannes hoc loco præceptum fidei in Christum, quæ charitatem Dei conjunctam habet, et præceptum charitatis proximi vocat in singulari numero, *mandatum*, tanquàm unicum sit et singulare; fides enim Christi est veluti corpus, charitas Dei et proximi veluti anima, per quam animatur et operatur fides, ad Gal. 5, v. 6.

VERS. 24. — ET QUI SERVAT, sicut oportet ex dilectione charitatis, MANDATA EJUS, Dei Patris, quæ sunt multa diversitate operis, sed unum in radice charitatis; quæ charitas cæterarum virtutum officiis plenitudinem adjicit, dùm ea propter Deum fieri imperat; idcòque plenitudo legis dicitur dilectio, ad Rom. 13, v. 10. IN ILLO MANET, adhæret ei per vinculum fidei et charitatis, tanquàm amicus amico potentiori adjuvanti in bonis, protegenti in malis: *Adjutor et protector meus tu es*, psal. 39. ET IPSE IN EO, et vicissim ipse Deus Pater, et simul tota sanctissima Trinitas, eodem reciproco charitatis vinculo adhæret illi homini tanquàm amico infirmiori gratiæ influxu eum adjuvans, et speciali tutelâ eum protegens. In eumdem sensum res redibit si *manere* per inhabitare exponamus; nam in Deo habitat homo ut contineatur ne cadat, ait August. Deus in eo habitat ut contineat; vicissim autem se inhabitant et qui continet et qui continetur. ET IN HOC, per hoc tanquàm valdè probabile signum, SCIMUS, probabilissimâ conjecturâ noscimus, QUONIAM MANET IN NOBIS, per charitatem et gratiam sanctificantem, DE SPIRITU; Græcè, *ex Spiritu*; scimus, inquam, ex Spiritu sanctò, QUEM DEDIT NOBIS, quem in suis charismatibus et donis visibiliter aut invisibiliter in nos effudit; apostolis quidem et aliis multis fidelibus in principio Ecclesiæ, signis quibusdam visibilibus, cum dono linguarum, gratiâ sanitatum, etc., dabatur Spiritus sanctus; nunc verò quando Ecclesia signis exterioribus non ampliùs indiget, inquit Beda, quicumque credens in nomine Jesu Christi fraternam charitatem habet, Spiritui sancto in se manenti testimonium perhibet; licèt non tam evidens et certum, ut rectè Carthusianus, quàm si Spiritus sanctus in linguis igneis aut aliis sensibilibus charismatum signis in eos caderet, sicut in primitivâ Ecclesiâ sæpè factum fuit. Semper tamen certissimum est Spiritum sanctum manere in nobis, hoc

est, in corpore Ecclesiæ sive in his aut illis Ecclesiæ membris, etiamsi de hoc aut isto in particulari sine divinâ revelatione certò sciri non possit.

CAPUT IV.

1. Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint; quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.

2. In hoc cognoscitur Spiritus Dei : Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est.

3. Et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit; et nunc jam in mundo est.

4. Vos ex Deo estis, filioli; et vicistis eum, quoniam major est qui in vobis est, quàm qui in mundo.

5. Ipsi de mundo sunt; ideò de mundo loquuntur, et mundus eos audit.

6. Nos ex Deo sumus : qui novit Deum, audit nos; in hoc cognoscimus Spiritum veritatis, et spiritum erroris.

7. Charissimi, diligamus nos invicem; quia charitas ex Deo est; et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum.

8. Qui non diligit, non novit Deum; quoniam Deus charitas est.

9. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.

10. In hoc est charitas; non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.

11. Charissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere.

12. Deum nemo vidit unquàm. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est.

13. In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis; quoniam de Spiritu suo dedit nobis.

14. Et nos vidimus, et testificamur quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi.

15. Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo.

16. Et nos cognovimus, et credidimus charitati quam habet Deus in nobis. Deus charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.

17. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii, quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo.

18. Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in charitate.

19. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.

20. Si quis dixerit : Quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodò potest diligere?

21. Et hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.

CHAPITRE IV.

1. Mes bien-aimés, ne croyez pas à tout esprit; mais éprouvez si les esprits sont de Dieu : car plusieurs faux prophètes se sont élevés dans le monde.

2. Voici à quoi on reconnaît qu'un esprit est de Dieu : Tout esprit qui confesse que Jésus-Christ est venu avec une chair véritable, est de Dieu;

3. Et tout esprit qui détruit Jésus-Christ, celui-là n'est point de Dieu, et c'est là l'esprit de l'Antechrist, dont vous avez entendu dire qu'il doit venir; et il est déjà venu dans le monde.

4. Mes petits enfants, vous l'avez vaincu vous qui êtes de Dieu, parce que celui qui est en vous, est plus grand que celui qui est dans le monde.

5. Ils sont du monde : c'est pourquoi ils parlent le langage du monde; et le monde les écoute.

6. Mais pour nous, nous sommes de Dieu; et celui qui connaît Dieu, nous écoute : celui qui n'est point de Dieu, ne nous écoute point; c'est par-là que nous connaissons l'esprit de vérité et l'esprit d'erreur.

7. Mes bien-aimés, aimons-nous les uns les autres; car l'amour est de Dieu; et tout homme qui aime, est né de Dieu, et il connaît Dieu.

8. Celui qui n'aime point, ne connaît point Dieu, car Dieu est amour;

9. C'est en cela que Dieu a fait paraître son amour envers nous, en ce qu'il a envoyé son Fils unique dans le monde, afin que nous vivions par lui.

10. Et cet amour consiste en ce que ce n'est pas nous qui avons aimé Dieu, mais que c'est lui qui nous a aimés le premier, et qui a envoyé son Fils afin qu'il fût la victime de propitiation pour nos péchés.

11. Mes bien-aimés, si Dieu nous a aimés de cette sorte, nous devons aussi nous aimer les uns les autres.

12. Nul homme n'a jamais vu Dieu. Si néanmoins nous nous aimons les uns les autres, Dieu demeure en nous, et son amour est parfait en nous.

13. Ce qui nous fait connaître que nous demeurons en lui, et lui en nous, c'est qu'il nous a rendus participants de son Esprit;

14. Et nous avons vu et nous rendons témoignage que le Père a envoyé son Fils pour être Sauveur du monde.

15. Quiconque donc aura confessé que Jésus est le Fils de Dieu, Dieu demeure en lui, et lui en Dieu.

16. Et nous avons connu et cru l'amour que Dieu a pour nous. Dieu est amour : et ainsi quiconque demeure dans l'amour, demeure en Dieu, et Dieu demeure en lui.

17. Or, c'est en cela que consiste la perfection de notre amour envers Dieu, si nous sommes tels en ce monde que Jésus-Christ y a été, afin que nous ayons confiance au jour du jugement.

18. La crainte n'est point avec la charité; mais la charité parfaite chasse la crainte, parce que la crainte est accompagnée de peine; et celui qui craint n'est point parfait dans la charité.

19. Aimons donc Dieu, puisqu'il nous a aimés le premier.

20. Si quelqu'un dit : J'aime Dieu, et qu'il haïsse son frère, c'est un menteur; car comment celui qui n'aime pas son frère qu'il voit, peut-il aimer Dieu qu'il ne voit pas?

21. Et c'est de Dieu même que nous avons reçu ce commandement, que celui qui aime Dieu aime aussi son frère.

VERS. 1. — CHARISSIMI, NOLITE OMNI SPIRITUI, omni inspirationi, sive doctrinæ tanquàm à Spiritu sancto inspiratæ; *spiritus* in Scripturâ sæpè per metonymiam sumitur pro effectu aliquo à spiritu bono vel malo hominibus inspirato; CREDERE, firmiter tanquàm verbo Dei assentiri; nam hæretici omnes verbi Dei auctoritatem sibi vendicant et jactant; unde: *Qui citò credit, levis est corde*, Eccles. 19, vers. 4; *et innocens* (id est, parvulus et simplex) *credit omni verbo, astutus* (id est, prudens) *considerat gressus suos*, PROV. 14, v. 15; *ne simus* ergo *parvuli et circumferamur omni vento doctrinæ*, ad Eph. 4, v. 14; SED PROBATE SPIRITUS, examinate et dijudicate secundùm fidei et morum christianorum regulas, quas ab apostolis edocti estis. Dat ergo generalia signa omnibus Christianis, non solùm iis qui donum discretionis spirituum habent, 1 ad Cor. 12, v. 10, quibus doctrinam falsam à verâ discernere valeant. SI EX DEO SINT, an sint ex Deo inspirante, an ex diabolo; QUONIAM MULTI PSEUDOPROPHETÆ, mendaces doctores hæresiarchæ et hæretici; *propheta* enim non solùm significat eum qui futura prædicit, sed etiam doctorem mysticum, cui Spiritus Dei reconditos et arcanos Scripturæ sensus revelat, et aliis annuntiat, ut Act. 13, v. 1, ad Rom. 12, v. 6, 1 ad Cor. 12, v. 28, ad Ephes. 4, vers. 11, etc. EXIERUNT IN MUNDUM; ex suis latebris prodierunt in publicum; solent enim hæresiarchæ falsa sua dogmata domi primùm cudere, deinde exire in publicum, et mundo ea propalare; plurimos autem tales, quorum catalogos S. Epiphanius, S. Augustinus et alii texunt, in principio Ecclesiæ viventibus adhuc apostolis diabolus excitavit, ut Christi religionem primùm nascentem in suis incunabulis opprimeret.

VERS. 2. — IN HOC, per hoc autem argumentum et signum quod jam subjiciam, COGNOSCITUR SPIRITUS DEI, an doctrina quæ annuntiatur sit inspirata à Deo; OMNIS SPIRITUS QUI CONFITETUR, omnis doctrina quæ fatetur et docet, CHRISTUM IN CARNE VENISSE, Messiam olim Judæis et mundo promissum è sinu Patris assumptâ humanâ carne ad terram descendisse, id est, in corpore visibili cœpisse apparere ubi tantùm antea præsens erat divinitate; EX DEO EST, est vera et ex Dei inspiratione. Confessio enim intelligitur non simulata aut coacta, sed ex spiritu et corde proveniens, sicut nomen *spiritus* indicat, ait Cajetanus, de quali etiam confessione Paulus loquitur dùm ait: *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto*, 1 ad Cor. 12, v. 3. Hâc autem S. Joannis sententiâ utraque Christi natura tam divina quàm humana insinuatur; divina, cùm dicitur *venisse;* si enim aliunde venit, antea alibi erat, nempe Verbum apud Deum; humana, quando dicitur *venisse in carne*, dùm Verbum caro factum est. Beda et alii multi *spiritum* hìc per metonymiam interpretantur hominem qui ex spiritu loquitur, et intelligunt illum esse ex Deo si non solùm linguâ, sed factis confitetur Christum in carne venisse, non sonando, inquit Beda, sed amando. Hoc est non fidem mortuam, sed fidem quæ per dilectionem operatur, esse signum quòd talis spiritus sive homo sit ex Deo.

VERS. 3. — ET OMNIS SPIRITUS QUI SOLVIT JESUM, qui dissolvit et dissuit eum, adimendo illi alterutram naturam, divinam aut humanam, ex quibus compositus est. Tales erant tempore apostolorum Cerinthus et Ebion, Arius, Nestorius, Photinus et alii, qui Christo naturam divinam; tales Basilides, Marcion, Manichæus, etc., qui naturam humanam ei ademerunt; Nestorius autem cùm solveret et divideret Jesum in duo supposita, dicebat, ut post Socratem narrat Beda, hanc sententiam ab aliquo falsario in textum S. Joannis insertam fuisse; ideòque eam eradebat; nec hodiè in Græcis exemplaribus legitur, sed ista loco ejus: *Et omnis spiritus qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse.* S. August. verò utramque tam Latini quàm Græci textûs sententiam legit; unde Hesselius et quidam alii conjectant utramque scriptam à S. Joanne, et eam, quam solam retinuit Latinus textus, à Nestorianis erasam esse. EX DEO NON EST, sed inspiratus est à diabolo omnium hæreticorum magistro. Non dicit S. Joannes nullos alios esse hæreticos nisi qui solvunt Jesum negantes illum esse Deum aut esse hominem, sed tantùm fuit sollicitus de hæreticis sui temporis, ut rectè advertit Hesselius; quia enim ejus tempore plurimi hæretici divinitatem aut humanitatem Christo detrahebant, voluit fidelibus ad quos scribebat dare signum quo eos cavere deberent, si vel negarent Jesum esse Deum, vel negarent esse hominem; sicuti si jam Catholicos moneremus fugere eos tanquàm pseudoprophetas, qui dicunt Romanum Pontificem esse Antichristum; quod plerique nostri temporis sectarii tam Lutherani quàm Calvinistæ affirmant. ET HIC EST ANTICHRISTUS, adversarius Christi, sive aliquis ex famosi illius Antichristi, qui in fine venturus est, præcursoribus; quomodò nomen Antichristi iterùm ante, cap. 2, v. 18, usurpavit; unde Græcè clariùs: *Et hic est Antichristi*, nempe spiritus, seu doctrina; nam Antichristus ille principalis et omnium antichristorum caput Jesum etiam solvet, divinitatem ei detrahens, et sibi eam attribuens. DE QUO AUDISTIS. Fama enim adventûs Antichristi totam Ecclesiam pervaserat ex verbis Christi, Joan. 5, v. 43, et Pauli, 2 ad Thess. 2. QUONIAM VENIT, quòd veniat et appropinquet ejus adventus; verbum enim *venit* hìc est præsentis temporis, nec præsentiam, sed motum et appropinquationem significat, etsi nondùm appulerit, ut Joan. 2, v. 18, iterùm notavimus. Græcè hodiè: *Quem* (scilicet spiritum Antichristi) *audistis quoniam venit;* sed Latina lectio est sincerior, ut ex altero illo loco, 1 Joan. 2, v. 18, satis apparet. ET NUNC JAM, non tantùm venit et appropinquat, sed etiam tempore præsenti, IN MUNDO EST, non in suâ personâ, sed præcursorum suorum hæreticorum ac hominum impiorum, qui spiritu ejus aguntur, et doctrinâ ac moribus eum repræsentant; unde S. Joannes ante in numero plurali dixit: *Nunc antichristi multi facti sunt*, 1 Joan. 2,

v. 18. Simili phrasi Joannes Baptista dicitur Elias, Matthæi 11, v. 14, quia Christum præcurrebat in spiritu et virtute Eliæ, Lucæ 1, v. 17.

VERS. 4. — VOS EX DEO ESTIS, FILIOLI; vos plerique omnes, ut in Domino confidimus, per gratiam adoptivam ex Deo nati estis, ET VICISTIS, non consentiendo suasionibus et tentationibus hæreticorum, EUM, Antichristum, in impiis illis suis præcursoribus vos oppugnantem; unde Græcè : *Vicistis eos*, antichristos minores principis sui Antichristi præcursores; quomodò autem vicistis? numquid liberi virtute arbitrii? non utique, ait Beda. Taceat Pelagius, dicat ipse Joannes. QUONIAM MAJOR EST, fortior et potentior, QUI IN VOBIS EST, Deus, qui per gratiam suam habitat in vobis, et Spiritu suo vos agit, QUAM QUI IN MUNDO, quàm diabolus, qui in hominibus mundanis et impiis habitat, eosque spiritu diabolico agitat. Solùm autem Antichristus et diabolus verè vincitur, quando tentatio amore justitiæ, non quando una tentatio aliâ tentatione vincitur, ut si quis ex vanâ glorià non fornicetur; nam cupiditas una alteram cupiditatem non sanat, ait ex doctrinâ S. Augustini Hesselius. Cùm ergo audis : Vicisti, noli extolli et erigere cervicem, ait hìc, tract. 7, S. Aug. Vide quis in te vicit; esto humilis, porta Dominum tuum, esto jumentum sessoris tui, bonum tibi est ut ipse regat et ducat te; nam si ipsum sessorem non habueris, cervicem erigere potes, calces mittere potes, sed væ tibi sine rectore, quia libertas ista ad bestias te comedendum mittet. Ex hâc doctrinâ construitur totum christianæ humilitatis fundamentum; quis enim superbiat qui Deum omne bonum in se operari, se verò omnis mali auctorem tantùm esse cogitat? Contemne te igitur, ait tract. 8 idem Aug.; ille in te laudetur qui per te operatur; nam quod ago benè, ab illo benè, et à me quidquid ago malè. Ista confessio, inquit, firmat cor, et facit dilectionis fundamentum : quid enim firmius illâ animâ quæ in omni opere bono cogitat se inniti super Deum dilectum suum, et amore casto ei inhærens cum Psalmistâ dicit : *Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei* (Hebraicè, *rupes cordis mei*) *et pars mea Deus in æternum?* psal. 72.

VERS. 5. — IPSI DE MUNDO SUNT, illi antichristi et pseudoprophetæ è numero mundanorum et amatorum mundi sunt, quorum patria et hæreditas est hic mundus terrestris, veluti sanctorum patria et hæreditas est cœlum. IDEÒ DE MUNDO (Græcè *è mundo*) LOQUUNTUR, in materiâ fidei et morum philosophantur, et tantùm docent illa quæ ex mundo per humanæ sapientiæ ratiocinationes adversùs christianæ fidei dogmata garriunt; ut : Fieri nequit ut Filius sit Patri coæternus, ut Virgo intacta pariat; fornicationi simplici et carnalibus voluptatibus operam dare licet, etc. Simili phrasi dicit Joannes Baptista : *Qui est de terrâ, de terrâ loquitur;* Græcè : *Qui est ex terrâ, ex terrâ loquitur*, Joan. 3, v. 31. Unde non est assecutus sensum Apostoli Carthusianus, dùm ad Græcum textum non advertens dicit de mundo eos loqui, qui de carnalibus deliciis, mundanis divitiis, honore temporali et proprio commodo loquuntur. Faciunt id quidem etiam plerùmque hæretici, qui res mundanas in admiratione et frequenti sermone habent; sed hoc jam non dicit apostolus Joannes. ET MUNDUS EOS AUDIT, mundani homines doctrinam eorum libenter audiunt et sequuntur, quia captui et affectui mundanorum consentanea docent. Non est ergo mirum, nec oportet ideò scandalizari, quòd tam multi à veritate apostolicâ auditum avertant, et ad fabulas eorum convertantur, 2 ad Tim. 4, v. 4, et tam multi eorum luxurias sequantur, 2 Pet. 2; similes enim ad similes, perversi ad perversos, inquit Œcumenius, facilè accurrunt; omnes quippe libenter carni et appetitui suo placentia audiunt, quando per ista viam in cœlum patere existimant : *Quis enim non libenter audiat : Manducemus et bibamus, et in æternum regnabimus?* inquit S. Hier., lib. 2 adversùs Jovinianum. In quâ re deceptum se fuisse fatetur Erasmus, dùm ex tanto et tam repentino undique ad Lutherum confluxu putavit initio rem istam Dei instinctu agi, donec vidit veteris Ecclesiæ dogmata ab eo everti, et totam christianorum morum severitatem in licentiam carnalem dissolvi; nec amore disciplinæ, sed vitæ laxioris cupiditate concursum illum ad Lutheri dogmata fieri, unde adversùs Jovinianum, Luthero simillimum, iterùm S. Hier. : *Ne glorieris*, inquit, *quòd multos discipulos habeas; Filius Dei docuit in Judæâ, et illum tantùm duodecim sequebantur apostoli; non te tam loquentem probant quàm suis vitiis favent; hoc proficit doctrina tua, ut peccatum nequidem habeat pœnitentiam.* Quod etiam de illis theologis orthodoxis dici fortassè non ineptè potest, qui sententias in theologiâ morali laxissimas studiosè eligunt, ut humanis quibusdam ratiunculis, et auctoritate suâ probabiles efficiant, et viam cœli, ut dicunt et profitentur, laxiorem et faciliorem reddant. Sed ejusmodi doctores cæci et duces cæcorum sunt, amboque in foveam cadent : et solùm hoc sæpissimè assequuntur, ut peccatum eorum quos decipiunt non habeat pœnitentiam, cùm se non peccare existimant in iis quæ legibus æternæ veritatis repugnant. Nec enim viæ cœli limites et angustias quas posuit Deus ingeniosis suis fabulis dilatare possunt : *Quàm* autem *angusta porta et* quàm *arcta via quæ ducit ad vitam!* ait Veritas, Matth. 7, v. 14; *et pauci sunt qui inveniunt eam.*

VERS. 6. — NOS EX DEO SUMUS; nos autem apostoli et discipuli Christi, secundùm doctrinam fidei et morum quam tradimus vobis, sumus ex Deo per gratiam, quâ nos illuminat et accendit. QUI NOVIT DEUM, fide quæ per dilectionem operatur; passim enim in Scripturâ *novisse Deum*, non nudam et siccam Dei speculationem significat, sed quæ dilectionem conjunctam habet; AUDIT NOS, cùm obedientiâ voluntatis et assensu intellectûs doctrinæ nostræ auscultat. Talibus enim Deus dat aures audiendi, id est, obediendi doctrinæ, cujus voces excipiunt aures corporis. QUI NON EST EX DEO, per gratiam quâ Deus ei aures audiendi et cor aperiat, ut Purpurariæ illi, Act. 16, v. 14. Hinc à contrario patet quòd infideles illi sint ex Deo quibus Deus cor ad fidem primam aperit, licèt non-

dùm perfectam justitiam sint adepti. Quod firmat S. Augustini et nostram interpretationem, supra, cap. 3, v. 10, contra multos recentiores. NON AUDIT NOS, auditu auris et assensu cordis. Similiter Christus : *Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*, Joan. 8, v. 47. Quibus sententiis rectè probatur initium fidei non esse ex nobis; cujus oppositum olim cum Semipelagianis tenuerat S. Augustinus. IN HOC, Græcè *ex hoc*, nempè quod jam dictum est, quòd qui sunt ex Deo nos audiant, COGNOSCIMUS, nos apostoli et Ecclesiæ doctores, SPIRITUM VERITATIS, gratiam assentiendi veritati fidei esse à Deo inspiratam iis qui audiunt nos; ET SPIRITUM ERRORIS, quo inspirantur illi qui non nobis, sed hæreticorum erroribus aures ac assensum præbent. Sicuti ergo supra, v. 3, dedit signum particulare ad dignoscendum hæreticos sui temporis, si nempe solverent Jesum; ita jam dat signum generale ad dignoscendum an aliquis habeat spiritum veritatis, an erroris : si nempe audiat apostolos, et Ecclesiæ pastores apostolorum successores; aut si eos non audiat : Ecclesia enim in suis pastoribus legitimè congregata est *columna et firmamentum veritatis*, 1 ad Timoth. 3, v. 15. Et hæc est discretio spirituum, inquit Beda, de quâ superiùs, v. 1, dixit : *Probate spiritus si ex Deo sint*. Unde errat hìc gravissimè Calvinus, qui probationem et examen istud spirituum, non ad pastores Ecclesiæ, sed ad spiritum privatum uniuscujusque revocat : Nec enim, inquit, Deus nos cujusvis concilii etiam generalis decretis alligavit. Fingit autem ipse omnes homines pios donum prudentiæ et discretionis penes se perpetuò habere, quo verum et falsum in fide possint discernere.

VERS. 7. — CHARISSIMI, DILIGAMUS NOS INVICEM. Post digressionem de probandis spiritibus à versu 1 hùcusque, jam redit ad commendationem fraternæ dilectionis. QUIA CHARITAS EX DEO EST, quia fraterna dilectio est singulare et excellens donum Dei, quo non tantùm fratribus nostris, sed etiam Deo ipsi unimur et consociamur; ipsa enim dilectio, quam S. Joannes paulò post vocat Deum, omnes angelos bonos et omnes Dei servos consociat vinculo sanctitatis, nosque et illos conjungit invicem nobis, et sibi subjungit, ait S. Augustinus, lib. 8, cap. 8, de Trinitate. Admonetur præterea liberum arbitrium unde quærere debeat hoc donum quando dicitur : *Ex Deo est* : quod tamen sine fructu admoneretur, inquit Augustinus, cap. 18, de Gratiâ et Libero Arbitrio, nisi priùs acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quæreret unde quod jubebatur impleret. Hoc est quod dici solet : Ad gratiam non curritur sine gratiâ; ab ipso enim nobis quòd ad fontem sitientes currimus, qui se nobis tribuit ut bibamus, ait S. Fulgentius, lib. 1, cap. 1, ad Monimum. ET OMNIS QUI DILIGIT, fratrem suum dilectione spirituali, non solâ carnali et naturali, quomodò etiam pecudes se diligunt, ait Augustinus; EX DEO NATUS EST, quatenùs diligit : nam gratia quæ est in eo principium dilectionis, est semen quo nascitur ex Deo perfectè aut saltem imperfectè, quomodò peccator diligere incipiens potest dici imperfectè natus ex Deo, ut cap. superiori, vers. 10, adhuc notavimus; ET COGNOSCIT DEUM, cognitione practicâ dilectioni Dei sociatâ : unde hæc cognitio non est frigidum quoddam lumen intellectûs, sed voluntatem calefacit. Hinc patet quòd ideò natus sit ex Deo qui fratrem diligit, quia càdem dilectione etiam Deum diligit, per quam filius Dei et divinæ naturæ consors efficitur, 2 Pet. 1, vers. 4.

VERS. 8. — QUI NON DILIGIT, charitate fraternâ proximum suum, NON NOVIT DEUM, notitiâ illâ practicâ dilectioni mixtâ, de quâ versu præcedenti. Non tamen quasi nulla detur fides informis, nec vera Dei cognitio quæ non Dei amorem necessariò in nobis generat, ut hìc ait Calvinus : nam philosophi gentiles Deum verè cognoverunt, et tamen non amaverunt, nec sicut Deum glorificaverunt, ad Rom. 1, v. 21; et veritatem Dei quam cognoverunt, in injustitiâ detinuerunt, ibidem, v. 18. QUONIAM DEUS, tota sanctissima Trinitas; nec est enim necesse restringere ad Deum Patrem, propter versum sequentem, ubi Deus verificatur pro Patre; CHARITAS EST, summa et increata charitas, cujus excellentissima participatio, et veluti radius, est dilectio proximi, quæ nos ita Deo astringit, ut una quodammodò ex creatâ et increatâ charitate fiat charitas. Unde qui vinculo isto creato dilectionis proximi caret, à Deo alienus, et à charitate increatâ separatus est; adeòque Deum non novit notitiâ illâ affectivâ quâ amans amantem novisse et cum eo familiariter versari dicitur. Sic difficillimus iste locus videtur probabilissimè explicari, quem tam sancti Patres quàm scholastici et interpretes in varios sensus torquent et retorquent : propter quem etiam Magister Sententiarum dixit nullum esse habitum creatum charitatis, sed ipsam charitatem increatam, sive Spiritum sanctum, qui est charitas producta, proximè assistere voluntati nostræ, et eam sine alio habitu ad eliciendos actus dilectionis proximi et Dei adjuvare, quod refellit S. Thomas 2-2, quæst. 23, art. 2; nam licèt anima justi sit templum Spiritûs sancti, et charitas increata in eo mansionem faciat, non tamen sine interjecto aliquo glutine creatæ charitatis, quæ non est Spiritus sanctus, sed per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, ad Rom. 5, v. 5. Cùm ergo S. Augustinus, lib. 7, cap. 3, de Trinit., dicit Spiritum sanctum esse summam charitatem, quæ Patrem et Filium conjungit et nos subjungit, non vult dicere nos sine creato vinculo charitatis Patri et Filio subjungi, quomodò Pater et Filius immediatè conjunguntur Spiritu sancto, sed unumquodque modo sibi proportionato. Spiritus sanctus autem specialiter vocatur charitas in divinis, quia per amorem procedit, seu ex vi processionis communicatur ei directè charitas increata Patris et Filii.

VERS. 9. — IN HOC, per hoc autem signum et illustre argumentum, APPARUIT CHARITAS DEI, immensa Dei Patris charitas, quæ eadem est increata charitas totius sanctissimæ Trinitatis; IN NOBIS, IN NOS, sive erga nos, QUONIAM FILIUM SUUM, non servum,

UNIGENITUM, ex substantiâ suâ genitum ac naturalem, qui unicus est, non verò aliquem ex filiis adoptivis per gratiam; MISIT, per carnis indumentum, DEUS, Pater, IN MUNDUM, hunc inferiorem et immundum, ubi non erat nisi ignorantia, infirmitas, mors et peccatum; UT VIVAMUS, primò vitâ gratiæ, quâ resurgimus à morte peccatorum; deinde vitâ gloriæ sempiternâ; PER EUM, per meritum mortis ejus.

VERS. 10. — IN HOC EST CHARITAS, nempe maximè illustris et admiranda, NON QUASI (Græcè, *non quòd*) DILEXERIMUS DEUM, antequàm ipse nos diligeret, et sic amore nostro provocaremus ejus amorem. Poterat enim alicui venire in mentem nos saltem de congruo meruisse redamari, quia amando prævenissemus ipsum et postulàssemus ejus opem : congruum enim est ut superior inferiori opem sincero affectu implorranti misereatur. Hanc autem congruitatem et minimi meriti mixturam, submonet S. Joannes à primâ Dei erga nos dilectione, dicens : SED QUONIAM IPSE PRIOR; quomodò enim nos in amando priores esse poteramus, qui mortui eramus? certè enim mortui amare non possunt; DILEXIT NOS, peccatores mortuos et deformes, non tamen ut semper tales maneremus, sed sicut faber rude et indolatum lignum diligit, non amando quod est, sed quod inde facturus est, et in arte suâ futurum prævidet, inquit hìc S. Augustinus, tractatu 8. Prior ergo dilexit nos, ait tractatu 9, et donavit nobis ut diligeremus eum. Diligendo autem formosi efficimur, quia charitas est animæ pulchritudo : *In charitate perpetuâ dilexi te, ideò attraxi te miserans*, Jerem. 31, v. 3. Cùm ergo Christus ad apostolos suos dicit : *Pater amat vos, quia vos me amâstis*, Joan. 16, v. 27, significat quòd amor discipulorum veluti quædam animæ pulchritudo amorem Patris in se quidem provocet; sed tamen priori alio amore fuerant prævenți à Patre, qui eis amorem illum inspiravit. MISIT FILIUM SUUM; tanquàm mediatorem et medium quo perficeret quod in nobis facere intendebat per illam dilectionem. Indicat enim S. Joannes dilectionem salutis humani generis fuisse ratione priorem decreto incarnationis, et hanc assumptam fuisse tanquàm medium ad talem finem. PROPITIATIONEM, hostiam propitiatoriam cujus immolatione ipsemet Pater mittens propitiari et reconciliari nobis posset. *Propitiatio* enim sumitur hìc concretim pro hostiâ propitiatoriâ, aut etiam pro ipso sacerdote per hostiam propitiante : utrumque enim fuit Christus, et hostia, et sacerdos, seipsum Patri in cruce sacrificans, sive in sacrificium offerens. Unde S. Augustinus legit *litatorem*, id est, propitiatorem; ille enim in sacrificiis litat qui propitiat et impetrat quod petit. PRO PECCATIS NOSTRIS, abolendis, quæ quia infinitam quamdam in Deum injuriam continebant, nonnisi infinitâ hostiâ pro iis perfectè satisfieri, et Deus reconciliari poterat.

VERS. 11. — CHARISSIMI, SI SIC DEUS DILEXIT NOS; si Deus Pater tam magnus et gloriosus, tam parvos et peccatis deformes nullo beneficio provocatus sic dilexit ut etiam Filium suum naturalem unicum in carnem humanam, et deinde in crucem mitteret. Quod admirans Ecclesia in benedictione cerei paschalis verbis S. Gregorii canit : *O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! ut servum redimeres, Filium tradidisti.* ET NOS, exemplar istud dilectionis, saltem imperfectè et juxta vires humanæ infirmitatis, imitando, DEBEMUS ALTERUTRUM DILIGERE, nos invicem fraternâ charitate diligere : *Estote imitatores Dei, et ambulate in dilectione*, etc., ad Ephes. 5, v. 1. Etsi autem S. Joannes dilectionem fraternam semper inculcet, non tamen debet censeri dilectionem inimicorum neglexisse : nam qui diligit inimicum, optat ut frater fiat et vitam æternam secum habeat; unde eum ut fratrem dilectione fraternâ diligit : non enim amat in illo quod est, sed quod vult ut sit, ait S. Augustinus, tract. 8.

VERS. 12. — DEUM NEMO, in hâc viâ et vitâ mortali, VIDIT UNQUAM, clarè et sicuti est, per lumen naturale intellectûs, aut etiam per supernaturale accommodatum peregrinationi hujus viæ, in quâ solùm ad videndum Deum tendimus : *Videmus* enim *nunc per speculum in ænigmate*, 1 ad Corinthios 13, v. 12; nec adhuc sumus similes angelis, qui *vident faciem Patris qui in cœlis est*, Matth. 18, v. 10; lumine enim tantùm obscuræ fidei, non claro illo beatorum gressus nostros in hâc viâ dirigimus : hinc nondùm possumus Deum condigno modo et ut decet redamare, et vinculo illo sublimis ac beatifici amoris cordi nostro eum astringere : puritas enim et excellentia amoris accommodat se splendori cognitionis. Unde nec ea sublimia dilectionis officia Deo præstare possumus quæ angeli jam et nos postea, Deo dante, præstabimus, quando *similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est*, 1 Joan. 3, v. 2. Attamen Deo jam sufficit dilectio quædam inferior, quam fratribus quos videmus per charitatis officia propter Deum obscurè cognitum et intellectum exhibemus, ut mox dicet. Ex quo commentario patet hunc locum non repugnare opinioni S. Augustini et S. Thomæ existimantium Moysen et Paulum clarè vidisse Dei faciem in hâc vitâ mortali, quidquid recentiores scholastici et quidam interpretes hìc dicant : sicut etiam in simili loco, 1 ad Timoth. 6, v. 16, notavimus. Vult enim solùm S. Joannes quòd in amando Deum per hujus peregrinationis noctem obscurâ tantùm fidei lucernâ nos dirigamus; neque quisquam sit qui Deum ut in se est viderit, et officia ejus vitæ ad lumen illud patriæ direxerit. Cui sententiæ nihil obstat si Moyses aut Paulus brevissimo raptu in conspectu divinæ faciei per singulare privilegium fuerit semel abreptus. Locus verò alius, Joan. 1, v. 18, videtur difficilior; sed re benè perpensâ videtur loqui de visione comprehensivâ, qualem habet is qui est in sinu Patris, ac in unâ essentiâ ei conjunctissimus : comparatione cujus visionis omnis alia visio creata tenebræ dici possunt; sicuti omne ens creatum respectu divinæ et infinitæ perfectionis est non ens et nihil, ut docet S. Augustinus, lib. 11 Confess., cap. 4. Hinc quia unigenitus Filius infinitam et comprehensivam Dei visionem hauserat ex ipso sinu Patris, non

fuit periculum ne arcana divinæ mentis malè aut imperfectè intellexerit, ut imperfectè mundo enarraret. Unde patet quòd licèt ista sententia Joannis 1, v. 18, sit verbis eadem cum hâc alterâ, sensu tamen aliquantulùm sit diversa, propter diversos fines ad quos adfertur. SI DILIGAMUS INVICEM, ex verâ charitate propter Deum, DEUS IN NOBIS MANET : Istâ fraternâ dilectione Deus cor et animam nostram sufficienter inhabitat, eumque per illam dilectionem possidemus, licèt non tam nobili vinculo amoris quàm beati qui eum clarè vident in cœlis; ET CHARITAS EJUS, quâ eum diligimus, IN NOBIS PERFECTA EST, sufficienter perfecta est pro charitate viæ quam à nobis exigit Deus : in istâ enim fraternâ charitate charitas Dei etiam includitur; non enim propter carnem et sanguinem, aut ullum commodum temporale, sed propter Deum frater diligitur. Unde : *Qui diligit proximum, legem implevit*, ait Paulus ad Romanos 13, vers. 8. Licèt autem omnis vera charitas habeat perfectam rationem et essentiam charitatis, potest tamen accidentaliter, vel etiam à specie fortassè imperfectiori ad perfectiorem ascendendo perfici; probabile enim est charitatem actualem viæ et patriæ differre specie.

VERS. 13. — IN HOC COGNOSCIMUS, per hoc autem aliud signum nos apostoli et discipuli Christi colligimus et cognoscimus; verba enim ista quæ mox sequentur : *Vidimus et testificamur*, indicant eum loqui in personâ discipulorum qui viderant Christum in carne; deinde hoc requirit scopus quem respicit S. Joannes; vult enim ostendere quàm meritò fides adhibeatur apostolis verbi Dei præconibus, cùm ipsi maneant in Deo, et Deus in ipsis, ac per ipsos mundo loquatur. QUONIAM IN EO MANEMUS, quòd per fidem, spem, charitatem, et cætera dona Spiritûs sancti Deo inhæreamus; ET IPSE IN NOBIS, et ipse vicissim in nobis tanquàm in templis vivis, quos Spiritu suo animat, et ad varias functiones evangelicas movet, loquendo et operando per nos tanquàm sua organa; QUONIAM DE SPIRITU SUO DEDIT NOBIS, quia nobis divisit varia Spiritûs sui charismata, per visibilem etiam Spiritûs sancti in nos descensum in die Pentecostes, per insufflationem in nos, quando dixit : *Accipite Spiritum sanctum*, etc., Joannis 20, vers. 22. Quibus exterioribus signis clarè cognoscebant, inquit Cajetanus, quòd ipsi in Deo manebant, et Deus in ipsis. Sed tamen quantùm ad veram et coram Deo justitiam non tam clarè et certò cognoscebant, quin Paulus dicat : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*, 1 ad Corinth. 4, v. 4. *Si* enim Deus *venerit ad me, non videbo eum; si abierit, non intelligam*, Job. 9, v. 11. Unde non est quòd Catharinus hìc more suo clamet : Audiant hæc qui negant certitudinem gratiæ. Dicit autem : *De Spiritu suo*, Græcè : *Ex Spiritu suo*, quia licèt Spiritus sanctus sit in se indivisibilis, gratiæ tamen et charismata ejus multiplicia sunt, quæ *omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*, 1 ad Corinth. 12, vers. 11.

VERS. 14. — ET NOS VIDIMUS, visu et sensibus ipsis notum est nobis, ET TESTIFICAMUR, vobis et toti mundo, QUONIAM PATER MISIT, quòd Pater cœlestis miserit, induendo eum humanâ carne, FILIUM SUUM SALVATOREM MUNDI, ut morte suâ pro peccatis hominum Patri satisfaciendo, non solùm Judæis, sed etiam gentibus electis per totum mundum dispersis salutem et vitam æternam procuraret.

VERS. 15. — QUISQUIS CONFESSUS FUERIT, unde non solùm nos, sed quisquis ex corde et fide per dilectionem operante profitetur, QUONIAM JESUS, homo ille cui in circumcisione nomen *Jesus*, id est, Salvatoris impositum fuit, quia salvum facturus erat populum suum à peccatis eorum, Matth. 1, v. 21, EST FILIUS DEI, sit non homo simplex é numero cæterorum, ut mentiuntur Cerinthus et Ebion; sed Filius Dei naturalis ejusdem essentiæ cum Patre, ac proinde Homo Deus; DEUS IN EO MANET, Deus per affectum amoris tanquàm amicus amico illi adhæret, in eo habitat et conquiescit; ET IPSE IN DEO, et ipse reciproco fidei et amoris vinculo Deo tanquàm amico adhæret; proprius enim amoris effectus est, inquit Cajetanus, constituere amantem in amato. Non ergo sola fides informis facit hanc reciprocam Dei et hominis in se invicem mansionem, sed charitas adjungi debet, quâ anima Deum tanquàm amicum complectitur, et ipsa vicissim à Deo. Unde perfectam cordis confessionem intelligit S. Joannes, inquit Beda, quæ nec malesuadentium hæreticorum possit fraude corrumpi, nec persequentium paganorum tormentis conquassari, nec carnalibus fratrum exemplis, nec propriæ fragilitatis segnitiâ titubare; hæc autem est confessio fidei quæ per charitatem infatigabiliter operatur.

VERS. 16. — ET NOS, fideles omnes, COGNOVIMUS, per multa signa et miracula, quæ visu et sensu etiam percepimus, ET CREDIDIMUS CHARITATI, Græcè *charitatem*, ut iste accusativus ab utroque verbo *cognovimus* et *credidimus* regatur; QUAM HABET DEUS (Pater) IN NOBIS, in nos, sive erga nos, et ostendit quando misit Filium suum Salvatorem mundi, ut vers. 14 dixit : *Deus charitas est.* Deus autem est ipsa essentialis et increata charitas, quam erga nos habet; non enim actu amoris à substantiâ suâ distincto nos amat, sed ipsa ejus substantia est amor et charitas ejus. Infinita enim divinæ naturæ perfectio nullis accidentibus perfici et augeri potest; unde Deus est potiùs magnitudo, bonitas, justitia, sapientia, amor quàm magnus, bonus, justus, sapiens, amans, ut ex concilio Rhemensi docet S. Bernardus, sermone 80 in Cantica. ET QUI MANET IN CHARITATE, unde qui charitati increatæ per unionem et vinculum creatæ charitatis adhæret, IN DEO MANET, Deo ipsi adhæret, quandoquidem charitas sit Deus, ET DEUS IN EO, et vicissim etiam Deus adhæret illi. Summa verò hæc est creaturæ rationalis dignitas, in complexu sui Creatoris per reciprocum charitatis et amicitiæ vinculum sic inhærere. Unde etiam patet quanta sit excellentia creatæ charitatis, quæ Deum ipsum in se sic attrahit, et mutuæ charitatis vinculo sibi obstringit. Vide quæ vers. 8 diximus.

VERS. 17. — IN HOC, per hoc quod jam dicam, nempe quia Deo similes quodammodò sumus in hoc mundo,

PERFECTA EST, scilicet in ratione veræ supernaturalis charitatis, quâ Deus super omnia diligitur; qualem perfectionem charitatis Deus in hâc peregrinatione à nobis exigit, licèt non omnem intensionem et perfectionem charitatis patriæ adhuc obtineat. CHARITAS DEI, quâ Deum in proximo diligimus; loquitur enim de charitate absolutè tam Dei quàm proximi; unde vox *Dei* abest à Græcis; PERFECTA, hoc loco non est nomen, sed est verbum passivum præteriti temporis, ut ex Græco patet. Perficitur autem à Deo charitas, quando non carnalem aut naturalem tantùm charitatem, sed veram supernaturalem et sinceram in nobis operatur, quâ Deum super omnia diligimus; NOBISCUM, in nobis, ut vers. 12 dixit; UT FIDUCIAM HABEAMUS, ita ut nos nobis benè conscii magnam confidentiam habeamus comparendi coram judice Christo in die judicii; quando è contra reprobi et charitate destituti *turbabuntur timore horribili*, Sapientiæ 5, vers. 2. Particula *ut* non videtur hic sumi finaliter, sed speculativè, sicuti 2 ad Corinth. 1, v. 17, et alibi non rarò solet. QUIA SICUT ILLE EST, quia sicut Deus gerit se in gubernatione et administratione hujus mundi, *solem suum oriri faciens super bonos et malos, pluens super justos et injustos*, Matth. 5, v. 45. Aliqui pronomen *ille* referunt ad Christum, qui quamdiù conversatus est in hoc mundo innumera dilectionis amicorum et inimicorum exempla nobis reliquit. Dicit autem : *Sicut ille est*, non autem, *sicut ille fuit*, quia exempla nobis relicta à Christo sunt jam adhuc in præsenti omnium memoriâ, inquit Catharinus. Sed hoc nimiam subtilitatem redolet; unde probabilior est prima, quæ etiam S. Augustini est, expositio. ET NOS SUMUS IN HOC MUNDO. Ita etiam nos gerimus in conversatione nostrâ in hoc mundo, ac per hoc ostendimus nos esse verè filios Dei similes nostro Patri; non enim tantùm amicos, sed etiam inimicos fraternâ dilectione complectimur; et licèt solem et pluviam iis præstare non possimus, præstamus tamen lacrymas, dum pro ipsis oramus, inquit S. Augustinus, tract. 9. *Sicut* non æqualitatem charitatis nostræ cum Dei charitate, sed similitudinem significat, veluti cùm dicimus : Ista imago habet aures sicut ego, ait S. Augustinus. Ex hâc doctrinâ discimus justos ex bonorum operum suorum recordatione posse fiduciam magnam comparendi coram Judice suo concipere, et diem judicii exoptare : quod et quotidiè oramus quando dicimus : *Adveniat regnum tuum;* unde et sancti sua sæpè merita allegant coram Deo, ut David, toto psalm. 25; Ezechias, 4 Reg. 20, v. 3; S. Paulus, 2 ad Timoth., 4, v. 7. Hæc autem meritorum recordatio maximè necessaria est quando justi ad desperationem tentantur, ut Job. 31, v. 5, etc. Attamen totum meritorum nostrorum cumulum oportet ultimò in Dei gratiam et misericordiam refundere : quid enim meritum in nobis facit nisi gratia? et cùm Deus coronat merita nostra, quid aliud coronat quàm munera sua? ait S. Augustinus epist. 105.

VERS. 18. — TIMOR NON EST IN CHARITATE; timor enim servilis quo Deus solùm tanquàm judex et scelerum vindex à peccatore sibi malè conscio timetur, non est ubi est charitas perfecta, quâ Deus super omnia diligitur : unde illi in quibus est perfecta ista charitas habent fiduciam in die judicii, ut statim dictum est; perfecta enim charitas facit perfectam justitiam, ait Augustinus, tract. 9, et non habet quare timeat; imò habet quare desideret ut transeat iniquitas et veniat regnum Dei. In charitate autem solùm inchoatâ est timor, ait ibidem Augustinus, quia nempe per charitatem inchoatam non diligitur Deus super omnia, nec impius transfertur ad perfectæ justitiæ statum, sed remanet adhuc peccator ac pœnæ æternæ debitor. *Timor* ergo hoc loco ad timorem Dei ut peccatorum vindicis restringendus est, ut mens et contextus S. Joannis postulant : probat enim justos meritorum suorum sibi conscios, ac Deum super omnia amantes, non timere, sed potiùs optare adventum Christi judicis, quia timor judicis qualis est in peccatoribus, non consistit cum perfectâ charitate justorum, qui habent fiduciam timori isti oppositam. Est tamen alius timor, non servilis, sed filialis, quo filii Dei non pœnam, sed offensam sui Patris timent : hic autem consistit cum charitate; imò ex ipsâ nascitur : ideò enim filius timet offendere patrem, quia ipsum diligit. SED PERFECTA CHARITAS, quâ Deus sincerè et super omnia diligitur; nec enim aliter accipienda videtur hic perfecta charitas quàm paulò ante, v. 17; FORAS MITTIT TIMOREM, expellit timorem servilem infernalium pœnarum : sicuti enim talis charitas expellit peccatum, ita expellit timorem pœnæ, qui est peccati comes et ex peccati nondùm remissi consideratione nascitur. Timor verò filialis non expellitur à charitate, quia est *timor Domini* ille *sanctus permanens in seculum seculi*, psalm. 18, v. 10, nec tantùm manet in viâ, sed etiam in patriâ : licèt enim nullus ampliùs timor peccati sit in beatis, qui impeccabiles sunt, manet tamen in iis timor quidam reverentialis et admirationis, quo profundissimè se submittunt Deo, et eum supra se existentem et incomprehensibilem admirantur, ait S. Thomas, 2-2, quæst. 19, art. 11. *Hinc* enim *columnæ cœli contremiscunt et pavent ad nutum ejus*, Job. 26, v. 11; *tremuntque potestates*, ut Ecclesia in præfatione missæ canit. Licèt autem timor servilis etiam in hâc viâ à perfectâ charitate foras mittatur, non tamen malus, cùm sit initium sapientiæ, sed imperfectus est; introducit enim charitatem, sicut seta sutoris introducit linum, ait Augustinus, tract. 9; seta enim priùs intrat, sed nisi exeat non succedit linum : sic timor pœnarum primò occupat peccatoris mentem, sed non remanet; quia ideò intravit ut introduceret charitatem. Non remanet, inquam, cum suâ servilitate, nec in eâdem mensurâ in quâ paravit charitati locum, licèt non statim totus expellatur : quantùm enim illa crescit, tantùm ille decrescit; et quantò magis illa fit interior, tantò magis ille foras pellitur. Major charitas, minor timor; minor charitas, major timor, ait hic Augustinus, tract. 9; et S. Thomas, 2-2, quæst. 19, art. 10, eum explanans : « Quantò aliquis magis diligit Deum, inquit tantò minùs timet pœnam, quia minùs atten-

dit ad proprium bonum cui pœna contrariatur, et quia firmiùs Deo inhærens, magis confidit de præmio, et per consequens minùs timet de pœnâ. » QUONIAM TIMOR (servilis) PŒNAM HABET; supplicium habet, ut interpres eamdem vocem vertit, Matth. 25, v. ult.: unde Erasmus hìc vertit : *Cruciatum habet :* stimulat enim malam conscientiam timor servilis ante peccatoris justificationem ; jam verò ubi justificatus est, et perfectà in animâ securitate, inquit S. Augustinus, quale gaudium nobis est vel in hoc vel in futuro seculo? et in hoc seculo quis nobis nocebit plenis charitate? Videte quomodò exultet Apostolus de ipsâ charitate : *Quis nos separabit*, inquit, *à charitate Christi? tribulatio? an angustia?* etc., ad Rom. 8, v. 35; sanat ergo charitas quod vulnerat timor, ait S. Augustinus. Probat igitur S. Joannes quòd charitas perfecta pellat timorem, quia pœna et conscientiæ cruciatus qui conjunctus est timori, non consistit cum dulcedine quæ associatur perfectæ charitati. Unde non sunt assecuti mentem Apostoli Gagnæus et Titelmannus, qui *timor pœnam habet* exponunt : Versatur circa pœnam tanquàm objectum : agit enim S. Joannes de pœnâ, seu cruciatu, non qui est objectum, sed qui est effectus timoris in peccatore, quem conscientia criminum cruciat ex timore gehennæ. QUI AUTEM TIMET, serviliter pœnas gehennæ propter conscientiam peccatorum, NON EST PERFECTUS IN CHARITATE, nondùm habet charitatem perfectam quâ Deum super omnia diligat et peccata ei remittantur : ideò enim conscientia peccatorum cor ejus torquet, quia nondùm facta est justificatio, aiunt S. Augustinus et Beda post eum. Potest tamen talis timens habere charitatem imperfectam et inchoatam, quâ Deum diligere incipiat, licèt nondùm super omnia diligat, ex certâ doctrinâ S. Augustini, quam etiam indicat Tridentinum, sess. 6, c. 6. Hæc videtur genuina difficilis et intricati hujus loci explicatio, ut nempe S. Joannes tantùm loquatur de timore gehennæ quo peccatores propter peccata præterita concutiuntur ; quia hunc timorem clarè opponit fiduciæ et spei æterni præmii quam sancti è contra propter bona sua opera ex perfectâ charitate facta concipiunt. Non disputat ergo hìc S. Joannes an perfecti in charitate à peccatis futuris timore pœnæ interdùm abstineant, sed an præteritorum peccatorum pœnas timeant. Interim tamen verum est viros perfectos in charitate secundùm inclinationem charitatis, et ex amore justitiæ, non ex solo timore pœnæ, solere operari : quomodò etiam hanc sententiam : *Perfecta charitas foras mittit timorem*, sæpè interpretantur S. Augustinus et alii. Et licèt interdùm sancti, quando præsertim aliquâ gravi tentatione sollicitantur, pœnas inferni sibi repræsentent, et propter eas à peccato abstineant, hoc tamen non est principale motivum, sed secundarium et instrumentale, faciuntque timorem hunc servire timori filiali et charitati, quæ timoris filialis est mater : quia enim justus timet Dei offensam quem amat, ideò arripit terrorem inferni ut concupiscentiam ab affectu peccati avertat, et tentationi non succumbat ; unde S. Augustinus, lib. 83, quæst. 36, ait timorem, ne ligatis manibus pedibusque mittantur in tenebras exteriores, esse etiam sapientibus necessarium : Sapiens autem est, inquit, qui Deum summè diligit, et proximum tanquàm seipsum. quapropter timor Dei, ait, non tantùm inchoat, sed etiam perficit sapientem. Si verò timor servilis non famuletur charitati, sed homo ab opere malo tantùm abstineat, quia pœnâ terretur, non quia justitiâ delectatur, tunc est serviliter servilis, quia præter servitutem essentialem quæ sumitur ab objecto, habet aliam accidentariam quæ est carentia consortii charitatis ; ideòque intrante charitate necessariò expellitur.

VERS. 19. — NOS ERGO DILIGAMUS DEUM. Hortatus erat, v. 11, ad dilectionem fraternam, quia Deus prior sic nos dilexisset ; nunc verò post satis longam digressionem eodem argumento Dei dilectionem inculcat, insinuans utramque dilectionem sic connexam esse ut una non sit sine alterâ. Particula *ergo* non est illativa, sed solùm continuativa sermonis : unde nec habetur in Græco. QUONIAM DEUS PRIOR, cùm nos mortui peccatis essemus, nec in amore eum prævenire possemus, ut dictum est v. 9 et 10, DILEXIT NOS ; et diligendo nos è massâ mortuâ humani generis elegit : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, Joan. 15, v. 16. Verùm quia multi diligunt Deum verbo et linguâ, non opere et veritate, 1 Joannis 3, v. 18, addit :

VERS. 20. — SI QUIS DIXERIT, verbo aut tacitâ cogitatione, QUONIAM DILIGO DEUM. Particula *quoniam* redundat, sicuti Joan. 1, v. 20, et aliàs sæpè, quando verba alicujus citantur, veluti hoc loco : unde interpres noster eam omittit, ad Rom. 3, v. 8 ; Matth. 5, v. 31 ; et alibi. ET FRATREM SUUM ODERIT, gravi odio, sive corde illud retineatur, sive in actum externum prodeat, MENDAX EST, falsum dicit : quomodò mendacem esse iterùm sumitur, 1 Joan. 2, v. 4, ut ibi pluribus dictum est ; QUI ENIM NON DILIGIT FRATREM SUUM, imò, quod pejus est, odit eum ; adeòque nequidem dilectione naturali eum diligit, QUEM VIDET, videre solet oculis corporeis ; Græcè in præterito, *quem vidit*, cujus speciem in memoriâ saltem habet, etsi fortè jam ipsum non habeat in oculis ; DEUM QUEM NON VIDET ; Græcè iterùm, *non vidit*, oculis corporeis, et qui tam longè remotus est ab hominum sensibus ; QUOMODÒ POTEST DILIGERE? Profectò nullo modo potest : nam à rebus visibilibus tanquàm magis vicinis et familiaribus potiùs incipere debet nostra dilectio, et inde ad invisibilia assurgere. Licèt ergo bonitas amabilis major sit in Deo quàm in proximo, proximus tamen nobis priùs diligendus occurrit, ait S. Thomas 2-2, quæst. 26, art. 2, ad 1, adeòque via ad dilectionem proximi brevior et facilior est quàm ad dilectionem Dei : deinde homo homini similior est quàm Deo, similitudo autem amorem conciliat : unde inter bruta etiam animantia ejusdem speciei est quidam amor et amicitia naturalis : *Omne* enim *animal diligit simile sibi, sic et omnis homo proximum sibi*, Eccl. 13, v. 19 ; unde naturali inclinationi resistit, et brutus magis est quàm ipsa bruta qui proximum suum odit.

Talis ergo minimè ad supernaturalem dilectionem Dei propter se, aut proximi propter Deum, est dispositus : nam illis quibus ex naturali amore bona naturalia volumus, faciliùs etiam supernaturalia ex dilectione charitatis optamus : hinc enim parentibus et fratribus proniori et majori affectu regnum cœlorum quàm extraneis desideramus. Argumentum autem Apostoli sic explicatum non tantùm est populare, ut vocat Hesselius, sed satis validum à majori ad minus; si enim non fiat quod facilius et verisimilius est, quomodò fieri potest quod tantò est difficilius? Interim tamen verum est quòd charitate supernaturali proximus non priùs et faciliùs quàm Deus diligatur, cùm charitas proximi supponat et involvat charitatem Dei, propter quem dilectum proximus diligatur; charitas enim proximi nihil est aliud quàm quidam veluti ramus et extensio charitatis Dei : unde S. Augustinus dicit quòd qui diligit fratrem, necessariò etiam diligat Deum, quia diligit simul ipsam dilectionem, sive charitatem increatam quæ Deus est, ut v. 8, et 16, S. Joannes dicebat. *Dilige ergo fratrem, et securus es*, ait S. Augustinus; *non enim potes dicere : Diligo fratrem, sed non diligo Deum.*

VERS. 21. — ET HOC MANDATUM HABEMUS A DEO, Levit. 19, v. 18, quod Christus innovavit, Matth. 5, v. 43, ideòque *mandatum novum* vocatur, Joan. 13, v. 34; UT QUI DILIGIT DEUM, non ibi sistat dilectionem suam, sed DILIGAT ET FRATREM SUUM. Unde si fratrem non diligit, nec diligit Deum : quomodò enim eum diligis, cujus mandatum contemnis? ait S. August.; unde Christus : *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me*, Joan. 14, v. 21; si nempe servet ea non tantùm timore pœnæ, quod est servorum; sed dilectione justitiæ, quod est filiorum.

CAPUT V.

1. Omnis qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit et eum qui natus est ex eo.

2. In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos Dei, cùm Deum diligamus, et mandata ejus faciamus.

3. Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus; et mandata ejus gravia non sunt.

4. Quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum; et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.

5. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei?

6. Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus; non in aquâ solùm, sed in aquâ et sanguine. Et Spiritus est, qui testificatur quoniam Christus est veritas.

7. Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt.

8. Et tres sunt qui testimonium dant in terrâ : Spiritus, et aqua, et sanguis; et hi tres unum sunt.

9. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est; quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo.

10. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se; qui non credit Filio, mendacem facit eum; quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo.

11. Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus; et hæc vita in Filio ejus est.

12. Qui habet Filium, habet vitam; qui non habet Filium, vitam non habet.

13. Hæc scribo vobis, ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.

14. Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum: quia quodcumque petierimus secundùm voluntatem ejus, audit nos.

15. Et scimus quia audit nos quidquid petierimus:

CHAPITRE V.

1. Quiconque croit que Jésus est le Christ, est né de Dieu : et quiconque aime celui qui a engendré, aime aussi celui qui en a été engendré;

2. Nous connaissons que nous aimons les enfants de Dieu, quand nous aimons Dieu, et que nous gardons ses commandements,

3. Parce que l'amour de Dieu consiste à garder ses commandements; et ses commandements ne sont point pénibles.

4. Car tous ceux qui sont nés de Dieu sont victorieux du monde; et cette victoire par laquelle le monde est vaincu, c'est l'effet de notre foi.

5. Qui est celui qui est victorieux du monde, sinon celui qui croit que Jésus est le Fils de Dieu?

6. C'est ce même Jésus-Christ qui est venu avec l'eau et avec le sang : non seulement avec l'eau, mais avec l'eau et avec le sang. Et c'est l'Esprit qui rend témoignage que Jésus-Christ est la vérité.

7. Car il y en a trois qui rendent témoignage dans le ciel, le Père, le Verbe, et le Saint-Esprit; et ces trois sont une même chose.

8. Et il y en a trois qui rendent témoignage dans la terre, l'esprit, l'eau, et le sang : et ces trois sont une même chose.

9. Si nous recevons le témoignage des hommes, celui de Dieu est plus grand; or, c'est Dieu même qui a rendu ce grand témoignage en faveur de son Fils.

10. Celui qui croit au Fils de Dieu, a dans lui-même le témoignage de Dieu; celui qui n'y croit pas fait Dieu menteur, parce qu'il ne croit pas au témoignage que Dieu a rendu de son Fils.

11. Et ce témoignage est que Dieu nous a donné la vie éternelle, et que c'est dans son Fils que se trouve cette vie.

12. Celui qui a le Fils, a la vie; et celui qui n'a point le Fils n'a point la vie.

13. Je vous écris ces choses afin que vous sachiez que vous avez la vie éternelle, vous qui croyez au nom du Fils de Dieu.

14. Et ce qui nous donne de la confiance en Dieu, c'est qu'il nous exauce dans tout ce que nous lui demandons, qui est conforme à sa volonté.

15. Et nous savons qu'il nous exauce dans tout ce

scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo.

16. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem : non pro illo dico ut roget quis.

17. Omnis iniquitas peccatum est; et est peccatum ad mortem.

18. Scimus quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat; sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum.

19. Scimus quoniam ex Deo sumus; et mundus totus in maligno positus est.

20. Et scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna.

21. Filioli, custodite vos à simulacris. Amen.

que nous lui demandons, parce que nous avons déjà reçu l'effet des demandes que nous lui avons faites.

16. Si quelqu'un voit son frère commettre un péché qui ne va pas à la mort, qu'il prie; et Dieu donnera la vie à ce pécheur, si son péché ne va point à la mort. Mais il y a un péché qui va à la mort, et ce n'est pas pour ce péché-là que je vous dis que vous priiez.

17. Toute iniquité est péché; mais il est un péché qui va à la mort.

18. Nous savons que quiconque est né de Dieu, ne pèche point : mais la naissance qu'il a reçue de Dieu le conserve pur, et le malin esprit ne le touche point.

19. Nous savons que nous sommes nés de Dieu, et que tout le monde est sous l'empire du malin.

20. Et nous savons encore que le Fils de Dieu est venu, et qu'il nous a donné l'intelligence, afin que nous connaissions le vrai Dieu, et que nous soyons en son vrai Fils. C'est lui qui est le vrai Dieu et la vie éternelle.

21. Mes petits enfants, gardez-vous du culte des idoles. Amen.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — OMNIS QUI CREDIT, fide quæ per dilectionem operatur, QUONIAM JESUS EST CHRISTUS; Græcè *Christus ille*, Messias ille famosus, in lege et prophetis Salvator mundi promissus : ita ut non tantùm assensu intellectûs, quomodò etiam *dæmones credunt et contremiscunt*, Jac. 2, v. 19, sed etiam affectu voluntatis, et executione operis amplectatur Christi fidem, quomodò credunt omnes qui vitâ et factis sunt Christiani : fides enim Christi est janua per quam Christiani stadium intrant ad currendum cum amore et alacritate viam mandatorum Domini, quæ amanti gravia non sunt; EX DEO NATUS EST, filius Dei adoptivus est, per gratiam illam quâ credit fide operante per dilectionem perfectam. Nec tamen hinc sequitur in Christianis peccatoribus non esse veram fidem, ut sectarii docent; sed tantùm non esse vivam : sicut cadaver est verum corpus, licèt non sit corpus vivens. Fallitur ergo hìc Beza, qui fidem sine charitate dicit solùm vocari fidem abusivè, et per catachresim; est enim reverà assensus fidei supernaturalis, et donum Dei, licèt non tam perfectum ut filium Dei adoptivum absolutè constituat. ET OMNIS QUI DILIGIT EUM QUI GENUIT, generatione sive naturali, sive adoptivà, DILIGIT ET EUM, diligere solet etiam illum QUI NATUS EST EX EO, id est, filium ejus, sive naturalem, sive adoptivum : filios enim amicorum blandiùs aspicimus, et tanquàm quodammodò eosdem cum patre suo uno amore complectimur. Et hinc S. Joannes probat quod dixerat in fine capitis præcedentis, quòd mandatum habeamus diligendi fratrem si Deum diligimus; ille enim qui natus est ex Deo, frater noster est, cùm eumdem Deum Patrem habeamus.

VERS. 2. — IN HOC COGNOSCIMUS, per hoc tanquàm per causam à priori colligimus QUONIAM DILIGIMUS, quòd verâ charitate supernaturali diligamus NATOS DEI, filios Dei adoptivos et fratres nostros, CUM DEUM DILIGAMUS, quando Deum diligimus : nam dilectio Dei est causa dilectionis filiorum qui ex eo nati sunt : dilectio autem illa Dei, ut rectè notat Hesselius, non tantùm naturâ, sed etiam aliquando nobis notior est, quàm dilectio proximi, ut quando propter Deum proximo adversamur, et pravos ejus mores castigamus; videtur enim esse quoddam odium, cùm tamen deprehendamus esse amorem, quando ad fortem ejus, qui est amor Dei, oculos referimus. ET MANDATA EJUS FACIAMUS; et faciamus quod præcipit : vera enim observatio mandatorum ex dilectione Dei profluere debet; qui enim solo timore pœnæ, non amore justitiæ, mandata servat, non coram Deo et sicut oportet servat. Observationem mandatorum jungit dilectioni Dei, ut notat Beda, ne quis seipsum fallat, putans statim se verè amare Deum, cùm verbo et linguâ fortassè tantùm, non opere et veritate amet. Suggerit ergo et judicium veri amoris erga Deum, nempe sinceram observantiam mandatorum cum gaudio et alacritate, quæ sarcinam illam levem faciat.

VERS. 3. — HÆC EST ENIM CHARITAS DEI, hic enim est effectus et signum divinæ charitatis, UT MANDATA EJUS CUSTODIAMUS, quòd mandata et voluntatem ejus faciamus; cùm enim amicorum sit idem velle et nolle, si amici Dei sumus, Spiritu ejus agimur, volumus et facimus quæ vult nos velle et facere, nolumus quæ vult nos nolle : unde Christus : *Si quis diligit me, sermones meos servabit*, Joan. 14, v. 23. ET MANDATA EJUS GRAVIA NON SUNT; et ne quis terreatur, et putet mandata quæ imponuntur vilissimis servis à Domino tantæ majestatis, gravissima et importabilia esse, ea tamen non gravia, sed levia sunt : *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve*, Matth. 11, v. ult. Triplici autem modo dicuntur præcepta novæ legis esse levia. Primò paucitate respectu multitudinis præceptorum veteris legis, cujus præcepta affirmativa Rabbi Moyses olim 218 recensuit, quot sunt ossa in corpore humano; negativa verò 365 quot sunt dies in anno; et ideò S. Petrus jugum veteris legis vocat importabile, Act. 15, v. 10. Secundò sunt levia, quæ licèt opera externa legis novæ secundùm se sint sæpè gravia, ut evangelicæ prædicationis labores quos enumerat Paulus, 2 ad Cor. 11, et martyrum passiones, charitas tamen facit ut non premant onere ponderum, sed sublevent vice pennarum, ait Augustinus, de Perfectione justitiæ, c. 10; unde anima, ait, quæ illa adhuc gravia

sentit, intelligat se nondùm accepisse vires quibus talia sunt ei præcepta Domini, qualia commendantur, et oret gemitu voluntatis ut impetret donum facilitatis. Tertiò, quia ubi onus externi operis infirmæ naturæ nimis grave esset, bona voluntas Deo sufficit : nihil autem est tam facile bonæ voluntati, quàm ipsa sibi, inquit Augustinus, sermone 9, de Verbis Domini.

VERS. 4. — QUONIAM OMNE QUOD NATUM EST EX DEO, quia omne genus hominum, parvorum, magnorum, perfectorum, imperfectorum, quod per gratiam ex Deo supernaturaliter genitum et natum est, quatenùs ut filius Dei operatur, et Spiritu Dei agitur, VINCIT MUNDUM, mundi tentationes, quæ sunt : *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ*, 1 Joan. 2, v. 16. Hinc sequitur mandata Dei filiis Dei, qui Spiritu Dei aguntur, gravia non esse ; cùm etiam pueri, feminæ, et infirmissimum quodque genus hominum, modò natum sit ex Deo, facilè vincat mundum, et fortissimos qui in mundo sunt hostes, licèt conentur mandata Dei aggravare et animas ab eis avertere. Ne quis tamen existimet se suis viribus obtinere hanc de mundo victoriam, subdit : ET HÆC EST VICTORIA, causa instrumentalis victoriæ, QUÆ VINCIT MUNDUM ; Græcè, *quæ vicit mundum ;* loquitur enim ad fideles qui jam crediderant et vicerant ; FIDES NOSTRA, quæ charitatem et vires vincendi impetrat, et per eam operando vincit. Tribuitur etiam victoria fidei tanquàm impetratori bonorum operum ei militantium, inquit Cajetanus : Vincit enim fides impetrativè, ait, et bona opera quasi executivè.

VERS. 5. — QUIS EST QUI VINCIT MUNDUM. Explicat quænam sit illa fides quæ vincit mundum, nempe fides Christianorum. NISI QUI CREDIT, vivâ fide, quæ spirat opera, sive qui credit non tantùm assensu intellectûs, sed etiam affectu et opere voluntatis, QUONIAM JESUS EST FILIUS DEI, quòd homo Jesus Christus sit etiam filius Dei naturalis, et Deus idem cum Patre : quod non credunt Cerinthiani et Ebionitæ ; ut enim esset Dei hominumque mediator, 1 ad Timoth. 2, v. 5, inter Deum hominemque medius per complexionem extremorum poni debuit : divinitas enim sine humanitate, aut humanitas sine divinitate, non est mediatrix ; sed inter divinitatem solam et humanitatem solam mediatrix est divina humanitas, et humana divinitas Christi, ait S. Augustinus, serm. de Ovibus, cap. 12.

VERS. 6. — HIC EST QUI VENIT ; verti etiam potest sicut vertit Arias . *Hic est ille veniens*, scilicet tam celebris, quem omnia prophetarum oracula venturum annuntiaverunt ad regenerandum spiritualiter et reconciliandum Deo hominem : quod est proprium officium mediatoris. PER AQUAM (baptismi) ET SANGUINEM suæ passionis ; cujus fuerant figuræ baptismata purificationesque per aquam et expiationes per sanguinem animalium, quæ præceptæ fuerant in veteri lege, ad quas videtur hic S. Joannes alludere. JESUS CHRISTUS. Repetit sub nomine *Christi*, quem proximè vocaverat *Jesum Filium Dei*, ut indicet nomen *Christi* complecti utramque naturam mediatoris, et Dei hominisque nomen esse. NON IN AQUA SOLUM, nec solùm per aquam venit, ut Joannes Baptista, cujus baptisma licèt à Deo institutum, quia tamen virtute sanguinis Christi destitutum erat, non sanctificabat animam, sed solùm erat signum pœnitentiæ eorum qui ad illud accedebant ; SED IN AQUA ET SANGUINE, sed per aquam simul et sanguinem : cujus sanguinis merito aqua baptismi et omnia sacramenta virtutem sanctificandi habent ; sacramenta enim Ecclesiæ sunt totidem quasi pixides sanguinis Christi, à quo virtutem effundendi gratiam in animam accipiunt. ET SPIRITUS (sanctus) EST QUI TESTIFICATUR, ut quando Christo à Joanne baptizato apertis cœlis in eum descendit Spiritus sanctus sicut columba, Matth. 3, v. 16 ; quando in die Pentecostes tanquàm ignis cecidit in discipulos, et fide ac charismatum donis eos replevit, Act. 2, v. 3 ; et denique quoties illam fidem Christi cordibus fidelium inspirat ; QUONIAM CHRISTUS EST VERITAS, quòd Christus sit veritas increata, ac Verbum caro factum, à Patre per intellectum emanans, ac proinde Deus de Deo, et filius Dei, ut paulò ante dixit ; Christus enim de se ait : *Ego sum via, veritas et vita*, Joan. 14, v. 6 ; est enim via ut homo, est veritas et vita ut Deus : Filius quippe Dei, qui semper in Patre veritas et vita est, assumendo hominem factus est via, quà iremus ad veritatem et vitam, ait S. Augustinus, serm. 55, de Verbis Domini. Etiamsi autem tota sanctissima Trinitas sit veritas increata, ut docet S. Thomas, 1 part., q. 16, art. 5, hæc tamen appropriatur Filio, quia veritas propriè est in conceptu et verbo mentis, Filius autem est Verbum Patris. Græcè tamen aliter : *Quoniam Spiritus est veritas*, quia Spiritus sanctus est ipsa veritas increata ; ac proinde meritò testificatur tanquàm testis maximè idoneus qui nec falli nec fallere potest.

VERS. 7. — QUONIAM TRES SUNT, et magis adhuc apparet hoc esse verissimum quòd Christus sit veritas, et Filius Dei incarnatus, quia tres sunt QUI TESTIMONIUM (ejus rei) DANT IN CŒLO, aereo, per voces et signa testificantia, quæ in aere illo superiori formata ad homines in terram quodammodò descendunt : unde alii exponunt : *De cœlo*. Hugo tamen, Thomas Anglicus, et Carthusianus, *in cœlo*, inquiunt, empyreo, coram angelis et cœli incolis, ubi magis relucent opera Trinitatis : ideòque SS. Trinitas dicitur specialiter in eo cœlo habitare. PATER, qui de Filii sui divinitate sæpè voce lapsâ de cœlo dedit testimonium, ut in baptismate ejus, Matth. 3, vers. ultimo, in transfiguratione, Matth. 17, v. 5, et quando venit vox de cœlo instar tonitrui, Joan. 12, v. 28. VERBUM, ipsemet Filius procedens à Patre per intellectum, qui etiam in assumptâ humanitate de cœlo testimonium de se dedit post resurrectionem, quando videntibus discipulis elevatus est in cœlum, Actor. 1, v. 9 ; deinde quando apert sunt cœli, et visus est à S. Stephano, Actorum 7, versu 55 ; denique quando ad Saulum de cœlo clamavit : *Saule, Saule, quid me persequeris?* Actor. 9, v. 4. Et licèt nemo soleat esse idoneus testis in propriâ causâ, Christus tamen erat testis suî irrefraga-

bilis, quia sciebat unde venerat, et quò ibat, Joannis 8, versu 13, id est, sciebat quòd esset Deus et homo, qui venerat ex sinu Patris, et eòdem redibat trahens post se ecclesiam electorum ad regnandum cum iis in cœlis. Quia ergo erat Deus de Deo, lumen de lumine, et prima veritas, testari poterat de se ipso, quia veritas et lumen se ipsa et alia manifestant. ET SPIRITUS SANCTUS, qui in baptismate Christi et die Pentecostes testimonium suum etiam dedit, ut jam v. 6 diximus. ET HI TRES UNUM SUNT, id est, hæ tres personæ unum sunt in essentiâ divinâ, propter essentiæ istius infinitudinem; unde testimonium trium istorum est Dei trini et unius; adeòque omninò infallibile. Glossa interlinealis *unum sunt*, interpretatur : *In unum consentiunt;* sed sic eripitur nobis hic locus adversùs Arianos et abbatem Joachim, qui hunc versum sic interpretabatur. Hic tamen versus olim defuit quibusdam textibus Græcis et Latinis; unde ejus non meminit Augustinus; nec multi Patres, tam Græci quàm Latini, solent illo uti adversùs Arianos; unde Erasmus et Cajetanus dubitant an sit sacræ Scripturæ pars. Sed S. Hieronymus fortiter retinet, et dicit ab infidelibus translatoribus Arianis omissum fuisse. Aut certè videtur Græcos Arianos ex multis codicibus Græcis primùm erasisse, et deinde translationem Latinam, quâ S. Augustinus et multi Patres usi sunt, ex codice Græco mutilato factam fuisse. Deinde Henricus Stephanus ex sedecim vetustis exemplaribus Græcis dicit se tantùm septem reperisse in quibus decrat iste versus. Denique majores nostri Lovanienses quando ad emendationem Bibliorum plurima undique manuscripta exemplaria coacervaverunt, nonnisi quinque mutilata isto versu invenerunt.

VERS. 8. — ET TRES SUNT, alii testes, QUI TESTIMONIUM DANT, non divinæ naturæ in Christo, de quâ tres priores testes perhibent testimonium; sed naturæ humanæ, quam Basilides illius temporis hæreticus negabat, dicens Christum pro vero corpore gessisse tantùm phantasma; IN TERRA, non de cœlo supernè, sed de terrâ in quâ habitamus. Multi vetusti codices Latini et Græci carent particulâ *in terrâ*, nec Syrus interpres addit; quod videtur factum esse occasione expunctionis versûs præcedentis, quia cùm particula *in cœlo* cum toto illo versu omissa esset, non apparebat ad quid hic adderetur particula *in terrâ;* restituto autem priore versu, hæc particula restitui debuit, ut *in terrâ* opponatur particulæ *in cœlo* prioris versûs. SPIRITUS, anima humana substantia spiritualis, quam Christus in cruce emisit, cùm dicitur inclinato capite tradidisse spiritum; *spiritus* enim hoc loco non pro Spiritu sancto, ut multi interpretantur, sed pro spiritu humano accipitur ab Augustino, libro 3, cap. 22, contra Maximinum, et ab Innocentio III, in cap. *In quâdam*, tit. de Celebrat. missar.; unde voci *spiritus* hic non additur *sanctus*, sicut in versu præcedente; ET AQUA, vera et elementaris, quæ ex latere Christi lanceâ aperto effluxit, Joan. 19, versu 34; ET SANGUIS, qui ex eodem etiam latere fluxit. Dicuntur autem sanguis et aqua res insensibiles metaphoricè dare testimonium ejus rei quam significant; aqua enim illa significavit Christi corpus, esse corpus mixtum ex elementis, quorum unum et maximè necessarium est aqua, quæ et per modum materiæ, et per modum coaguli cæterorum elementorum intrat compositionem corporis mixti; sanguis autem qui primus est inter humores animalis, significavit esse corpus verum animale sensitivum, quia animalia quatuor humoribus sanguine, phlegmate, cholerâ, melancholiâ vegetantur, ait Innocentius III; denique spiritus quem in morte expiravit Christus, significabat esse verum corpus humanum, cujus forma substantialis est spiritus, seu anima rationalis. Ita hunc locum interpretatur Innocentius III, cap. citato, ubi definit fuisse veram et naturalem aquam, non autem phlegma humani corporis, quod ex Christi latere miraculosè ad aliquod mysterium significandum profluxit. ET HI TRES UNUM SUNT, unam Christi naturam humanam significant. Græcè enim : *Et hi tres in unum sunt*, sive ad unum significandum ordinata sunt; quanquàm multi *in unum sunt*, explicent ut sit idem ac *unum sunt*, juxta phrasim Hebraicam : *Ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum*, Jerem. 31, versu 33, id est, ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus. Sed non est necesse hoc loco sic exponere; nec sine causâ textus Græcus mutavit phrasim in hoc et præcedente versu, quando de Patre, Verbo, et Spiritu sancto dixit : *Unum sunt;* de spiritu autem, aquâ et sanguine, *in unum sunt*. Licèt interim etiam intelligi possit quomodò spiritus humanus, aqua et sanguis sint unum; seu una natura humana, non per simplicitatem, quomodò tres personæ divinæ sunt una simplex essentia, sed per compositionem : elementa enim et humores unum corpus humanum cum spiritu sive animâ rationali infusâ, suo modo constituunt. S. Augustinus, libro 3, capite 22, contra Maximinum Arianum, exponit *unum sunt*, significant unam naturam, non humanam, sed divinam trium personarum; nam *spiritus* humanus, Patrem repræsentat, inquit, juxta illud : *Spiritus est Deus*, Joan. 4, versu 24; *sanguis*, Filium carnem factum; *aqua*, Spiritum sanctum, qui in animas nostras fundit gratiæ aquam salientem in vitam æternam, Joan. 4, v. 14. Verùm S. Augustinus in suo codice non legit versum 7 præcedentem, ubi hæc unitas divinæ essentiæ significatur; ut necesse non fuerit idem bis dicere. Deinde S. Augustinus ibidem huic suæ expositioni non planè acquiescens, permittit ut tanti sacramenti, quod in hoc versu 8 continetur, profunditas aliter exponatur, modò secundùm catholicam fidem, quæ in divinis nec confundit personas, nec separat essentiam. Hanc verò et similes obscuras profunditates dicit à Spiritu sancto de industriâ sacræ Scripturæ permisceri ad studium et mentes fidelium interpretum exercendas. Hanc tamen particulam : *Et hi tres unum sunt*, ad hunc versum non legit Innocentius loco citato, et multi olim codices omittebant; imò S. Thomas, opusculo 19, super decretalem Innocentii III, contra abbatem Joachim, dicit quosdam dicere ab Arianis fuisse insertam, ut interpretationem

v. 7, quo Pater, Verbum et Spiritus sanctus dicuntur esse unum, obscuram redderent, si spiritus, aqua, sanguis, etiam unum esse dicerentur. Sed non est verisimile Ecclesiam fuisse retenturam particulam hanc tanquàm sacræ Scripturæ, quam hæretici inseruissent.

VERS. 9. — SI TESTIMONIUM HOMINUM ACCIPIMUS, si duorum vel trium hominum fide dignorum testimonium tanquàm legitimum et sufficiens ad fidem faciendam et lites ac negotia humana terminanda, recipimus, juxta illud : *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum*, Deuter. 19, v. 15 ; TESTIMONIUM DEI, Patris, quod v. 7 à nobis citatum est, MAJUS EST, profectò certius est, et magis irrefragabile, cùm Deus sit prima veritas, quæ nec falli, nec fallere potest. QUONIAM HOC EST TESTIMONIUM DEI, quasi dicat : Voco autem testimonium Dei, quia reverà hoc est Dei Patris testimonium, *quod majus est*, omnium hominum testimoniis ; QUONIAM TESTIFICATUS EST, quia Deus Pater dedit illud testimonium, de quo v. 7 locuti sumus ; DE FILIO SUO, de Filii sui divinitate, tam in baptismate quàm in transfiguratione ejus. Græcè clariùs loco præpositionis causalis, *quoniam*, est pronomen, *quod*, relativum hoc modo : *Quod* (scilicet testimonium) *testificatus est de Filio suo*, ubi rem ipsam per testimonium testificatam vocat metonymicè *testimonium*.

VERS. 10. — QUI CREDIT IN FILIUM DEI, tanquàm in Verbum incarnatum, amore voluntatis impellente intellectum in ejusmodi fidei assensum, juxta modum quo S. Thomas, 2-2, quæst. 2, art. 2, distinguit inter credere Deum, Deo et in Deum ; HABET TESTIMONIUM DEI IN SÉ, per talem fidei assensum credit *id quod* Deus Pater testatus est, adeòque testimonium ejus recipit, et intra se admittit tanquàm verum. Hodiè à textu Græco abest vox *Dei* ; sed intelligi testimonium, non quodcumque, sed magnum Dei Patris testimonium, colligitur ex articulo Græco voci *testimonium* præfixo ; QUI NON CREDIT FILIO, tanquàm Verbo incarnato, cujus revelationem habemus à Deo Patre ; videtur enim interpres habere pro iisdem : Credere in Filium, et credere Filio ; unde *filio* hìc non dicit habitudinem revelantis, sed objecti revelati. Græcè tamen aliter : *Qui non credit Deo*, scilicet revelanti nobis Filium suum, in quem oportet nos credere ; MENDACEM FACIT EUM, Deum Patrem ipso suo dissensu, quo renuit èi credere, judicat mentiri, aut certè *mendacium*, seu falsum dicere, cùm tamen prima Veritas nec fallere possit nec falli ; QUIA NON CREDIT IN TESTIMONIUM, in Verbum incarnatum, quod est objectum testimonii Patris ; ideòque vocatur testimonium per metonymiam, quâ nomen actûs tribuitur objecto. QUOD TESTIFICATUS EST DEUS (Pater) DE FILIO SUO, in baptismate ejus, et transfiguratione ejus, quando dixit : *Hic est Filius meus dilectus*, etc.

VERS. 11. — ET HOC EST TESTIMONIUM, etiam hoc quod jam dicam est testimonium Dei Patris, QUONIAM VITAM ÆTERNAM, quòd beatam ac æternam vitam, DEDIT NOBIS DEUS, hìc in spe, quando dedit nobis potestatem filios Dei fieri, postea daturus in re ; aut certè etiam nunc quodammodò dedit in re per æternam prædestinationem, quâ singulis electis certum gloriæ gradum in cœlestibus mansionibus assignavit, ultra quem nemo ascendit, infra quem descendet nemo ; ET HÆC VITA IN FILIO EJUS EST, continetur in Filio ejus tanquàm causâ meritoriâ et instrumentali ; ad illam enim vitam Pater nos elegit in Filio suo ante mundi constitutionem, ad Ephes. 1, v. 4 ; unde

VERS. 12. — QUI HABET FILIUM, qui Filium apprehendit et tenet fide per dilectionem operante, HABET VITAM, fontem vitæ æternæ ; in ipso enim est vita animæ et lux hominum : nam vita æterna et omnia dona gratiæ quæ ad illam ducunt, ex vulneribus ejus in nos dimanant : *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, Act. 4, v. 12 ; QUI NON HABET FILIUM, sicut non habet *omnis infidelis*, aut *fidelis* cujus fides mortua est, nec per charitatem operatur, VITAM NON HABET, non apprehendit et possidet fontem vitæ, eo modo quo debet, ut vitam æternam ex eo hauriat.

VERS. 13. — HÆC SCRIBO VOBIS, quæ versu præcedenti proximè dixi, UT SCIATIS, certò cognoscatis, et hâc certitudine firmati non permittatis vos à fide Christi divelli ; nos enim adhuc spe tantùm salvati sumus, et solus ille qui perseveraverit usque in finem reipsà salvus erit ; QUONIAM VITAM HABETIS ÆTERNAM, in Christo per fidem vivam et operatricem sic apprehenso ; ut proinde gaudere et lætitiâ exultare de tantâ vestrâ felicitate debeatis ; QUI CREDITIS IN NOMINE FILII DEI ; Græcè, *in nomen*, quicumque in Christum Filium Dei creditis ; *nomen* enim frequenter ponitur pro re ipsâ, quando res celebris et nominata est. Græci addunt huic versui istam appendicem : *Et ut credatis in nomen Filii ejus*, quæ appendix superflua est, nisi intelligatur de perseverantiâ in fide, ut rectè notat Cajetanus ; qui enim jam credentibus scribebat, non scribebat ut crederent, sed ut in credulitate et fide suâ perseverarent.

VERS. 14. — ET HÆC EST (insuper) FIDUCIA, magna et certa spes, QUAM HABEMUS AD EUM, quam erga Deum Patrem concipimus ex fide illâ operatrice, quâ in nomen Filii ejus credimus ; QUIA QUODCUMQUE PETIERIMUS, non absolutè tamen quodcumque, sed juxta conditionem quæ sequitur : SECUNDUM VOLUNTATEM EJUS, modò illud tam quoad rem petitam, quàm quoad modum petendi sit conforme voluntati ejus : Deus enim est sapiens Pater, qui non noxia, sed tantùm bona data dare vult filiis suis petentibus. Spiritualia ergo bona et necessaria ad salutem, non temporalia nisi quatenùs spirituali saluti subserviunt, petere *ab eo oportet* : unde *petitis*, ait alius apostolus, *et non accipitis, eò quòd malè petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis*, Jacobi 4, v. 3, et de talibus verum est quod ait S. Augustinus : *Quædam Deus negat propitius, quæ concedit iratus.* Si etiam per æternum Dei decretum bonum illud quod petitur non sit impetrabile, ut si pro vitâ æternâ reprobi oretur, Deus non exaudit, quia *nemo corrigere potest quem* Deus *despexe-*

rit, Eccles. 7, vers. 14; voluntas quoque Dei est ut certum modum in petendo servemus; unde quando admonemur petere à Deo sapientiam, quam *dat omnibus affluenter*, Jacobi 1, v. 5, *his omnibus utique dat*, inquit S. Augustinus, c. 17, de Naturâ et Gratiâ, *qui sic petunt et tantùm petunt, quomodò et quantùm res tanta petenda est.* Quomodò et quantùm, hoc est, quàm piè et perseveranter; quatuor enim in universum à S. Thomâ, 2-2, quæst. 83, orationis conditiones enumerantur ut sit certò impetratoria, nempe ut quis pro se, ad salutem, piè et perseveranter petat; licèt unâ vel alterâ conditione deficiente aliquando etiam impetremus, ait post S. Thomam Sylvester. Ideò autem Deus vult nos diù et perseveranter orare, quia vult dona sua æstimari, quæ nobis vilescerent si tam citò et facilè concederet. Si quis etiam pro aliis, non pro se petat, etiamsi cæteræ conditiones adsint, non omninò infallibiliter impetrat, ut post S. Augustinum docet S. Thomas, 2-2, quæst. 83, art. 7, quia potest poni impedimentum ex parte ejus pro quo oratur. AUDIT NOS, exaudit, et postulata concedit. Hæc verò impetratio est primarius orationis effectus; præter quem sunt alii duo, nempe mereri et mentem reficere. Licèt autem justi in quibus fides charitate formata est faciliùs impetrent, tamen etiam fideles peccatores quandoque exaudiuntur, quia etiam in ipsis possunt inveniri quatuor conditiones orationis impetratoriæ, ut docet S. Thomas, 2-2, quæst. 83, art. 16, unde dictum illud cæci, Joannis 9, versu 31 : *Scimus quia peccatores Deus non audit*, S. Augustinus, tractatu 44 in Joannem, dicit esse dictum adhuc inuncti et nondùm illuminati, refellitque eum exemplo peccatoris publicani percutientis pectus suum et impetrantis justificationem, Lucæ 18, versu 13. Impetratio tamen peccatoris innititur puræ misericordiæ, non quasi justitiæ, sicut impetratio justi, ut S. Thomas ibidem docet; licèt enim conveniens sit ut Deus impleat desideria rationalis creaturæ, quæ ipsemet inspirat, decentius et dignius tamen est ut amicorum suorum, qui ei magis appropinquant, vota expleat; qui verò à Dei amicitiâ declinat, non est dignus qui exaudiatur, ut lib. 3, cap. 96, contra gentes, docet S. Thomas.

¶ VERS. 15. — ET SCIMUS, certi sumus ex Christi promissione : *Petite, et dabitur vobis*, etc., Matth. 7, v. 7; Græcè, *et si scimus*, et quando quidem sciamus. Inculcat iterùm certitudinem impetrandi à Deo quidlibet impetrabile, ut studium et fervorem orationis in ipsis accendat. QUIA AUDIT NOS, QUIDQUID PETIERIMUS, quòd Deus nos exaudiat, quidquid ab eo petierimus. SCIMUS QUONIAM HABEMUS PETITIONES, certi etiam sumus quòd semper obtineamus res petitas, *quas postulamus ab eo*, Græcè *postulavimus;* petitiones præteritas quas postulavimus, habemus apud Deum reservatas, ut suo tempore adimpleantur, inquit Cajetanus : si nempe secundùm voluntatem ejus postulavimus, ut antea dixit : unde quia *quid oremus sicut oportet nescimus, ipse Spiritus postulat* (id est, postulare nos facit) *pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ad Rom. 8, v. 26; nam ut oratio nostra recta sit, à Spiritu sancto dirigi et donari debet.

VERS. 16. — QUI SCIT; Græcè, *si quis viderit*. Unde loqui videtur de peccato quod à nobis discerni potest, an sit ad mortem, necne. Monet ut beneficium tam potentis orationis etiam fratribus nostris impendamus, quandoquidem tanta sit nobis fiducia impetrandi à Deo quidquid secundùm voluntatem ejus petierimus. FRATREM SUUM, fidelem Christianum, PECCARE (Græcè *peccantem*) PECCATUM NON AD MORTEM, peccatum mortale quidem, sed quod facilè remitti potest, et solet, nec homines quasi certò perducere ad mortem æternam; PETAT, Græcè *petet;* sed futurum indicativi sæpè usurpatur pro imperativo, more Hebræorum; ET DABITUR (à Deo) EI (fratri illi) VITA animæ, excitando in eo spiritum contritionis, per quem à morte peccati ad vitam justificæ resurgat : nam orantes etiam pro aliis exaudimur, licèt non tam certò quàm si oraremus pro nobis, quia Christus, Matth. 7, v. 7, quando dicit : *Petite et dabitur*, non dicit *quomodòcumque*, ut notat S. Augustinus, sed *dabitur vobis :* et clariùs, Marc. 11, v. 24 : *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis et evenient vobis.* Quia autem dicit vitam animæ dandam seu restituendam ei qui peccavit non ad mortem, patet quòd peccatum non ad mortem malè à quibusdam intelligatur peccatum veniale, per quod vita animæ seu justitia non amittitur. PECCANTI NON AD MORTEM; dabitur illi, inquam, qui peccat peccato non ad mortem; quod signanter addere volui, quia EST PECCATUM AD MORTEM, est quoddam aliud peccatum mortale obduratorum et desertorum à Deo, quod ferè certò deducit homines ad mortem æternam : qualis est apostasia voluntaria post acceptam notitiam veritatis, ad Hebr. 10, v. 26, item blasphemia in Spiritum sanctum, Matth. 12, v. 31, et omne peccatum mortale in quod homines ex purâ malitiâ se præcipitant, et in eo usque ad mortem comprehenduntur : unde illi qui peccatum ad mortem dicunt esse vel apostasiam à fide, vel peccatum in Spiritum sanctum, etc., imperfectè et inadæquatè hunc locum interpretantur, sumentes aliquod peccatum certum ad mortem pro toto genere. NON PRO ILLO DICO UT ROGET QUIS : non dico ut aliquis pro tali peccato remittendo oret Deum cum illâ fiduciâ impetrandi, sicut pro peccato non ad mortem : nec tamen omninò orari etiam prohibeo, quia Spiritus ubi vult spirat, et Deus tales peccatores quandoque, licèt rarò, convertit. Ad solos tamen perfectos spectat pro ejusmodi peccatoribus orare, inquit S. Thomas, q. 24, art. 11, de Veritate; perfectorum enim orationes validiores esse ad impetrandum indicat Dominus, Jerem. 15, v. 1 : *Si steterit Moyses et Samuel coram me*, etc.; sic etiam Jeremias prohibitus est à Deo orare pro Judæis obduratis et impœnitentibus : *Noli orare pro populo isto in bonum*, Jerem. 14, v. 11. Stultum enim est, ait ibi S. Hieronymus, orare pro eo qui peccaverit ad mortem, quando scilicet ex Dei revelatione nobis constaret tale peccatum esse ad mortem, nec Deum statuisse misereri : qui enim semel gladio et

fami et pesti fuerit destinatus, addit ibidem S. Hieronymus, nullis precibus erui potest. Quam hujus loci interpretationem etiam amplexus est S. Thomas 2-2, quæst. 83, art. 7, ad 3. Hinc Christus Dominus, qui sciebat quinam essent sibi dati à Patre, et quinam in massâ damnationis relicti : *Non pro mundo rogo*, inquit, *sed pro his quos dedisti mihi*, Joan. 17, v. 9. Quia verò nos distinctionem illam ignoramus, ideò Christus jussit nos pro omnibus orare, et apostolis suis injunxit : *In quamcumque domum intraveritis, dicite primùm : Pax huic domui; et si fuerit ibi filius pacis, requiescet super illum pax vestra ; sin autem, ad vos revertetur*, Luc. 10, v. 5. Quem locum explicans Augustinus, cap. 15, de Correptione et Gratiâ, *filium pacis* intelligit electum ad fidem et vitam æternam, cui soli per apprecationem nostram possumus pacem æternam impetrare; licèt *ad nos*, inquit, *qui nescimus quisnam sit filius pacis, vel non sit, pertineat nullum exceptum facere, nullumque discernere ; sed velle omnes salvos fieri, quibus prædicamus hanc pacem.* Quia tamen S. Augustinus in illis verbis S. Joannis : *Non pro illo dico ut roget quis* interdùm existimat contineri quamdam prohibitionem rogandi pro peccantibus ad mortem, interpretatur peccatum ad mortem esse finalem impœnitentiam, sive deserere fidem quæ per dilectionem operatur usque ad mortem corporalem, ut ait c. 12, de Correptione. Pro eo enim qui in tali statu defunctus est prohibemur orare ; nam aliàs : *De quocumque pessimo in hâc vitâ adhuc constituto non est desperandum; nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur*, ait lib. 1, cap. 19, Retract. Quam tamen interpretationem Beda existimat tenori textûs minùs congruere ; cùm enim aliquod peccatum dicitur ad mortem, aut non ad mortem, videtur potiùs mors spiritualis quàm corporalis intelligi : deinde ista verba *qui scit*, vel, *si quis viderit peccantem*, significant posse ex ipso modo et gravitate criminis discerni an peccatum sit ad mortem necne, et pro uno posse cum fiduciâ et spe magnâ obtinendæ emendationis in hâc vitâ orari, non pro altero.

Vers. 17. — Omnis iniquitas peccatum est, omnis injustitia quâ æquitas et rectitudo divinæ legis violatur, est peccatum generaliter, grande vel parvum : nam peccatum in genere à S. Augustino, lib. 2, cap. 27, contra Faustum, definitur : *Factum, dictum, vel concupitum contra legem æternam* : unde quod hìc S. Joannes ἀδικίαν, sive iniquitatem vel injustitiam appellat, supra cap. 3, v. 4, ἀνομίαν, sive prævaricationem et transgressionem legis appellavit : quam vocem etiam ibi interpres *iniquitatem* vertit. Et est peccatum ad mortem ; et præter iniquitatem, seu peccatum in genere, sive illud sit mortale, sive veniale, est quoddam peccatum mortale quod specialiter vocatur ad mortem, quia solet ferè comitari peccatorem usque ad mortem corporis, et proinde terminari ad mortem animæ æternam. Non est ergo sensus quòd omnis iniquitas sit peccatum ad mortem, cùm antea contrarium dixerit, nempe esse quamdam iniquitatem, seu peccatum quod non est ad mortem : sed confirmat quod antea dixerat, se non audere dicere quòd quis impetraturus sit, si oret pro fratre peccante ad mortem; ait enim se non de nihilo sic locutum fuisse, quia revera, præter iniquitatem et peccatum in genere, est quoddam speciale genus peccati quod est ad mortem. Græcè tamen : *Et est peccatum non ad mortem*, id est, et licèt iniquitas generaliter sit peccatum, non est tamen peccatum ad mortem. Juxta quam locutionem insinuatur, inquit Cajetanus, quòd peccatum ad mortem non sit certa species peccati, sed aliunde habeat quod sit ad mortem, nempe ex pertinaciâ peccantis, qui respuit omnem medicinam, et in suo morbo vult perseverare usque ad mortem.

Vers. 18. — Scimus, certò per fidem cognoscimus. Occasione eorum quæ dixit de peccato ad mortem, et non ad mortem, redit ad commendationem gratiæ adoptionis filiorum Dei, de quâ v. 1 et aliquot sequentibus disseruerat. Quia omnis qui natus est ex Deo, quòd quicumque per gratiam adoptionis filius Dei est, non peccat, quocumque peccato, non autem tantùm illo peccato immedicabili quod vocatur ad mortem ; hoc enim eodem modo exponendum est quo similis locus, cap. 3, v. 9, ubi dicit quòd natus ex Deo nequidem possit peccare : nempe operando ex gratiâ et ex principiis per quæ nascitur ex Deo, seu filius Dei constituitur, ut ibi ex doctrinâ S. Augustini et S. Prosperi docuimus. Aut certè, ut alii exponunt, non potest peccare mortaliter, quamdiù filius Dei manet, quia peccatum mortale est incompatibile cum gratiâ sanctificante, et filiatione perfectâ Dei. Sed generatio Dei, gratiæ infusio, quâ in filium Dei genitus est, conservat eum, à peccato; nam nova illa Dei creatura, ad Galat. 6, v. 15, in esse quodam supernaturali et divinæ naturæ consorti constituta, non potest esse principium peccati : deinde mutabilitas liberi arbitrii per gratias actuales divinum illud esse concomitantes præservatur, et continetur ne tam facilè in peccata deflectat. Græcus paulò aliter : *Sed genitus ex Deo conservat seipsum*, quia scilicet quatenùs genitus ex Deo, et filius Dei est, extra peccati periculum constituitur; quandoquidem per semen Dei in ipso manens, 1 Joan. 3, v. 9, et per gratiam quâ divinæ naturæ consors efficitur, 2 Pet. 1, v. 4, peccare non possit; veluti in essentiam Dei increatam, cujus illa gratia est participatio, nullum peccatum cadere potest. Quæ doctrina dirigitur in Nicolaitas, qui libertatem christianam in eo collocabant, quòd per gratiam novi Testamenti quælibet flagitia impunè perpetrare possent, ut 1 Joan. 3, v. 9, cum Cajetano notavimus. Et malignus, Græcè, *et ille malus*, diabolus, qui per antonomasiam *malus* appellatur; non tangit eum, tactu qualitativo, ut loquitur Cajetanus, nempe inficiendo eum veneno peccati, etiam venialis, quamdiù natus ex Deo utitur Spiritu quem ex Deo suscepit. imò, quod amplius est, nihil indecens provenire potest ex eo quod natum est ex Deo, inquit Cajetanus : additque : Utinam nostrâ ætate hoc advertissent rectores mulierularum religiosarum : nam

neque purpurâ, aut serico vestitas, neque annulum gestantes, neque cum viris in eodem lecto dormientes tolerâssent! alludens ad Lutheri et quorumdam aliorum apostatarum factum, qui ex hoc loco S. Joannis, et illo altero cap. 3, malè intellecto, multis monialibus persuaserunt licitum esse illis deserere sua monasteria, redire ad vanitatès seculi, et denique sine peccato nubere, quia natæ ex Deo essent; natus autem ex Deo non peccat, sed generatio Dei conservat eum, ne Dei semen in eo extinguatur: neque enim suos Deus unquàm ita privat spiritu gratiæ, inquit hìc Calvinus, quin aliquam pietatis scintillam retineant: unde in Davide adultero et homicidâ dicit gratiam remansisse, sicut ignem sub cineribus.

Vers. 19. — Scimus; nos quicumque fide per charitatem operante fideles et christiani sumus, fide certâ novimus, quoniam ex Deo sumus, quòd ex Deo spiritualiter nati, et filii Dei simus. Non dicit quòd quilibet christianus sciat de seipso quòd sit filius Dei, ut contra Catharinum rectè notat Hesselius, sed quòd quicumque est verè christianus sciat se hoc ex singulari Dei gratiâ habere. Cajetanus verò addit apostolos certâ etiam experientiâ scivisse se justos et ex Deo natos esse, quia in virtute Dei faciebant miracula. Sed hoc ex illâ experientiâ non omninò certò colligi potest; nam aliquando peccatores gratiam miraculorum etiam habent, ut Judas olim, et multi hodiè existimant de Salutatoribus in Hispaniâ. Et mundus totus, omnes homines, qui in hoc mundo secundùm mundi et seculi pravos mores conversantur, in maligno positus est, sub maligni seu diaboli potestate constitutus est, qui eum concupiscentiæ carnalis vinculis captivum de flagitio in flagitium, de scelere in scelus trahit. Non quòd mundani homines peccare cogantur à diabolo, sed: *Deserti à luce justitiæ, et per hoc contenebrati, quid pariant aliud quàm opera tenebrarum?* ait S. August., cap. 23, lib. de Naturâ et Gratiâ. Sub *mundo* autem Beda etiam parvulos nondùm per baptismum renatos comprehendit, qui per peccatum originale sub maligni potestate positi sunt. Verti etiam potest: *Mundus totus in malo jacet:* in triplicì nempe illo malo de quo supra: *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ*, 1 Joan. 2, v. 16. Manichæi verò, ut ex Didymo patet, hunc locum ad suum errorem detorquebant, interpretantes quòd fabrica mundi recumberet in diabolo tanquàm opifice suo: unde mundum non à bono, sed à malo Deo, sive diabolo, fabricatum esse docebant.

Vers. 20. — Et scimus, quoque fide certissimâ. Insinuat S. Joannes unde Christiani mysterium illud gratiæ Dei didicerint quæ eos à reliquo mundo discernit; quoniam Filius Dei venit, quòd Filius Dei Patris jam in mundum venerit, quando Verbum caro factum est: unde alium Messiam et Salvatorem frustra Judæi expectant; et dedit nobis sensum, Græcè *intelligentiam*, per Evangelium scilicet et fidem quâ nos illuminavit; ut cognoscamus; non tantùm assensu intellectûs, sed etiam affectu voluntatis: nam *cognoscere* apud Hebræos, Græcos et Latinos significat notitiam practicam intellectûs, quæ amore voluntatem succendit: unde cognoscere et nôsse aliquem pro simpliciter amare non rarò usurpatur: verum Deum, quem non cognoscebant gentiles idololatræ, qui opera manuum hominum deos appellabant, Sapient. 13, v. 10, et Judæi etiam cum fide veri Dei multos errores permiscebant: Christus autem arcana divinitatis revelando, luce suâ tenebras illàs dissipavit. Et simus, hìc per fidem et charitatem, postea per speciem et fruitionem, in vero Filio ejus, in corpore Christi veri et naturalis Filii Dei Patris; dicuntur enim esse in Christo qui in corpore mystico cujus Christus est caput per charitatem inserti et compaginati sunt. Græcè aliter: *Et sumus in illo vero, in Filio ejus Jesu Christo*, ita ut non sit pars periodi præcedentis, sed finità periodo sibi et omnibus Christianis congratuletur, quòd per fidem et charitatem sint uniti, et quodammodò unum cum vero illo Deo Patre, et cum Filio ejus incarnato Jesu Christo. Hic est verus Deus; hic autem Jesus Christus, quia Filius naturalis est, non adoptivus, etiam est verus et idem Deus cum Patre. Hoc autem adversùs Cerinthum et Ebionem dicit, contra quos etiam Evangelium suum scripsit. Hoc etiam testimonium divinitatis Christi omne effugium intercludit Arianis: unde Patres Nicænæ synodi particulam illam: *Deum verum de Deo vero*, ex hoc loco S. Joannis putantur symbolo suo inseruisse. Et vita æterna; est etiam vita æterna quâ vivit in seipso cum Patre et Spiritu sancto: et propterea est fons, unde in electos vita æterna manat; Christus enim ut Deus, est causa objectiva et efficiens vitæ æternæ beatorum; ut homo causa meritoria: unde homines pluribus titulis quàm angeli beatitudinem suam Christo debent; angelos enim objectivè et effectivè tantùm ut Deus beatificat, non meritoriè sicut homo.

Vers. 21. — Filioli, custodite vos, vigilanter et sollicitè cavete vobis. Eodem modo verbum *custodite* accipitur, 2 Pet. 3, v. 17; a simulacris, Græcè: *Ab idolis*, ab idolorum et falsorum deorum cultu; unde Syrus vertit: *Ab idololatriâ;* quandoquidem ergo, ait S. Joannes, jam sciatis quis sit verus Deus, à quo solo vitam et felicitatem æternam expectare debetis, nolite relabi, aut deflectere ad inanium deorum latriam; licèt enim ad Judæos christianos per Parthos et Assyrios dispersos scribat, ut initio Epistolæ diximus, multi tamen gentiles nuper ab idololatriâ ad fidem conversis Judæis permixti erant, qui vel reliquias superstitionis suæ mente retinebant, ut ait Didymus, vel certè ut neophyti nondùm in fide tam radicati erant, quin facilè in idololatriam recidere possent. Calvinus et sectarii sub idolis et simulacris sacras etiam nostras imagines à S. Joanne proscriptas volunt, quia generaliter est corruptela pietatis, ait Calvinus, ubi statuæ et picturæ ad cultum eriguntur; non enim, inquit, tam facilè ardebit aridum lignum carbone subjecto, quàm citò idololatria mentes hominum corripit dùm illi

materia objicitur. Hoc tamen experientiâ Catholicorum in fide instructorum constat esse falsissimum; non enim adorant ligna et lapides tanquàm deos, sed per imaginum pictarum inspectionem, ait synodus VII, omnes qui contemplantur ad prototyporum recordationem et desiderium transeunt, illisque honorariam adorationem exhibent; unde imaginis honor, inquit, in prototypum resultat, et qui adorat imaginem, in eâ quoque adorat descriptum argumentum. Beza verò affert hìc epistolam quamdam B. Epiphanii, in quâ narrat se velum in foribus cujusdam ecclesiæ pendens discidisse, quia imaginem quasi Christi, vel sancti in eo depictam vidisset : sed Baronius, tom. 4, ad annum Christi 392, particulam illam epistolæ S. Epiphanii ab hæreticis iconoclastis assutam esse multis argumentis probat, nec olim fuisse in illâ epistolâ ad Joannem Jerosolymitanum, quam D. Hieronymus in Latinum vertit; deinde, licèt S. Epiphanius id reverà scripsisset, videtur tamen loqui de imagine quâdam deformi, ita ut dubium esset an Christi vel alterius sancti, an falsi alicujus numinis foret. Beda idololatriam, à quâ S. Joannes hìc cavendum monet, ad tres etiam metaphoricas idololatrias, hæresim, avaritiam et luxuriam extendit : hæretici enim sua phantasmata, avari pecunias, luxuriosi voluptates, tanquàm simulacra adorant; unde apostolus Paulus, ad Coloss. 3, v. 5, avaritiam simulacrorum servitutem appellat, et ad Philip. 3, v. 19, ventrem esse luxuriosorum et intemperantium Deum dicit idem Apostolus. Hæretici Saturno, avari Pluto, libidinosi Veneri, gulosi Baccho, quasi sacrificant. AMEN, sic fiat, et Deus det ut vos à simulacris custodiatis; vel certè ista clausula ad omnia, quorum custodiam tota Epistola commendavit, referri potest.

IN EPISTOLAM CATHOLICAM II
B. JOANNIS APOSTOLI

Argumentum.

Hanc et tertiam Epistolam olim quidam putaverunt non esse Joannis, sed cujusdam alterius Joannis, cognomento Senioris qui Ephesi etiam habitavit, et cujus in suis opusculis sæpè meminit Papias, hujus Joannis Senioris, non autem Joannis, ut putat Beda, discipulus; unde cùm auctor secundæ et tertiæ seniorem se vocet, conjectaverunt hunc Joannem apostolum harum Epistolarum fuisse scriptorem. Hanc etiam opinionem sequuntur Erasmus et Cajetanus. Sed generalis Ecclesiæ consensus S. Joannis apostoli Epistolas esse ostendit, inquit Beda; qui etiam ex similitudine styli et sententiarum cum Epistolâ 1 S. Joannis idem colligit. Certè vetustissimus Tertullianus, cap. 33, de Præscriptionibus, eumdem Apocalypsis et duarum istarum Epistolarum auctorem esse significat; quod plurimis testimoniis ac argumentis Pamelius in Notis ad illum locum confirmat. Auctorem verò Apocalypsis non alium Joannem quàm apostolum apertè testatur idem Tertullianus, libro 3, cap. 14, et lib. 4. cap, 5, adversùs Marcionem; unde Clemens Alexandrinus Origenis præceptor et Tertulliani contemporaneus, et Didymus Alexandrinus Hieronymi magister, breves commentarios in has duas postremas Epistolas tanquàm S. Joannis conscripserunt; unde Beza, et plurimi sectariorum eas tanquàm legitimas admittunt.

Argumentum secundæ Epistolæ hujus est gratulatio quâ Electæ nobili et piæ feminæ de suorum filiorum fide et probitate congratulatur, et simul adhortatio ad perseverantiam, et hæreticorum Basilidianorum fugam, qui negabant Christum in carnem venisse; unde Epistola familiaris est, sicut et tertia. Ideòque non propriè vocari possunt catholicæ, sive universales, quales sunt et vocantur Epistola Jacobi, duæ Petri, prima Joannis, et una Judæ, quæ ad nullum particularem hominem vel urbem, ut S. Pauli Epistolæ, sed ad multos universaliter sunt scriptæ. Hæ tamen duæ accensentur primæ Epistolæ Catholicæ S. Joannis propter auctorem eumdem; ideòque septem Epistolæ catholicæ vulgò numerari solent, cùm tamen reverà sint tantùm quinque.

Videntur autem scriptæ hæ Epistolæ Ephesi in Asiâ Minore, ubi senectutem suam Joannes transegit, ut in libro de scriptoribus ecclesiasticis Hieronymus narrat; unde verisimile non est feminam Electam, ad quam scribit, hàbitasse Ephesi, ut Bivarius commentator Flavii Dextri, ad annum Christi 105, scribit, quia ad civitatem externam, in quâ S. Joannes non habitabat, Epistolam missam fuisse ex versu ultimo patet. Fortassè ergo Babylonem missa fuerit, cùm Clemens Alexandrinus Electam feminam Babyloniam fuisse scribat; aut certè potiùs in aliquâ civitate Asiæ Minoris non procul ab Epheso habitavit, cùm S. Joannes senex jam et decrepitus se eam invisurum, et ore ad os loqui speret, ut ex versu 12 patet.

IN EPISTOLAM CATHOLICAM II
B. JOANNIS APOSTOLI
COMMENTARIA.

CAPUT UNICUM.

1. Senior Electæ dominæ, et natis ejus, quos ego diligo in veritate, et non ego solus, sed et omnes qui cognoverunt veritatem,

2. Propter veritatem quæ permanet in nobis, et nobiscum erit in æternum.

3. Sit vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo Patre, et à Christo Jesu Filio Patris, in veritate et charitate.

4. Gavisus sum valdè, quoniam inveni de filiis tuis ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus à Patre.

5. Et nunc rogo te, domina, non tanquàm mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum,

6. Et hæc est charitas, ut ambulemus secundùm mandata ejus. Hoc est enim mandatum, ut quemadmodùm audîstis ab initio, in eo ambuletis :

7. Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem; hic est seductor, et antichristus.

8. Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis; sed ut mercedem plenam accipiatis.

9. Omnis qui recedit, et non permanet in doctrinâ Christi, Deum non habet; qui permanet in doctrinâ, hic et Patrem et Filium habet.

10. Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis.

11. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.

12. Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum; spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui, ut gaudium vestrum plenum sit.

13. Salutant te filii sororis tuæ Electæ.

CHAPITRE UNIQUE.

1. Le prêtre, à la dame Electe, et à ses enfants, que j'aime dans la vérité, et qui ne sont pas aimés de moi seul, mais que tous ceux qui connaissent la vérité aiment comme moi,

2. Pour l'amour de cette vérité qui demeure en nous, et qui sera en nous éternellement.

3. Que Dieu le Père, et Jésus-Christ, Fils du Père, vous donnent la grâce, la miséricorde et la paix, dans la vérité et dans la charité.

4. J'ai eu bien de la joie de voir quelques-uns de vos enfants marcher dans la vérité, selon le commandement que nous en avons reçu du Père.

5. Et je vous prie maintenant, madame, non comme vous écrivant un commandement nouveau, mais celui-là même que nous avons reçu dès le commencement, que nous ayons une charité mutuelle les uns pour les autres.

6. Or, la charité consiste à marcher selon les commandements de Dieu. C'est là le commandement que vous avez reçu d'abord, afin que vous l'observiez.

7. Car il s'est élevé dans le monde plusieurs imposteurs qui ne confessent point que Jésus-Christ est venu dans une chair véritable. Celui qui ne le confesse point est un séducteur et un antechrist.

8. Prenez garde à vous, afin que vous ne perdiez pas les bonnes œuvres que vous avez faites; mais que vous en receviez une pleine récompense.

9. Quiconque ne demeure point dans la doctrine de Jésus-Christ, mais s'en éloigne, ne possède point Dieu; et quiconque demeure dans sa doctrine, possède le Père et le Fils.

10. Si quelqu'un vient vers vous, et ne fait pas profession de cette doctrine, ne le recevez pas dans votre maison, et ne le saluez point.

11. Car celui qui le salue participe à ses mauvaises actions.

12. Quoique jeusse plusieurs autres choses à vous écrire, je n'ai pas voulu le faire sur du papier, et avec de l'encre, espérant aller vous voir, et vous entretenir de vive voix, afin que votre joie soit complète.

13. Les enfants de votre sœur Electe vous saluent.

COMMENTARIA.

VERS. 1.—SENIOR; Græc., PRESBYTER, sive *episcopus : nam senioris* nomen hoc loco videtur potiùs esse dignitatis ecclesiasticæ quàm ætatis, fatente etiam Bezâ; hoc enim modo frequentissimè nomen istud sumitur in Scripturis novi Testamenti; unde S. Lucas, quos Actor. 20, v. 17, vocat *majores natu*, Græcè *presbyteros*, statim post, v. 28, *episcopos* appellat; presbyter autem, sive episcopus per excellentiam vocabatur eo tempore in totâ Asiâ S. Joan., ut existimat Catharinus. Ætate etiam senior meritò vocari poterat, cùm Ephesi usque ad annum Christi 101, et ætatis suæ 93 vixerit, ut computat Baronius, qui eum in passione Domini 25 annorum, et solùm octo annis Christo Domino juniorem fuisse existimat. Non se vocat apostolum, quia ad personam aut familiam particularem tanquàm pater spiritualis satis notus ac familiaris scribit; unde nec S. Paulus ad Philemonem scribens apostoli nomen usurpavit. Prima verò Joannis Epistola, nec apostoli, nec senioris nomen habet, quia potiùs est libellus quàm Epistola, sicuti etiam de Epistolâ S. Pauli ad Hebræos notavimus. ELECTÆ, nomen proprium matronæ ad quam scribit, etsi neget Flavius Dexter Bivarii ad annum Christi 105, qui nomen ejus proprium Drusiam fuisse dicit. Œcumenius verò dubitat propriumne sit an appellativum nomen. Erasmus, Beza et Bartholomæus Petrus malunt cum Dextro esse ap-

pellativum, ut *electa domina*, sit idem ac eximia et egregia domina; aut certè electa ad fidem et vitam æternam, ut piè S. Joannes credebat; probant autem, quia soror hujus Electæ vocatur etiam Electa, v. ultimo, infra; non solent autem duæ sorores idem nomen proprium habere. Sed contra est quòd epistolæ ad particulares personas solent eas in initio propriis nominibus compellare, ut patet in Epistolis S. Pauli ad Timotheum, Titum, Philemonem; hìc verò nullum erit nomen proprium istius matronæ, si *electa* sit nomen appellativum. Soror verò infra, v. ult., more Scripturæ sacræ intelligi potest cognata; aut certè *electa* non fuit pronomen, sed familiæ aut gentis cognomen; sicuti Marcus, et Quintus frater Marci, uterque Cicero vocabatur. Sed si nomen proprium est *Electa*, dicendum erat, non *electa domina*, sed *domina electa*, inquit Beza, sicut *optime Feste*, Actor. 26, vers. 25, et *optime Theophile*, Lucæ 1, v. 3. Sed levis conjectura hæc est: nam nomen proprium etiam sæpè præponi solet appellativo, ut *Philemoni dilecto*, ad Philemonem, v. 1; *Timotheo charissimo filio*, 2 ad Timoth. 1, versu 2. Dominæ, propter nobilitatem generis, et opes quibus Christi discipulos et pauperes christianos sustentabat; unde Bivarius ad Dextri Chronicon, anno Christi 105, ex quâdam S. Prochori historiâ narrat hanc dominam Electam desiderio S. Joannis in Pathmo exulantis extabuisse, et cùm S. Joannes ab exilio in Asiam rediret, occurrisse cadaveri, quod comitantibus pauperibus et communem matrem lugentibus extra portam civitatis ad tumulum efferebatur, et suscitatam fuisse eo ferè modo quo adolescens civitatis Naim, Lucæ 7, versu 14, à S. Joanne tangente feretrum, et jubente ut surgeret, ac pararet sibi prandium. Exemplo S. Joannis discimus sanctitati non repugnare civilitatem quâ personas genere aut virtutibus illustres speciosis dominorum aut dominarum titulis condecoramus, modò id sine adulatione fiat. Et quidem erga feminas magis quàm viros hâc civilitate uti solemus, ad solatium infirmi sexûs, ait Bartholomæus Petrus. Et natis ejus, filiis ac filiabus; tam enim vox Græca quàm Latina utrumque sexum indifferenter complectitur. Quos (unà cum matre et sororibus) diligo in veritate, vero ac sincero spirituali amore, quo ipsis omnia bona spiritualia, et vitam æternam opto. Et non ego solus, sic eos diligo, sed et omnes, diligunt ipsos, qui cognoverunt veritatem, fidei christianæ per prædicationem evangelicam.

Vers. 2. — Propter veritatem; omnes enim Catholici toto orbe dispersi, quia easdem veritatis regulas sequuntur, ait Beda, propter hanc similitudinem ad se mutuò diligendum invitantur; non sic hæretici, qui non tantùm à Catholicis, sed etiam à se invicem dissentire solent; ideòque vulpibus Samsonis comparantur, Jud. 15, inquit Hugo, quæ diversas facies habent, sed caudas colligatas et armatas facibus ad oppugnandum Ecclesiam. Deinde fides, quæ per dilectionem Dei et proximi operatur, conjungit et coagmentat omnes fideles in unum Christi corpus; adeòque ut membra ejusdem corporis invicem consentire et se mutuò diligere debent. Quæ permanet in nobis, quæ fidei veritas constanter manet in nobis verè fidelibus, nec ullis persecutionum terroribus convellitur. Et nobiscum erit in æternum, et ista veritas objectiva quæ jam per fidem apprehenditur, nobiscum qui electi sumus ad vitam æternam, ut spero, manebit in æternum; sed alio et excellentiori lumine illustrata; *cùm venerit* enim *quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*, 1 ad Corinthios 13, vers. 10; aut certè fides electorum manet in æternum, sicut timor Domini, psalm. 18, dicitur manere in seculum seculi; non quia secundùm se maneat, sed in effectu suo, quæ est beatitudo æterna.

Vers. 3. — Sit vobiscum gratia, illa præsertim gratia auxiliatrix et victrix vitiorum, quâ Christiani sumus, ut loquitur D. Augustinus; misericordia, oleum et vinum, et omnia divinæ misericordiæ veluti medicamenta, quibus vulneribus et miseriis nostris medetur, qui per peccatum originis et propria peccata incidimus in latrones, inter Jerusalem et Jericho, dispoliatique et plagis impositis semivivi relicti, ac certò morituri eramus, nisi Samaritanus illàc iter faciens misericordiâ motus alligâsset vulnera nostra, infundens oleum et vinum, Lucæ 10, vers. 33. Pax, æterna in cœlis, ad quam Dei gratiâ et misericordiâ per varia bella et pugnas carnis nos perducit. A Deo Patre, tanquàm primo omnis gratiæ, misericordiæ, et pacis nostræ fonte; ex purâ enim et gratuitâ misericordiâ nos ad cœlestem et æternam pacem, et ad gratiæ dona quæ eò perducunt, ab æterno elegit, atque ad hunc finem Filium suum in mundum misit. Et a Jesu Christo, à quo tanquàm causâ meritoriâ omnia eadem ista bona nobis proveuerunt. Filio Patris, naturali Filio æterni Patris, ejusdem cum ipso naturæ et divinitatis. Quod adversùs Cerinthum et Ebionitas, qui Christi divinitatem tunc negabant, raptim et obiter addit. Beda verò dona ista gratiæ et gloriæ à Jesu Christo nobis conferre interpretatur tanquàm à causâ non meritoriâ, sed efficiente secundùm divinitatem, quâ *quæcumque Pater facit, hæc et Filius similiter facit*, Joannis 5, vers. 19. Opera enim Trinitatis ad extra, ut loquuntur scholastici, sunt indivisa. In veritate, sint illa vobiscum cum veritate fidei, et charitate, christianâ, per quam veritas fidei omne opus bonum in vobis operetur. Catharinus et quidam alii duas istas particulas referunt ad id quod proximè præcessit, ut Christus dicatur Filius Patris *in veritate et charitate*, hoc est, verus et dilectus Filius, in quo Pater ab æterno benè et infinitè sibi complacuit.

Vers. 4. — Gavisus sum valdè, gaudio magno spirituali, quod nasci solet ex magnâ Dei et proximi charitate: quò enim quisque magis Deum et proximum diligit, eò etiam ampliùs de bonis eorum gaudet, et iis congratulatur; quoniam inveni, per experientiam: fortassè enim isti filii habitabant Ephesi, ubi S. Joannes tunc morabatur, etiamsi mater eorum Electa alibi haberet domicilium; de filiis tuis, aliquos ex filiis tuis, ambulantes, progredientes in viâ mandatorum Dei,

et de die in diem proficientes; ambulatio enim profectum significat, inquit Didymus; sicut enim ambulans non quiescit, sed successivè et sensim passibus corporis emetitur viam, ita qui passibus animi, id est, affectibus charitatis per viam mandatorum incedit, progreditur de virtute in virtutem; IN VERITATE, cum omni sinceritate virtutum, non per falsas earum imagines, ut hypocritæ solent; SICUT MANDATUM ambulandi et servandi divinæ legis præcepta; ACCEPIMUS A PATRE, per lucem Evangelii Filii sui, quâ illuminat omnem hominem fidelem venientem in hunc mundum.

VERS. 5. — ET NUNC ROGO TE; blandè rogat, etsi res præcepti esset, se attemperans feminarum ingenio, quæ blanditiis potiùs quàm duris imperiis volunt duci; et blanditias etiam auget addendo : DOMINA, in matre autem filios etiam rogat; NON TANQUAM MANDATUM SCRIBENS TIBI, ne putes me velle tibi imponere nova et maudita onera; mandatum enim dilectionis proximi est antiquissimum, et legis naturæ; licèt quia in oblivionem et dissuetudinem ferè venerat, sit à Christo innovatum; ideòque *mandatum novum* vocetur, Joannis 13, versu 34. Vide quid de eâdem re, 1 Joannis 2, versu 8, nuper diximus. SED QUOD HABUIMUS, traditum à Christo, et annuntiatum vobis per apostolos; AB INITIO, conversionis vestræ ad fidem; cum prædicatione enim fidei simul prædicatum fuit mandatum dilectionis Dei et proximi; nam fides mortua et otiosa non sufficiebat ad salutem, sed viva quæ per charitatem operatur, ad Galatas 5, versu 6; UT DILIGAMUS ALTERUTRUM, id est, unus alterum et reciprocè, sive nos mutuò; nec tantùm fideles et amicos, sed etiam infideles et inimicos, optando illis ut fideles et amici fiant; Christus enim dilexit nos cùm inimici ejus essemus : præcipit autem ut diligamus invicem, sicut dilexit nos, Joan. 13, v. 34.

VERS. 6. — ET HÆC EST CHARITAS, et in hoc consistit et ostenditur vera charitas, UT AMBULEMUS, affectuum internorum et operum externorum veluti passibus, quibus per hanc terrestrem peregrinationem ad patriam cœlestem tendimus; SECUNDUM MANDATA EJUS, intra limites præscriptos mandatorum Dei Patris. Pronomen *ejus* refert Patrem, qui in fine versûs 4 præcessit. Hoc ENIM EST MANDATUM, hoc autem generaliter est verum mandatum Dei Patris. Particula *enim* in Græco non habetur, et loco ejus tam commodè particula *autem* substitui posset; UT QUEMADMODUM AUDISTIS AB INITIO, ab apostolis in principio vobis annuntiantibus fidem et opera quæ fides per charitatem operari debet; IN EO AMBULETIS, in eo fidei et operum mandato, non autem in novis hæreticorum inventionibus. De hâc autem re vos admonere volui.

VERS. 7. — QUONIAM MULTI SEDUCTORES, impostores hæretici, qui seducunt fideles à viâ veritatis, per quam ambulare oportet, EXIERUNT IN MUNDUM, Græcè *introierunt;* à tenebris in quibus ante latebant in publicam mundi lucem, per prædicationem suorum errorum prodierunt; QUI NON CONFITENTUR, imò negant, qualis maximè eo tempore Basilides, et ejus asseclæ, JESUM CHRISTUM VENISSE, Græcè, *vententem*, quod Œcumenius tam de primo quàm de secundo Christi adventu intelligit. Solet enim illud participium Græcum præsentis temporis, nempe, ἐρχόμενον, tam pro præterito quàm pro futuro etiam usurpari; sed meliùs hic pro præterito, et primo Christi adventu accipitur, ut interpres noster vertit. IN CARNEM, qui non confitentur Jesum Christum Filium Dei esse qui per humanæ carnis assumptionem descenderit ex sinu Patris. Unde qui vel Deum, vel hominem esse negant, non confitentur eum in carnem venisse, ut rectè notat Beda. Ut enim dicatur venisse, oportet antea eum fuisse alibi, et postea accessisse, seu apparuisse ubi eo modo non erat. Græcè tamen, *In carne*, quomodò etiam Beda et plurimi textus Latini legunt, id est, qui non confitentur venisse in mundum, et inter homines in carne humanâ conversatum. Beda de Judæis hoc intelligi posse ait, qui Christum nondùm ad salutem mundi venisse credunt, sed ad interitum suum venturum expectant Antichristum. HIC EST SEDUCTOR; hic autem quisquis est qui hoc non confitetur, sed contrarium prædicat, est hæreticus, et populos à veritate in errorem seducit; ET ANTICHRISTUS, et insignis Christi adversarius, quem solvit et discerpit dùm naturam humanam aut divinam ei aufert. Numerum pluralem subitò in singularem mutat, non quia nomine antichristi diabolum intelligat, qui unus per ora multorum hæreticorum errores annuntiat, ut nimis subtiliter exponit Catharinus; sed quia unum fortassè præcipuum hæresiarcham designat qui per se et suos hæresim illam tunc spargebat; aut certè quia unusquisque illorum hæreticorum magni et famosi illius in fine venturi Antichristi figuram et spiritum gerebat.

VERS. 8. — VIDETE VOSMETIPSOS, attentè considerate vosipsos, et pericula quæ vos circumstant, ne ab illis impostoribus sinatis vos seduci; NE PERDATIS QUÆ OPERATI ESTIS, ne mercedem bonorum operum, quæ fides per charitatem in vobis operata est, amittatis. Hinc patet veram fidem et justitiam semel adeptam posse amitti; quod sectarii nostri temporis negant; SED UT MERCEDEM PLENAM ACCIPIATIS, sed ut in fide et bonis operibus usque ad finem perseverantes mercedem vitæ æternæ plenam tanquàm *mensuram bonam, confertam, coagitatam et superefluentem*, Lucæ 6, vers. 38, accipiatis. Hæc autem plena merces et mensura est ipse Deus, qui implebit et supereffluet, non modò merita, sed etiam vota nostra, ait S. Bernardus, sermone 5, de Vigiliâ Nativitatis. Vox ergo *plenam* significat plenitudinem et perfectionem æternæ mercedis; non autem indicat eos qui perdunt quod operati sunt, aliquam mercedem, sed non plenam accepturos. Exemplaria Græca hodiè exprimunt ista verba in primâ personâ : *Ne perdamus, sed ut accipiamus*, sermone magis blando et familiari, quo Apostolus permiscet se ipsis, tam in metu perdendi quàm in spe accipiendi. Nomen *mercedis* refellit Lutheranos et Calvinistas, qui vitam æternam bonorum operum mercedem esse negant.

VERS. 9. — OMNIS QUI RECEDIT, ab Ecclesiâ Christi; Græcè, *qui transgreditur*, id est, qui per apostasiam transfugit ad seductorum et antichristianorum castra; ET NON PERMANET IN DOCTRINA CHRISTI, id est, in fide quam Christus docuit, nempe assentiendo veritatibus et obediendo præceptis; DEUM NON HABET, alienus est à Deo : cui non adhæret fide per charitatem operante : talem autem Œcumenius atheum vocat. E contra verò, QUI PERMANET IN DOCTRINA; Græcus *Christi* addit; HIC ET PATREM ET FILIUM HABET, quos fide et charitate complectitur, tanquàm templum quod Patrem et Filium inhabitatores habet. Videtur enim alludere ad Evangelii sui locum, ubi Christus de se et Patre suo loquens ait : *Ad eum venienus, et mansionem apud eum facienus*, Joan. 14, v. 23. Indicat etiam Filium esse Patri consubstantialem, contra Cerinthum et hæreticos illius temporis. Filius verò ante Patrem exprimitur, quia ad Patrem nonnisi per Filium perveniri potest, inquit Thomas Anglicus.

VERS. 10. — SI QUIS VENIT AD VOS; solent enim hæretici mare et aridam circuire, in cœtus et domos fidelium penetrare, ut per dulces sermones et benedictiones corda innocentium seducant, ad Romanos 16, v. 18; proprium enim hæreticorum est non ad infideles convertendos, sed ad pervertendum fideles peregrinari : et plures eo tempore hypocritæ se in societatem et familias divitum Christianorum insinuabant, propter charitatem et liberalitatem quam in pauperes confratres suos Christianos exercebant : unde ad detegendos istos hypocritas necesse fuit tesseras hospitalitatis, et litteras formatas, seu commendatitias reperire. ET HANC DOCTRINAM, fidei, quam Christus nos docuit, NON AFFERT, sed contrariam potiùs : nec enim apostolus Joannes vult vitari hominem infidelem, qui nullam doctrinam bonam aut malam, sed merces vel alias res innoxias affert; NOLITE RECIPERE EUM IN DOMUM; qui enim hæretico prædicatori hospitium præbet, favet ejus errori : unde non tantùm hæretici, sed etiam eorum receptatores jure canonico excommunicantur : quod canonistæ intelligunt de receptatoribus hæreticorum formaliter, sive ut hæretici sunt, nempe favendo eorum hæresi; secùs autem si ut amici, aut consanguinei, aut ut homines indigentes illo humanitatis officio recipiantur. Nihilominùs tamen, jure naturæ, etiam talis receptatio hominis hæretici illicita est, si tibi aut domesticis tuis immineat ab eo perversionis periculum, vel si hæreticus ipse per talem humanitatem magis in suâ hæresi obfirmetur. NEC AVE EI DIXERITIS, imò nec si vobis extra domum occurrat salutem ei precemini. Quod adeò servâsse S. Joannem ex Polycarpo ejus discipulo refert lib. 3, cap. 3, S. Irenæus, ut quondam Ephesi ex balneo illotus aufugerit, ubi Cerinthum hæreticum in eodem se lavare intellexit, exclamando : Fugiamus ne cadat et nos opprimat balneum in quo lavatur Cerinthus : et Polycarpus Marcioni hæretico occurrens, loco *ave*, primogenitum diaboli eum appellavit. Ita apostoli et apostolorum discipuli, inquit S. Irenæus, horrebant vel solo verbo communicare cum iis qui veritatem Evangelii adulteraverant.

VERS. 11. — QUI ENIM DICIT ILLI AVE, quod benevolentiæ verbum etiam in epistolarum familiarium frontibus Græci, exprimendo per verbum χάιρειν, id est, gaudere, præponere solent, sicut Latini P. S., id est, plurimam salutem, ascribere soliti erant; COMMUNICAT OPERIBUS EJUS MALIGNIS, habere videtur communionem et complacentiam in hæresim et errores pravos quos disseminat; loquitur enim non de quolibet hæretico, sed de eo qui doctrinam contra fidem affert, et hæresim docet. Cum talibus autem familiariter et comiter conversari, et eos benevolè salutare, scandalum plerùmque apud *infirmos Catholicos gignit*, et *hæreticos ipsos* in suâ hæresi confirmat, maximè si is qui ipsos sic salutat, aut cum ipsis conversatur, sit ecclesiasticus, aut in doctrinâ fidei habeatur eruditus, nisi conversationem illam ad hæretici conversionem tendere appareat : quamvis post unam et secundam correptionem ejusmodi hominem hæreticum etiam vitari jubeat apostolus Paulus, Tit. 3, v. 10, quia videtur esse incorrigibilis. Sæpè etiam cuicumque non tantùm hæretico, sed alteri publico peccatori ad correptionem prodest, si à viris probis familiariter et consortium suum declinari videat : hinc S. Paulus iterùm Thessalonicensibus præcipit ut subtrahant se ab omni fratre ambulante inordinatè, 2 ad Thess. 3, v. 6, quod præceptum positivum fuit illi Ecclesiæ tunc salutare, aut necessarium, ut ibi diximus.

VERS. 12. — PLURA, Græcè MULTA, quæ ad doctrinam et religionem christianam spectant; hæc enim est Epistolarum apostolicarum materia, quibus alia negotia nullius aut minimæ curæ sunt. Unde ea familiaria et minutiora tantùm fuisse non benè dicit Titelmannus; plurima enim maximi momenti in materiâ religionis sunt, quæ ne verbo quidem in brevissimâ hâc Epistolâ tangit. HABENS VOBIS SCRIBERE, ad tuam et familiæ tuæ in fide et moribus christianis instructionem; non enim omnia quæ ad religionem spectabant, scripto mandabant apostoli; unde addit : NOLUI PER CHARTAM ET ATRAMENTUM, vobis scribere et Epistolam sine necessitate longiorem texere. Hinc patet apostolos in chartis et atramento Epistolas suas, ut nos hodiè, scripsisse; licèt varia tunc fuerint chartarum genera, quæ jam non ampliùs sunt in usu : nam ex papyro, Ægypti arbore, olim charta fiebat; ideòque papyri *nomen hodiè adhuc retinet* : *postea ex* linteis facta aut ceris, ut l. 13, c. 11, narrat Plinius. Scribebant etiam in membranis : quod quia Pergami Asiæ urbe cœptum est fieri, ideò hùc usque tale chartæ genus *pergamenum* appellamus. SPERO ENIM ME FUTURUM APUD VOS; Græcè : *Sed spero venire ad vos*. Unde patet matronam Electam non Ephesi habitâsse, ubi S. Joannes tunc fuisse putatur. ET OS AD OS LOQUI, et ore ad os vivâ voce colloqui : poterat enim interpres *ore ad os* vertere, sicut 1 ad Cor. 13, v. 12, vertit, *facie ad faciem*, cùm tamen phrasis ibi Græca sit *faciem ad faciem*, similis huic, *os ad os* : ubi more Atticorum subintelligitur præpositio κατά, id est, *secundùm;* quasi

dicas : *Secundùm os ad os loqui*, sicut præsentes obverso ore et facie simul colloqui solent. Ex hoc loco refellitur error sectariorum, qui nullas traditiones agraphas admittere volunt, quasi apostoli nihil ampliùs de mysteriis fidei vivâ voce tradiderint quàm chartis et atramento commiserint. UT GAUDIUM VESTRUM, spirituale, quod ex mutuo colloquio de rebus divinis et spe præmiorum æternorum concipitur, PLENUM SIT, abundans et perfectum : nam semiplenum et siccius plerùmque est gaudium quod per litteras inter personas spirituales excitatur; plenius verò et abundantius, si vivâ voce inflammetur : hinc apostolus Paulus desiderat videre Romanos, et simul consolari : *Per eam quæ invicem est*, inquit, *fidem vestram atque meam*, ad Rom. 1, v. 12. Simili autem sensu quo *gaudium plenum* hìc vocat S. Joannes, paulò ante, v. 8, *mercedem plenam* dixit.

VERS. 13. — SALUTANT TE, salutem temporalem et æternam tibi à me ascribi voluerunt, FILII SORORIS TUÆ ELECTÆ, qui Ephesi tunc habitâsse videntur, defunctâ fortassè matre, aut ad fidem nondùm conversâ: cujus proinde in hâc salutatione nulla mentio. Quomodò autem potuerit esse soror Electæ ad quam scribit, et tamen appellari etiam Electa, supra, v. 1, diximus.

IN EPISTOLAM CATHOLICAM III

B. JOANNIS APOSTOLI

Argumentum.

Epistola hæc familiaris est et similis præcedenti, scripta ad Caium communem apostolorum et peregrinantium Christianorum hospitem. Videtur etiam à S. Joanne olim ad fidem fuisse conversus, aut saltem fuisse instructus, quia filium suum vocat, v. 4. Laudat ejus hospitalitatem et charitatem : Diotrephis verò cujusdam inhospitalitatem et ambitionem taxat. Monet Caium ne illum imitetur, sed potiùs Demetrium, cui testimonium ab omnibus Christianis, qui ex Achaiâ in Asiam veniunt, bonum redditur. Quis autem Caius iste fuerit, disputatur : Beda et multi cum eo existimant esse illum quem S. Paulus vocat hospitem suum, ad Rom. ult., v. 23. Unde cùm verisimile sit Epistolam ad Romanos scriptam esse Corinthi, videtur Caius Corinthi habitâsse, et esse Caium illum quem Paulus dicit se baptizâsse, 1 ad Cor. 1, v. 14. Licèt autem Corinthi in Achaiâ Caius habitaret, genere tamen fuisse Hispanum narrat Brivari Dexter, et fuisse filium illius centurionis, qui Christo in cruce morienti astitit, Luc. 23, v. 47, et fratrem Demetrii, cujus infra, v. 12, hìc meminit Joannes; unde talem genealogiam texit : Centurio Capharnai in Galileâ habitans, cujus puerum Christus sanavit, Matth. 8, v. 5, natione Hispanus genuit Caium Oppium centurionem qui Christo patienti præsens astitit; hic verò Caius Oppius genuit Caium et Demetrium, qui Corinthi habitaverunt, et quorum mentionem hìc S. Joannes facit. Sed mirum si S. Joannes siluisset Demetrium vocare fratrem Caii, si reverà frater fuisset; nam Epist. præced., v. ult., Electam non silet appellare sororem alterius Electæ ad quam scribit. Deinde totum hoc Chronicon Flavii Dextri meritò suspectum habetur à doctis; nam Lucius Flavius Dexter, cujus dicitur esse Chronicon, S. Hieronymo familiaris, et præfectus prætorii Romæ sub imperatore Arcadio, vir fuit litteratissimus, et eloquentiæ Ciceronianæ studiosus, ut testatur S. Hieronymus : auctor verò Chronici magis est semibarbaro quàm Ciceroniano similis. Denique S. Hieronymus dicit eum scripsisse omnimodam historiam, quod nomen chronico isti et macro et succincto minimè convenit; historia enim vocatur quando non tantùm nudè et simpliciter per singulos annos annotatur quid factum sit, sed quomodò, quibus consiliis, quo rerum eventu gestum.

IN EPISTOLAM CATHOLICAM III

B. JOANNIS APOSTOLI

COMMENTARIA.

CAPUT UNICUM.

1. Senior Caio charissimo, quem ego diligo in veritate.

2. Charissime, de omnibus orationem facio prosperè

CHAPITRE UNIQUE.

1. Le prêtre à mon cher Caïus, que j'aime dans la vérité.

2. Mon bien-aimé, je prie Dieu que tout soit chez vous en aussi bon état, pour ce qui regarde vos affai-

te ingredi, et valere, sicut prosperè agit anima tua.

3. Gavisus sum valdè venientibus fratribus, et testimonium perhibentibus veritati tuæ, sicut tu in veritate ambulas.

4. Majorem horum non habeo gratiam, quàm ut audiam filios meos in veritate ambulare.

5. Charissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos,

6. Qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ : quos, benefaciens, deduces dignè Deo.

7. Pro nomine enim ejus profecti sunt, nihil accipientes à gentibus.

8. Nos ergo debemus suscipere hujusmodi, ut cooperatores simus veritatis.

9. Scripsissem forsitan Ecclesiæ; sed is qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos.

10. Propter hoc si venero, commonebo ejus opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos; et quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres, ut eos qui suscipiunt, prohibet, et de Ecclesiâ ejicit.

11. Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui benefacit, ex Deo est; qui malefacit, non vidit Deum.

12. Demetrio testimonium redditur ab omnibus, et ab ipsâ veritate, sed et nos testimonium perhibemus : et nôsti quoniam testimonium nostrum verum est.

13. Multa habui tibi scribere; sed nolui per atramentum et calamum scribere tibi.

14. Spero autem protinùs te videre, et os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

res et votre santé, que je sais qu'il y est pour ce qui regarde votre âme.

3. Car je me suis fort réjoui, lorsque les frères qui sont venus ici, ont rendu témoignage à votre piété sincère et à la vie que vous menez selon la vérité.

4. Je n'ai point de plus grande joie que d'apprendre que mes enfants marchent dans la vérité.

5. Mon bien-aimé, vous faites une bonne œuvre d'avoir un soin charitable pour les frères, et particulièrement pour les étrangers,

6. Qui ont rendu témoignage à votre charité en présence de l'Eglise. Et vous ferez bien de les faire conduire et assister dans leurs voyages d'une manière digne de Dieu.

7. Car c'est pour la gloire de son nom qu'ils sont partis sans recevoir aucune assistance des gentils.

8. Nous sommes donc obligés de traiter favorablement ces sortes de personnes, pour travailler avec elles à l'avancement de la vérité.

9. J'aurais écrit à l'Eglise; mais Diotréphes, qui aime à y tenir le premier rang, ne veut point nous recevoir.

10. C'est pourquoi, si je viens jamais chez vous, je lui représenterai le mal qu'il commet, en semant contre nous des médisances malignes; et ne se contentant point de cela, non seulement il ne reçoit point les frères, mais il empêche même ceux qui voudraient les recevoir, et il les chasse de l'Eglise.

11. Mon bien-aimé, n'imitez point ce qui est mauvais, mais ce qui est bon. Celui qui fait bien, est de Dieu; mais celui qui fait mal, ne connaît point Dieu.

12. Tout le monde rend un témoignage avantageux à Démétrius, et la vérité même le lui rend. Nous le lui rendons aussi nous-mêmes, et vous savez que notre témoignage est véritable.

13. J'aurais encore plusieurs choses à vous dire, mais je ne veux point le faire par écrit,

14. Parce que j'espère vous voir bientôt, et que nous nous entretiendrons l'un l'autre de vive voix. La paix soit avec vous. Nos amis vous saluent. Saluez de ma part nos amis chacun en particulier.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — SENIOR, Græcè *presbyter*, quod nomen hìc potiùs est dignitatis ecclesiasticæ quàm ætatis, ut Epist. præced., v. 1, diximus; CAIO CHARISSIMO. In Græco non est superlativus, sed positivus, qui *multùm amabilem* significat, ut non malè in paraphrasi vertit Erasmus. QUEM EGO DILIGO IN VERITATE, verâ et sincerâ spirituali dilectione, quâ personæ dilectæ volumus omnia spiritualia gratiæ et gloriæ dona.

VERS. 2. — CHARISSIME, DE OMNIBUS, REDUS spiritualibus et temporalibus, quatenùs spiritualium sunt instrumenta. Alii tamen vertunt *super omnia*, aut *ante omnia*, ut Catharinus. ORATIONEM FACIO, Deum oro, PROSPERÈ TE INGREDI, ut in omnibus illis rebus prosperè semper ambules, et quotidiè non tantùm in spiritualibus proficias, sed etiam in temporalibus, quibus tam benè et largiter in eleemosynas pauperum, et peregrinorum hospitalitatem uteris. Alii vertunt *prosperè te agere :* quomodò etiam mox idem verbum hoc eodem versu interpres vertit. ET VALERE, corpore sanum esse; id enim propriè verbum Græcum significat. Tam autem sanitas corporis quàm bona fortunæ sunt instrumenta virtutum animi. SICUT PROSPERÈ AGIT ANIMA TUA, in actibus virtutum, et præcipuè charitatis, in quibus delectabiliter et feliciter agit, ambulat, et se exercet anima tua per Dei gratiam.

VERS. 3. — GAVISUS SUM VALDÈ, gaudio magno spirituali et in Domino, quomodò semper gaudendum esse monet alter Apostolus : *Gaudete in Domino semper*, ad Philipp. 4, v. 4; tale enim semper est gaudium sanctorum, qui magis gaudent de benignitate Dei et gratiâ quâ operatur omnia in omnibus, quàm de eo quod homines ex suâ parte conferunt in virtutum exercitiis. VENIENTIBUS FRATRIBUS, quoties Christiani fratres, et præcipuè verbi divini præcones ex Achaiâ, ubi habitas, hùc in Asiam veniunt; ET TESTIMONIUM PERHIBENTIBUS, utpote benignitatem et hospitalitatem tuam expertis; VERITATI TUÆ, sinceritati et candori tuo; SICUT TU IN VERITATE AMBULAS, sicut in omnibus actionibus tuis sinceritatem virtutum sine hypocrisi sectaris. *Ambulare* hìc non significat motum tibiarum, inquit Œcumenius, sed ordinatum et temperatum progressum cum acri et constanti animi affectu, qui progressum illum per viam virtutis ferat et promoveat, qualem pauci, inquit, assequuntur. *Veritatem* pro sinceritate virtutum sæpè tam in Evangelio suo quàm in Epistolis S. Joannes usurpat : quæ sinceritas præcipuè à charitate actibus cæterarum virtutum aspergitur, dùm eos imperat et sinceritate suâ quasi tingit : imò sine sinceritate et veritate istâ charitatis cæteras virtutes veras et consummatas virtutes esse negat S. Augustinus.

VERS. 4. — MAJOREM HORUM NON HABEO GRATIAM, his autem rebus nihil magis gratum habeo. Græcus hodiè : *Majus his non habeo gaudium.* Quomodò olim etiam legit Hugo cardinalis : unde Bartholomæus Petrus credit *nostrum interpretem* sic vertisse, et Romanos correctores nostram lectionem mutaturos fuisse si veteres Hugonis Bibliorum concordantias vidissent. Contra tamen Franciscus Lucas in observationibus ad correctiones Romanas nostram lectionem præferendam esse contendit. Noster ergo interpres pro χαρὰν *gaudium*, χάριν *gratiam* legit, et phrasim Græcam *majorem horum*, pro phrasi Latinâ quæ est *majorem his*, retinuit. Quidam Græci legunt *majorem hâc*, scilicet gratiâ, *non habeo gratiam :* quod est clarius. QUAM UT AUDIAM FILIOS MEOS. Indicat ergo Caium fuisse discipulum suum et filium eruditionis, non tamen genitum à se per baptismum, si iste est Caius quem solum cum Crispo Corinthi se baptizâsse fatetur Paulus, 1 ad Cor. 1, v. 14. IN VERITATE AMBULARE, in viâ virtutum sincerè et sine hypocrisi proficere, et præcipuè *in charitate non fictâ*, 2 ad Cor. 6, v. 6 ; et in *dilectione sine simulatione*, ad Rom. 12, v. 9. Prælatus autem hoc exemplo S. Joannis zelo salutis proximorum, et præsertim sibi commissorum, sic debet esse accensus, inquit Carthusianus, ut de eorum spirituali profectu magis quàm de omnibus mundi bonis gaudeat : unde S. Paulus : *Nunc vivimus*, inquit, *si vos statis in Domino*, 1 ad Thess. 3, v. 8 ; quasi non vivat, sed dolore exanimis fiat, quando contingit illos labi ; juxta illud : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* 2 ad Cor. 1, v. 29.

VERS. 5. — CHARISSIME, FIDELITER FACIS, operaris quod virum verè fidelem decet, qui ex operibus fidem suam ostendere debet, QUIDQUID OPERARIS IN FRATRES, quidquid operum misericordiæ exerces in *Christianos* ; ET HOC IN PEREGRINOS, et præsertim erga homines à patriâ suâ extorres, ignotos et egentes : in quo misericordia tua et fides per charitatem operans magis elucet. Loquitur autem maximè de peregrinis Verbi divini ministris, ut ex v. 7 et 8 colligitur.

VERS. 6. — QUI TESTIMONIUM REDDIDERUNT CHARITATI TUÆ, laudibus efferentes charitatem quâ eos excipere soles, non solùm liberaliter, sed hilariter ; dissimilis quibusdam qui *liberalitatem* et *dona* sua per tristitiam vultûs corrumpunt, aut obnubilant : *Non* enim *ex tristitiâ, aut ex necessitate*, sed *hilarem datorem diligit Deus*, 2 ad Cor. 9, v. 7. IN CONSPECTU ECCLESIÆ, in publico cœtu Ecclesiæ nostræ Ephesinæ, et quòcumque vadunt, illas charitatis et hospitalitatis tuæ laudes secum ferunt ; QUOS BENEFACIENS DEDUCES, *quos* peregrinos à te hospitio exceptos benefaciendo ipsis et liberalitatem tuam continuando, cùm à te discedent, deduces eos per te vel per *tuos* extra pericula itinerum, addito etiam viatico, ut commodè pervenire possint quò ire destinant ; tale enim officium humanitatis passim in Scripturis apostolicis significat verbum, *deducere* : *Ut vos me deducatis quòcumque iero*, 1 ad Cor. 16, v. 6. *Deducite Timotheum in pace, ut veniat ad me*, ibidem, v. 11. *Illi deducti ab Ecclesiâ pertransibant*, Act. 15, v. 3. *Zenam et Apollo sollicitè præmitte* (Græcè, *deduc*) *ut nihil illis desit*, ad Tit. 3, v. 13. DIGNÈ DEO, cujus ministri sunt, sive ut dignum est deducere eos qui Dei ministerio in prædicatione Evangelii funguntur. Vel certè *dignè Deo*, sicut Christum et Deum ipsum deducere dignum est : nam sicut Christus apostolis suis dixit : *Qui recipit vos, me recipit, et qui me recipit, recipit eum qui me misit*, Matth. 10, v. 40, ita qui Verbi divini prædicatores aut quoscumque Christianos peregrinos deducit, et viatico instruit, Christum et Deum ipsum deducit. Græcus hodiè ponit primo loco verbum, secundo participium, hoc modò : *Quos benefacies deducens dignè Deo*, sensu paulò clariore.

VERS. 7. — PRO NOMINE ENIM EJUS ; non enim ad mercaturam et negotia secularia, sed ad annuntiandam fidem nominis Christi Dei, PROFECTI SUNT, Græcè *exierunt*, ex patriâ suâ in ultroneum quasi exilium abierunt ; quales apostoli et 72 discipuli, qui ex Judeâ et Syriâ in Asiam, Achaiam, Græciam, etc., *inter gentes* ad *prædicandum Evangelium* dispersi sunt ; NIHIL ACCIPIENTES A GENTIBUS, necessaria vitæ à gentilibus ad fidem conversis recusantes passim accipere. Talis S. Paulus, qui apud Corinthios et in totâ Achaiâ, ubi Caius iste habitabat, ex opere manuum suarum victitabat, aut si quid deesset potiùs à Philippensibus, Thessalonicensibus, et aliis civitatibus Macedoniæ per fratres allata accipiebat, ne onerosus esset Corinthiis et Achaicis tenacioribus, et ne videretur Evangelium cauponari, *et lucri causâ* prædicare, sicut faciebant Corinthiorum pseudo-apostoli, ut fatetur 2 ad Cor. 12, v. 8, 9, 10, 12. Non est autem dubium quin propter easdem causas cæteri discipuli in illâ regione Paulum fuerint imitati. Quidam tamen aliter hunc locum interpretantur, et verba per hyperbaton sic ordinant : *Pro nomine enim ejus profecti sunt à gentibus nihil accipientes*, ita ut particula *à gentibus* cohæreat cum verbo *profecti sunt*, non cum participio *accipientes ;* idcòque non de Evangelii prædicatoribus specialiter loquatur, sed de gentilibus quibusdam ad fidem conversis, qui metu persecutionum ex gentibus infidelibus et ex patriâ suâ excesserint, nihil ex facultatibus suis secum auferentes quo vitam in exilio tolerarent : quam interpretationem Beda etiam non improbat. Sed priori magis favet quod sequitur.

VERS. 8. — NOS ERGO DEBEMUS SUSCIPERE, hospitio excipere, HUJUSMODI, tales pauperes Evangelii præcones. S. Joannes quamvis esset pauper, jungit se tamen divitibus in officio hospitalitatis, ut eos alacriores reddat, inquit Beda, qui etiam non dubitat quin labore manuum, ut S. Paulus, se et familiam suam et peregrinos adventantes sustentaverit. Carthusianus verò existimat *eum* fuisse *dispensatorem bonorum* Ecclesiæ quæ in pauperes conferebantur, cùm esset summus Asiæ præsul. UT COOPERATORES SIMUS VERITATIS, ut per hospitalitatem et subsidia temporalia collata pauperibus Evangelii ministris, cooperemur ipsis in

spirituali eorum ministerio, et mercedis ipsorum efficiamur participes : nam pauci sunt, inquit Beda, qui spiritualia prophetarum, evangelistarum et doctorum dona à Deo perceperunt, multi autem qui rebus temporalibus abundant : unde isti temporalia subministrando, debent donis et ministeriis spiritualibus pauperum evangelistarum se inserere, ut mercedem similem accipiant : *Qui* enim *recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet*, etc., Matth. 10, v. 41.

VERS. 9. — SCRIPSISSEM FORSITAN ECCLESIÆ ; non tibi soli onus hoc suscipiendi pauperes peregrinos commendàssem, sed scripsissem toti Ecclesiæ civitatis in quâ habitas, ut ex publicis eleemosynis sumptus illos facerent. *Forsitan*, non dubitationem, sed eventum contingentem significat, estque temperamentum verbi, inquit Hugo ; sic enim sancti verba sua temperare solent, ut non affirment certò eventurum quod facere certò decreverunt ; quia eventus pendet ex manu Dei. Græcus tamen hodiè : *Scripsi Ecclesiæ*, nuper scilicet et frustra. SED IS QUI AMAT PRIMATUM GERERE ; Græcè unicâ voce *primatizans* : qui primatum Ecclesiæ ambit, sicut illi qui episcopatum non ut prosint, sed ut præsint desiderant, nec onus, sed honorem tantùm esse existimant ; IN EIS, inter illos, affectans dominari in cleris ; DIOTREPHES, pseudo-apostolus ille, qui superbo nomine Diotrephes, hoc est, Jovis, seu Dei alumnus appellatur. Beda eum hæresiarcham fuisse putat : Dexter Bivarii ad annum Christi 70, fuisse episcopum Corinthi, et impedivisse hospites qui peregrinationis causâ in Hispaniam ibant, quasi tunc à principio Ecclesiæ peregrinatio ad S. Jacobum fuerit celebris ; vult enim corpus S. Jacobi ab anno Christi 42 ex Judæâ in Hispaniam translatum fuisse. NON RECIPIT NOS, in communionem et societatem, nec litteras nostras æstimat ; tanta enim erat superbia et impudentia istorum primorum hæreticorum, ut præferrent se apostolis Christi, à quibus acceperant Evangelium ; gentiles quidem prætextu humanæ philosophiæ, judaizantes prætextu legis Mosaicæ, quam Evangelio miscendam esse contendebant.

VERS. 10. — PROPTER HOC SI VENERO, in Achaiam ad vos. Inde patet quòd etiamsi S. Joan. Ephesi in Asiâ cum Virgine matre, ut plurimi existimant, plerùmque resideret, hùc tamen et illùc, ubi Evangelii et Ecclesiæ utilitas postulabat, discurrisse, et maria etiam trajecisse ; inter Asiam enim et Achaiam mare Ægæum interjacet ; COMMONEBO, in memoriam ei reducam, sive suggeram ei : quomodò interpres idem verbum Græcum vertit, Joan. 14, v. 26 ; EJUS OPERA, mala, ut inhospitalitatem, superbiam et maledicentiam, QUÆ FACIT, publicè : ideòque in faciem ei dicam, non ex privatâ vindictâ, sed quia in dedecus religionis et perniciem animarum vergunt. Fortassè etiam traditurus eum Satanæ, ut Paulus Hymenæum et Alexandrum, ut 1 ad Tim. 1, v. ult. ; aut percussurus eum cæcitate, ut Paulus idem Elymam Magum, Act. 13, v. 11, vel morte, ut Petrus Ananiam et Saphyram, Act. 5, v. 5 et 10 ; talem enim potestatem in principio Ecclesiæ dederat Christus apostolis suis in eos qui publicè ipsis resisterent, et præcepta contemnerent : talis enim rigor in initio necessarius Ecclesiæ videbatur, ut quos amor non ducebat, terror comprimeret. VERBIS MALIGNIS, maledictis et calumniis, GARRIENS IN NOS, nugaciter in nos deblaterans ; verbum enim Græcum propriè nugari significat ; nam calumnias quæ in viros probos jaciuntur, oportet æstimare tanquàm nugas et futiles garritus, quorum falsitatem et futilitatem tempus brevi revelabit. Poterat autem Diotrephes, si unus ex judaizantibus erat, ut aliqui existimant, garrire et calumniari S. Joannem, quòd legem Mosaicam et ejus auctorem Deum contemneret : si verò erat ex gentilium philosophis, dicere potuit quòd multa contra philosophiam et rationem naturalem, quam Deus animis hominum naturaliter insevit, prædicaret. ET QUASI NON EI ISTA SUFFICIANT ; Græcè : *Et non contentus in istis*, nec istâ in nos maledicentiâ contentus ; NEQUE IPSE SUSCIPIT FRATRES, Christianos peregrinos in domum suam ; ET EOS QUI SUSCIPIUNT, Græcè *et volentes* (nempe suscipere) PROHIBET, etiam sub pœnâ excommunicationis, ut indicat quod mox sequitur. Unde colligitur Diotrephen istum gessisse aliquam prælaturam in illâ Ecclesiâ : prælatorum enim est excommunicationem in subditos fulminare. ET DE ECCLESIA EJICIT, facto ipso, sed non jure ; nemo enim propter opus bonum potest validè excommunicari, cùm potestas illa sit prælatis Ecclesiæ data in ædificationem, non in destructionem, 2 ad Cor. 10, v. 8 ; et iterùm 2 ad Cor. 13, v. 10 : unde talis excommunicatio manifestum errorem continebat, ait Thomas Anglicus.

VERS. 11. — CHARISSIME, NOLI IMITARI MALUM, inhospitalitatem et mala opera istius Diotrephis, licèt fortè magnæ sit auctoritatis in Ecclesiâ civitatis tuæ ; SED QUOD BONUM EST ; in cujus boni imitationem mox Demetrium quemdam tanquàm exemplar ei proponet. QUI BENEFACIT EX DEO EST, natus est ex Deo secundùm gratiam et charitatem, ex quâ benè operatur, ut 1 Joan. 3, v. 6 et 10, similem sententiam exposuimus ; QUI MALEFACIT, NON VIDIT DEUM, non gerit se quasi per fidem unquàm cognoverit quàm suavis sit Dominus benefacientibus, et malefacientibus terribilis ; cognitio enim ejus non est practica et affectiva, cùm nihil inde resultet in affectum voluntatis : vitia enim oculos fidei obnubilant, ne Deum videat quantùm et quomodò videri debet.

VERS. 12. — DEMETRIO, concivi tuo christiano et opulento, et fortassè de clero illius civitatis in quâ Diotrephes et Caius habitabant, TESTIMONIUM, hospitalitatis et liberalitatis in peregrinos et pauperes, REDDITUR AB OMNIBUS, Christianis qui illùc vadunt, et hùc redeunt : aut etiam ab omnibus passim, etiam infidelibus qui eum nôrunt, inquit Œcumenius, quia opera misericordiæ externa in oculos etiam infidelium lucent, et ab iis laudantur : ideòque S. Paulus : *sine offensione*, inquit, *estote Judæis et gentibus, et Ecclesiæ Dei, sicut et ego per omnia omnibus placeo*, 1 ad Cor. 10, v. ult. ET AB IPSA VERITATE, nec homines falluntur in isto testimonio, sed ipsa rei veritas etiam subest, ac per

evidentiam idem testatur; SED ET NOS, experti aliquando ejus hospitalitatem et charitatem, TESTIMONIUM PERHIBEMUS, omnibus hominibus, quotiescumque sermo de eo incidit; ET NOSTI, Græcè, *et nôstis*, et tu ipse, ac cæteri Christiani qui in eâdem urbe cum Demetrio habitatis, probè nôstis, QUONIAM TESTIMONIUM NOSTRUM VERUM EST, quòd testimonium et laudes quas ei damus, veræ sint; aut, ut alii, nôsti me non esse mendacem, sed ex Spiritu veritatis, qui regit linguam et calamum apostolorum Christi, ea scribere quæ scribo. Sic in fine Evangelii sui totidem verbis loquens de seipso in tertiâ personâ ait: *Et scimus quia verum est testimonium ejus.* Tot autem hìc testibus confirmat Demetrii hospitalitatem et charitatem quâ ardebat et lucebat, non tantùm Corinthi, ubi habitâsse videtur, sed in longinquum, et usque in Asiam, ut ad imitationem et perseverantiam Caium magis accenderet. « Similes isti Demetrio prælatos et pastores in Ecclesiâ elegi oporteret, inquit Catharinus; pastorum enim est alios purgare, illuminare et perficere; quod ut præstare possint, ipsimet priùs purgati, illuminati et perfecti esse deberent, ac talis famæ quæ sanctum odorem spargat, quo pondus et auctoritatem addant verbo divino quod prædicant, aut prædicare debent. Sed contraria omnia fiunt, promoventur non virtutibus perfecti, sed parietes dealbati; succurre, Deus, Ecclesiæ tuæ, inquit, quia venit tempus miserendi ejus. » Talia deplorabat Catharinus circa initia hæresis Lutheranæ, quando major erat ecclesiasticorum et religiosorum quàm hodiè, Deo laus, dissolutio; sed multa tamen nobis adhuc ad perfectionem desunt, nec sumus quales esse deberemus.

VERS. 13. — MULTA HABUI TIBI SCRIBERE; excusat iterùm Epistolæ suæ brevitatem, sicut Epistolâ præcedenti, v. 12, ubi notavimus multa apostolos vivâ voce dixisse et disseruisse quæ non sunt mandata scriptis; ideòque non omnes traditiones agraphas respuendas esse, sicut sectarii nostri temporis faciunt; SED NOLUI PER ATRAMENTUM ET CALAMUM SCRIBERE TIBI; in præcedenti Epistolâ atramentum cum calamo ponit; unde omnia scriptionis instrumenta olim quæ hodiè fuisse videmus, nisi quòd calamis arundineis potiùs quàm avium pennis scriberent, ut ex Martiali probari potest.

VERS. 14. — SPERO AUTEM PROTINUS TE VIDERE; non videtur ergo in extremâ senectute hæc Epistola scripta à S. Joanne, sed in medio potiùs cursu Evangelii, quando adhuc ad longa itinera et mare ex Asiâ in Achaiam trajiciendum satis validus et vegetus erat. Deinde S. Paulus, cùm Corinthi ageret, Caio isto, ad quem scribit S. Joannes, hospite usus fuit circa annum Christi 58; non est autem verisimile eumdem Caium supervixisse usque ad extremam senectutem S. Joannis, quæ ad annum Christi 101 pervenit. ET OS AD OS, ore ad os, ut Epistolâ præcedenti, versu 12, exposuimus. LOQUEMUR; unde **inutile esset** multa tibi scribere, cùm omnia meliùs vivâ **voce** dicturi simus. PAX TIBI, sit in hâc et æternâ vitâ. Pax ista est tranquillitas mentis, et quies in Deo, quæ in hâc vitâ propter concupiscentiæ bellum perfecta omninò non est, donec *absorbeatur quod mortale est à vitâ*, 2 ad Corinth. 5, v. 4. Pacem autem loco salutis apprecari est mos Judæorum; unde etiam hodiè, quando quempiam salutant, dicere solent, שלום לך *scalom lecha*, id est, pax tibi. SALUTANT TE AMICI, qui hìc mecum sunt, quos licèt tanto terrarum et marium spatio separatos, amicitia tamen christianæ charitatis tibi conjungit. SALUTA, etiam vicissim, AMICOS, meos, et ipsorum qui ibi apud vos sunt, et quidem, NOMINATIM, non tantùm generatim sub nomine amicorum, sed expressis singulorum nominibus propriis, quæ longum esset ascribere, et pro expressis haberi volo; quod magni amoris et familiaritatis erga singulos est indicium. Tali affectu erat magnus ille Apostolus erga omnes etiam infimæ sortis Christianos; tali deberent etiam esse omnes prælati et pastores erga subditorum suorum minimos, et animas ipsorum; non corpus et vestem, aut paupertatem aspicere. Quidam existimant jussisse ut amici nominatim quidem à Caio salutarentur, sed noluisse in Epistolâ nomina eorum ascriberе, ne vel leviter offenderet eos qui in ordine aliis postponerentur; talis enim zelotypia et imperfectio animas etiam perfectorum interdùm urit et conturbat.

IN EPISTOLAM CATHOLICAM

B. JUDÆ APOSTOLI

Argumentum.

Beatus Judas Simonis, Jacobi Minoris, et Josephi Justi, sive Barsabæ, de quo mentio Actor. 1, v. 23, frater, hujus epistolæ est auctor. Ili quatuor fratres vocantur fratres Christi, Matth. 13, v. 55, id est, cognati; nam matrem eorum Mariam Cleophæ S. Joannes vocat B. Mariæ Virginis sororem, id est, cognatam, Joannis 19, v. 25. Eadem Maria Cleophæ, scilicet filia, vocatur etiam Maria Alphæi, scilicet uxor, et Maria Jacobi, scilicet mater. Judas noster à S. Matthæo et S. Marco nominatur Thaddæus, quasi Mammeus; nam *ted* Syro-Chaldaicè mammam significat; quo modo adhuc hodiè mammam appellant Galli.

Græcus textus Matth. 10, v. 3, Judam vocat Lebbæum, id est, cordatum : לבב *leb* enim Hebraicè cor significat.

De auctoritate hujus Epistolæ olim à quibusdam dubitatum est, quia de libro Enoch apocrypho sumit testimonium, ait S. Hieronymus. Sed à pluribus, et jampridem à conciliis variis et totâ Ecclesiâ in canonem recepta est. Unde malè Cajetanus dicit eam esse minoris auctoritatis quàm sint certæ Scripturæ sacræ, quasi adhuc auctoritas ejus sit incerta.

Plerasque autem suas sententias et dogmata ex 2 Pet. 2 sumpsisse videtur; speciali enim familiaritate S. Petro Judam adhæsisse apparet, si verum est quod Dexter Bivarii narrat, eum S. Petri comitem fuisse in Hispaniam. Sed Mariana etiam Hispanus, et plures alii negant S. Petrum unquàm vidisse Hispaniam; deinde provincia quæ S. Judæ ad prædicandum Evangelium obtigit, non fuit Hispania in Occidente, sed Mesopotamia et Persia in opposito planè Oriente, ut Martyrologium Romanum testatur.

Argumentum Epistolæ est fermè idem quod cæterarum Epistolarum catholicarum Jacobi, Petri, et Joannis, nempe fidem sine operibus non sufficere ad salutem, contra Simonianos, Nicolaitas et Gnosticos, primos nascentis Ecclesiæ hæreticos, qui ex quibusdam S. Pauli subobscuris sententiis, sicut illa : *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis*, ad Rom. 3, v. 28, occasionem acceperant, ut tanquàm securi de salute quæ in fide est, benè vivere non curarent, inquit S. Aug., cap. 14 de Fide et Operibus, de illis hæreticis interpretans illud 2 Pet. 3, v. 16 : In Epistolis charissimi fratris nostri Pauli *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.*

IN EPISTOLAM CATHOLICAM
B. JUDÆ APOSTOLI
COMMENTARIA.

CAPUT UNICUM.

1. Judas, Jesu Christi servus, frater autem Jacobi, his qui sunt in Deo Patre dilectis, et Christo Jesu conservatis, et vocatis;

2. Misericordia vobis, et pax et charitas adimpleatur.

3. Charissimi, omnem sollicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestrâ salute, necesse habui scribere vobis; deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei.

4. Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc judicium) impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum Dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negantes.

5. Commonere autem vos volo, scientes semel omnia quoniam Jesus populum de terrâ Ægypti salvans, secundò eos qui non crediderunt, perdidit;

6. Angelos verò, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit;

7. Sicut Sodoma, et Gomorrha, et finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, et abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum ignis æterni, pœnam sustinentes.

8. Similiter et hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant.

9. Cùm Michael archangelus cum diabolo disputans

CHAPITRE UNIQUE.

1. Jude, serviteur de Jésus-Christ, et frère de Jacques, à ceux que Dieu le Père a aimés, et que Jésus-Christ a conservés par sa vocation :

2. Que la miséricorde, la paix et la charité s'augmentent en vous de plus en plus.

3. Mes bien-aimés, ayant toujours souhaité avec une grande ardeur de vous écrire touchant le salut qui nous est commun, je m'y trouve maintenant obligé par nécessité, pour vous exhorter à combattre pour la foi, qui a été une foi laissée par tradition aux saints.

4. Car il s'est glissé parmi vous certaines gens dont il avait été prédit il y a longtemps qu'ils tomberaient dans ce jugement : gens impies, qui changent la grâce de notre Dieu en une licence de dissolution, et qui renoncent Jésus-Christ, notre unique maître, notre Dieu, et notre Seigneur.

5. Or je veux vous faire souvenir de ce qu'autrefois sans doute vous aurez appris, qu'après que le Seigneur Jésus eut sauvé le peuple d'Israël, en le retirant de l'Egypte, il fit périr ensuite ceux qui furent incrédules.

6. Et qu'il retient liés de chaînes éternelles dans de profondes ténèbres, et qu'il réserve pour le jugement du grand jour les anges qui n'ont pas conservé leur première dignité, mais qui ont quitté leur propre demeure :

7. Et que de même Sodome et Gomorrhe, et les villes voisines qui s'étaient débordées comme elles dans les excès d'impureté et s'étaient portées à abuser d'une chair étrangère, sont devenues un exemple du feu éternel par la peine qu'elles ont soufferte.

8. Après cela néanmoins, ces hommes souillent la chair par de semblables corruptions, et ils méprisent la domination, et maudissent ceux qui sont élevés en dignité.

9. Cependant l'archange Michel, dans la contesta-

altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ; sed dixit: Imperet tibi Dominus.

10. Hi autem, quæcumque quidem ignorant, blasphemant; quæcumque autem naturaliter, tanquàm muta animalia, nôrunt, in his corrumpuntur.

11. Væ illis, quia in viâ Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt.

12. Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aquâ, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ,

13. Fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia: quibus procella tenebrarum servata est in æternum.

14. Prophetavit autem et de his septimus ab Adam Henoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis,

15. Facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, et de omnibus duris quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii.

16. Hi sunt murmuratores querulosi, secundùm desideria sua ambulantes, et os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstûs causâ.

17. Vos autem, charissimi, memores estote verborum quæ prædicta sunt ab apostolis Domini nostri Jesu Christi,

18. Qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus.

19. Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes.

20. Vos autem, charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu sancto orantes,

21. Vosmetipsos in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam.

22. Et hos quidem arguite judicatos;

23. Illos verò salvate, de igne rapientes. Aliis autem miseremini in timore; odientes et eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.

24. Ei autem qui potens est vos conservare sine peccato, et constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione in adventu Domini nostri Jesu Christi.

25. Soli Deo Salvatori nostro per Jesum Christum Dominum nostrum, gloria et magnificentia, imperium et potestas ante omne seculum, et nunc, et in omnia secula seculorum. Amen.

tion qu'il eut avec le diable touchant le corps de Moïse, n'osa le condamner avec exécration; mais il se contenta de dire: Que le Seigneur te réprime.

10. Au lieu que ceux-ci condamnent avec exécration tout ce qu'ils ignorent, et se corrompent en tout ce qu'ils connaissent naturellement, comme les bêtes irraisonnables.

11. Malheur sur eux, parce qu'ils suivent la voie de Caïn, et qu'étant trompés comme Balaam, et emportés par le désir du gain, ils s'abandonnent au dérèglement, et qu'imitant la rébellion de Coré, ils périront comme lui.

12. Ces hommes-là sont le déshonneur des festins de charité, lorsqu'ils y mangent avec vous sans aucune retenue: ils n'ont soin que de se nourrir eux-mêmes; ce sont des nuées sans eau, que le vent emporte çà et là; ce sont des arbres qui ne fleurissent qu'en automne, des arbres stériles, doublement morts et déracinés.

13. Ce sont des vagues furieuses de la mer, d'où sortent, comme une écume sale, leurs infamies: ce sont des étoiles errantes, auxquelles une tempête noire et ténébreuse est réservée pour l'éternité.

14. C'est d'eux qu'Hénoch, qui a été le septième depuis Adam, a prophétisé en ces termes: Voilà le Seigneur qui va venir avec une multitude innombrable de ses saints,

15. Pour exercer son jugement sur tous les hommes, et pour convaincre tous les impies de toutes les actions d'impiété qu'ils ont commises, et de toutes les paroles injurieuses que ces pécheurs impies ont proférées contre lui.

16. Ce sont des murmurateurs qui se plaignent sans cesse, qui suivent leurs passions, dont les discours sont pleins de faste et de vanité, et qui se rendent admirateurs des personnes, selon qu'il est utile pour leur intérêt.

17. Mais pour vous, mes bien-aimés, souvenez-vous de ce qui a été prédit par les apôtres de notre Seigneur Jésus-Christ,

18. Qui vous disaient qu'aux derniers temps il s'élèverait des imposteurs, qui suivraient leurs passions déréglées et pleines d'impiétés.

19. Ce sont des hommes qui se séparent eux-mêmes, hommes sensuels qui n'ont point l'Esprit de Dieu.

20. Mais vous, mes bien-aimés, vous élevant vous-mêmes comme un édifice spirituel sur le fondement de votre très-sainte foi, et priant par le Saint-Esprit,

21. Conservez-vous en l'amour de Dieu, attendant la miséricorde de notre Seigneur Jésus-Christ pour avoir la vie éternelle.

22. Reprenez ceux-ci après les avoir convaincus;

23. Sauvez ceux-là, en les tirant du feu. Ayez compassion des autres, en craignant pour vous-mêmes: et haïssez comme un vêtement souillé tout ce qui tient de la corruption de la chair.

24. A celui qui est puissant pour vous conserver sans péché, et pour vous faire comparaître devant le trône de sa gloire purs et sans tache, et dans un ravissement de joie, à l'avénement de notre Seigneur Jésus-Christ;

25. A Dieu seul notre Sauveur par notre Seigneur Jésus-Christ, gloire et magnificence, empire et force, avant tous les siècles, et maintenant, et dans tous les siècles des siècles. Amen.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Judas. Hebraicè dicitur quasi filius confessionis, seu laudis: unde Lia mater primi patriarchæ Judæ filio suo nomen Judæ imponens dixit: *Modò confitebor Domino, et ob hoc vocavit eum Judam*, Genes. 29, v. ult. Jesu Christi servus, in ministerio et munere evangelico. Non apostolum, sed servum Jesu Christi se nominat; humilitatem Jacobi fratris sui imitatus, qui Epistolam suam eodem modo incipit. Fratrem autem Jacobi, minoris, episcopi Jerosolymitani. Nomen autem fratris sui exprimit ut doctrinam

suam commendabiliorem redderet, inquit Œcumenius, quia Jacobus celeberrimus et maximæ auctoritatis erat, nec Judas moribus et doctrinâ poterat videri dissimilis, cui sanguine tam esset conjunctus. Ideò autem Jacobus tam celebris et omnibus præsertim Judæis et proselytis notissimus erat, quia ex toto orbe terrarum singulis annis multi Jerosolymam ad celebritatem paschalem, Pentecostes, et Tabernaculorum confluebant : unde ad eos excipiendum, et rudimenta fidei christianæ instillanda iis qui audire vellent, judicaverant apostoli necessarium esse ut aliquis ipsorum sedem figeret Jerosolymæ. His QUI SUNT IN DEO PATRE DILECTIS ; iis scribo qui per Deum Patrem sunt ab æterno dilecti et electi è massâ damnationis : præcipua enim cura apostolorum et evangelizantium est fidem dilectis et electis à Deo Patre annuntiare, et executioni divinæ prædestinationis, quâ trajiciuntur in vitam æternam, cooperari : minor autem de reprobis sollicitudo, quos sciebant nullâ ratione eòusque perducendos esse : unde Petrus solis *electis Ponti, Galatiæ*, etc., scribit 1 Pet. 1, vers. 1 ; et Paulus dicit se *omnia sustinere propter electos, ut salutem consequantur cum glorià cœlesti*, 2 ad Tim. 2, v. 10. Græcus tamen hodiè non *dilectis*, sed *sanctificatis* legit, quo significatur non æterna dilectio, sed sanctificatio per gratiam, quæ in tempore fit : sed Œcumenius legit *dilectis*, sicut noster interpres. ET CHRISTO JESU CONSERVATIS, à patre, qui segregavit eos à massâ damnationis, et conservavit ne perirent cum cæterâ massâ, sed traderet eos Filio suo Christo per merita passionis ejus ad vitam æternam perducendos : unde Filius ipse ad Patrem de iis loquens : *Manifestavi*, inquit, *nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo : tui erant, et mihi eos dedisti*, Joan. 17, v. 6. ET VOCATIS, et ideò per Christum et apostolos ejus ad fidem christianam vocatis : quia enim ab æterno dilecti, et Christo à Patre servati, ideò in tempore ad fidem et gratias efficaces vocantur, per quas infallibiliter in vitam æternam trajiciuntur. Hinc patet quàm magnifica sit hæc electorum salutatio : cui similem S. Paulus in omnibus suis Epistolis nullam habet, nisi ad Rom. 1, v. 7, ubi ait se scribere *dilectis Dei, vocatis sanctis ;* sed S. Judas insuper addit dependentiam quam habent à Christo, cùm dicit eos *Christo Jesu conservatos* esse. Quia verò Græcus sine conjunctione *et* legit *vocatis*, multi sic vertunt et verba ordinant : *Judas*, etc., *vocatis in Deo Patre dilectis et Jesu Christo conservatis*, ut à temporali vocatione sursùm ascendatur ad æternam dilectionem et conservationem.

VERS. 2. — MISERICORDIA VOBIS, divinæ misericordiæ dona, quæ benignitas Dei effundit in homines miseros, duobus peccati originalis vulneribus, ignorantiâ intellectûs, et infirmitate voluntatis, laborantes ; ET PAX, quâ peccatores et inimici Deo reconciliantur ; ET CHARITAS, quâ post pacem cum Deo reconciliatam in omni opere eum diligatis, euntes quotidiè de virtute in virtutem, progressu *fidei, quæ per charitatem operatur*, ad Galat. 5, v. 6. *Pax* ergo, quâ peccator in justificatione Deo reconciliatur, et *charitas*, quâ justificatus per bona opera impulsu charitatis facta in justitiâ crescit, sunt duo effectus misericordiæ. Unde *pax* et *charitas* distinctè explicant quod in *misericordiâ* confusè continebatur. ADIMPLEATUR, multiplicetur et crescat : unde idem verbum Græcum nunc *multiplicare*, ut Act. 6, v. 7 ; nunc *crescere*, ut Act. 6, v. 1 ; nunc *abundare*, ut Matth. 24, v. 12, vertit noster interpres.

VERS. 3. — CHARISSIMI, OMNEM SOLLICITUDINEM FACIENS, cùm aliàs magnam faciam diligentiam, et valdè sollicitus sim, SCRIBENDI VOBIS, ut scribam vobis. Hinc colligere licet S. Judam scribere Christianis sibi notis, quibus frequenter antea scribere sit solitus, quos fortassè in fide erudierat, adeòque per Mesopotamiam, Persiam, cæterasque Orientis regiones, ubi Evangelium prædicaverat, erant dispersi. DE COMMUNI VESTRA SALUTE ; Græcus omittit *vestrâ*, ut Apostolus significet se de communi suâ ac illorum salute esse sollicitum : quæ communicatio longè gratior est dùm cogitant salutem et dona spiritualia sibi cum sanctis Christi Apostolis esse communia ; NECESSE HABUI (hâc tamen vice) SCRIBERE VOBIS, unde hanc Epistolam non tantùm communis sollicitudo et propensio erga vos, sed necessitas expressit : quam necessitatem versu sequenti exponet ; DEPRECANS ; alii vertunt *adhortans*, et verbum Græcum utrumque significat ; SUPERCERTARI, à vobis, sive ut vos viriliter certetis et pugnetis, armis nempe spiritualibus, quæ sunt *loricæ justitiæ, scutum fidei, galea salutis, gladius spiritûs, quod est verbum Dei*, quæ enumerat S. Paulus ad Ephes. 6, v. 14, 15, etc. ; SEMEL TRADITÆ, à Christo, et deinde per nos apostolos ejus propagatæ, SANCTIS, Ecclesiæ fidelibus, qui per fidem sancti sunt, aut sanctitatis candidati : fides enim est sanctitatis et justitiæ principium ac fundamentum ; FIDEI, christianæ. Vox *fidei* hoc loco est dativi casûs, ut ex Græco patet. Sensus ergo et ordo verborum est : *Deprecans ut supercertetis fidei semel traditæ sanctis. Supercertare fidei*, Græca phrasi, quam interpres retinuit, est certare super fide, seu pro fide et causâ fidei : hanc enim vim præpositio Græca, ἐπὶ, id est, *super*, juncta dativo habet. Ex ignorantiâ hujus phrasis Græcæ Hugo, Thomas Anglicus, et alii varias interpretationes excogitârunt à mente Apostoli alienas.

VERS. 4. — SUBINTROIERUNT ENIM QUIDAM HOMINES ; occultè et furtim irrepserunt in societatem fidelium sub prætextu religionis quidam hæresiarchæ. Et hæc est necessitas quâ se compulsum fuisse ad scribendum dixit, periculum nempe quod ipsis imminebat à falsis istis prophetis. QUI OLIM, non tantùm nuper à Christo et apostolis, ut Matth. 24, v. 24 ; 2 Pet. 2, v. 1 ; 2 ad Timoth. 3, v. 2 ; sed etiam olim tempore veteris Testamenti ; PRÆSCRIPTI SUNT, id est, antea descripti et præfigurati sunt : ne nimis admiremini, et putetis sine divinâ providentiâ talia jam evenire : nam pseudoprophetæ Judæorum figuræ hæreticorum novi Testamenti fuerunt ; et qui post exitum ex Ægypto, et transitum maris Rubri propter rebellionem in Moysen et Deum pericrunt in deserto, hæreticos nostri temporis præfi-

gurârunt, qui fide imbuti et aquis baptismi à peccatis abluti deficiunt à fide et in æternum pereunt. In hoc JUDICIUM, quod Deus in eos exercet in hoc et futuro seculo : hìc enim propter superbiam, libidinem, aut gravia peccata, sinit eos in hæresim labi, et deinde in damnationem æternam incidere. Quidam *olim præscripti sunt*, interpretantur ab æterno descripti inter reprobos in libro mortis, sicut electi descripti dicuntur in libro vitæ, non uno tamen eodemque modo : nam prævisio peccati scriptionem in libro mortis antecedit; prævisio boni operis scriptionem in libro vitæ sequitur : falsum enim et impium est quod Beda hìc ait, sic decretam et sancitam à Deo esse ab æterno reproborum condemnationem, ut decretum istud et scriptio in libro mortis omnes causas ordine antegrediatur; si enim ordine prævisionem peccati antegreditur, Deus gratis et sine causâ hominem damnat, et in creaturam suam tyrannidem exercet, quidquid Beza et Calvinistæ factum istud Dei conentur excusare. Impii, à pietate et charitate Creatoris aversi, et amore perverso ad seipsos conversi; Dei nostri GRATIAM; Evangelium et doctrinam legis novæ; loquitur enim magis de gratiâ æternâ quæ auribus excipitur, quàm de internâ quæ cordi infunditur; TRANSFERENTES IN LUXURIAM, perversâ libertatis evangelicæ interpretatione putantes se gulæ et libidinibus posse licitè indulgere, quia Christus eos à servitute legis liberavit; cùm tamen non à servitute legis naturæ, sed à jugo concupiscentiæ carnalis per gratiam suam nos liberet, ut gulæ et libidinibus resistere valeamus. Tales in principio Ecclesiæ erant hæresiarchæ Simon, Nicolaus, Cerinthus, Ebion, Valentinus, ad quos alludens etiam S. Petrus : *Quasi liberi*, inquit, *non quasi velamen malitiæ habentes libertatem*, 1 Pet. 2, v. 16. Talis postea Jovinianus de monacho factus cupediarius, ait S. Hieronymus, cujus hæresim irridens : *Quis non libenter audiat*, inquit, *manducemus et bibamus et in æternum regnabimus?* Idem Luthero et Calvino dici potest, qui licèt bona opera interdùm prædicent, et unâ manu astruant; alterâ tamen destruunt quando docent gratiam baptismi semel susceptam nullis flagitiis et criminibus posse amitti, sed tanquàm ignem sub cineribus permanere, et tandem ad vitam æternam perducere. Et SOLUM DOMINATOREM; Græcè : *Solum dominatorem Deum*. Alii vertunt *solum herum* quia vox Græca δεσπότης significat dominatorem in familiâ, estque correlativum servi : licet frequenter latiùs accipiatur. Dicitur autem Christus solus dominator, non excludendo Patrem et Spiritum sanctum, quia regula apud theologos est quòd dictio exclusiva adjuncta tam essentialibus sanctissimæ Trinitatis quàm relativis communibus ad extra, aliam personam non excludat : dominator autem et dominus, creator, gubernator, etc., sunt relativa ad extra toti Trinitati communia. Et DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM; Dominus, Græcè κύριος, non tantùm relationem ad servum, sed potestatem jurisdictionis et legislativam quâ regnum gubernatur significat : unde S. Judas dominatorem, seu herum, et dominum hìc distinguit; NEGANTES; nam hæretici illi credebant Christum esse purum hominem, non Deum, Dominum et dominatorem universi : unde hìc locus plurimùm valet contra Arianos; ut proinde malè Erasmus, et quidam alii *dominatorem Deum* referant ad Patrem, non ad Christum : est enim in Græco unicus in principio ante vocem *solum* articulus, qui omnia nomina sequentia afficit; quod signum est omnia de eodem Christo dici. Unde sic verti potest : *Illum, qui solus est Dominator Deus et Dominus noster, Jesum Christum negantes*, ubi tam *Dominator Deus*, quàm *Dominus noster*, Christo attribuuntur.

VERS. 5. — COMMONERE AUTEM VOS VOLO, in memoriam vobis revocare volo exempla quædam temporum præteritorum; SCIENTES SEMEL OMNIA, licèt ista, et omnia necessaria ad salutem probè sciatis, ex doctrinâ fidei semel et universim ab initio vestræ conversionis vobis traditâ, nec necesse sit vos audire à nobis magistris tanquàm sanctiora, inquit Beda; QUONIAM JESUS, Græcè *Dominus*, quomodò propriè in novo Testamento Christus appellatur, quia pretio sui sanguinis tanquàm servos nos emit : unde ut interpres indicaret quis esset ille Dominus, vertit *Jesus*. Malè ergo quidam hìc intelligunt Josue filium Nun, quem septuaginta Interpretes Jesum filium Nave appellant : nam non ipsius, sed Moysis ministerio, Deus filios Israel eduxit ex Ægypto. POPULUM (Israeliticum) DE TERRA ÆGYPTI, ex servitute Ægyptiacâ, SALVANS; Græcè *cùm salvâsset*, educendo eos per mare Rubrum, et submergendo hostes qui eos in servitutem retrahere volebant, Exod. 14. Hinc patet Deum qui Moysi loquebatur, et per ipsum Israelitas ex Ægypto liberavit, fuisse Jesum Christum Dominum nostrum, sive angelum illum Moysi familiarem gessisse personam Christi potiùs quàm alterius personæ SS. Trinitatis : ut proinde Christus, interprete hìc Didymo, meritò dixerit : *Moyses de me scripsit*, Joannis 5, v. 46; quanquàm S. Augustinus, lib. 16, cap. 22, contra Faustum, verba ista Christi ad universam librorum Moysis historiam extendat, in quâ sub veteris Testamenti figuris gratiæ Christi et novi Testamenti mysteria describit. Sicut autem Christus verè dixit : *Antequàm Abraham fieret, ego sum*, Joan. 8, v. 58, propter personam suam divinam quæ fuit ab æterno; ita propter eamdem personæ divinitatem salvavit olim populum de Ægypto. Salus autem et liberatio ista ex servitute Ægypti typus fuit majoris liberationis quâ idem Salvator in corpore assumpto genus humanum ex servitute diaboli ereptum salute et felicitate æternâ erat salvaturus. SECUNDO, postea ac secundâ vice, EOS QUI NON CREDIDERUNT, Deo ac Moysi promissiones divinas eis annuntianti, PERDIDIT, vario genere mortis affecit in deserto : omnes enim qui in egressu ex Ægypto numerati fuerant à viginti annis et supra, præter Josue et Caleb, cædibus aut morbis interfecti sunt, ne terram promissionis intrarent, Num. 14, v. 29, etc.; aliquos enim ignis absumpsit, Num. 11, v. 1; alios terra devoravit, Num. 16, v. 31; etc. Hoc autem exemplo tacitè eos monet S. Judas quòd simili modo qui per ba-

ptismum tanquàm per medias maris undas perveniunt in desertum, id est, vitam ab omnibus vitiis secretam agere cœperunt, ut interpretatur Beda, æternâ tamen morte à Deo interficiendi, nec ad promissam regni patriam perventuri sint, si à fide deviando, vel malè agendo, in Ægyptum corde revertantur : quod et altero exemplo jam demonstrat.

VERS. 6. — ANGELOS VERÒ ; tam severa enim est Dei justitia, ut nobilissimis etiam illis creaturis peccantibus non parcat ; QUI NON SERVAVERUNT, cùm tam facilè potuissent, quia Deus creans naturam largitus etiam fuerat gratiam quâ possent SUUM PRINCIPATUM, dignitatem et eminentiam gradûs, ad quam eorum natura per supernaturales dotes evecta fuerat : unde de Lucifero rebellium istorum angelorum principe sub typo regis Tyri dicitur : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti, in medio lapidum ignitorum ambulâsti, perfectus in vitiis tuis à die conditionis tuæ*, Ezech. 28, v. 12, etc. Erasmus et alii vertunt : *Non servaverunt suam originem*, id est, justitiam et dignitatem suam originalem, in quâ à primâ origine conditi et creati fuerant. SED DERELIQUERUNT, peccando et superbiendo adversùs Deum relinquere coacti sunt, rudentibus inferni inde detracti in tartarum, ut loquitur S. Petrus, 2 Pet. 2, v. 4 ; et de Lucifero sub typo regis Babylonis : *Detracta est ad inferos superbia tua*, ait Isai. 14, v. 11. DOMICILIUM SUUM, Græcè, *domicilium proprium*, conveniens naturæ suæ, quæ sicut toti naturæ corporeæ præsidet, ita in supremo cœlo creari debuit, ut S. Thomas, 1 part. quæst. 61, art. 4 ; et scholastici communiter docent : quod etiam indicari videtur Ezechiel. 28, vers. 13 et 14, ubi regem Tyri, id est, typicè Luciferum, alloquens ait : *In deliciis paradisi fuisti, et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulâsti*. Nec videtur magnum inconveniens si angeli mali peccâsse dicantur in cœlo empyreo, cùm etiam Adamus peccaverit in paradiso. S. Augustinus tamen, lib. 3, cap. 10, de Genesi, dubitat ; et angelos malos ante transgressionem ait fortassè in superiori parte aeris in confinio cœli luminosi habitâsse : quæ videtur etiam sententia S. Hieronymi explicantis illud : *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum*, Isa. 14, v. 13. Vicina quoque est opinio Innocentii III, et ex recentioribus Lorini et Suarez, qui omnes angelos bonos et malos in cœlis sydereis infra empyreum creatos fuisse existimant ; sicut Adam extra paradisum formatus, et postea in paradisum translatus est. IN JUDICIUM MAGNI DIEI, ut judicentur et condemnentur, quando Christus in fine seculi homines et angelos judicaturus est : qui dies magnus et celeberrimus erit omnium creaturarum rationalium ante idem tribunal comparitione ; VINCULIS ÆTERNIS, omnipotentiâ Dei eos ligante tanquàm vinculis indissolubilibus, ac in æternum duraturis : licèt enim dæmones in extremo judicio comparituri, absolvendi sint tantisper à loco inferni, ubi antea reclusi erant, et jam etiam aliqui per aerem vagentur non alligati actualiter igni gehennali, ut ait S. Th., 1 part., q. 64, art. 4, ad 3 ; secum tamen ferunt vincula pœnarum, et ambulant in catenis obligationis, quâ mox in tartara retrahendi sunt ; SUB CALIGINE, infernali : licèt enim ibi sit ignis, fumo tamen et caligine involutus est ; ideòque S. Basilius πῦρ ἀλαμπὲς, id est, ignem sine luce appellat ; RESERVAVIT : Aliqui enim dæmones usque ad diem judicii sub illâ caligine ligati, in quam omnes omninò post primum eorum peccatum præcipitati sunt, reservantur ; etiamsi jam per dispensationem, ut loquitur S. Th., quidam per aerem hunc caliginosum ad exercitationem electorum et supplicium reproborum vagari sinantur. Vide quæ de eâdem re dicuntur, 2 Pet. 2, v. 4. Hoc igitur secundo exemplo severitatis Christi hæreticos terret S. Judas : si enim angelis, creaturis naturæ et gratiæ dotibus nobilissimis, non pepercit, nec hominibus superbis parcet, qui suum principatum, id est, gratiam adoptionis filiorum Dei, non servaverunt, et domicilium suum, id est, Ecclesiæ unitatem, inquit Beda, dereliquerunt.

VERS. 7. — SICUT SODOMA ET GOMORRHA, quæ erant duæ præcipuæ civitates Pentapoleos, sive circuli quinque civitatum in amœnissimâ parte Terræ Sanctæ, ubi jam est mare Mortuum in finibus sortis tribûs Judæ, ut 2 Pet. 2, v. 6, diximus ; ET FINITIMÆ CIVITATES, nempe Adama et Seboim, Deut. 29, v. 23. Græcè : *Et circa eas, civitates ;* aliæ civitates minores, quæ in circulo illo Pentapoleos Sodomam et Gomorrham circumdabant, ut filiæ suas matres, sive metropoles, more loquendi Scripturæ, quæ oppida minora et vicos majorum urbium appendices filias earum vocare solet, ut Mach. 5, v. 8, v. 65, etc. Licèt autem Scriptura quinque tantùm civitatum meminerit, Sodomæ, Gomorrhæ, Adamæ, Seboim, et Segor ; Strabo tamen tredecim olim fuisse commemorat. SIMILI MODO, sicut Sodoma et Gomorrha, EXFORNICATÆ, extra modum à naturâ institutum fornicatæ, ut masculus cum masculo, femina cum feminâ ; cùm fornicatio masculi cum feminâ naturalis sit ; ideòque longè minùs peccatum quàm sodomia ET ABEUNTES, affectu cordis, et pedibus corporis ad satiandam libidinem suam nefandam currentes, POST CARNEM ALTERAM, aliam quàm natura ad generationem prolis instituerit ; sive post carnem alienam à naturali concubitu ; qualis est quando masculus post masculum currit, sicut Sodomitæ post angelos, quos adolescentes masculos esse credebant, Genes. 19, v. 4. FACTÆ SUNT EXEMPLUM ; Græcè : *Propositæ sunt exemplum ;* toti posteritati propositæ sunt in exemplar et typum quemdam ; in quo tanquàm in imagine omnes exfornicatores et impii viderent pœnas æternas quas postea sustinebunt in inferno : unde addit : IGNIS ÆTERNI (in imagine et typo) PŒNAM SUSTINENTES ; ignis enim et pluvia sulphurea quâ Sodomitæ absumpti sunt, fuerunt imago et typus æternarum inferni pœnarum quas in stagno ignis et sulphuris impii sustinebunt, Apocal. 20, v. 9. Cajetanus ignem Sodomæ et Gomorrhæ *æternum* dici putat, non quia sit imago ignis æterni infernalis, sed quia combustio terræ Sodomorum, inquit, usque ad

finem mundi permanebit : quod tamen incertum est, quia tractus ille maris Mortui non est hodiè tam fœdus et ambustus quàm veteres historiæ narrant, ut 2 Pet. 2, v. 4, ex relatione eorum qui in Terram Sanctam nuper peregrinati sunt, retulimus.

VERS. 8. — SIMILITER ET HI, Simoniani et Nicolaitæ similes Sodomitis, et iis deteriores, quia Sodomitæ sine fide, et sine Deo, isti verò post susceptam fidei et baptismi gratiam talia perpetrant. Græcus addit *sopiti*, vel, ut alii vertunt, *somniantes*. Similes sopitis et somniantibus, in quibus ratio honesti dormit, sed omnia cogitant et operantur secundùm instinctum imaginationis et appetitûs animalis, ut bruta animantia. Gagnæus verò, et quidam alii hoc verbum sic interpretantur, quasi non suffecerit illis hæreticis tempore diurno et vigiliæ in suis turpitudinibus volutari, sed etiam procurâsse ut tempore somnii polluerentur : erant enim spurcissimi et perditissimi homines ; unde ut sine pudore etiam talia perpetrarent, dicebant quædam mysteria rerum divinarum sub illis turpitudinibus latere : turpia enim vehementer turpia faciunt quasi mystico modo qui Simonis Magi sectam sequuntur, ait Didymus : isti enim erant de quibus S. Paulus ait : *Quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere*, ad Eph. 5, v. 12 : unde Borboritæ, id est, lutosi et sordidi, cognominati sunt. CARNEM QUIDEM MACULANT, id est, non tantùm animam, sed etiam carnem et corpus suum omni libidinum fœditate conspurcant ; nam : *Qui fornicatur, in corpus suum peccat*, ait Apost. 1 ad Cor. 6, v. 18; DOMINATIONEM AUTEM SPERNUNT, id est, eos qui dominium jurisdictionis, et regimen super ipsos, sive in Ecclesiâ, sive in seculo habent, et Deum ipsum in suis ministris contemnunt : unde sicut libidine similes sunt Sodomitis, ita superbiâ et superiorum contemptu similes Lucifero et angelis contra Deum se elevantibus, qui ideò principatu et domicilio suo ejecti sunt, ut ante dixit ; MAJESTATEM AUTEM BLASPHEMANT, id est, maledicunt quidquid in Ecclesiâ vel seculo magnum et gloriosum est. Similem etiam superbiam in sectariis nostri temporis, præcipuè Calvinistis hodiè est advertere, qui reges et principes non tantùm maledictis proscindunt, sed etiam regnis et principatibus, quando possunt, eos exuunt, et regimen monarchicum, aut aristocraticum in democraticum convertere ubique nituntur, ut plebs et populi fex non à capite aliquo illustriori, sed à seipsâ regatur : sicut in Belgio, Angliâ, Germaniâ, Gallià, multis exemplis ostendi potest, unde non de nihilo quidam existimant hæreticorum nostri temporis figuram gessisse locustas istas infernales, super quarum capita erant coronæ similes auro, Apoc. 9, v. 7 ; in regimine enim democratico, ubi plebs regit et regnat, singuli de plebe coronas aureas tanquàm reges in capite gestare videntur.

VERS. 9. — CUM MICHAEL ARCHANGELUS, ille qui populo Israelitico ex terrâ Ægypti in terram promissionis dux fuit, et cum Moyse loquebatur in personâ Dei. An verò iste Michael fuerit archangelus ex supremo ordine seraphinorum, et omnium angelorum princeps, controvertunt valdè theologi. Aliqui id affirmant, et multis argumentis in 2, dist. 10, probare nititur Estius : nam Michael qui olim princeps militiæ cœlestis, Apoc. 12, v. 7, pugnavit cum dracone Lucifero, exclamans : *Quis ut Deus?* (unde et nomen Michaelis accepit) omnium ferè consensu putatur fuisse supremus seraphinorum qui in veritate steterunt : nihil enim probabilius cogitari potest quàm adversùs Luciferum, qui erat ex ordine seraphinorum, alterum seraphinum pro zelando honore conditoris surrexisse, et cæteris angelis bonis ducem in hoc bello se præbuisse. Verùm S. Dionysius, S. Thomas, et plurimi negant hunc supremum angelum, primæ illius militiæ cœlestis ducem, fuisse olim custodem et rectorem Synagogæ ; sed alium ex supremo ordine infimæ hierarchiæ, qui vocatur ordo principatuum : infimi enim ordines angelorum sunt illi qui ordinariè ad homines mitti solent, non autem supremi illi qui sunt ex ordinibus assistentium. Unde duos Michaeles distinguere oportet ; unus est ex supremo ordine seraphinorum, quo duce factum est prælium illud magnum in cœlo cum dracone et angelis ejus, Apoc. 12, v. 7 ; alter est ex supremo ordine infimæ hierarchiæ, princeps et defensor olim Synagogæ, de quo hìc loquitur S. Judas, nunc verò Ecclesiæ Christi in terris protector. Vocatur autem nomine alterius primarii et seraphici Michaelis, quia sicut ille Dei auctoritatem et majestatem adversùs Luciferum olim defendit in cœlis, ita iste eamdem tanquàm princeps omnium Angelorum Ecclesiæ militantis propugnat jam in terris. Vocatur autem archangelus, non quia ex ordine secundo infimæ hierarchiæ, quæ specialiter archangelorum vocatur, sed quia est angelus princeps, qui alios angelos minores infra se habet. CUM DIABOLO DISPUTANS, cum Lucifero, sive principe dæmonum, qui specialiter diabolus, id est, calumniator vocatur, quia omne ejus studium est Dei majestatem calumniari, et homines per se vel per suos ministros cacodæmonas ad calumnias et blasphemias similes excitare. Nomen autem diaboli esse ei appropriatum patet ex Matth. 25, v. 41 : *Qui paratus est diabolo et angelis ejus ;* item Apoc. 12, v. 9 : *Serpens antiquus qui vocatur diabolus et Satanas.* ALTERCARETUR DE MOYSI CORPORE, quod diabolus palàm sepeliri volebat in monte Nebo, ubi Moyses mortuus erat, Deut. ult., v. 5 ; sperabat enim diabolus Judæos inducere ad cultum idololatricum corporis Moysis, cujus apud eos tanta fuerat auctoritas : et ideò Michael populi dux et custos ei restitit, et corpus ex monte Nebo transtulit in vallem terræ Moab contra Phogor (Hebraicè, contra domum seu templum Peghor), ibique cum nullo mortalium conscio sepelivit ; unde : *Non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem*, Deut. ult., v. 6. Dicitur autem ibi Dominus sepelisse Moysen, quia Michael personam Domini gerebat. Quidam tamen causam altercationis inter Michaelem et diabolum aliam fuisse conjectant, quia diabolus, inquiunt, in valle illâ Moabitarum in idolo Phogor, seu Peghor (quem multi Priapum fuisse dicunt) colebatur ; ideò metuebat ne

cultus ejus ex vicinià sepulcri Moysis turbaretur. Unde autem historiam istam de disputatione Michaelis cum diabolo acceperit S. Judas, incertum est; in Scripturâ enim sacrâ nulla ejus rei est mentio. Aliqui putant fuisse traditionem rabbinorum. Origenes dicit descriptam fuisse in libro veteri apocrypho, qui vocabatur Ascensio Moysis, scilicet in montem Nebo, ut ibi morcretur : quem librum malè hìc Erasmus confundit cum libro Enoch, de quo mox, v. 14. Quidam, ut refert Beda, putant S. Judam non ad cadaver Moysis hìc respicere, sed populum Israeliticum appellàsse corpus Moysis, sicut respublica dicitur corpus quod à principe suo gubernatur sicut corpus à suâ animâ, et solùm retulisse historiam scriptam Zachariæ 3, v. 1 et 2, ubi angelus Michael populi protector adjuvans Jesum sacerdotem volebat populum ex captivitate liberari, nolebat autem Satan ; unde dixit ei Dominus : *Increpet Dominus in te, Satan.* Verùm verba ista *increpet*, aut *imperet tibi Dominus*, S. Judas hìc narrat prolata fuisse à Michaele archangelo ; apud Zachariam verò proferuntur à Domino ipso, cujus personam à personâ angeli Zacharias distinguit. NON EST AUSUS ; veritas est, cùm tamen posset, sed maluit creatorem in nobilissimâ creaturâ suâ, quantumvis peccatrice, revereri ; JUDICIUM INFERRE BLASPHEMIÆ, jacere in ipsum judicium, seu sententiam maledicti, etiamsi propter ipsius impudentiam maledicere ei potuisset ; sicuti Ecclesiæ ministri audent dæmoniis maledicere quando per exorcismos ex energumenis ejiciunt. Erasmus vertit : *Non ausus est ei impingere notam maledicti*, accipiens judicium, seu sententiam (nam χρίσις utrumque significat) metonymicè pro notâ infamiæ quæ per judicium et sententiam alicui inuritur. SED DIXIT, non maledicendo ei, sed sermone molliori impudentiam et importunitatem ejus comprimendo. IMPERET TIBI DOMINUS ; Græcè : *Increpet te Dominus*, quomodò idem verbum Græcum vertit interpres, Luc. 4, v. 41 ; sicut Marc. 10, v. 13, vertit *comminari*. Significat ergo cum increpatione et minis aliquid alicui imperare. S. Michael ergo noluit suâ auctoritate et minis compescere diabolum, sed reliquit Domino judicium, ait OEcumenius, oravitque ut ipse eum divinâ suâ auctoritate compesceret.

VERS. 10. — HI AUTEM, Simoniani et Nicolaitæ, homunciones lutei et spurcissimi, nobilissimo archangelo Michaele audaciores; QUÆCUMQUE QUIDEM IGNORANT, quidquid de mysteriis fidei et christianarum virtutum præstantiâ docemus, quod eorum libidini et nequitiæ non placet, ideòque illa scire non curant, ut mysterium incarnationis, castitatis et temperantiæ honestatem, concupiscentiæ mortificationem, bonorum operum necessitatem, etc., BLASPHEMANT, maledictis et conviciis incessunt; QUÆCUMQUE AUTEM NATURALITER, id est, per naturales et animales suos sensus, rectâ ratione in iis sopitâ ; TANQUAM MUTA (Græcè, *irrationalia*) ANIMALIA NORUNT, notitiâ sensitivâ et experimentali, maximè tactûs et gustûs, quorum sensuum voluptatibus instar canum et porcorum se inquinabant Gnostici, Nicolai Antiocheni discipuli, ut narrat in hæresi Gnosticorum S. Epiphanius : animalia autem irrationalia vocantur muta, quia mugiunt tantùm, aut inarticulatum aliquid sonant, non utuntur sermone articulato ut homines ; IN HIS CORRUMPUNTUR, à se invicem, dùm omni genere turpitudinum se mutuò polluunt, et animum corpusque corrumpunt.

VERS. 11. — VÆ ILLIS, æternæ damnationis quod illis impendet, QUIA IN VIA CAIN, quæ est via invidentiæ et cædis fraternæ, via impietatis et desperationis, ut patet Genes. 4, ABIERUNT, moribus et affectibus animi, quibus imitantur Caïn ; ET ERRORE BALAAM, quo erravit Balaam à viâ virtutis seductus per avaritiam, Num. 22, MERCEDE EFFUSI SUNT, amore mercedis et lucri temporalis tanquàm aqua in omne scelus effusi, et omnia humana ac divina violari parati sunt ; similes Balaam qui à Balac rege Moabitarum pretio conductus voluit maledicere populo cui benedixerat Dominus, et cùm Deus mentem ejus maledicere paratam subitò ad benedicendum vertisset, ne pretio suo frustraretur perniciosum Israelitis consilium regi Balac suggessit, Num. 31, v. 16 ; Apoc. 2, v. 14 ; nempe ut formosissimæ Moabitarum puellæ ad castra Israelitarum specie vendendi necessaria et negotiandi mitterentur, quæ Israelitas in amorem sui et idololatriam Beelphegor, seu Priapi, qui colebatur in proximâ valle, pellicerent, et sic Deus iratus populo suo, auferret ab eo benedictiones illas, quæ per os impii Balaam promittebantur. Græcè : *Errore Balaam mercedis effusi sunt ;* errore mercedis, quo deceptus est avarus Balaam, in omne nefas proni et effusi sunt, ET IN CONTRADICTIONE CORE ; et per contradictiones ac rebellionem contradictioni Core adversùs Moysen et Aaronem, Num. 16, rebellantes, nempe adversùs superiores suos ecclesiasticos : nam Core homo de tribu Levi cum 250 proceribus Synagogæ ex invidiâ et ambitione adversùs Moysen et Aaronem seditionem movit, quia sacerdotium factum erat hæreditarium familiæ Aaronis : huic etiam rebellioni se conjunxerant Dathan et Abiron de tribu Ruben, contendentes principatum et regimen populi seculare non deberi Moysi, sed tribui Ruben, qui erat primogenitus Jacob. PERIERUNT, in imagine scilicet ignis illius egressi à Domino, quo 250 socii Core perierunt, Num. 16, v. 35 : ignis enim iste fuit typus et imago æterni ignis quo seditiosi et prælati Ecclesiæ rebelles aliquando in inferno ardebunt. An autem Core totius rebellionis caput perierit illo igne cum 250 proceribus, an hiatu terræ cum Dathan et Abiron, Num. 16, v. 32, dubitant interpretes. Jansenius Gandavensis, Eccles. 45, quem hìc et Num. 16 sequitur Estius, putat Core igne periisse, sed hiatu terræ potiùs absorptum videtur apertè narrari, Num. 26, v. 10 ; nec repugnat textus Hebraicus ad quem appellant, etiamsi non tam apertè hoc dicat quàm Latina S. Hieronymi versio. In tribus istis, Caïn, Balaam et Core, invidia, avaritia et ambitio hæreticorum notatur : nam ex invidiâ quâ melioribus invident, ait Beda, nomen doctorum sibi assumunt, et amore terrestrium bonorum agnitam ve-

ritatem impugnant, et indebitum primatum ambientes se ab unitate Ecclesiæ separant.

VERS. 12. — HI SUNT IN EPULIS SUIS MACULÆ, inter epulandum non tantùm fœdi et maculosi, sed ipsæ maculæ, in quibus nihil est puri et sinceri. Græcè : *Hi sunt in agapis vestris maculæ.* Agapæ autem erant epulæ et convivia charitatis, ad quæ olim conveniebant Christiani, divitibus præbentibus necessarium sumptum pro se et pauperibus : his autem sanctis Christianorum conviviis miscebant se interdùm Nicolaitæ et hæretici occulti, tanquàm corvi inter olores, et atræ maculæ in candidâ veste, voracitate, ebrietate, petulantiâ et dissolutione vitæ à sanctis conviviis plurimùm dissimiles. Beda putat *maculas* vocari, quia alios fœdis suis moribus aspergebant et maculabant. Cagnæus tamen, Œcumenium secutus, verbum Græcum σπιλάδες, non *maculas*, sed *scopulos* interpretatur, ad quos sub aquis latentes allisæ naves naufragium faciunt. Sic Catholici qui in conviviis et alibi familiariter hæreticis se affricant, ad ipsos tanquàm ad scopulos fidei naufragium sæpè faciunt. Sed meliùs interpres noster *maculas* vertit, ut colligitur ex 2 Pet. 2, v. 13; unde S. Judas hanc sententiam accepit : vox enim σπιλὰς, quâ utitur ibi S. Petrus, *maculam* tantùm, non *scopulum* significat. CONVIVANTES SINE TIMORE, epulantes in conviviis dissolutè et petulanter, apertâ et hiante gulâ, sine ullo divini Numinis timore et respectu, sicuti faciunt illi qui voluptates gulæ licitas esse credunt, ut Epicurei et Pelagiani : qui verò scientiâ sanctorum eruditi sunt, cum timore et tremore convivantur; sic Tobias junior cum uxore et socero ac amicis *convivium nuptiarum cum timore Domini exercebant*, Tob. 9, v. ult. *Cùm* enim *salus* corporis *sit causa edendi ac bibendi, adjungit se tanquàm pedissequa periculosa jucunditas*, ait S. Aug., lib. 10, cap. 31, Confess., *quæ prævire conatur, ut ejus causâ fiat quod salutis causâ me facere vel dico vel volo.* Hoc autem *me docuisti*, Domine, ait, *ut quemadmodùm medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.* Unde *fræni gutturis temperatâ relaxatione et constrictione tenendi sunt. Et quis est, Domine, qui non rapiatur aliquantulùm extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum. Ego autem non sum, quia peccator homo sum. Ebrietas longè est à me, misereberis ne appropinquet mihi : crapula autem nonnunquàm subrepit servo tuo, misereberis ut longè fiat à me : nemo enim potest esse continens nisi tu des.* PASCENTES SEMETIPSOS, non oves suas spirituali alimento, sicut boni pastores solent, sed ventres suos corporali cibo et deliciis pascentes : minima enim ipsis est cura spiritualis profectus suarum ovium, modò lac et lanam accipiant : qualibus pastoribus væ æternæ damnationis interminatur propheta : *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, et lanis cooperiebamini*, etc., Ezech. 34, v. 2. Alii vertunt, *regentes semetipsos*, id est, homines impatientes regiminis superiorum, sed seipsos secundùm suum beneplacitum regere volentes. Verbum autem Græcum quod propriè *pascere*, metaphoricè etiam *regere* significat, ut : *Pasce oves meas*, Joan. ult., v. 16. Sed hoc loco *pascere* meliùs propriè quàm metaphoricè accipitur. NUBES SINE AQUA; efferunt se in altum sicut nubes, et cathedras magistrales ascendunt, promittentes discipulis suis salutaris doctrinæ pluviam, cùm nubes aridæ et steriles sint, et caliginem tantùm, non aquam fundant. Multa etiam hodiè de Evangelii sui puritate, de Christianæ religionis reformatione, de salute æternâ facillimè per solam fidem sine operum necessitate obtinendâ garriunt et promittunt nostri sectarii, cùm nihil horum præstant, sed tenebras tantùm miseris animabus effundant. QUÆ A VENTIS CIRCUMFERUNTUR, quæ facillimè hùc illùc levissimis de causis tanquàm ventis impelluntur, prout enim ab hâc aut illâ parte lucelli aut vanæ gloriæ spes aspirat, doctrinam suam et mores mutant, quod in Lutheri et Calvini hæresibus toties factum videmus : unde natæ sunt tot rigidorum et mollium Lutheranorum, tot Gomaristarum, Arminianorum, Puritanorum, aliorumque ex unâ diversæ sectæ. Quia autem hæreticorum instabilitas turbulenta est, nec eorum passiones placidis ventis, sed procellis et turbinibus similes sunt, ideò S. Petrus vocat eos *nubes turbinibus exagitatas*, 2 Pet. 2, v. 17. ARBORES AUTUMNALES, quæ in autumno demùm incipiunt germinare et producere fructus, quos ante hyemem non possunt maturare; unde talium arborum poma imperfecta sunt et inutilia : idcòque quidam vertunt *arbores frugiperdæ*; perdunt enim fructus, cùm sint inutiles hominibus. Talia sunt opera hæreticorum, quæ in speciem aliquid esse videntur, sed reverà evanida et nullius pretii sunt. Alii denique vertunt *arbores autumno marcescentes* : quales sunt quæ extremo autumno non tantùm fructus, sed etiam folia amiserunt. INFRUCTUOSÆ, imò non tantùm sunt arbores frugiperdæ, sed nullum omninò fructum ferentes : folia enim tantùm verborum et operum, non fructus habent hæretici; BIS MORTUÆ, et morte ramorum, qui nullos proferre possunt fructus, et morte trunci ac radicis; mors enim arborum à ramis incipere solet, et tandem paulatim per truncum ad radicem descendit, et tunc bis ac omninò mortuæ sunt. Carent autem hæretici et actione vitali bonorum operum, tanquàm vitâ ramorum : et carent gratiâ ac charitate quâ radix et basis arboris spiritualis animatur. Aliqui hæreticos *bis mortuos* interpretantur, quia ante baptismum peccato originali mortui erant, et post baptismum peccato actuali apostasiæ in mortem iterùm relabuntur; sicuti arbores mortuæ aliquando à radice regerminant, et iterùm postea moriuntur. ERADICATÆ, imò nequidem stant in terrâ defixæ, sed eradicatæ sunt et paratæ ad incendium; hæreticis enim ab Ecclesiâ per apostasiam separatis et eradicatis, *jam non relinquitur pro peccatis hostia*, sed *terribilis quædam expectatio judicii, et ignis æmulatio*, ad Hebr. 10, v. 26 et 27. *Omnis* enim *arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur*, Matth. 3, v. 10.

VERS. 13. — FLUCTUS FERI MARIS; similes sunt ef-

feris fluctibus maris, tumentes, irrequieti et turbulenti: *Impii* enim *quasi mare fervens, quod quiescere non potest*, Isai. 57, v. 20. *Feri* non est hìc genitivi casûs, sed nominativus pluralis, et adjectivum substantivi *fluctus*, ut ex Græco patet. Salsi autem et amari maris potiùs quàm fluminis aut laci dulcis fluctibus eos comparat, ut hæreticorum amaritudinem denotet, sicut Beda advertit. DESPUMANTES SUAS CONFUSIONES; sicut enim efferi et spumosi fluctus rupes et littora maris continuò assiliendo et verberando ea loco non movent, sed spumas tantùm suas in saxa despumant, ita hæretici adversùs Ecclesiæ petram, columnam et firmamentum veritatis, in tumescendo, calumniando, et oppugnando, non evertunt ipsam: et quando suas turpitudines et dedecora in Ecclesiæ ministros despumant, et ea ipsis allinunt, statim patet veritas, cùm spumæ rupibus aspersæ mox evanescunt, et non fuisse ipsarum sordes, sed fluctuum qui eas eructant, apparet. *Confusiones* metonymicè sumit pro turpitudinibus et flagitiis, propter quæ homines meritò confundi et erubescere deberent. SIDERA ERRANTIA; similes stellis erraticis, quas Græci planetas vocant: ut enim planetæ nunc stant, nunc progrediuntur, nunc currunt in anteriora, nunc in posteriora recurrunt, nunc in cœlum elevantur, nunc submitttuntur versùs terram; talis omninò est in doctrinis et moribus hæreticorum inconstantia: sua dogmata et regulas morum centies fingunt ac refingunt, nec unquàm in eodem statu docendi perdurant, inquit Beda. Sicut etiam planetæ non tantùm à stellis fixis, sed etiam à se invicem continuò variant distantiam, ita hæretici non tantùm dissident ab Ecclesiæ catholicæ doctoribus, qui tanquàm stellæ fixæ in firmamento Ecclesiæ fulgent, sed etiam inter se innumeris doctrinæ sectis dividuntur. Curiosi quidam collegerunt hæreticorum nostri temporis 84 diversas interpretationes istorum verborum: *Hoc est corpus meum*. Cajetanus et alii quidam per *sidera errantia*, non septem planetas, qui in cœlo sidereo sunt, sed ignea in aere meteora intelligunt, quas Aristoteles stellas cadentes, volantes aut discurrentes appellat; hæ enim quia vago et palanti motu per aera discurrunt, rectè etiam planetæ et sidera errantia vocari possunt, quibus etiam hæreticorum instabilitas rectissimè assimilatur. Deinde, veluti stellæ istæ igneæ serenis noctibus vera cœli sidera esse videntur, nec ab aliis distingui possunt nisi cùm cadunt aut dissiliunt in auras, ita hæretici, qui dicunt se lumina Ecclesiæ et mundi, vix à veris Ecclesiæ doctoribus in principio distingui possunt, sed paulò post evanescit et manifestatur eorum falsitas; cùm tamen interea lux et veritas doctrinæ orthodoxorum usque ad finem mundi perseveret. Sic Arius, Macedonius, Nestorius, Eutyches, aliique hæresiarchæ videbantur initio esse sidera cœlestia, sed mox ita disparuerunt et evanuerunt, ut nequidem librorum ipsorum fragmina extent, nisi quantùm orthodoxorum libris ad eorum confutationem insertum videmus. QUIBUS PROCELLA TENEBRARUM, pœna infernalis tanquàm procella et turbo quidam tenebrosus, qui eos corripiet et involvet, SERVATA EST, per decretum reprobationis, et sententiam divinæ justitiæ in supremo illo tribunali jam prolatam; IN ÆTERNUM, nempe duratura, quia *vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur*, Isai. ult., v. ult. *Procella tenebrarum;* Græcè, *caligo tenebrarum*, sicut eadem verba vertit interpres, 2 Pet. 2, v. 17; quasi dicat: Tenebræ tenebrarum, sive duplices et densissimæ tenebræ, phrasi Hebræorum. Meritò autem in tenebras tormentorum æternas mittentur, ait Beda, qui in Ecclesiam Dei sub nomine lucis tenebras errorum inducebant. Caligo ergo, sive tenebræ tenebrarum, sunt tam pœna damni, quà à luce beatificæ visionis excluduntur, quàm pœna sensûs, quam in igne infernali caliginoso patiuntur.

VERS. 14. — PROPHETAVIT AUTEM, non tantùm vivâ voce, sed etiam scripto. Licèt enim Michael Medina et quidam alii putent prophetiam illam Enoch traditione non scriptâ ad posteros manàsse, S. Augustinus tamen, S. Hier., Tertullianus, et Patres passim censent litteris mandatam fuisse. ET DE HIS, etiam de istis hæreticis sub nomine impiorum, ut ex verbis prophetiæ mox patebit; SEPTIMUS AB ADAM ENOCH; inter Adam et Enoch interjiciuntur alii quinque, Seth, Enos, Caïnan, Malaleel, Jared: unde computando simul duos extremos, Adam et Enoch, hic erit à primo septimus, Genes. 5. Hinc patet usum litterarum antiquiorem esse diluvio, et librum Enoch servatum fuisse in familiâ ejus; adeòque à Noe, qui Enochi pronepos fuit, in arcâ tempore diluvii custoditum: aut si fortè diluvio perierit, potuit Noe aut propheta alius ex instinctu Spiritûs sancti librum illum postea rescribere et reformare, ait Tertullianus, cap. 3, de Habitu muliebri: quemadmodùm Jerosolymis Babylonicâ expugnatione deletis omne instrumentum Judaicæ litteraturæ, per Esdram constat restauratum. Sed tamen liber iste Enochi in armarium Judaicum non admittitur, inquit Tertullianus, sive in canonem Scripturarum, qui in armario templi à sacerdotibus servabatur, quia continebat fabulas de gigantibus qui non habuerint homines patres, sed angelos, ut lib. 15 de Civit., cap. 23, narrat S. Augustinus. Videntur ergo quædam ab hæreticis aut errantibus ei libro fuisse inserta. Deinde nimia antiquitas illum librum suspectum et apocryphum reddidit, ut lib. 18, cap. 38, de Civit., ait idem Augustinus. Nec tamen ideò Epistolæ S. Judæ auctoritas periclitatur, quia ex libro apocrypho unam aut alteram sententiam accepit; sicut nihil detrahit auctoritati S. Pauli quòd Act. 16, v. 28, poetæ Arati testimonium, quòd 1 ad Cor. 15, v. 33, Menandri comœdiam, quòd ad Tit. 1, v. 12, Epimenidis versum citavit; non enim qui versum unum alicujus libri probat et canonizat, ideò statim totum librum approbat, ut ad Tit. 1 docet Hier. Contra tamen Cajetanus dicit esse contra sacræ Scripturæ auctoritatem prophetiam apocryphum citare, et vocare prophetiam. Sed dubium non est quin fuerit vera prophetia, et olim à prophetâ Enoch scripta, aut vivâ voce annuntiata, licèt liber ejus sit apocryphus propter alia falsa ei ab aliis

inserta. DICENS : ECCE VENIT DOMINUS, veniet aliquando Christus homo Deus ad judicium universale. *Venit* est hic præteriti temporis, ut ex Græco patet ; sed prophetis jam factum est quod certò futurum vident ; ideòque de rebus futuris tanquàm de jam præteritis loquuntur. IN SANCTIS MILLIBUS SUIS ; Græcè : *In myriadibus sanctis suis ;* cum multis sanctorum angelorum myriadibus : *Veniet* enim *Filius hominis in majestate suâ, et omnes angeli ejus cum eo*, Matth. 25, v. 31. Si autem omnes angeli venturi sint ad judicium cum eo, multis profectò millibus et myriadibus comitatus veniet Judex, quia *millia millium ministrant ei, et decies millies centena millia assistunt ei*, Dan. 7, v. 10. Ex istâ prophetiâ patet explicitam fidem secundi adventûs Christi ad judicium, et resurrectionis mortuorum, ac per consequens fidem incarnationis Filii Dei esse antiquissimam, et diluvio vetustiorem : imò Tertullianus, cap. 3, lib. de Habitu muliebri, dicit ideò librum Enoch à Judæis fuisse rejectum, quia aliqua de Christo loquebatur. Deinde liber vetustissimus, qui inscribitur : Testamentum duodecim patriarcharum, ab Origene sæpè citatum, multa narrat ex libro Enoch de malis quæ eventura erant nepotibus 12 patriarcharum, de Salvatore mundi ab eis occidendo, de dispersione eorum in omnes gentes, etc., quæ refert Sixtus Senensis.

VERS. 15. — FACERE JUDICIUM, exercere judicium æternæ damnationis, CONTRA OMNES, qui judicandi et damnandi sunt ; ET ARGUERE, disceptando cum eis : *Deducam omnes gentes in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis*, Joel. 3, v. 2 ; OMNES IMPIOS, quales sunt inprimis hæretici, et præsertim Simoniani et Nicolaitæ, in Deum, sacra et sacramenta ejus blasphemi. Impii autem propriè vocantur non quivis peccatores, ait Œcumenius, sed qui peccant circa Deum violando proximè pietatem ei debitam. Simplices autem peccatores sunt, inquit, qui circa ea quæ in vitæ conversatione aguntur, à justitiæ scopo aberrant. Et ante eum S. Gregorius, lib. 25, cap. 10, Moral. : Impius propriè dicitur, ait, qui à religionis pietate separatur ; unde sacra Scriptura infideles propriè appellat impios. Tales enim multa quæ fides piè Deo tribuit, ei impiè detrahunt, et quæ fides removet, illi attribuunt. DE OMNIBUS OPERIBUS IMPIETATIS EORUM, quales erant impiæ fornicationes et turpitudines Nicolaitarum, quas sub prætextu sacrarum cæremoniarum exercebant : qualia etiam sectariorum nostri temporis sacrilegia, quibus vota castitatis Deo promissa violare fas esse censent, monachisque ac monialibus suadent ut ex claustris suis ad incestas nuptias evolent ; ET DE OMNIBUS DURIS, asperis et blasphemis verbis, QUÆ LOCUTI SUNT CONTRA DEUM, sapientiam et providentiam quâ Deus mundum regit, justitiam quâ impios punit, etc., accusantes ; PECCATORES IMPII, non enim contra omnes peccatores hæc dicit, sed contra impios, in quos præcipuè ira Dei in extremo illo judicio detonabit.

VERS. 16. — HI SUNT MURMURATORES, adversùs Deum nempe et Ecclesiæ Dei ministros, quorum doctrina, regimen, et disciplina ipsis displicet : cùm enim hæretici Nicolaitæ voluptatem tanquàm summum bonum sectarentur, et omnibus hujus vitæ commoditatibus studerent, si quid incommodi eis accidisset, adversùs Dei providentiam tanquàm res universi malè administrantem murmurabant, adversùs deinde Ecclesiæ pastores qui à vitâ perditâ eos revocare conabantur. QUERULOSI ; vox Græca propriè significat eos qui suâ sorte et parte, in quâ constituit eos Deus, nunquàm sunt contenti, et de omni vitæ conditione conqueruntur : *similes ægrotis qui cùm in lecto cubant, igni assidere volunt* ; cùm assidere cœperint, statim ad lectum reverti cupiunt, et semper de aliquâ incommoditate conqueruntur. Quid enim aliud faciant qui voluptatem summum bonum, dolorem summum malum esse existimant ? ubi enim animum simul et corpus voluptates corrumpêre, inquit Seneca, lib. 2, cap. 25, de Irâ, nihil tolerabile videtur, non quia dura, sed quia molles patimur : probatque exemplo Mindyridis, opulenti et delicati Sibaritæ, qui sæpè questus est, inquit, quòd foliis rosæ duplicatis incubuisset. SECUNDUM DESIDERIA SUA, secundùm concupiscentias suas pravas, AMBULANTES, viventes et conversantes, sicut equus et mulus et bruta animantia, quæ voluptatem carnis et sensuum tanquàm summum bonum ubique sectantur ; ET OS EORUM : alludit ad psalm. 16, v. 10 ; LOQUITUR SUPERBA, alta et magnifica de se et doctrinâ suâ loquuntur, ut simplices decipiant et in sectam suam pelliciant : unde S. Petrus, à quo hoc S. Judas sumpsit : *Superba vanitatis loquentes pelliciunt*, etc., 2 Pet. 2, v. 18 ; superbia enim et mater et nutrix est hæreticorum ; MIRANTES PERSONAS, adulantes personis simulatâ admiratione virtutum, ingenii, potentiæ, divitiarum, cæterarumque rerum quæ hominem circumstant. Quantùm verò mali hominibus quos laudant inferant illi admiratores, eleganter describit Seneca, epist. 94, ubi ait : Irritamentum omnium in quæ insanimus admirator est. QUÆSTUS CAUSA ; Græcè, *utilitatis gratiâ ;* pecuniæ aut proprii honoris, vel sectæ suæ amplificandæ gratiâ : maximi *enim personarum magnarum adulatores sunt* et semper fuerunt hæretici, pecuniarum et vanæ gloriæ aucupes, ut inter philosophos sophistæ. Exemplo Lutheri erga Henricum VIII, Angliæ regem, et Calvinistarum erga Henricum IV, regem Gallorum, hoc ostendit Feuardentius ; quos illi, quando rebus suis favere videbantur, supra omnes reges et imperatores, quotquot unquàm fuerunt, turpissimâ adulatione extollebant ; ubi verò rebus Catholicorum contra favere visi erant, usque ad inferos eosdem deprimebant : nam postquàm Calvinistæ Galli Henricum IV, Navarræ tunc, nondùm Galliæ regem, supra sanctissimos reges et imperatores, Ludovicos, Henricos, Carolos, Theodosios, Valentinianos, Constantinos, imò supra Machabæos, Josias et Davides, libris etiam scriptis extulissent, mox à cæde Bartholomæanâ, inquit Feuardentius, anni 1572, ubi ille missam cum Catholicis ad tempus adire cœpit, tot modis eum deformaverunt, toties eum atheismi, epicureismi, sardanapa-

lismi, tyrannismi, publicis etiam scriptis criminati sunt, ut nihil fœdius cogitari posset.

VERS. 17. — VOS AUTEM, CHARISSIMI. Postquàm hæreticos suis coloribus depinxit, convertit se ad Catholicos, monetque ut eorum fœditates aversentur et *fugiant*. MEMORES ESTOTE VERBORUM, *rerum narratarum* per verba, QUÆ PRÆDICTA SUNT AB APOSTOLIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, futura propheticè vobis annuntiantibus.

VERS. 18. — QUI DICEBANT VOBIS, vivâ voce aut scriptis epistolis dùm viverent, ut 2 Pet. 3, v. 3; 1 ad Timoth. 4, v. 1; 2 ad Timoth. 3, v. 1, etc. Modus autem iste loquendi indicat S. Judam hoc scripsisse postquàm apostoli cursum suum consummàssent, ait Œcumenius, omnesque fortassè erant mortui præter ipsum et S. Joannem : sed scripta tamen apostolorum passim in manibus fidelium erant, ut de Epistolis S. Pauli patet ex 2 Pet. 3, v. 15. QUONIAM IN NOVISSIMO TEMPORE, quòd in extremo hoc tempore et mundi senio, quod à morte Christi usque ad finem seculi extenditur, VENIENT ILLUSORES, hæretici, qui fidelium simplicitati illusuri et eos irrisuri sunt, quasi stupidi *et sine cerebro sint qui mysteria fidei humanâ ratione* incomprehensibilia credunt, se verò solos ingeniosos qui ex humanâ philosophiâ adversùs illa disputare nôrunt. Sic olim Ariani Athanasio, sic Pelagiani Augustino et orthodoxis, sic nostro tempore Calvinistæ circa mysterium præcipuè Eucharistiæ nobis illudunt, et simplicitatem nostram, ut loquuntur, irrident. SECUNDUM DESIDERIA SUA AMBULANTES; gratiâ enim Dei destituti, non legem spiritûs, sed legem concupiscentiæ, quæ est in membris ipsorum, sequuntur hæretici : *Deserti quippe à luce justitiæ, et per hoc contenebrati, quid pariant aliud quàm opera tenebrarum?* ait S. Augustinus, cap. 23, de Naturâ et Gratiâ; IN IMPIETATIBUS; Græcè : *Secundùm desideria sua ambulantes impietatum*. Viventes secundùm desideria impietatum suarum, seu secundùm impia sua desideria : quod maximè in Nicolaitas et hæreticos illius temporis quadrat, qui carnalibus *desideriis suis impietatem* miscebant, dùm per voluptates gulæ ac carnis Deum se colere et mysteria quædam sacra sub illis turpitudinibus velare dicebant.

VERS. 19. — HI SUNT QUI SEGREGANT SEMETIPSOS, qui per novas opiniones quas fingunt, aut fictas ab aliis sequuntur, separant se ab Ecclesiâ, aliosque secum abducunt, cùm tamen si quid in Ecclesiæ doctrinâ reformandum esset, intra Ecclesiam manentes reformationem tentare deberent. Sic enim olim S. Cyprianus cùm circa doctrinam de valore baptismi ab hæreticis collati aliquid reformandum esse contenderet, mansit nihilominùs in Ecclesiâ, non segregavit se, sicut Lutherus et Calvinus, aliique hæresiarchæ, qui cum hæresi suâ schisma miscuerunt. Græcè : *Hi sunt segreganles*, qui extra Ecclesiam et ovile Christi tabernacula fabricant, et particulares greges sibi segregant, pastoresque non ovium Christi, sed hædorum se constituunt, de qualibus multi intelligunt istud : *Egredere et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum*, Cant. 1, v. 7. Pronomen tamen *semetipsos*, quod interpres addit, etiam Beza se in tribus vetustis Græcis exemplaribus legisse testatur. ANIMALES, homines secundùm inclinationem animæ suæ sensitivæ viventes, et inhiantes voluptatibus sensuum, quæ nobis cum brutis sunt communes : unde etiam doctrina, quâ mores suos regunt, inquit Œcumenius, etiam animalis est; de quâ alius apostolus : *Non est ista sapientia desursùm descendens, sed terrena, animalis, diabolica*, Jac. 3, v. 15. SPIRITUM NON HABENTES, non habentes gratiam Spiritûs sancti, quæ spiritum hominis elevet supra carnem et animam suam sensitivam : gratiâ enim divinâ non subveniente quid sunt homines, ait S. Augustinus, lib. 2, cap. 8, de Nuptiis, nisi quod ait apostolus Petrus, 2 Pet. 2, v. 12 : *Velut muta animalia procreata naturaliter in captivitatem et interitum?* Si autem hæretici illi spiritum gratiæ non habuerint, profectò quibusdam negatur supernaturalis gratia sufficiens; si enim istam haberent, spiritum gratiæ utique haberent.

VERS. 20. — VOS AUTEM, CHARISSIMI. Postquàm designavit viam quâ hæretici descendunt, et sectarios suos deducunt ad infernum, nunc modum docet quo fideles spirituale ædificium erigant, per quod scandi*tur in cœlum*. SUPERÆDIFICANTES, per *bona* opera cum adjutorio gratiæ Dei, VOSMETIPSOS, homines novos et spirituales : gratia enim et charitas habitualis appellatur *novus homo*, et *nova creatura*, ad Ephes. 4, v. 24 : *Induite novum hominem qui secundùm Deum creatus est;* ad Coloss. 3, v. 10; ad Galat. 6, v. 15, etc. Cujus hominis novi vitales actiones sunt virtutum supernaturalium operationes : unde quando per charitatis et virtutum actus gratia et charitas super fundamentum fidei crescit, homo novus etiam superædificatur, et quasi in altum surgit. SANCTISSIMÆ VESTRÆ FIDEI, tanquàm fundamento ædificii spiritualis : licèt enim fides sola ad ædificium spirituale cousummandum non sufficiat, sine ipsâ tamen in fundamento positâ ædificium erigi nequit, quia *sine fide impossibile est placere Deo*, ad Heb. 11, v. 6. Fides christiana vocatur *sanctissima*, quia est radius quidam *purissimus increatæ veritatis*, *continetque sanctissimas* vitæ instituendæ regulas, cùm hæreticorum doctrina impura sit, et similis depravatis eorum moribus, quos dirigit. S. Petrus autem, 1 Pet. 2, v. 5, non fidem uniuscujusque, sed Christum constituit fundamentum ædificii et domûs spiritualis, cui fundamento singuli fideles tanquàm lapides vivi superædificantur; quia respicit non ad ædificium spirituale quod unusquisque intra semetipsum ædificat, sed ad totius Ecclesiæ ædificium, cujus fundamentum est Christus, et fideles instar lapidum, qui fundamento isti innituntur seu incumbunt. Aliqui vertunt : *Superædificantes vos invicem sanctissimæ vestræ fidei*, ut intelligatur de proximi ædificatione, quâ unus ab alio per admoniliones et exhortationes excitatur, ut supra fidei suæ fundamentum opera spei et charitatis superædificet. Quia verò opera quibus nosmetipsos superæ-

dificamus sunt dona Dei, ideò continuâ oratione à Deo petenda esse dicit, additque : In Spiritu sancto, per Spiritum sanctum, orantes ; sicut organa spiritu insufflante sonant : *Nam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ad Rom. 8, v. 26 ; et : *Accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus : Abba Pater*, ibid., v. 15. Ex quibus locis S. Augustinus, cap. 23, de Dono perseverantiæ et alibi, contra Semipelagianos, probat hoc ipsum esse donum Dei, ut veraci corde et spiritualiter clamemus ad Deum : *Attendant ergo*, inquit, *quomodò falluntur qui putant esse à nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulsemus.*

Vers. 21.— Vosmetipsos in dilectione Dei servate, nihil committendo quod dilectionem Dei aut proximi possit lædere. Erasmus et quidam alii vertunt : *Vos invicem in charitate Dei servate*, ut Apostolus commendet charitatem fraternam, quâ fideles piis exhortationibus et fusis ad Deum precibus se mutuò in charitate Dei foveant et conservent. Similes autem Scripturas : *Superædificate vosmetipsos, servate vosmetipsos*, etc., Pelegiani olim adversùs fidem catholicam torquebant, quasi istæ phrases significarent ita in hominis potestate esse benè operari, ut opus bonum à Deo non debeat dari. Sed S. Augustinus, cap. 2, de Correptione, respondet quòd tales exhortationes et præcepta dentur hominibus, ut eis ostendatur quid agere debeant : *Ut quando id agunt sicut agendum est, id est*, inquit, *cum dilectione et delectatione justitiæ, suavitatem quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant : quando autem non agunt, sive omninò non faciendo, sive non ex charitate faciendo, orent ut quod nondùm habent accipiant.* Hinc illa solemnis S. Augustini sententia, lib. 10, cap. 29, Confess. : *Da quod jubes, et jube quod vis.* Quæ S. Augustini verba sibi ab episcopo quodam Romæ ostensa Pelagius adeò ferre non potuit, ut penè cum ipso litigaverit, ut narrat Augustinus, cap. 20, de Dono perseverentiæ. Expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi ; fiduciâ magnâ ac spe firmâ expectantes quotidiè novam gratiam Domini nostri ad perseverandum inter tot carnis, mundi, diaboli tentationes necessariam : ita enim nos in Dei dilectione servare præcipit, ait Beda, ut nunquàm de viribus nostris præsumamus, sed in divinæ tuitionis adjutorium speremus. Gratiam autem, quæ est effectus misericordiæ Dei, per metonymiam vocat Dei misericordiam. In vitam æternam, usque ad vitam æternam inclusivè, quæ est terminus et clausula omnium gratiarum per quas Deus electos suos viatores perducit ad patriam.

Vers. 22. — Et hos quidem arguite, hæreticos et in malitiâ suâ obduratos tam argumentis quàm duris increpationibus redarguite, eorum etiam impietatem omnibus demonstrantes, ait Œcumenius, ne saltem plures corrumpant, si ipsi resipiscere nolint ; judicatos, condemnatos per propriam infidelitatem, aut pessimam suam et incorrigibilem vitam, quæ judicium et sententiam condemnationis in eos quodammodò pronuntiat. Hanc autem Latinam lectionem, etsi à Græcâ dissentientem, se in tribus codicibus Græcis invenisse testatur Beza : quam etiam Œcumenium vidisse ex commentario ejus patet. Præscribit autem Apostolus varios modos quibus fideles secundùm spiritum discretionis uti debent in corripiendis peccatoribus.

Vers. 23. — Illos vero, alios qui non sunt adhuc hæresi aut vitiis inextricabilibus immersi, sed tamen periculo proximi ut irrevocabiliter in illa mala incidant ; salvate, manu quasi injectâ retinete, et servate, ne in illam perditionis abyssum decidant. Hinc collige quòd homines, quorum ministerio ad alios salvandos utitur Deus, possint etiam salvatores appellari, etiamsi unicus sit salvator principalis : unde non rectè hæretici colligunt sanctos non posse dici intercessores et mediatores secundarios, quia, inquiunt, Christus dicitur *unus Mediator Dei et hominum*, 1 ad Timoth. 2, v. 5 ; sicut enim unus est Mediator, ita et unus Salvator. De igne rapientes, ex igne libidinis et vitiorum, qui eos jam amburere cœperat, et consequenter ex igne infernali, qui talibus paratus est, eos eripientes ; aliis autem miseremini. Cæteris verò quibus vitia sua jam displicent, sed gratiæ vires nondùm adhuc tantas habent ut laqueos suos excutiant, misericordiam impertimini, orando pro ipsis, et eos admonendo ; in timore, injecto timore et terrore Dei vindicis, et ignis æterni. Hanc particulam *in timore* ad omnia tria præcedentia membra referendam Beda existimat ; ut terror Dei vindicis incutiatur tam in profundo vitiorum immersis, quàm mergi incipientibus, atque etiam per compunctionem se extricare desiderantibus : timor enim iste servilis omnibus prodest, ut peccatorum animos concutiendo secuturæ charitati viam aperiat ; nam *initium sapientiæ timor Domini ; si* enim *nullus est timor, non est quà intret charitas*, ait S. Augustinus, tract. 9, in Epist. Joannis. *Sicut videmus*, ait, *per setam introduci linum, quando aliquid suitur ; seta priùs intrat, sed* tamen *nisi exeat, non succedit linum ; sic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideò intravit, ut introduceret charitatem.* Græcus textus hodiè vulgaris divisionem peccatorum non trimembrem, ut Latinus, sed bimembrem tantùm facit, et ad verbum sic verti potest : *Et hos quidem miseremini disceptantes, hos verò in timore salvate ex igne rapientes*, significans quosdam hæreticos et peccatores esse ingeniosos et disciplinæ capaces, quos argumentis et rationibus disceptando convertere oportet : alios verò qui stupidiores sunt, non argumentis, sed timore salvandos esse, atque instar brutorum quæ fugere nesciunt, sed ultrò incurrunt incendia, vi quodammodò ex igne rapiendos esse. Odientes et eam ; cavete tamen ne miserando, rapiendo ex igne, et arguendo peccatores, nimis familiariter cum ipsis conversemini, et pestem suam vobis affricent : sed ita homines amate, ut opera eorum detestemini, et odio habeatis etiam ipsam, quæ carnalis est, quæ tota ex

operibus carnis veluti contexta est, MACULATAM TUNICAM, vitam eorum externam, libidinum et flagitiorum maculis conspurcatam. Sicuti enim à contactu tunicæ et vestium leprosi aut pestiferi cæteri homines abhorrent, ne contagium contrahant, ita qui peccatorum conversioni student, cavere debent ne ab externis eorum moribus inficiantur, quibus mederi volunt. Græcè paulò clariùs : *Odientes et eam à carne maculatam tunicam.* A carne enim, seu à carnali concupiscentiâ externi peccatorum mores, sicut à carne morbosâ leprosorum et pestiferorum tunicæ maculantur et inficiuntur : *Unusquisque* enim *tentatur à concupiscentiâ suâ*, etc., Jac. 1, v. 14. Beda tamen carnalem tunicam interpretatur carnem nostram, quæ est veluti tunica animæ : maculatam verò ait per ipsum concupiscentiæ vitium, quod habitat non tantùm in hominum peccatorum, sed etiam justorum membris : hoc enim concupiscentiæ vitium vocatur à S. Paulo *vetus homo*, considerat que illud instar tunicæ, quando ait : *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum*, ad Coloss. 3, v. 9. Sed cùm Græcus textus dicat tunicam à carne maculatam esse, aptiùs hìc per tunicam intelliguntur externi peccatorum mores, qui non sunt ipsa carnalis concupiscentia seu vetus homo, sed ab eo originem et maculas suas habent. Tunica autem ista pravorum morum ex singulis actibus hominis peccatoris veluti ex totidem staminibus et subtegminibus contexitur.

VERS. 24. — EI AUTEM QUI POTENS EST ; solus enim Deus potest nobis hoc præstare ; nec enim in liberi arbitrii positum est potestate, ait Beda, sed Dei gratiâ perficiendum est ; VOS CONSERVARE SINE PECCATO, Græcè *sine offensione*, quæ omne peccatum tam grave quàm leve comprehendit, juxta illud : *In multis offendimus omnes*, Jac. 3, v. 2. Ad evitandum enim quodcumque peccatum gratia Dei necessaria est, cùm liberum arbitrium sibi permissum nonnisi in suam perniciem moveatur, ait S. Prosper, cap. 17 epistolæ ad Ruf. *Quid enim sum mihi sine te, nisi dux in præceps?* inquit S. Augustinus, lib. 4, cap. 1, Confessionum. ET CONSTITUERE, finitâ hâc peregrinatione, ANTE CONSPECTUM GLORIÆ SUÆ, ante faciem suam gloriosam, cujus conspectu eritis beati ; IMMACULATOS, sine maculâ et rugâ, qualem Ecclesiam electorum futuram dicit alter apostolus, ad Ephes. 5, v. 27, quando nempe ab omnibus non solùm peccatorum maculis, sed etiam peccatorum reliquiis in animâ et corpore purgatissima erit ; IN EXULTATIONE, cum lætitiâ animi tam effusâ ut etiam redundet in corpus : exultatio enim propriè est gestus corporis, quo homo exilit præ gaudio. Justi autem *exultabunt in conspectu Dei, et delectabuntur in lætitiâ*, psal. 67 ; id est, non jam ampliùs exultantes cum tremore, sicut in hoc seculo, ait S. Augustinus, quamdiù tentatio est vita hominis super terram, sed cum sincerâ et sine mixtione timoris lætitiâ. IN ADVENTU DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, quando Dominus noster Christus venerit ad judicium, et electi in corporibus gloriosis resurrexerint : tunc enim incipient cum corporis et animæ beatitudine constitui ante conspectum gloriæ Dei. Hâc tamen particulâ carent codices Græci.

VERS. 25. — SOLI DEO, Patri ; Græcè : *Soli sapienti Deo ;* qui œconomiam redemptionis et salutis humani generis tam sapienter administravit. Dicitur Deus solus sapiens per excellentiam, quia sapientiæ fons est unde eam participant creaturæ, veluti guttam unam ex immenso mari. SALVATORI NOSTRO, salutis nostræ auctori primario. Nomen *Salvatoris* plerùmque Christo homini tribuitur in Scripturis ; aliquando tamen etiam Deo Patri, et consequenter toti sanctissimæ Trinitati, ut hìc ; item 1 ad Timoth. 1, v. 1 ; ad Titum 3, v. 4. PER JESUM CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM, tanquàm mediatorem, quem ut gratiam et gloriam nobis mereretur Pater in mundum et mortem misit. Græca iterùm non habent hanc particulam, quam tamen Beza in duobus Græcis codicibus se legisse dicit. GLORIA, est, et ab omnibus hominibus debetur : unde sive manducamus, sive bibimus, sive aliud quid facimus, omnia in gloriam Dei facere nos jubet alter Apostolus, 1 ad Cor. 10, v. 31. Imò ne quidem de meritis nostris aliter quàm in Domino gloriari possumus : *Quisquis* enim *tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua?* ait S. Augustinus, lib. 9, cap. ult., Confessionum. ET MAGNIFICENTIA, quâ omnia magna et illustria facit in cœlo et in terrâ : *Magnificentiâ* enim *ejus discurrunt nubes*, Deut. 33, v. 26. *Fecit cœlos in intellectu*, psalm. 135 ; et postquàm plurima magna et mirabilia naturæ opera recensuit, quæ sapientissimè creavit et administrat Deus, exclamat : *Quàm magnificata sunt opera tua, Domine ! omnia in sapientiâ fecisti ;* psalm. 103. Sed præcipuè oculis sanctorum, qui invisibilia penetrant, elucet Dei magnificentia in justificatione peccatoris, et ubi abundavit peccatum, superabundat gratia, ut disserit S. Augustinus exponens illud : *Confessio et magnificentia opus ejus ;* ps. 110. IMPERIUM, efficax et robustum, quo omnia solo nutu operatur : unde alii eamdem vocem Græcam *robur* vertunt, et interpres noster *potentiam*, Luc. 1, v. 51 ; ET POTESTAS, jurisdictionis et dominii, quo universa regit, et secundùm consilii sui beneplacitum administrat : talem enim potestatem propriè vox Græca significat. Porrò in his quatuor Dei elogiis, gloriâ, magnificentiâ, imperio, potestate, respicit præsertim ad id quod versu præcedente dixit : *Qui potens est vos conservare*, etc. ; significatque gloriam, magnificentiam, imperium, et potestatem Dei Salvatoris maximè conspicuam et prædicandam esse in eo quòd homines perditos è massâ damnationis eripuerit, et infirmissimâ quamvis carne circumdatos, non tantùm à peccatis præteritis abluat, sed inter tot et tam potentes carnis, mundi, diaboli tentationes, à futuris conservet, subveniatque infirmitati humanæ voluntatis, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter et insuperabiliter agatur, et ideò quamvis infirma, non tamen deficiat, neque adversitate ullâ vincatur, ut ait S. August., cap. 12, de Correptione. ANTE OMNE SECULUM, ante omne temporis initium. Hanc quoque particulam hodiè non habent

Græca, etsi in quibusdam codicibus se vidisse quidam testentur. ET NUNC, labente hoc seculo, ET IN OMNIA SECULA SECULORUM, et in omnem æternitatem. Genitivum *seculorum* addidit interpres, ut clariùs exprimeret æternitatem, quæ per *seculum seculi*, vel *secula seculorum* in Scripturâ solet significari, tanquàm quædam duratio quæ post elapsa omnia seculo temporaria adhuc manet sine fine. Dicuntur autem gloria, magnificentia, imperium, potestas, ante omne seculum, seu ab æterno fuisse in Deo, non quòd creaturæ Deum ab æterno glorificaverint, aut Deus magnificentiam suam exercuerit, aut imperio vel potestate erga creaturas usus sit; sed quia virtus ei et auctoritas ad omnia ista inerat, inquit Carthusianus. AMEN, verè sic est.

IN EPISTOLAS CATHOLICAS
DILUCIDATIO.

AUCTORE WOUTERS (1).

Præfatio.

Post quatuordecim Epistolas S. Pauli sequuntur septem catholicæ; quæ ita appellantur, non quia tradunt doctrinam catholicam (nam hanc etiam tradunt Epistolæ S. Pauli), sed quia ad universitatem fidelium sunt scriptæ. Vox enim *catholica* est vox Græca, quæ Latinè idem sonat ac *universalis*. Hoc igitur nomine appellantur, quia non ad aliquam particularem ecclesiam, aut nationem scriptæ sunt, ut Pauli Epistolæ ad Romanos, Corinthios, Ephesios, etc., aut ad unum hominem, ut quæ ad Timotheum, Titum et Philemonem; sed quia generatim scriptæ sunt ad fideles dispersos in varias regiones. Nam Jacobus, in initio suæ Epistolæ, duodecim tribubus quæ erant in dispersione salutem dicit. Prima Petri mittitur ad electos advenas dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ. Secunda ad fideles in universum; aut certè ad eosdem, qui nominantur in primâ, missa fuit, uti liquet ex cap. 3, ubi dicit: *Hanc ecce vobis, charissimi, secundam scribo Epistolam.* Prima Joannis etsi apud nos nullam habeat inscriptionem, videtur tamen scripta fuisse ad omnes ab ipso eruditas gentes, quæ per Asiam ac Orientem erant variæ; nam quòd ad has scribat, satis innuere videntur verba cap. 1, v. 4 et 5. Quòd S. Judas etiam ad multas gentes scribat, clarè ex initio ejus Epistolæ liquet.

Verum quidem est quòd secunda et tertia Joannis ad privatas tantùm personas scriptæ sint, sed tamen hoc non obstante omnes appellantur *catholicæ* à majori parte.

QUÆSTIO PRIMA.

De Epistolâ S. Jacobi.

Principaliora, et magis scitu necessaria, quæ circa hanc Epistolam inquiri ac discuti solent, hìc breviter per interrogationes et responsiones subjiciemus. Itaque

Quæres 1° an hæc Epistola sit, et semper fuerit in Ecclesiæ canone. — Resp. aliquos olim de ejus auctoritate dubitâsse, ut refert Eusebius Cæsareensis, lib. 2 Histor., cap. 22, ubi de hâc Epistolâ ita scribit: « Etsi à quibusdam tanquàm adulterina ac minimè germana propterea judicetur, quòd non adeò multi ex veteribus, illius Epistolæ, sicut nec ejus, quæ dicitur Judæ, mentionem faciunt; tamen nos istas, cum reliquis, in quamplurimis ecclesiis publicè receptas approbatasque cognovimus. » Ex quibus verbis patet eam dubitationem vel paucorum hominum, vel paucarum ecclesiarum fuisse; quas tamen ad communem aliarum ecclesiarum sententiam accessisse, ex eo manifestum videtur, quòd ab illo tempore, et deinceps, nec ulla ecclesia, nec ullus ecclesiasticus scriptor inveniatur hâc de re ampliùs hæsitâsse. Quin è contrario omnes indices librorum S. Scripturæ à conciliis, Romanis pontificibus et SS. Patribus editi, illam numerant inter libros canonicos. Etenim inter hos numeratur à concil. Laodic.; Carthag. II, can. 47; Florent., in decreto Armen.; et Trid., sess. 4. Item ab Innoc. I, epist. 3, ad Exuper.; Gelas., in concil. Rom.; etiam ab Origene, hom. 7 in Josue; Athan. in Synopsi; S. Hieron., in epistolâ ad Paulinum, et à S. P. Aug., lib. 2 de Doct. christ., cap. 8.

Argumenta autem quibus Lutherus ejusque sequaces conantur probare hanc Epistolam non esse canonicam, tam misera et futilia sunt, ut vix proponi mereantur.

Quæres 2° quare, seu ex quâ occasione S. Jacobus scripserit hanc Epistolam. — Resp. scripsisse ob duas præsertim causas: Prima fuit, ut ostenderet bonorum operum necessitatem, ne quis sibi de solâ fide blandiretur, tanquàm ea sufficiens foret ad salutem; quemadmodùm Simoniani, recentes tunc hæretici, docebant. Nam inter alios errores Simonis Magi eum fuisse, quòd opera bona non sint ad salutem necessaria, testatur Irenæus, lib. 1, cap. 20. Altera scribendi causa fuit varia fidelium Judæorum à suis contribulibus vexatio ac persecutio. Quòd enim hi istos

(1) Vid. Wouters vitam, vol. 23 *Curspl. com. Script. sacr.*, col. 767, 768.

non tantùm in Judæâ, sed etiam in gentium persecutione crudeliter vexaverint, liquet ex apostolicis Actis. Hinc illos S. Jacobus duxit consolandos et adhortandos ut persecutiones ac tribulationes patienter pro Christi nomine sustinerent.

Quæres 3° quænam sit ista dispersio duodecim tribuum, ad quas cap. 1, v. 1, S. Jacobus se scribere affirmat. Ante responsionem nota plures fuisse Judæorum dispersiones : prima fuit, dùm Salmanasar Assyriorum rex decem tribus duxit in captivitatem, et destruxit regnum Israel. Tunc enim plurimi, ut captivitatem evaderent, fugerunt ad vicinas gentes. Secunda dispersio fuit in captivitate Babylonicâ. Tertia sub Antiocho rege Syriæ, qui per varia et horrenda tormenta tentavit omnes Judæos in apostasiam deducere. Quarta dispersio fuit ob perfidorum Judæorum in S. Stephanum et alios fideles persecutionem, de quâ scribit S. Lucas, Act. 8, v. 1 : *Facta est autem in illâ die persecutio magna in ecclesiâ quæ erat Jerosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ, præter apostolos.* — Hoc notato, respondeo : Dispersio de quâ mentionem facit S. Jacobus, non est illa sola de quâ agit S. Lucas in Actibus apostolorum ; nam cùm ista dispersio tantùm fuerit in Judæâ et Samariâ, et isti fideles Judæi, qui ex decem tribubus habitabant in Palæstinâ, admodùm pauci essent comparatione illorum qui habitabant in aliis regionibus ; si istis solis scripsisset, non satis aptè dicere potuisset : *Duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione ;* ac proinde verius est quòd hæc Epistola scripta sit ad omnes fideles Judæos, qui tum in Judæâ, tum in aliis, saltem adjacentibus, Judææ regionibus morabantur. Et ideò etiam scripta est Græcè, quia nimirùm Græca lingua erat quasi communis in Oriente, et plures Judæi extra Palæstinam dispersi magis eam callebant quàm Hebraicam.

Quæres 4° quid S. Jacobus intelligat per *tentationes*, dùm ait, cap. 1, v. 2 : *Omne gaudium existimate, fratres, cùm in tentationes varias inciderilis.* — Resp. eum intelligere omnem afflictionem, præsertim verò persecutionem quam suo tempore fideles patiebantur à perfidis Judæis, aliisque infidelibus. Afflictio autem, uti et persecutio, ideò vocatur tentatio, quia per eam Deus homines tentare, hoc est, probare solet, ut quales sint innoteseat. Ita Christus, Lucæ 22, apostolos adhortans, ait : *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis ;* et Paulus, ad Heb. 4, de Christo : *Tentatum per omnia.* Atque id etiam satis insinuat ipsemet Jacobus, dùm infra ait : *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit*, etc.

Putat Estius quòd S. Aug., lib. 14 de Civ., cap. 9, doceat apostolum Jacobum per *tentationes* intelligere incitamenta carnis. Attamen id loco citato non habet S. doctor ; nam tantùm tractat de perturbationibus animi, et tentationibus in genere, quas in hâc vitâ patiuntur justi ; et de his dicit : *Ut doleant in tentationibus, vident Petrum flentem. Ut gaudeant in tentationibus, audiunt Jacobum dicentem : Omne gaudium existimate*, etc.

Quæres 5° quo sensu, cap. 2, v. 10, dicatur : *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* — Resp. sensum esse hunc : Quicumque, servatis cæteris Decalogi et Evangelii præceptis, unum transgressus fuerit, ita ut graviter peccet, fit omnium reus, quia violat charitatem, à quâ tota lex pendet, sive quia æquè privatur fine legis, ac si omnia præcepta violaret, ita ut observatio reliquorum mandatorum ipsi ad prædictum finem prodesse nequeat. Et ita exponit istum locum S. P. Aug., epist. 29, ubi hoc modo discurrit : « Unde fiet omnium reus, si in uno offendat qui totam legem servaverit ? An fortè quia plenitudo legis charitas est, quâ Deus proximusque diligitur, in quibus præceptis charitatis tota lex pendet et prophetæ, meritò fit reus omnium qui contra illam facit, in quâ pendent omnia ? Nemo autem peccat nisi adversùs illam faciendo, quia, *non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces*, et si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur, in eo quòd diligis proximum tuum tanquàm teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo autem legis est charitas. Nemo autem diligit proximum, nisi diligens Deum... ; ac per hoc qui totam legem servaverit, si in uno offenderit, fit omnium reus, quia contra charitatem facit, unde tota lex pendet. Reus itaque fit omnium, faciendo contra eam in quâ pendent omnia ; » utpote in quâ connexa sunt, fiuntque quasi unum integrum charitatis mandatum ; charitas enim est forma legum et virtutum omnium.

In idem redit interpretatio S. Thomæ, 1-2, q. 73, a. 1, ad 1, ubi ait quòd S. Jacobus loquatur de peccato ex parte aversionis à Deo, non ex parte conversionis ad creaturam, quia in unoquoque peccato homo se avertit à Deo, et contemnit omnium mandatorum legislatorem. Patet autem hunc esse verum et litteralem sensum, inquit Cajetanus, quia S. Jacobus mox sententiam suam probat ex identitate legislatoris, dicens, v. 11 : *Qui enim dixit : Non mœchaberis, dixit et : Non occides. Quòd si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.*

Neque tamen ex hoc loco sequitur omnia peccata mortalia esse paria, uti olim volebant Stoici, quia licèt offendens in uno sit semper omnium reus, non tamen æqualiter est reus ac si in omnibus offendisset. Unde nec æqualiter intensivè punitur, licèt extensivè pœna sit quoque æterna. Omnis igitur peccans deflectit à rectâ viâ ; sed alius alio potest longiùs aberrare ; sicut distorto datur aliud distortius, ait S. Aug. Si autem peccatum præcisè spectetur quatenùs adversatur charitati, magis etiam facit contra charitatem qui graviùs peccat quàm qui leviùs, inquit Beda.

Quæres 6° de quo spiritu loquatur S. Jacobus, cap. 4, v. 5, ubi ait : *An putatis quia inaniter Scriptura dicat : Ad invidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis ?* nempe per fidem et gratiam. Verè etiam potest, inquit Fromondus (vid. supra), *qui habitavit*,

scilicet cùm baptizati estis, licèt quidam vestrùm habitatorem istum jam à se expulerint. — Resp. : Aliqui interpretes per *spiritum* intelligunt spiritum hominis carnalis, alii spiritum diaboli; et inde nata est mutiplex hujus loci interpretatio. Vero similius est Jacobum loqui de Spiritu sancto ; illi enim soli competit id quod sequitur, v. 6 : *Majorem autem dat gratiam. Propter quod dicit : Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Vult igitur hìc apostolus Jacobus significare quòd non inaniter dicat Scriptura (Exod. 20, v. 5 et alibi) Deum nos amare instar zelotypi. Itaque sensus est hic : Putàtisne, ô Christiani, frustra in Scripturâ Deum vocari zelotypum vestri, ac osorem mundi, illique quasi invidentem possessionem vestri cordis, eamque *ad invidiam*, id est, cum invidiâ mundi, sive ita ut invideat mundo, concupiscere? Non sanè frustra ita vocatur. Reipsà enim est zelotes, consortis impatiens; non patitur ut alios amemus præter ipsum ; non fert nos diligere mundum, quasi adulteros; ac proinde mirum non est quòd anima diligens mundum, et cum eo adulterans, constituatur inimica Deo; sicut uxor in adulterio deprehensa fit inimica marito, et non rarò ab ipso interficitur. Deus ergo concupiscit cor nostrum instar zelotypi, magnoque zelo illud affectat, ideòque dolet et quasi invidet mundo, quòd animas Deo desponsatas per illecebras ad se pelliciat.

Probat igitur Jacobus id quod dixit, scilicet amicitiam mundi esse inimicam Dei, ex eo quòd ita nos amet Spiritus Dei, ut solus velit amari, nec patiatur rivalem; amat enim nos tanquàm sponsas suas charissimas; unde si alium, puta mundum, amemus, nobis quasi adulteris irascitur. Si igitur quandoque aliquid nobis postulantibus neget, non id facit quia nobis invidet, utpote qui usque ad invidiam nos amat, sed ne id nobis obsit, nosque ab amore suo avertat, et ad amorem mundi convertat.

Ex jam dictis patet quòd apostolus Jacobus, dùm invidiam et zelotypiam tribuit Deo, loquatur more humano, idque ad significandam maximam indignationem ex amore ortam. Sic etiam multis in locis ira et furor, qui sunt pravi hominum affectus, tribuuntur Deo, ad repræsentandam magnitudinem pœnæ quam peccatoribus infligit.

Quæres 7° an Jacobus, cap. 5, v. 16, dicens : *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra*, agat de sacramento confessionis. — Resp. vero similiùs affirmativè. Ratio hujus est, quòd hìc videatur hortari fideles ut servent legem quam sciunt à Christo præscriptam Joan. 20 ; ac proinde vult ut quos conscientia peccatorum gravat, pro eorum expiatione ad presbyteros recurrant. Idque hoc loco opportunè fecit, ubi de infirmis agebat. Cùm enim morbi sæpè ex peccatis accidant, meritò monentur infirmi ut ante omnia sese peccatorum vinculis, prævià confessione, absolvendos curent. Favent huic expositioni Origenes, hom. 2 in Levit., et S. Chrysost., lib. 3 de Sacerdotio, qui verba S. Jacobi proximè præcedentia : *Si in peccatis sit, remittentur ei*, intellexerunt de peccatorum remissione, quæ fit ministerio sacerdotum. Unde conformiter ad hanc intelligentiam aptè subjungitur istud, tanquàm de confessione sacramentali dictum : *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra;* etenim particula *ergo*, vel *autem*, prout habet textus Syriacus, connectit hæc præcedentibus; q. d. : Dixi de extremâ Unctione : *Si in peccatis sit, remittentur ei*, scilicet si is qui ungitur ea ignoret, aut eorum sit oblitus; nam si eorum sit conscius, debet ante extremam Unctionem confiteri. Ut ergo eam ritè suscipiatis, *confitemini alterutrum peccata vestra*, id est, confitemini homines hominibus, puta illis quibus tanquàm Dei ministris cura et potestas absolvendi demandata et collata est à Christo, juxta illud 1 Petri 4, v. 10 : *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes.* Sic vulgò dicimus : Docete invicem, curate invicem : sustentate invicem, sacrificate pro invicem : nimirùm, doctores, docete rudiores, medici, curate ægros, divites, sustentate pauperes, sacerdotes, sacrificate pro laicis. Similes enim locutiones exponi debent conformiter ad subjectam materiam, gratiam et officium cujusque.

QUÆSTIO II.

De Epistolâ primâ S. Petri.

Duas Epistolas à Petro apostolo scriptas agnoscit, et in canonem Scripturæ sacræ jam inde ab initio recepit Ecclesia. Et quidem de hâc primâ nulla fuit unquàm controversia; sed de secundâ aliquando dubitatum fuit. Unde Eusebius Cæsarcensis, lib. 3 Histor., cap. 3, de hâc re ita scribit : « Una Petri Epistola, quæ prior illius esse dicitur, omnium consensu est approbata. Hanc quasi positam extra omnem controversiam veteres presbyteri in suis scriptis citârunt. Eam autem, quæ illius secunda fertur esse Epistola, non ita auctoritate et testimonio veterum confirmatam accepimus. Verùm cum plerisque perquàm utilis videtur; unà cum aliis Scripturis perlegi et perdisci est solita. » In illustrium virorum Catalogo scribit etiam S. Hieron. : *Petrus scripsit duas Epistolas, quæ catholicæ nominantur, quarum secunda à plerisque ejus esse negatur, propter styli cum priori dissonantiam.*

Et quidem quòd antiquissimi Patres primam Epistolam agnoscant esse canonicam, ac ejus testimoniis utantur, est omninò certum. Hoc enim facit S. Polycarpus, in suâ Epistolâ ad Philippenses; etiam S. Irenæus, lib. 4, cap. 37; item Tertullianus, cap. 12 libri Scorpiaci, ac in aliis locis; et de SS. Polycarpo ac Irenæo hoc ipsum advertit etiam Eusebius.

§ 1. *Ubi, ad quos et ob quam causam hæc Epistola scripta sit.*

Resp. et dico 1° : Hæc Epistola scripta fuit Romæ.

Prob. 1° quia, cap. 5, v. 13, dicit S. Petrus : *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone coelecta*, id est, unà nobiscum à Deo electa ; atqui per Babylonem, juxta veteres scriptores, intelligitur Roma ; ergo, etc.

Prob. min. ex Eusebio Cæsarcensi, qui postquàm, lib. 2 Histor., cap. 14, ostendisset Petrum Romæ S Marci Evangelium approbâsse, statim addit : « Constat porrò Petrum hujus Marci mentionem facere in priori

Epistolâ quam Romæ texuisse dicitur; quam quidem Epistolam ibi perscriptam ostendit, dùm civilatem illam verbi translatione Babylonem appellat, hoc modo: *Salutat vos Ecclesia nostræ electionis consors, quæ est in Babylone.* » Similiter S. Hieron., lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, nomine Babylonis intelligit Romam. Nam ibidem, in Marco, ita scribit: « Meminit hujus Marci et Petrus in Epistolâ primâ sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans: *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone, et Marcus filius meus.* » Item Beda, et Œcumenius, ac omnes orthodoxi interpretes constanter asserunt per Babylonem hîc significari Romam. Imò idipsum etiam sustinent varii Protestantes: nam, ut refert Calmet, dissert. de Itinere Rom. S. Petri, Grotius in præfatum Petri locum dicit: « De Babylone dissident veteres et novi interpretes. Veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuisse nemo verus Christianus dubitabit: novi Babylonem in Chaldæâ. Ego veteribus assentior. »

Prob. 2° quia nomine Babylonis etiam in Apoc. cap. 17 et 18 Roma significatur; utique figuratâ locutione, quia nimirùm Roma tunc propter nimiam idolorum multitudinem et idololatriæ varietatem, necnon ob quorumvis vitiorum grassantem licentiam, erat vera Babylon, seu confusio; ergo et hîc per Babylonem rectè intelligitur Roma. Ac proinde falsum est quod dicunt sectarii, nempe per Babylonem hîc intelligi vel illam quæ est in Chaldæâ, vel eam quæ est in Ægypto, et alio nomine Cairum hodiè vocatur. Siquidem Petrum Romæ fuisse tota testatur antiquitas; illum verò in Chaldæâ aut in Ægypto fuisse nulla prodit historia.

Quo autem anno hæc Epistola Romæ scripta sit non satis liquet. Interim hoc certum est quòd scripta fuerit eo tempore quo S. Marcus Romæ adhuc cum Petro erat; id enim evidens est ex cap. 5, v. 13. Jam autem cùm, teste Eusebio, Marcus anno 3 Claudii Alexandriam in Ægytum ad regendam illam Ecclesiam à Petro missus fuerit, hinc sequitur quòd hæc Epistola scripta sit ante annum 3 Claudii, seu ante annum 45 æræ vulgaris. Ex quo ulteriùs concluditur quòd scripta fuerit ante omnes S. Pauli Epistolas; nam prima inter Paulinas est prima ad Thessalonicenses. Hæc autem solùm anno Claudii 12, seu æræ vulgaris 52, scripta fuit, ut antea suo loco diximus.

Dico 2°: Ad quos hæc Epistola scripta sit, ipsa statim initio declarat epigraphe, quâ dicitur: *Advenis dispersionis Ponti, Galatiæ*, etc.; id est, ad populos dispersionis, ad quos etiam Jacobus scripsit; sed quia Jacobus addit: *Duodecim tribubus*, et Petrus illos simpliciter vocat *advenas*, dubitatur an ad Judæos, an ad gentiles scripta sit. Et quidem Eusebius, lib. 3 Histor., cap. 4, et S. Hieron., lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, existimant eam esse scriptam ad Judæos. At verò S. P. Aug., lib. 22 contra Faustum, cap. 89, arbitratur illam esse scriptam ad gentiles. Attamen utraque opinio facilè conciliari potest, ut benè reflectit Estius, si dicatur quòd principaliter seu primariò sit destinata ad Judæos dispersos per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, et Bithyniam, secundariò autem ad gentes conversas, inter quas isti Judæi morabantur.

Probatur prima resolutionis pars, scilicèt quòd sit scripta ad Judæos: Quia inprimis id clarè insinuant præmemorata verba inscriptionis: *Advenis dispersionis.* Non enim gentiles advenæ erant earum regionum quas Petrus ibi recenset, sed Judæi in illis commorantes. Item ad Judæos spectat quod dicit, cap. 2, v. 11: *Obsecro vos tanquàm advenas et peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversùs animam, conversationem vestram inter gentes habentes bonam.* Et cap. 3, haud dubiè mulieres Hebræas adhortatur, dùm, v. 5 et 6, ait: *Sic enim aliquando et sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectæ propriis viris. Sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans: cujus estis filiæ benefacientes, et non pertimentes ullam perturbationem.*

Probatur secunda pars, nempe quòd etiam sit scripta ad gentiles: Quia id clarè patet ex cap. 2, v. 10, ubi dicit: *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.* Atqui hoc testimonium, quod ex Osee 2, v. 24, desumptum est, Paulus ad Rom. 9 de vocatione gentium interpretatur; ergo. Idem etiam patet ex cap. 1, ubi ait: *Non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis.* Ac rursùm: *Redempti estis de vanâ vestrâ conversatione paternæ traditionis.* Hæc enim ad gentes propriè pertinent. Insuper cap. 4, v. 3, dicitur: *Sufficit præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam, his qui ambulaverunt in luxuriis... et illicitis idolorum cultibus.* Quod utique ad gentiles qui idololatræ fuerant dictum esse satis evidens videtur.

Itaque licèt S. Petrus hanc Epistolam principaliter ad Judæos scripserit, tamen quia Judæi fideles in dispersione constituti cum gentibus eorumdem locorum in Christum credentibus, tanquàm fratribus, communicabant, idcircò etiam ad gentiles scriptam esse omninò vero simile est. Inscribit autem Epistolam ad Judæos, ut apostolus circumcisionis, seu populi circumcisi; quemadmodùm è contrario Paulus, ut apostolus præputii, seu doctor gentium, præcipuè suas Epistolas ad gentiles dirigit; quamvis Corinthi essent etiam Judæi inter fideles illos ad quos scribit. Una excipitur Epistola ad Hebræos, quæ ad solos Judæos à Paulo scripta fuit.

Dico 3°: Causa ob quam S. Petrus hanc Epistolam scripsit, præcipua hæc est, scilicet ut Judæos ad Christum conversos qui gentium regiones incolebant in fide Christi confirmaret; docens eos in professione susceptâ constantes esse debere, eamque vitâ et moribus exornare: atque ita futurum pollicetur ut hæreditatis cœlestis ad quam vocati erant participes fiant. In hunc autem finem varias adhibet exhortationes, scilicet de retinendâ in rebus adversis patientiâ, de servandâ vitæ innocentiâ ac puritate, de obedientiâ præstandâ magistratibus, de honestâ et christianâ conjugum inter se conversatione, de vitandâ profanâ gentium consuetudine. Tum invitat ad vigilantiam,

sobrietatem, orandi studium, humilitatem, hospitalitatem, ac cætera officia charitatis erga proximos. Atque his præceptis passim admiscet rationes à fidei nostræ mysteriis petitas. Ultimo capite, tanquàm ipsorum etiam pastorum pastor, seniores, id est, episcopos ac presbyteros hortatur quomodò in ecclesiarum suarum regimine gerere se debeant. Ita Estius. § 2. *Ad quid, cap.* 1, *v.* 12, *referatur τὸ* in quem : *item quid, cap.* 2, *v.* 5, *intelligatur per* sacerdotium sanctum.

Postquàm S. Petrus Christi fideles adhortatus fuisset ut propter spem salutis æternæ exultarent in quibusvis tribulationibus, statim subjungit cap. 1, v. 10 : *De quâ salute exquisierunt, atque scrutati sunt prophetæ, qui de futurâ in vobis gratiâ prophetaverunt : scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi.* His verbis significat S. Petrus Evangelii prædicationem non esse novam aut repudiandam doctrinam, sed antiquissimam SS. prophetarum prædicationem. Affirmat insuper quòd prophetæ hanc, quæ nunc nobis novi Testamenti filiis facta est, gratiam diligenter exquisierint, ac prædicaverint non tantummodò dominicæ incarnationis substantiam, sed etiam præcisum seu prædefinitum tempus. Ita enim fecit singulariter propheta Daniel, qui inquisivit ac prophetavit ejus præcisum annum : et ob hoc à S. Gabriele archangelo fuit meritò appellatus *vir desideriorum*. Unde ad ejus prophetiam hic videtur respicere S. Petrus, ac insinuare ejus hebdomadas jam esse completas, adeòque advenisse Messiæ tempus, et ipsum non posse esse alium quàm eum nuper crucifixum. In hunc enim non solummodò alia prophetarum præconia convenerunt, sed etiam hæ hebdomadæ.

Prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones. Ex hoc loco rectè probatur divinitas Spiritûs sancti, et ipsum haud dubiè respexit synodus Constantinopolitana, dùm ad probandam istam divinitatem inseruit suo Symbolo : *Qui locutus est per prophetas.*

Et posteriores glorias. Christi Domini humilitas, passio et crux fuerunt carnalibus Judæis scandalum : quoniam expectabant Messiam uti gloriosum regem, ac totius mundi bellicum triumphatorem. Apostolus Petrus affirmat hunc esse manifestum ac prophetarum prædicationibus apertè contrarium errorem, eò quòd prophetæ palàm prædicaverint et prædixerint Christi Domini humilitatem, passionem ac mortem, et non quasvis, sed posteriores glorias; nempe gloriam resurrectionis, ascensionis, et dominii spiritualis super omnes gentes, utique post infamem mortem.

Vers. 12 : *Quibus revelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea quæ nunc nuntiata sunt vobis.* His verbis insinuat prophetis inter varia fuisse etiam revelatum quòd non ipsi, sed ipsorum posteri essent visuri gratiam novi Testamenti, adeòque quòd non sibi ipsis, sed potiùs suis posteris suâ prædicatione servirent. Ita et Christus Dominus dixit Luc. 10 : *Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ vos auditis, et non audierunt.* Et Joan. 4 : *Alii laboraverunt, et vos in laboribus eorum introistis.* Item cap. 10 Epist. 1 ad Corinth. scribit Paulus : *Omnia in figurâ contingebant illis, scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt.*

Per eos qui evangelizaverunt vobis. Ex his verbis patet quòd non solus Petrus, sed etiam alii apostoli istis fidelibus Judæis prædicaverint. Prædicârunt autem non à semetipsis, sed illuminati ac jussi per missum de cœlo Spiritum sanctum, utique in die Pentecostes. Ex factis tunc miraculis S. Petrus confirmat auctoritatem evangelicæ prædicationis.

In quem desiderant angeli prospicere. Ven. Beda relativum *in quem* refert ad Christum Dominum, et exinde probat ejus divinitatem. Alii referunt ad immediatè præcedentia, nempe ad Spiritum sanctum, ac hujus divinitatem exinde probant. At in textu Græco habetur : *In quæ*, utique in mysteria. Ac proinde juxta textum Græcum relativum referri debet ad omnia præcedentia, videlicet ad omnia Christi Domini per prophetas prædicata mysteria ; ita ut et SS. angeli desiderent in ipsa prospicere. Ita locum hunc intelligit S. Isidorus Pelusiota, lib. 1, epist. 119; item S. Ambros., lib. de Patriarchâ Isaac, cap. 5. Porrò quòd SS. angeli quædam dominicæ incarnationis mysteria aliquando ignoraverint, ideòque in ipsa postmodùm sibi revelata prospexerint cum summo desiderio, patet ex cap. 4 Epist. ad Ephesios, ac cap. 3 Epist. 1 ad Timotheum.

Etiam Estius putat legendum esse *in quæ*, dicitque sensum geminum præfati textûs esse hunc : *In quæ*, scilicet ea quæ nunc nuntiata sunt vobis ; hoc est, in mysteria salutis ac redemptionis humanæ, à prophetis prædicta, et ab apostolis annuntiata, angeli penitûs introspicere desiderant. Quamvis enim ea non ignorent, tamen cognitis adeò delectantur, ut plenius etiam atque perfectius ea nôsse vehementer cupiant. Hoc autem mysticè significabant duo Cherubim expansis alis operientes propitiatorium, et in illud, versis ad se mutuò vultibus, respicientes, Exod. 25. Nam in propitiatorio typus erat nostræ per Christum redemptionis. Ita Estius et alii qui sequuntur textum Græcum.

Interim adhærendo textui nostræ Vulgatæ, videtur *τὸ in quem* referri debere ad Spiritum sanctum : nam de illo immediatè ante præcessit sermo. Itaque in Spiritum sanctum, tanquàm in objectum beatitudinis, angeli prospicere desiderant, in quantum desiderandi satiantur, et satiando desiderant : et sic desiderium istud est perpetua aviditas tantò plus videndi, quantò plus vident, sicut Ecclesiast. 24 dicitur : *Qui edunt me adhuc esurient.* Hinc S. Gregor., lib. 18 Moral., cap. 28, ait : « Angeli vident, et videre desiderant, et sitiunt intueri, et intuentur. Ne autem sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur ; et ne sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant sine labore, quia desiderium satietas comitatur; et sa iantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper incenditur. » Et Beda in hunc locum ita scribit : « Contemplatio divinæ præsentiæ ita angelos beatificat, ut ejus semper visâ glorià satientur, et semper

ejus dulcedinem quasi novam insatiabiliter esuriant. »

S. Petrus, cap. 2, adhortans fideles ut dignè juxta vocationem vivant, ait v. 5 : *Et ipsi tanquàm lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias.* SS. Hieron., in cap. 28 Ezech., et Ambros., in cap. 3 et 22 Luc., legunt : *In sacerdotium sanctum;* q. d. : Super Christum ædificamini, ut sitis sacerdotium, non *impurum*, profanum et sacrilegum, quale est idololatrarum et hæreticorum; sed purum, sacrum et sanctum.

Ex jam citato textu Lutherus deducere voluit omnem Christianum, etiam feminam, esse sacerdotem, idcòque omnes posse absolvere et sacrificare. Verùm hæc deductio prorsùs ábsurda et falsa est. Etenim exindè sequeretur omnem Christianum esse etiam regem, adeòque inter Christianos nullam esse superioritatem : nam S. Petrus sicut hìc omnes pios fideles vocat *sacerdotium sanctum*, sic paulò infra, v. 9, eos appellat *regale sacerdotium*. Et Apocal. 1 et 5, dicitur Deus nos fecisse *regnum et sacerdotes* : Græcè, *reges et sacerdotes*.

Ut igitur præcitatus D. Petri textus intelligatur, videamus quid de eodem habeat S. Leo. Hic, serm. 3 de Anniversario suæ assumptionis, eum insigniter exponit. « Licèt, inquit, universa Ecclesia Dei distinctis ordinata sit gradibus, ut ex diversis membris sacrati corporis subsistat integritas : nos tamen omnes, sicut ait Apostolus (1 Cor. 11) *in Christo Jesu unum sumus*, nec quisquam ab alterius ita est divisus ófficio, ut non ad connexionem pertineat capitis cujuslibet humilitas portionis. In unitate igitur fidei atque baptismatis, indiscreta nobis societas, dilectissimi, et generalis est dignitas, secundùm illud beatissimi Petri apostoli sacratissimâ voce dicentis : *Et ipsi tanquàm lapides vivi superædificamini in domos spirituales, sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum.* Et infra : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Omnes enim in Christo regeneratos crucis signum efficit reges, sancti verò Spiritûs unctio consecrat sacerdotes : ut præter istam specialem nostri ministerii servitutem, universi spirituales et rationales Christi agnoscant se regii generis, et sacerdotalis officii esse consortes. Quid enim tam regium quàm subditum Deo animum corporis sui esse rectorem? Et quid tam sacerdotale quàm vovere Domino conscientiam puram, et immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre ?

Ex his verbis patet duplex esse sacerdotium, et duplex regnum : unum generale et impropriè dictum, alterum speciale et propriè dictum. Nam sicut sacrificium specialiter et propriè vocatur quod externo ritu cum aliquâ sui immutatione Deo offertur, ut supremo Domino; generaliter autem et impropriè omne id quod agitur, ut sanctâ societate Deo inhæreatur, prout observat S. P. Aug., lib. 20 de Civ. Dei, cap. 6 : ita peculiariter et propriè sacerdotes dicuntur quorum officium est sacrificia prioris generis offerre; impropriè verò et generali ratione qui posterioris generis afferunt Deo sacrificia; id est, quicumque pia et sancta opera exercent. Porrò quòd S. Petrus de sacerdotio impropriè ac generaliter accepto loquatur, manifestum est ex illis verbis : *Offerre spirituales hostias; id est, ad offerendum hostias* sive sacrificia spiritualia, seu opera virtutum : quæ quidem omnia, quatenùs ad Dei referuntur honorem, tanquàm Auctoris ac Domini universalis *hostiæ* dicuntur : *spirituales* autem, ad differentiam carnalium hostiarum quæ in veteri lege offerebantur : vel generatim ad discrimen cultûs externi, qui ad interiorem cultum in animo consistentem referri debet. Subest igitur in hâc parte exhortatio tacita ad opera bona, tanquàm ad spirituales hostias, ad quas Deo offerendas omnes fideles juxta S. Leonem consecrati sunt sacerdotes in baptismo.

§ 3. *Quomodò intelligenda sint ea quæ habet S. Petrus de spiritibus incredulis in diebus Noe.*

Cap. 3, S. Petrus hortans fideles ad constantem patientiam in sufferendis infidelium contra eos contumeliis ac persecutionibus, v. 18 ait : *Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis.* Ex hoc Christi exemplo ostendit duo : Primò quòd pati debeamus, etiamsi simus innoxii et sine peccato; secundò quòd tales persecutiones debeamus constanter ferre, quia Christus Dominus fuit non tantummodò passus, sed et mortuus; et quidem pro omnium nostrûm peccatis, ut nos offerret seu reconciliaret Deo, faceretque promptos ad ipsum in hâc re imitandum.

Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, v. 19 : *In quo et his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit.* Hic locus est valdè difficilis. Videtur enim primâ fronte ex eodem sequi quòd descendens ad inferos Christus Dominus istis prædicaverit omnibus qui quondam prædicationes Noe audire noluerant, et in infidelitate defuncti fuerant. Et aliqui olim ita senserunt : docuerunt enim Christum propter istam prædicationem descendisse ad *inferos*, omnes *damnatos* in ipsum credidisse, omnes fuisse justificatos et salvatos, infernum tunc fuisse evacuatum, adeòque illìc modò esse solos post Evangelium peccatores.

Verùm hic est error ac fabula et hæresis confutata à S. Aug., lib. de Hæres. cap. 79; item à S. Gregor., 6 Registr., epist. 15, vel alio computu 179. In inferno enim nulla est redemptio. Quapropter Christus *descendens ad inferos*, ait S. Gregor., *solos per suam gratiam liberavit, qui eum et venturum esse crediderunt, et præcepta ejus vivendo tenuerunt.*

Quam ob rem catholici interpretes longè aliter præmemoratum D. Petri textum exponunt. Inprimis verò S. P. Aug., epist. 99 ad Evodium, verborum illorum : *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu*, dicit esse hunc sensum : Licèt Christus per passionem et crucem fuerit carne mortuus, fuit tamen spiritu vivificatus; id est, per Spiritum sanctum resuscitatus à mortuis. Ita et S. Paulus ad Rom. 1 scribit de Christo : *Secundùm spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum.* Quibus verbis declarat Christum Dominum per

Spiritum sanctum et fuisse sanctificatum, et à mortuis suscitatum. Et in isto spiritu olim *veniens*, non per assumptam propriam carnem, sicut postea quando Verbum caro factum est, sed per Noe et quosdam alios sanctos quos tanquàm organa sua inspirabat; aut per alias etiam creaturas quibus homines variis modis instruebat. *Prædicavit*, pœnitentiam et conversionem ad Deum à viâ suâ malâ. *Qui in carcere erant spiritibus*, non in infernali carcere, sed in illo de quo loquitur David psal. 141 : *Educ de custodiâ animam meam ad confitendum nomini tuo.* Loco verborum *de custodiâ*, varii Codices habent *de carcere*. Propheta orat liberari à dominatu concupiscentiæ : hic enim est carcer et custodia undè misera anima detinetur captiva. Et ideò subjungit : *Ad confitendum nomini tuo ;* id est, ad benè volendum et operandum. Ita etiam Zacharias pater S. Joannis Baptistæ oravit in suo cantico, Luc. 1 : *Illuminare his qui in tenebris et in umbrâ mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*, hoc est, qui captivi tenentur suis concupiscentiis, quæ sunt umbra mortis et tenebrosus carcer peccatorum. Porrò homines qui prædicanti Noe noluerunt credere fuerunt sceleratissimi ; nam de illis scriptum est, Gen. 6, v. 12 : *Omnis caro corruperat viam suam.* Hinc eorum spiritus dicuntur meritò fuisse in carcere, seu in tenebrosissimis concupiscentiis ; erant enim in ipsis obcæcati et obdurati.

Interim licèt S. P. Aug. hanc expositionem ad longum prosequatur, non ei tamen penitùs inhæret : siquidem circa finem Epistolæ supra citatæ de eâdem dicit : « Hæc expositio verborum Petri cui displicet, vel cui etiam non displicet, non tamen sufficit, quærat ea secundùm inferos intelligere. Qui si voluerit illa, quibus me moveri supra commemoravi, ita solvere ut eorum auferat dubitationem, impartiat et mihi : quod si factum fuerit, potuerunt illa verba utroque modo intelligi ; sed ista sententia de nullâ falsitate convincitur. » Nimirùm ea de quâ antea præmiserat : « Et Dominum quidem carne mortificatum venisse in infernum satis constat. Neque enim contradici potest prophetiæ quæ dicit : *Quoniam non derelinques animam meam in inferno.* »

Itaque præter præfatam *obscurissimæ et profundissimæ Scripturæ interpretationem*, ut loquitur Augustinus, est alia etiam probabilis, et ferè omnium recentiorum interpretum, qui de descensu animæ Christi ad inferos eam exponunt, aiuntque Christum ibi in spiritu suo creato, sive in animâ prædicâsse spiritibus eorum qui increduli aliquando fuerant prædicationi Noe, sed tamen postea incipiente diluvio crediderant, et ad Deum conversi erant per pœnitentiam ; quos cùm adhuc in carcere purgatorii aut limbi anima Christi invenisset, prædicavit illis suum adventum, se esse Messiam et humani generis Redemptorem ; pœnasque eorum per quamdam indulgentiam remisit, quorum nondùm erat expletum purgatorium, ut omnes unà secum eveheret in cœlum.

Unde singula verba prolixiùs ferè sic exponunt : Christus juxta S. Petrum dicitur *vivificatus spiritu*, id est, animâ : quia factus est in spiritum vivificantem, tunc scilicet quando à morte resurrexit ad vitam immortalem. Itaque *vivificatus spiritu* Christus intelligitur per resurrectionem, quia tunc vivere cœpit vitâ immortali, ad quam sola sine ciborum adminiculis sufficiebat animæ præsentia, quod et in reliquis futurum est electis, quorum *primitiæ* Christus, ut dicitur 1 ad Cor. 15, v. 20. *In quo* spiritu, sive in animâ suâ, *et his qui in carcere erant*, nimirùm in purgatorio, aut in limbo, *spiritibus*, sive animabus defunctis, *veniens*, id est, in triduo mortis descendens ad inferos, ubi animæ justorum expectabant, *prædicavit ;* hoc est, nuntium bonum et lætum iis annuntiavit, se esse Christum ac eorum Redemptorem, qui passione suâ lytrum Patri solvisset, et cœlum hactenùs clausum reserâsset. *Qui increduli fuerant*, id est, noluerant credere Noe annuntianti ipsis generale totius orbis diluvium. Postea tamen, cùm vidissent, erumpentibus è cœlo et abysso subterraneâ aquis, diluvium inundare, per pœnitentiam ad Deum conversi fuerant : ideòque animæ eorum tempore mortis Christi in limbo patrum, vel fortè adhuc quædam in purgatorio erant.

Si contra hanc expositionem opponatur quòd nulla sit ratio quòd S. Petrus potiùs loqueretur de illis incredulis quàm detot aliis justis qui in limbo et purgatorio erant ; respondent hujus sententiæ patroni quòd Petrus potiùs in exemplum adduxerit incredulos qui fuerant in diebus Noe quàm tot alios justos, quia loco præcitato agit de efficaciâ mortis Christi, dicens v. 18 : *Christus semel pro peccatis mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo.* Hanc ergo efficaciam volens ostendere, illustrius exemplum adducere non potuit quàm illorum incredulorum qui aquis diluvii jamjam enecandi, merito tamen mortis Christi per pœnitentiam ad Deum conversi, fuerunt justificati ; nam omnes justi etiam in antiquâ lege per fidem saltem implicitam in Christum fuerunt justificati. An horum incredulorum exemplum, inquiunt, non erat efficacius ad intentum Petri, ut scilicet efficaciam mortis Christi ostenderet, quàm omnium aliorum justorum qui fuerunt ab ipso mundi exordio?

Pergit S. Petrus loco supra citato, et subjungit : *Quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cùm fabricaretur arca*, sperantes quòd Deus in infinitâ suâ patientiâ et longanimitate perseveraret usque ad finem, nec eos generali diluvio obrueret, sicut futurum prædicabat ipsis Noe.

Expectabant Dei patientiam, teste R. P. Bukentop, habent penè omnes libri Vulgatæ, etiam ante correctionem sub Clemente VIII factam ; sed tamen in textu Græco habetur : *Quando expectabat illa Dei longanimitas*, seu *patientia*. Hoc est : Quando Deus illos tam patienter et longanimiter tot annis ad resipiscentiam expectabat, antequàm illos diluvio deleret, sicut Epist. 2, cap. 3, v. 9, dicit idem Apostolus : *Patienter agit propter vos.*

Græco textui correspondent Syriacus et Arabicus ; atque etiam ut illi legerunt Hieronymus, Augustinus, Idacius contra Varimundum, Dionysius Carthusianus,

atque Ven. Beda, prout Bedæ commentarius non obscurè indicat.

Hæc proinde lectio, inquit præcitatus Bukentop, magis genuina videtur, quàm illa modernæ Vulgatæ, cùm et hoc accedat : Dicere quòd homines expectent Dei patientiam, nec est usitatum in Scripturâ, nec habet sensum adeò communem. Et licèt id etiam de hominibus dici posset, tamen reverà illi soli propriè dicuntur expectare Dei patientiam, ait Fromendus, quos pœnitere incipit, et desiderant ut Dei patientia ipsorum misereatur. Hoc autem non desiderabant increduli et pessimi illi peccatores qui prædicantem Noe et fabricam arcæ irridebant. Dei igitur patientia potiùs illos expectabat, ut ad cor et pœnitentiam redirent.

Nec dixeris Græcum ἀπεξεδέχετο, cùm sit verbum medium, posse verti *expectabatur* (ut vertit translator Œcumenii), nempe ab hominibus illius ævi, atque adeò ipsi *expectabant* : nam verbum istud Græcum, quamvis voce medium sit, tamen semper accipitur activè, ut testatur Estius.

Quidquid sit, ego puto criticè decidi non posse an debeat legi : *Expectabant Dei patientiam*, an verò : *Expectabat Dei patientia*. Nam licèt in omnibus correctioribus vulgatæ editionis Bibliis habeatur *expectabant*, tamen inde non sequitur quòd ita legi debeat: siquidem omnes fatentur quòd Biblia nostra vulgata non ita sint expurgata à mendis, quin hinc et inde adhuc aliqua exigua menda (quæ tamen nihil contra fidem aut bonos mores faciunt) in eisdem reperiantur. Jam autem sive hìc legatur *expectabant*, sive *expectabat*, id nihil facit contra fidem aut bonos mores; ergo, etc.

Petes : Quomodò probet Petrus, cap. 4, v. 5, quòd Christus judicaturus sit *vivos et mortuos*, ex eo quòd mortuis evangelizatum sit. — Resp. : Juxta A Lapide aliosque qui existimant evangelizationem istam factam ab animâ Christi in limbo aut purgatorio intra triduum mortis, probatio ista in eo fundatur quòd Christus descendens ad inferos incredulis qui fuerant in diebus Noe, et tempore diluvii per veram pœnitentiam fuerunt reconciliati, non solùm prædicaverit, lætum nuntium ferens instantis liberationis, sed etiam, ut hìc dicit, *judicentur secundùm homines in carne : vivant autem secundùm Deum in spiritu* : id est, olim eos judicaverit ut Deus : quia Noe minitanti ex parte Dei diluvium fuerunt increduli, omnes justo Dei judicio interierunt aquis diluvii. Et hoc vocat *judicium secundùm homines in carne* : quia in carne seu in corpore puniebantur, quod hominum judicio erat signum perseverantis incredulitatis. *Vivant autem secundùm Deum in spiritu*, id est, in animâ secundùm Deum, qui solus eorum veram pœnitentiam videbat, quique animas illas conversas in cœlum secum duxit.

Si quis opponat quòd huic expositioni contrarietur textus Græcus, in quo verba *judicare* et *vivere* habentur in futuro, ac consequenter quòd intelligi nequeant de judicio Christi præterito, respondet A Lapide quòd hæc futura non referantur ad tempus nobis præsens, sed ad futurum Christo ad inferos descendenti; tunc enim judicium illud non erat à Christo factum, sed futurum; nec mortui illi erant ab eo judicati et vivificati, sed tantùm judicandi et vivificandi. Unde sensus textûs Græci, juxta ipsos videtur innuere quòd Christus descenderit ad inferos evangelizatum mortuis, eosque tunc judicaverit carne, et vivificaverit spiritu, hanc, v. g., proferendo sententiam : Ego vos ob incredulitatem et peccata damnavi *secundùm hominem*, id est, exteriùs *carne*, ut scilicet exterior vester homo, puta corpus, mergeretur diluvio; sed quia ante mortem pœnitentiam egistis, idcircò *secundùm* Deum, id est, interiùs et secretò coram Deo animam vestram adjudico vitæ, ut scilicet per meam mortem et redemptionem vivatis mecum spiritu; ideòque communico spiritui vestro visionem meæ divinitatis, eâque vos beo et glorifico. Hoc autem judicium tantùm secretò Christus inchoavit in limbo, consummabit verò illud publicè in fine mundi.

Attamen S. Aug., qui, ut supra vidimus, verba illa cap. 3, v. 19 : *In quo et his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit*, non intelligit de prædicatione apud inferos, sed de prædicatione quæ istis incredulis facta est tempore Noe, etiam aliter verba cap. 4 exponit, dùm epist. 99 ita pergit, et subjungit : « Proinde etiam quod sequitur, et dicit Petrus : *Propter hoc enim mortuis evangelizatum est, ut judicentur quidem secundùm hominem in carne, vivant autem secundùm Deum in spiritu*, non cogit apud inferos intelligi. *Propter hoc enim* in hâc vitâ *et mortuis evangelizatum est*, id est, infidelibus et iniquis, *ut*, cùm crediderint, *judicentur quidem secundùm hominem in carne*, hoc est, in diversis tribulationibus et ipsâ morte carnis : unde idem Apostolus alio loco (nempe hìc, cap. 4, v. 17) dicit : *Tempus est ut judicium incipiat à domo Domini. Vivant autem secundùm Deum spiritu*, quia in ipso fuerant mortificati, cùm morte infidelitatis et impietatis detinerentur. » Itaque juxta S. Aug. mortuis evangelizatum est à patriarchâ Noe, quia et hìc mortuis in suâ iniquitate hominibus prædicavit eo fine, ut per temporales tribulationes à Deo castigati pœnitentiam agerent et mundarentur, atque ita à suis peccatis in animâ resurgerent.

QUÆSTIO III.

De Epistolâ secundâ S. Petri.

Hæc Epistola scripta fuit contra sectatores Simonis Magi, qui apostolica tempora multùm fœdârunt, plurimosque turbârunt in suâ fide, et christianam religionem apud gentiles gravissimè infamârunt. Eorum dogma fuit fœdissimum; ideòque ipsum demonstrâsse, erat confutâsse. Ita in variis locis asserit S. Irenæus. Hinc et S. Petrus ipsum in hâc Epistolâ non discutit, sed solummodò monet fugiendum.

§ 1. *An hæc Epistola sit canonica; item ad quos et quandonam scripta.*

Resp. et dico 1° : Quamvis, ut quæst. præced. ex S. Hieron. audivimus, ab aliquibus dubitatum fuerit

an hæc Epistola canonicis Scripturis annumeranda foret, tamen hoc dubium jamdudùm sublatum est, et consequenter certum est quòd verè sacra et canonica sit. Etenim ipsam suo canoni inseruerunt Laodicena Asiaticæ ac Ponticæ diœceseos synodus; Innocentius I, epist. 3 ad Exuperium; et Gelasius I in concilio Romano 70 episcoporum. Item quicumque alii Scripturarum catalogum recensuerunt; ut Athanasius in Synopsi, et S. P. Aug., lib. 3 de Doct. christ., cap. 8. Imò et alii Patres, tam Græci quàm Latini, inter quos Origenes, hom. 7 in Josue, et hieronymus, multis in locis, ex hâc Epistolâ, tanquàm scripturâ sacrâ, proferunt testimonia. Quibus omnibus accessit definitio concilii Tridentini, sess. 4.

Nec his obstat quòd in editione Syriacâ non habeatur; siquidem inde nihil aliud concludi potest quàm quòd olim de authenticitate ejus dubitatum fuerit; sicut et de Epistolâ Judæ, deque secundâ et tertiâ Joannis, et de ejus Apocalypsi, quæ similiter in editione Syriacâ non extant. Et tamen Syri doctores egregii, Ephrem et Joannes Damascenus, Græcam editionem meritò pluris facientes, ex hâc Epistolâ citant interdùm testimonia pro sacris. Imò Damascenus, lib. 4, cap. 18, expressè cum catalogo Scripturarum intexit. Ita Estius.

Dico 2° : Quemadmodùm certum est hanc Epistolam esse canonicam, ita pariter manifestum est auctorem ejusdem esse S. Petrum apostolum, cujus nomen gerit in salutatione. Unde eos qui hanc Epistolam negabant esse S. Petri apostoli, tribuentes eam alii cuidam Cephæ, seu Petro, refutat S. Gregor., hom. 18 in Ezech., dicens : *Sed si ejusdem Epistolæ verba pensare voluissent, longè aliter pensare potuerant.* Urget autem verba, quæ hìc habentur cap. 1 : *Voce delapsâ ad eum hujuscemodi à magnificâ gloriâ : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto.* Ex his verbis D. Gregorius concludit : « Legant itaque Evangelium, et protinùs cognoscent quia, cùm vox ista de cœlo venit, Petrus apostolus cum Domino stetit. Ipse ergo hanc Epistolam scripsit, qui hanc vocem in monte de Domino audivit. »

Dices : S. Hieron., lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, verbò *Petrus*, asserit duas has Epistolas esse diversi styli; ergo non videntur unius ejusdemque esse auctoris. — Resp. istud argumentum ab ipso Hieron. solvi, epist. 150, quæst. 11, ubi affirmat S. Paulum, licèt habuerit donum linguarum, nihilominùs linguæ Græcæ non fuisse eleganter peritum; adeò ut divinorum sensuum majestatem non potuerit eloquii explicare *sermone. Et hinc subjungit :* « Paulus ergo habebat Titum interpretem, sicut et Petrus Marcum, cujus Evangelium, Petro narrante, ab illo scribente compositum est. Denique et duæ Epistolæ, quæ feruntur Petri, stylo inter se et charactere discrepant, structuràque verborum. Ex quo intelligimus, pro necessitate rerum diversis eum usum interpretibus. » Existimat igitur S. Hieron. has Epistolas à S. Petro Hebraicè dictatas, per interpretem Græcè fuisse expressas, ac à diverso interprete seu scribâ esse styli diversitatem.

Dico 3° : Scripta est ad eosdem, ad quos prima Epistola. Idque manifestum est ex verbis cap. 3 : *Hanc ecce vobis secundam scribo Epistolam.* Cùm autem prima principaliter scripta fuerit ad eos qui ex circumcisione erant fideles, etiam hanc ad eos, id est, ad Judæos in Christum credentes, principaliter directam fuisse, omninò evidens esse videtur.

Dico 4° : Hæc Epistola scripta fuit paulò ante S. Petri martyrium; liquet id ex verbis cap. 1, v. 14, ubi ait : *Certus sum quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi.* Jam autem cùm in Concord. Evang., cap. 28, quæst. 6 (vid. supra, vol. 23,) monstraverimus quòd S. Petrus martyrium subierit die 29 junii anni 66 æræ vulgaris, clarè sequitur quòd eodem hoc anno secunda ejus Epistola scripta fuerit.

§ 2. *De quâ revelatione agat S. Petrus cap.* 1, *v.* 14.

Loco citato apostolus Petrus, exhortans fideles ad constantiam in fide, ita loquitur : *Justum autem arbitror quamdiù sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione; certus quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi.* Ex his verbis manifestum est Christum S. Petro tempus mortis et martyrii, jam proximè instantis, revelàsse seu præsignificàsse. Extat autem propè Romam, viâ Appiâ, sacellum in quo fertur Christus Petro è carcere fugienti apparuisse, ac roganti : *Domine, quò vadis?* respondisse : *Vado Romam ut iterùm crucifigar.* Factum istud hoc modo narrat S. Ambros. conc. 1 de Basilicis non tradendis hæreticis : « Petrus, quamvis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est; rogabatur enim ut ad instituendum et confirmandum populum se conservaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit, et videns sibi in portâ Christum occurrere, urbemque ingredi, ait : *Domine, quò vadis?* Respondit Christus : *Venio Romam iterùm crucifigi.* Intellexit Petrus ad suam crucem divinum pertinere responsum; Christus enim non poterat iterùm crucifigi, qui carnem passione susceptæ mortis exuerat... Intellexit ergo Petrus quòd iterùm Christus crucifigendus esset in servulo. Itaque spontè remeavit, interrogantibus Christianis responsum reddidit, statimque correptus, per crucem suam honorificavit Dominum Jesum. » Idem etiam testatur S. Gregor., in psal. 4 Pœnit. Estius et nonnulli alii putant Petrum de hâc revelatione hìc locutum fuisse. Attamen cùm hæc Epistola intra spatium novem mensium, quibus Petrus in carcere Mamertino detentus fuit, scripta sit, et statim post jam memoratam fugam, ut refert S Ambrosius, Petrus fuerit captus, et crucis supplicio affectus : hæc fuga post scriptam hanc Epistolam vero similiter accidit; ac proinde plausibiliùs dicitur cum Fromondo quòd Petrus hìc agat de aliâ nobis incognitâ revelatione, quæ sibi à Christo facta erat Nam apostolis frequentes fiebant revelationes.

§ 3. *Quo sensu dicat S. Petrus propheticum sermonem esse firmiorem quàm fuit vox Dei Patris de cœlo allata.*

Probavit S. Petrus Evangelii Christique fidem à se prædicatam esse veram et divinam, ex oculari visione gloriæ Christi in transfiguratione, et auditione vocis Dei Patris : *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite.* Nunc ne eâ solâ niti videatur, neve quis eam velut privatam de illusione vel adulatione suspectam reddat, eamdem confirmat publico certissimoque prophetarum testimonio. Propheticum enim sermonem vocat oracula prophetarum de Christo ejusque divinitate, incarnatione, morte, etc., quale est illud psal. 2, jam præcitato textui maximè consentiens : *Filius meus es tu, ego hodiè genui te.*

Porrò ut intelligatur quomodò cap. 1, v. 19, post allegatum Dei Patris et apostolorum de Christo testimonium, dicat Petrus fideles habere firmiorem sermonem propheticum, observandum est eum Estio comparativum *firmiorem* non referri ad vocem Patris de cœlo allatam (nam vox Patris apud Judæos supremam habebat auctoritatem, utpote vox Dei), sed ad testimonium apostolicum, quod proximè præcessit, *Et hanc vocem nos audivimus*, etc. Deinde, aut firmum aliquid dicitur in se, quia immobilem habet veritatem ; quo modo omne Dei verbum firmum est, sive per vocem in aere formatam, sive per os prophetarum, sive per apostolorum prædicationem ad nos perveniat : aut firmum dicitur in mente hominis, id est, certùm seu certò cognitum. Ita quod uni firmum ac certum est, alteri dubium et incertum, aut minùs certum esse potest.

Hoc igitur modo sermo propheticus Judæis ad Christum conversis erat firmior apostolicâ istâ attestatione ex quâ didicerant revelationem istam factam in monte sancto. Erat enim prophetarum auctoritas in illo populo diuturnitate temporis, et consensu majorum firmata jam et roborata ; non item auctoritas apostolorum, quæ recens adhuc erat, ac proinde nondùm tantâcum veneratione suscipiebatur. Nam et ipsi apostoli suam doctrinam confirmabant dictis prophetarum, maximè quoties cum Judæis agerent.

Igitur Petrus Judæis fidelibus scribens, ut eos in fide christianâ ampliùs stabiliat, primò quidem commemorat vocem Patris cœlitùs super Jesum delapsam. Verùm non aliter eam probat delapsam fuisse, quàm suo et duorum coapostolorum testimonio. Quare cùm Judæi pluris facerent oracula veterum prophetarum quàm attestationes apostolorum, necessariò subjungendum putavit de prophetis. Ad quorum proinde testimonia, tanquàm receptissima atque certissima, nunc eos remittit. Ita Estius.

Licèt ergo vox Patris, quam audivit Petrus, esset tam firma et certa in se quàm erat sermo propheticus, non erat tamen tam firma et certa respectu illorum quibus scribebat Petrus. Hinc et S. P. Aug., serm. 27, de Verbis Apostoli, cap. 4, in præfata D. Petri verba subtilem et pulcherrimam hanc habet reflexionem : « Certiorem sanè esse dixit : certiorem, non meliorem, non veriorem. Tam enim verus ille sermo de cœlo, quàm sermo propheticus, tam bonus, tam utilis. Quid est ergo *certiorem*, nisi in quo magis confirmetur auditor ? Quare hoc ? Quoniam sunt homines infideles, qui sic detrahunt Christo, ut dicant eum magicis artibus fecisse quæ fecit. Possunt ergo infideles etiam istam vocem delatam de cœlo, per conjecturas humanas, et illicitas curiositates ad magicas artes referre. Sed prophetæ antea fuerant, non dico antea, ante istam vocem, sed ante Christi carnem. Nondùm erat homo Christus, quando misit prophetas. Quisquis cum dicit magum fuisse : si ergo magicis artibus fecit ut coleretur et mortuus, numquid magus erat, antequàm natus ? Ecce quare ait apostolus Petrus : *Habemus certiorem propheticum sermonem.* Vox de cœlo, quâ fideles admoneantur : propheticus sermo, quo infideles convincantur. Intelligimus, quantùm mihi videtur, charissimi, quare dixerit apostolus Petrus : *Habemus certiorem propheticum sermonem*, post vocem de cœlo delatam. »

Petes quo sensu dicat S. Petrus, cap. 2, v. 5 : *Octavum Noe justitiæ præconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens.* — Resp. : Dici *octavum*, non ab Adam, à quo decimus reperitur, sed quia octo tantùm animæ conservatæ fuerunt, ut idem apostolus dicit, Epist. 1, cap. 3. Quo in numero erat Noe, et quidem tanquàm caput : qui proinde *octavus* dicitur, modo loquendi etiam vulgaribus usitato.

QUÆSTIO IV.

De Epistolâ primâ S. Joannis.

Resp. et dico 1° : Hanc Epistolam esse à S. Joanne apostolo conscriptam, et verè canonicam, est et semper fuit communis totius Ecclesiæ sensus. Imò id ipsum indicat vel ipse stylus, per omnia consentiens Evangelico ejusdem sancti, utpote candidus, et charitate melleus. Unde S. P. Aug., tract. 7, in 1 Epist. S. Joan., ita scribit : *Canonica est ista Epistola, per omnes gentes recitatur, orbis terræ auctoritate roborctur, orbem terrarum ipsa ædificavit.* Et Dion. Alexand., apud Euseb., lib. 7 Hist., cap. 20, ait : « Evangelium et prima Joannis Epistola, non solùm vitio carent, sed etiam summâ cum verborum elegantiâ, maximo sententiarum pondere, et concinnâ eloquutionis dispositione perscripta sunt : tantùm abest ut vox aliqua barbara, aut solœcismus, aut imperitus aut rudis sermo in iis reperiantur. »

Dico 2° : Quo præcisè anno hæc et duæ aliæ S. Joannis Epistolæ scriptæ fuerint, admodùm incertum est. Interim satis plausibilis est opinio eorum qui putant eas esse scriptas circa idem tempus quo Evangelium ejus conscriptum fuit : nam magna est earumdem cum Evangelio consonantia.

Dico 3° : Argumentum seu scopus Epistolæ 1 est docere veram fidem, spem et charitatem. Fidem, tum de SS. Trinitate, tum de Verbo incarnato : quod sanè S. Joanne nullus uberiùs præstitit in Evangelio, quàm in Epistolâ hâc ; atque illâ de causâ à S. Dion.,

Epist. ad S. Joannem; Athan. in Synopsi; S. Cyril. Catech. 12; Chrysost., Epiph. et ab aliis Joannes cognominatur *Theologus*. Deinde spem excitat, commemorans præstantiam statûs evangelici ac charitatem Dei Patris, qui nos segregavit à filiis diaboli, deditque nobis ut filii Dei nominemur et simus; ideòque Filium suum misit in hunc mundum, ut morte suâ peccata tolleret, et dissolveret opera diaboli. Denique præ cæteris inculcat charitatem, ut non diligamus mundum, sed Deum, qui prior dilexit nos; et Christum, qui amore nostri mortuus est; ac proximum quem Deus diligi jubet. Tota ergo penè Epistola charitatis ardorem et vehementiam spirat. Unde S. Aug., in Præfat. hujus Epistolæ, ait: « Maximè commendatur charitas; locutus est enim multa, et propè omnia de charitate. Qui habet in se unde audiat, necesse est gaudeat ad quod audit. Sic enim illi erit lectio ista, tanquàm oleum in flammâ; si est ibi quod nutriatur, nutritur, et crescit, et permanet. »

Insuper duplicem hæresim tunc subnascentem confutat: Una erat Cerinthi, Ebionis et asseclarum, negantium Christi divinitatem; altera Basilidis et discipulorum, veram Christi carnem humanitatemque negantium, et dicentium eam apparentem tantùm, et phantasticam fuisse, uti et omnia Christi facta; ideòque Christi causâ minimè subeundum martyrium. Utramque evertit Joannes tum in Evangelio, tum in hâc Epistolâ, docetque Christum fuisse verum hominem, verumque Dei Filium, idque negantes, esse antichristos. Unde hortatur ut concupiscentiæ et peccati, quasi operum diaboli, turpitudinem fugientes, Christum mediatorem, quasi ducem salutis, sequantur per veram fidem, spem sive fiduciam, et charitatem. Observat etiam S. P. Aug., lib. de Fide et Operibus, cap. 14, Petrum, Joannem, Jacobum et Judam maximè confutâsse errorem Simonis Magi et asseclarum, solam fidem sine operibus ad salutem sufficere docentium, et ad hunc suum fundandum errorem Epistolâ S. Pauli ad Romanos abutentium; ideòque eos disertè contrarium docere, scilicet præter fidem, requiri bona opera ad salutem. Quocirca S. Joannes cuique, puta pueris, adolescentibus, senibus, operum vitæque christianæ præcepta præscribit. Ita de argumento seu scopo hujus Epistolæ scribit A Lapide.

§ 1. *Varii textus explicantur.*

Quæres 1° quid intelligatur per vitam, de quâ dicit S. Joannes, cap. 1, v. 2: *Et vita manifestata est.* — Resp. intelligi secundam SS. Trinitatis personam, seu ipsum Verbum Dei, *quod fuit ab initio*, ut ait v. 1. Hoc autem Verbum, vivens in se, et alios vivificans, manifestatum est quando carnem humanam assumpsit. *Et vidimus*, non Verbum ipsum in se, utpote divinum et spirituale, sed ejus vestem, puta humanitatem *vidimus, et manus nostræ contrectaverunt.* « Igitur manifestata est ipsa Vita in carne, quia in manifestatione posita est, ut res quæ solo corde videri potest videretur et oculis, ut corda sanaret. Solo enim corde videtur Verbum; caro autem et oculis corporalibus videtur. Erat unde videremus carnem, sed non erat unde videremus Verbum: factum est Verbum caro quam videre possemus, ut sanaretur in nobis unde Verbum videremus. » S. Aug., tract. 1 in hanc Epistolam.

Quæres 2° quis sit sensus horum verborum, cap. 1, v. 8: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* — Resp.: Sensus est hic: Si putaverimus quòd totâ hâc vitâ simus sine peccato, ita ut nequidem venialiter unquàm peccemus, prout lib. de Nat. et Grat. exponit S. P. Aug., nosmetipsos decipimus, falsis rationibus id nobis persuadendo. Peccatum igitur non habere hic idem denotat quòd non peccare; sicut habere spem idem est quòd sperare, Proverb. 24, v. 20. Habere fidem est credere; habere quietem est quiescere, Apoc. 4, v. 8. Per peccatum ergo jam citato loco non intelligitur originale, sed actuale, præcipuè veniale, in quod aliquando saltem labuntur homines etiam sanctissimi. Unde et concil. Trident., sess. 6, can. 23, dicit: *Si quis hominem semel justificatum dixerit .... posse in totâ vitâ peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

Quæres 3° an Joannes, cap. 1, v. 9, dicens: *Si confiteamur peccata nostra*, etc., loquatur de confessione generali, quæ fit Deo, an verò de speciali, quæ fit sacerdoti in sacramento pœnitentiæ. — Resp. eum loqui de utrâque, ac ibidem exigere generalem pro peccatis venialibus, et specialem pro mortalibus: mortalia enim peccata non sufficit confiteri soli Deo, sed eadem sacerdoti confiteri tenemur, ut ab eis absolvamur; eis enim solis tradidit Christus potestatem absolvendi, dicens, Joan. 20: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, etc. Quare cùm Joannes hoc loco nec sibi in Evangelio, nec Christo sit contrarius, dicendum est verba præcitata hunc habere sensum: Si confiteamur peccata nostra eo scilicet modo quo Christus voluit et instituit, nimirùm mortalia confitendo sacerdoti, venialia Deo, vel etiam sacerdoti si velimus, fidelis est Deus ut nobis confitentibus ea remittat.

Quæres 4° quomodò explicanda sint illa verba quæ habentur cap. 2, v. 18: *Filioli, novissima hora est: et sicut audistis quia Antichristus venit.* — Resp.: Illa videntur explicanda hoc modo: Ultimum mundi tempus, tanquàm ultima diei hora, jam labitur; quo tempore Antichristum esse venturum audistis, v. g., ex prædictione Christi, Joan. 5, v. 43, et Pauli 2 ad Thessal. 2, v. 3: *Et nunc antichristi multi facti sunt.* Id est: Jam multi Christo contrarii in lucem prodierunt, nempe seductores et impostores, prodromi et antesignani magni Antichristi, qui perinde ac ille Christi fidem, religionem, Ecclesiam, sacramenta, imò ipsam Christi personam et naturam impugnant: quod signum est hanc ultimam esse mundi jam senescentis, imò penè agonizantis ætatem. Notat autem Joannes hic hæreticos sui ævi.

Unde et infra, cap. 4, v. 3, rursùs ait : *Et omnis spiritus qui solvit Jesum ex Deo non est; et hic est antichristus.* Hoc est : Omnis qui negat divinitatem in Jesu esse unitam humanitati per vinculum et ligamen unionis hypostaticæ, vel negat Christum verè esse Deum, aut negat eum verè esse hominem, hic ex Deo non est, sed ex diabolo, et adversarius Christi, sive unus aliquis ex famosi illius Antichristi, qui in fine mundi venturus est, præcursoribus. *De quo audistis quoniam jam venit;* id est, quòd jam veniat et appropinquet ejus adventus. *Et jam in mundo est;* nempe non tantùm adventat et appropinquat, sed etiam tempore præsenti in mundo est; non in suâ quidem persona, sed hæreticorum præcursorum suorum, qui spiritu ejus aguntur, doctrinâque et moribus ipsum repræsentant. Simili phrasi Joannes Baptista dicitur Elias, Matth. 11, v. 14, quia Christum præcurrebat in spiritu et virtute Eliæ, Lucæ 1, v. 17.

Quæres 5° quo sensu dicatur, cap. 3, v. 6 : *Omnis qui manet in eo*, scilicet Christo, *non peccat;* et v. 9 : *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit : quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Ante responsionem, nota quòd ex his et similibus locis olim Jovinianus et Pelagius voluerint deducere justos sine omni peccato vivere. Lutherus verò et Calvinus inde conati sunt probare quòd fideles non possint excidere à fide, gratiâ et salute; ac consequenter quòd non possint peccare mortaliter, quia semen quo justificati sunt, ait Calvinus, est omninò incorruptibile : unde in Davide adulterante, inquit, latebat carbo vivus sub cineribus. Verùm quòd Jovinianus et Pelagius graviter in hoc erraverint, satis clarè patet ex iis quæ supra, quæst. 2, dicta sunt. Quòd etiam Lutherus et Calvinus turpissimè hìc erraverint, inde liquet quòd quolibet peccato mortali mors animæ inferatur, quæ illud semen et totam vitam spiritualem extinguit. Peccavit autem mortaliter David, ut ipse etiam sæpiùs in Scripturâ fatetur. Deinde qui à fide apostatant, ut olim fecerunt Hymenæus et Philetus, 2 ad Timoth. 2, v. 18, et nunquàm ad fidem redeunt, nihil spiritualis vitæ retinere dici possunt. His præmissis, ad quæstionem propositam resp. omnem qui ex Deo natus est peccatum non facere, nec posse peccare in sensu formali, quantùm scilicet est ex parte nativitatis divinæ, si nempe efficacia nativitatis seu gratiæ divinæ spectetur; hæc enim si liberum hominis arbitrium præveniat, illudque ad bonum moveat, excludit peccatum, nec cum eo consistit. Hoc sensu præcitatos Joannis textus exponit S. P. Aug., lib. de Gratiâ Christi, cap. 21, et lib. 2 de peccat. Meritis, cap. 8. Eodem modo etiam explicat D. Th. 2-2, q. 24, a. 11, ad 1, ubi : « Dicendum quòd auctoritas illa loquitur secundùm potestatem Spiritûs sancti, cujus conservatione à peccato immunes redduntur quos ipse movet, quantùm ipse voluerit. » Unde et ibidem, in corpore, charitatem dicit inamissibilem, tam ex parte Spiritûs sancti, quàm ex parte charitatis, non tamen ex parte subjecti mobilis ratione liberi arbitrii. Hoc etiam aliqui non malè exponunt per sensum compositum; id est, non peccat, nec potest peccare componendo peccatum grave cum charitate, et gratiâ sanctificante.

Paulò aliter præmemoratos textus explicat S. P. Aug., tract. 6 in Epist. 1 Joan., ubi dicit eos intelligendos esse non de omni, sed de certo peccato, quod omnis qui ex Deo natus est non facit. Et tunc subjungit S. doctor : « Et invenimus ipsum quoddam peccatum violationem esse charitatis. Et habemus exemplum de Evangelio manifestum, quando ait Dominus : *Si non venissem, peccatum non haberent....* Quod peccatum? Quo in eum non crediderunt, quo præsentem contempserunt. Sicut ergo ibi peccatum dixit, et non est consequens ut omne peccatum intelligamus, sed certum peccatum, sic et hìc non omne peccatum, ne contrarius sit illi loco ubi ait : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est;* » sed certum quoddam peccatum, id est, violationem charitatis.

Quæres 6° quo sensu dicatur, cap. 3, v. 8, quod diabolus ab initio peccet. — Resp. id non dici de primo instanti quo creatus est, sed de initio peccati, eò *quòd ab ipsius superbiâ cœperit esse peccatum*, inquit S. Aug. scribens in hunc locum. Ab initio diabolus peccat, quia plerumque initium peccatorum sibi vindicat; utpote qui ea homini suggerit.

Quæres 7° quomodò, cap. 3, v. 15, dicatur : *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* — Resp. omnem talem esse homicidam affectu interno. Qui enim hominem odit, periisse eum cupit, ait S. Hieron., epist. 62. Sicut enim qui odit divitem, divitias ejus perire desiderat, inquit Cajetanus, ita qui hominem odit, vitam quâ homo constat perire cupit. Hoc autem pronuntiat S. Joannes adversùs eos qui odium fraternum parvi pendebant, modò homicidium aut noxam externam proximo non inferrent : veluti Christus ad Pharisæos peccata merè interna non magni æstimantes, ait : *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo*, Matth. 5, v. 28. Unde sicuti Christus loquitur de perfecto in mœchiam consensu, ita hìc S. Joannes de perfecto et consummato fraterno odio. Tale est odium de quo S. P. Aug. in Regulâ suâ scribit : *Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira crescat in odium, et trabem faciat de festucâ, et animam faciat homicidam.*

§ 2. *Quid censendum de triplici testimonio in cœlo, et in terrâ.*

Testimonium hoc 1 Joan. 5, v. 7, hoc modo refertur : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt.* V. 8 : *Et tres sunt qui testimonium dant in terrâ : spiritus, et aqua, et sanguis; et hi tres unum sunt.* Versus ille 7, seu præclarum istud sanctissimæ Trinitatis testimonium, multis disputationibus agitatus fuit occasione operis Richardi Simon, cui titulus est : Historia critica novi Testamenti; in quo opere auctor ille ad excessum criticus, omnibus nervis operosè contendit istum versum 7 Epistolæ S. Joannis additum esse te-

meritate priscorum amanuensium, nec ab auctore hagiographo esse conscriptum. Itaque circa eumdem versum duo inquiri solent : Primò, an textus ille sit genuinus; secundò, quis sit ejus sensus.

Resp. et dico 1° : Jam citatus versus est genuinus et authenticus; ac proinde de canonicâ auctoritate hujus textûs nullatenùs dubitandum esse videtur.

Prob. 1° ex concilio Tridentino, sess. 4, in Decreto de canonicis Scripturis, ubi dicitur : *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesiâ catholicâ legi consueverunt, et in veteri Vulgatâ Latinâ editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones prædictas sciens et prudens contempserit, anathema sit.* Atqui versus ille habetur in Vulgatâ Latinâ editione, et solemniter legitur tum in Epistolâ dominicæ *in Albis*, tum in octavo responsorio in omnibus dominicis à festo SS. Trinitatis usque ad Adventum; ergo, etc. Et hoc quidem Catholicis omnibus sufficit, eosque convincit ac cogit admittere istum versum ut veram et canonicam Scripturam. Sed quia hæretici concilii Tridentini auctoritate non moventur, ideò resolutio data.

Prob. 2° : Extat textus ille in codice Britannico, eoque vetustissimo; et cujus (utique ob vetustatem) tanta fuit apud Erasmum auctoritas, ut ex eo versum hunc in duabus prioribus novi Testamenti editionibus omissum, in tertiâ et quartâ editione restituerit.

Prob. 3° : Legitur etiam in codicibus quibus usi sunt auctores editionis Complutensis, anno 1517, de quâ cardinalis Ximenius in præfatione testatur « maximam laborum partem in eo præcipuè fuisse versatam, ut castigatissima omni ex parte vetustissimaque exemplaria Hebræa, Græca et Latina pro archetypis haberemus; ex quibus Græca ex bibliothecâ Vaticanâ missa sunt ».

Prob. 4° : Cassiodorus, qui seculo V et VI floruit, apertam hujus versûs mentionem facit in opere cui titulus : Cassiodorii senatoris Complectiones in Epistolas et Acta apostolorum. Ibi enim dicit : *Testificantur in terrâ tria mysteria : aqua, sanguis et spiritus, quæ in passione Domini leguntur impleta; in cœlo autem : Pater, Filius et Spiritus sanctus, et hi tres unus Deus est.* Ergo reperiebatur ille versus iis in codicibus quibus utebatur Cassiodorus.

Notandum autem quod ille Cassiodorus summâ curâ et multis sumptibus codices sacros, quos potuit vetustiores et emendatiores, collegerit, eosque inter se summâ diligentiâ contulerit. Atqui in nullo ex his codicibus versum illum deesse observavit; ergo, etc.

Denique Robertus Stephanus, in editione novi Testamenti quam adornavit anno 1550, ex 16 vetustis exemplaribus undique conquisitis, 7 tantùm notat in quibus illud *in cœlo* omissum est; ergo cætera verba, nempe *tres sunt*, etc., in omnibus reperiebantur.

Prob. 5° : Quia Victor, Uticensis episcopus, qui floruit circa annum 480, lib. 3, de Persecutione Wandalicâ, refert confessionem fidei in quâ inter alia habetur : « Ut adhuc luce clariùs unius divinitatis esse cum Patre et Filio Spiritum sanctum doceamus, Joannis Evangelistæ testimonio comprobatur. Ait enim : *Tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo : Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.* » Porrò hanc fidei confessionem, in quâ versus ille ponitur, Eugenius Carthaginensis cum aliis 400 episcopis obtulit Hunnerico, regi Wandalorum, ariano, anno 484, uti referunt libro jam citato Victor Uticensis, et Gennadius Massiliensis, lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, cap. 97, ita scribens : « Eugenius, Carthaginensis episcopus et confessor publicus, admonitus ab Hunnerico, Wandalorum rege, catholicæ fidei expositionem, et maximè verbi *homousii* proprietatem disserere cum consensu omnium Africæ, Mauritaniæ et Sardiniæ, atque Corsicæ episcoporum, qui in catholicâ permanserunt fide, composuit librum fidei, non solùm sanctarum Scripturarum, sed et Patrum testimoniis communitum. » Jam verò non ausus fuisset Eugenius versum illum in suâ fidei confessione ponere, nisi indubitatum fuisset illum esse S. Joannis; aliàs Ariani, quorum hæresis isto versu jugulabatur, mox reposuissent versum illum non esse genuinum, et falsi convicissent Eugenium cum aliis 400 episcopis. Nullus autem Arianus de hoc vel cogitavit. Ergo indubitatum est quòd tam ab Arianis quàm à Catholicis haberetur ut genuinus, scirentque Ariani se per antiquos codices esse revincendos, si versûs illius authenticitatem negare vellent.

At inquies : SS. Patres, etiam illi qui contra Arianos disputârunt, non faciunt mentionem istius versûs; atqui tamen illum attulissent ad probandam consubstantialitatem Filii, si genuinus esset; ergo, etc. —Resp. quòd Patres illi versum istum non attulerint, quia versus iste non reperiebatur in codicibus quibus utebantur; licèt enim sit genuinus, in multis tamen codicibus videtur defuisse : facilè enim fieri potuit incuriâ exscriptorum ut istum versum omitterent, et errante oculo transirent ad versum 8, in cujus initio eadem verba repetuntur, scilicet : *Tres sunt qui testimonium dant.*

Deinde, adnodùm vero simile est, ne dicam certum, Arianos versum illum expunxisse in omnibus codicibus quos potuerunt habere; cùm enim illo versu nimiùm se premi cernerent, ubi poterant illum expungebant. Quòd enim hoc facere solerent Ariani, patet ex S. Ambrosio, qui, lib. 3, de Spiritu S., cap. 11, talem perfidiam illis exprobrat, eò quòd delevissent hunc textum : *Quoniam Deus Spiritus est.* Dicit enim : *Atque utinam de vestris, et non de Ecclesiæ codicibus tolleretis !... Falsum hoc, et sacrilegium vestrum in ecclesiasticis codicibus deprehensum est.*

Cæterùm, versûs 7 expressè meminit S. Cyprianus, lib. de Unitate Ecclesiæ, non multò post initium, ubi dicit : *De Patre, et Filio, et Spiritu sancto scriptum est : Et hi tres unum sunt.*

Dices 1° : S. Cyprianus per allegoriam, ac in sensu

accommodatitio versum 8 Patri, et Filio, et Spiritui sancto adaptavit; ergo, etc. Prob. ant. ex Facundo, qui, lib. 1 pro Defensione trium capitulorum, cap. 3, citat versum 8 : *Tres sunt qui testimonium dant in terrâ : spiritus, aqua, et sanguis, et hi tres unum sunt. In spiritu*, inquit, *significans Patrem..., in aquâ Spiritum sanctum..., in sanguine verò Filium.* Quod postquàm textibus Scripturæ probavit, sic pergit : *Quod testimonium B. Joannis apostoli B. Cyprianus, Carthaginensis antistes et martyr, in epistolâ sive libro quem de Trinitate scripsit* (error est, dicere debuisset : *de Unitate Ecclesiæ*), *de Patre, et Filio, et Spiritu sancto intelligit.*

Resp. : Neg. ant., et ad ejus probationem dico quòd Facundus quidem ea per allegoriam sic adaptaverit Patri, et Filio, et Spiritui sancto, putaveritque S. Cyprianum idem fecisse : sed in hoc ille deceptus est, nec S. Cypriani mentem assecutus fuit. 1° Quia constat ex S. Fulgentio in suis responsionibus ad objectiones Arianorum, quòd de versu 7 agat S. Cyprianus, non autem de 8. Cùm enim S. Fulgentius retulisset versum 7, addit : *Quod etiam beatissimus martyr Cyprianus in epistolâ de Unitate Ecclesiæ testatur ;* per quod significat quòd per idem testimonium probet S. Cyprianus unitatem naturæ divinæ, per quod ipse eam probaverat, nempe per versum 7. 2° S. Cyprianus in suis libris nullam omninò versûs 8 mentionem facit; ergo dici non potest quòd ad versum illum respexerit, dùm dixit de Patre, et Filio, et Spiritu sancto scriptum esse : *Et hi tres unum sunt.*

Dices 2° : S. P. Aug., lib. 2 contra Maximinum, cap. 22, Patris, et Filii, et Spiritûs sancti probat unam esse substantiam, quia dicitur v. 8 : *Tres sunt testes, spiritus, sanguis et aqua, et tres unum sunt.* Ergo S. Aug. versum 7 non legit, sed tantùm 8, quem allegoricè applicat; ergo nec eum legit S. Cyprianus : quia si eum legisset, illum non prætermisisset S. Aug., qui tam sedulò S. Cypriani opera versabat. — Resp. facilè admitti posse quòd versum istum non legerit S. Aug., cùm verosimiliter non existeret in codice quo utebatur; adeòque non mirum quòd versu 8 utatur, illumque per allegoriam Patri, et Filio, et Spiritui sancto applicet. Sed velle inde inferre quòd similiter eum non legerit S. Cyprianus, et allegoricè loquatur, est manifesta absurditas, cùm nimis apertè dicat de Patre, et Filio, et Spiritu sancto scriptum esse : *Et hi tres unum sunt.*

Verum quidem est quòd S. Aug. B. Cypriani opera frequens perlegeret, et consequenter quòd in illis memoratum textum viderit; sed cùm in codice quo utebatur solum versum 8 reperiret, meritò existimare potuit, imò debuit, quòd ad versum illum 8 Cyprianus alluderet, cùm alium ipse non inveniret; adeòque illum citare non potuit tanquàm genuinum, de quo nihil unquàm audiverat.

Dico 3° : Sensus istius versiculi est hic : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo*, nimirùm de divinitate Christi : *Pater*, cujus vox de cœlo lapsa refertur, Matth. 3, v. 17 : *Hic est Filius meus dilectus*, etc. *Verbum* seu Filius Dei, qui in carne sæpiùs asseruit suam divinitatem, eamque miraculis comprobavit. *Et Spiritus sanctus*, dùm in baptismo Christi super ipsum apparuit in specie columbæ. *Et hi tres unum sunt*, non tantùm in unitate testimonii, sed vel maximè in unitate essentiæ; cùm id verba clarè importent, nullaque sit necessitas ea impropriè intelligendi.

Solvuntur argumenta.

Obj. 1° : Unitas, de quâ agitur v. 7, necessariò intelligenda est de unitate voluntatis et consensûs; ergo hi tres tantùm sunt unum in unitate testimonii.

Prob. ant. Joan. 17, v. 21, Christus à Patre suo eam pro suis discipulis petit unitatem, quam ipse habet cum Patre, *Ut omnes*, inquit, *unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te :* atqui unitatem naturæ certò non petit pro discipulis suis, sed tantùm unitatem consensûs; ergo. — Resp. : Neg. ant., et ad ejus probationem nego majorem, ac dico quòd Christus pro discipulis suis non petat omnem unitatem quam ipse habet cum Patre, sed tantùm illam unitatem, seu potiùs unionem, cujus ipsi capaces sunt, nempe charitatis et consensûs. Unde particula *sicut* non semper omnimodam importat æqualitatem, sed tantùm aliquando nonnullam similitudinem; ut dùm, Matth. 5, dicitur : *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est*, non importatur ea perfectio quæ est Dei, sed tantùm ea ad quam homo pro suî tenuitate pervenire potest.

Obj. 2° : Sicut dicitur, v. 7 : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo*, etc. ; *et hi tres unum sunt*, ita dicitur, v. 8 : *Tres sunt qui testimonium dant in terrâ, spiritus, et aqua, et sanguis ; et hi tres unum sunt.* Atqui tamen v. 8 non importatur unitas naturæ; ergo nec v. 7. — Respondent aliqui negando consequentiam, et dicunt disparitatem esse quòd in textu Græco non legatur de spiritu, aquâ et sanguine : *Et hi tres unum sunt*, sed : *In unum sunt ;* id est, in unum testimonium conspirant, nempe spiritus, quem Christus moriens emisit, aqua quæ de ipsius latere fluxit, et sanguis ejus effusus, in unum conveniunt testimonium de humanitate Christi. De Patre autem, et Filio, et Spiritu sancto absolutè dicitur : *Et hi tres unum sunt.*

Verùm hæc responsio non tollit difficultatem. Nam in Bibliis Græcis editionis Complutensis, et editionis Ariæ Montani etiam v. 7 habetur : *In unum sunt ;* siquidem textus Græcus istorum Bibliorum ita sonat : Καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι. Nec propterea istæ editiones à nostrâ Vulgatâ quoad sensum discrepant, aut significant solam unitatem consensûs aut testimonii; nam *in unum sunt* idem denotat, ac in unam essentiam conveniunt ac coeunt; et ita *in unum sunt* idem est, ac *unum sunt*. Sic, Gen. 2, v. 24, de Adam et Evâ conjugibus dicitur : *Erunt duo in carne unâ ;* id est, erunt duo *una caro*, ut explicat Christus Matth. 19, v. 6. Sic Jerem. 31, v. 33, dicitur : *Eritis mihi in populum ;* id est, eritis mihi populus. Et psal. 30, v.

3 : *Esto mihi in Deum protectorem* ; id est, esto mihi Deus protector.

Alii dicunt quòd particulæ versûs 8 : *Et hi tres unum sunt*, in pluribus vetustis codicibus desint. Unde existimat D. Thomas, opusc. 24, ista verba ab Arianis esse addita, ut inde à pari colligere possent tres personas dici *unum* non essentialiter, et unitate naturæ, sed tantùm unitate consensûs. Hinc etiam Innocentius III, cap. *In quâdam*, tit. de Celebratione missarum, citans prædictos versus 7 et 8, in 8 omittit particulas : *Et hi tres unum sunt*. Testatur etiam Hesselius in hunc locum Joannis, suo tempore inventos fuisse duos codices Græcos manuscriptos, unum in Anglià, alterum in Hispaniâ, in quibus illæ particulæ deerant, et addit : « Vidi ego tria vetusta Missalia, unum scriptum, duo impressa, in quibus hæc particula deerat, quemadmodùm et in exemplari quodam quòd extat Lovanii in bibliothecâ D. Petri ; altero item, quod ibidem in abbatiâ D. Gertrudis asservatur. »

Attamen nec hæc responsio penitùs tollit difficultatem. Nam, etiamsi illæ particulæ in pluribus vetustis codicibus desint, tamen inde non sequitur quòd non sint pars S. Scripturæ : siquidem non est vero simile quòd Ecclesia, sive concilium Tridentinum, istas particulas tanquàm partem Scripturæ retinuisset, si eædem ab Arianis additæ fuissent. Itaque, si, non obstante definitione concilii Tridentini, liceat dicere præfata verba non esse partem Scripturæ sacræ, poterit pariter quis dicere verba versûs 7 non esse partem Scripturæ ; nam et hæc in variis vetustis codicibus defuisse communiter admittunt omnes. Omissâ igitur hâc solutione,

Resp. : Neg. conseq., ac dico disparitatem petendam esse ex subjectâ materiâ. Cùm enim verba Scripturæ debeant intelligi in rigore, et proprio verborum sensu, nisi quid obstet, benè sequitur quòd τὸ *unum*, v. 7, debeat intelligi de unitate naturæ seu essentiæ, non verò v. 8 ; sed quòd ibidem debeat intelligi de solâ unitate testimonii. Nam cùm diversæ naturæ atque substantiæ nequeant dici *unum* unitate essentiæ, uti observat S. P. Aug., lib. 3 contra Maximinum, cap. 22, clarè sequitur quòd implicet spiritum, aquam et sanguinem esse ejusdem essentiæ. Atverò non repugnat tres personas divinas esse ejusdem essentiæ ; nam admisso quòd sint tres in cœlo qui dant testimonium quòd Christus sit verus Deus jam rectè infertur contra Arianos, admittentes impossibilitatem plurium deorum, quòd saltem duæ personæ, scilicet Pater et Filius, sint unus Deus, adeòque quòd unitati deitatis non repugnet personarum dualitas, et per consequens nec trinitas ; ergo τὸ *unum*, v. 7, potest et debet intelligi de unitate essentiæ. Quòd autem Spiritus sanctus sit etiam Deus, probatur : Quia testimonium dat quòd Christus sit Deus ; hoc autem testimonium dare non potest, nisi ipsum perfectè cognoscat et comprehendat ; comprehendere autem non potest, nisi sit ipsemet Deus.

Præterea testes terrestres non dant testimonium de seipsis, sed de humanitate Christi ; adeòque non est mirùm quòd non possint intelligi de unitate naturæ, sed tantùm de unitate testimonii : sed testes cœlestes dant testimonium de seipsis quòd sint unum in naturâ ; quorum utique testimonium verum est. Ergo debent intelligi quòd sint unum, non tantùm in unitate testimonii, sed in unitate naturæ : ac consequenter quòd sint unus Deus.

QUÆSTIO V.

De Epistolâ secundâ S. Joannis.

Resp. et dico 1° : Licèt olim aliqui de authenticitate Epistolarum 2 et 3 S. Joannis dubitaverint, ac asseuerint illas esse non Joannis apostoli, sed alterius Joannis passim dicti *Presbyteri*, tamen dubium hoc circa finem seculi IV sublatum est, et tunc Patres, quos inter Iren., lib. 3, cap. 13 ; S. August., lib. 2 de Doctr. Christ., cap. 8 ; Damasc., lib. 4 de Fide orthod., cap. 18 ; item concilia, ut Carthag. III, can. 47 ; Laod., can. 59, duas illas tanquàm Joannis apostoli receperunt, et ut verè canonicas agnoverunt. Et novissimè concilium Tridentinum, sess. 4, de canonicis Scripturis, apertè dicit : *Epistolæ... Joannis apostoli tres.*

Obj. 1° : S. Hieron. tantùm unam Epistolam canonicam S. Joannis apostoli admittit ; nam, lib. de Script. ecclesiast., verbo *Joannes*, ait : « Scripsit autem et unam Epistolam, cujus exordium est : *Quod fuit ab initio*, etc. Reliquæ autem duæ... Joannis presbyteri asseruntur, cujus et hodiè alterum sepulcrum apud Ephesum ostenditur. » — Resp. : Neg. assumpt., et dico quòd S. Hieron., loco citato, non suam, sed aliorum sententiam ponat ; non enim dicit quid ipse sentiat, sed quid ab aliis asseratur. Verùm, dùm idem S. doctor propriam suam mentem aperit, duas istas Epistolas S. Joannis apostoli esse asserit ; uti patet ex epist. 85, ubi ait : « Clangat tuba evangelica, filius tonitrui, quem Jesus amavit plurimùm, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit : *Presbyter electæ dominæ, et filiis ejus*... Et aliâ epistolâ : *Presbyter Caio carissimo.* » Item epist. 103, cap. 7, dicit : *Jacobus Petrus, Joannes et Judas, apostoli septem epistolas ediderunt.*

Obj. 2° : Auctor harum Epistolarum vocat se *seniorem* ; Græcè, πρεσβύτερον ; ergo non sunt Joannis apostoli, sed Joannis presbyteri. Unde et Papias, apostolorum contemporaneus, duos ponit Joannes, ut testatur S. Hieron., lib. de Script. ecclesiast., verbo *Papias*, unum apostolum, et alium presbyterum, seu seniorem. — Resp. : Neg. conseq., et dico 1° quòd Joannes se vocet et inscribat *presbyterum*, seu *seniorem*, tum quia illo ævo presbyter et episcopus pro eodem usurpabantur, ut refleximus in Epist. ad Philipp., quæst. 2, et in Epist. ad Tit., quæst. 2 ; tum quia S. Joannes apostolatûs dignitate, et ætatis plenitudine, omnium Christianorum facilè senior erat. Ultimus enim apostolorum vixit usque ad imperium Trajani, ut docet S. Hieron., lib. de Script. eccles. Ad illud autem quod de Papiâ allatum est, dico quòd

ipse duos quidem ponat Joannes, sed nullibi asserat duas has Epistolas à presbytero illo seniore esse scriptas.

Dico 2° : Argumentum secundæ hujus Epistolæ est gratulatio quâ Electæ, nobili et piæ feminæ, de suorum filiorum fide ac probitate congratulatur, eamque simul hortatur ut in fide et charitate permaneat, ideòque caveat hæreses et hæreticos, tunc subhascentes, quasi antichristos, ut nec *Ave* eis dicat.

Præcipuum quod ulteriùs circa hanc Epistolam inquiri solet, est, an per *electam dominam* hìc significetur certa persona, an verò Ecclesia aliqua Asiæ. Ad hoc autem quæsitum

Dico 3°: Per *Electam dominam* non intelligitur Ecclesia aliqua Asiæ, sed particularis quædam persona. Et ratio hujus est quòd insolitum sit litteras ad Ecclesiam aliquam inscribere : *Electæ dominæ*, præsertim cùm multæ, imò omnes Ecclesiæ sint electæ ; litteræ enim certis personis, vel Ecclesiis inscribendæ sunt, ne in incertum vagentur, vel ad alienos, ad quos non pertinent, ferantur : ac proinde inscriptio clara et distincta esse debet. Itaque communis omnium penè interpretum sententia est quòd hæc Epistola scribatur particulari matronæ : hoc enim significat τὸ *Electæ dominæ*. Siquidem *Electa* videtur esse nomen proprium, vel potiùs appropriatum huic matronæ : quia vero simile est quòd fideles, juxta consuetudinem istius temporis, hoc nomen ob eximiam virtutem et probitatem ei appropriàrint, præsertim quia filias instruebat in cultu virginitatis, et familiam habebat religiosam, inquit A Lapide. Sicut igitur S. Paulus ad Rom. 16, v. 13, dicit : *Salutate Rufum* ELECTUM *in Domino*, eò quòd iste Rufus singulari pietate esset insignis inter Christi Domini fideles : ita ob eamdem rationem videtur S. Joannes in hâc Epistolâ nobilem illam matronam vocâsse *Electam*.

Dices : Joannes aliquam Epistolam scripsit ad particularem quamdam Ecclesiam Asiæ : atqui non est alia assignabilis quàm hæc ; ergo, etc.

Prob. maj., quia id ipsemet testatur Epist. 5, v. 9, ubi in textu Græco ita habetur : *Scripsi Ecclesiæ, sed amans primatum gerere ipsorum, Diotrephes, non recipit nos.*—R.: Neg. maj., quia nostræ Vulgata, in quâ habetur : *Scripsissem forsitan Ecclesiæ*, meritò præferenda est istis editionibus Græcis in quibus ponitur *scripsi*, præsertim cùm istæ editiones omittant vocem *forsitan*, quæ tamen in omnibus aliis editionibus invenitur. Hinc A Lapide, in citatum Joannis locum, agens de isto textu Græco, ita scribit : « Verùm Gagnæus, Serarius, et alii censent interpretem legisse ἔγραψα ἄν, aut certè τὸ ἄν subintellexisse, ut subinde alii subintelligunt, ideòque rectiùs vertisse *scripsissem forsitan;* idque probatur: 1° Quia hic sensus est congruentior ; q. d : Scripsissem utique, sed ideò non scripsi, quia nos nostrasque litteras non recipit superbus iiie Diotrephes. 2° Quia nullæ extant S. Joannis litteræ scriptæ ad Ecclesiam ; et frustra eas scripsisset, cùm sciret eas non recipiendas, imò qui eas recepissent, vexandos à Diotrephe, ut patet, v. 10. 3° Id planè confirmat Syrus, qui vertit *bohe hauith*, id est, *quærens, petens, cupiens fui ad scribendum Ecclesiæ. Sed ille qui amat esse primus apud vos, Diotrephes, non suscipit nos.*

QUÆSTIO VI.

De Epistolâ tertiâ S. Joannis.

Hanc Epistolam dirigit S. Joannes ad familiarem sibi Caium, eumque laudat ab hospitalitate exhibitâ fidelibus peregrinis, hortaturque ut in incepto bono opere persistat, fratresque recipiat. Ex adversò accusat Diotrephis inhospitalitatem et arrogantiam, quâ fideles non suscipiebat, et suscipientes ex Ecclesiâ ejiciebat. Conqueritur de illo, tanquàm de homine arrogante, elato, *verbis malignis* in fideles garriente, et primatum gerere affectante. Denique Demetrium publico omnium suoque testimonio commendat, ac brevi se præsentem fore significat.

Petes 1° quis fuerit ille Caius ad quem hìc scribit S. Joannes. — Resp. hunc Caium fuisse illum de quo Paulus apostolus, ad Rom. 16, scribit : *Salutat vos Caius, hospes meus*, putat Ven. Beda. Alii existimant illum fuisse Caium de quo, Act. 19, v. 29. Sed cùm hæc amicè fundentur in similitudine nominis, et ex locis jam citatis constet istos duos fuisse discipulos S. Pauli, de hoc vero Caio hìc, v. 4, satis clarè insinuetur illum fuisse filium seu discipulum S. Joannis : melius dicitur hunc Caium fuisse ab aliis distinctum, et nobis ignotum.

Petes 2° quis fuerit iste Diotrephes de quo agitur v. 9.— Resp.: Nonnulli arbitrantur quòd fuerit episcopus ; non solùm enim de ipso dicitur quòd voluerit primatum in Ecclesiâ gerere, sed etiam quòd de Ecclesiâ ejiceret eos qui hospitalitatem exercebant erga peregrinos à Joanne missos. Existimat tamen Lucius Dexter, in Chronico, anno Christi 70, istum Diotrephem ob superbiam et inhospitalitatem ab episcopatu fuisse depositum.

Moraliter hunc Diotrephem imitantur, ait A Lapide, qui beneficia et prælaturas ambiunt, eaque sibi ob nobilitatem et opes deberi autumant, cùm Christus ignobiles et pauperes vocaverit, imò elegerit apostolos. Rursùs Diotrephem imitantur seculares nobiles, qui jus patronatûs in conferendis beneficiis non habentes, illud usurpant et invadunt, aut eo abutuntur, volentes dominari in clero.

QUÆSTIO VII.

De Epistolâ S. Judæ.

Ultima, ordine biblico, catholicarum est Epistola S. Judæ apostoli, qui fuit frater Jacobi minoris, et appellatus est etiam Thaddæus.

De hâc Epistolâ, num inter Scripturas sacras esset recipienda, dubitatum aliquando fuisse testantur Eusebius, lib. 2 Histor. ecclesiast., cap. 22, et S. Hieron., lib. de Scriptor. ecclesiast., verbo *Judas*. Sed dubium illud jamdudùm sublatum fuit ; siquidem hanc Epistolam ut verè canonicam admiserunt omnia concilia, et antiqui Patres qui 2 S. Petri, et 2 et 3 S. Joannis tanquàm verè canonicas receperunt. Hos autem vide citatos supra, quæst. 3, § 1 ; item quæst. 5.

Videtur autem hæc Epistola scripta esse ad eosdem ad quos scriptæ sunt Epistolæ Petri, scilicet ad eos præcipuè qui ex circumcisione crediderant. Hoc enim innuit ipsemet S. Judas, v. 17, dicens : *Vos autem, charissimi, memores estote verborum quæ prædicta sunt ab apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores*, etc. Jam autem hoc dixit Petrus Epist. 2, cap. 3, v. 3; ergo, etc.

Ex illis verò verbis : *Quæ prædicta sunt ab apostolis Domini nostri Jesu Christi*, ulteriùs concluditur quòd hæc Epistola scripta sit post Epistolas et martyrium SS. Petri et Pauli.

Porrò argumentum Epistolæ est hoc : B. Judas depravatos hæreticorum (præsertim sui temporis) mores graphicè depingit, et acre Dei judicium, ab Henoch prædictum, ipsis intentat, omnesque istos hæreticos ut seductores et pestes vult esse cavendos. Deinde admonet Christianos ut in fide susceptâ constanter persistant, ne, si deflexerint, contingat eis idem quod Hebræis, Sodomitis et aliis à Deo apostatantibus contigit. Denique hortatur eos ad orationem, castitatem, charitatem et zelum animarum, ut seductos ab hæreticis ad fidem reducant. Atque tandem insigni coronide Epistolam concludit.

§ 1. *Quis fuerit ille Jesus, de quo agitur v.* 5.

Apostolus Judas, volens fidelibus in memoriam revocare ea quæ jam ab aliis apostolis audiverant et didicerant, ait, v. 5 : *Commonere autem vos volo, scientes semel omnia*. Horum verborum sensus est hic : Persuadeo mihi vos hæc quæ scribo scire, unde ea non doceo, sed refrico et confirmo, ut quæ credere benè cœpistis, meliùs perseverando perficiatis. Esto enim ea nonnulli ignorarent, multi tamen ea sciebant. Unde hinc colligitur primos fideles in fide benè fuisse instructos et eruditos. Vigebat enim tunc neophytorum catechesis, adeòque ipsi apostoli erant perpetui catechistæ. Hos, inquit A Lapide, imitentur jam pastores; quia magna inter fideles est ignorantia rerum fidei et salutis, multique eâ de causâ pereunt et damnantur, quorum animas à pastoribus reposcet Deus.

Quoniam Jesus populum de terrâ Ægypti salvans, secundò eos qui non crediderunt perdidit. Quis sit hic Jesus, non ita constat. S. Hieron. putat esse Josue, qui etiam quandoque vocatur *Jesus;* nam, lib. 1, contra Jovinianum, c. 12, de Josue ita scribit : *Ipse enim, secundùm Epistolam Judæ, salvavit populum Israel ex Ægypto, et in terram promissionis induxit*. Sed hæc opinio non solet ab interpretibus admitti, quia eidem obstat quòd Josue non eduxerit populum ex Ægypto; siquidem id fecit Moyses, cujus minister et successor fuit Josue. Rursùs loco *Jesus* multi Græci codices habent vocem *Dominus*, et nonnulli addunt *Deus*. Unde Syrus et Clemens Alexandrinus legunt : *Dominus Deus*, quod non Josue, sed soli Jesu Christo competit, non quidem quatenùs homini (utpote qui nondùm natus esset in terrâ), sed quatenùs Deo.

Jesus ergo, quatenùs Deus, populum suum, nempe Hebræos, ex Ægypto ejusque servitute eduxit et liberavit. Nam, prout ait S. Paulus ad Heb. 13, v. 8, *Jesus Christus heri et hodiè, ipse et in secula*. Omnibus his ostendit S. Judas contra Simonem Magum, Ebionem, aliosque hæreticos, Christi divinitatem impugnantes, Christum fuisse verum Deum.

Salvans; id est, *cum salvâsset. Secundò eos qui non crediderunt perdidit;* id est, qui nec Deo, nec Moysi promittenti se eis traditurum terram promissam, credere et obedire voluerunt, sed rebelles extiterunt, et in Ægyptum redire desiderârunt; eos, inquam, perdidit. Sed quomodò *secundò?* Beda, et ex eo Glossa interlin., *secundò*, inquit, id est, bis punivit et perdidit eos, scilicet primò in hâc vitâ per mortem, secundò in alterâ per gehennam. Verùm alii passim per *secundò* intelligunt *postea*, seu *deinceps*, prout legit Clemens Alexandrinus. Unde textus Arabicus habet : *In vice secundâ*.

Itaque sensus est : Deus semel salvavit populum, cùm eum se sequentem eduxit ex Ægypto; at *secundò*, id est, aliâ vice, eum perdidit, cùm scilicet incredulus ab eo recessit et apostatavit, idque non semel, sed sæpiùs. Nam idololatrantes cum vitulo aureo occidit in monte Sinai, Exod. 32, v. 27. Postea occidit murmurantes, et carnes desiderantes in sepulcris concupiscentiæ, Num. 11, v. 33. Denique omnes præter Josue et Caleb punivit morte in deserto, ob murmur exploratorum, Num. 14, v. 29.

§ 2. *Quænam fuerit altercatio inter diabolum et Michaelem de Moysi corpore.*

Vers. 9 : *Cùm Michael archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ; sed dixit : Imperet tibi Dominus*. Deducit hìc S. Judas argumentum ab exemplo; quasi dicat, ait Œcumenius : Michael sanctissimus et purissimus ille spiritus, contendens cum Satanâ, non est ausus ipsum, licèt impudentissimum, detestabilem et omni convicio dignum, blasphemare seu conviciari; quomodò ergo hæretici audent blasphemare majestatem, non tantùm angelorum et sanctorum, sed ipsiusmet Dei? Itaque opponit hìc Judas Michaelis modestiam impudentiæ blasphemorum Gnosticorum. Unde in Græco habetur : *At Michael*, quod antithesim importat.

Porrò causam istius altercationis multiplicem allegant S. Scripturæ interpretes. Communior autem et plausibilior opinio videtur esse illorum qui dicunt satanam voluisse ut sepeliretur Moyses in loco cognito et celebri, ut Hebræi, ad idololatriam proni, ipsum quasi Deum colerent; Michaelem verò restitisse, et curâsse ut secretò sepeliretur. Unde Deuter. 34 de corpore Moysis dicitur : *Et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem*.

Accedit quòd vix alia ratio fingi posset, cur jusserit Dominus Moysen ab angelis secretò sepeliri, nisi jam allegata; ne scilicet, si publicè sepeliretur, ut numen quoddam à Judæis adoraretur. Quod enim aliqui dicunt honoris causâ id factum, ut nempe Moysen quasi absconditum vel raptum Hebræi magis venerarentur, minùs aptum videtur; nam longè major, imò continuus

et perpetuus fuisset honor Moysis apud Hebræos, si ejus sepulcrum visere et colere potuissent.

Obj. 1° : Hebræi non coluerunt sepulcra Abrahæ et Isaac, imò nec patriarchæ Joseph, cujus ossa secum deferebant per desertum; cur ergo potiùs coluissent sepulcrum Moysis, etiamsi illud cognovissent? — Resp. rationes disparitatis esse varias. Prima est quòd tot seculorum antiquitas, quæ Abraham, Isaac, Jacob et Joseph habuerat ut homines, non ut deos, abrogaverat eis divinitatem, imò ejus opinionem et umbram detriverat. Secunda, quòd pariter antiquata essent et data oblivioni eorum in suos, eosque paucos, beneficia. Tertia, quòd illi tot prodigiis, gestis et gubernatione populi non fuissent illustres, sicut Moyses. Quarta, quòd Hebræi ex Scripturâ et patribus suis illud Dei sibi altissimè impresserant: *Ego sum Deus Abraham, Isaac et Jacob.* Unde sciebant non Abraham, non Isaac, non Jacob, sed Deum Abraham, etc., esse adorandum.

Atverò Moysis, utpote paulò ante defuncti, recens erat memoria, æquè ac beneficiorum ejus, portentorum, plagarum, ac gubernationis quâ totam Hebræorum gentem numerosissimam per decem plagas toti Ægypto immissas gloriosè eduxerat per mare Rubrum, sicco pede, mersis Ægyptiis, usque ad desertum Sinai, ibique legem à Deo acceptam eis dederat, mannâ cœlesti per 40 annos paverat, columnam ignis et nubis itineris ducem assignaverat, etc. Moyse ergo mortuo, pronum fuisset eis, si corpus illius habuissent, ipsum ut reliqui itineris ducem colere et invocare. Fuerat enim ipse totius populi summus legislator, pontifex, propheta et rex.

Obj. 2° : Hebræi non erant tam stolidi, ut mortuum corpus Moysis adorarent; hoc enim mortalitatis spectaculum omnem divinitatis opinionem illis excussisset: siquidem hoc clarè demonstrâsset ipsum fuisse hominem, et mortis legibus subjectum. — Resp.: Neg. assumpt. Nam omnis idololatria est stolida. Etenim idololatras stolidè, ac omninò fatuè homines insignes vitâ functos, puta parentes, reges, benefactores eximios, etc., in deos retulisse, et divinis coluisse honoribus, docent permulti qui scripserunt contra gentes. Constat apud omnes Jovem, Mercurium, Venerem, etc., fuisse homines, qui ob beneficia specialia postmortem à gentibus in deos sunt relati. Ita Cretenses colebant Jovem, et tamen ejus sepulcrum ac ossa in Cretâ apud se existere jactabant. Unde meritò illos irridens Lactantius, lib. 1 divin. Instit., c. 11 : *Quomodò igitur,* inquit, *potest Deus alibi esse vivus, alibi mortuus? Alibi habere templum, alibi sepulcrum?* Idem ergo de Moyse facere et credere potuissent Hebræi.

Circa id quod archangelus Michael diabolo dixerit : *Imperet tibi Dominus,* sciendum est quòd in textu Græco habeatur : *Increpet te Dominus.* Et ita etiam legit S. Hieron. in Apologiâ, adversùs Ruffinum. Verùm utrovis modo legatur, sensus convenit, estque hujusmodi : Deus te coerceat, et conatum tuum prohibeat.

§ 3. *De quibusdam aliis hùc spectantibus.*

Apostolus Judas, describens actus et mores hæreticorum sui temporis, inter alia de ipsis dicit, v. 12: *Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ. Autumnales,* id est, extremi ac deficientis autumni. Hoc autem aliqui ad flores, alii ad fructus referunt. Ad flores refert Erasmus. *Solent enim,* inquit, *arbores novellæ extremo autumno, præter temporis rationem florere : idque agricolis indicat eas mox emorituras.* Ad fructus autem; quia arbores, quæ sero autumno fructus proferunt, non eos perducunt ad maturitatem; unde quidam vertit : *Arbores frugiperdæ.* Quod autem sequitur, *infructuosæ,* quibusdam videtur esse explanatio præcedentis. Nam et arbores extremo autumno florentes fructum non afferunt, utpote ab hieme superveniente impeditæ. Et quæ tam serò fructum afferunt, ob eamdem causam immaturum, et proinde inutilem relinquunt, ut ob id meritò dici possint *infructuosæ.* Alii verò additum hoc putant ut novum ac secundum epitheton arborum malarum, ut tertium epitheton sit *bis mortuæ,* et quartum *eradicatæ* et excisæ, ita ut fructus in posterum nullus exspectari possit. Igitur his arboribus hæreticos seu seductores comparat S. Judas, quia cùm speciem habeant arborum bonarum ac fructiferarum, ac tales se jactitent, tamen autumnales sunt ac frugiperdæ, quia fructum, si quem ferre videantur, maturum et utilem reddere non possunt. Imò veriùs infructuosi sunt, quia nullum verum ac salutarem fructum ferunt nec in seipsis, nec in suis sectatoribus. Item sunt *bis mortuæ.* Quia, sicut primò in se moritur arbor, dùm arescit, sed vivit adhuc in radice, ex quâ in vere rursùm aliquo modo pullulat; secundò verò moritur in radice, dùm illa penitùs exsiccatur : ita moritur anima hæretici, primò per peccatum mortale (per hoc enim amittit charitatem, et gratiam habitualem, quæ est vita animæ); deinde secundò moritur per hæresim; per hanc enim amittit fidem, quæ est radix et initium vitæ spiritualis. Hæresis enim non solet esse primum hominis peccatum, sed ad eam præviis aliis peccatis quasi gradibus sensim descenditur. Cæterùm, observanda est in præfatis epithetis gradatio per incrementa. Nam gradus sunt, fructum inutilem ferre, nullum ferre fructum, bis mortuum esse, et demùm eradicari, mittendum in ignem.

Vers. 13 : *Sidera errantia.* Tales sunt hæretici, utpote qui stellæ videri volunt, id est, lumina Ecclesiæ; sed stellæ sunt erraticæ, quia in doctrinâ, per quam alios illuminare debebant, nusquàm sibi constant, sed semper errorem ex errore serunt.

Porrò omnia quæ tum in hoc, tum in præcedentibus tomis pertractavi, Romanæ Sedis judicio infallibili, atque omninò irrefragabili humillimè et sincerissimè submitto, paratus emendare, castigare, et delere, si quid emendandum, castigandum, delendumve judicaverit.

QUÆSTIONUM SELECTARUM
IN APOCALYPSIM
S. JOANNIS APOSTOLI
DILUCIDATIO.

AUCTORE WOUTERS (1).

Præfatio.

Verbum apocalypseos, *id est*, revelationis, *propriè Scripturarum est, et à nullo sapientùm hujus seculi apud Græcos usurpatum.* Ita S. Hieron. in cap. 1 Epist. ad Galat. *Apocalypsis* itaque est vocabulum Græcum, Latinè significans *revelationem.* Derivatur à verbo ἀποκαλύπτω, quod apud Græcos est antiquissimum ac usitatissimum. Sicut autem hodiè nos Latini rectè dicimus : *Adjuvo*, *adjutus*, et similia ; et tamen vox *adjutio* est barbara, ac minimè Latina ; ita olim apud gentiles Græcos viguit verbum ἀποκαλύπτω, non verò vox ἀποκάλυψις. Unde sicut Cicero à verbo *beo* primus derivavit vocem *beatitudo*, ita apostoli à verbo ἀποκαλύπτω primi derivaverunt vocem ἀποκάλυψις. Primus verò derivator non fuit S. Joannes ; siquidem etiam S. Paulus, ante hujus libri conscriptionem dudùm defunctus, cap. 14 Epist. 1 ad Cor., v. 26, inter primitivæ Ecclesiæ charismata ponit *apocalypsim*, id est, scientiam per revelationem infusam, qualem habent prophetæ. Quia igitur gentiles Græci ignorârunt propheticas divinæ Majestatis revelationes, ideò voce *apocalypseos* non habuerunt opus.

Porrò summam esse hujus libri dignitatem, testatur S. Hieron., epist. ad Paulinum, cap. 7, ubi ita scribit : *Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta quot verba. Parùm dixi, pro merito voluminis laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ.* Et in cap. 30 Isaiæ prophetæ culpat Chiliactas hæreticos, seu Millenarios, quòd eorum error natus sit, quia non intelligebant *Apocalypsim Joannis in superficie litteræ medulluta Ecclesiæ sacramenta continere.* Hoc est, aliud apparet in vocibus, aliud apparet in sensibus, quia ferè omnia sunt allegoriæ atque ænigmata. Item Dionysius Alexandrinus, apud Eusebium, lib. 7 Histor. ecclesiast., cap. 23, de Apocalypsi hæc dicit : « Ego verò, quantùm ad meam sententiam pertinet, spernere aut abjicere scripturam libri hujus nullatenùs audeo..... Sed hoc magis de eo judico, quòd excedant atque emineant, quæ in eo scripta sunt, auditionis modum, et sit in eo arcanus quidam et reconditus, atque admirandus omnibus sensus, quem et ego admiror ac veneror, etiamsi non intelligo. Et ita sentio, quòd divina aliqua sacramenta sermonibus contegantur humanis, non tam judicio meo discernens, quàm fide credens ; et ideò non reprobo quæ non intelligo ; sed tantò magis admiror, quantò minùs assequor. »

Argumentum verò, seu scopus hujus libri nihil aliud est quàm prophetia rerum maximè notabilium, in Ecclesiâ gerendarum à primo Christi adventu usque ad finem seculi, uti testatur S. P. Aug., lib. 20 de Civ. Dei, cap. 8. Itaque tribus primis capitibus exponitur status quem isto tempore habebant ecclesiæ Asiaticæ ; episcoporum virtutes et vitia commemorantur, disponuntur de ipsis varia ; et omnes istæ ecclesiæ instruuntur circa grassantem tunc persecutionem. Quarto et seqq. capp. prædicitur et exponitur posterior decursus totius Ecclesiæ ; ac præsertim exhibentur seu describuntur persecutiones à principibus paganis adversùs Ecclesiam movendæ ; ut fideles, telis jam ante prævisis, leniùs feriantur, et ad patientiam constantiamque animentur. Deinde describuntur septem plagæ novissimæ, strages Gog et Magog, Antichristi et complicum illius interitus, hujus universi excidium, universale judicium, et tandem æterna beatorum gloria.

(1) Vid. Wouters Vitam, vol. 23 *Curs. compl. Script. sacr.*, col. 767, 768.

QUÆSTIO PROŒMIALIS PRIMA.

An Apocalypsis sit sacra et canonica scriptura.

Quòd de auctoritate et authenticitate hujus libri olim nonnulli dubitaverint, testatur Dionysius Alexandrinus in libris de Repromissionibus, cujus verba referuntur ab Eusebio, lib. 7 Hist. eccles., cap. 23 : « Quidam Alexandrini episcopi, inquit Eusebius, qui eum præcesserant, librum hunc neque Joannis Apostoli esse dicebant, neque inter canonicos numerandum. » Imò S. Hieron., epist. 129, scribit ecclesias Græcas liberè Apocalypsim non recipere. Inter antiquos hæreticos Cerdon et Marcion, inter novos verò Lutherus, Brentius et Kemnitius Apocalypsim rejecerunt. Erasmus quoque in suis annotationibus in Apocalypsim varia contra ejusdem libri auctoritatem objicit. Verùm

Resp. et dico : Certum et de fide est Apocalypsim esse sacram et canonicam scripturam.

Prob. 1°, quia id sub anathemate definitum est à concil. Trid., sess. 4. Similiter in catalogis librorum sacrorum à concil. Carthagin. III, et ab Innoc. I, itemque à concilio Romano sub pontifice Gelasio,

necnon à concilio Florentino editis, semper recensetur Apocalypsis S. Joannis cum reliquis sacris et canonicis libris. Et in concilio etiam Ancyrano, can. ult., mentio est Apocalypsis tanquàm libri sacri à S. Joanne conscripti. Item in concil. Tolet. IV, can. 16, ita statuitur : « Apocalypsim librum multorum conciliorum auctoritas, et synodica sanctorum præsulum Romanorum decreta Joannis Evangelistæ esse præscribunt, et inter divinos Libros recipiendum constituerunt. Et quia plurimi sunt qui ejus auctoritatem non recipiunt, eumque in Ecclesiâ Dei prædicare contemnunt, si quis eum deinceps.... non receperit,.... excommunicationis sententiam habebit. »

Prob. 2° ex SS. Patribus, Dionys. Areopag., lib. de eccles. Hier., cap. 3, p. 3, Apocalypsim vocat *arcanam et mysticam visionem dilecti discipuli Domini.* Et lib. de divin. Nomin., cap. 2, inter S. Scripturæ textus allegat hunc ex cap. 1 Apocal. : *Hæc dicit, qui est, qui erat, et qui venturus est, Omnipotens.* S. Gregor. Nazianz., etsi aliquando Apocalypsim non admiserit, admittit tamen orat. 32, quam in præsentiâ 150 episcoporum habuit, ita loquens : *Nec mihi dubium est quin alii aliarum ecclesiarum præsides ac patroni sint, quemadmodùm in Apocalypsi Joannes me docet.* Eamdem ut scripturam sacram citat S. Irenæus, lib. 4, cap. 27. Item canonicis Scripturis eam annumerant Clemens Alexand., lib. 6 Stromat., cap. 5 ; Epiphan., hær. 51 ; Tertull., lib. de Præscript., cap. 33, et alibi sæpè; Cyprianus, epist. 63; Ambros., lib. de Pœnit., cap. 9; S. P. Aug., lib. 2 de Doctr. Christ., cap. 8; Gregor. Magn., lib. 1 Moral., cap. 1. Et S. Hieron., epist. 129, scribit Ecclesiam Latinam *Apocalypsim juxta veterum scriptorum auctoritatem recipere.* Lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, in Joanne : *Scripsit*, inquit, *Apocalypsim, quam interpretatur Justinus Martyr.* Et lib. 1 adversùs Jovinian., cap. 14, profterea ostendit Joannem Evangelistam fuisse prophetam, quia *vidit in Patmos insulâ Apocalypsim infinita futurorum mysteria continentem.* Similiter Eusebius Cæsareensis, qui, licèt in ecclesiasticâ Historiâ dubiè loquatur de Apocalypsi, tamen in Chronico ad annum 96 ait : *Apostolus Joannes in Patmum insulam relegatus, Apocalypsim vidit, quam Irenæus interpretatur.*

Obj. 1° : Caius quidam, vetustus auctor, apud Eusebium, lib. 3 Histor. eccles., cap. 22, asserit Apocalypsim esse scriptam à Cerintho hæretico ; atqui hic certò non scripsit libros sacros et canonicos ; ergo, etc. — Resp. Caii istius opinionem, si de Apocalypsi nostrâ loquatur, esse singularem, falsam, et nulli fundamento innixam. Dico : *Si de Apocalypsi nostrâ loquatur ;* nam ulteriùs responderi potest Caium non loqui de isto libro Apocalypsis quem habemus, sed de alio quodam quem Cerinthus edidit sub nomine magni cujusdam apostoli ; cujus verò apostoli, non exprimit Caius. Patet hæc responsio ex verbis Caii : Dicit enim quòd *Cerinthus per adumbratas revelationum, tanquàm à magno quodam apostolo conscriptarum species, absurda portenta præstigiasque falsò comminiscebatur.*

Obj. 2° : Cap. 1 Joannes eum dicit beatum, *qui servat verba prophetiæ hujus;* atqui hoc non videtur verum ; quandoquidem nemo sciat quid hæc prophetia significet ; est enim in se obscurissima ; ergo, etc. —Resp. : Neg. min. : nam, licèt multa vaticinia in hoc libro sint obscurissima, et humanitùs quoad omnia perfectè non intelligibilia, tamen multa etiam sunt ad mores pertinentia, quæ admodùm clara et intelligibilia sunt, propter quæ beatus rectè dicitur qui illa servaverit ; veluti cap. 2, agendam esse pœnitentiam, patienter tolerandas tribulationes, perseveraudum usque in finem, et alia plura tum ibi, tum in aliis capitibus. Scopus autem totius libri, ut rectè observat Bellarminus, lib. 1 de Verbo Dei, cap. 19, nihil est aliud quàm ut fideles hortetur ad perseverantiam et patientiam tempore persecutionum ; quæ res est clarissima.

Obj. 3° : Varii veteres hujus libri non meminerunt, ut Cyrillus Jerosolymitanus, et Patres concilii Laodiceni in Catalogo sacrorum librorum ; ergo non est canonicus. — Resp. : Neg. conseq. ; nam, licèt aliqui olim de ejus auctoritate dubitaverint, hoc fuit ante universalis Ecclesiæ decretum ; et multò plures fuerunt qui etiam tunc temporis illum habuerunt pro sacro et canonico, ut liquet ex supra dictis.

QUÆSTIO PROŒMIALIS II.

An auctor Apocalypsis sit S. Joannes apostolus.

Nonnulli, licèt librum hunc censeant canonicum, existimant tamen non esse Joannis apostoli opus, sed Joannis discipuli (unius de septuaginta discipulis,) qui dicitur *Joannes Presbyter*, et de quo in Catalogo virorum illustrium scribit S. Hier. : *Joannis Presbyteri sepulcrum etiam hodiè apud Ephesum ostenditur.* Antiquus Ecclesiæ scriptor Papias annotat illum cum Joanne apostolo habitâsse Ephesi, atque ibidem propè eumdem esse sepultum. Et istam opinionem secutus est S. Dionysius Alexandrinus, uti refert Eusebius Cæsareensis, lib. 7 Histor. eccles., cap. 20. Atque ipsemet Eusebius, loco jam citato, ab eâdem non admodùm est alienus. Interim in Chronico suo magis inclinatur in eam opinionem, quæ asserit auctorem Apocalypsis esse Joannem apostolum, prout videre est ex verbis ejus, quæst. seq., prob. 2, citandis. Itaque omnibus istis præfatis non obstantibus,

Resp. et dico : Auctor hujus libri est S. Joannes apostolus et evangelista. Prob. 1°, quia ita decisum est in concilio Ancyrano, can. ult., approbato in sextâ synodo generali. Idem habet concilium Toletanum IV, ut liquet ex ejus verbis quæst. præced. citatis. Similiter concilium Tridentinum, sess. 4, enumerans omnes Libros canonicos, in fine apertis terminis dicit : *Apocalypsim Joannis apostoli.* Prob. 2°, quia ita etiam censent antiqui Patres. S. Dionys. Areopag., ut quæst. præced. vidimus, vocat Apocalypsim arcanam et mysticam visionem dilecti discipuli Domini. Justinus, in Dial. cum Triphone, et Irenæus, lib. 5, circa finem, dicunt illam esse Joannis apostoli. Origenes, in psal. 1, et in fine Comm. in Evang. Joan., illam Joann

Zebedæi filio attribuit; quod etiam facit Eusebius in Chronico ad annum 96. Tertull., lib. 4 contra Marcionem, Apocalypsim Joannis apostoli esse asserit. S. Ambros., in psal. 40, eam dicit esse Joannis Evangelistæ; et S. P. Aug., tract. 36 in Joan., ejusdem esse Joannis, cujus est Evangelium. Item S. Hieron., in Catalogo virorum illustrium, supponit neminem suo tempore de istâ re dubitâsse.

Obj. 1°: Stylus hujus libri multùm differt à stylo Evangelii S. Joannis et ejus Epistolarum; ergo ipse non est ejusdem auctor.— Resp. : Neg. conseq.; nam etiam Epistola prima et secunda S. Petri habent diversum stylum; et inter Epistolas S. Pauli stylus Epistolæ ad Hebræos multùm differt à stylo aliarum Epistolarum. Ratio autem cur stylus hujus libri differat à stylo Evangelii et Epistolarum, est hæc quòd Evangelium sit historicum, Epistolæ sint adhortatoriæ; liber autem Apocalypsis ferè totus sit propheticus, siquidem nemo ignorat alio stylo prophetica, alio historica et moralia esse scribenda.

Obj. 2° : Hujus libri auctor inculcat nomen suum, dicens : *Ego Joannes;* atqui Joannes apostolus, nec in Evangelio, nec in Epistolis nomen suum exprimit; ergo, etc. — Resp. : Neg. conseq. ; nam nomen suum in hoc libro prophetico inculcavit S. Joannes apostolus, quia voluit hic vero similiter imitari prophetas veteris Testamenti, præsertim Danielem, qui sæpè ita loquitur : *Ego Daniel.*

Obj. 3° : In Græcis codicibus hic liber intitulatur : *Apocalypsis Joannis Theologi;* atqui Joannes apostolus non intitulatur nomine *Theologi;* ergo.— Resp.: Neg. min.; nam Dionys. Areop., epist. 10, quam ad eum misit, ita eum vocat, dicens : *Joanni Theologo, apostolo et evangelistæ.* Similiter Cyrillus Jerosolymit., catech. 12, ait : *Joanni Theologo credamus, qui enim dixit : In principio erat Verbum,* etc. Jure autem meritissimo ab his aliisque antiquis Patribus *Theologus* nuncupatur, propter sublimem et profundum de Christi divinitate sermonem, ob quem aquilæ comparatur, cùm cæteri evangelistæ comparentur animalibus in terrâ gradientibus.

QUÆSTIO PROŒMIALIS III.

Quandonam et ubi Apocalypsis scripta sit.

Resp. et dico 1° : Apocalypsis non est scripta ante excidium Jerusalem per Titum, ut volunt Joannes Annius, P. Salmeron et Hentenius, sed diù post eam. Patet hoc ex eo quòd Joannes, cap. 2, v. 13, faciat mentionem Antipæ martyris. Antipas autem post tempora Titi, sub Domitiano scilicet, martyrium subiit; ut liquet ex Martyrologio Romano, in quo 11 aprilis ita habetur : *Pergami in Asiâ S. Antipæ testis fidelis, cujus meminit S. Joannes in Apocalypsi. Is sub Domitiano imperatore in bovem æneum candentem conjectus, martyrium consummavit.*

Dico 2° : Apocalypsis est scripta sub imperio Domitiani, in insulâ Patmos. Esse scriptam in hâc insulâ disertè dicit ipse Apostolus, cap. 1, v. 9 : *Ego Joannes...., fui in insulâ, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, et testimonium Jesu.* 10 : *Fui in spiritu in dominicâ die, et audivi post me vocem magnam tanquàm tubæ,* 11: *Dicentis : Quod vides, scribe in libro.* Hoc est : Fui missus in insulam Patmos, et dùm ibidem fui, facta est mihi revelatio rerum abditarum. Et hæc contigisse sub imperio Domitiani.

Prob. 1° ex S. Irenæo, lib. 5, cap. 30, ita scribente : *Joannes Apocalypsim vidit. Neque ante multùm temporis visum est, sed penè sub nostro seculo, ad finem Domitiani imperii.* Prob. 2° ex Eusebio Cæsareensi, qui in Chronico rem clariùs exprimit sequentibus verbis : « Secundus post Neronem Domitianus Christianos persequitur. Et sub illo apostolus Joannes in Patmum insulam relegatus Apocalypsim vidit, quam interpretatur Irenæus. » Addit autem hæc contigisse imperii Domitiani anno 14. Eadem verba cum expressione ejusdem anni S. Hieron. inseruit suo Catalogo virorum illustrium; et lib. 1 cont. Jovinian., scribit S. Joannem fuisse apostolum, evangelistam atque prophetam. Atque hoc posterius ita probat : « Vidit enim (Joannes) in Patmos insulâ, in quâ fuerat à Domitiano principe ob Domini martyrium relegatus, Apocalypsim, infinita futurorum mysteria continentem. Refert autem Tertullianus quòd Romæ missus in ferventis olei dolium, purior et vegetior exierit quàm intraverat. » Tertullianus refert hoc lib. Præscript. cap. 36.

Itaque Domitianus, quamvis in principio sui imperii esset humanus ac clemens, tamen postmodùm Neronem imitatus est, et decimo quarto imperii sui anno incœpit Christianos persequi; S. Joannem jussit Epheso duci Romam, et ibi damnavit ad mortem in bullienti oleo. Hæc sententia executioni data fuit. Verùm divina gratia protexit Apostolum, et eduxit illæsum. Hinc magis offensus Domitianus, quòd trucidare desperaret, illum jussit deportari in Patmos insulam; et ibi Dominus Deus illi aperuit Apocalypsim.

Putat quidem S. Epiphanius, hær. 51, quòd S. Joannes Apocalypsim scripserit tempore Claudii Cæsaris; sed hæc est singularis ejus contra alios doctores opinio; quæ jam deseritur ab omnibus.

Solvuntur argumenta.

Obj. 1° cum D. Kerkherdere : S. Joannes in ferventis olei dolium, et in exilium missus fuit anno æræ vulgaris 66; atqui tunc non imperabat Domitianus, sed Nero; ergo Apocalypsis non est scripta sub imperio Domitiani, sed Neronis.

Prob. maj., quia S. Joannem Ephesi quodammodò successisse apostolatui S. Pauli, communis traditio est, fundata in Irenæo, qui, lib. 3, cap. 3, profitetur se id accepisse à S. Polycarpo; atqui S. Paulus certò reliquit Ephesum anno 57, in vere, nec eò ampliùs postea redivit; ergo S. Joannes ex Judæâ venit Ephesum jam memorato anno 57. Jam verò post novem annos missus fuit in exilium; ergo hoc contigit anno 66. Prob. hoc ultimum subsumptum ex Chronico Alexandrino, quod hunc habet excellentissimum locum, sine dubio ex aliquo antiquissimo Patre descriptum : *Joannes Theologus egressus in Ephesum egit*

ibi annos novem, et in exilio suo in Patmo annos 15, *et reversus iterùm in Ephesum, ibi scripsit Evangelium, annos* 26 *usque ad mortem.* Qui anni 26 rursùs in nostrâ sententiâ inveniri nequeunt. Nam si scripserit Apocalypsim anno 95, post exilium suum, ad summum potuit supervivere 6 annis, siquidem nemo differt ejus mortem ultra annum 101.

Resp. : Neg. maj. et min. prob.; etenim quòd S. Paulus post prima vincula Romana, è quibus liberatus fuit anno 63, redierit Ephesum, manifestum est ex iis quæ diximus quæst. ult. in Acta Apostolorum, et quæst. 2 in epist. ad Timoth. Item in Chronologiâ historiæ Apostolorum. Interim etiam datâ istâ minore, inde adhuc nequaquàm concludi potest quòd S. Joannes in exilium missus fuerit anno 66 : nam Chronicum istud Alexandrinum, in quo se fundat Kerkherdere, sæpiùs interpolatum fuisse fatentur omnes; ergo argumenta quæ inde desumuntur non sufficiunt, ut in eis possit fundari aliqua sententia ; sed tantùm ad hoc valent, ut alicui sententiæ, sufficienter aliunde probatæ, aliquid ponderis addatur. Et sanè quòd Chronicum illud quoad numeros annorum sit corruptum aut mendosum, etiam insistendo principiis Kerkherdere, est manifestissimum; siquidem juxta ipsum S. Joannes mortuus est anno æræ vulgaris 97. Si inde subtrahantur anni 26, quibus dicitur post exilium adhuc supervixisse, sequitur ipsum ex Patmo Ephesum rediisse anno 71. Ac proinde in Patmo non annos 15, ut habet præfatum Chronicum, sed ad summum 5 potuit agere S. Joannes. Nec hoc negat, sed apertis terminis asserit Kerkherdere in Monarchiâ Romæ paganæ, pag. 19. Cùm igitur, ipsomet fatente, sit corruptum quoad numerum 15, etiam nos possumus dicere quòd sit corruptum quoad numeros 9 *et* 26, *præsertim cùm in* eodem Chronico ad annum 93 reperiatur locus nobis omnimodè favens : siquidem ex S. Irenæo ibi dicitur quòd exilium S. Joannis contigerit tempore Domitiani; quem locum Kerkherdere vel non inspexit, vel referre neglexit.

Obj. 2° : S. Polycarpus, in fragmentis quæ reperiuntur apud Victorem Capuanum, postquàm dixisset Jacobum martyrio coronatum, de Joanne subjungit : « Fratrem verò ejus Joannem transiturum absque martyrio, etc. *Legitur* et in dolio ferventis olei B. Joannes fuisse demersus. » Atqui, si hoc contigisset tempore Domitiani, non dixisset *legitur;* sed positivè id asseruisset, quandoquidem tunc esset familiarissimus Joannis discipulus; adeòque absque dubio ex ejus ore illud audivisset; ergo, etc. — Resp. : Neg. min.; nam verba illa S. Polycarpi non magis Kerkherdero quàm nobis favere possunt. Si enim hoc contigerit sub Nerone, manet eadem ratio, scilicet quòd similiter id absque dubio ex ipso S. Joannis ore scire potuerit. Quomodò ergo potuit dicere *legitur?* Dico itaque, sive sub Nerone, sive sub Domitiano id contigerit, S. Polycarpum potuisse dicere *legitur,* siquidem facta sanctorum referebantur in Acta, et scribebantur. Potuit ergo illud de S. Joanne jam tunc esse scriptum, et ita loqui S. Polycarpus.

Obj. 3° : S. Hieron., lib. 1 contra Jovinianum, ex Tertulliano refert quòd S. Joannes *à Nerone missus in fervens oleum, purior atque vegetior inde exiverit;* ergo, juxta Tertullianum et S. Hieron., id contigit sub Nerone. — Resp. : Nego conseq.; nam, licèt in quibusdam editionibus operum S. Hieron. ita habeatur, tamen sic non habetur apud Tertullianum, utpote qui simpliciter dicit : *Apostolus Joannes postquàm in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur,* ubi nihil dicitur de tempore quo id contigit. Unde omninò vero simile est quòd in istis editionibus operum S. Hieron. sit mendum, scilicet quòd τὸ *à Nerone* sit positum loco τοῦ *Romæ.* Nec hoc divinatur; nam ipsemet S. Hieron. duabus lineis ante dicit quòd hoc contigerit sub Domitiano; uti patet supra ex prob. 2; ac proinde non est apparentia quòd ibi illud *à Nerone* nudè et simpliciter retulisset, sed potiùs illud improbâsset. Adde quòd plurima S. Hieron. exemplaria loco *à Nerone* habeant *Romæ.*

Nec reponatur cum Kerkherdere : Ille liber Tertullianî, ubi hoc reperitur, est fortè deperditus ; nam sicuti hoc gratis dicitur, ita jure negatur : aliàs enim posset quilibet pro libitu multos effingere libros perditos.

Inst. : Habetur fundamentum hoc dicendi : etenim ubi Tertullianus in suo opere nobis cognito ponit de Joanne : *Nihil passus est,* etc., S. Hieron. addit quòd fuerit factus *purior atque vegetior.* Hoc autem videtur aliunde quàm ex operibus Tertulliani nobis cognitis habuisse; ergo, etc. — Resp. : Neg. ant., et ad prob. dico quòd Tertullianus ex illis verbis : *Nihil est passus,* plus reliquerit intelligendum quàm significaverit, sicuti satis sæpè fit. Unde S. Hieron. tantùm magis *explicuit illud quod dixerat Tertullianus;* et *sic* non debuit hoc habere aliunde quàm ex operibus Tertulliani nobis cognitis.

Obj. 4° : Apocalypsis Syriaca hunc titulum habet : *Revelatio quæ facta est Joanni Evangelistæ à Deo in Patamoun insulâ, quo ejecit eum Neroun Kaisar.* Item varia manuscripta Evangelii S. Joannis, nimirùm Græca, Arabica et Coptica manifestè habent Joannem fuisse in Patmo tempore Neronis : siquidem in eorum præfationibus dicitur ipsum sub Nerone scripsisse Apocalypsim. Idem etiam asserit Theophylactus in prologo ad Evangelium Joannis. — Resp. ex talibus titulis aut præfationibus nihil omninò posse concludi; nam incerti sunt illarum auctores, incertum tempus quo illæ sunt compositæ; et fieri potuit ut compositæ sint ab aliquibus amanuensibus indoctis, et ignaris eventûs ac temporis rerum. Ad Theophylactum autem dico quòd hìc in cap. 20 Matth. etiam asserat S. Joannem scripsisse Evangelium in exilio; et tamen modò apud omnes certum est eum illud post exilium scripsisse. Si ergo Theophylactus ibi fallitur, quidni et hìc? Itaque vel iste errat, vel illa loca sunt mendosa.

Obj. 5° : S. Victorinus Martyr dicit quòd S. Joannes in exilio fuerit *ad metalla damnatus;* quod demonstrat ipsum tunc necdùm fuisse senem. Quippe *ob senectutem... ab opere faciendo immunes erant,* etiam qui ante

senectutem fuerant ad metalla damnati, teste Eusebio de Martyribus Palæstinæ ad annum septimum. Atqui S. Joannes tempore persecutionis Domitiani omninò senex erat, ut omnes fatentur; ergo non videtur tunc potuisse ad metalla damnari, ac consequenter Apocalypsis non est scripta sub imperio Domitiani. Addit S. Victorinus quòd Joannes ab exilio revocatus fuerit post mortem *Tyranni*, qui, inquit Kerkherdere, est Nero antonomasticè. — Resp. : Apud S. Victorinum expressè habetur quòd Joannes in insulam Patmos fuerit relegatus sub Domitiano. Unde nego conseq., et dico non debere videri mirum, etiamsi S. Joannes jam senex ad metalla damnatus fuerit : nam licèt leges Romanæ in eo faverent senioribus, tamen Romani ex odio magno quo prosequebantur fideles christianos, potuerunt in eo leges excedere, quandoquidem Christiani eis essent abominabiles. Vide quæ dicta sunt in Ep. ad Cor., cap. 15, quæst. 3, in respons. ad obj. 2.

Accedit quòd senes potuerint ab opere metallorum liberari, et interim ad metalla condemnari, ut per hoc certam infamiæ notam incurrerent; sicut apud nos aliqui, v. g., senes, tametsi similium operum incapaces, ad infamiæ notam incurrendam, condemnari possent ad triremes. Nec huic responsioni obstat quòd cap. 1, v. 9, Apostolus dicat : *Ego Joannes, frater vester, et particeps in tribulatione ;* nam per hoc tantùm insinuat quòd particeps fuerit earumdem tribulationum, quas patiebantur alii fideles ; has autem potuit pati, tametsi ab opere metallorum esset liberatus.

Quantùm ad secundum, dico quòd, quamvis vox *Tyrannus* antonomasticè posset significare Neronem, tamen hoc non impediat quominùs possit alius, in crudelitate Neroni similis, eâdem voce significari ; ac proinde nihil obstat quominùs ista vox significet Domitianum, utpote qui, ut S. Hieron. aliique antiqui historici ecclesiastici referunt, in crudelitate non multùm cessit Neroni.

Obj. 6° : Clemens Alexandrinus, in libro cui titulus : *Quis dives servetur*, apud Euseb., lib. 2 Histor. eccles., cap. 17, hanc de S. Joanne refert historiam : « Ubi tyranno mortuo, *ex insulâ Patmo erat Ephesum reversus*, quorumdam rogatu ad finitimas gentes proficiscitur, hìc episcopos constituturus, illìc integras ecclesias ritè dispensaturus... At cùm ad urbem quamdam non longè inde distantem se contulisset..., adolescentulum, corporis viribus valentem, vultu et oris conformatione venustum, animi impetu flagrantem, fortè conspicatus, statim in eum qui ibi episcopus erat constitutus, oculos convertit, eumque sic affatus est : Hunc adolescentulum omni studio, curâ et cogitatione, coram Ecclesiâ et Christo teste, tibi tuæque fidei commendo. » Addit deinde Clemens Alexandrinus quòd ille adolescens evaserit, et factus sit dux latronum ; idque *longo tempore*, ut habet S. Chrysost. apud Baronium ad annum Christi 98, num. 18, S. Joannes postea istum episcopum denuò invisens, et id inaudiens, conscendit equum, et cucurrit ut illum juvenem alicubi reperiret, et reduceret ad meliorem frugem. Porrò ex præfatis verbis : *Ex insulâ Patmo*, etc., manifestum est quòd ista historia non tantùm quoad finem, sed etiam quoad initium suum contigerit postquàm Joannes esset revocatus ab exilio. Atque hinc infert Kerkherdere quòd Apostolus non potuerit esse relegatus sub Domitiano, quia requiritur majus tempus ut omnia ista potuerint perfici. Deinde S. Joannes nimis senex fuisset quàm ut ita equum posset conscendere, quandoquidem S. Hieron., in cap. 6 Ep. ad Galat. referat Joannem post mortem Domitiani ne incedere quidem ampliùs potuisse, et solitum ad ecclesiam portari. — Resp., quidquid sit de veritate istius historiæ, quam hìc quidem non discutere, sed tantisper supponere volo, inde nequaquàm sequi quod ex eâdem conatur inferre Kerkherdere, siquidem omnia ista etiam post mortem Domitiani contingere potuerunt. Cùm enim S. Joannes post extinctum hunc tyrannum, juxta aliquos adhuc sex, juxta alios quinque aut quatuor annis supervixerit, facilè omnia perfici potuerunt. Supponatur igitur quòd in initio primi anni quo S. Joannes ex Patmo redivit Ephesum, et deinde statim visitavit alias circumjacentes ecclesias, ille adolescens fuerit ab ipso commendatus isti episcopo ; et deinde idem adolescens post quinque menses aggregatus sit consortio seu societati latronum, et tunc post tres aut quatuor menses dux ab ipsis electus, ducatum istum quatuordecim aut quindecim mensibus egerit, verum erit quòd *ducem latronum egerit longo tempore*, ut habet S. Chrysost. ; nam qui similem vitam egit per tot menses, sano sensu potest in eâ dici mansisse longo tempore. Deinde supponatur quòd S. Joannes immediatè post præfatos menses istum episcopum denuò inviserit, nihil implicat quominùs tunc adhuc, saltem mediante adjutorio aliorum, equum conscendere potuerit. Quidquid sit, Joannem tunc valdè senem fuisse liquet ex ipsomet Clemente Alexandrino, qui ait quòd *ætatis suæ oblitus*, juvenem illum *pro viribus properè* insecutus sit. Insuper cùm idem Clemens subjungat quòd S. Joannes jam istum perditum juvenem accedens, ei dixerit : *Miserere laboris mei, fili ; ne formides..., Christus me misit ad te*, etiam optimè dici potest quòd Deus ipsi ad hoc speciales dederit vires, ut talem scilicet ad bonam frugem reduceret, qui scriptus erat in libro vitæ, siquidem mira tunc, præcipuè circa apostolos et viros apostolicos agebantur. Quantùm verò ad S. Hieron., hìc non dicit quòd S. Joannes immediatè post mortem Domitiani non potuerit ampliùs ire aut incedere, sed quòd id contigerit in ultimâ ejus senectute, puta anno ultimo vitæ ejus. Jam autem cum hoc valdè benè consistit quòd adhuc potuerit incedere in fine biennii, vel initio triennii ab exilio suo. Etenim sæpè videmus quòd senes, etiamnùm adhuc optimè valentes, post unum alterumque mensem, imò post unam alteramve septimanam statim deficiant, et quodammodò corruant.

QUÆSTIO PROŒMIALIS IV.

Quot et quales sint visiones apocalypticæ.

Resp. et dico 1° : Juxta Bedam, Pererium et Vie-

gam, tota Apocalypsis materia in septem partes sive visiones dividitur : prima incipit à cap. 1, et finitur cap. 3. In hâc visione à v. 9 exhibetur Joanni similis Filio hominis, id est, Christus, *in medio septem candelabrorum aureorum*, qui illum septem episcopis et ecclesiis Asiæ jubet scribere, partim ut in fide constantes sint, partim ut vitia suæ emendent. Secunda visio incipit à cap. 4, et protrahitur usque ad cap. 8. In hâc videt Joannes agnum, inter quatuor animalia et viginti quatuor seniores. aperire librum septem sigillis signatum. Tertia visio inchoatur à cap. 8, et terminatur cum fine cap. 11. In hâc ostenduntur Joanni in septimo sigillo septem angeli septem tubis canentes, ac magnas clades orbi inducentes. Quarta à cap. 12 usque ad finem cap. 14; in quâ sub figurâ mulieris amictæ sole parturientis, et draconis eam insequentis, Ecclesiæ persecutiones et simul victoriæ, quas de tyrannis referet, describuntur. Visio quinta à cap. 15 usque ad 17; in quâ exhibentur septem angeli, septem phialas et plagas novissimas in orbem effundentes. Sexta à cap. 17 usque ad finem cap. 20; in quâ declaratur damnatio et incendium meretricis magnæ, puta Babylonis, id est, Romæ paganæ; item exitium diaboli et Antichristi, omniumque ejus asseclarum. Visio septima à cap. 21 usque ad finem libri; in quâ exhibetur sponsa Agni, Jerusalem nova descendens de cœlo, ejusque ornatus, magnificentia et gloria describitur.

Dico 2° : Quales fuerint visiones apocalypticæ, indicat ipsemet Joannes, cap. 1, v. 10, dicens : *Fui in spiritu*, hoc est, fui raptus mente, fui in visione imaginariâ, vel in extasi. Nam licèt visio imaginaria quandoque fallat, est tamen magis abstracta à rebus corporeis quàm sensus externi, ideòque passim appellatur *cognitio spiritualis*, et sæpè dirigitur à Spiritu sancto. Et ita juxta D. Thomam 2-2, q. 174, a. 2, ad 3, factum passim est in prophetis; adeòque et hic in S. Joanne, qui omnia Apocalypsis mysteria non per oculos aut alios corporis sensus percepit, sed per spiritum seu sensum internum. Unde sicuti in spiritu positus spiritualia vidit, ita voces quas audivit spirituales fuerunt.

Observandum etiam est pleraque in Apocalypsi non esse intelligenda in sensu litterali proprio, sed in figurato seu metaphorico; verba enim quibus varias figuras Joannes describit, et quas in suis visionibus vidit, non significant id ad quod significandum primariò sunt instituta, sed id ad quod Spiritus sanctus, qui verba illa dictavit, ea transtulit; quod est proprium sensûs figurati seu metaphorici. Aliquando hic sensus metaphoricus exponitur, v. g., cap. 1, v. 20, ubi dicitur : *Candelabra septem, septem ecclesiæ sunt;* sed cùm id ubique non fiat, hinc oritur summa Apocalypsis obscuritas, et illam explicandi difficultas.

CAPUT PRIMUM.

Proponitur libri titulus et elogium; dein subditur ejus dedicatio septem Asiæ ecclesiis. Tertiò est prologus continens narrationem primæ visionis; describit enim speciem gloriosam Christi, quem vidit in medio septem candelabrorum.

QUÆSTIO PRIMA.

Qui sint septem spiritus qui assistunt coram Deo.

Vers. 1 : *Apocalypsis Jesu Christi*, hoc est, revelatio facta per Jesum Christum; non quidem immediatè, sed mediante angelo. Hinc enim statim subjungitur : *Significavit, mittens per angelum suum servo suo Joanni.* Dominus Deus ita etiam passim patriarchis et prophetis locutus fuit in antiquo Testamento. *Quam dedit illi Deus*, id est, quam Deus Pater dedit seu revelavit Filio suo Jesu Christo, ut ipse eamdem palàm faceret suis servis, fidelibus christianis. Etenim apostoli omnia sua didicerunt, et acceperunt à Christo, Christus autem à Deo. Porrò Deus Pater Christo Domino non fecit novas revelationes; hic enim et tanquàm homo novit omnia. Deus Verbum omnia per naturam ac æternam suam generationem, homo autem Christus omnia novit per hypostaticæ assumptionis gratiam, quæ illi communicavit omnes thesauros divinæ sapientiæ; et hoc in primo puncto conceptionis per Spiritum sanctum ex Mariâ virgine. Proinde de hâc revelatione, non de aliquâ novâ hic loquitur Apostolus.

Vers. 4 : *Gratia vobis et pax ab eo qui est, et qui erat*, etc. Aliqui hæc verba accipiunt de Deo Patre. Verùm clausula : *Et qui venturus est*, evincit ipsa esse accipienda de Deo Verbo; nam ad extremum judicium non Deus Pater, sed Deus Filius est venturus.

Et à septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt. Per septem spiritibus Primasius, Rupertus et nonnulli alii intelligunt Spiritum sanctum, qui in suis donis est septemplex; existimant enim quòd S. Joannes hic septem Asiæ ecclesiis precetur gratiam et pacem à totâ sacrosanctâ Trinitate, Patre, Filio et Spiritu sancto. Verùm hæc expositio non subsistit : nam de Spiritu sancto nullatenùs dici potest quòd *in conspectu throni ejus sit*, siquidem ipse potiùs est in throno, ut Dominus Deus, non *in conspectu throni*, quod more Scripturæ de iis qui Deo ministrant dici solet. Itaque

Resp. et dico : Per septem spiritus intelliguntur septem principales angeli qui assistunt Deo, quasi stipatores ac primores regni ipsius, parati ad omne imperium Dei, vel per se, vel per alios inferiores angelos exequendum, præsertim in curâ et administratione hominum.

Prob. 1° ex cap. 5, v. 6, ubi de eisdem septem spiritibus mentionem faciens S. Joannes, ait : *Et vidi; et ecce in medio throni, et quatuor animalium, et in medio seniorum agnum stantem, tanquàm occisum, habentem cornua septem, et oculos septem; qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.* Ergo præfati spiritus sunt angeli; hi enim à Deo mitti solent. Imò Angelus

idem est quòd missus, puta nuntius et legatus. Unde et Zachar. 4, v. 10, hi septem spiritus vocantur *septem oculi Domini, qui discurrunt in universam terram.*

Prob. 2° ex cap. 8, v. 2, ubi isti septem spiritus, qui hìc dicuntur esse in conspectu throni, expressè vocantur angeli; ait enim ibidem Joannes : *Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei, et datæ sunt illis septem tubæ.*

Prob. 3° quia Tobiæ 12, v. 15, angelus Raphael ait : *Ego sum unus ex septem qui astamus ante Dominum*, scilicet proximè, quasi primi à Rege et summo orbis Gubernatore : nam alioquin millia millium assistunt Deo, ut ait Daniel cap. 7, v. 10.

Obj. 1° : Joannes ab istis septem spiritibus gratiam et pacem postulat fidelibus ecclesiarum Asiæ; atqui gratia et pax non potest postulari aut expectari à spiritibus creatis, sed tantùm à Spiritu sancto, Creatore; ergo per septem spiritus non possunt intelligi septem angeli. — Resp. : Disting. min. : Non potest postulari aut expectari à spiritibus creatis, tanquàm gratiæ et pacis auctoribus vel largitoribus, concedo min.; non potest ab ipsis postulari, tanquàm nostris intercessoribus, et Dei administris, nego min.; nam qui in aulâ regis habet gratiam et favorem principum intimorum regi, habet et gratiam ipsius regis. Et hinc dicimus : *Maria, mater gratiæ, mater misericordiæ;* et : *Nos culpis solutos, mites fac et castos*, non donando, sed impetrando mansuetudinem et castitatem, æquè ac culparum solutionem. Et eodem modo Joannes hìc invocat ac rogat hosce septem spiritus, ut fidelibus ecclesiarum Asiæ gratiam et pacem à Deo impetrent; ac proinde hìc astruit invocationem sanctorum, contra hæreticos. Unde non tantùm significat hosce septem spiritus assistere Deo, ut vult Beza, sed etiam nobis præesse et succurrere, ac, ut magis ope suâ succurrant, eam nobis esse implorandam.

Obj. 2° : Postquàm S. Joannes gratiam et pacem precatus erat à septem spiritibus, eam etiam precatur à Christo, dicens : *Et à Jesu Christo, qui est testis fidelis*, etc.; atqui absurdum est gratiam et pacem precari à septem angelis priùs quàm à Jesu Christo; ergo per septem spiritus non possunt intelligi septem angeli. — Resp. : Neg. min.; nam cùm priùs locutus fuisset de Christo, quatenùs est Deus, illis verbis : *Ab eo qui est, et qui erat*, postea de eodem loquitur, quatenùs est homo; et ideò eum ponit post istos septem angelos, *quia* ipse *secundùm humanam naturam*, in quâ fuit passibilis, est inferior angelis, juxta illud Davidis, psal. 8 : *Minuisti eum paulò minùs ab angelis*, quod ita de Christo intelligit S. Paulus ad Heb. 2, v. 7; deinde cùm in sequentibus plura de Christo dicere intenderet, ideòne, iterùm repeteret Christum, maluit priùs angelorum mentionem facere, ut postea sine ullâ interruptione de eo loqueretur.

Petes de quâ visione agat S. Joannes, v. 7 dicens : *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus.* — Resp. quòd agat non tantùm de visione piorum, sed etiam impiorum; idque satis patet ex sequentibus : *Et qui eum pupugerunt;* eodem modo loquitur cap. 19 sui Evangelii, v. 37 : *Et iterùm alia Scriptura dicit : Videbunt in quem transfixerunt;* est autem prophetia Zachariæ, cap. 12, v. 10 : *Et effundam super domum David et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum; et aspicient ad me quem confixerunt.* Clarum est quòd Zacharias agat de passione Christi Domini, ac per ipsum promittat redemptionem et reparationem Judaici populi ac totius mundi. Porrò Judæorum in Christum Dominum, quem pupugerunt seu confixerunt, aspectus est varius : alius per fidem ac dilectionem, alius per zelum et odium. Et ita ipsum hodiè aspiciunt, et usque ad extremum judicii diem aspicient Judæi, et quotquot alii de ipso audiverunt vel audient. Quidam in ipsum cum dilectione et obedientiâ credunt; quorumdam perfidia ipsum blasphemat et odit. Eumdem omnes aspicient in extremo judicio; electi cum dilectione et gaudio, reprobi cum horrore et fletu. Isto duplici modo Judæi in ipsum aspexerunt, etiam dùm pendebat in cruce. Nec enim dubitandum videtur quin impii crucifixores per illam subitam et miraculosam solis eclypsim, aliaque tunc facta portenta, fuerint acti in summum pravæ conscientiæ horrorem, et ex eisdem aliqui pœnitentiam egerint; alii verò in pertinaciâ suâ perstiterint. Hunc aspectum in Evangelio, extremi diei aspectum S. Joannes prædicat in præsenti loco. Subjungit autem : *Et plangent super eum omnes tribus terræ.* Hoc etiam desumptum est ex Zachariâ prophetâ, qui ita prosequitur : *Et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.* Quod etiam in passione dominicâ impletum est, ac in extremo judicio magis implendum. Etenim in ejus passione non solæ piæ feminæ, sed et plurimi Judæi tundebant sua pectora, flentes et profitentes ipsum esse Dei Filium; et in extremo die omnes scelerati Judæi, ipsique etiam crucifixores, plangent et deflebunt suum facinus, uti ad longum exponit S. P. Aug., lib. 20 de Civ. Dei, cap. 30. Attamen tantus sceleratorum planctus infructuosus erit, quia non ex amore Redemptoris, sed ex solo horrore pœnarum exprimetur. *Pœnitentiam* (sterilem) *agentes, et præ angustiâ spiritûs gementes*, Sap. 6, v. 3.

QUÆSTIO II.

Quid intelligatur per poderem in quâ Christus apparuit.

Vers. 12 et 13 : *Et conversus vidi... in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis, vestitum podere*, id est, veste talari usque ad pedes demissâ, quæ erat manicata, cinguloque astringebatur, ut testatur S. Hieron., epist. 128, ad Fabiolam. Porrò Ribera et Pererius per hanc vestem intelligunt tunicam lineam, quâ utebantur sacerdotes veteris legis. Attamen vero similius est, poderem quâ S. Joannes Christum vidit amictum, fuisse tunicam hyacinthinam, sive violacei *coloris, quæ* erat *propria summis* sacerdotibus veteris legis; in cujus etiam extremâ orâ juxta pedes pendebant septuaginta duo tintinnabula aurea cum totidem malis punicis.

Et ratio hujus est primò quòd in versione septuag.

Interp., Exod. 28, v. 31, ubi distinctè de utrâque pontificis tunicâ agitur, et quæque suo nomine ab aliâ discriminatur, nomine *poderis* designetur tunica hyacinthina. Secundò, quia Christus in habitu isto, non quasi sacerdos minor, sed quasi pontifex, septem ecclesiarum curam gerens, apparebat. Atqui sola hyacinthina, propria pontifici, significat pontificatum proprium Christo; ergo, etc. Tertiò, quia tunica linea *tantùm usque ad crura descendebat*, ait S. Hieron., epist. 128; hyacinthina verò usque ad talos. Hæc ergo propriè est poderis, id est, talaris, non illa, licèt à S. Hieron. illa quoque subinde vocetur *poderis*, quòd ad pedes, id est, ad tibias et crura descenderet.

Vers. 16 :... *Et de ore ejus gladius utrâque parte acutus exibat.* Ita et infra, cap. 19, v. 15, dicitur : *Et de ore ejus procedit gladius ex utrâque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes*, utique in extremo judicio gentes peccatrices. Istiusmodi gladio Cherubim primos parentes ejecit è paradiso, et omnem eò redeundi viam illis præclusit. Hinc et eodem gladio Christus Dominus in extremo judicio peccatores percutiet, projiciet in infernum, et ipsis præcludet omnem viam exeundi. Et certè ista ejectio fuit figura et imago hujus projectionis. Iste igitur gladius significat Christi Domini supremam judicialem potestatem. Ita exponunt varii. Attamen licèt hæc expositio posteriori cap. 19 gladio forsitan quadret, inde tamen non sequitur quòd quadret huic; etenim apud prophetas eadem vox quandoque significat diversa. De præsenti autem hujus capitis gladio vero similior videtur expositio Tertulliani, qui, lib. 3 contra Marcionem, cap. 14, ita scribit : « Joannes in Apocalypsi ensem describit ex ore Dei procedentem, bis acutum, præacutum, quem intelligi oportet sermonem divinum, bis acutum duobus testamentis, legis et Evangelii; acutum sapientiâ, infestum diabolo, armantem nos adversùs spiritualia nequitiæ et concupiscentiæ. » Ratio verò hujus est quòd Christus Dominus hìc apparuerit tanquàm grassantium in Ecclesiâ tunc vitiorum correptor et corrector; quod munus exequitur per virtutem et spiritum utriusque Testamenti. Proinde hic gladius significavit supremam ejus pontificalem ac doctoralem auctoritatem. Unde etiam S. P. Aug., tractans præsentem Apocalypsis locum, lib. 20 de Civ. Dei, cap. 21, ait : *Scriptura sermonem Dei dicit gladium bis acutum, propter aciem geminam testamentorum duûm.* Verbum enim Dei ex utroque testamento depromptum, si Spiritus sanctus aciem ejus acuat, et impetum addat, altissimè in corda hominum penetrat, ideòque hoc unicum est instrumentum et telum, quo pastores et prædicatores corda subditorum ferire debent.

CAP. II, III.

Dictat angelus S. Joanni quid velit scribi septem ecclesiarum episcopis, scilicet Ephesino, Smyrnensi, Pergamensi, Thyatirensi, Sardensi, Philadelphensi, et Laodicensi.

QUÆSTIO PRIMA

Quis fuerit episcopus Ephesinus.

Cap. 2, v. 1 : *Angelo Ephesi ecclesiæ scribe.* Quòd per septem angelos, quibus hìc jubetur scribere S. Joannes, intelligantur septem præcipuarum Asiæ ecclesiarum episcopi, communis et certa est omnium interpretum sententia. Etenim hìc scribit angelo, id est, episcopo, Ephesi, Smyrnæ, etc., eosque muneris episcopalis monet, corrigit et instruit. Porrò episcopi rectè dicuntur angeli, quia sunt internuntii Dei ad populum. Unde Malachiæ 2, v. 7, dicitur : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia angelus Domini exercituum est.* In quæ verba ita scribit S. Hieron. : *Angelus, id est, nuntius, sacerdos Dei verissimè dicitur, quia Dei et hominum sequester est, ejusque ad populum nuntiat voluntatem.* At quinam hi septem episcopi fuerint, satis incertum est. Interim ut ordine procedamus, et quod vero similius apparet, proferamus,

Resp. et dico : Episcopus Ephesinus tunc temporis fuit S. Timotheus. Probatur quia quòd Timotheus à S. Paulo ordinatus et constitutus fuerit Ephesiorum episcopus, manifestum est ex utrâque ejusdem Epistolâ ad Timotheum scriptâ. Jam autem ista ordinatio contigit vel anno æræ vulgaris 57, ut volunt nonnulli, vel probabiliùs anno 64, ut nos demonstravimus quæst. 2 in Epist. ad Timoth.; ac consequenter, quia Timotheus admodùm juvenis fuerat creatus episcopus, ut colligitur ex 1 ad Timoth. 4, v. 12, vero similiter supervixit usque ad tempus quo scripta est Apocalypsis; siquidem hæc scripta est circa annum 95, et Timotheus martyrio coronatus est, vel anno 97, ut refert Tillemontius, tom. 2, notâ 6 in Timoth., vel anno 109, ut ex S. Ignatio conatur evincere Baronius ad annum Christi 109.

Obj. 1° : Illa quæ hìc narrantur de episcopo Ephesino non videntur posse convenire Timotheo; nam incredibile est Timotheum, utpote virum sanctissimum, primam charitatem reliquisse, et alios defectus habuisse, qui narrantur v. 4 et 5. — Resp. : Neg. assumpt., quia magni etiam sancti inter persecutiones et pressuras tædio affecti, Deo hoc ad eorum humiliationem et gratiæ suæ commendationem permittente, de fervore charitatis aliquid quandoque remittunt. Quale fortassè etiam, juxta Fromondum, acciderat Paulo, dùm loquens de tribulatione quæ ei acciderat in civitate Ephesinâ, ait : *Supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere*, 2 ad Cor. 1, v. 8 : nam apostoli etiam post missionem Spiritûs sancti peccabant quandoque venialiter. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*, inquit S. Joannes, Epist. 1, cap. 1, v. 8. Cùm igitur v. 4 non dicatur quòd episcopus ille absolutè et simpliciter charitatem amiserit, sed tantùm quòd primam charitatem reliquerit, videtur id intelligendum esse de primo illo fervore charitatis quo ardebat in principio episcopatûs sui; ac proinde non est existimandum, ipsum per peccatum mortale à charitate excidisse, sed pristinum solum fervorem reliquisse, adeòque tantummodò venialiter deliquisse. Nam Christus hìc ejus patientiam, zelum, aliaque opera illustria, non

tantùm præterita, sed etiam præsentia, laudat et mirè extollit; quod haud dubiè non faceret, si ageretur de peccato mortali. Videtur ergo S. Timotheus nonnihil intepuisse in prædicando verbo Dei, in labore convertendi Ephesios; eò quòd videret Judæos et gentiles sibi pertinaciter obsistere. Unde partim ex pusillanimitate et tepore, partim ex prudentiâ humanâ, suggerente quòd pacis causâ oporteret remissiùs agere, ne nimio zelo magis rem christianam turbaret, et infideles contra se suosque concitaret, de pristino evangelizandi ardore nonnihil remisit. Monitus autem hìc à Christo, per S. Joannem, remissionem suam correxit, et primum fervorem prædicationis resumpsit, fervidèque reprehendit cultores Dianæ; idcòque ab iis martyrio affectus est.

Iiis addi potest quòd, cùm hoc in loco ecclesiarum angeli, seu episcopi, repræsentaverint omnem suam ecclesiam, S. Joannes notet et culpet non ipsorum duntaxat peccata, sed etiam eorum ecclesiarum, in quarum pastores subditorum culpa et reprehensio redundat. Vide S. Aug. lib. quem post Carthaginensem collationem ad Donatistas scripsit, cap. 22.

Obj. 2° : Tempore quo S. Joannes scripsit Apocalypsim, ecclesiæ Ephesinæ episcopus erat S. Onesimus. Prob. assumpt., quia quòd hic à S. Paulo ordinatus fuerit Ephesiorum episcopus, apertis terminis habetur in Martyrologio Romano die 16 februarii, ubi ita legitur : *Natalis B. Onesimi, de quo S. Paulus ad Philemonem scribit, quem etiam post S. Timotheum Ephesiorum episcopum ordinavit.* Jam verò apud omnes certum est quòd Onesimi consecrator S. Paulus martyrio affectus sit sub Nerone; ergo et tunc jam inde Timotheus erat mortuus uti contendit Ribera; aut saltem mortuus fuit sub Domitiano ante scriptam Apocalypsim, ut tradit Simeon Metaphrastes. — Resp. : Neg. assumpt. ejusque probationem; nam quòd Timotheus tunc nondùm esset mortuus, satis clarè patet ex Epist. 2; utpote quam S. Paulus non diù ante mortem suam ad ipsum scripsit, uti liquet ex cap. 4, v. 6. Vide quæ desuper dicta sunt in Epist. ad Timoth., quæst. 5. Quantùm autem ad Martyrologium Romanum, sensus verborum illius videtur posse esse hic : Post ordinatum Timotheum tandem S. Paulus etiam Onesimum ordinavit Ephesiorum episcopum, non quidem ut tunc Ephesiorum ecclesiam gubernaret, sed ut Timotheo in episcopatu Ephesino succederet. Denique quantùm ad Metaphrasten, hìc nullam meretur fidem, cùm sibi repugnantia scribat; dicit enim 22 januarii Timotheum mortuum esse sub Domitiano, post scriptum à Joanne Evangelium; et 27 decemb., agens de Joanne, dicit ipsum scripsisse Evangelium post reditum ejus ab exilio in Asiam, mortuo Domitiano.

In laudem episcopi Ephesini subjungit S. Joannes, v. 6 : *Hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum*, quorum hæresis erat licere fornicari, et promiscuè uti feminis etiam conjugatis. Origo eorum juxta varios fuit à Nicolao Antiocheno, uno ex septem primis diaconis; quem SS. Epiphan., hæres. 25, et Hieron., epist. ad Heliodorum, tanquàm hæresiarcham accusant. Attamen Clemens Alexandrinus, lib. 3 Strom., et S. P. Aug., hæres. 5, aliique ipsum excusant, nec hæresim docuisse, sed homines turpitudinibus deditos, ex quodam imprudenti ejus facto occasionem hæreseos arripuisse asserunt. *Cùm* enim Nicolaus *de zelo pulcherrimæ conjugis culparetur*, ait S. Aug., *velut purgandi se causâ permisisse fertur, ut eam qui vellet haberet. Quod ejus factum in sectam turpissimam versum est, quâ probatur usus indifferens feminarum.* Non igitur Nicolaus docuit hæresim; sed cùm de zelotypiâ accusatus, fortassè ex indignatione dixisset : En uxor mea, utimini si libet, ut intelligatis quàm parùm sim zelotypus; homines quidam alii ad libidinem proni arripuerunt inde occasionem permittendi promiscuum uxorum et feminarum usum, quasi ex sententiâ diaconi, Spiritu sancto pleni, id foret licitum.

QUÆSTIO II.

Quis fuerit episcopus Smyrnensis; item Pergami et Thyatiræ.

Vers. 8 : *Et angelo Smyrnæ ecclesiæ scribe.* Hunc angelum, seu Smyrnensem episcopum, fuisse S. Polycarpum, communis est interpretum sententia, cui plurimùm favet chronologia et temporis ratio; nam, juxta Eusebium, in Chronico, ad annum 95, S. Polycarpus martyrium subiit anno 169, cùm jam Christo serviisset, ut ipse moriens præsidi asseruit, annos 86. Igitur ad Christum conversus fuit anno 83. Ac proinde circa annum 95, quo scripta est Apocalypsis, jam duodecim annos fuerat christianus; et consequenter poterat tunc esse episcopus; imò fuisse inde eruitur quòd à S. Joanne Smyrnæ episcopus sit ordinatus, ut testatur S. Hieron., lib. de Script. eccles. Jam autem S. Joannes post scriptam Apocalypsim, rediens ab exilio, utpote planè senex, ad vicinam Ephesum se contulit, ibique Evangelium scripsit, ac paulò post ibidem obiit. Unde non videtur Smyrnæ post hæc tempora fuisse, ut ibi ordinaret episcopum.

Vers. 9 : *Scio tribulationem tuam, et paupertatem tuam*, paupertatem rerum temporalium; hinc enim sequitur : *Sed dives es*, utique in animâ tuâ. Smyrnensis ecclesiæ tribulatio tunc fuit tanta ut Polycarpus frequenter exclamaverit : *Domine Deus! in quæ tempora me reservâsti?* Ita lib. 4 Histor. Eccles, c. 14, testatur Eusebius Cæsareensis. Istius paupertatis et omnis tribulationis auctores videntur fuisse perfidi Judæi, qui suos fideles contribules spoliaverunt omnibus bonis : nam et ita fecerunt Thessalonicæ, ut liquet ex 1 ad Thess. 2, v. 14, ac per totam Palæstinam, ut patet ad Heb. 10, v. 34, ubi dicit Apostolus : *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.*

Blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos esse. Quòd perfidi Judæi S. Polycarpum singulariter oderint, manifestum est ex præfato Eusebii loco, ubi affirmat odium fuisse tantum, ut ipsi jam centum annorum seni damnato ad vivicomburium crudeliter insultaverint, et ad ejus tormenta augenda congesserint ligna, et injecerint in rogum. Et hi jactabant se Judæos esse, id est, gloriabantur in nomine *Judæi*, quod Hebraicè

confitentem et laudantem Deum significat; quasi ipsi verè confiterentur et laudarent Deum, qui Christum Dei Filium, et Messiam in lege et prophetis promissum, ac servos ejus sævissimè persequebantur. Sed non erant, quia unicus legis finis est Christus ad justitiam omni credenti; ideòque qui in lectâ et observatâ lege non intelligunt nec venerantur Christum, non sunt veri Judæi. Etenim veri Judæi et Deum confitentes sunt christiani. *Non enim qui in manifesto, Judæus est; neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio; sed qui in abscondito, Judæus est; et circumcisio cordis in spiritu, non litterâ; cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est*, ad Rom. 2, v. 28 et 29; et ideò etiam S. Joannes hic subjungit : *Sed sunt synagoga Satanæ, quia nempe ob perfidiam erant exhæredati à Domino* Deo, et traditi in potestatem diaboli. Et certè synagogæ, cui olim præsedit Dominus Deus, post patrata in Christum facinora, cœpit diabolus præsidere.

Vers. 10 : *Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem*, utique per decreta imperatoris Domitiani, et per Asiæ proconsulem; etenim Smyrna erat amplissima civitas, habebat amphitheatrum, et similes augustas fabricas; et proconsul aut habitabat illic, aut frequenter morabatur; atque ita isti fideles erant obnoxii Romanis persecutionibus. Christus igitur Dominus Polycarpo prædicit quòd non solùm à perfidis Judæis, sed etiam à gentilibus ejus Ecclesia sit passura duràs persecutiones; atque ita ipsum animat ad gloriosa certamina. Porrò hæc rectè dicuntur immitti per diabolum, quia fiunt ex ejus motu per homines iniquos, illius membra atque instrumenta.

Habebitis tribulationem diebus decem. Iis verbis significatur quòd ista persecutio duratura esset parvo tempore, seu ad paucos dies. Quòd enim apud Smyrnenses nullus sub Domitiano, sed multi, inter quos et ipse Polycarpus, sub Marco Aurelio Antonino sint passi martyrium, testatur Eusebius, lib. 4 Histor. eccles. Itaque omnes quos Domitianus incarceraverat, fuerunt liberati ac dimissi. Et hinc Apocalypsis dicit : *Ut tentemini*, hoc est, ut duntaxat circa mortem et martyrium tentemini. Mox autem memorata liberatio fuit facta statim post Domitiani mortem, quando novus ac mitior imperator Nerva et Romanus senatus omnia illius acta ob nimiam crudelitatem rescinderunt, atque ita omnibus per ipsum vinctis reseraverunt carceres. Porrò, ut supra dictum est, Apocalypsim S. Joannes scripsit anno decimo quarto imperii Domitiani, et ipse Domitianus decimo quinto, aut certè decimo sexto sui imperii anno fuit in suo palatio occisus; atque ita hæc persecutio forsitan nec ad annum duravit. Et *hoc modicum tempus* Christus Dominus appellavit *decem dies*. An etiam S. Polycarpus tunc incarceratus fuerit, ignoramus.

Esto fidelis usque ad mortem : S. Polycarpum, quem in multis laudavit, et in nullo culpavit, Christus animat ad constantem et finalem perseverantiam, et ipsi prædicit crudele martyrium; ac insuper spondet præmium, dicens : *Dabo tibi coronam vitæ*. Et reverà ejus martyrium fuit admodùm crudele : nam ab ardenti rogo, ut in Babylonicâ fornace tres Hebræorum pueri, comburi non potuit; uti testatur Eusebius, qui de hâc re, lib. 4 Histor. eccles., cap. 14, ita scribit : « Ad extremum cùm nefarii homines viderent ejus corpus ab igne minimè consumi, carnifici mandata dederunt, ut propè ad rogum progressus, illum stricto ense confoderet. Quâ re confectâ, ita cruoris copia effluxit, *ut ignem prorsùs extingueret.* » Ad quæ omnia sufferenda opus fuit magnâ constantiâ.

Vers. 12 : *Et angelo Pergami ecclesiæ scribe.* Hunc episcopum fuisse S. Carpum, arbitrantur varii; idque ideò, quia Eusebius affirmat S. Carpum cum quibusdam aliis fuisse Pergami passum eodem anno quo Smyrnæ fuit passus S. Polycarpus. Et licèt hodiernum Romanum Martyrologium die 13 aprilis dicat ipsum fuisse Thyatiræ episcopum, hoc tamen nec Eusebius dicit, nec aliqua antiqua Martyrologia. Et antiquum Romanum Martyrologium habet : *Pergami, S. Carpi episcopi*, qui loquendi modus palàm insinuat ipsum fuisse istius loci episcopum. Verùm quidquid sit, ego puto prorsùs incertum esse quis tunc temporis Pergami, item quis Thyatiræ ecclesiæ fuerit episcopus.

Porrò licèt Christus Dominus episcopi Pergamensis in fide constantiam plurimùm laudet, tamen addit quòd pauca adversùs ipsum habeat : scilicet quòd nimis *indulgenter sustineret tenentes doctrinam Balaam*, id est, doctrinam Nicolaitarum, ut liquet v. 15, quæ erat omninò similis illi quam Numer. 24 Moabitis prædicaverat perversus propheta Balaam. Etenim Nicolaitæ instar illius docebant licitum esse fornicari, edere lautè quoscumque cibos, etiamsi essent idolothyta, vetita decreto apostolico Act. 15, ut gula hæc esset fomentum luxuriæ. Quia igitur cum his hæreticis episcopus Pergamensis negligentiùs agebat, et eorum sectatores non satis efficaciter compescebat, ideò subjungitur v. 16 : *Pœnitentiam age*, timorem depelle, *animum sume*, et audacter contra Nicolaitas decerta, eosque pro viribus extirpa.

Vers. 18 : *Et angelo Thyatiræ ecclesiæ scribe.....*, v. 19 : *Novi opera tua*, etc. Christus Dominus affirmat hunc episcopum fuisse sanctissimæ vitæ. Ipsum enim laudat à fide in Deum, à charitate in pauperes, à diligentiâ in episcopali ministerio, à patientiâ in adversitatibus, et à *quotidiano* in istis omnibus *profectu*, uti satis manifestum est ex his verbis : *Opera tua novissima plura prioribus*. Interim, v. 20, ipsum arguit quòd permittat *mulierem Jezabel, quæ se dicit propheten, docere et seducere servos* Dei, *fornicari, et manducare de idolothytis*. Rupertus, Pererius et A Lapide putant hanc Jezabelem fuisse nobilem et potentem aliquam mulierem hæreticam, quæ prophetissam se mentiendo propagavit hæresim Nicolaitarum, docens licere fornicari et edere idolothyta. Et certè plura habemus talium feminarum exempla. Etenim Priscilla et Maximilla fuerunt Montano auctrices hæresis; et *Quintillam*, quæ Tacianam prædicabat hæresim, Tertullianus refutat lib. de Baptismo. Similem feminam, quæ etiam sacrificare audebat, in Ponto grassatam scribit S. Firmilianus Cæsarcensis in Cappadociâ episcopus

in suâ famosâ ad S. Cyprianum epistolâ. Et S. Hieron., epist. ad Ctesiphontem, notat omnes hæreses propagatas esse per mulieres.

Attamen Primasius et Andreas Cæsareensis episcopus censent hîc esse locutionem tropicam, et per hanc Jezabelem intelligi ipsam hæresim Nicolaitarum. Porrò vera Jezabel fuit filia regis Sidoniorum, uxor Achab regis Israel, sceleratissima mulier, præsertim in idololatriâ; nam et seduxit suum maritum in varia crimina. Et hinc ipsi rectè comparatur hæresis, quia et hæc seducit sibi credentes, idque jactando, et suis seductis persuadendo se esse prophetidem, seu divinam veritatem. Thyatiræ igitur episcopus hîc arguitur quòd istam hæresim non satis diligenter ac fortiter impediret; hocque fuit unicum ejus peccatum.

Vers. 22 : *Ecce mittam eam in lectum.* Per lectum Primasius intelligit cæcitatem mentis et obstinationem, in quâ pravi homines ita requiescunt, ut credant se benè agere; alii intelligunt infernum. Et utrumque rectè intelligitur : nam primò perversi homines mittuntur in reprobum sensum, et deinde in infernum, in quo sempiternis morbis seu tormentis cruciandi sunt omnes, præsertim hæretici, quos divina bonitas multo tempore invitavit ad pœnitentiam, et qui noluerunt ipsam agere. De similibus enim scribit S. Paulus ad Rom. 2, v. 5 : *Secundùm duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ.* Porrò, inhærendo expositioni Primasii et Andreæ Cæsareensis, per mulierem Jezabel intelliguntur non omnes apud Thyatiram Nicolaitæ, sed omnes et soli istius hæresis principes seu prædicatores.

Et mœchantur cum eâ, etc. Christus Dominus dicit alios Jezabelis filios, alios esse qui cum ipsâ mœchantur. Ejus filii sunt per ejus hæresim corrupti ac in ipsâ pertinaces homines; ejus mœchi sunt istius hæresis sectatores, qui necdùm devenerunt in plenam pertinaciam. Apocalypsis ambos invitat ad pœnitentiam, quam nisi egerint, mœchis maximam tribulationem, filiis minatur et prædicit mortem, utique primam et secundam. Utramque prædicit etiam mœchis; ipsam tamen, quòd mitior futura sit, appellat solummodò maximam tribulationem. Ipsi Jezabeli aufert omne pœnitentiæ tempus, ejus filiis ac mœchis indulget adhuc aliquid patientiæ.

QUÆSTIO III.

De iis quæ concernunt trium aliarum ecclesiarum episcopos.

Cap. 3, v. 1 : *Et angelo ecclesiæ Sardis scribe : Hæc dicit qui habet septem spiritus Dei et septem stellas.* Quis fuerit hic Sardensis episcopus, prorsùs ignoratur. Porrò per septem spiritus Dei septem primarii angeli, per septem stellas intelliguntur septem harum ecclesiarum episcopi. Christus Dominus ascribit sibi hunc titulum, ut ostendat omnia sibi subjecta, non tantummodò terrena, sed etiam cœlestia.

Nomen habes quòd vivas, et mortuus es. Nonnulli existimant Sardensem episcopum hîc argui de hypocrisi; nam hypocritæ apud homines habent nomen quòd vivant, et mortui sunt apud Deum. Sed aliud exigere videntur verba sequentia : *Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant.* Hæc enim demonstrant istum episcopum argui de tepore, socordiâ ac negligentiâ episcopalis officii, in scandalis avertendis, in corripiendis ac reprimendis hæreticis, etc. Propter rectam fidem et quædam bona opera apud homines nomen habebat quòd viveret, sed propter negligentiam erat mortuus apud Deum. Et hæc negligentia fuit tanta, ut tota ferè ista ecclesia fuerit eversa per hæresim. Atque ob hanc rationem ipsi præcipitur : *Confirma cætera quæ moritura erant;* hoc est, tot è tuæ ecclesiæ membris sunt occisa per hæresim, ut pauca supervivant; proinde evigila et cura ne et ista moriantur. Quare magna fuit istius episcopi negligentia, ac consequenter peccatum mortale. Et hinc subjungitur : *Non enim invenio opera tua plena*, nempe opera tua bona, per quæ nomen habes quòd vivas : nam fraternâ, adeòque et divinâ charitate cares; atque ita omnia tua, licèt bona, opera sunt vacua, quia nimirùm *plenitudo legis*, ideòque et omnium bonorum operum, *est charitas*, ut dicitur ad Rom. 13, v. 10.

Vers. 3 : *In mente ergo habe qualiter acceperis et audieris*, hoc est, considera et reminiscere quibus conditionibus et pactis *acceperis* episcopatum. Etenim omnis episcopus istam dignitatem accipit sub onere, de quo 2 ad Timoth. 4 dicit S. Paulus : *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius esto.* Etiam considera qualiter hæc *audieris*, seu per obedientiam expleveris; *audire* enim hîc ponitur pro *obedire*, quod frequens est in SS. Litteris. Et hinc sequitur : *Et serva*, hoc est, quia usque nunc non obedivisti, neque servâsti, jam tandem incipias servare ac obedire.

Vers. 7 : *Et angelo Philadelphiæ ecclesiæ scribe.* Quis iste Philadelphiæ angelus fuerit, etiam ignoratur : nam, licèt Areolus et Lyranus opinentur quòd fuerit S. Quadratus, de quo in Martyrologio Romano, die 26 maii, tamen id à vero prorsùs alienum apparet : nam S. Quadratus Atheniensium episcopus fuit, ut patet ex S. Hieron., lib. de Script. eccles., verbo *Quadratus*, ubi ita scribit : *Quadratus Apostolorum discipulus, Publio Athenarum episcopo, ob Christi fidem martyrio coronato, in locum ejus substituitur, et Ecclesiam, grandi terrore dispersam, fide et industriâ suâ congregat.* Nec ullus antiquus scriptor dicit illum antea fuisse episcopum Philadelphensem; ac proinde sententia Areoli et Lyrani non videtur posse sustineri. Interim insignis et excellenter sanctus vir fuit iste Philadelphiæ angelus, et similis angelo Smyrnensi, qui de nullâ culpâ et negligentiâ reprehenditur.

Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David. Ista verba desumpta sunt ex cap. 22 Isaiæ prophetæ, ubi Dominus Deus Sobnam præpositum templi affirmat à se ejiciendum propter demerita; et adjungit, v. 20 : *Et erit in die illâ : Vocabo servum meum Eliacim filium Helciæ*, v. 21 : *Et induam illum tunicâ tuâ, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu ejus; et erit quasi pater habitantibus Jeru-*

salem et domui Juda, v. 22 : *Et dabo clavem domûs David super humerum ejus; et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat.* Davidis domus Ecclesiam, præposituræ à Sobnâ in Eliacim translatio præfiguravit antiqui Testamenti ac sacerdotii exstinctionem, et omnis istius dignitatis translationem in novum Testamentum ac sacerdotium. Proinde clavis domûs David, quam unà cum aliis ornamentis Dominus Deus transtulit à Sobnâ in Eliacim, erat summa in domum Davidis potestas, et præfigurabat supremam ac plenam potestatem in novi Testamenti Ecclesiam. Etenim clavis in Scripturis tam veteris quàm novi Testamenti ideò potestatem significat, quia qui clavem palatii aut alicujus domûs habet, potest liberè eam intrare, et alios intromittere aut excludere prout libuerit; adeòque cæteros quodammodò subjectos sibi habet. Quare præfati loci hic est sensus : Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet supremam potestatem regnandi in domo et solio regis Davidis, sive in Ecclesiâ, quæ per domum Davidis mysticè designatur. Unde angelus ad D. Virginem : *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus*, etc., Lucæ 1, v. 32.

Qui aperit, nimirùm ostium domûs David sive Ecclesiæ electis suis, quos per fidem et gratiam in Ecclesiam militantem, et deinde per gloriam in triumphantem intromittit. *Et nemo claudit*, id est, nemo claudere potest, et ab Ecclesiæ ac cœli introitu arcere eos quibus Deus per æternam prædestinationem aperire voluerit. *Claudit*, scilicet infidelibus et reprobis, qui propter peccata sua excludi merentur. *Et nemo aperit*, hoc est, nemo aperire potest; nam *si incluserit hominem, nullus est qui aperiat*, Job 12, v. 14. Claudit autem Deus, quando non aperit, quia *humana mens ad perditionem suam sufficit sibi dimissa*, ait in illum locum S. Gregorius. Quia verò Christus per meritum suæ crucis ostium Ecclesiæ militantis et triumphantis electis suis aperit, ideò crux Christi à nonnullis etiam vocatur Christi clavis.

Vers. 8 : *Scio opera tua*, nempe quæ sequuntur : *Servâsti verbum meum, et non negâsti nomen meum.* Episcopum hunc Christus Dominus laudat per omnia. Videtur autem esse ille ipse quem in epistolâ ad Philadelphenses laudat S. martyr Ignatius his verbis : *Videns episcopum vestrum, cognovi quia non à semetipso, neque ab hominibus promotus est in ministerium ad communionem pertinens, neque per inanem gloriam, sed in dilectione Jesu Christi, et Dei Patris, cujus exspavesco mansuetudinem. Aptus est enim mandatis Domini, et in justitiâ ejus sicut chordæ citharæ; et est irreprehensibilis non minùs Zachariâ sacerdote.*

Dedi coram te ostium apertum. Simile quid etiam habetur 1 Cor. 16, ubi dicit S. Paulus : *Permanebo... Ephesi usque ad Pentecosten; ostium enim mihi apertum est magnum*; et 2 Cor. 2 : *Cùm venissem... Troadem..., et ostium mihi apertum esset in Domino.* Porrò per ostium apertum intelligitur occasio fructuosè prædicandi Evangelium.

Quia modicam habes virtutem. Hic Philadelphensis episcopus, licèt vir sanctissimus, videtur in prædicando fuisse modici talenti. Quare præsentis loci hic est sensus : Licèt in prædicando modicam gratiam et modicas vires habeas, tamen constanter prædica, quia facies fructum. Etenim ego tibi aperui et aperiam ostium, quod nemo possit claudere; tuo invalido verbo ego dabo valorem, fructum ac incrementum, quod nemo impediet. Ex quo patet quòd prædicatio per bonam vitam sit longè efficacior omni studio ac eruditione facundorum verborum.

Vers. 14 : *Et angelo Laodiciæ ecclesiæ scribe : Hæc dicit : Amen.* Hujus Laodicensis episcopi nomen etiam ignoratur. Porrò ille fuit vir ignavus et socors, ideòque durè à Christo Domino reprehenditur; et ut reprehensionem meliùs apprehenderet, ac vitam suam emendaret, Christus profitetur se esse ipsam supremam veritatem, et principium omnis creaturæ; ideòque testem fidelem et verum. Etenim vox *amen* hìc non adverbialiter, sed nominaliter accipitur, et significat ipsam supremam ac incommutabilem veritatem.

Vers. 16 : *Quia tepidus es.* Hujus vitii radicem edicunt verba sequentia : *Dicis, quòd dives sum, et locupletatus, et nullius egeo; et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus et nudus.* Proinde episcopus hic habebat fidem; ideòque non erat frigidus; nam vera fides esse non potest sine calore alicujus saltem tenuis Dei amoris, siquidem involvit pium quemdam erga primam veritatem credulitatis affectum. Verùm non habebat plenitudinem bonorum operum; soli suæ fidei et quibusdam adjunctis operibus fidebat; et per ipsa se credebat divitem, opulentum, securum de vitâ æternâ. Hinc erat miser, miserabilis, pauper et nudus, utpote carens veste nuptiali. Non credidit solam sine operibus fidem sufficere ad justitiam; sic enim fuisset hæreticus, adeòque et frigidus. Itaque aliquas episcopo necessarias virtutes habuit, aliquas non habuit; et istam mediam vitam ex imperitiâ aut desidiâ credebat sibi sufficere; ideòque et altiùs surgere non studuit. Et hinc fuit partim calidus, partim frigidus; et neque frigidus, neque calidus; sed tepidus. Quòd verò hic tepor, seu in christianâ vitâ proficiendi neglectus sit grave peccatum, passim docent SS. Patres; atque id præsertim verum est in personis ecclesiasticis. Porrò aqua tepida habet antipathiam cum nostro stomacho, et hausta causat vomitum. Cùm igitur omnes nos per Baptismum simus transmissi in mysticum Christi corpus, hinc de tepidè viventibus christianis Dominus rectè dicit : *Incipiam te evomere ex ore meo*, hoc est, ejiciam te extra meum corpus, seu extra meum regnum. Est congrua allegoria.

Porrò circa hæc verba v. 15 : *Utinam frigidus esses!* quæri solet an melius sit esse frigidum, seu infidelem, quàm esse tepidum, seu malum catholicum. Et hanc quæstionem fusè agitat S. P. Aug., lib. 4 de Bapt., cap. 20; atque post multa concludit ac resolvit se non audere præcipitare sententiam : sunt enim excedentia et excessa. Uterque, licèt contra fidem non disputet, contra ipsam tamen vivit; et quando quidem est pejus

contra ipsam vivere quàm disputare. Hinc 1 ad Timoth. 5, scripsit S. Paulus : *Qui suorum, et maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior*, quia nempe contra fidem agit, non disputando, sed malè vivendo; quod maximè verum est in tepido episcopo; hic enim suorum non habet curam. Et ita videtur intelligendus præsens locus Apocalypsis, scilicet quòd in his circumstantiis isti episcopo melius fuisset esse frigidum, seu infidelem, quàm esse tepidum, seu malum catholicum, conformiter ad id quod habet S. Petrus, Epist. 2, cap. 2, v. 21 : *Melius... erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem, retrorsùm converti ab eo quod illis traditum est, sancto mandato.* Unde, etsi absolutè optare alterius vitium seu peccatum sit illicitum, licet tamen comparativè minus malum majori malo alicui præoptare, quia sic minus malum induit rationem alicujus boni.

Nonnulli præfatum textum etiam non malè explicant hoc modo : *Utinam frigidus esses !* licèt non tibi, esset melius tuæ ecclesiæ; si enim esses frigidus, posses degradari à tuis coepiscopis; atque ita tua ecclesia acciperet alium episcopum; nunc autem, quia duntaxat es tepidus, illi non habent plenas te degradandi causas. Interim ego habeo, et, nisi te correxeris, tractabo te ut aquam tepidam; evomam te ex meo corpore; permittam te labi in alia graviora peccata, atque ita curabo te degradari.

CAP. IV, V.

Videt Joannes per ostium apertum in cœlo, Deum habitu jaspidio et sardinio, in throno smaragdino residentem, ac iride amictum, et circumsedentes viginti quatuor seniores, et quatuor animalia, plena oculis, et alis senis instructa. Videt etiam in dexterâ Dei sedentis librum scriptum intùs et foris, clausum sigillis septem; quem cùm nemo posset aperire, Agnus primùm occisus illum aperuit.

QUÆSTIO PRIMA.

Quinam sint viginti quatuor seniores; item quinam significentur per quatuor animalia.

Cap. 4, v. 1 : *Post hæc vidi, et ecce ostium apertum in cœlo*, nempe ad videnda, et postmodùm Ecclesiæ tradenda, quæ Christus Dominus ante suam ascensionem non revelaverat, et quæ usque tunc solum cœlum noverat, arcana Dei consilia circa regimen et decursum Ecclesiæ usque ad finem seculi. Hinc enim sequitur : *Ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc*, utique post mortem prædictorum septem episcoporum, et post præsentem persecutionem. Porrò hæc visio fuit tantùm imaginaria et intellectualis; et consequenter non realis, sed imaginaria tantùm apertio cœli. Similis ferè fuit visio Ezechielis cap. 1, v. 1 : *Aperti sunt cœli, et vidi visiones Dei.*

Vers. 2 : *Et ecce sedes posita erat in cœlo, et supra sedem sedens*, id est, super sedem regia quædam majestas sedebat, per quam nonnulli Christum intelligunt. Sed rectiùs alii asserunt fuisse imaginem Dei Patris; nam infra, c. 5, v. 7 : *Agnus occisus*, id est, Christus, accipit librum de dexterâ sedentis in throno; ac proinde manifestum est eum qui sedet diversum esse à Christo.

Vers. 4 : *Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor.* Per hæc sedilia significatur sublimitas meritorum, in quibus tanquàm sedilibus sancti seniores conquiescunt. *Et super thronos viginti quatuor seniores sedentes*, non aliud sunt throni et sedilia, sed vocem Græcam θρόνους modò retinet interpres Latinus, modò *sedilia* vel *sedes* vertit. Verùm quinam sint viginti quatuor seniores, de quibus hìc et postea sæpiùs in Apocalypsi, satis incertum est : nam desuper sunt variæ interpretum sententiæ. Aliqui putant esse duodecim patriarchas Israeliticarum tribuum, ac duodecim novi Testamenti apostolos. Attamen et apostoli, et isti patriarchæ fuerunt tredecim; et an omnes tredecim patriarchæ sint sancti, valdè incertum est. Præterea hos seniores multò plures esse quàm viginti quatuor, et non unius nationis aut linguæ esse, sed multarum, manifestum est ex verbis cap. 5, v. 9, ubi ipsi aiunt : *Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et linguâ, et populo, et natione.* Itaque vero similior apparet sententia eorum qui per istos viginti quatuor seniores indefinitè intelligunt totum senatum cœlestis curiæ, id est, omnes principaliores sanctos novi et antiqui Testamenti. Et hi rectè vocantur *seniores*, quia sunt cæteris sanctis honorabiliores, et dignitate eminentiores. Igitur sicuti plures erunt quàm duodecim apostoli sedentes in nubibus super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel, Matth. 19, v. 28, ita plures esse videntur quàm duodecim ex utroque Testamento, qui circa thronum Dei in cœlo sedent. Sed numerus duodenarius est numerus universitatis omnium qui à quatuor mundi partibus per fidem SS. Trinitatis ad cœlum vocantur, et circa thronum Dei sedent, ut in psal. 86 interpretatur S. P. Aug. Duodenarius enim numerus perfectus est, significans quamdam universitatem; nam componitur ex *quatuor* ter ductis. *Tria* significant tres SS. Trinitatis personas; *quatuor* significant quatuor mundi plagas, ex quibus universi sancti confluunt. Omnes igitur seniores, et illustriores SS. Patres, qui ab ortu, occasu, septentrione et meridie, in fide Trinitatis per dilectionem operante, circa thronum Dei sedebunt, ad numerum illorum duodecim ex veteri, et duodecim ex novo Testamento pertinent. Nam et illi, qui novum Testamentum præcesserunt, etiam vocati sunt ex *quatuor* mundi plagis in Trinitate, quia omnes fidem Trinitatis habuerunt, vel explicitam, vel implicitam, et omnes per fidem, spem et charitatem conjuncti sunt cum cæteris sanctis.

Vers. 6 : *Et in conspectu sedis tanquàm mare vitreum simile crystallo.* Per mare vitreum quidam intelligunt aquas baptismatis, quidam infinitam multitudinem SS. angelorum. Plausibiliùs sustinetur quòd intelligatur omnis congregatio mortalium hominum, totum genus humanum, et tunc præsens, et postmodùm futurum. Etenim etiam cap. 17, v. 15, dicitur : *Aquæ quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt, et gentes, et linguæ;* ubi per meretricem Roma pagana, per aquas intelliguntur omnes illi subjectæ gentes. Hæ possunt vocari *et mare*, quia mare non est aliud quàm congregatio aquarum. Item cap. 15, v. 2, dicitur :

Vidi tanquàm mare vitreum mistum igne, et eos qui vicerunt bestiam...., stantes super mare vitreum; ubi rursùs per vitreum ac igne mistum mare intelligitur mundus pravus, damnatus ad gehennas. Hìc autem totum mare est ante Dei thronum, quia totus mundus est ante ejus plenum, et liberum conspectum. Non est autem putandum, inquit Ribera, hoc mare ita dici vitreum, ac si condensatum esset; sed *vitreum* epitheton est maris, quo solent uti poetæ, ut mare tranquillum, et perlucidum significetur; ut apud Horatium : *Vitreo daturus nomina Ponto.* Itaque hìc dicitur instar crystalli vitreum, seu perlucidum, quia patet divinis oculis usque ad fundum; Deus enim videt etiam intimas hominum cogitationes.

Et in medio sedis, et in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante et retro. Nimirùm aliqua erant in sedis medio, aliqua in ejus circuitu. Communis sententia affirmat aquilam fuisse in sedis medio : et quidam volunt fuisse supra ipsam sedem in medio; atque propterea dici quòd istud animal fuerit simile aquilæ volanti, quia nempe erat non in volandi actu, sed in volantis situ, eò quòd expansis alis incubaret divino throno; per quod significatur hujus animalis præ aliis dignitas. Alii tamen censent istorum animalium loca non fuisse stabilia; sed modò hoc, modò istud fuisse in medio throni : et per throni medium non locum supra thronum, sed locum directè ante ipsum intelligunt. Porrò quinam significentur per quatuor ista animalia, rursùs non constat apud interpretes. Quidam quatuor patriarchales sedes, quidam significari volunt quatuor totius mundi partes, seu potiùs quatuor angelos, istarum partium præfectos ac rectores, qui sunt principes, et administratores Dei circa curam Ecclesiæ, et circa salutem ac regimen hominum totiusque mundi.

Resp. et dico 1° : Per quatuor animalia non significantur jam memorati quatuor angeli, uti vult A Lapide; patet hoc ex cap. 5, v. 9, ubi inter laudes Agni ista quatuor animalia cum viginti quatuor senioribus cantant : *Redemisti nos Deo in sanguine tuo;* atqui non angeli, sed homines redempti sunt sanguine Agni; ergo, etc. Nec dici potest cum A Lapide quòd animalia canerent cum viginti quatuor senioribus communi voce, et tanquàm aliorum custodes hoc dicerent, siquidem Joannes repræsentat quatuor animalia distincta ab angelis, et distinctè ab illis canentia, ut liquet ex præcit. cap. 5, v. 11, ubi dicit : *Audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum, et erat numerus eorum millia millium;* item c. 7, v. 11, non aliqui aut minùs principales, ut putat A Lapide, sed OMNES ANGELI *stabant in circuitu throni, et seniorum,* ET QUATUOR ANIMALIUM; ergo manifestum est quòd quatuor animalia sint distincta ab angelis.

Dico 2° : Ista quatuor animalia significant quatuor evangelistas; atque hæc est communis, non tantùm interpretum, sed etiam SS. Patrum sententia, nimirùm SS. Irenæi, lib. 3 adversùs hæreses, cap. 11; Athanasii in Synopsi; Hieron., procem. super Evangel. Matth.; Gregor., hom. 3 et 4 in Ezech., et Aug., lib. 1 de Cons. Evang.; item tract. 36 in Joan., ubi ita scribit : « Apud Ezechielem prophetam et in Apocalypsi Joannis... commemoratur animal quadruplex, habens quatuor personas, hominis, vituli, leonis, aquilæ. Qui ante nos Scripturarum sanctarum mysteria tractaverunt, plerique in hoc animali, vel potiùs in his animalibus quatuor evangelistas intellexerunt. » Deinde allegat rationem ob quam tres primi Evangelistæ sint comparati homini, vitulo et leoni; ac tandem subjungit : « Hi omnes propè de terrenis, id est, de iis quæ in terrâ gessit Dominus noster Jesus Christus, non recesserunt : de divinitate ejus perpauca locuti sunt, tanquàm in terrâ cum illo ambulantes. Restat aquila, ipse est Joannes, sublimium prædicator, et lucis internæ atque æternæ fixis oculis contemplator. » Hæc sententia etiam confirmatur ex auctoritate Ecclesiæ, quæ in Officio divino de Evangelistis, et in octavâ S. Joannis evangelistæ, ista animalia illis appropriat.

Obj. 1° : Joannes hìc loquitur de eisdem animalibus de quibus Ezechiel cap. 1, v. 5; atqui animalia Ezechielis esse angelos, patet ex cap. 10, ubi propheta illa vocat *Cherubim* qui stipant currum gloriæ Dei; ergo, etc. — Resp. : Neg. min., et ad probationem dico quòd propheta ista animalia non vocet *Cherubim*, quia erant angeli, sed quia erant pleni scientiâ et notitiâ divinorum mysteriorum, prout exponit B. Petrus Damianus, serm. 2 de S. Matthæo, ubi de evangelistis dicit : « Enimverò hæc sunt sancta illa animalia, quæ undique plena oculis referuntur, in quibus utique sicut reverà Cherubim exuberat scientiæ plenitudo. »

Obj. 2° : Joannes ista animalia vidit in cœlo; atqui, cùm ipse tunc adhuc in terris viveret, non potuit in cœlo seipsum inter evangelistas videre; nec potuit, cap. 6, v. 7, à seipso edoceri, dùm quartum animal dixit Joanni : *Veni, et vide;* ergo per quatuor animalia non intelliguntur quatuor evangelistæ. — Resp. : Disting. min. : Non potuit seipsum inter evangelistas videre à parte rei, seu in propriâ personâ, concedo minorem; non potuit seipsum videre spiritu prophetico, seu in figurâ aquilæ, nego minorem : etenim in cœlo apparebant quatuor præfata animalia, quæ quatuor evangelistarum personas gerebant. Sunt autem quatuor evangelistæ, veluti quatuor animalia victricis quadrigæ Verbi incarnati, quibus in Ecclesiâ militante per universum orbem vehitur, debellando et convertendo ad fidem, seu castra sua, infideles et peccatores hostes suos. Quidquid enim infidelitatis et vitiorum toto orbe per gratiam Christi expugnatur, quatuor Evangeliorum ministerio et doctrinâ perficitur; gestant enim *gladium spiritûs, quod est verbum Dei,* ad Ephes. 6, v. 17. Unde Petrus Damianus, serm. 2 de S. Joan. apost. et evang., rursùs ita scribit : « Numquid et iste Joannes plus quàm propheta non est qui præter omnem consuetudinem prophetarum, semetipsum conspexit in spiritu; et inter plurima revelationum cœlestium sacramenta, dùm aquilæ volantis similitudinem vidit, semetipsum veraciter recognovit! » Imò ipsemet A Lapide, cujus est præfata ob-

jectio, eodem modo aliam difficultatem solvit, dicens infra, cap. 7, ad v. 3 : *Vidit in cœlo cum palmis, stolis et coronis animas fidelium gentilium, qui adhuc vivebant in terrâ.* Et rationem addit : *Erant beandæ, et habituræ coronas.* Unde etiam non implicat quòd Joannes, adhuc viator, à seipso potuerit edoceri, quatenùs in visione propheticâ apparebat in cœlo inter beatos.

Obj. 3° : Quatuor animalia hìc distinguuntur à viginti quatuor senioribus; atqui, si per ista animalia intelligerentur evangelistæ, ab ipsis distingui non possent, quandoquidem, utpote inter eminentiores sanctos, ad numerum viginti quatuor seniorum maximè pertinerent; ergo, etc. — Resp., cum Riberâ, quatuor animalia seu evangelistas non distingui à viginti quatuor senioribus, quasi ipsi his inferiores sint, vel ad numerum illum aut illam dignitatem pertinere non possint, sed quòd dignitate quâdam præterea emineant, cujus causâ extra illum numerum constitui et nominari debeant. Sic licèt omnes apostoli fuerint pastores et doctores, tamen propter specialem quamdam dignitatem aut prærogativam, quam præ his habuerunt, eosdem extra horum numerum constituit S. Paulus, ad Eph. 4, v. 11, dicens : *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos,... alios autem pastores et doctores.*

QUÆSTIO II.

Quisnam sit liber signatus sigillis septem.

Cap. 5, v. 1 : *Et vidi in dexterâ sedentis supra thronum librum scriptum intùs et foris, signatum sigillis septem.* Similem librum memorat propheta Isaias, cap. 29, v. 11, dicens : *Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cùm dederint scienti litteras, dicent : Lege illum; et respondebit : Non possum, signatus est enim;* 12 : *Et dabitur liber nescienti litteras, et dicetur : Lege; et respondebit : Nescio litteras.* Origenes, hom. 12 in Exod., censet per istos libros intelligi sacras Litteras, quæ sunt liber scriptus intùs et foris, quia continent multa clara et multa obscura. Hæc intùs, illa dicit scripta foris. Et quidem per memoratum ab Isaiâ librum intelligi ejus prophetiam, admodùm vero simile est : etenim obcæcatis per peccata Judæis fuit liber clausus et signatus, non tantùm respectu populi nescientis litteras, sed etiam respectu sacerdotum et doctorum jactantium sibi esse clavem scientiæ; nam et hi in istâ prophetiâ Christum Dominum adeò non intellexerunt, ut ipsum tanquàm seductorem abjecerint et crucifixerint. Atverò apostoli intelligebant omnes utriusque Testamenti libros, eis enim à mortuis excitatus Dominus *aperuit sensum ut intelligerent Scripturas*, Lucæ 24, v. 45, et ad eumdem finem misit eis Spiritum sanctum, qui ipsos docuit omnia. Quare hìc per clausum et firmissimè sigillatum librum non possunt intelligi sacræ Litteræ : nam hunc librum nemo præter Christum Dominum intelligere poterat. Itaque

Resp. et dico : Per librum istum, quem Joannes vidit, intelligitur sapientissima et incomprehensibilis Dei memoria, in quâ descriptus est divinæ providentiæ modus, quo Dominus Ecclesiam suam recturus est usque ad finem seculi, ac in perpetuas æternitates. Hæc enim omnia sunt secretissima, et præter divinam majestatem nemo illa novit, nisi Christus Dominus, cui patent omnes thesauri divinæ sapientiæ; et ille hujus libri aliqua hìc revelat S. Joanni. Ita hunc locum intrepretatur S. Irenæus, lib. 4, cap. 37; qui ibidem librum istum rectè appellat *librum paternum*, id est, divinæ ac paternæ in nos providentiæ.

Porrò antiquorum libri erant volumina quæ circa cylindrum aut baculum convolvebantur, non autem conjungebantur paginatim, sicut hodiè fieri solet. Hinc S. Joannes dicit etiam infra, cap. 6, v. 14 : *Cœlum recessit sicut liber involutus*; et Isaias, cap. 34, v. 4 : Cœli *complicabuntur sicut liber*; item Ezechiel, cap. 2, v. 9 : *Ecce manus missa ad me, in quâ erat involutus liber, et expandit illum coram me, qui erat scriptus intùs et foris.* Et hi libri scribebantur duntaxat intùs, nisi dùm corticis aut membranæ facies non capiebat omnia, aut dùm erat nimis scribendorum copia. Unde quia in hoc libro scripta fuerunt tot secreta mysteria, ut una facies non posset capere omnia, ideò non tantùm intùs, sed etiam foris, id est, à tergo in exteriori facie, Joannes eum scriptum fuisse asserit.

Cæterùm illi qui per præfatum librum intelligunt sacras Litteras, per septem ejus sigilla intelligunt septem Spiritùs sancti charismata, per quæ sunt scriptæ istæ Litteræ, et sine quibus non possunt intelligi. Verùm hæc expositio non congruit præsenti loco : nam seq. cap., ad primi sigilli aperturam, exit equus albus, ad secundi aperturam exit equus rufus, et ita fit ad singulas aperturas, ad quas revelatur aliqua magna mutatio quæ futura erat in Ecclesiâ. Proinde per septem sigilla intelliguntur septem istæ in Ecclesiâ mutationes; et ita sensus est : Hunc librum nemo poterit legere, adeòque nec intelligere, nisi primùm viderit istas septem mutationes; et istas præter Dominum Deum nemo potest adducere aut permittere, nisi solus Agnus Dei. Unde sigilla hìc accipiuntur pro rebus sigillatis.

Petes quænam sint septem cornua Agni et septem ejus oculi, de quibus cap. 5, v. 6. — Resp. : Nonnulli per septem cornua intelligunt septem angelos, seu episcopos ecclesiarum Asiæ, de quibus cap. 2 et 3. Dionysius Carthusianus intelligit omnia regna et imperia mundi, quæ sunt in manu et potestate Christi. Verùm meliùs per ista septem cornua et septem oculos intelliguntur septem spiritus, ut mox se explicat Joannes, dicens : *Qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram.* Porrò hi septem spiritus sunt supra, cap. 1, quæst. 1, memorati septem principales angeli, qui non soli divinæ Majestati ministrant, sed etiam ipsi Agno, id est, humanæ in Christo naturæ; hæc enim à Deo accepit supremam in omnes creaturas potestatem et auctoritatem. Et isti septem angeli sunt ejus septem cornua, quia sunt ejus militia et fortitudo, quæ in Scripturâ sacrâ significatur per cornua, puta Psal. 74 : *Omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi.* Itaque dicuntur esse cornua, quia sunt fortissimi ad profligandos dæmones, ad tutandam Ecclesiam, ad patranda miracula, ad de-

fensionem justorum, et vindictam impiorum. Angeli isti etiam dicuntur esse Agni oculi, quia sunt ejus excubitores ad contemplandas ac ipsi referendas actiones hominum totius mundi. Unde de iis dicitur Zachar. 4, v. 10 : *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram*, uti et hìc dicuntur *missi in omnem terram*. Deus enim licèt omnia per se videat, ad suam tamen magnificentiam creavit etiam tales ministros, quibus tanquàm instrumentis fortitudinis et providæ saplentiæ suæ utitur.

CAPUT VI.

Agnus aperit sex prima libri signati sigilla, et S. Joannes videt quatuor equos, et alia quæ ad apertionem sigillorum se manifestant. Septimi verò sigilli apertio usque ad caput 8 differtur.

QUÆSTIO PRIMA.

Quidnam significent equus albus et equus rufus.

Vers. 1 : *Et vidi quòd aperuisset Agnus unum de septem sigillis.* Reserato primo sigillo, antequàm liber evolveretur, S. Joannes vocatur ut evolutionem videat, et arcana contenta in primâ parte libri ; et vocatur ab uno, id est, à primo quatuor animalium. *Unum* enim pro *primum* hìc accipitur more Hebræorum, ut *dies unus*, Gen. 1, v. 5 ; *una sabbatorum*, Marci 16, v. 2. Unde S. Joannes, v. 3, sigillum, quod post hoc primum aperitur, secundum appellat.

Vers. 2 : *Et ecce equus albus.* Per hunc equum nonnulli intelligunt glorificatam Christi Domini humanitatem : nam huic Deus Verbum insidet, ac ipsâ utitur tanquàm equo ac instrumento. Verùm cùm verba sequentia manifestè insinuent quòd Christus homo fuerit hujus equi insessor, clarum est quòd ipse non possit intelligi per equum. Itaque

Resp. et dico : Per equum album intelliguntur viri apostolici et præcones evangelici, de quibus etiam dicitur in Canticis canticorum, cap. 1, v. 8 : *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te :* hi enim in initio Ecclesiæ cucurrerunt per totum mundum, et Christi Evangelium intra paucum tempus quòcumque deportaverunt ; et ubique contra diabolum generosè pugnaverunt. Hinc rectè comparantur equis : equus enim est animal velox, bellicosum ac firmissimum jumentum. Porrò singularis numerus hìc assiduè ponitur pro plurali.

Et qui sedebat super illum habebat arcum. Hujus albi equi iterùm fit mentio cap. 19, v. 11, et de ejus insessore dicitur : *Qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis et Verax, et cum justitiâ judicat et pugnat.* Manifestum igitur est quòd insessor hujus albi equi sit Christus Dominus, cujus arcus et sagittæ laudantur etiam à Psalte regio, psal. 119 : *Sagittæ potentis acutæ ;* in quæ verba S. P. August. ita scribit : *Sagittæ potentis acutæ verba Dei sunt. Ecce jaciuntur et transfigunt corda, ut amor excitetur, non interitus comparetur. Sagittat cor amantis ut adjuvet amantem.* Item : *Sagittæ tuæ acutæ,* (hinc) *populi sub te cadent, in corda inimicorum regis,* psal. 44. Hæ ergo sagittæ sunt evangelica prædicatio, quam per charitatem fixit et firmavit Christus Dominus in gentilium, qui Domino Deo inimici erant, cordibus, atque ita omnes mundi populos fecit cadere, et Domino Deo esse subjectos atque amicos. Hujusmodi igitur arcum gerit hìc Christus Dominus. *Et data est ipsi corona,* utique in resurrectione : tunc enim exaltavit illum Deus, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut ipsi flectatur omne genu, cœlestium, terrestrium ac infernorum. Et ita coronatus *exivit vincens ut vinceret ;* hoc est, qui mortem jam vicerat, denuò exivit ut evangelicâ prædicatione vinceret diabolum, et ut sibi acquireret imperium super omnes gentes. Porrò hujus victoriæ symbolum est equus albus. Unde etiam quinque angeli, qui pro Judæis contra copias Antiochi, tela et fulmina jaculando, victoriam pepererunt, in equis fulgidis apparuerunt, 2 Machab. 10, v. 29. Et olim victores in triumpho equis albis vectari solebant, uti de triumpho Diocletiani et Maximiani scribit Pomponius Lætus : *Post triumphantium currus ex auro et lapillis prætiosis, quem trahebant quatuor equi candore certantes cum nive,* etc.

Vers. 3 : *Et cùm aperuisset sigillum secundum...,* v. 4, *exivit alius equus rufus.* Equum hunc, uti et duos sequentes oppositos esse primo, manifestum est ex eo quòd istis tribus characteres primo oppositos tribuat S. Joannes. Nam primus est albus ; albedo autem fausta et læta protendit ; rufus pacem terræ conturbat ; niger habet stateram iniquam ; pallidus sessorem habet mortem, et infernum comitem.

Porrò quòd per equum rufum significetur bellum à Romanis imperatoribus paganis illatum religioni christianæ, communiter sustinent interpretes. Unde dicitur rufus propter effusum SS. martyrum sanguinem. Nec insolitum est ut prophetis per equos rufos imperia sanguinolenta repræsententur : nam per ruforum equorum quadrigam Nabuchodonosor et alii Chaldæorum reges sanguinarii demonstrati sunt, Zachar. 6, v. 2.

Quandonam verò hic Ecclesiæ status, sanguine martyrum rubens, incœperit, non satis constat inter auctores. Interim A Lapide et Fromondus putant quòd incœperit à persecutione Neronis, et duraverit usque ad tempora Constantini Magni. Attamen, cùm Nero (item Domitianus) persecutionem excitaverit antequam conscripta esset Apocalypsis, et prophetia non sit de præteritis, sed de futuris, meliùs videntur sentire illi qui asserunt quòd prophetia de equo rufo cœperit impleri sub persecutione Trajani et aliis eam subsequentibus usque ad Constantinum. Igitur equi rufi et innumerabilium martyrum sanguine cruentati, sunt hi præsertim imperatores : Trajanus, Adrianus, Antoninus Pius, Marcus Aurelius, Septimius Severus, Julius Maximinus, Decius, Valerianus, Aurelianus, et denique omnium cruentissimi Diocletianus et Maximianus. Etenim ex omnibus historiis constat quòd Diocletianus in Oriente, Maximinianus in Occidente innumerabilem Christianorum multitudinem variis suppliciis trucidaverint, statuerintque Christianismum toto orbe extinguere. Unde unico mense numerata sunt septemdecim millia martyrum trucidata à Diocletiano. Vide Eusebium, lib. 8 Histor. ecclesiast.

Et qui sedebat super illum. Nonnulli per hujus equi insessorem intelligunt Trajanum, et quemvis alium eum subsequentem Ecclesiæ persecutorem. Verùm, cùm Ecclesiæ persecutores meliùs per ipsum equum rufum quàm per ejus insessorem repræsententur, non videtur hæc expositio esse satis vero similis. Itaque sicut Christus equi albi, sive prædicatoris evangelici insessor fuit, sic equi rufi, sive persecutoris Ecclesiæ, insessor est diabolus. Huic *datum est ut sumeret pacem de terrâ, et ut invicem se interficiant.* Diabolus enim fecit ut propter christianam fidem amicus amicum, frater fratrem, pater filium, imò et filius patrem proderet ad mortem. Etenim videns deseri idolorum templa, et omne humanum genus currere ad Redemptorem, actus in rabiem, excitavit ista pessima persecutionis bella, ut scribit S. Cyprianus, lib. de Unit. Eccl.

Et datus est ei gladius magnus; utique à Domino Deo est datus : omnis enim potestas, etiam malè agendi, est à Deo malum illud permittente. Hinc à diabolo percussus propheta Job dixit, cap. 19 : *Manus Domini tetigit me;* et rursùs in Evangelio Matth. 10, v. 34, Christus dixit : *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium;* hoc est, sum permissurus, et diabolo ac gentilibus Romanorum imperatoribus daturus potestatem ut tollant pacem de terrâ, et Ecclesiam terribiliter persequantur.

QUÆSTIO II.

Quid significent equus niger et equus pallidus.

Vers. 5 : *Et ecce equus niger.* Per equum nigrum intelliguntur hæresiarchæ, quorum scelerata dogmata sunt tenebrosa et nigra, et hominum animas ac totum mundum faciunt esse tetrum et nigrum. Etenim sicut veritas fidei lux est, ita hæreses, exstinctâ veritatis luce, tenebræ sunt. Porrò hæresiarchæ hìc recto ordine sequuntur cruentos Ecclesiæ tyrannos : nam licèt semper ab ipso apostolorum tempore fuerint hæreses, hæ tamen tantùm singulariter invalescere, et Ecclesiæ vexandæ vires habere cœperunt post extinctos istos tyrannos, et à M. Constantino imperatore donatam ecclesiis pacem. Tunc enim statim nata est hæresis Ariana, ex quâ (uti è putrido cadavere vermes) natæ sunt plures aliæ; et quæ hoc modo crudeliùs vexavit Ecclesiam, quàm omnes persecutiones gentilium, quia persecutiones quas Ariani imperatores Constantius et Valens, et quidam alii Ariani reges fidelibus intulerunt, fuerunt cruentissimæ.

Et qui sedebat super illum, habebat stateram in manu suâ. Per equi hujus insessorem rursùs intelligitur diabolus, qui ex equo rufo desiierat in equum nigrum. Etenim diabolus videns idolorum templa non tantùm deseri, sed etiam à M. Constantino claudi, actus est in majorem rabiem, et excogitavit præfatum novum persecutionis genus. Porrò per stateram aliqui intelligunt hæreticorum mores; quia, inquiunt, statera est symbolum justitiæ, quam hæretici semper præ se ferunt; sunt enim lupi in vestimentis ovium; et pietatis, cujus veritatem abnegant, semper ostentant speciem. Alii per stateram intelligunt S. Scripturam, siquidem per hanc omnis fidelis appendere ac ponderare debet omnia dogmata et opera sua; et hoc se etiam facere prætendunt hæretici. Hinc Lutherus in omnium suorum sequacium vestimentis jubebat inscribi hanc sententiam : *Verbum autem Domini manet in æternum;* et quandoque, sano sensu, non malè dixit S. Biblia esse librum hæreticorum; ex Bibliis enim omnes hæretici conantur suos errores stabilire. His ergo de causis varii putant quòd hæreticorum equitator diabolus hìc gerat stateram. Sunt interim nonnulli qui existimant quòd per stateram aptiùs intelligatur audax et temerarium hæreticorum ingenium, quod omnia christiana dogmata ac ipsas etiam sacras Litteras non veretur trutinare et judicare. Hanc autem stateram diabolus dicitur catenùs habere in manu suâ, quatenùs eâdem mediante falsam doctrinam tanquàm cibum vitæ ponderat, et distribuit plurìbus antea fidelibus, quibus pro pane venenum ministrat, et in hæresi enutrit.

Vers. 6 : *Et audivi tanquàm vocem in medio quatuor animalium dicentium : Bilibris tritici denario, et tres bilibres hordei denario.* In Græco pro *bilibris* habetur vox *chœnix*, quæ est mensura aridorum, tantùm capiens tritici quantùm uni homini sufficit ad unius diei victum. Interim Latinus interpres eam exposuit per ponderis vocabulum, ac ipsi ascripsit duas libras, id est, viginti quatuor uncias; tantùm enim triticei panis posset homo de die comedere. Porrò hordeum, utique animalium cibus, est tritico longè vilius; et ideò Apocalypsis inter ipsa ponit proportionem unius ad tria. Atverò denarius est consuetum diurni laboris stipendium, prout liquet ex Evangelio, ubi dicitur paterfamilias operarios misisse in vineam suam, et singulis dedisse denarium diurnum.

Hic igitur prædicitur sub isto nigro equo futuram in mundo tantam annonæ caritatem, ut unica tritici, aut trina hordei bilibris valeat integro denario; adeòque quivis operarius obligetur ex solo pane vivere, et non possit emere aliquid obsonii; et si tantilla solius panis portio ipsi non suffecerit, cogatur cum bestiis vorare hordeum. Quæ omnia intelligenda sunt de caritate annonæ spiritualis, nimirùm verbi Dei, seu orthodoxæ doctrinæ. Porrò triticeum significat doctrinam et intelligentiam sublimiorum fidei mysteriorum; hordeum verò fidei rudimenta, quæ dantur hominibus simplicibus, tanquàm hordeum jumentis : Christiani enim simplices nomine jumentorum quandoque appellari possunt, ut psal. 35 : *Homines et jumenta salvabis, Domine.*

Talis autem tritici et hordei caritas in Ecclesiâ fuit quando in concilio Ariminensi Valens Arianus episcopus dolosè concepit novam formulam fidei, quâ non tantùm præcedentia decreta istius concilii, sed etiam concilii Nicæni implicitè revocabantur, et prætextu publicæ pacis quadringenti Patres, partim persuasi, partim à Constantio imperatore Ariano coacti sunt isti formulæ subscribere, resistente inter primos S. Servatio Tungrorum episcopo, ut narrat Severus Sulpitius, proximus illorum temporum scriptor. Tunc episcopi Ariani, et varii Catholici ab Arianis se-

ducti, ad diœceses suas redeuntes, Arianorum erroribus oves suas pascere cœperunt. Unde, ut loquitur S. Hieron., *Damnatio Nicænæ fidei conclamata fuit, et ingemiscens orbis terrarum se Arianum esse miratus est.* Unde patet non tantùm triticum hominum, sed etiam hordeum jumentorum illis temporibus rarum ac carum fuisse. Tunc tamen Christus fideles suos non deseruit; sed per SS. Athanasium, Eusebium Vercellensem, Basilium, aliosque episcopos et sacerdotes orthodoxos necessariam fidelibus verbi Dei, veræque fidei alimoniam suppeditavit; licèt sobriè et furtim sæpè, ac tantùm ad necessitatem, non ad abundantiam, uti fit in locis ubi dominantur hæretici, puta in Anglià, Scotià et alibi.

Porrò in textu supra citato additur: *Et vinum et oleum ne læseris*, hoc est, licèt triticum et hordeum doctrinæ christianæ læseris, et redegeris ad istam caritatem per hæreses et sinceræ fidei corruptelas, inhibetur tamen tibi, qui in equo nigro sedes, ne Ecclesiæ sacramenta corrumpas. Sunt enim vinum et oleum, quæ Samaritanus vulneribus saucii peregrini infudit, Lucæ 10, v. 34, id est, quibus duo vulnera peccati originalis, concupiscentia et ignorantia sanantur; vinum enim cor, sive voluntatem hominis, ad pugnandum contra concupiscentiam carnis, lætificat et roborat; oleum autem lucem accendit, quâ ignorantiæ tenebras pellit. Hanc autem lucem et spirituale robur Sacramenta ministrant, dùm gratiam infundunt.

Hinc patet hæreticos nostri temporis deteriores in eâ parte esse Arianis et cæteris Ecclesiæ illius ævi hæreticis, qui vinum et oleum ita læserunt, ut ferè universa Ecclesiæ sacramenta, præter baptismum, sustulerint. Ita Fromondus.

Vers. 7: *Et cùm aperuisset sigillum quartum*, v. 8: *Ecce equus pallidus*; per hunc equum intelligitur secta Mahometis, puta, Turcæ, Scythæ et Saraceni. Hi enim post Gothos, Arianos, aliosque priscos hæreticos, circa annum 630 Ecclesiam gravissimè infestârunt, et jugiter infestant. Hæc secta rectè comparatur equo pallido: nam sicuti equus est animal audax, ferox, bellicosum et lascivum, sic hæc secta per vim bellicam est introducta, et ferro et armis est dilatata. Insuper Mahometes in lege suâ libidinem permisit; libido autem cùm spiritum et sanguinem exhauriat, facit pallidos et luridos.

Et qui sedebat super eum, nomen illi Mors. Hujus etiam equi insessor est diabolus; ipse enim est principalis auctor cladium quæ Christi Ecclesiam invadunt, ad quas inferendas utitur infidelibus, tanquàm equis et instrumentis animatis. Porrò licèt per metonymiam diabolus *mors* appelletur, quia est auctor mortis tam corporalis quàm spiritualis, tamen hoc loco ob duo alia motiva nomen illud ipsi tribuitur: 1° quia Mahometana secta nihil magis ambit quàm mortem et extinctionem omnium Christianorum; 2° quia ista secta se propagari mandat, non per prædicationem, sed per bella ac prælia, et omnibus istic contra Christianos morientibus promittit plenas in futurâ vitâ carnales delicias, atque ita omnes etiam sui sectatores præcipitat in mortem.

Et infernus sequebatur eum. Aliqui censent quòd infernus sequeretur etiam duos priores equos, utique ad ipsos simul cum insessoribus suo tempore absorbendos; et quòd hi ab illo sint absorbendi certissimum est. Attamen hoc loco videtur infernus hunc solum equum esse secutus ob singularem causam: nempe ut Dominus Deus ostenderet Mahometanos, qui carnalia gaudia sibi in cœlo promittunt, non esse destinatos ad hæc, sed ad tormenta inferni.

Et data est illi potestas super quatuor partes terræ, nimirùm super omnes quatuor terræ plagas, orientalem, occidentalem, septentrionalem et australem. Secta enim Mahometis ab Arabiâ, unde tanquàm à centro suo incœpit, per vicinam Persiam, et vastissimas alias regiones, ac plurimas Oceani Indici insulas, ad ultimum Orientem excurrit; in Occidentem verò per universam Africæ longitudinem usque ad fretum Herculeum et vicinam Hispaniam, cujus optimam partem Saraceni plurimis annis occupaverunt. In septentrionem per Syriam et Palæstinam, ac totam Asiam minorem et maris Ægæi insulas, per Græciam, Thraciam, Hungariam, deinde ultra Pontum Euxinum, in Tartariam latissimè diffunditur. In Austrum per totam Ægyptum usque ad Abyssinos expanditur. Unde secta Mahometana videtur plus quàm quartam partem orbis terræ habitabilis, et tempore S. Joannis cogniti, occupâsse.

Interficere gladio. Data utique est ei potestas ad interficiendum gladio, tam materiali quàm spirituali. Nam Mahometes, postquàm Arabiæ regnum est adeptus, gladio et armis religionem suam in vicinas provincias cœpit propagare, interficiendo eos qui ejus Alcoranum nolebant recipere. Gladius autem spiritualis est verbum Dei adulteratum, quo Mahometes et hæretici animas suorum sectariorum interficiunt.

QUÆSTIO III.

Quid intelligatur per altare, sub quo Joannes vidit animas interfectorum.

Vers. 9: *Et cùm aperuisset sigillum quintum, vidi subtùs altare animas interfectorum*, seu SS. Martyrum, qui occisi sunt primis illis Ecclesiæ temporibus, quæ per equos rufum, nigrum et pallidum designata fuerunt. Etenim cùm in primo sigillo, equo albo significatum sit lætum et faustum Christi in Ecclesiâ regnum, mox tria sequentia sigilla reserârunt tres equos illi contrarios: nempe, ut supra diximus, tres generales Ecclesiæ persecutiones sibi invicem ordine succedentes; et hinc hoc quinto sigillo aptè et consequenter inducitur communis vox fidelium, qui in iis passi sunt, puta martyrum optantium et orantium pro fine et termino persecutionum, ut scilicet Deus eas terminet, inhibeat et sistat; utque sanctos coronet, et persecutores puniat; quibus respondet Deus, jubetque ut requiescant adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum qui interficiendi sunt, sicut et illi, scilicet ab Antichristo. Hujus enim tempus erit modicum, quo complebitur martyrum et electorum numerus, et regnum Christi gloriosum adveniet.

Porrò, cùm in cœlo nec templa nec altaria propriè dicta reperiantur, ut liquet infra ex cap. 21, videtur nomine præfati altaris intelligendus Christus Dominus. Etenim quòd nostra altaria sint Christi Domini cœlestis et invisibilis altaris figuræ et sacramenta, disertè tradit S. Gregor. Nazianz., orat. 28, et ipsum cuncti sacrorum rituum expositores constanter sequuntur. Hâc de causâ antiquæ ecclesiæ non poterant habere nisi unum altare; quia nempe non est nisi unus Deus, unus Christus, una Ecclesia. Eâdem de causâ antiquus Ecclesiæ canon mandat ut fracto aut moto altaris lapide, sit profanata tota ecclesia, ac denuò consecrari debeat, quia nimirùm dùm Christus Dominus è corde nostro per fidei defectum est ablatus aut motus, eversa est omnis nostra justitia, ac omne ædificium christianitatis; ejus enim fundamentum est *fides in Christum*.

Cur autem Christus Dominus sit cœleste altare, ac per nostra terrestria significetur, exponit S. Gregor. Magnus, in 3 psal. Pœnitent., dicens : *Altare Dei Filius est. Ipse est utique cui in hâc vitâ cordium nostrorum sacrificia imponimus, et in quo cogitationes illicitas, ne convalescant, mactamus.* Eidem omnes in cœlis sancti imponunt, et per omnem æternitatem imponent aureas phialas plenas odoramentorum; omnia enim et nobis et illis sunt per Dominum nostrum Jesum Christum. Hinc ipse est commune nobis altare.

Quare autem SS. martyrum animæ sint subtùs altare istud, non supra ipsum, rursùs exponit S. Gregor., lib. 2 Moral., cap. 4; ubi ait per hoc significari internum secretum, in quo animæ usque ad judicii diem custodiuntur. Interiora enim altaris sunt omninò res secretissima. Glossa ordinaria quam, Supplem. q. 93, sequitur S. Thomas, dicit per hoc significari quòd istæ animæ necdùm sint consecutæ suam plenam beatitudinem, sed adhuc hæreant in gradu inferiori. Idipsum etiam dicit S. Bernardus, serm. 4 de omnibus Sanctis, ubi in præcitatum Apocalypsis locum ita scribit : *Altare ipsum, de quo nobis habendus est sermo, nihil aliud arbitror esse quàm corpus ipsum Domini Salvatoris.... Interim ergo sub Christi humanitate feliciter sancti quiescunt, in quam nimirùm desiderant etiam angeli ipsi prospicere, donec veniat tempus, quando jam non sub altari collocentur, sed exaltentur super altare; sed quid dixi? Numquid humanitatis Christi gloriam, non dicam hominum, sed vel angelorum assequi poterit quis, nedùm, superare? Quonam igitur modo super altare dixerim exaltandos eos qui nunc sub altare quiescunt? Visione utique et contemplatione, non prælatione. Ostendet enim nobis Filius seipsum, non in formâ servi, sed in formâ Dei. Ostendet nobis Patrem et Filium, et Spiritum sanctum, sine quâ nimirùm visione nihil sufficeret nobis... Unde et beatus Joannes in Epistolâ suâ : « Nunc,* inquit, *filii Dei sumus, sed nondùm « apparuit quid erimus. Scimus autem quoniam cùm « apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum si- « cuti est. » In æternâ illâ et* PERFECTA BEATITUDINE *fruemur Deo.... In hoc enim erit vita æterna et perfecta.* Ex quibus verbis liquet quòd juxta S. Bernardum animæ illæ ideò dicantur esse sub altare, quia ante extremum judicii diem non perfruuntur plenâ et *perfectâ beatitudine*, nimirùm animæ et corporis, sed eâ perfruentur tantùm postea, cùm exaltatæ fuerint super altare, eo quòd tunc Deum visuræ sint modo perfectiori quàm ante. Visio enim Dei clara et intuitiva plures habet perfectionis gradus, et, juxta S. Bernardi mentem, etiam intensivè et quoad gradus augebitur sanctorum felicitas post generalem corporum resurrectionem.

Alia insuper ratio est quòd antiquum Judaici templi altare esset firmissimum, et cunctis ad ipsum fugientibus præberet azylum. Apocalypsis loco præcitato affirmat cœleste altare esse longè firmius, ac ejus azylum longè securius; ideòque istic à Domino Deo custoditas SS. martyrum animas à suis persecutoribus nihil ampliùs timere.

Ex isto Apocalypsis loco Ecclesia accepit ansam et fundamentum non consecrandi sua altaria sine reliquiis SS. martyrum, prout patet ex Pontificali Romano, ubi conditas sub altaris lapide martyrum reliquias, seu potiùs ipsorum animas episcopus ita alloquitur : *Sub altare Dei sedes accepistis, intercedite pro nobis ad Dominum Jesum Christum.* Unde sicut Deus eorum animas sub Christo Domino, qui est cœleste altare, sic Ecclesia ipsorum corpora sub suis altaribus, quæ Christum Dominum repræsentant, collocat et custodit. Atque ita profitetur Christum Dominum et SS. martyribus, et omnibus nobis esse perpetuum animæ et corporis custodem, ac tutorem.

Vers. 11 : *Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ; et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum.* His verbis innuitur non nisi singulas singulis, non autem duplices singulis datas fuisse stolas albas, id est, gloriam animæ, donec in resurrectione corporum duplicibus vestiantur, uti exponit S. Gregor. in 3 psal. Pœnit., ubi ita scribit : *Quid est singulas illis stolas albas tribuere, nisi animabus eorum beatitudinis æternæ immortalitatem conferre? Quid verò est, « donec electorum numerus impleatur, » nisi futuræ resurrectionis gloriam expectare? in quâ nimirùm singulas iterùm stolas albas accipient, quia immortalia, et incorruptibilia corporum vestimenta resument. Quia ergo sancti viri ad æternæ felicitatis præmia, non solùm animâ, sed etiam corpore post judicium transeunt, rectè de eis dicitur quia in terrâ suâ duplicia possidebunt.*

Duæ igitur sunt stolæ : *Prima, est felicitas et requies animarum; secunda, immortalitas et gloria corporum. Unde et dicunt : « Vindica, Domine.., » non tanquàm vindictæ cupidi, sed ex desiderio resurrectionis et glorificationis corporum suorum; quam nimirùm usque ad diem judicii differendam esse non dubitant,* ait S. Bernardus, serm. 3 de omnibus Sanctis. Et hinc ad præfatum Apocalypsis locum respicit Ecclesia, in suo officio decantans, S. P. Augustinum esse jam in cœlis decoratum unâ stolâ, ac securum de reliquâ, quia nempe non solæ martyrum, sed et SS. confessorum animæ sunt sub altari, clamant ad resurre-

ctionem suorum corporum, atque accipiunt præmemoratum divinum responsum, et per ipsum sunt securæ de accipiendâ suo tempore secundâ beatæ resurrectionis stolâ; atque ita nullam patiuntur mentis inquietudinem, nullum dispendium veræ beatitudinis.

QUÆSTIO IV.

Quænam prædicantur in apertione sigilli sexti, et subsequentibus apocalypticis visionibus.

Quamvis circa expositionem eorum quæ revelantur in reseratione quinque primorum sigillorum, interpretes facilè inter se conveniant, aut saltem conciliari queant, tamen in exponendis eis quæ tum in reseratione sigilli sexti, tum in subsequentibus apocalypticis visionibus prædicuntur, multùm inter se dissident. Quidam enim contendunt quòd in istis visionibus agatur de eis quæ in fine mundi circa tempora Antichristi evenient; et ita sentiunt SS. Justinus Martyr, Irenæus, Papias, et plures alii, quos citat Calmet, præfat. in Apocalyps., art. 2. Alii è contra prætendunt quòd Apocalypsis vaticinia, exceptis his quæ tribus ultimis capitibus continentur, jam inde diù impleta sint in Româ paganâ. Et horum sententiam fusè prosequitur, et optimè probat ac defendit illust. D. Jacobus Benignus Bossuet, Meldensis episcopus; qui non solùm subtilissimè, sed etiam eruditissimè in Apocalypsim scripsit, ejusque visiones illustravit, ac multùm lucis obscurissimæ huic materiæ attulit. Interim nos, ut distinctè procedamus, primò hic proponemus istud, quod nobis videtur esse verum ac genuinum systema, cui Apocalypsis veluti basi suæ innititur; deinde singulas visiones suis respectivè locis per partes explicare conabimur. Sit igitur

§ 1. *Quodnam sit plausibilius Apocalypsis systema.*

Resp. et dico 1° : In Apocalypsi S. Joannes non tantùm describit ea quæ evenient tempore Antichristi, sed etiam illa quæ post sua tempora eventura erant sub Româ paganâ, seu tempore imperatorum ethnicorum.

Prob. 1° : Intentum S. Joannis in Apocalypsi, ut omnes fatentur, est describere graves Ecclesiæ persecutiones, et illustres illius triumphos, ad consolandos et in adversis confortandos fideles; atqui in hunc finem non tantùm necessarium erat ut describeret persecutionem ab Antichristo excitandam, sed etiam persecutiones ab imperatoribus ethnicis contra Ecclesiam movendas, quandoquidem et hæc fuerint gravissimæ, ac consequenter fideles tunc maximâ consolatione indiguerint; ergo, etc.

Prob. 2° ex S. P. Aug., qui, lib. 20 de Civ. Dei, cap. 8, de Apocalypsi dicit : *Totum hoc tempus, quod liber iste complectitur*, est *à primo adventu Christi usque ad seculi finem, quo erit secundus ejus adventus.* Ergo, juxta S. Aug., in Apocalypsi non solùm describuntur ea quæ eventura sunt tempore Antichristi, sed etiam illa quæ jamdiù evenerunt primis Ecclesiæ seculis, nimirùm persecutiones quas contra Ecclesiam moverunt imperatores ethnici.

Prob. 3° quia, ut infra monstrabimus, per bestiam de quâ agitur cap. 13, non potest intelligi Antichristus; item per Babylonem et meretricem magnam, de quâ cap. 17, necessariò intelligitur Roma pagana, qualis fuit sub imperatoribus ethnicis. Ergo ea quæ ibidem describuntur, non videntur intelligenda de tempore Antichristi.

Dico 2° : In Apocalypsi varia descripta sunt, quæ tam intelliguntur de persecutionibus, et Ecclesiæ triumphis, qui fuerunt initio nascentis Ecclesiæ sub Româ paganâ, quàm de persecutione ab Antichristo excitandâ, et de iis quæ evenient circa finem mundi.

Prob. 1°, quia certum est juxta omnes quòd fœcunditas Scripturæ sacræ non semper exhauriatur per unum sensum litteralem, ac consequenter quòd unus et idem Scripturæ locus possit habere plures sensus litterales, modò isti sensus sibi invicem non repugnent; ergo nihil implicat quominùs aliqua sint in Apocalypsi descripta, quæ tam intelliguntur de initio nascentis Ecclesiæ, quàm de tempore Antichristi, seu fine mundi. Unde, quemadmodùm illa verba S. Pauli 2 ad Timoth. 3, v. 1 : *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa*, juxta interpretes non solùm denotant tempora quæ erunt in fine mundi, sed etiam designant tempora proximè secutura, ita similiter videntur varia esse in Apocalypsi, quæ non tantùm denotant tempus Antichristi, quod erit in fine mundi, sed quæ etiam designant tempora post scriptam Apocalypsim proximè secutura, nimirùm tempora imperatorum ethnicorum, Ecclesiam persequentium.

Prob. 2° : Juxta ea quæ diximus in Histor. et Concord. evangelic. cap. 23, quæst. 5 et 6, et secundùm omnes interpretes communiter, in præclarâ prophetiâ Christi, de quâ Matth. 24, varia sunt quæ tam de urbis Jerosolymitanæ, quàm de orbis excidio intelligi possunt et debent; idque ideò quia intentum Christi est ibidem respondere apostolis, qui de utroque excidio ipsum interrogaverant; atqui, ut ex supra dictis et ex S. Aug. liquet, etiam intentum S. Joannis in Apocalypsi, est describere ea (præsertim graves Ecclesiæ persecutiones) quæ erunt à primo Christi adventu usque ad secundum; ergo et in eâdem videntur varia esse quæ tam de temporibus proximè secuturis quàm de tempore Antichristi intelligi possunt et debent; præsertim cùm varia ex iis quæ Christus ibidem breviter prædicit, Joannes in Apocalypsi suâ latiùs exponat.

Confirmantur jam dicta ex S. Hieron., qui, lib. 2 Epist., ep. 1, ad Paulinum, in laudem Apocal. ita scribit : *Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta quot verba; parùm dixi : pro merito voluminis laus omnis inferior est: in verbis singulis* MULTIPLICES LATENT INTELLIGENTIÆ.

Dico igitur finaliter quòd sicut in præfatâ prophetiâ Christi nonnulla sunt in quibus mixtim de Urbis et orbis excidio agitur, ita et in Apocalypsi nonnulla sint quæ mixtim de primis Ecclesiæ seculis, et de fine mundi seu tempore Antichristi intelligenda videntur. Et rursùs, quemadmodùm in eâdem Christi prophetiâ nonnulla sunt in quibus distinctè agitur de Urbis excidio, et deinde de excidio orbis, ita et in Apocalypsi aliqua esse videntur, in quibus distinctò

agitur de temporibus imperatorum ethnicorum, et deinde de tempore Antichristi. Porrò quænam ea sint, infra suis respectivè locis exponere conabimur.

§ 2. *Exponitur prima pars sigilli sexti.*

Cap. 6, v. 12 : *Et vidi, cùm aperuisset sigillum sextum, et ecce terræ motus factus est magnus, et sol factus est niger*, etc. S. Joannes hìc transire videtur ad tempora novissima, et ad finem mundi. Itaque

Dico 1° : In apertione hujus sexti sigilli revelatur S. Joanni ultima Dei vindicta in impios ; item signa horrenda quæ præibunt et indicabunt instare extremum judicium.

Prob. 1°, quia id videtur exigere ipse ordo Apocalypseos et septem sigillorum. Etenim S. Joannes, ut supra, quæst. 1, 2 et 3, *diximus*, secundo, tertio et quarto sigillis repræsentavit tres generales et graviores persecutiones Ecclesiæ ; et in quinto sigillo induxit communem vocem martyrum optantium finem. Porrò his martyribus *dictum est ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum et fratres eorum qui interficiendi sunt sicut et illi.* Quibus verbis prædicitur persecutio Antichristi ; hæc enim erit omnium postrema, et complebit numerum electorum martyrum. Ergo in apertione sigilli sexti videntur revelari ea quæ novissimis mundi temporibus eventura sunt.

Prob. 2°, quia si illa quæ hìc dicuntur conferantur cum verbis Christi, Matth. 24, et Lucæ 21, ubi orbis excidium signaque ei prævia describuntur, patebit penè eadem hìc dici quæ ibidem dicit Christus. Quod enim hìc dicitur : *Et ecce terræ motus*, etc., ibi dicitur : *Erunt pestilentiæ, et fames, et terræ motus per loca.* Porrò de extremis terræ motibus, lib. 7, cap. 16, ita scribit Lactantius : *Evertentur funditùs civitates, atque interibunt, non modò ferro atque igni, verùm etiam terræ motibus assiduis. Montes altissimi decident, et planis æquabuntur ; mare innavigabile constituetur.*

Et sol factus est niger : hoc ipsum dixit Christus apud Matth. : *Sol obscurabitur* ; exponit Lactantius, lib. 7 divin. Institut., cap. 16 : *Sol in perpetuum fuscabitur, ut vix inter diem noctemque discernatur.*

Et luna tota facta est sicut sanguis. Hoc dixit Christus : *Et luna non dabit lumen suum.* Lactantius exponit : *Luna jam non tribus deficiet horis, sed perpetuo sanguine offusa, motus extraordinarios peraget, ut non sit homini promptum aut cursus siderum, aut rationem temporum agnoscere. Fiet enim vel æstas in hieme, vel hiems in æstate ; tunc et annus breviabitur, et mensis minuetur, et dies in angustum coarctabitur.* Proinde sol et luna non solùm suam perdent formam et lucem, sed etiam sui motûs regulas.

Vers. 13 : *Et stellæ de cœlo ceciderunt super terram ;* et quidem tantâ vehementiâ ac in tanto numero, ut Apocalypsis subdat : *Sicut ficus emittit grossos suos cùm à vento magno movetur.* Etiam hoc Dominus dixit in Evangelio : *Et stellæ cadent de cœlo.* Lactantius exponit : *Prodigia in cœlo mirabilia mentes hominum maximo terrore confundent ; crines cometarum, et solis tenebræ, et color lunæ, et ardentium siderum lapsus. Nec tamen hæc usitato modo fient, sed existent subitò.* Cùm stellæ fixæ sint totâ terrâ majores, ideòque in ipsam, præsertim tanto numero, non possint cadere, per stellas hìc intelliguntur cometæ, aliaque terribilia cœli meteora instar stellarum, qualia multa erunt in fine mundi, eaque novæ et prodigiosæ magnitudinis, formæ, figuræ, motûs et lapsûs. Deus enim illa, quasi horribilia fulgura et tonitrua, jaculabitur, et deturbabit in terram, ut homines terrefaciat.

Vers. 14 : *Cœlum recessit sicut liber involutus.* Dominus hoc in Evangelio dixit aliis verbis : *Et virtutes cœlorum commovebuntur.* Lactantius exponit : *Stellæ creberrimè cadent, ut cœlum omne cœcum sine ullis luminibus appareat.* Proinde cœlum suis stellis quocumque modo cadentibus, vel potiùs extinctis, fiet totum tenebrosum, et non plus poterit videri quàm circa cylindrum involutus liber possit legi. Hinc non dicitur *involvendum*, sed esse *recessurum*, *utique* ab oculis hominum. Porrò comparatione hìc Apocalypsis utitur ex occasione involuti libri, qui S. Joanni exhibetur.

Dico 2° : Ea quæ in apertione sexti sigilli S. Joanni revelantur, non videntur omnimodè restringenda ad tempus novissimum, seu ad finem mundi, sed etiam ante id tempus, saltem ex parte, possunt dici adimpleta.

Probatur, quia hìc, v. 15, dicitur *Reges terræ, et principes, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus, et liber, absconderunt se in speluncis et in petris montium ; et dicunt montibus et petris : Cadite super nos*, etc. ; atqui hæc verba, quæ desumpta sunt ex prophetiâ Osee, cap. 10, v. 8, Christus Dominus, Lucæ 23, v. 30, applicat desolationi Judæorum, illis immissæ in vindictam deicidii. Ergo illa quæ hìc S. Joanni revelantur, applicari possunt desolationi Judæorum, non quidem illi quæ in eversione Jerusalem facta est sub Tito et Vespasiano, sed isti quæ contigit sub Adriano, dùm Judæi contra illum arma assumpserant ; siquidem, ut testatur Orosius, lib. 7, cap. 13, Adrianus Judæos perturbatione scelerum suorum exagitatos, et Palæstinam provinciam quondam suam depopulantes, ultimâ cæde perdomuit, ultusque est Christianos, quos illi, Barcochebâ duce, quòd sibi adversùs Romanos non assentarentur, excruciabant ; præcepitque, ne cui Judæo introeundi Jerosolymam esset licentia. Eadem narrat Eusebius, lib. 4 Histor., cap. 6 ; et S. Hieron., in cap. 11 Zachariæ, addit : *Legamus veteres historias, et traditiones plangentium Judæorum, quòd in tabernaculo Abrahæ, ubi nunc per singulos annos mercatus celeberrimus exercetur, post ultimam eversionem, quam sustinuerunt ab Adriano, multa millia hominum venundata sint, et quæ vendi non potuerint, translata in Ægyptum, et tam naufragio et fame, quàm gentium cæde truncata.* In istâ desolatione, quæ benè per ignem et alias plagas designatur, non solùm totalis populi Judaici eversio est subsecuta, sed et copiosissimus Romanorum sanguis in eâ fuit effusus, cùm Judæis furor et desperatio pro armis forent, Deo justissimè de utrisque sanctorum suorum sanguinem vindicante.

Obj. 1° : Joannes hìc dicit quòd reges terræ se absconderint in speluncis et petris montium ; atqui Judæi, tempore Adriani, non habebant ampliùs reges ; ergo ista non possunt intelligi de desolatione Judæorum. — Resp. : Neg. conseq., quia per reges hìc non necessariò debent intelligi monarchæ, sed intelligi possunt belli duces, aut supremi officiales, uti intelliguntur psal. 104, ubi dicitur : *Edidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum ;* tales autem reges tempore Adriani Judæi adhuc plurimos habebant. Præterea id etiam non necessariò debet intelligi de regibus Judæorum, sed et de regibus aliarum nationum intelligi potest, qui videntes istam miserrimam et cruentissimam Judæorum desolationem, præ horrore sese in speluncis et petris montium absconderunt.

Obj. 2° : Tempore Adriani non leguntur stellæ de cœlo cecidisse, virtutes cœlorum commotæ fuisse, etc. ; ergo malè hæc applicantur desolationi Judæorum, quæ tunc contigit. — Resp. : Neg. conseq., quia Joannes desolationem istam ita describit, ut dicat solem, lunam et stellas tunc obscuratas fuisse, aut cecidisse de cœlo ; non quòd verè ceciderint, sed ut significet acerbitatem cladis et excidii, quæ tanta fuit ut Judæis aliisque, nimio metu et anxietate attonitis, sol, luna et stellæ obscurari aut cadere viderentur, ut sit hìc hyperbolica hypallage, uti est Isaiæ 13, v. 9, Joel 3, v. 15 ; ubi excidium Babylonis et aliarum urbium etiam ita describitur. Causa cur ita mœstis et perculsis videatur, est quòd iis qui ægro sunt animo, omnia appareant amara et tristia, ex eo quòd animus res omnes concipiat, non ut in se sunt, sed uti ipse est affectus, æger et afflictus.

CAPUT VII.

Quatuor angeli tenentes quatuor ventos prohibentur nocere terræ et mari, donec centum quadraginta quatuor millia electorum ex omni tribu Israel signata fuerint, ne improborum plagis involvantur. Deinde S. Joannes illos cum innumerabili electorum gentilium turbâ videt sublatos in cœlum laudantes Deum, et regnantes cum Deo et Agno.

QUÆSTIO UNICA.

Quomodò exponenda sit secunda pars sigilli sexti.

Sanctus Joannes explicans secundam partem sigilli sexti, v. 1, ait : *Post hæc vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ ; qui parati et accincti ad* divinæ vindictæ executionem, stabant super quatuor principales horizontis terræ angulos et cardines, unde flant quatuor venti cardinales ; Eurus ab ortu, Zephyrus ab occasu, Auster à meridie, Boreas à septentrione. Sub istis autem quatuor principalibus intelliguntur quoque eorum collaterales usque ad triginta duos.

Porrò an isti angeli boni, an verò mali fuerint, controverti solet. Et plausibilius dicitur quòd fuerint mali, id est, quatuor principales diaboli, quibus divina justitia committet extremam hujus mundi eversionem. Etenim quòd isti angeli sint vindictæ divinæ executores, ex toto contextu manifestum est. Porrò, quando Deus utitur ministerio angelorum ad puniendos impios, solet adhibere angelos malos, ut patet ex psal. 77. et Tob., cap. 3. Præterea isti angeli iidem esse videntur de quibus fit mentio infra, cap. 9, v. 14 et 15. Porrò illi mali sunt ; ergo, etc.

Tenentes quatuor ventos terræ, spiritum videlicet et materiam ventorum colligendo, et vi retinendo, ne diffluat. Retinent autem et comprimunt, ut majori deinde impetu emittantur, et *terras turbine perflent.* Dùm autem plures contrarii venti in sese mutuò potenter flant, fit horrenda tempestas quâ etiam firmissima ædificia dejiciuntur. Et id elapso seculo hìc in Brabantiâ contigit primâ die augusti 1674. Hinc isti quatuor angeli in mundi fine stabunt ad quatuor terræ angulos, ut omnes quatuor ventos in sese mutuò potentissimè moveant, atque ita faciant horrendissimam tempestatem, et per ipsam dejiciant civitates, ædificia, arbores, etc.

Vers. 2 : *Et vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis.* Hic fuit S. angelus, qui veniet ad Dei electos signandos, et ab ipsâ extremâ tempestate præservandos. Videtur autem fuisse S. Michael, præpositus ac defensor catholicæ Ecclesiæ, qui cum ipsâ hìc versatur in terris, et tunc in cœli medium est ascensurus, nempe ut à quatuor istis ad quatuor terræ angulos stantibus angelis possit videri et audiri. Et ascendet ab ortu solis, utique ad meridiem ; ascendet et movebitur eo modo quo consuevit moveri sol, quia nempe electis erit novus sol, ad ipsos à novissimis plagis defendendos.

Vers. 3 : *Dicens : Nolite nocere terræ, et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Ex isto verbo plurali *signemus* deducitur angelum istum non fuisse solum, sed comites habuisse alios angelos bonos, qui juvarent illum ad signandum. Porrò ex τὸ *Dei nostri* Ribera probare conatur quatuor angelos quibus loquitur fuisse bonos, quia Deus propriè est bonorum, non malorum angelorum. Verùm hoc argumentum non concludit : siquidem videtur *Deum nostrum* appellare respectu aliorum angelorum bonorum, qui comites ejus erant, et in signando futuri adjutores.

Cæterùm, sicuti in captivitate Babylonicâ, quæ fuit figura persecutionis Antichristi, Deus piorum gementium et dolentium super scelera et abominationes quæ fiebant in Jerusalem, jussit signari frontes signo *Tau* (Ezech. 9, v. 4), *ita hìc jubet signari* electos qui erunt in fine mundi, ne ipsis noceant publicæ calamitates et persecutio Antichristi. Sunt autem nonnulli qui hanc signationem interpretantur de signo crucis, quâ in sacramento baptismi et confirmationis frontes suscipientium signantur. Verùm, quia hoc signo sacramentali etiam quidam reprobi signantur, indicatur potiùs signatio per gratiam efficacem, quâ electi ad singulos actus bonos perseveranter usque in finem et vitam æternam signantur ; hæc enim est signatio propria electorum. Unde nec frontes eorum reverà signabuntur litterâ *Tau*, aut alio signo externo, sed sub imagine talis signi S. Joanni repræsentata est interna animæ signatura, quâ Deus electos suos adversùs gravissimas illorum temporum calamitates et

tentationes conservabit; et veluti signo in frontibus eorum impresso, non eòusque ab angelis percussoribus vult affligi, ut succumbant. Illa autem signatura angelis tribuitur, quia ad illam cooperantur tanquàm *administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis*, ad Hebr. 1, v. 14.

Vers. 4 : *Et audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel.* Primi igitur Judæi tunc agnoscent Christum Dominum, et actâ pœnitentiâ in ipso baptizabuntur. Porrò verba illa : *Ex omni tribu*, etc., debent commodè accipi, nempe exceptâ tribu Dan, quæ hìc non numeratur. Rationem verò propter quam excipitur tribus Dan, exponit S. Irenæus, lib. 5, cap. 30, dicens : « Jeremias non solùm subitaneum Antichristi adventum, sed et tribum ex quâ veniet, manifestavit dicens : *Ex Dan audivimus vocem velocitatis equorum ejus, à voce hinnitùs decursionis equorum ejus commovebitur tota terra, et veniet, et manducabit terram, et plenitudinem ejus, et civitatem, et qui habitant in eâ*; et propter hoc non annumeratur tribus hæc in Apocalypsi cum his quæ salvantur. » Verba citata à S. Irenæo juxta versionem septuag. Interp., sunt cap. 8, v. 16, eodem sensu apud nos, ubi habemus : *A Dan auditus est fremitus equorum ejus, à voce hinnituum pugnatorum ejus commota est omnis terra.* Itaque in odium Antichristi ista tribus hìc omittitur.

Interim aliqui putant totidem præcisè Judæorum millia in fine mundi signanda et salvanda esse; aiuntque S. Joanni præcisum illum numerum hìc revelatum fuisse, quòd aliis prophetis fuerat absconditum. Verùm cùm iterùm, infra, cap. 14, v. 1, dicantur centum quadraginta quatuor millia virginum sequi Agnum quòcumque ierit, videtur potiùs in isto numero mysterium aliquod latere. Præterea mirum et vix credibile est in quâlibet tribu præcisè duodecim millia, non plures nec pauciores salvandos esse. Deinde, quare ex tribu Joseph, in duas, Ephraim et Manasse, divisâ, sunt duplò plura millia signata, quàm ex tribu Judâ, vel aliâ quâcumque? Denique non est vero simile quòd ex tribu Dan, quæ hìc omittitur, nullus omninò salvandus sit. Nam licèt fortassè propter Antichristum, ex illâ tribu nasciturum, Danitæ pertinaciùs quàm cæteri Judæi sint ei adhæsuri, tamen ubi ex Eliâ et Enoch se ab eo deceptos intelligent, ad Christum quoque convertentur. Unde Apostolus, ad Rom. 11, v. 26, non tantùm centum quadraginta quatuor millia Israelitarum in fine mundi, sed omnem Israelem salvandum asserit.

Itaque dicendum potiùs cum Ven. Bedâ aliisque veteribus, numerum 144 esse quadratum, cùm duodecies duodecim illum conficiant, ac proinde esse symbolum perfectionis et universitatis, et consequenter maximè idoneum ut significet nobis indeterminatum et incognitum numerum omnium Judæorum, qui à quatuor mundi partibus in fide SS. Trinitatis congregati baptizabuntur et salvabuntur. Vide quæ de isto duodenario numero dicta sunt supra, cap. 4, quæst. 1, ubi de viginti quatuor senioribus egimus.

Vers. 5 : *Ex tribu Judâ duodecim millia signati.* Tribus hìc non enumerantur juxta ordinem generationis suorum capitum : etenim primogenitus patriarchæ Jacob non fuit Judas, sed Ruben, secundus Simeon, tertius Levi, etc. Atverò hìc ponuntur longè alio ordine; et hinc quæri potest quæ sit ratio præsentis ordinis. — Resp. : Ponuntur primo loco signati ex tribu Judâ, quia hæc fuit nobilissima tribuum, ex quâ Messias natus est. Potest etiam plausibiliter dici tribus hìc enumerari juxta ordinem nativitatis spiritualis, sive conversionis ad fidem per prædicationem Eliæ et Enoch.

Nec refert quòd Judæi jam non ampliùs sint per tribus distincti, nec vulgò sciant ex quânam tribu oriundi sint, quia, licèt ipsi id ignorent, tamen Deus hoc optimè novit, et ita primò illos qui sunt ex tribu Judâ, per gratiam suam movere poterit ad fidem amplectendam, et deinde alios sequentes juxta hìc positum ordinem.

Fortassè etiam, ut Fromondus exponit, ordinem sanctitatis, et zeli spiritualis pro Christo adversùs Antichristum S. Joannes secutus est; eo argumento quòd tribus Juda primo loco posita sit, quæ pietate et zelo pro regibus suis ubique semper prima fuit, ut omninò etiam vero simile sit futuram zelosissimam pro Christo suo adversùs Antichristum.

Vers. 8 : *Ex tribu Joseph.* Cùm tribus Manasse ante nominata fuerit tanquàm distincta à tribu Joseph, intelligitur hìc tribus Ephraim filii Joseph, et fratris Manasse. Et quia tribus Ephraim multorum ducum, ut Josue, Jeroboam, etc., mater fuit, adeòque nobilior tribu Manasse, ideò tribus Ephraim in veteri Testamento *tribus* vel *domus Joseph* appellatur, puta 3 Reg. 11. Forsitan etiam dici potest quòd istam tribum Apocalypsis potiùs ascripserit Joseph quàm Ephraim, quia cùm eadem tribus vitulorum idololatriam introduxerit, et totius gentis in captivitatem tradendæ primas causas dederit, S. Joannes non videtur eam sub nomine *Ephraim* voluisse honorare.

Vers. 9 : *Post hæc vidi turbam magnam*, etc. Hi sunt electi qui in fine mundi convertentur ex omnibus gentibus; et quidem in tanto numero, ut sit futurus innumerabilis, ac proinde longè plures quàm ex Judæis. Et hùc respiciunt verba Christi apud S. Matth., cap. 24, v. 40 : *Tunc duo erunt in agro : unus assumetur, et unus relinquetur;* 41 : *Duæ molentes in molâ; una assumetur, et una relinquetur;* et, ut habet S. Lucas, cap. 17, v. 34 : *In illâ nocte erunt duo in lecto uno : unus assumetur, et alter relinquetur :* nimirùm isto extremo tempore de vero Messiâ, ac verâ ejus religione erit ubique contentiosissima concertatio; et non solummodò in eodem agro, aut in eâdem domo, sed etiam in eodem lecto unus in ipsum credet, alter ipsum blasphemabit, quia nempe divina electio est secretissima ac inscrutabilis. Atque hoc sensu exponitur secunda pars sigilli sexti, prout complectitur ea quæ eventura sunt in fine mundi.

Attamen, cùm cap. præc., quæst. 4, § 2, dictum sit quòd illa quæ revelantur in apertione sigilli sexti,

etiam possint intelligi de vindictâ quam sumpsit Deus de impiis Judæis et Romanis, jam *videndum* est quomodò ista secunda pars de temporibus præteritis exponi queat.

Itaque dicimus cum D. Bossuet per quatuor ventos de quibus v. 1 designari commotiones et perturbationes quæ tunc temporis inter Judæos et Romanos evenerunt, idque conformiter ad istud Daniel. 7, v. 2 : *Videbam in visione meâ nocte, et ecce quatuor venti cœli pugnabant;* ubi quatuor venti significant tumultus, commotiones et perturbationes quæ in exordio singulorum quatuor regnorum à Daniele descriptorum extiterunt. Per *centum quadraginta quatuor millia* signata intelligitur copiosa illa multitudo Judæorum, quæ ad fidem conversa, post devastatam Jerusalem, ibidem domos ædificavit, habuitque tempore Adriani florentissimam illic catholicam Ecclesiam. Hæc copiosa multitudo fidelium Judæorum per specialem Dei providentiam Judaicæ gentis desolationi subtracta fuit. Porrò de jam memoratâ catholicâ Judæorum Ecclesiâ Eusebius, lib. 4 Histor. eccles., cap. 5, ita scribit : *Ex quorumdam scriptis animadverto episcopos numero quindecim illic fuisse, quos universos antiquâ Hebræorum stirpe* (totam namque eorum ecclesiam ex Hebræis fidelibus coaluisse constat) *satos memorant, atque Christi cognitionem ingenuè verèque amplexatos.* Ita Eusebius.

Nec refert quòd Judæi sint excæcati, et à Christo reprobati, nec ad fidem convertendi, nisi in fine mundi. Nam licèt maxima pars sit reprobata, tamen tota gens non est reprobata, ut docet Apostolus, ad Rom. 11; ac proinde nihil obstat quominùs plurimi fuerint ad fidem conversi, qui hìc vocantur servi Dei ab angelis signati. Unde, Act. 21, v. 20, Jacobus et seniores dixerunt Paulo : *Vides, frater, quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt, et omnes æmulatores sunt legis.*

Denique per *turbam magnam, quam*, v. 9, *dinumerare nemo poterat*, intelliguntur electi gentiles, et præsertim SS. martyres, qui in tantum superabant multitudinem electorum Judæorum, ut vix dinumerari possent. Hos autem vidit Joannes stantes ante thronum Dei, non quia jam illic erant, sed quia futuri erant. Etenim omnes electi seu prædestinati certò salvabuntur.

CAP. VIII, IX.

S. Joannes exponit septimum et extremum præsentis voluminis sigillum, seu res descriptas in septimâ ejus parte, nempe punitionem et eversionem impiis inferendam à quatuor percussoribus angelis post expletam signaturam electorum.

QUÆSTIO PRIMA.

Quænam plagæ designentur ad sonitum tubæ primæ et secundæ.

Cap. 8, v. 1 : *Et cùm aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo, quasi mediâ horâ.* Silentium hoc significat tacitam expectationem et considerationem septem tubarum et plagarum, quasi rerum magnarum, insolitarum et stupendarum, indeque consequentem admirationem; quatuor animalibus et 24 *senioribus, omnique multitudine angelorum, qui* in circuitu throni et Agni erant, tacentibus, et expectatione suspensis; cùm præter cæterorum sigillorum morem non statim in lucem prodiret quod sub hoc sigillo septimo latebat.

Vers. 2 : *Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei; et datæ sunt illis septem tubæ.* Hi sunt septem primarii angeli, omnibus aliis hunc mundum administrantibus à divinâ majestate præfecti. Hi enim eidem majestati servient in mundi destructione, non exequendo, sed *ipsam percussoribus* angelis decernendo et imperando. Ita enim solent supremi præfecti ac judices. Et hinc Deus singulis dabit suam tubam, quâ nempe istos pravos angelos excitent ad istam terribilem executionem.

Vers. 6 : *Et septem angeli, qui habebant septem tubas, præparaverunt se ut tubâ canerent*, hoc est, ut percussoribus angelis darent extremum signum et mandatum destruendi mundum. Verbum *præparaverunt* designat aliquam moram, quâ nempe post fonitrua et terræ motus (de *quibus* v. 5) divina clementia pravis hominibus dabit aliquod mediæ quietis spatium, ut sic invitet ad pœnitentiam. Hosce tunc tractabit eo modo quo in sui populi egressu olim tractavit Ægyptios; procedet de plagâ ad plagam. Et hinc septem *hi* angeli *suis tubis non simul canent, sed unus* post alterum; nec simul destruetur totus mundus, sed per partes.

Vers. 7 : *Et primus angelus tubâ cecinit, et facta est grando, et ignis, mista in sanguine....., et tertia pars terræ combusta est, et tertia pars arborum concremata est*, non continua, ut, v. g., universa Europa aut universa Asia, sed tertia pars discontinua; id est, mistim et sparsim, scilicet ut aliqua in Hispaniâ, alia in Italiâ, alia in aliis locis et provinciis combusta ac vastata *sint*; *in* illis *nimirùm*, *in* quibus grassabuntur pessimi homines, et maximi persecutores fidelium; ita videlicet ut omnibus computatis, quæ sparsim vastata sunt, tertia pars terræ, et arborum, quæ in toto orbe tunc erunt, hâc primâ plagâ et strage disperdatur et comburatur. *Et omne fenum viride combustum est.* Hoc est, omnis herba, omne germen herbescens et virescens.

Vers. 8 : *Et secundus angelus tubâ cecinit; et tanquàm mons magnus igne ardens missus est in mare*, etc. Per hunc montem intelligitur quædam cœlestis flamma, magna instar montis, quæ de cœlo cadet, et in progressu spargetur in varias partes, veluti pluvia ignis sulphurei, ut variis locis mare inficiat, ac tertiam ejus partem vertat in sanguinem, occidat tertiam partem piscium (*hi* enim sunt propriè animalia, quæ habent animas, seu vivunt in mari), et submergat tertiam partem navium. Atque ita exponuntur hæc in sensu litterali proprio, et prout designant plagas, circa finem mundi impiis infligendas.

Interim in sensu litterali figurato seu metaphorico exponi possunt de plagis ac pœnis quæ impiis Judæis post mortem S. Joannis inflictæ sunt, ob graves per-

secutiones quas adversùs Christi fideles excitabant. Itaque per primam plagam, seu per grandinem et ignem mista in sanguine, designatur initium desolationis Judæorum sub Trajano. Etenim tunc Lysias, quem hic imperator adversùs rebellantes Judæos miserat, plurimos eorumdem delevit et occidit, uti testatur Dio in Trajano. Dicitur verò *tertia pars terræ combusta*, quia Deus non voluit omnes Judæos perire. *Omne fenum viride combustum* designat juvenes in quibus tota spes gentis consistit, in bellis gravissimis contrà Romanos, omnes perituros.

Per secundam plagam designatur extrema desolatio Judæorum sub Adriano. Mons magnus in Scripturâ significat ingentia et præpotentia regna, ut inter alia liquet ex Daniel. 11, v. 34, ubi regnum Messiæ per montem magnum designatur. Igitur hìc per montem magnum ardentem missum in mare, per quem tertia pars maris facta est sanguis, optimè intelligitur totum robur et pondus exercitûs imperii Romani, in Judæos ab Adriano immissum ad totalem impiæ gentis desolationem. Etenim quòd tunc copiosissimum sanguinem ad inferendam hanc Judæis desolatiouem Romani fuderint, testantur Orosius, lib. 7, cap. 13, et Eusebius in Chron. ad an. Adr. 18. Imò auctor libri qui apud Judæos intitulatur *Juchasin*, asserit quòd sub Adriano perierint plusquàm duodecim centena millia Judæorum. Et unus alius auctor, quem citat Drusius, dicit quòd nec Nabuchodonosor, nec Titus ita afflixerint Judæos, sicut eos afflixit Adrianus.

Porrò hæ sanguinolentæ Romanorum contra Judæos victoriæ, in sensu metaphorico non poterant commodiùs designari quàm per montem ardentem in mare missum. Nam sicut, dùm ignis in aquas injicitur, fit reciproca violentissima actio, et veluti defensio, ita et inter Judæos et Romanos factum est; et sicut mare ardori montis debuit cedere, sic etiam Judæi Romanis. Et licèt hi Judæos omnes intenderint perdere, et sic omninò impiam hanc gentem exterminare, tamen *tertia pars* tantùm periit, et Deus ob fines sibi cognitos totalem illius ruinam impedivit.

Neque hìc opponi posse videtur quòd hæc de aliis bellis contra quoscumque sanctorum persecutores pari ratione exponi possint, primò, quia similia bella contra alios sanctorum persecutores mota, aut saltem tali modo gesta non legimus; secundò, Judæorum plaga prædici hic potiùs debuit, quia ipsi præcipui auctores persecutionis Christianorum fuerunt, et copiosissimum sanctorum sanguinem fuderunt.

QUÆSTIO II.

Quænam sit illa stella quæ de cœlo cecidit.

Cap. 8, v. 10: *Et tertius angelus tubâ cecinit; et cecidit de cœlo stella magna, ardens tanquàm facula*, etc. Per hanc stellam in sensu litterali proprio intelligitur magnus aliquis et venenosus cometa, qui circa finem mundi de cœlo cadet, suoque casu dissiliens, comminutus dividetur in multas faculas, seu exhalationes, quæ in varios fontes et flumina incidentes, eos inficient. Unde vocabitur *absinthium* ab effectu, seu quia habebit effectum absinthii, qui est duplex, scilicet potum amaricare, et acuere visum; quod postremum hæc etiam stella ac omnes aliæ plagæ facient. Etenim demonstrabunt instare mundi finem, atque ita sceleratorum hominum oculos aperient ad agendum pœnitentiam. Porrò facienda per hanc stellam amaricatio erit venenosa; et hinc aquam ab eâdem amaricatam bibituri morientur.

Vers. 12: *Et quartus angelus tubâ cecinit; et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunæ, et tertia pars stellarum.* Sol, luna et stellæ patientur duplex detrimentum; primò eorum lux diminuetur ad tertiam partem; deinde unâ parte tertiâ temporis minùs lucebunt; v. g., sol, dùm nunc lucet ad duodecim horas, tunc non lucebit nisi ad octo.

Ut autem hæc explicemus in sensu litterali figurato seu metaphorico, sciendum est quòd per stellas in Scripturâ sacrâ quandoque designentur doctores, ut liquet Daniel. 8, v. 10; ubi per stellas intelliguntur Judæi pietate et doctrinâ illustres, quos Antiochus vel minis à patriâ lege abduxit, vel in eâdem constantes necari jussit. Et falsi doctores in Epist. S. Judæ, v. 13, dicuntur stellæ seu *sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum.* Itaque per stellam quæ de cœlo cecidit, designatur falsus ille Judæorum doctor seu seductor *Cozibas*, qui levi litterarum mutatione jussit se vocari *Cochebam* (quæ vox *stellam* significat) seu potiùs *Bar-Cochebam* (quod nomen *filium stellæ* significat), sibique appropriavit famosam illam de Messiâ prophetiam, Numer. 24, v. 17: *Orietur stella ex Jacob.* Unde Judæi, ut referunt S. Hieron. in cap. 8 Isaiæ, et Eusebius in Chron. ad an. 134, per Akiba, unum ex præcipuis eorum rabbinis, decepti illum receperunt pro Messiâ. Porrò impostor ille, seu falsus iste Messías dicebat se de cœlo descendisse pro salute populi sui, à Romanis oppressi; at S. Joannes, ut ipsum confundat, non dicit eum de cœlo descendisse, sed cecidisse, nimirùm instar ignis illius qui statim consumitur dùm cadit.

Porrò *Bar-Cochebas* ille dicitur *stella magna* propter superbiam; *ardens tanquàm facula*, propter bella quæ impostor hic excitav.t. *Nomen stellæ dicitur absinthium*, non quòd *Bar-Cochebas* ita vocaretur, sed propter amaritudinem in quam non solùm Judæos sibi adhærentes, sed etiam ad fidem conversos conjecit. Etenim sibi adhærentes concitavit ad rebellionem et seditionem contra Romanos, et ita eos ad totalem desolationem perduxit; conversos verò persecutus est, plurimosque eorum occidit, eò quòd rebellioni se conjungere nollent. Unde Eusebius hanc historiam referens, ad an. 135 ita scribit: *Bar-Cochebas dux factionis Judæorum nolentes sibi Christianos adversùm Romanum militem ferre subsidium, omnimodis cruciatibus necat.* De Judæis verò Bar-Cochebæ adhærentibus, ad an. 136 ait: *Bellum Judaicum, quod in Palæstinâ gerebatur, finem accepit, rebus Judæorum penitùs oppressis; ex quo tempore etiam introcundi Jerosolymam licentia ablata, primùm Dei nutu, sicut prophetæ vaticinati sunt,*

deinde Romanis interdictionibus. Et ut idem Eusebius, lib. 4 Histor., cap. 6, narrat, tunc universæ Judæorum genti prorsùs interdictum est ne pedem in agrum Jerosolymitanum aliquando inferrent; et legis decreto, institutisque Adriani vetitum, ne vel ex edito loco paternum solum oculis aliquando aspicerent.

Cæterùm, dicitur tertia pars solis, lunæ et stellarum obscurata, propter tenebras (id est, errores seu falsas traditiones) quas soli, id est, Christo, lunæ, id est, Ecclesiæ, et stellis, id est, apostolis seu potiùs viris apostolicis inducere conati sunt Judæi. Etenim tunc incœperunt componere librum qui apud ipsos intitulatur *Talmud*, innumeris putidis rabbinorum figmentis refertum. Item tunc Aquila, primùm gentilis, postea ex christiano factus judæus, et rabbini Akibæ discipulus, Scripturæ sacræ versionem Græcam conflavit, in quâ vaticinium Isaiæ 7 : *Ecce virgo concipiet*, etc., necnon alia quamplurima Scripturæ loca, quæ christianæ religioni favebant, mutilavit et interpolavit. Atque ita Judæi non tantùm suæ nationi, sed et christianæ religioni non leve detrimentum intulerunt.

QUÆSTIO III.

Quænam plaga designetur ad sonitum quintæ tubæ.

Cap. 9, v. 1 : *Et quintus angelus tubâ cecinit; et vidi stellam de cœlo cecidisse in terram, et data est ei clavis putei abyssi.* Per stellam istam non intelligitur vera stella; nam cùm veræ stellæ non sint animatæ, nequeunt accipere et administrare claves putei abyssi. Quare per hanc stellam interpretes communiter intelligunt angelum, aliqui bonum, aliqui malum. Qui volunt esse bonum, fundant se in eo quòd Joannes, infra, cap. 20, v. 1, viderit angelum bonum descendentem de cœlo habentem clavem abyssi. Sed cùm hic angelus dicatur cecidisse, et ibi descendisse de cœlo, innuitur potiùs aliqua diversitas inter utrumque; mali enim angeli eodunt, boni descendunt de cœlo : ac proinde per istam stellam videtur intelligendus angelus malus. Viegas et plurimi antiqui intelligunt Luciferum, de quo Isaiæ cap. 14, v. 12, dicitur : *Quomodò cecidisti de cœlo, Lucifer?* Verùm huic opinioni obstare videtur quòd Lucifer jam olim de cœlo, nedùm ad terram ceciderit, sed et ad infernum detractus sit, in profundum laci, ut habetur cit. Isaiæ cap., v. 15. At stella ista apocalyptica visa est cadere in ipso sonitu tubæ quintæ. Unde potiùs videtur fuisse unus ex principibus illis dæmonum quos Apostolus, ad Ephes. 6, v. 12, vocat *principes et potestates, mundi rectores tenebrarum harum.* Talis ergo aliquis dæmon, Dei imperio, instar stellæ de cœlo, id est, de secundâ tenebrosi aeris regione, in terram cadet. Etenim in istâ aeris regione dæmones detineri et grassari non obscurè innuit Apostolus loco citato, ubi insuper eos appellat *spiritualia nequitiæ, in cœlestibus.*

Vers. 2 : *Et aperuit puteum abyssi.* Per abyssum in S. Scripturâ intelligitur impenetrabilis aquarum profunditas. Ita Gen. 7, v. 11, dicitur de diluvio : *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ;* item Exod. 15, de exercitu Pharaonis in mari Rubro submerso dicit Moyses : *Abyssi operuerunt eos.* Igitur puteus abyssi est puteus sine fundo, seu cujus profunditas tanta est, ut fundus à nobis sciri non possit. Cùm autem id optimè profunditati inferni conveniat, utpote quem communis theologorum opinio in loco totius universi profundissimo constituit, hinc per puteum abyssi hoc loco varii intelligunt infernum. Prædictus igitur dæmon accipiet clavem putei abyssi, quia in fine mundi dabitur ei potestas aperiendi et laxandi infernum ad solvendos alios dæmones, quos Dei potentia quasi vinculis quibusdam coercet.

Et ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ; id est, ex inferno prodierunt furibundæ et dirissimæ machinationes dæmonum in homines; ira enim diaboli magna et ardens est fornax magna unde illum invidiæ et malevolentiæ fumum exspirat in homines. *Et* hinc *obscuratus est sol et aer de fumo putei;* nimirùm inde caligo errorum et tristitia illorum temporum emanabit, quâ et lumen fidei, et publica Ecclesiæ lætitia involvetur; sol enim et aeris lumen res lætas, caligo fumi res tristes significat. Unde hæc figuratè intelligenda sunt, quia nulla datur propriè clavis inferni, nullus etiam ejus hiatûs, qui fumum exhalet super terram, ut solem obscurare possit.

Vers. 3 : *Et de fumo putei abyssi exierunt locustæ in terram.* Quid per has locustas intelligatur, est satis incertum. Quidam recentiores veras locustas novæ et monstrosæ formæ tunc producendas esse existimant; attamen ex tam exquisitâ formâ et omnibus membris earum, quæ hìc exprimit S. Joannes, videtur colligi quòd aliquod majus mysterium sub illâ monstrosâ imagine lateat. Unde dicendum locustas illas, non veras, sed symbolicas seu metaphoricas esse, primò, quia, v. 7, formæ corporum ipsarum dicuntur *similes equis paratis in prælium, et facies earum tanquàm facies hominum.* Quis autem vidit vel audivit dari tales locustas? Secundò, v. 8, dicitur quòd haberent *capillos, sicut capillos mulierum.* Quis rursùm unquàm locustas capillatas vidit? Quòd autem quidam earum alas *capillos* vocari putent, nimis frigidum est, inquit Fromondus. Deinde, v. 9, fit mentio alarum, tanquàm quæ à capillis distinguantur.

Porrò A Lapide et nonnulli alii existimant quòd cum inferni fumo undequàque irrupturi sint plurimi dæmones, qui in descriptâ hìc formâ tunc torquebunt sceleratos homines. Sed omnes veteres, inquit Dionysius Carthusianus, sub monstrosâ et inusitatâ locustarum formâ, hæreticos aliosque infideles, Antichristi præcursores intelligunt. Quomodò autem sub locustarum formâ rectè hæretici designentur, ex iis quæ infra ad præc. v. 3 denuò dicentur, satis patebit.

Dices : Hæ locustæ apocalypticæ nocebunt solùm malis hominibus, ut eruitur ex v. 4; atqui hæretici et alii infideles non solent nocere malis, sed tantùm bonis; ergo, etc. Deinde istis locustis ibidem *præceptum est ne læderent fenum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem;* atqui solæ locustæ naturales fenum,

seu herbam terræ arrodunt ; ergo, illæ locustæ erunt naturales. — Resp. : Neg. conseq., quia nec sine divino miraculo fieri potest ut veræ locustæ solos malos homines torqueant, et bonis parcant. Et reverà minori miraculo per symbolicas locustas hoc evenire poterit, si cogitemus diversas infidelium sectas, ut, v. g., Lutheranos et Calvinistas, Turcas et Persas, acerrimis odiis et bellis se invicem aliquando exercere. Dei etiam providentiâ facilè accidere potest ut pii fideles infidelium locustarum morsus fugiendo evadant, solique mali ab ipsis crucientur, quia earum adventum expectare ausi sunt, tanquàm ipsis magis affines et in malitiâ socii. Erunt enim locustæ illæ antiquis Gothis, Longobardis, Wandalis similes, qui ex Septentrione aut alio orbis terræ angulo tanquàm flagellum Dei emissi, malos homines, Deo sic disponente, præcipuè castigabunt, et multis cruciatibus affligent. Ad id verò quod additur, dico per fenum terræ, etc., non intelligi gramina aut herbas terræ, sed per ista tria in sensu metaphorico designari tria hominum electorum genera : nimirùm per fenum designantur incipientes, id est, qui habent fidem et charitatem, sed teneram et delicatam ; per viride significantur proficientes, hoc est, qui in fide et charitate virentes et fortes sunt ; denique per arborem denotantur perfecti, id est, qui sunt eminenter justi seu sancti.

Cæterùm, ut jam dicta etiam explicentur de temporibus præteritis, per præfatam stellam, conformiter ad ea quæ dicta sunt quæst. præced., intelligi potest aliquis falsus doctor, puta Theodotus Bysantinus, qui vixit seculo secundo. Hic autem, cum in persecutione Christum ejurâsset, ut factum excusaret, dixit se non Deo, sed soli homini injuriam intulisse, Christo nimirùm, quem purum hominem esse affirmabat. Vide Eusebium, lib. 5 Hist., cap. 28. Porrò idem de cœlo decidit in terram, quando ab unitate Ecclesiæ, in quâ religionis et doctrinæ luce splendebat, recessit, ac terrenam magis et animalem vitam elegit. Ipsi data est clavis putei abyssi, quando ad probationem electorum, hæresim, quam Joannes initio sui Evangelii proscripserat, renovare et per orbem divulgare permissus est. *Et ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ ;* id est, obscura et tenebrosa hæresum doctrina promoveri cœpit, non secùs ac ex magnâ fornace ingens egreditur fumi copia. *Et obscuratus est sol ;* hoc est, Christus, seu ejus divinitas obscurata fuit, quando iste Theodotus eam impugnare et obtenebrare cœpit. Item aer obscuratus est, quando verii fideles, quos lucem vitæ et sanæ doctrinæ recipere oportebat, afflatu hujus fumi, id est, præbito hæreticæ doctrinæ consensu, obscurati et in errorem lapsi sunt.

Vers. 3 : *Et de fumo putei exierunt locustæ in terram ;* hoc est, prodierunt hæretici locustis similes, qui per elationem in altum saliunt, et per cupiditatem in terram recidunt terrenis voluptatibus et deliciis addicti. *Et data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ,* quia sicut scorpiones blandi sunt secundùm faciem, sed caudâ feriunt venenata, ita variorum hæreticorum sermone nihil est blandius, quibus in ore nihil est præter suæ fragilitatis agnitionem, Christum, fidem, et similia ; sed interim recessus venenosus ; quos enim per apertam sævitiam nequeunt, per occultam malitiam perimunt. *Et præceptum est illis ne lædarent fenum,* etc., id est, tria electorum genera, de quibus supra. Vel etiam fenum et omne viride significare potest eos qui virorem et vivacitatem fidei habent, arbores autem illos, qui spe erecti bonorum operum fructum faciunt ; quos inhibentur locustæ lædere, quia chari sunt Deo veri fideles, et ipsi cura est ne ab impiis hæreticis seducantur et lædantur.

Vers. 5 : *Et datum est illis ne occiderent eos, sed ut cruciarent ; τὸ eos* non est referendum ad veros fideles, sed ad homines sigillo Dei nequaquàm insignitos, qui inanem tantùm fidem præ se ferunt ; et ideò ab hæreticis facilè lædentur ac seducentur. Hos autem non vult Deus occidi, sed vexari et cruciari, ut sic cruciati resipiscant. Porrò illi quos hæretici impiâ doctrinâ inficiunt, cruciantur tanquàm ictu scorpii ; punguntur enim verme conscientiæ, intelligentes impia esse sua dogmata, sed præ superbiâ recedere ab eisdem nolentes.

Vers. 6 : *In diebus illis quærent homines mortem, et non invenient eam ;* nimirùm pii Christiani, propter importunam hæreticorum vehementiam tam miserè afflictam Ecclesiam videntes, mori optabunt, cupientes dissolvi et esse cum Christo ; sed optatâ morte non peribunt, servante adhuc eos adversùs hæreticam perfidiam Deo.

Vers. 7 : *Et similitudines locustarum similes equis paratis ad prælium.* Sunt enim hæretici instar equorum veloces et fortes ad impugnandam veritatem. *Et super capita earum tanquàm coronæ similes auro,* etc. Rectè dicuntur hæretici gestare istas coronas, quia dùm decertant, desudant et contendunt, victos se nunquàm agnoscunt, sed victores se simulant et mentiuntur ; hoc est enim coronas gestare, mentiri se victores ; at illas gerunt non aureas, sed aureis similes, tanquàm, juxta Paulum, 2 Timoth. 3, v. 5, *habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Porrò tanquàm facies hominum habere dicuntur, quia non nisi humanitatem exteriùs præ se ferunt ; et interim instar scorpionum pungunt et feriunt. Capillos verò sicut mulierum habebant, partim quia effeminati sunt et libidinosi, partim quia infirmi sunt et debiles instar mulierum ; ita ut Ecclesiam, quæ virago est, vincere non possunt. Per loricas verò ferreas obdurata et obstinata eorum contra veritatem pervicacia figuratur.

Denique *habebant super se regem,* v. 11, *angelum abyssi, cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè autem Apollyon, Latinè habens nomen Exterminans,* quia rex et princeps hæreticorum est diabolus, qui rectè *Exterminator,* seu *Perditor* dicitur, quia totum ejus studium, intentio et scopus est secum omnes perdere. Cæterùm, ista verba : *Latinè habens nomen Exterminans,* inter-

pres addidit de suo ; nam Joannes Græcè scripsit Apocalypsim ; interpres autem significationem vocis etiam Latinè reddere voluit ex Græco, sicut Joannes eam Græcè reddiderat ex Hebræo.

QUÆSTIO IV.

Quænam plaga prædicatur ad sonitum tubæ sextæ.

Cap. 9, v. 13 : *Et sextus angelus tubâ cecinit ; et audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei*, v. 14, *dicentem sexto angelo, qui habebat tubam : Solve quatuor angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.* Per altare aureum, conformiter ad supra dicta, cap. 6, quæst. 3, intelligitur Christus Dominus. Quatuor verò istos angelos non esse bonos, sed malos, manifestum est ex eo quòd boni angeli non alligentur, ne noceant, ac rursùm solvantur, ut noceant, quasi à nocumento inviti abstinerent ; sed hæc malis angelis propria sunt, quibus semper est voluntas nocendi, sed non semper datur potestas. Porrò, licèt mali angeli seu dæmones sint puri spiritus, ligari nihilominùs dicuntur, non quidem vinculis corporeis, sed potestate divinâ, vel virtute angelicâ, quâ detinentur ne loco se movere, eoque egredi possint. Dicuntur verò in Euphrate potiùs quàm in alio loco alligati, quia inde, ait Andreas episcopus Cæsareensis, nasciturus aut exiturus est Antichristus ; vel quia Euphrates alluit Babylonem : Babylon autem, quæ confusionem significat, est typus regni diaboli et improborum.

Vers. 15 : *Et soluti sunt quatuor angeli, qui parati erant in horam, et diem, et mensem, et annum ;* hoc est, qui omni anno, et omni mense, et omni die, et omni horâ parati fuerant et anhelaverant ad grassandum in genus humanum ; sed hucusque non potuerant, quia impediti seu ligati fuerant, uti rabidi canes in catenâ, qui sunt semper parati ad mordendum. Atque hinc patet quòd hi quatuor angeli videantur esse iidem qui supra, cap. 7, prohibiti sunt nocere terræ et mari, etc. Porrò soluti hi quatuor diaboli horrendè grassabuntur in genus humanum, et per totum orbem terrarum seminabunt discordias, et ex sceleratis hominibus in fine mundi conflabunt istum terribilem exercitum de quo v. 16 et 17, imò varios sibi mutuò adversos exercitus. Etenim tunc *consurget gens in gentem, et regnum in regnum*, Matth. 24, v. 7. Dicitur autem hic, v. 18 : *Ab his tribus plagis*, scilicet igne, fumo et sulphure, *occisa est tertia pars hominum*, impiorum nimirùm, seu non signatorum, ut patet ex cap. 7, v. 3, et cap. 8, v. 4. Idem patet etiam ex eo quòd si hi occisi essent pii et justi, nulli tunc justi amplius superessent in mundo ; cæteri enim, qui non sunt occisi, erunt homines scelerati, ut dicitur v. 20 et 21. Igitur hic tantùm agitur de non signatis et impiis, quorum hæc est plaga, ex quibus tertia pars occidetur, cæteri verò permanebunt in suis sceleribus, in iisque morientur.

Cæterùm, licèt hæc plaga ad finem mundi pertineat, videtur tamen etiam posse exponi de bellis quæ Persæ tempore Valeriani, crudelissimi Christianorum persecutoris, Romano imperio intulerunt. Itaque quatuor angeli soluti sunt quatuor dæmones, quibus Deus limites inter Romanum imperium et Persas commiserat, et quos usque ad istud tempus ligatos in Euphrate detinuerat. His solutis, Persæ Jordanem transeunt, et magnam Romani exercitûs partem perdunt. *Valerianus illicò*, ut scribit Orosius, lib. 7, cap. 22, *à Sapore Persarum rege captus, ignominiosissimâ apud Persas servitute consenuit ; hoc infamis officii continuâ, donec vixit, damnatione sortitus, ut ipse acclivis humi, regem semper ascensurum in equum, non manu suâ, sed dorso attolleret*, hoc est, dorsum suum instar scabelli regi præbere cogeretur. Numerus equestris exercitûs significat prodigiosam multitudinem exercitûs Persarum, qui majori ex parte erat equestris. *Loricæ igneæ, hyacinthinæ et sulphureæ* denotant varios loricarum colores ; *igneæ*, id est, fulgentes instar ignis ; *hyacinthinæ*, violacei seu cærulei coloris, et *sulphureæ*, coloris rubei seu crocei instar sulphuris. *Capita equorum erant tanquàm capita leonum*, ut dicitur v. 17. Hæc verba denotant equitatum hunc procedere contra hostes ardore et fortitudine instar leonum ; et ideò *de ore eorum procedit ignis, et fumus, et sulphur :* nam de generoso equo scribit Virgilius, Georg. 3 :

Collectumque premens volvit sub naribus ignem.

Et hinc subjungitur, v. 19 : *Potestas enim equorum in ore eorum est, et in caudis eorum ; nam caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita ; et in his nocent.....* Persæ enim antrorsùm et retrorsùm jaculabantur, eorumque tela erant venenata, et in cuspide aculeata.

CAPUT X.

Joanni revelantur quæ eventura sunt inter sextæ et septimæ tubæ sonitum. Deinde jubetur accipere et devorare librum apertum, qui initio ut mel suave in ejus ore apparuit ; sed eo devorato, mox venter ejus amaricatus est.

QUÆSTIO PRIMA.

Quis intelligatur per angelum fortem, et quid per librum apertum.

Vers. 1 : *Et vidi alium angelum fortem descendentem de cœlo.* Quòd hic angelus sit diversus ab eo qui, c. 9, v. 13, sextam tubam inflaverat, manifestum est ex τὸ *alius*. Dicitur autem *fortis* naturæ et gratiæ viribus, et probabiliter idem est qui supra, cap. 5, vocatus est etiam *angelus fortis ;* quem interpretes communiter asserunt fuisse unum ex illis septem principibus quorum operâ Deus hunc mundum inferiorem gubernat.

Porrò iste angelus dicitur *amictus nube*, non in facie, quæ splendebat ut sol, sed in reliquo corpore. Hoc velamentum significabat duo : primò, quòd ille angelus extremis mundi temporibus sit hominibus revelaturus arcana divinæ providentiæ ; revelabit enim extremum diem esse vicinissimum, quòd est arcanum arcanorum ; secundò, significabat quòd homines impii istum angelum non sint recepturi, nec intellecturi ejus prædicationem. Ita velum, quod olim Deus jussit poni in capite Moysis, significavit quòd carnales Judæi datam

legem nec intellecturi essent, nec observaturi. *Iris* verò quam habebat in capite, demonstrabat quòd ipse esset nuntius divinæ amicitiæ et pacis, si nimirùm homines pœnitentiam agere vellent. Ab eo enim tempore quo Deus post diluvium arcum suum, sive iridem, constituit signum inter se et terram, Gen. 9, v. 13, iris haberi cœpit pro symbolo pacis.

Vers. 2 : *Et habebat in manu suâ libellum apertum.* Libellus iste est ipse liber quem supra, cap. 5, v. 7, è divinæ majestatis dexterâ Agnus accepit, et septem sigillis clausum reseravit, et cujus singula sigilla sunt jam ferè exposita. Hunc ergo apertum, seu plenè evolutum librum hic angelus in manu tenuit, et S. Joanni ex omni parte demonstravit; atque per hoc significavit se dùm impiis hominibus in mundi fine est apparituros, expositurum omnes has plagas, et præteritas et adhuc venturas; et ita ipsos hortaturum ad seriam pœnitentiam. Cæterùm, liber iste vocatur hìc *libellus*, et in textu Græco *libellulus*, non improbabiliter ob hanc rationem, quia dùm S. Joannes supra, cap. 5, eum vidit, omnia in eodem contenta repræsentabantur ut futura; apparente autem præfato angelo, exhibebantur tanquàm præsentia. Atverò longè compendiosius est res præsentes describere atque ostendere, quam futuras.

Vers. 3 : *Et cùm* (angelus) *clamâsset, locuta sunt septem tonitrua voces suas;* hoc est, iste angelus clamabat voce adeò altâ, ut ad ipsam redderetur septuplex echo; et harum quævis erat articulata et alta instar tonitrui. Tales voces fuerunt etiam in monte Sinai, dùm dabatur lex. Hæc verò altitudo vocis significavit quòd istius angeli prædicatio futura sit admodùm seria, et per ipsum sæpiùs repetenda.

Vers. 4 : *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere;* nempe hæ voces enuntiavernnt magna secreta, quæ Christus Dominus à S. Joanne voluit duntaxat audiri, et mundo non revelari. Erant verba ineffabilia, qualia et S. Paulus audivit in paradiso, et quæ ipsi non licuit ad homines loqui. Ita hunc locum exponit Origenes, lib. 4 contra Celsum.

Vers. 9 : *Et dixit mihi* (angelus) : *Accipe librum, et devora illum.* Hunc librum devorare, est ipsum suæ memoriæ firmiter infigere. Et ita olim coram Ezechiele prophetâ, cap. 3, liber involutus evolvitur atque expanditur, et tunc ad ipsum dicitur : *Fili hominis, comede volumen istud,* id est, benè intellige librum, ac benè intellectum firmiter infigas tuæ memoriæ, quia nempe omnia quæ in eodem continentur, debebis postmodùm prædicare.

Et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquàm mel. Ita et Ezechiel, cap. 3, v. 3, de devorato à se volumine dicit : *Comedi illud; et factum est in ore meo tanquàm mel dulce.* Est allusio ad naturam mellis, quod comestum vertitur in bilem, et palatum obdelectat, atverò stomachum stringit, et facit amaricari. Porrò hic liber continet gravissimas mundi plagas et plura divinæ providentiæ secreta. Hinc ejus comestio, seu prima notitia, est homini dulcissima; verùm ejus digestio, id est, ejus ruminatio, prædicatio ac executio sunt amarissimæ. Et ob hanc causam S. Joannes subjungit, v. 10 : *Et cùm devorâssem eum;* id, est ruminâssem rerum in libro contentarum notitiam; *amaricatus est venter meus.* Et sic etiam Jeremias futuram tribulationem populi sui cogitans, et in ventre animæ suæ ruminans, clamat : *Ventrem meum, ventrem meum doleo.* Jerem. 4, v. 19.

QUÆSTIO II.

An S. Joannes in fine mundi sit venturus, et prædicaturus cum Eliâ et Henoch.

Vers. 11 : *Et dixit mihi* (angelus qui librum tradiderat) : *Oportet te iterùm prophetare gentibus, et populis, et linguis, et regibus multis.* Ex hoc loco quidam conati sunt probare quòd S. Joannes non sit mortuus, sed alibi custodiatur usque ad finem mundi, ut tunc prædicet cum Eliâ et Henoch. Ita censent varii Patres Græci. Ex illis aliqui putant ipsum intrâsse suum sepulcrum, illudque jussisse claudi, et deinde non esse mortuum, sed continuò dormire, et dormiturum usque ad diem judicii. Nam terra, quæ ipsius caput cooperit, continuò levatur et subsidit juxta respirationem halitûs ejus. Alii arbitrantur ipsum translatum esse apud Eliam et Henoch.

Pro alterutrâ istarum sententiarum citantur Ephrem Antiochenus, Joannes Damascenus, Andreas Cæsareensis et S. Gregor. Nazianz., orat. 34, ubi Joannem evangelistam vocat præcursorem Domini, quia nempe, ut explicat Elias Cretensis, præcedet adventum Christi ad judicium generale cum Eliâ et Henoch. Citatur etiam S. Hilarius, lib. 6 de Trin., quem tamen aliqui explicant, tanquàm diceret, non personam Joannis, sed veritatem in ejus Evangelio expressam, nunquàm morituram. Interim Patres Latini ferè omnes præfatam opinionem constanter rejiciunt. Unde

Resp. et dico : Joannes evangelista mortuus est, æquè ac omnes alii apostoli et discipuli Domini.

Prob. 1° quia non jacet vivus et dormiens in suo sepulcro; aliàs enim dilectus ille discipulus privaretur omni gaudio et glorià usque ad diem judicii, tempore quo alii sancti fruuntur cœlesti beatitudine. Certè Joannes nullam rationem habuisset seipsum in Evangelio suo vocandi discipulum illum quem diligebat Jesus, si debebat manere tanquàm unum nihil usque ad finem mundi.

Prob. 2° ex concilio Ephesino, quod, c. 6, de Hæreticis qui cultum SS. reliquiarum respuebant, ita conqueritur : *Neque è locis usque adeò remotis venientibus, tantoque sacras sanctorum triumphatorumque martyrum, maximè verò beatissimi Joannis theologi et evangelistæ..., reliquias videndi, easdemque complectendi, desiderio flagrantibus, integrum fuerit.* Et Cœlestinus papa, in epist. ad Patres Ephesinos (tom. 3 Concil. Labbé, pag. 615) illos ita adhortatur : *Ante omnia vos præcipuè considerate, iterùm atque iterùm recolere decet, quibus Joannes apostolus,* CUJUS RELIQUIAS PRÆSENTES HONORATIS, *ad mutuam concordiam dilectionemque hortatur.* Imò integrum istud concilium œcumenicum, pag. 573, agnoscit Joannem esse

mortuum, et quiescere Ephesi; dicunt enim Patres Nestorium esse condemnatum in illâ civitate, *in quâ theologus Joannes, et Dei genitrix virgo sancta Maria*, ubi videtur subaudiendum : *Sunt*, vel *quiescunt*.

Dices : Subintelligi debet : *Aliquandò habitaverunt*, aut : *Summo in honore sunt ;* aliàs enim sequeretur quòd etiam tunc illic esset corpus B. Virginis, de cujus reliquiis honorandis potiùs quàm Joannis, mentionem fecisset Cœlestinus.—Resp. : Neg. assumpt., primò, quia ordinariè similia non solent subaudiri ; verbum autem *sunt*, vel *quiescunt*, tum in Græcis, tum in Latinis constructionibus frequenter omittitur, et subaudiri solet. Secundò, quia subaudiendo *sunt*, vel *quiescunt*, meliùs convenit sensus cum illis : *Cujus reliquias præsentes honoratis.* Tertiò, quia cæteroquin concilium haud dubiè etiam fecisset mentionem S. Pauli ; nam et hic Ephesi habitavit, docuit, etc.

Illic autem etiam tunc fuisse corpus B. Virginis, à plerisque criticis admittitur. Verùm cùm fidelium sensus et communis Ecclesiæ traditio habeat quòd B. Virgo post mortem cum corpore et animâ sit assumpta in cœlum, dicendum est quòd ipsa addatur, quia Ephesi mortua ac sepulta fuit ; et ejus sepulcrum ibi ita extabat, ac si corpus ejus adhuc contineret, quamvis illud esset modò diù assumptum in cœlum. Et partim ob hanc causam Cœlestinus papa tantummodò agit de reliquiis S. Joannis, et partim etiam quia de ipso specialem mentionem fecerat.

Prob. 3° ex antiquis scriptoribus ecclesiasticis. Polycrates, episcopus Ephesinus, qui viderat et cognoverat discipulos S. Joannis, et qui non poterat ignorare quid de Joanne sentirent, apud Eusebium, l. 3 Histor. eccles., cap. 23, et lib. 5, cap. 24, clarè affirmat quòd jaceat sepultus Ephesi, ut resurgat in novissimo die. Et hoc quidem dicit in loco in quo, quantùm potest, deprædicat omnem laudem S. Joannis, ad firmandum ejus auctoritatem pro celebrando Paschate cum Judæis, contra totam Ecclesiam Latinam, et S. Victorem papam. Unde jure merito dicit Baronius, ad annum 101, § 2, quòd sit testimonium tantæ auctoritatis, ut omnia alia debeant illi cedere.

S. Irenæus, lib. 2, cap. 39, et apud Eusebium lib. 3, cap. 23, dicit quòd S. Joannes vixerit Ephesi usque ad regnum Trajani ; ergo judicabat ipsum deinde mortuum esse. S. Hieron., lib. de Script. eccles., dicit : *Confectus senio, sexagesimo octavo post passionem Domini anno mortuus, juxta eamdem urbem* (Ephesum) *sepultus est.* S. Hippolytus martyr., lib. de Antichristo, pag. 41, dicit ipsum mortuum esse, sicut mortui sunt Isaias, Jeremias et Daniel. Origenes, apud Eusebium, lib. 3, cap. 1, dicit ipsum mortuum esse Ephesi. S. Epiphanius, hæresi 57, ubi laudat Eliam quia non est mortuus, sed translatus, dicit tamen Joannem esse mortuum, etc. S. Cyrillus Alexandrinus, hom. 8, de Diversis, refutat opinionem illorum qui volebant aliquos apostolos non visuros mortem ante diem judicii. Et hom. 10, in Elogio quod fecit de Joanne in concilio Ephesino, nec directè, nec indirectè ipsum vivere insinuat.

Solvuntur argumenta.

Obj. 1° : Ex verbis supra citatis manifestum est quòd Joannes post scriptam Apocalypsim debuerit prophetare gentibus, et populis, et linguis, et regibus multis ; atqui post scriptam Apocalypsim non prophetavit populis, et regibus multis ; quandoquidem isto tempore nullus esset rex, nisi imperator Romanorum ; ergo hoc adhuc facturus est scilicet in fine mundi ; adeòque nondùm mortuus est, sed alibi custoditur usque ad *finem mundi*.

Confirmatur ex S. Ambrosio, in psal. 45 dicente : *Antichristus ex abysso ascendit, ut adversùs Eliam atque Enoch, atque Joanni præliaretur, ut legimus in Joannis Apocalypsi.* —Resp. : Neg. min.; nam cùm vox *prophetare* in Scripturis frequenter accipiatur generaliter pro *prædicare occulta Dei mysteria*, quæ aliquis per divinam revelationem accepit, sive illa res futuras, sive præsentes, sive præteritas, aut alias quascumque concernant, ut ad Rom. 12, v. 6, et 1 ad Cor. 14, v. 1, item hoc lib., cap. 11, v. 3, Joannes post scriptam Apocalypsim maximè prophetavit, quando altissima illa de Christi divinitate, quæ Deus ei revelaverat, mysteria mundo prædicavit et propalavit. Itaque verba supra citata satis naturaliter intelliguntur de Evangelio à Joanne conscripto, ejusque Apocalypsi, quæ toti mundo prædicata et annuntiata sunt. Ilis enim mediantibus, adhuc de facto prophetat sive prædicat nomen Domini populis et regibus terræ ; ac proinde si postea regibus verbo fortè non prophetaverit, Apocalypsis tamen et Evangelii ejus scriptura adhuc hodiè, et usque in *finem* seculi omnibus regibus christianis prophetat et concionatur. Et sic hic *dicitur debere prophetare regibus multis, eo* ferè sensu quo Jeremias, cap. 1, v. 5, dicitur datus propheta *in* gentibus, quamvis ipse *populis gentilibus* non verbo, sed scripto duntaxat prophetaverit.

Cæterùm, quàm alienus S. Joannes fuerit ab illâ opinione, quâ putaret se cum Eliâ et Enoch venturum contra Antichristum, inde patet quòd in suâ Apocalypsi non ponat nisi duos ; dicit enim cap. 11, v. 3 : *Dabo duobus testibus meis, et prophetabunt...* v. 4 : *Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra*, etc.

De textu S. Ambrosii aliquod dubium est, an nomen Joannis non sit ab aliquo sciolo adjectum. Nam habetur duplex *atque*, et vitium contra syntaxim, quæ non sapiunt stylum S. Ambrosii ; et deinde dicit hoc haberi in Apocalypsi, quod tamen falsum est. Unde Benedictini, tom. 1, pag. 930, in suâ novâ editione reflectunt quòd omnia exemplaria manuscripta, uno excepto, et ferè omnia impressa, non habeant nomen Joannis. Quinimò S. Ambros., lib. de Fide resurrectionis, num. 49, dicit quòd multi quidem existimaverint Joannem juxta Christi promissum non moriturum, sed tamen quòd id ab Ecclesiâ non sit creditum. Dicit enim : *Joanni promissum æstimatum, sed non est creditum.*

Obj. 2° : Christus Petro interroganti quâ morte Joannes clarificaturus esset Deum, Joan. 21, v. 22, respondit : *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad*

te? Tu me sequere; hoc est, volo ut sic maneat, volo ut vivat, donec veniam ad judicium, sed suntne ibi tua curanda? Ergo, juxta promissum Christi, Joannes vivet usque ad finem mundi. — Resp. : Neg. conseq.; nam cùm aliqui è discipulis ex verbis Christi intulissent quòd Joannes non esset moriturus, eorum opinionem ipsemet Joannes corrigit et refutat, dùm v. 23 subjungit : *Et non dixit ei Jesus : Non moritur; sed : Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Hinc S. P. August., tract. 124 in Joan., in jam citata Evangelii verba ita scribit : *Quis facilè aliud dictum esse credat, quàm quod fratres crediderant qui tunc erant, eò quòd scilicet non esset discipulus ille moriturus, donec Jesus veniret, istâ maneret vitâ? Sed hanc opinionem Joannes ipse abstulit, non hoc dixisse Dominum apertâ contradictione declarans. Cur enim subjungeret : « Non dixit Jesus : Non moritur, » nisi ne hominum cordibus quod falsum fuerat inhæreret?* Sensus igitur verborum Christi non est quòd Joannes sit victurus donec ipse veniat ad judicium, sed est hic : Sic sine martyrio, sine morte violentâ volo eum vivere, donec naturali morte vitâ defunctum veniam ipsum coronatum. Hoc autem nihil ad te, ô Petre, quia equidem, hoc non obstante, tu martyrio afficieris, tu me sequeris, eodem genere mortis quo ego mortuus sum, moricris.

Inst. 1° : Illa verba : *Donec veniam*, non possunt reddere jam memoratum sensum, primò, quia dies mortis nullibi vocatur adventus Domini; secundò, quia sensus ille est valdè ineptus, et impertinens ad interrogationem Petri : *Volo eum vivere, donec moriatur;* atqui tamen dies judicii frequenter vocatur adventus Domini; ergo potiùs intelligi debet : Donec veniam ad judicandum, quàm : Donec veniam ipsum quæsitum. — Resp. : Neg maj., primò, quia Matth. 24, v. 42, dicitur : *Vigilate ergo, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit;* v. 48 : *Moram facit Dominus meus venire;* v. 50 : *Veniet Dominus servi illius, in die quâ non sperat;* item Joan. 14, v. 3 : *Etsi abiero, et præparavero vobis locum, iterùm venio, et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis.* Quæ omnia dicta sunt de adventu Christi in horâ mortis. Secundò, quia sensus ille est valdè aptus : non enim Petrus petierat quamdiù Joannes esset victurus, ut Christus illi responderet : *Usque ad adventum meum ad judicium;* sed cùm Dominus significâsset Petro *quâ morte esset clarificaturus Deum*, Petrus petivit : *Domine, hic autem quid?* Quasi diceret : Domine, quâ morte Joannes clarificabit Deum? Cui Christus aptè respondet : Nullâ morte violentâ; sed volo ipsum sic manere sine martyrio auferente vitam, donec placidè moriatur, etc.

Inst. 2° : Ipsemet S. Aug. docet quòd verba Christi debeant intelligi de adventu ejus ad judicium, siquidem, tract. 124 in Joan., num. 5, ita scribit : « *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.* » *Quid est hoc? Quantùm sapio, quantùm capio, quid est hoc, nisi : Tu me sequere per imitationem perferendi temporalia mala, ille maneat donec sempiterna venio redditurus bona?* — Resp. : Neg. assumpt., quia S. Aug. ibidem non tractat de Joanne et Petro in suis personis, sed de duabus vitis per illorum personas significatis, prout tum ex præcedentibus, tum ex subsequentibus verbis manifestum est. Etenim immediatè subjungit hæc : *Quod apertiùs ita dici potest : Perfecta me sequatur actio, informata meæ passionis exemplo; inchoata verò contemplatio maneat donec venio, perficienda cùm venero. Sequitur enim Christum, perveniens usque ad mortem pia plenitudo patientiæ; manet autem donec veniat Christus, tunc manifestanda plenitudo scientiæ... Quod enim ait : « Volo eum manere donec veniam, » non sic intelligendum est quasi dixerit, remanere vel permanere; sed expectare; quoniam* QUOD PER EUM SIGNIFICATUR, *non utique nunc, sed cùm venerit Christus, implebitur.* QUOD AUTEM PER HUNC SIGNIFICATUR, *cui dictum est : « Tu, me sequere, » nisi nunc agatur, non pervenitur ad illud quod expectatur.*

Obj. 3° : Prædixit Christus Joanni martyrium, Matth. 20, v. 23, dicens ipsi et Jacobo : *Calicem quidem meum bibetis;* atqui Joannes nondùm passus est martyrium; ergo adhuc passurus est.— Resp. : Disting. min. Non est passus martyrium, ita ut mors secuta sit, concedo; non est passus martyrium simpliciter, nego min. Vide Breviarium 6 maii. Deinde certum est ex Apocalypsi, cap. 1, v. 9, quòd fuerit relegatus in insulam Patmos *propter verbum Dei et testimonium Jesu;* atqui hoc est bibere calicem Domini, et pati martyrium, id est, pati tribulationes, afflictiones, tristitias, etc., propter fidem, etiamsi ex illis mors non sequatur. Unde Ecclesia plures colit martyres, qui tamen non fuerunt morte affecti. Tales sunt omnes illi qui pro octavo responsorio habent : *Domine, prævenisti eum*, etc., ut S. Marcellus, Eusebius, etc.

Obj. 4° : Si S. Joannes mortuus esset, aliqui saltem descripsissent genus mortis ejus. — Resp. id non esse consequens : nam certò obiit S. Marcus, et tamen ignoratur quo genere mortis. Idem est de pluribus aliis discipulis Domini. Interim antiquæ præfationes, una sub nomine S. Hieronymi, altera sub nomine Gilberti, quæ inveniuntur in antiquis Bibliis ante ejus Evangelium et Apocalypsim, dicunt : *Descendens in defossum sepulturæ suæ locum, factâ oratione, positus est ad patres suos; tam liber à dolore mortis quàm à corruptione carnis invenitur alienus.*

Obj. 5° : Saltem constat ex testimoniis fide dignis quòd ejus sepulcri terra continuò elevetur et subsidat; ergo vero simile est quòd ibi adhuc dormiat. — Resp. : Neg. ant., quia illa testimonia sunt antiquorum Græcorum qui talium fabularum fuerunt satis susceptibiles. Insuper, quamvis hoc verum foret, nihil inde concluditur pro ejus vitâ, quia cum S. P. Aug., tract. 124 in Joan., num. 3, dici potest quòd, *si verè ibi fit quod sparsit fama de terrâ quæ subinde ablata succrescit, aut ideò fiat ut eo modo commendetur pretiosa mors ejus, quoniam non eam commendat martyrium* (*non enim eum pro fide Christi persecutor occidit*), *aut propter aliquid aliud quod nos latet.*

CAPUT XI.

Datur calamus S. Joanni, ut templum et altare, ac adorantes in eo metiatur. Adversùs Antichristum mittentur Elias et Henoch, qui tandem interficientur, resurgent et rapientur in cœlum. Septimus angelus tubâ canit, et viginti quatuor seniores Deo gratias agunt.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid significetur per templum, et quid per atrium.

Vers. 1 : *Et datus est mihi calamus similis virgæ*, hoc est, arundo mensoria; unde infra, cap. 21, v. 15, vocatur *mensura arundinea;* fuit autem calamus sex cubitorum et palmi vero similiter, quantus narratur calamus Ezechielis, cap. 40, v. 5, in visione huic simili. Non fuit igitur calamus scriptorius, ut nonnulli contendunt, sed similis virgæ, quæ in mensuris agrorum solet adhiberi.

Licèt autem hìc fiat allusio ad templum Judaicum, tamen non de isto materiali, sed de spirituali templo agit S. Joannes, de quo et Paulus, 1 Cor. 3, v. 16 et 17, ait : *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis... templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Hoc templum, *cantando ædificatur, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur*, ait S. Aug., serm. 20 de verbis Apost., ad illa verba psalm. 95 : *Cantate Domino canticum novum.* Quisquis justus est singulare, tota justorum congregatio est generale Dei templum. Quidam fideles ad ipsum ita spectant, ut sint ejus lapides, ipsaque compages et ædes; quidam verò solummodò ita ut sint ejus atria, aut similes appendices. Nimirùm in Ecclesiâ sunt boni et mali, electi ac reprobi; hi sunt atria et appendices, isti sunt ipsa domus, ac firmi et vivi in ejus structurâ lapides. Hinc igitur angelus S. Joanni dat calamum, seu virgam mensoriam, ac jubet mensurari templum, altare ejus, et omnes in ipso adorantes; atrium verò foràs ejici, id est, non mensurari, atque ita contemni ac negligi, quia ipsum est datum seu derelictum, ut capiatur à gentibus, conculcetur, profanetur, ac destruatur. Dixi quòd *foràs ejici* hìc idem sic ac *non mensurari :* nam sicuti, juxta phrasim Scripturæ, *indurare* idem est *ac gratiam non dare*, seu eamdem negare, et *excæcare* idem est ac *lumen vitæ non administrare*, ita et *foràs ejicere* idem est ac *non mensurare.* Imò et nos dicere solemus, dùm aliquem januam pulsantem introire nolumus : *Expuli foràs.*

Porrò per jam memoratum ænigma mandatur Apostolo ut signet ac numeret solos electos, omnes autem reliquos fideles negligat, eò quòd hi omnes per Antichristum sint seducendi, adeòque et profanandi. Distinguuntur hìc varia, nimirùm templum, altare, adorantes in eo, atrium et tota sancta civitas Jerusalem; quæ singula habent sua propria mysteria. Sancta civitas videtur significare totam ex bonis et malis mixtam Ecclesiam : templum denotat omnes electos; per altare designatur Christus Dominus; in ipso adorantes sunt justi, qui tempore Antichristi erunt eminenter sancti, et Deo conjunctissimi; atrium sunt mali et reprobi Catholici. Et hos omnes jubetur S. Joannes negligere ac permittere Antichristo ejusque asseclis. Hi enim minis Antichristi cedent, et à fide apostatabunt; unde non sunt digni ut inter fideles mensurentur ac numerentur.

Vers. 2 : *Et civitatem sanctam calcabunt.* Ecclesiam, quam priùs vocavit templum et atrium, jam vocat civitatem sanctam; quasi dicat : Antichristus ejusque asseclæ sævissimâ persecutione Ecclesiam affligent, eam quodammodò prorsùs perditurі atque oppressuri; quæ tamen adeò non peribit, ut illâ ipsâ persecutione, velut aurum per ignem, illustrior sit evasura. *Mensibus quadraginta duobus*, hoc est, tribus annis cum dimidio. Tot enim annis tyrannidem Antichristi duraturam, prædixit Daniel, cap. 7, v. 25 : *Et sermones contra Excelsum loquetur, et sanctos Altissimi conteret; et putabit quòd possit mutare tempora, et leges, et tradentur in manu ejus usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis.* In quæ verba S. P. Aug., lib. 20 de Civ. Dei, cap. 23, ita scribit : *Antichristi adversùs Ecclesiam sævissimum regnum, licèt exiguo spatio temporis sustinendum, donec Dei ultimo judicio regnum sancti accipiant sempiternum, qui vel dormitans hæc legit, dubitare non sinitur. Tempus quippe, et tempora, et dimidium temporis, annum unum esse, et duos et dimidium : ac per hoc tres annos et semissem, etiam numero dierum posteriùs posito dilucescit, aliquando in Scripturis et mensium numero declaratur. Videntur enim tempora indefinitè hìc dicta linguâ Latinâ; sed per dualem numerum dicta sunt, quem Latini non habent. Sicut autem Græci, ita hunc dicuntur habere et Hebræi.*

QUÆSTIO II.

Quinam sint duo isti testes quos Deus in fine mundi missurus est.

Vers. 3 : *Et dabo duobus testibus meis.* Non dixit quid daturus sit, sed ex consequentibus intelligimus subaudiendum esse, *Spiritum sanctum.* Unde sensus est : Instruam duos testes, ad hoc à me electos, necessariis donis et charismatibus Spiritûs sancti; nempe charismate prophetandi, dicernendi spiritus, faciendi miracula, et tandem pro veritate subeundi martyrium. Et hinc appellantur testes Domini, seu martyres. *Et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta*, id est, prædicabunt fidem Christi, et Scripturas veteris Testamenti, quæ de Messiâ sunt, Judæis interpretabuntur tribus annis cum dimidio; tot enim dies sunt in tribus annis et medio, si computes antiquo more Romanorum, apud quos quisque mensis erat 30 dierum; atque ita quisque annus erat dierum 360; reliquos dies intercalabant, et habebant pro perditis. Celebrabant tunc Bacchanalia et Saturnalia. De quâ re videri potest Puteani opusculum : De Anno intercalari.

Itaque cùm in anno solari communi sint dies 365 et sex horæ, duo isti testes non tres annos cum dimidio expletos, sed octodecim circiter diebus minùs prædicabunt. Contra verò dùm Antichristus dicitur

regnaturus, et sanctos contriturus per tempus, et tempora, et dimidium temporis, spatium istud persecutionis Antichristi excedet diebus duodecim tres annos solares cum dimidio. Nam Dan. 12, v. 11, indicatur persecutio ista duratura 1290 diebus, ut proinde post prædicationem testium, quos interfecturus est Antichristus, ipse 30 diebus sit supervicturus. Unde etiam colligi videtur quòd isti testes sint prædicationem suam inchoaturi cum initio persecutionis Antichristi, nec tamen perventuri usque ad finem, cùm tyrannus 30 diebus post eorum martyrium sit à Christo interficiendus.

Porrò quinam futuri sint duo isti testes, variæ tam veterum quàm recentiorum intepretum sunt sententiæ. Tichonius ac Ven. Beda per hos duos testes intelligunt duo Testamenta, scilicet vetus et novum. Verùm hæc expositio nequaquàm ut litteralis, sed ad summum ut mystica admitti potest. Etenim quòd hi testes sint occidendi, corpora ipsorum non sint sepelienda, et spiritus vitæ rursùs sit intraturus in eos, atque cætera quæ de ipsis hìc narrat S. Joannes, manifestissimè demonstrant per hos testes non duo Testamenta, sed homines intelligi debere.

Bossuet et Calmet, qui hæc conantur explicare de temporibus præteritis, per duos testes intelligunt insignes istos martyres qui tempore persecutionis Diocletiani consolati sunt populum Dei. Et quia istorum una pars erat de clero, altera autem de populo, ideò non plures, sed duo tantummodò dicuntur testes. Itaque dùm hìc dicitur quòd bestia sit factura adversùs illos bellum, eosque occisura, etc., hæc ita exponunt ut per bestiam intelligatur dæmon, qui tam terribilem sub Diocletiano contra Christianos excitavit persecutionem, ut hostes Jesu Christi crediderint se nomen illius tunc penitùs delevisse; dùm autem corpora eorum dicuntur mansisse insepulta in plateis civitatis magnæ, ubi Dominus crucifixus est, figurari dicunt Romam, ubi Dominus in martyribus suis crucifixus est; et per revocationem ad vitam, ac in cœlum ascensum, intelligunt pacem quam Ecclesia sub Constantino consecuta fuit.

Attamen nec hæc expositio videtur subsistere, primò, quia duo isti testes hìc à Joanne describuntur tanquàm duo particulares homines; ergo per eosdem non potest intelligi cœtus martyrum, partim de clero, et partim de populo. Unde sicut omnes doctores catholici ex Epist. 2 ad Thessal., cap. 2, v. 3, rectè colligunt Antichristum non fore singularem thronum, seu regnum tyrannicum, sed futurum hominem quemdam particularem, quia tanquàm talis ibidem ab apostolo Paulo describitur, ita et ex hoc cap. Apocalyps. videtur rectè deduci duos istos testes futuros duos homines particulares. Secundò, quia postquàm duo isti testes occisi fuerint, *corpora eorum jacebunt in plateis* (hoc est, in aliquâ platearum) *civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma et Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est*, ut dicitur hìc, v. 8; atqui hæc verba non videntur posse intelligi de urbe Romanâ, ubi Dominus in martyribus suis crucifixus est, sed debent intelligi de urbe Jerosolymitanâ, ubi Dominus in propriâ personâ crucifixus est; ergo, etc.

Prob. min., quia ita naturaliter sonant; deinde, si S. Joannes ageret de urbe in quâ Dominus in martyribus suis duntaxat crucifixus est, nullam urbem in particulari designaret, uti tamen facere intendit; etenim non tantùm in urbe Romanâ, sed etiam in plurimis aliis tempore persecutionis Diocletiani Dominus in martyribus suis crucifixus fuit, uti ex omnibus historiis SS. martyrum notum est.

Verum quidem est quòd S. Hieron., epist. 17, quam nomine Paulæ et Eustochii ad Marcellam scribit, per hanc civitatem magnam, *quæ spiritualiter*, seu in sensu mystico aut figurato, *vocatur Sodoma et Ægyptus*, non velit significari urbem Jerosolymitanam, sed mundum universum, qui est civitas diaboli et impiorum. Sed hoc unicè propterea sustinet, quia suo tempore Jerusalem extollebatur miris laudibus, et habebatur tanquàm urbs sancta. Attamen, non obstante auctoritate S. Hieron., omnes alii interpretes sustinent communiter oppositum, eò quòd ratio ipsius non sit efficax : nam, licèt illo tempore Jerusalem haberetur tanquàm urbs sancta, tamen talis non erit circa finem mundi. Etenim Antichristus, qui jactabit se esse verum Messiam, à tot seculis expectatum, tanquàm talis à Judæis recipietur, ut liquet ex verbis Christi Joan. 5, v. 45 : *Ego veni in nomine Patris mei, et non accepistis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Porrò, ut faciliùs tanquàm verus Messias à Judæis recipiatur, pro regiâ suâ eliget Jerosolymam (imò, juxta multos auctores, reædificabit templum Jerosolymitanum) omnesque ritus Judaicos instaurabit, uti testantur SS. Patres et scriptores ecclesiastici, inter quos Severus Sulpitius, dialog. 2, de vitâ S. Martini, episcopi Turonensis, hæc habet : *Cæterùm, cùm ab eo* (S. Martino) *de fine seculi quæremus, ait nobis illius Antichristi eam persecutionem futuram esse, ut Christum Dominum cogat negari, se potiùs Christum esse confirmans, omnesque secundùm legem circumcidi jubeat.* Insuper Antichristus eò audaciæ ac dementiæ perveniet, ut se pro vero Deo coli et adorari, sibique hostias et victimas in templo Jerosolymitano immolari imperaturus sit; *ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquàm sit Deus*, ut ait S. Paulus, Epist. 2 ad Thessal., cap. 2, v. 4. Itaque cùm Jerusalem tunc omnibus sceleribus et impietatibus replenda sit, rectè Sodoma et Ægyptus vocatur, aut quia detestabilis Deo erit, sicut Ægyptus et Sodoma, aut quia eisdem peccatis abundabit, scilicet nefariis libidinibus, ut Sodoma, et omni genere superstitionis, ut olim Ægyptus; Ægyptiorum enim superstitio fuit omnium turpissima.

Tertiò, præfatam expositionem Bossuet et Calmet non subsistere, etiam liquet v. 11, ubi dicitur quòd spiritus vitæ sit intraturus in ipsosmet duos testes qui occisi sunt; ac consequenter per revocationem ad vitam nequit intelligi pax quam Ecclesia sub Constantino consecuta fuit. Cùm igitur per duos istos

testes debeant intelligi duo determinati homines, hinc

Resp. et dico : Duo illi testes sunt Henoch et Elias, qui in fine mundi venturi sunt ad convertendos Judæos, et confirmandos Christianorum animos in dirâ illâ persecutione quam contra Christi Ecclesiam excitabit Antichristus.

Prob. 1° quia de Eliâ scriptum est Malach. 4, v. 5 et 6 : *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequàm veniat dies Domini magnus et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum; ne forte veniam et percutiam terram anathemate;* et Eccles. 48, v. 9 et 10 : *Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Qui scriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini; conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob.* Unde et Salvator noster, Matth. 17, v. 11, ait : *Elias quidem venturus est, et restituet omnia*, id est, Judæos ad Christum, tanquàm Messiam ipsius et Patribus eorum promissum, convertet. De Patriarchâ autem Henoch lib. Eccles. cap. 44, v. 16, dicitur : *Henoch placuit Deo, et translatus est in paradisum* (hoc est, in locum quemdam amœnum), *ut det gentibus pœnitentiam.* Cùm igitur hi duo in fine mundi venturi sint, ut fidem Christi prædicent, per duos testes à S. Joanne hîc designatos non videntur alii intelligendi quàm hi duo patriarchæ.

Prob. 2° quia ita communiter sentiunt SS. Patres; atque inprimis S. Hieron., epist. 148, ad Marcellam, scribit : *De Henoch autem et Eliâ,* QUOS VENTUROS APOCALYPSIS REFERT, *et esse morituros, non est istius temporis disputatio.* Et S. Aug., l. 20, de Civ. Dei, c. 29, docet hanc esse communem Ecclesiæ sententiam. *Per hunc*, inquit, *Eliam magnum mirabilemque prophetam, expositâ sibi lege, ultimo tempore ante judicium, Judæos in Christum verum, id est, in Christum nostrum, creditu ros esse, celeberrimum est in sermonibus, cordibusque fidelium.* Item S. Gregor., lib. 9 Moral., cap. 4, exponens illud Job. 9 : *Et stellas claudit quasi sub signaculo*, ita scribit : *Hinc est quòd duo isti prædicatores eximii dilatâ morte subtracti sunt, ut ad prædicationis usum in fine revocentur. De quibus per Joannem dicitur : « Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes. » Quorum unum in Evangelio per semetipsum veritas pollicetur dicens : « Elias venturus est, et restituet omnia. »* Nec dubium est quin per alterum prædicatorem intelligat Henoch, siquidem nullum præter hos duos legimus dilatâ morte ex hoc mundo subtractum fuisse. Unde quòd alter sit Henoch, apertè asserit hom. 12, in Ezech., his verbis : *Sed quia Eliâ et Henoch prædicante multi ex his qui nunc ex Judæis in infidelitate remanserint, ad cognitionem veritatis redeunt, sicut de eodem Eliâ dicitur : « Elias veniet, et ipse restituet omnia; » qui utrique per Zachariam* DUÆ OLIVÆ, *et per Joannem* DUO CANDELABRA *nominantur, rectè hîc quoque subjungitur : « Cùm autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum. » Tunc enim velut in extremo, os prophetæ aperitur, cùm in prædicatione Henoch et Eliæ, Judæis ad fidem redeuntibus, prophetia sacri eloquii de Christo fuisse cognoscitur.* Denique S. Isidorus, lib. de Vitâ et Morte sanctorum qui Deo placuerunt, cap. 3, de Henoch dicit : *Manet hactenùs in corpore; in consummatione mundi restituet cum Eliâ mortalem vitæ conditionem;* et cap. 35 idem habet, apertèque de illis verba hujus cap Apocalyps. interpretatur, dicens : *Ita etiam ut bellum gerat Antichristus adversùs eum, vel qui cum eo venturus est, et occidet eos. Cadavera quoque eorum in plateis insepulta jacebunt. Dehinc suscitati à Domino, regnum Antichristi magnâ plagâ percutient.* Igitur ex his SS. Patrum testimoniis omninò manifestum est duos illos testes, de quibus S. Joannes hîc agit, esse Eliam et Henoch.

Prob. 3° quia illa, quæ de illis testibus narrantur, Eliæ et Henoch optimè conveniunt. Rectè enim dicuntur *duæ olivæ*, quia suæ prædicationis oleo multos munient, et confortabunt ad fortiter certandum pro fide, ac etiam sanabunt vulneratos. Item *duo candelabra*, quia multos illuminabunt, ne cadant in tenebras, aut etiam ut è tenebris exeant; et erunt *stantia*, hoc est, adeò firma ut nullo persecutionis impetu possint dejici. Insuper *ignis exiet de ore ipsorum*, quia prædicatio et omne verbum ipsorum ardebit, et efficax erit instar ignis, adeò ut etiam ex ipsorum imperio ignis verus de cœlo, quando volent, descensurus sit, ut devoret inimicos qui ipsis nocere tentabunt, uti olim ad imperium Eliæ factum legimus, 4 Reg. 1. Item quemadmodùm olim Elias cœlum clausit, quando neque pluvia, neque ros cecidit annis tribus cum dimidio, 3 Reg. 17, v. 1, et rursùs cœlum aperuit, quando postea ad preces ejus cecidit pluvia grandis, 3 Reg. 18, v. 45, ita ipse et Henoch similem potestatem habebunt tempore persecutionis Antichristi. Deinde, postquàm finierint prædicationem suam, occidentur ab Antichristo, qui hîc meritò appellatur *bestia ascendens de abysso*, eò quòd instar feræ bestiæ sævus et crudelis, de abysso infernali ascensurus sit. Quia enim spiritu diabolico et artibus magicis instructus erit, dicitur de abysso, tanquàm de scholâ quâdam infernali, ascendere ad homines in terrâ habitantes.

Solvuntur argumenta.

Obj. 1° : Joannes in suâ Apocalypsi haud dubiè non deflexit à modo et ordine quo historici gesta temporum describere solent; atqui tamen ab isto modo et ordine deflexisset, si per duos testes Henoch et Eliam designàsset; ergo, etc. Prob. min., quia in hoc supposito priùs descripsisset ea quæ eventura sunt circa finem mundi, quàm describeret illa quæ post sua tempora eventura erant sub Româ paganâ, siquidem hæc incipit describere seqq. capp., præsertim 13 usque ad 20, uti infra videbitur. Atqui hoc est deflectere à modo et ordine quo historici gesta temporum describere solent; ergo, etc. — Resp. : Neg. min. et maj. prob., nam, ut supra, cap. 6, dictum est, Joannes in reseratione quinque primorum sigillorum vidit et etiam descripsit ea quæ eventura erant primis Ecclesiæ temporibus, sed breviter tantùm et summatim : deinde in reseratione sigilli sexti et septimi, à v. 12,

cap. 6, usque ad finem cap. vidit, et descripsit etiam illa quæ eventura sunt circa finem mundi, ac consequenter debito modo et recto ordine perrexit. Verùm quæ summatim tantùm de persecutionibus Ecclesiæ tempore Romæ paganæ, in reseratione sigillorum viderat, et deinde descripserat, hæc latiùs postea in libro aperto vidit, et deinceps per partes ad longum descripsit, præsertim cap. 13 et seqq. usque ad 20. Hoc autem non est deflectere à modo et ordine quo historici gesta temporum describere solent, siquidem ab illo ordine nequaquàm deflecteret scriptor ille, qui primò historiam aliquam breviter et summatim enarraret, et ita usque ad finem perduceret; et deinde ea quæ tantùm breviter ac summatim enarrâsset, per partes ad longum describeret.

Inst.: Liber apertus Joanni exhibitus fuit cap. 10, et ipse omnia in eodem contenta intellexit, et benè intellecta firmiter memoriæ suæ infixit; atqui non videtur dubium quin ea quæ in libro aperto ipsi revelata fuerunt, statim describere perrexerit, siquidem in visionibus præcedentibus id semper fecit. Ergo illa quæ enarrat hoc cap. 11, sunt ipsi revelata in libro aperto; ac proinde in nostro supposito priùs descripsit ea quæ eventura sunt circa finem mundi, quàm quæ eventura erant sub Româ paganâ. — Resp.: Neg. min. et conseq., quia cùm S. Joannes, cap. 10, nondùm descripsisset omnia quæ ipsi revelata erant in apertione sigilli septimi, non poterat immediatè seu statim hoc cap. 11 describere ea quæ ipsi cap. 10 manifestata erant in libro aperto; sed debebat priùs absolvere illa quæ viderat in apertione sigilli septimi, seu quæ concernunt sonitum septem tubarum. Unde cùm angelus septimus nondùm tubâ cecinisset, sed tantùm hoc cap. 11, v. 15, canere incipiat, evidens est quòd ista quæ hoc cap. à Joanne describuntur, propriè non sint ea quæ vidit in libro aperto, sed quæ ipsi revelata sunt in reseratione sigilli septimi. Itaque priùs septem sigillis ab Agno, cap. 6 et 8, apertis atque explicatis plagis in illis contentis, usque ad cap. 11, per totum, cap. 12 et seqq., Joannes ad longum describit illa quæ in libro aperto continentur.

Ex jam dictis etiam facilè intelligitur quomodò nostræ sententiæ nequaquàm obsit quòd post memoratos duos testes in seqq. capp. referantur aliæ persecutiones, et tamen post Eliæ et Henoch adventum nulla ampliùs sit futura, quia persecutiones illæ non referuntur tanquàm contentæ aut visæ in apertione sigilli septimi, sed postmodùm in libro aperto; in quo cùm latiùs, ut supra diximus, S. Joan. istas persecutiones vidisset, ab eisdem in seqq. capp. prophetiam suam resumit, easque ad longum describere pergit.

Obj. 2°: Hic, v. 6, de præfatis testibus dicitur: *Potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem*; atqui similem potestatem olim non habuit Henoch, sed Moyses, Exod. 7, v. 20; ergo non ille, sed hic cum Eliâ veniet in fine mundi ad convertendos Judæos. Aut etiam forsitan unus istorum testium erit Jeremias: nam id et ipsum verbum, quod factum est ad illum, ipsi testificari videtur, dicens cap. 1, v. 5: *Antequàm exires de vulvâ, sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te*; in gentibus autem propheta olim non fuit; ergo videtur talis futurus circa finem mundi. — Resp.: Neg. conseq.; nam Moysen esse mortuum et sepultum certum est ex cap. 34, lib. Deuter.; Jeremiam autem esse defunctum liquet ex Epist. ad Heb. cap. 11, ubi de antiqui Testamenti sanctis dicit Apostolus: *Lapidati sunt*; quibus verbis vero similiter designat Jeremiam, qui à sceleratis Judæis in Ægyptum abductus est, et ibidem lapidatus fuit; ut habet communis traditio. Unde et in Martyrologio Romano, die 1 maii, ita legitur: *In Ægypto S. Jeremiæ prophetæ, qui à populo lapidibus obrutus, apud Thapnas occubuit, ibique sepultus est.* Cùm igitur hi mortui sint, certò non venient circa finem mundi ad convertendos Judæos.

Itaque ad verba ex hoc cap. Apocalyps. objecta dico quòd, cùm non unus tantùm, sed duo dicantur habituri potestatem convertendi aquas in sanguinem, ex eisdem nequaquàm concludi possit Moysen futurum socium Eliæ, uti putat Maldonatus in cap 17 Matth.; nam Elias non legitur olim habuisse potestatem vertendi aquas in sanguinem, quam tamen habebit in fine seculi. Hoc ergo unicè insinuat S. Joannes, quòd illi duo testes habituri sint potestatem similem potestati quam olim habuit Moyses, et contra magos Ægypti exercuit. Sicut enim Antichristus artibus et miraculis magicis ad perversionem fidelium utetur, veluti magi Ægypti olim faciebant, ita meritò duobus suis testibus similem potestatem et talia arma dabit Deus, ut cum Antichristo pugnent, qualia et Moyses olim habuit, ut magos vinceret. Ad id verò quod ex cap. 1 Jerem. objectum est, respondeo quòd Jeremias non quidem verbo, sed tamen scripto prophetaverit in gentibus, id est, de gentibus aut super gentes, ut ipsemet loco citato v. 10 satis se explicat; prophetavit enim Ægiptiorum, Chaldæorum, aliarumque gentium eversionèm, Jer. 25, v. 13, et alibi.

Obj. 3°: Juxta nostram expositionem, omnia ferè quæ de istis testibus hìc dicuntur, sunt intelligenda in sensu proprio et naturali, prout verba sonant; atqui tamen ita intelligenda non videntur; ergo, etc.

Prob. min., quia si ita intelligantur, sequitur quòd Elias et Henoch sint à mortuis resurrecturi, et cum corporibus suis in cœlum empyreum ascensuri ante generalem resurrectionem; atqui hoc est contra Apostolum ad Heb. 11, v. 39, ubi de sanctis veteris Testamenti dicit: *Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur*, id est, ut non ante nos justos novi Testamenti perfectam et consummatam beatitudinem, corporis nimirùm et animæ, acciperent. — Resp.: Neg. min.; nam tempus quod à morte Henoch et Eliæ usque ad generalem resurrectionem elabetur, erit admodùm breve; siquidem Ecclesia catholica verbi Dei auctoritate et SS. Patrum traditione nixa, docet quòd Antichristus, qui dictos prophetas occidet, circa extrema mundi tempora sit regnaturus; ac proinde quòd post mortem

Eliæ et Henoch, ac interitum Antichristi, generalis resurrectio non longè sit abfutura. Adeòque duo præfati veteris Testamenti sancti, *moraliter loquendo*, non accipient consummatam beatitudinem ante justos novi Testamenti; ac consequenter nostra expositio non est contra doctrinam Apostoli ad Heb. 11.

QUÆSTIO III.

Quid reveletur ad sonitum tubæ septimæ.

Vers. 15: *Et septimus angelus tubâ cecinit*, annuntians jam adesse illud tertium et ultimum mundi *Væ*, de quo v. præc.; nam tria mundi *Væ* tubis *trium ultimorum* angelorum, nempe quinti, sexti et septimi, annuntiantur. Porrò quænam plagæ aut calamitates per istud tertium *Væ* perituro mundo infligendæ designentur, non satis ex textu liquet. Fromondus putat designari ultimas mundi ruentis calamitates, sub Antichristo et judicio universali. Etenim ipse opinatur quòd secundum *Væ* abierit, non postquàm Elias et Henoch ascenderunt in cœlum (*quod* ex ordine narrationis hujus cap. videri posset), sed ante eorum mortem. Cùm enim S. Joannes dixisset, v. 3, duos testes in subsidium fidelium contra Antichristum mittendos, eorum postea historiam per anticipationem continuavit usque ad tempus mortis et ascensionis eorum in cœlos; quod non sub secundo *Væ*, sed sub tertio et ultimo eveniet.

Verùm, hoc non obstante, dici etiam posse videtur quòd per memoratum tertium *Væ* designentur plagæ et calamitates quas post mortem supradictorum testium Deus Antichristo ejusque asseclis immittet; siquidem non diù post illorum martyrium interficietur Antichristus cum sibi adhærentibus impiis. Quocirca Eliâ et Henoch ascendentibus in cœlum, eorumque hostibus confusis, *in diebus vocis septimi angeli, cùm cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei* (ut dicitur cap. præc., v. 7); hoc est, consummari et compleri incipient res illæ arcanæ et absconditæ, quibus Deus ab æterno constituit hoc seculum finire. Et tunc 24 seniores omnesque beati collaudabunt Deum, quòd regnum peccati et impiorum jam finire et evertere incipiat. Unde hoc cap., v. 15, in textu sequitur: *Et factæ sunt voces magnæ de cœlo dicentes: Factum est regnum hujus mundi, Domini nostri et Christi ejus;* id est, regnum diaboli et impiorum, quo dominabantur et vexabant pios in hoc mundo, jam fiet sub tempore extremo hujus septimæ tubæ *Domini nostri*, seu Dei Patris, et *Christi* Filii *ejus*, qui sanguine suo meruit ut regnum illud ei conferretur. Propter quod etiam meritum dicitur illud regnum Deo Patri suo tradere, quantùm ad electos ex omni parte mundi salvandos. Tunc enim erit *finis, cùm* ipse *tradiderit regnum Deo et Patri, cùm evacuaverit omnem principatum et potestatem*, 1 ad Cor. 15, v. 24; et tunc non tantùm angeli, sed et homines sancti agent Deo gratias, quòd hujus mundi regnum tandem aliquando devenerit ad Dominum Deum, et ejus Christum; quòd ipsorum sanguis jam tandem sit vindicandus, et ipsi accepturi secundam beatitudinis stolam, et omnis iniquitas sit extinguenda.

Vers. 16: *Et vingiti quatuor*, etc.; hoc est, primarii sancti agent Deo gratias, quòd tandem aliquando ponat se in plenâ possessione sui regni, quòd omnibus sanctis sit redditurus promissa præmia, ac omnes scelerates homines exterminaturus; et adjungit de his hominibus v. 18: *Qui corruperant terram*, nempe per idololatriam, veneficia, homicidia, fornicationes et furta, de quibus, juxta cap. 9, v. 21, noluerunt agere pœnitentiam. Insuper prædictis adjungent quod hìc habetur præcit. v. 18: *Et iratæ sunt gentes, et advenit ira tua;* nempe homines scelerati indignabuntur, quia instat tempus iræ divinæ, quâ impios à terrenis suis voluptatibus avulsos æternis cruciatibus addicet. Unde copulativa *et*, sicut sæpè solet apud Hebræos, videtur hìc accipi pro causali *quia;* reddit enim rationem quare iratæ sunt gentes.

Vers. 19: *Et apertum est templum Dei in cœlo, et visa est arca testamenti.* Per templum, quod est in cœlo *intelligitur Deus ipse et Agnus*, ut patet *infra*, ex cap. 21, v. 22. Porrò templum hoc apertum est, cùm Joanni per quamdam sublimissimam et secretissimam cognitionem demonstratum est quanta futura sint gaudia beatorum. Et ut demonstret hanc cognitionem fuisse omninò arcanam, dicit visam esse arcam testamenti in templo ejus; hoc est, revelata fuisse sibi magna et recondita mysteria; nam, sicut arca testamenti post velum Sancti sanctorum latebat, et à nemine videbatur, nisi à summo sacerdote, quando locum illum templi secretissimum ingrediebatur, ita visione quâdam secretissimâ visæ sunt à Joanne res magnæ, et velo fidei aliis absconditæ.

Cæterùm, per arcam hanc testamenti plerique veteres intelligunt Christum, quia sicut manna inclusum erat arcæ in auro mundo, ita divinitas Christi in corpore sancto, ait Beda. Erat enim arca fabricata ex ligno setim imputribili, et laminis aureis interiùs exteriùsque obducta, cum operculo sive propitiatorio ex auro purissimo. Quæ omnia optimè congruunt humanitati Christi, quæ sapientiæ et charitatis aureo fulgore interiùs exteriùsque refulget.

Et facta sunt fulgura, et voces, et terræ motus, et grando magna. Quemadmodùm templum Dei apertum est, ut ostenderetur beatitudo sanctorum, ita etiam facta sunt fulgura, etc., ut *indicaretur magnitudo* pœnarum quæ impios manebant; quandoquidem retributio bonorum, et punitio malorum pertineant ad tubam septimi angeli. Ac proinde voces non quaslibet, sed terribiles, et irâ minisque plenas intelligere debemus.

CAPUT XII.

Ostenditur S. Joanni mulier stellis coronata, amicta sole, et lunam sub pedibus habens; quæ parit filium masculum, quem draco rapere et devorare molitur; sed ille rapitur ad Deum. Persequitur draco mulierem fugientem in desertum locum, quam cùm apprehendere non posset, reliquis, qui de semine ejus erant, magnum bellum movet.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid significetur per mulierem, et quid per draconem.

Vers. 1: *Et signum magnum apparuit in cœlo: Mu-*

lier amicta sole, et luna sub pedibus ejus. Hunc locum aliqui intelligunt de gloriosâ virgine Mariâ, et ipsum in divinis officiis ac SS. imaginibus Ecclesia illi applicat, nempe in sensu accommodatitio : nam quòd in sensu litterali hìc non significetur B. Virgo, inter alia satis liquet ex illis verbis v. 2 : *Cruciabatur ut pariat;* etenim hæc ei convenire non possunt, quia ipsa parturiens non clamavit, nec fuit cruciata ut pareret.

Itaque in sensu litterali, ex omnium ferè interpretum sententiâ, per mulierem illam significatur Ecclesia Christi, quæ lumine sui sponsi, qui sapientiæ et justitiæ sol est, in baptismate induitur. Sicut enim vestis corpus tegit, protegit et ornat, ita Christus per gratiæ suæ lumen tegit maculas, et peccata præterita Ecclesiæ suæ, protegit eam à futuris, ornat virtutibus. Habet lunam sub pedibus, quia gloriam temporalem, et omnia inferiora mundi mutabilia, affectibus suis calcat, ac infra se despicit. Pulchrè hæc omnia exponit S. Gregor., lib. 34 Moral., cap. 12, ubi ait : *In sole illustratio veritatis, in lunâ, quæ menstruis suppletionibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur. Sancta autem Ecclesia, quia superni luminis splendore protegitur, quasi sole vestitur ; quia verò cuncta temporalia despicit, lunam sub pedibus premit.* Porrò ista S. Joannes præsertim prophetavit de Ecclesiæ statu, quem post ipsius mortem erat habitura tempore tyrannorum, eam persequentium. Unde insinuavit quòd divina veritas tunc ipsam sit ita illustratura, ut ab omnibus videatur et noscatur; divina gratia ita roboratura, ut omnes hujus mundi prosperitates, et omnes tyrannorum persecutiones sit contemptura, et calcatura pedibus.

Et in capite ejus corona stellarum duodecim. Plurimi per has duodecim stellas intelligunt duodecim apostolos, eò quòd ipsorum pura doctrina, uti splendida corona, tempore persecutionum sit Ecclesiam ornatura : hoc est, quòd ipsa sit firmiter retentura ac prædicatura eamdem doctrinam, quam apostoli tradiderunt et prædicaverunt. Interim alii intelligunt præcipuos istorum temporum episcopos, ac doctores, qui tunc doctrinâ, sanctimoniâ, et constantiâ fulgebunt sicut stellæ; et ideò Ecclesiam in capite ornabunt. Et secundùm hanc expositionem numerus duodenarius hìc accipitur pro universitate.

Vers. 2 : *Et in utero habens, clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat.* Id est, Ecclesia tempore persecutionum concipiet, et habebit in utero; quia non desinet docere, prædicare, et omni conatu quærere conceptum novorum filiorum. Verùm parturiens clamabit, et cruciabitur ut pariat, seu pariet cum summis doloribus : quia nimirùm tunc non solùm tyranni per crudelitates suas, sed plurimi pravi doctores grassabuntur per falsa dogmata, atque ita avertent homines ne fiant christiani catholici.

Vers. 3 : *Et visum est aliud signum in cœlo*, utique in cœlo aereo, juxta mulierem ipsam amictam sole. *Et ecce draco magnus, rufus.* Per hunc omnes interpre- intelligunt diabolum (puta Luciferum, dæmonum princìpem, ut patet ex v. 7, ubi opponitur Michaeli); qui dicitur *draco* propter venenum quo occidit animas; *magnus*, propter vires quas tempore persecutionum à divinâ justitiâ permittitur exercere; *rufus*, seu ruber, propter crudelitatem, et plurimum sanguinem quem per suos ministros infideles effundit. *Habens capita septem, et cornua decem.* Per ista septem capita non incongruè intelliguntur septem dæmones : nam quemadmodùm Deus, supra, cap. 8, v. 2, dicitur adhibere septem primarios angelos, qui ipsius justitiæ inservient ad punitionem malorum, ita et Lucifer, dæmonum princeps, juxta hoc cap., videtur adhibere septem primarios diabolos ut sibi inserviant ad excitandas crudelissimas persecutiones contra Christi fideles. Unde illi appropriari possunt verba Lucæ 11, v. 26 : *Vadit, et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se.* Per decem cornua possunt intelligi decem principales persecutionis auctores, quos diabolus ad opprimendam, imò ad penitùs destruendam Christi Ecclesiam excitabat. Interim Beda dicit quòd diabolus in decem cornibus omne regnum impium comprehendat, conformiter ad S. Aug., lib. 20 de Civ. Dei, cap. 23 : *Quid enim*, inquit, *si numero isto denario universitas regum significata est, sicut millenario, centenario, septenario significatur plerumque universitas?*

Vers. 4 : *Et cauda ejus*, id est, extrema pars draconis, seu extremum tempus quo diabolus per tyrannos conatur nocere Ecclesiæ, *trahebat tertiam partem stellarum cœli*, hoc est, notabilem partem fidelium Ecclesiæ, doctrinâ et pietate illustrium, voluminibus caudæ implicitam detrahebat : nam *tertiam partem* non sumi hìc mathematicè et præcisè, facilè colligi potest supra ex cap. 8, v. 8, 9 et seqq., ubi *tertia pars* pro parte magnâ et notabili, licèt non sit præcisè tertia, accipitur; pars enim tertia alicujus totius, est pars ejus satis magna et notabilis. *Et misit eas in terram;* è cœlestis vitæ sublimitate in terrenarum rerum, puta voluptatum, divitiarum et honorum, amorem dejecit. Unde præsentem Apocalypsis locum rursùs pulchrè exponit S. Gregor., lib. 4 Moral., cap. 14 : « Draconis caudâ stellarum pars trahitur, quia extremâ persuasione Antichristi quidam, qui videntur lucere, rapientur. Stellas namque in terram trahere, est eos qui videntur vitæ cœlestis studio inhærere, ex amore terreno iniquitate aperti erroris involvere. » Et lib. 32 Moral., cap. 12, denuò ita scribit : « Cœlum est Ecclesia, quæ in hâc nocte vitæ præsentis, dùm in se innumeras sanctorum virtutes continet, quasi radiantibus desuper sideribus fulget; sed draconis cauda in terram stellas dejicit, quia illa Satanæ extremitas per audaciam assumpti hominis erecta, quosdam, quos velut electos Dei, in Ecclesiâ invenit, obtinendo reprobos ostendit. Stellas itaque de cœlo in terram cadere, est relictâ nonnullos spe cœlestium, illo duce ad ambitum gloriæ secularis inhiare. » Ubi Antichristum hominem à Satanâ assumptum vocat, quia ipsum totum sic Satanas possidebit, ut sit futurus velut anima draconis, et Antichristus velut corpus ejus. Interim in caudâ istâ draconis Richardus adulationem et

fraudem potiùs quàm vim significari putat : nam quos per apertam, inquit, sævitiam non valebit, per occultam fraudulentiam, quæ figuratur in caudâ, seducet.

Et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura ; hoc est, à diabolo instigati tyranni promulgabunt crudelissima edicta, ne quis Christianum faciat aut fiat ; et erunt edicta capitalia. Hinc enim sequitur : *Ut cùm peperisset, filium ejus devoraret.*

Vers. 5 : *Et peperit filium masculum ;* id est, feralia illa edicta contemnet mater Ecclesia, perget prædicare, et facere novos Christianos ; et omninò inveniet quos faciat ; verùm masculos, hoc est, constantes et generosos. Etenim qui tali tempore Christianus fit, omninò indiget virili fortitudine. Unde filius iste Ecclesiæ non est homo aliquis singularis, sed populus integer, seu generosus iste fidelium cœtus, quem ipsa fidei aggregavit. Sicut enim Ecclesia, quæ est multorum fidelium congregatio, sub imagine feminæ singularis repræsentatur, ita etiam partus ejus, quamvis populus integer sit, filius in singulari numero appellatur.

Vers. 6 : *Et mulier fugit in solitudinem.* Ecclesia in membris suis infirmioribus, ubi vidit aliquos ex masculis et robustis suis filiis per martyrium raptos ad Deum, exterrita fugit in loca deserta ; uti et olim sub regis Antiochi persecutione fecerunt Judæi, 1 Machab. 2, v. 31 : *Ubi habebat locum paratum à Deo*, ubi divina providentia disposuerat et præparaverat ei locum in quo se salvare posset. *Ut ibi pascant eam*, ut doctores et pastores, qui plebem suam in istâ fugâ comitabuntur, eam pane spirituali verbi Dei pascant, et etiam panis corporalis curam gerant, ne fame in solitudine pereat.

Vers. 7 : *Et factum est prælium magnum in cœlo*, utique aereo, ubi ante, v. 3, Joannes se draconem vidisse dicit. Nonnulli hæc intelligunt de prælio facto in exordio mundi, dùm Luciferum et alios cum ipso lapsos angelos S. Michael ejecit è cœlo. Et reverà tunc factum est tale prælium. Attamen S. Joannes hic describit omninò aliud prælium, quod *in cœlo*, id est, in Ecclesiâ militante, Lucifer cum angelis suis apostatis contra Christi fideles movebit. Tunc enim Michael (qui jam præsidet Ecclesiæ, sicut olim præsidebat Synagogæ) cum angelis suis contra ipsum præliabitur, Christi fideles adjuvando, confortando ac animando contra gravissimas tentationes et persecutiones dæmonum.

Vers. 8 : *Et non valuerunt*, hoc est in isto prælio non prævaluerunt draco et milites ejus adversùs Michaelem et angelos ejus.

Vers. 9 : *Et projectus est draco ille magnus... in terram.* Victus à Michaele, è cœlo aereo in terram dejectus fuisse à S. Joanne visus est, ut significaretur quòd à sanctis et electis Dei, quos in cœlo aereo, tanquàm terrâ sublimiores, oppugnabat, sit abactus, et ad terrenos homines, quos possidet, redactus, ut serpens terram suam ibi comedat, Gen. 3, v 14, et pascatur terrenis eorum affectibus.

Vers. 15 : *Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquàm flumen.* Per aquam intelligitur persecutio quæ erit instar fluminis, quia rapidissima ad obruendum, et simul crudelissima. Unde etiam sæpè in sacris Litteris flumina, torrentes et fluctus aquarum vim persecutionum et inundantiam malorum significant ; puta Isaiæ 18, v. 2 : *Ite... ad gentem... conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram ejus ;* et psal. 123 : *Torrentem pertransivit anima nostra*, etc. ; item psal. 87 : *Omnes fluctus tuos induxisti super me.* Hanc verò persecutionem, seu crudelissimam fidelium afflictionem dicitur serpens, sive diabolus, misisse ex ore suo, quatenùs ex malâ suasione, imò et quodammodò ex imperio suo tyrannos ad affligendam Ecclesiam incitavit.

QUÆSTIO II.

De quibus Ecclesiæ persecutionibus S. Joannes hoc cap. agat.

Resp. et dico 1° : Varii existimant quòd S. Joannes hìc describat persecutiones quas in fine mundi contra Ecclesiam excitabit Antichristus ; et hujus opinionis est etiam S. Gregorius, ut ex ejus verbis quæst. præc. citatis satis liquet. Et reverà tunc Ecclesia parturiens clamabit, et cruciabitur ut pariat, seu cum magnâ difficultate et molestiâ filios suos Christo pariet, pugnando et contendendo cum Antichristo ac ejus ministris, qui tam verbo quàm armis et falsis miraculis, et omni conatu impedient ne quis ad baptismi regenerationem aut Christi fidem adducatur. Item tunc doctores et pastores cum plurimis Christi fidelibus fugient in loca deserta, ac fiet prælium magnum in cœlo inter Michaelem et draconem, etc. Interim, hoc non obstante,

Resp. et dico 2° : Si omnia attentè considerentur quæ hoc cap. narrantur, S. Joannes propriè non videtur hìc describere persecutiones Antichristi, sed persecutiones quas post sua tempora contra Ecclesiam excitatura erat Roma pagana, seu imperatores ethnici.

Prob. 1° quia mulier, seu Ecclesia, dicitur hìc bis per tres annos cum dimidio fugisse in solitudinem : nempe semel antequàm à S. Michaele victus esset draco, uti patet ex v. 6, et deinde post istam S. Michaelis de dracone reportatam victoriam, ut liquet ex v. 13 et 14 ; atqui tempore Antichristi tantùm semel per tres annos cum dimidio in solitudinem fugiet ; nam tot annis duntaxat Antichristus tyrannidem suam contra Ecclesiam exercebit, ut monstratum est supra, cap. 11, quæst. 1, ad v. 2. Ergo S. Joannes non videtur hìc propriè agere de persecutionibus Antichristi, sed de persecutionibus imperatorum ethnicorum.

Prob. 2° : Draco seu diabolus legitur hìc ter, idque per interruptas vices, excitâsse persecutionem contra Ecclesiam, nempe semel dùm traxit tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram, v. 4, deinde postquàm vidit quòd ipsemet projectus esset in terram, v. 13, et rursùs v. 17 ; atqui tempore Anti-

christi non bis per interruptas vices persecutionem excitabit, sed tantùm semel; siquidem toto tempore quo Antichristus imperabit, diabolus solutus erit, et gentes seducet, ut patet infra, ex cap. 20, v. 7; ergo, etc.

Itaque hæc, quæ hîc à S. Joanne describuntur, intelligendo de persecutionibus quas diabolus per imperatores ethnicos excitavit, exponuntur hoc modo : Mulier seu Ecclesia tempore Romæ paganæ *cruciabatur ut pariat*, dùm in gravissimis Romanorum imperatorum persecutionibus martyrum sanguine, qui est martyriorum semen, fœcunda plurimos in summo dolore filios Christo peperit. Cauda draconis tunc traxit tertiam partem stellarum, quia multi Christiani, qui videbantur lucere, et vitæ cœlestis studio inhærere, persecutionum acerbitate pertæsi à fide apostatârunt, et ex amore terreno iniquitate aperti erroris involuti fuerunt. Hinc S. Pionius, tempore persecutionis Decii, videns Eudemonem episcopum lapsum, et aliorum præclarorum Christianorum ruinæ ministrum, apud Baronium, tom. 2, anno 254, n. 15, exclamat : *Novo afficior supplicii genere, membratim conscindor, dùm video margaritas Ecclesiæ à porcis conculcari, et cœli stellas à caudâ draconis in terram detrahi.*

Interim, non obstante persecutionum acerbitate, mulier *peperit filium masculum*, seu generosum fidelium cœtum, et in tormentis pro Christi nomine perferendis constantem. *Qui recturus erat omnes gentes in virgâ ferreâ*, hoc est, qui severissimè reget et conteret (uti habet Hebraica lectio psal. 2, unde verba desumpta sunt) omnes reproborum nationes. Unde, licèt ista psal. 2 dicta sint de Christo, tamen in Apocalypsi etiam referuntur ad principalia ejus membra : nam et supra, cap. 2, v. 26, ipsemet Christus ad episcopum Thyatiræ ait : *Qui vicerit et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget eas in virgâ ferreâ, et tanquàm vas figuli confringentur.* Hoc autem fiet in extremo judicio, in quo qui pro Christo Domino reliquerunt omnia, cum ipso sedebunt super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel, id est, totum mundum, etiam ipsum draconem, et ejus angelos, ut 1 Cor. 6 asserit S. Paulus. Eos non solùm judicabunt, sed etiam regent in ferreâ sempiternæ damnationis virgâ, et tanquàm inutilia vasa confringent in gehennas. Quam gloriam Christus Dominus præsertim dabit illis qui tempore persecutionum in fide constantes permanserunt, et diabolum ac mundum cum concupiscentiâ ejus vicerunt.

Cæterùm, non tantùm de judicio universali, sed etiam de illo quod modò in impios et sceleratos exercet Christus Dominus, et cum ipso sancti ejus, videntur præfata verba intelligi posse; et ita eadem intellexit S. Dionysius Alexandrinus apud Eusebium, lib. 6 Histor. ecclesiast., cap. 35, ubi de illis qui tempore Decii martyrium subierant, hæc habet : *Illi igitur divini martyres... jam Christi tanquàm assessores sunt, et regni ejus consortes, participes judicii, et illius in hominibus judicandis sententiam approbantes ferunt.*

Prælium autem magnum in cœlo, seu in Ecclesiâ militante, inter draconem et S. Michaelem, et hujus de illo insignis victoria videntur contigisse tempore Galerii Maximiani, primi persecutionis auctoris. Etenim, ut testatur Eusebius, lib. 1 de Vitâ Constantini, cap. 50, « ille simul atque Ecclesias expugnare cœpit, priusquàm animum suum justorum et piorum hominum cruore inquinavit, ultio divinitùs illata in eum invasit; et ex ipsâ carne exorsa pervasit ad animum. Ex improviso enim in illis corporis partibus, quas natura contexit, nascitur apostema; deinde in interioribus corporis recessibus ulcus purulentum et fistulosum; atque horum intolerabilis morsus intima depascebatur viscera, quæ quidem infinitâ vermium multitudine redundârunt; unde fœtor lethalis et pestifer efflatur, quandoquidem universa corporis moles, ex nimiâ ejus antequàm incidit in morbum, helluatione et ingluvie, in immensam pinguedinem erat commutata; quæ tunc putredine contabefacta, intolerabile et plenum horroris spectaculum (ut fertur) propiùs accedentibus exhibuit. Atque demùm tot ac tantis malis colluctans, conscientiâ scelerum, quæ contra Ecclesiam admisisset, perculsus, deinceps Deo suam culpam confiteri, à persecutione contra Christianos inchoatâ desistere, legibusque et edictis imperatoriis Ecclesias illorum exædificare maturat; consuetas preces, quæ pro ipso ante fieri solent, eos jam etiam obire mandat. » Ex quibus verbis liquet quòd Ecclesia, dùm eam expugnabat, et quodammodò evertere conabatur Galerius Maximianus, insignem de dracone seu diabolo victoriam reportârit, ob quam, ait S. Joannes, v. 10 : *Audivi vocem magnam de cœlo dicentem : Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri*, etc.

Attamen, v. 12 : *Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet.* Videns enim quòd plurimi infideles ad fidem converterentur, et quòd Constantinus, Ecclesiæ maximè favorabilis, præ aliis imperatoribus ad universalem imperii dignitatem in dies magis magisque ascenderet, facilè judicabat ruinam totalem Romæ paganæ instare. Unde, v. 13, *persecutus est mulierem, quæ peperit masculum*; nam excitavit Maximinum, qui in Oriente, ut refert Eusebius, lib. cit. cap. 51, « novorum contra Christianos suppliciorum inventione sese insolenter extulit. Nam neque ignis, ferrum, neque clavi impacti, neque agrestes belluæ, aut maris vortices illi satisfacere potuerunt; sed præter hæc omnia, peregrinum quoddam supplicii genus excogitare studuit; legemque tulit, ut sensus illi quibus lumen percipimus, prorsùs labefactarentur. » Quia igitur Maximinus persecutionem majori crudelitate innovaverat, mulier seu Ecclesia rursùs, ut fecerat v. 6, coacta fuit fugere in desertum locum. Et tunc, v. 15, *misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquàm flumen.* Sed, v. 16, *adjuvit terra mulierem* : nimirùm principes terræ arma pro Ecclesiæ

defensione assumunt, Constantinus et Licinius persecutionem Maximini sistunt, ipse Maximinus cæditur, et visibiliter Dei manum sentiens, *legibus et edictis*, ut habet Eusebius, cap. 52, *evidenter suum errorem de diis quos sibi colendos delegisset, aperire cœpit; solumque Deum Christianorum verum esse ipsâ experientiâ se comperisse testatus est.* Hæc tamen pœnitentia non minùs falsa fuit quam Galerii Maximiani, ut testatur Eusebius, lib. 9 Hist. eccles., cap. ult., item Lactantius, de Morte persecut., cap. 45, 46 et 49.

Interim, v. 17 : *Iratus est draco in mulierem, et*, tertiò vires ac furorem resumens, *abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus.* Hic repræsentatur persecutio quam diabolus ope Licinii ultimò instaurat; sed hæc brevi per Constantinum fuit extincta, uti patet ex Eusebio, lib. 10, cap. 8, et lib. 2 de Vitâ Constantini, cap. 1 et seqq.

Dices : Mulier seu Ecclesia hìc, v. 6 et 14, dicitur fugisse in desertum per tres annos cum dimidio; atqui hoc non fecit tempore persecutionum, de quibus statim egimus; ergo S. Joannes non videtur hìc agere de persecutionibus quas contra Ecclesiam excitârunt præfati imperatores ethnici, sed de persecutione Antichristi; hæc enim tribus annis cum dimidio durabit.

Prob. min., quia, ut habet Bossuet, primum tempus persecutionis incœpit anno 303, et duravit usque ad annum 311, quo Galerius Maximianus supra memoratum favorabile edictum in favorem Christianorum edidit; secundum tempus incœpit anno 312, et finitum fuit 313; tertium verò incœpit anno 319, et finitum fuit 323; adeòque hoc duravit quatuor annis. — Resp. : Neg. conseq., quia numerus ille trium annorum cum dimidio hìc non debet sumi mathematicè et præcisè : siquidem videtur esse numerus mysticus, qui significat tempus imperfectum seu incompletum : nam quemadmodùm numerus septenarius sæpè in Scripturâ adhiberi solet ad significandum tempus perfectum et completum, uti quæst. præc. in expos. v. 3 ex S. Aug. vidimus, ita numerus ternarius cum uno dimidio, qui est medietas septenarii, adhiberi videtur ad significandum tempus imperfectum et incompletum. Itaque numerus ille trium annorum cum dimidio hìc à S. Joanne eo fine adhiberi videtur, ut insinuetur quòd tempus persecutionis, à tyrannis præfixum, nunquàm completum fuerit, seu nunquàm ad terminum illum pervenerit, quem sibi præfixerant persecutores. Etenim hi proposuerant tamdiù fideles persequi, donec illos penitùs delerent et extirparent; sed id nunquàm efficere potuerunt; nec Deus unquàm permisit ut tempus persecutionis nimis diù protraheretur; sed è contra effecit ut eo præcisè tempore quo furor gentilium potestatum maximè sæviebat, tyranni à persecutionibus desistere coacti fuerint, et infeliciter perierint, ut ex supra citatis Eusebii verbis satis liquet. Et hinc dùm infideles objiciebant quòd Deus Christianos in hostium potestate relinqueret, nomine totius Ecclesiæ, lib. 3 contra Celsum, respondebat Origenes quòd de tempore in tempus eis respirandi otium concedere, non esset illos deserere, sed potiùs suam eis protectionem sensibiliter demonstrare, quòdque eorum persecutores tali modo reprimendo, satis videretur nolle Deum ut radicem sanctorum possent exterminare, nec ut eorum hostes, aut ipsi etiam principes ultra certam mensuram aut tempus possent eos affligere.

Confirmatur solutio data etiam ex eo quòd numerus duodenarius, ut dictum est cap. 4, quæst. 1, et numerus ternarius, ut vidimus quæst. præc., non capiantur mathematicè, sed mysticè; ergo nec numerus trium annorum cum dimidio hìc sumi debet mathematicè, sed optimo sensu sumi potest mysticè.

CAPUT XIII.

Joannes videt bestiam monstrosissimam ascendentem de mari, cui draco dat totam virtutem suam, et quæ propter mira quæ facit, ab innumerâ hominum multitudine adoratur, et ejus causâ adoratur draco. Hæc imperium in omnes nationes habet, ac blasphemias loquitur, et adversùs sanctos pugnat. Deinde videt aliam bestiam ascendentem de terrâ, quæ habet duo cornua similia cornibus Agni. Hæc bestia ignem de cœlo descendere, et prodigia magna facit. Numerus autem nominis bestiæ prioris et principalis est sexcenti sexaginta sex.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid intelligatur per bestiam quam Joannes vidit ascendentem de mari.

Postquàm S. Joannes cap. præc. descripsisset persecutiones contra Ecclesiam in generali, et prout se tenent ex parte dæmonis easdem excitantis, hoc cap. illas magis in particulari prosequitur et describit, prout se tenent ex parte tyrannorum Ecclesiam persequentium. Itaque v. 1 dicit : *Et vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, et cornua decem.* Isti qui hanc visionem explicant de fine mundi, dicunt quòd bestia illa sit Antichristus; capita septem, juxta ipsos, sunt septem reges ei famulantes; et cornua decem, decem reges. *Super capita ejus nomina blasphemiæ*, quia omnes unà cum Antichristo conspirabunt, ut Deus blasphemetur. Attamen

Resp. et dico : Per jam memoratam bestiam non videtur posse intelligi Antichristus, sed potiùs intelligi videtur Romanum imperium paganum, seu ipsa Roma pagana.

Prob. 1° ex cap. 20, ubi S. Joannes agens de animabus sanctorum, qui noluerunt adorare bestiam, sed effusione sanguinis, vel vitæ sanctitate testimonium dederunt pro Christi nomine, v. 4 ait : *Et vidi... animas decollatorum propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei, et qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus aut in manibus suis, et vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis;* atqui animæ sanctorum, qui tempore Antichristi testimonium dabunt pro nomine Jesu, non potuerunt cum Christo regnare mille annis; ergo per bestiam de quâ in Apocalypsi non potest intelligi Antichristus.

Prob. min., quia S. P. Aug., lib. 20 de Civ. Dei,

cap. 7, et omnes communiter post ipsum per jam præmemoratos mille annos intelligunt illud omne temporis intervallum quod à morte Christi ad ipsum usque Antichristi adventum defluet. « Mille annos, inquit S. doctor, pro annis omnibus hujus seculi posuit, ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo. Millenarius enim numerus denarii numeri quadratum solidum reddit. Decem quippe decies ducta, fiunt centum, quæ jam figura quadrata, sed plana est. Ut autem in altitudinem surgat, et solida fiat, rursùs centum decies multiplicantur, et mille fiunt; porrò si centum ipsa aliquo modo pro universitate aliquando ponuntur, quale est illud quod Dominus omnia sua dimittenti et eum sequenti promisit, dicens : *Accipiet in hoc seculo centuplum*...., quantò magis mille pro universitate ponuntur, ubi est soliditas ipsius denariæ quadraturæ? » Quòd autem Scriptura longum temporis spatium numero millenario designet, probat S. doctor ex psal. 104, v. 8, ubi dicitur : *Memor fuit in seculum testamenti sui; verbi quod mandavit in mille generationes.* Jam verò cùm manifestum sit quòd animæ sanctorum qui tempore Antichristi pro nomine Jesu testimonium dabunt, non possint cum Christo regnare illo temporis intervallo, quod ab initio Ecclesiæ usque ad Antichristi adventum defluet, pariter evidens est quòd non possint cum ipso regnare mille annis, ac proinde per bestiam non potest intelligi Antichristus. Verùm cùm animæ sanctorum illorum qui tempore Romæ paganæ pro nomine Jesu testimonium dederunt, toto illo intervallo temporis, quod ab initio Ecclesiæ usque ad Antichristi adventum defluet, in cœlo cum Christo regnent, rectè dicuntur in Apocalypsi cum ipso regnâsse mille annis, adeòque per bestiam rectè intelligitur Roma pagana. Plura de præfato regno mille annorum infra suo loco dicemus.

Prob. 2° : Persecutio quam contra Ecclesiam hoc cap. narratur excitâsse bestia, est omninò diversa ab illâ quam in fine mundi excitabit Antichristus; ergo evidens videtur quòd per bestiam non possit intelligi Antichristus, ac consequenter intelligi debeat Roma pagana : etenim quòd per bestiam vel Antichristus, vel Roma pagana designetur, omnes admittere solent. Itaque

Prob. ant. : Persecutio quam narratur excitâsse bestia, præcedit finem mille annorum, quibus cum Christo dicuntur regnâsse sancti illi qui noluerunt adorare bestiam aut imaginem ejus; atqui persecutio quam excitabit Antichristus non præcedit finem istorum mille annorum, sed tantummodò, postquàm hi mille anni fuerint consummati, excitabitur. Ergo persecutio quam excitavit bestia est omninò diversa ab illâ quàm excitabit Antichristus.

Prob. maj. et min., quia postquàm S. Joannes, cap. 20, v. 4 et 6, de præfatis sanctis dixisset : *Et regnabunt cum illo* (scilicet Christo) *mille annis*, statim subjungit, v. 7 : *Et cùm consummati fuerint mille anni* (utique illi quibus cum Christo dicuntur regnâsse isti sancti), *solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ.* Jam verò dùm solutus erit Sanatas, incipiet persecutio Antichristi, uti omnes rursùs admittunt, et etiam manifestè asserit S. Aug., lib. 20 de Civ. Dei, cap. 11, ubi in statim memorata Apocalypsis verba ita scribit : « Ad hoc tunc seducet (Satanas gentes), ut in bellum trahat : nam et antea modis quibus poterat per mala multa et varia seducebat. Exibit autem, ut dictum est, in apertam persecutionem, de latebris erumpet odiorum. Hæc enim erit novissima persecutio novissimo imminente judicio, quam sancta Ecclesia toto terrarum orbe patietur. » Et cap. 13 iterùm de eâdem persecutione sic scribit : « Hæc persecutio, quæ futura est ab Antichristo (sicut jam diximus et in hoc libro superiùs, et apud Danielem prophetam positum est) tribus annis et sex mensibus erit. » Ergo clarum est quòd persecutio Antichristi tantummodò sit excitanda postquàm præfati mille anni fuerint consummati.

Dices : Inde videtur sequi quòd animæ præmemoratorum sanctorum cum Christo non sint regnaturæ tempore persecutionis Antichristi; atqui hoc, utpote absurdum et certò falsum, admitti nequit; ergo, etc. — Resp. negando sequelam, siquidem non valet hoc argumentum : Animæ sanctorum, qui in initio Ecclesiæ pro Christi nomine martyrium subierunt, cum ipso regnabunt longissimo temporis intervallo, donec nimirùm in fine mundi solvatur Satanas de carcere suo; ergo, dùm solutus erit, non regnabunt : nam sicut ex verbis illis psal. 122 : *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri*, non sequitur : Ergo, cùm misertus fuerit, non erunt oculi servorum ejus ad Dominum Deum suum; ita pariter ex supra dictis non sequitur quòd animæ sanctorum non sint regnaturæ cum Christo tempore persecutionis Antichristi; sed hoc tantummodò sequitur, quòd tempus illud quod à persecutione Antichristi usque ad extremum judicium elabetur, sub præfatis mille annis non comprehendatur, sed ab eis excludatur. Et ita videtur sentire S. Aug., supra cit. c. 13, lib. 20, de Civ. Dei, ubi postquàm ad longum hanc rem discussisset, tandem ita concludit : « Remanet igitur ut cùm audimus : *Sacerdotes Dei et Christi regnabunt cum illo mille annis, cùm finiti fuerint mille anni, solvetur Satanas de custodiâ suâ*, aut non regni hujus sanctorum intelligamus annos mille finiri, sed vinculi diaboli atque custodiæ; aut annos mille, id est, annos omnes, ut suos quæque pars habeat diversis ac propriis prolixitatibus finiendos, ampliores sanctorum regno, breviores diaboli vinculo; AUT CERTÈ quoniam trium annorum et sex mensium brevissimum spatium est, COMPUTARI NOLUISSE credatur, sive quòd minus Satanæ vinculum, sive quòd amplius videtur regnum habere sanctorum; sicut de quadringentis annis in sexto decimo hujus operis volumine disputavi : quoniam plus aliquid erant, et tamen quadringenti sunt nuncupati; et talia sæpè reperiuntur in Litteris sacris, si quis advertat. » Ita S. Augustinus.

Prob. 3°, quia S. Joannes hìc agens de capitibus

bestiæ, v. 3 ait : *Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem; et plaga mortis ejus curata est. Et admirata est universa terra post bestiam;* atqui hæc non possunt intelligi de persecutione Antichristi; ergo, etc.

Prob. min., quia per caput illud occisum nequit intelligi ipse Antichristus, quandoquidem, juxta opinionem illorum qui hæc interpretantur de fine mundi, Antichristus non sit caput bestiæ, sed ipsamet bestia; et etiam nequit intelligi unus è septem regibus Antichristo famulantibus, ut patet ex v. 12, ubi de alterâ bestiâ dicitur : *Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus; et fecit terram et habitantes in eâ adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis.* Jam verò cùm certum sit quòd Antichristus non sit permissurus aliquem regem præter se solum adorari, clarè sequitur quòd per caput istud quasi occisum, cujus curata est plaga mortis, etiam nequeat intelligi unus è septem istis regibus, qui juxta præfatam opinionem sunt capita bestiæ. At de Româ paganâ hæc omnia optimè verificantur, ut statim videbimus; ergo per bestiam debet intelligi Roma pagana.

Porrò bestia hæc dicitur ascendere de mari, eò quòd ascenderit de mundi hujus commotionibus quæ per mare significantur, ut explicat S. Hieron., in cap. 7 Danielis, dicens : « Mare significat istum mundum, falsis amarisque fluctibus redundantem, sicut Dominus in parabolâ sagenæ missæ in mare interpretatur. Unde et draco rex dicitur omnium quæ in aquis sunt, et cujus secundùm David confringuntur capita. Et in Amos legitur : *Si descenderit in profundum maris, ibi mandabo draconi....* » Quænam verò sint septem capita hujus bestiæ, ipsemet S. Joannes declarat infra, cap. 17, v. 9, dicens : *Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, et reges septem sunt.* Hi autem septem reges, prout exprimuntur in textu originali, seu Græco, sunt septem augusti, aut, ut dicit Eusebius, lib. 8 Histor. eccles., cap. 13, septem reges perfecti, seu, ut more Latinorum loquamur, sunt septem imperatores, non septem primi, sed septem illi qui ultimam persecutionem contra Ecclesiam excitârunt. Nam quòd S. Joannes hic agat de persecutione ultimâ, inde liquet quòd describat persecutionem illam post quam reddita est Ecclesiæ pax, et deinde Roma pagana vastata fuit, prout patet ex cap. 17 et 18. Porrò hoc contigit post persecutionem ultimam, quæ dicitur *Diocletiani*, eò quòd nomen ejus esset positum primo loco in capite edicti generalis imperatorum (de quo fit mentio apud Eusebium, lib. 8 Histor. eccles., cap. 3), vi cujus ista persecutio inchoata ac executioni mandata fuit, quæ et cæteris fuit diuturnior, et omnium crudelissima; ergo, etc. Insuper hìc agitur de persecutione quæ à Romano imperio pagano excitata fuit auctoritate et nomine septem imperatorum; atqui hæc est persecutio ultima, ut patebit ex infra dicendis cap. 17; ergo, etc.

Imperatores autem isti, juxta D. Bossuet, fuerunt Diocletianus, Maximianus cognomento *Herculeus*, Constantius Chlorus pater Constantini Magni, Galerius Maximianus, Maxentius, Maximinus, et Licinius. Attamen an Constantius Chlorus inter septem bestiæ capita numerari queat, et an non potiùs inter eadem numerandus sit imperator Severus (uti sustinet Calmet), discutietur infra, in responsione ad obj. 3. Per decem cornua pariter intelliguntur decem reges, prout rursùs videbimus infra, cap. 17. Porrò nomina blasphemiæ, quæ dicuntur esse in capitibus bestiæ, sunt falsi dii quibus septem montes erant dedicati; item sunt nomina falsorum deorum, quæ septem isti imperatores, testibus Lactantio, de Morte persecut., cap. 9 et 21, et Eusebio, lib. 9 Histor. eccles., cap. 9, sibi assumpserant. Diocletianus assumpserat nomen Jovis, unde dictus fuit *Jovius;* Maximianus nomen Herculis, et inde dictus *Herculeus;* alter Maximianus vocabatur filius Martis; Maximinus quoque assumpserat nomen Jovis. Lactantius, cap. 52, ulteriùs refert quòd superba illa nomina, scilicet Jupiter et Hercules, quæ Diocletianus et Maximianus assumpserant, etiam assumpta fuerint ab eorum successoribus.

Vers. 2 : *Bestia quam vidi similis erat pardo, et pedes ejus sicut pedes ursi, et os ejus sicut os leonis.* Tres hæ bestiæ, quibus marinum illud monstrum erat simile, significant tres præcipuos tyrannos, per quos bestiæ persecutio debebat inchoari, uti patet ex Lactantio, lib. cit., cap. 16, ubi ait : *Ab oriente usque ad occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant.* Pardus per colorum varietatem designat Maximianum Herculeum, principem inquietum, crudelem et inconstantem; Lactant., ibid., cap. 26, 28, 29 et 30. Ursus Galerium Maximianum, qui ex septentrione venerat, homo ingenio agresti atque fero, ac corporis habitu crasso et enormi, ursoque simili, ait Lactantius, cap. 9; qui et in deliciis habuit alere ursos, ut idem Lactantius testatur, cap. 21, dicens : *Habebat ursos ferociæ ac magnitudinis suæ simillimos.* Leo designat Diocletianum, principem crudelem, et acerrimum fidelium persecutorem; cui attribuitur os leonis, propter cruenta edicta in Christianos, quæ ex ore ejus emanârunt.

Vers. 3 : *Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum.* Id contigit sub Maximino, quando quinque primis Ecclesiæ persecutoribus mortuis, ipse solus eam persequebatur; ac proinde dùm Maximinus à Constantino et Licinio fuit debellatus, et deinde cæsus, imperium idololatricum videbatur mortuum in hujus tyranni personâ, quandoquidem tunc extincti essent persecutores, et Ecclesia gloriosum de dracone triumphum reportâsset.

Et plaga mortis ejus curata est, dùm scilicet publicam quam Constantinus Ecclesiæ acquisiverat pacem, quinquaginta circiter post annis, sustulit Julianus Apostata. Ilic enim, ejurato Christianismo, imperium idololatricum restituit, seu reviviscere fecit. *Et admirata est universa terra post bestiam*, eò quòd nimirùm videret hanc tam inopinatam mutationem.

Vers. 4 : *Et adoraverunt draconem* in falsorum deorum sacrilego cultu; *et adoraverunt bestiam*, id est, Julianum; ut enim invitos, et nihil tale suspicantes

in idololatriam pertraheret, se unà cum deorum simulacris insculpi jubebat, prout refert S. Gregor. Nazianz., orat. 3; et quia gentiles imperium idololatricum, tam subitò per Julianum restauratum, existimabant esse invincibile, ideò dicebant : *Quis similis bestiæ? et quis poterit pugnare cum eâ?*

Vers. 5 : *Et data est ei potestas facere menses quadraginta duos*, hoc est, tres annos cum dimidio. Hic annorum numerus, conformiter ad ea quæ cap. præc., quæst. 2, dicta sunt, designat potestatem Juliani admodùm brevi tempore duraturam, uti et reverà contigit; nam, ut habet Calmet, incœpit anno 360 in vere, et finita fuit anno 363, quo mortuus est, quinto kalendas julii. Porrò Julianus primò dictus est *Cæsar*, deinde, invito Constantio, *Augustus*, mox ob mortem Constantii factus est unicus orbis terrarum imperator. Et ideò infra, v. 7, dicitur : *Data est illi potestas in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem.*

Vers. 6 : *Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum*, etc. Blasphemias Juliani fuisse valdè enormes, testantur omnes historici; et, ut de cæteris taceam, valdè enormiter aperuit os suum in blasphemias ad Deum et ad Christum Dominum, quando in pugnâ contra Persas se ad mortem vulneratum sensit, prout testatur Theodoretus, lib. 3 Histor. eccles., cap. 20, ubi impiissimi et crudelissimi hujus tyranni interitum enarrans, ita scribit : *Ferunt porrò, ipsum tyrannum, simul ac plagam acceperat, manum protinùs sanguine implevisse, illumque projecisse in aerem, ac dixisse* : VICISTI, GALILÆE, *et simul tum confessum esse victoriam, et blasphemiam* (adeò enim à mente abalienatus erat) *in Deum impudenter locutum.*

Vers. 8 : *Et* (ethnici) *adoraverunt eum omnes*, tanquàm numen quod opem illis tulerat, et etiam varii Christiani timidi; *quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni*, id est, qui non erant prædestinati ad vitam æternam.

Contra mox dicta fortè aliquis regeret quòd quinto vel sexto à morte Maximini anno denuò persecutionem excitaverit Licinius, ac consequenter quòd tunc bestia reviviscere cœperit, adeòque plaga mortis ejus curata fuerit. Verùm id nihil obstat, quia licèt in persecutione Licinii multùm sanguinis fusum fuerit, tamen hæc persecutio fuit adeò levis in comparatione aliarum, ut de eâdem Sulpitius Severus, l. 2, cap. 10, dicat : *Res levioris negotii quàm ut ad Ecclesiæ vulnera pertineret.* Deinde Licinius non excitavit persecutionem in toto imperio, sed tantùm in exiguâ ejus parte, ac proinde tunc non est admirata universa terra post bestiam; et multò minùs data est tunc potestas faciendi bellum cum sanctis, in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem, ut dicitur v. 7. Ergo reviviscentia bestiæ non ad tempora Licinii, sed ad tempora Juliani Apostatæ referri debet.

Cæterùm, S. Joannes propter gravissimas quas enarraverat fidelium persecutiones, afflictus, eosdem consolaturus, ait v. 9 : *Si quis habet aurem, audiat*; v. 10 : *Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet; qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic est patientia et fides sanctorum.* Ista imperatoribus ethnicis, Ecclesiam persequentibus, à parte rei evenerunt. Etenim, ut supra, c. 8 et 9, quæst. 4, ex Paulo Orosio vidimus, Valerianus, qui tot fideles in vincula conjecerat, qui copiosissimum innocentem sanguinem crudeliter effuderat, à rege Persarum turpiter incarceratur, ejusque deinde sanguis, detractâ cute, toto corpore funditur. Non absimilem Dei vindictam alii tyranni experti sunt. Ipse Julianus Apostata, sagittâ de cœlo missâ, in bello Persico miserè periit, et totus blasphemus impurissimam animam exhalavit, eamque orco tradidit.

Solvuntur argumenta.

Obj. 1° : S. Irenæus, toto ferè lib. 5, et Papias, qui in initio Ecclesiæ floruerunt, per bestiam de quâ hoc cap. agit S. Joannes, intelligunt Antichristum; atqui hi, utpote apostolorum tempori coævi, meliùs noverunt quid per hanc bestiam intelligatur, quàm isti posteriores interpretes, qui per eamdem dicunt intelligi Romam paganam; ergo, etc. — Resp. : Neg. min., siquidem quòd S. Irenæus, Papias, et nonnulli alii ipsis contemporanei per bestiam istam intellexerint Antichristum, nemini mirum videri debet : hi enim, cùm Millenariorum errori addicti forent, docuerunt quòd post resurrectionem corporum sancti cum Christo sint regnaturi per mille annos in omni (licito tamen) voluptatum genere. Et in hoc supposito facilè sustinere potuerunt quòd etiam illi sancti, qui tempore Antichristi testimonium pro nomine JESU dabunt, sint cum Christo regnaturi mille annis, prout infra, cap. 20, asserit S. Joannes. Verùm, cùm istud dogma jamdudùm ab Ecclesiâ sit rejectum, et per mille annos, de quibus in Apocalypsi, non intelligantur mille anni post resurrectionem, sed longum istud temporis intervallum quod ab initio Ecclesiæ usque ad Antichristi adventum defluet, per bestiam non potest intelligi ipse Antichristus, sed debet intelligi aliquis alius tyrannus, seu potiùs imperium tyrannicum, sub quo in initio Ecclesiæ præfati sancti testimonium pro nomine JESU dederunt, ac consequenter intelligenda est Roma pagana, uti ex supra dictis liquet. Unde, si S. Irenæus et Papias textum S. Joannis de mille annis eodem modo exposuissent, quo post ipsorum tempora eumdem cum S. Aug. universa exponit Ecclesia, vix dubitandum videtur quin ipsi quoque, si tunc temporis adhuc superstites fuissent, per bestiam, non Antichristum, sed vel Romam paganam, uti nos, aut saltem aliud imperium tyrannicum intellexissent.

Inst. : Etiam sancti illi qui tempore Romæ paganæ pro nomine JESU testimonium dederunt, cum ipso non regnabunt mille annis; ergo, etc. Prob. ant., quia mille isti anni, ut supra dictum est, incipiunt immediatè post mortem Christi, et finiuntur circa adventum Antichristi; atqui sancti illi, qui noluerunt adorare bestiam et imaginem ejus, in nostro supposito tantùm initio seculi quarti, nimirùm anno 303, quo incœpit persecutio Diocletiana, pro nomine JESU testimonium dare potuerunt; ergo non regnabunt cum

ipso mille annis, quandoquidem ex jam dictis mille circiter deficiant ducenti sexaginta quatuor. — Resp.: Neg. ant.; nam, licèt mille isti anni incipiant immediatè post mortem Christi, tamen cùm per eosdem nullus determinatus annorum numerus designetur, sed in vago longum istud temporis intervallum, quod in hâc novâ lege usque ad finem mundi elabetur, sancti illi, qui tempore Romæ paganæ pro nomine Jesu testimonium dederunt, rectè dicuntur cum ipso regnaturi mille annis, quandoquidem spatium annorum quod à tempore Diocletiani usque ad Antichristum defluet, sit valdè longum. Unde nihil obest quòd videantur deficere circiter ducenti sexaginta quatuor, qui jam elapsi erant, quandoquidem hi, si comparentur ad longissimum istud intervallum quod usque ad finem mundi elabetur, admodùm pauci reputandi sint.

Obj. 2° : S. P. Aug. per bestiam de quâ hoc Apocalypsis capite, manifestè intelligit Antichristum ; ergo, etc. Prob. ant., quia in psal. 68, exponens illa verba : *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur*, ita scribit : « Fratres, non sic accipere debemus, quoniam quemquam Deus scribat in libro vitæ, et deleat illum... Præscius est, prædestinavit omnes ante constitutionem mundi regnaturos cum Filio suo in vitâ æternâ. Hos conscripsit, ipsos continet liber vitæ. Denique in Apocalypsi quid ait Spiritus Dei, *cùm de pressuris ab Antichristo futuris loqueretur eadem Scriptura? Consentient illi*, inquit, *omnes qui non sunt scripti in libro vitæ.* Proinde sine dubitatione non erunt consensuri qui scripti sunt. Isti ergo quomodò inde delentur, ubi nunquàm scripti sunt? Hoc dictum est secundùm spem ipsorum, quia ipsi se scriptos putabant. Quid est, *Deleantur de libro vitæ?* Et ipsis constet, non illos ibi esse. » Ergo, juxta S. Aug., in hoc Apocalypsis capite non agitur de pressuris seu persecutionibus quas contra Ecclesiam excitavit Roma pagana, sed de iis quas excitabit Antichristus, ac proinde hìc debet intelligi per bestiam, quam S. Joannes vidit ascendentem de mari. — Resp.: Neg. ant. et conseq., quia S. Aug. loco citato non agit de pressuris quas contra Ecclesiam dicitur excitatura bestia illa quam S. Joannes vidit ascendentem de mari, sed de iis pressuris quas dicitur excitaturus iste tyrannus, qui bestiam illam faciet reviviscere, seu qui imperium idololatricum restituet : nam à v. 3 usque ad 8 inclusivè (hujus secundi verba citat S. doctor) de tempore illo quo bestia, quæ videbatur mortua, reviviscet, hìc agi, manifestum et certum est. Jam verò, quamvis bestia quæ videbatur mortua, juxta supra dicta, propriè loquendo, revixerit tempore Juliani Apostatæ, tamen rursùs reviviscet in fine mundi, siquidem etiam ipse Antichristus sano sensu imperium idololatricum restituet, quatenùs nimirùm *jubebit seipsum pro Deo adorari*, ut ait S. Chrysost., hom. 3 in Epist. 2 ad Thessal. Et sic cultus qui soli supremo Domino debetur, tunc rursùs deferetur vilissimæ et impiissimæ creaturæ ; adeòque erit verè cultus sacrilegus et idololatricus. Et tunc etiam omnes impii Antichristum tanquàm numen adorabunt, et pariter varii tepidi ac timidi Christiani, *quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni.* Igitur, sicut illa verba Christi, Matth. 24, v. 14 : *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe..., et tunc veniet consummatio*, intelliguntur de consummatione, seu fine reipublicæ Judaicæ, et simul etiam de consummatione seculi seu fine mundi, ita nihil implicare videtur quominùs prædicta Apocalypsis verba, licèt primariò intelligantur de tempore Juliani Apostatæ, tamen simul secundariò etiam intelligantur de tempore Antichristi. Et sic non malè dixit S. Augustinus quòd Scriptura ibidem loquatur de pressuris ab Antichristo futuris.

Cæterùm, quòd S. doctor non asseruerit per bestiam quam S. Joannes vidit ascendentem de mari, esse intelligendum Antichristum, patet ex lib. 20 de Civ. Dei, cap. 9, ubi fatetur se necdùm satis inquisivisse quænam sit ista bestia. Verba ipsius loco jam citato sunt : « Quæ sit porrò ista bestia, *quamvis sit diligentiùs inquirendum*, non tamen abhorret à fide rectâ, *ut ipsa impia civitas intelligatur, et populus infidelium*, contrarius populo fideli, et civitati Dei. » Porrò quænam civitas fuit magis impia, et contraria civitati Dei, seu Ecclesiæ, quàm Roma pagana? Et quinam de populo fuerunt magis infideles et contrarii populo fideli, quàm imperatores ethnici? Igitur, etiam attentâ mente S. Aug., per bestiam rectè intelligi potest Roma pagana, et per septem bestiæ capita, septem imperatores.

Obj. 3° : Circa tempora ultimæ persecutionis fuerunt novem in orbe, Romanis subjecto, imperatores, siquidem præter septem supra memoratos, etiam tunc imperatores fuerunt Constantinus Magnus et Severus. Ergo, si S. Joannes hìc egisset de persecutione ultimâ, non tantùm septem, sed novem bestiæ, seu Romæ paganæ, capita exprimere debuisset. — Resp. : Neg. conseq., quia Constantinus magnus et Severus inter bestiæ capita numerari non possunt ; nam in primis *non potest numerari Constantinus, quia* hìc non tantùm Ecclesiam non est persecutus, sed etiam ante baptismum religioni christianæ maximè favit, quandoquidem persecutionem à Diocletiano excitatam stiterit, et Christianis liberum exercitium eorum religionis concesserit. Etenim, ut testatur Lactantius, lib. de Mort. persecut., cap. 24, *suscepto imperio Constantinus Augustus, nihil egit priùsquàm Christianos cultui ac Deo suo redderet. Hæc fuit prima ejus sanctio, sanctæ religionis restituta*, pro *restitutio*.

Quantùm ad Severum, respondet D. Bossuet, fatendum videri quòd fuerit Christianorum hostis, quandoquidem esset creatura Galerii Maximiani, qui erat unus è præcipuis Ecclesiæ persecutoribus. Verùm cùm de dignitate imperiali ipsius Severi vix fiat mentio in historiis, etiam hìc inter reges perfectos, seu imperatores, de quibus agit S. Joannes, numerari non potest, ac consequenter non est unum è bestiæ capitibus. Et Lactantius, lib. cit., cap. 25 et 26, vix aliquid aliud de Severo habet quàm quòd fuerit creatus imperator in ordine ad gerendum bellum contra Maxentium, et quòd tunc à propriis militibus deser

tus, et ad vitam communem redactus fuerit. Simile quid etiam habet Paulus Orosius, lib. 7, cap. 28, ubi ait : *Galerius Augustus Severum Cæsarem adversùs Maxentium Romam cum exercitu misit. Severus cùm urbem obsideret, militum suorum scelere desertus et proditus, atque ex eo fugiens, Ravennæ interfectus est.*

Attamen, hoc non obstante, dicendum videtur quòd Severus non tantùm fuerit creatus imperator in ordine ad bellum gerendum, sed etiam in ordine ad regendum, siquidem sub suâ potestate habuit non exiguam imperii partem, ut patet ex Paulo Orosio, lib. 7, cap. 25 ; ubi de hâc re ita scribit : *Galerius duos Cæsares legit* (id est, *elegit*) *Maximinum, quem in Oriente constituit, et Severum, cui permisit Italiam, ipse in Illyrico constitutus.* Ex quibus verbis clarum est quòd, sicut Orienti præfuit Maximinus, ita Italiæ præfuerit Severus ; ac proinde hic æquè ac iste imperiali potestate gavisus est. Et sic nihil implicat, quominùs inter bestiæ capita numeretur Severus.

Et sanè, quòd inter septem bestiæ capita potiùs numerandus sit Severus quàm Constantius Chlorus, satis manifestum videtur ex iis quæ de Constantio Chloro habet Eusebius, lib. 8 Hist. eccles., cap. 26, ubi de ipso hoc egregium profert elogium : « Qui solus inter imperatores nostræ memoriæ, totum regni sui tempus, ut imperii dignitas postulat, exegit; et cùm in aliis rebus humanissimum liberalissimumque omnibus seipsum præbuit, *tum persecutionis contra nos intentatæ minimè particeps factus est;* sed pios Christianos, qui sub ipso vitam degebant, à damno contumeliâque penitùs immunes conservavit; et neque ecclesiarum ædificia demolitus, neque aliquod scelus in nos machinatus, felicem beatumque admodùm vitæ exitum consecutus est. » Et lib. 1 de Vitâ Constantini, cap. 9, de Constantio Chloro rursùs ita scribit : « Cùm quatuor in Romani imperii gubernandi societate jungebantur, solus hic, fœdere amicitiæ cum Deo omnium gubernatore pacto, modum vitæ à cæterorum institutis alienum disparemque consectatus est. Illi enim Dei ecclesias obsidione vastare, evertere radicitùs, solo æquare, ac templa, concussis fundamentis disturbatisque, prorsùs delere aggressi sunt; hic autem à nefando et detestabili illorum scelere manus integras et inviolatas continuit, *neque ullâ ex parte se similem eis præbuit.* » Ex quibus verbis omninò evidens est quòd Constantius Chlorus non solùm neque persecutionis auctor, sed ne fautor quidem fuerit; ac proinde inter septem bestiæ capita numerari nequit; sed ejus loco post Galerium Maximianum substituendus est Severus.

Nec refert quòd Constantius Chlorus à Romanis inter deos relatus fuerit, siquidem non est inter eosdem relatus propter persecutionem Christianorum, aut propter propagationem idololatriæ, sed propter optimos mores et optimum regimen, ut testatur Eusebius, supra cit. cap. 26, dicens : *Qui primus ex imperatoribus propter singularem morum facilitatem et mansuetudinem, quâ præter cæteros præstabat, apud Romanos in deos relatus fuit, omnique splendore et dignitate, quæ imperatori debetur, post mortem honoratus.*

Obj. 4° : Etiam Maxentius, ut placeret populo Romano, cujus jam magna pars ad fidem conversa erat, in initio sui imperii mirificè favit religioni christianæ. Nam, ut rursùs testatur Eusebius, lib. 8 Histor. eccles., cap. 26, *illis, qui ejus parebant imperio, in mandatis dedit, ut persecutionem contra Christianos remitterent ; tantamque pietatis speciem præ se tulit, ut humanus et valdè mansuetus, præ illis qui imperium ante tenuissent, cuique videretur.* Ergo, si propterea inter septem bestiæ capita non numeretur Constantius Chlorus, quia favit religioni christianæ, etiam inter eadem non est numerandus Maxentius. — Resp. hunc Maxentii favorem non fuisse sincerum et verum, sed tantùm larvatum et fictum, prout loco citato satis clarè insinuat Eusebius, dùm verbis statim objectis præmittit hæc : *Maxentius, qui Romæ tyrannidem occupare instituit, in ipso imperii sui ingressu fidem nostram se amplecti, quò populo Romano placeret, eumque blanditiis deliniret et assentatione,* CALLIDÈ SIMULAVIT. Et sanè quòd Maxentius fuerit valdè crudelis et prorsùs infamis tyrannus, ac Ecclesiæ persecutor, patet ex eodem Eusebio, qui, lib. cit., cap. 27, asserit quòd Maxentius et Maximinus *in omni scelerum genere* fuerint *simillimi.* Et lib. 1 de Vitâ Constantini, cap. 27, narrat quòd Maxentius cæcâ ac indomitâ libidine in christianas mulieres ferri cœperit, sed quòd non potuerit omninò per suos providere, *quò facilis sibi ad eas pateret aditus. Nam illæ citiùs vitam cum morte commutare volebant, quàm corpus ei violandum permittere.* Vide et ibid., cap. 29 et 30. Insuper ex Breviario Romano die 16 januarii constat quòd Maxentius S. Marcello papæ gravia supplicia minatus sit, nisi deposito pontificatu idolis immolaret. Nego igitur consequentiam, siquidem, ut ex supra dictis evidens est, Constantius Chlorus non callidè vel fraudulenter, sed omninò verè ac sincerè christianæ religioni favit, atque ab aliorum imperatorum tyrannide abhorruit; licèt ei non satis fuerit auctoritatis ut illam tolleret in iis imperii provinciis ubi non imperabat; atque inde factum est ut edicta contra Christianos prolata nomine illius non secùs ac aliorum imperatorum inscriberentur, et Christiani illum unà cum tribus reliquis imperii sociis adorare, eique hostias immolare cogerentur ; de quâ immolatione agit Eusebius, lib. 8. Hist. ecclesiast., cap. 12.

QUÆSTIO II.

Quid intelligatur per bestiam quam S. Joannes vidit ascendentem de terrâ.

Vers. 11 : *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terrâ*

Per hanc bestiam designantur novi Ecclesiæ inimici, qui argumentationibus, philosophiâ, fictis miraculis, et simulatis virtutibus religionem christianam evertere conati fuerunt. Itaque hi fuerunt præcipuè isti qui paganâ, seu physico-magicâ philosophiâ, maximè pythagoricâ, imbuti, sub Romanis imperatoribus ethnicis idololatriæ in subsidium venerunt, atque suis fallacibus scriptis et libris totum mundum, ac ipsos potissimùm Romanos imperatores decipientes, et ma-

gicis artibus seducentes, in Ecclesiam Christique fideles excitârunt. Diocletiano imperante, enituit Porphyrii maximè, et Hieroclis odium in fideles, quorum posterior (teste Lactantio, de Mort. persec., cap. 16) potissimus fuit huic imperatori persecutionum auctor, et contra Christianos scripsit ipso anno 303, qui primus fuit persecutionis. Lactantius etiam, lib. 5 Inst., cap. 2, refert alium quemdam Nicomediæ tempore eodem contra Christianos tres libros scripsisse, qui quidem erat insignis philosophiæ professor, sed à cujus præceptis vita maximè abhorrebat. Illius opus jam tunc cœpit contemni, et mox in oblivionis caligine jacuit : Porphyrius autem majori pollebat ingênio, et mentis acumine, quàm aliorum quispiam, qui hactenùs Ecclesiam oppugnaverunt ; ideòque præ cæteris solidiùs hoc præstitit. Ita Lactantius. Ipse etiam Julianus imperator eorum numero semet ascripsit, qui scriptis atque argumentationibus Christianos persequebantur, uti testantur S. Hier., epist. 84, et S. Cyrillus Alexandrinus, in Julian. Item S. Gregor. Nazianz., orat. 4, refert quòd Juliani aula refertissima esset philosophis, magis, perditis hominibus, infestis fidelium inimicis, calumniatoribus, veneficis, vanitatis et ambitionis auram aucupantibus. Qui omnes nimii erant amatores Apollonii Thyanei, qui illorum veluti heros ferebatur, et quem non æquare solùm, verùm etiam præferre audebant Jesu Christo propter fictitia miracula quæ fuerat operatus. Illum tanquàm deum, vel saltem tanquàm admirabilis sanctitatis virum habebant.

Porrò præfata bestia dicitur ascendere de terrâ, quia de terrenâ ac humi repente conversatione in medium prodit. *Et habebat cornua duo similia Agni.* Per cornua videntur intelligi hypocrita istorum philosophorum doctrina ac vita, et virtus faciendi falsa miracula; hæc enim sunt vera cornua quibus impetitur ac seducitur simplex populus. Et sunt similia Agno, aut Agni cornibus, quia videntur instar Agni esse sancta, et servire Domino Deo. Duo agni cornua erant cœlestis doctrina et miracula ; hæc imitari volebant isti philosophi, doctrinam suam diabolicam tanquàm cœlestem venditantes per præstigias et falsa miracula. *Loquebatur sicut draco*, hoc est, ejus verba et opera sunt hypocrita, occultè ac dolosè venenata, uti solent esse sibili draconum ; adeòque per omnia sua opera ac verba hæc bestia effundit venenum more draconis ; ideòque diabolica illorum philosophorum ac magorum doctrina aptissima est ad decipiendum homines. Sicut enim draco, id est, diabolus decipiens Evam, locutus est per os serpentis, ita et loquebatur per os horum pseudoprophetarum.

Vers. 12 : *Et potestatem prioris bestiæ*, id est, Romæ paganæ, *omnem faciebat in conspectu ejus ;* etenim Roma ejusque imperatores istos philosophos manutenebant, istique faciebant *terram et habitantes in eâ adorare bestiam primam*, scilicet Romam in suis idolis et imperatoribus, *cujus curata est plaga mortis*, tempore Juliani Apostatæ, ut dictum est quæst. præc.

Vers. 13 : *Et fecit signa magna*, etc. ; hoc est, philosophi, opitulante sibi magiâ, fecerunt falsa miracula. Eunapius, in Porphyr., plurima refert commentitia prodigia, quæ tempore Juliani acciderunt, falsas etiam resurrectiones mortuorum in vitâ Porphyrii, Maximi, Chrysanti, aliorumque illius ævi magorum. Cùm Julianus in Asiâ fuisset, multò pridem antequàm christianam religionem desereret, celeberrimos philosophos et magos qui tunc florebant vidit, et præcipuè summam iniit cum Maximo necessitudinem, qui quidem omnium peritissimus ferebatur. Et, ut refert rursùs Eunapius, in Maxim., Eusebius, Œdesi discipulus, invidens gloriæ Maximi, vel potiùs illum contemnere simulans, ut à Juliano enixiùs et ipse quæreretur, quondam illi dixit Maximum veteratorem esse, ac rebus indignis vacare. Quâdam die, addit ille, cum parvo thure ac verbis nonnullis visum elicuit ex simulacro deæ Hecatis, professus se quoque accensurum extincta funalia, quæ manibus dea gerebat ; et quæ verba cùm ille vix protulisset, repentinus fulgor lampades omnes accendit. Nihil ultra quæsitum fuit, ut Juliano os subliniretur ; qui dixit se jam invenisse quem perquirebat, ideòque Maximo ad se evocato, sese illi tradidit. Hinc videmus quomodò sub imperatoribus ethnicis adimpletum sit quod hìc de prodigiis à bestiâ perpetratis narrat S. Joannes.

Vers. 16 : *Et faciet omnes pusillos et magnos... habere characterem in dexterâ manu suâ aut in frontibus suis ;* ut sicut devoti Christo, signati sunt signo Agni, sic devoti dæmonibus, gestarent characterem bestiæ. Unde S. Joannes hìc alludit ad ethnicorum consuetudinem, in manibus vel frontibus gerentium nomen istius numinis cui sese devoverant ; vel aliud quoddam emblema, quod ad numen illud spectaret. De istâ consuetudine videri potest Lucianus in deâ Syr.

Vers. 17 : *Et ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus.* Hoc adimpletum est temporibus Diocletiani et Maximiani, uti patet ex Ven. Bedâ, tom. 3, in hymno passionis S. Justini Martyris, non illius qui passus est seculo secundo, sed istius qui in initio seculi quarti passus est sub Diocletiano ; et de quo fit mentio in Martyrologio Romano, die 12 decembris. Porrò Beda, loco citato, ita scribit : *Non illis emendi quidquam, aut vendendi copia, nec ipsam haurire aquam, dabatur licentia, antequàm thurificarent detestandis idolis.* Non idem omninò, sed tamen simile quid etiam fecit Julianus, qui, teste Theodoreto, Cyrensi episcopo, lib. 3 Histor. eccles., cap. 15, polluit nefariis sacrificiis fontes omnes qui erant Antiochiæ et Daphne, ut nemo aquam haurire posset, quin profanis sacrificiis, quæ ibi commixta fuerant, pollueretur. Hoc ipsum fecit in pane, carne, fructibus, oleribus, aliisque rebus esculentis et poculentis omnibus, jubens aquâ idolis consecratâ aspergi quæcumque in foro essent venalia. Hoc tamen non obfuit quominùs indiscriminatim fideles rebus ad victum necessariis uterentur, scientes idolum nihil esse, et S. Pauli verbis, 1 Cor. 10, v. 25, adhærentes : *Omne quod in macello vænit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.*

QUÆSTIO III.

Quænam sit bestia cujus numerus est sexcenti sexaginta sex.

Vers. 18 : *Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est; et numerus ejus sexcenti sexaginta sex.* Quandoquidem supra, quæst. 1, demonstrare conati simus, quòd per bestiam non possit intelligi Antichristus, hinc ulteriùs inde concludimus, quòd S. Joan. hìc non det signum ex quo postremi hujus mundi fideles poterunt jam natum ac sibi vicinum Antichristum cognoscere; ac proinde ex jam cit. Apoc. loco nequaquàm sequitur Antichristum fore hominem, in cujus nomine numerales litteræ facient 666. Cùm igitur, ut ante diximus, per bestiam intelligatur Roma pagana, manifestum est quòd à S. Joanne hìc designetur aliquis ex illis imperatoribus ethnicis, qui ultimam persecutionem contra Ecclesiam moverunt, in cujus nomine numerales litteræ faciunt 666. Et licèt non sit certum quisnam determinatè designetur, tamen communiter admitti solet quòd vel sit Julianus Apostata, vel Diocletianus.

Porrò illi qui existimant designari Julianum, contendunt non aliud hìc bestiæ nomen inculcari, quàm quo impius ille religionis nostræ transfuga toti mundo omnibusque seculis notissimus evasit; nimirùm nomen Græcum ἀποστάτης. Hoc enim nomen præcisè numerum reddit; nam α apud Græcos valet 1, π 80, ο 70, ς 6, rursùs α 1, τ 300, η 8, ς 200; qui numeri simul juncti faciunt 666. Attamen hæc opinio non videtur commodè posse sustineri.

1° Quia est omninò incertum an illud Juliani nomen scriptum in medio fuerit istâ unâ litterâ ς, quæ æquivalet duabus, scilicet ς sigma, et τ tau, an verò his duabus exaratum fuerit. Et sanè, cùm supponatur esse nomen alicujus imperatoris, vero similiùs exaratum fuit litteris majoribus. Jam verò Græci in litteris majoribus non habent unam, quæ æquivalet his duabus, scilicet Σ et T. Ergo satis evidens videtur quòd nomen illud scriptum in medio fuerit non illâ unâ, nempe ς, sed his duabus, nimirùm Σ et T. Porrò in hoc supposito præfatum nomen non tantùm 666, sed 1160 conficiet. Etenim, si supprimas numerum 6, quem facit ς, et ejus loco substituas numerum 200, quem facit Σ, et 300, quem facit T, atque his addas reliquos, quos faciunt cæteræ prædicti nominis litteræ, invenies 1160.

2° Nomen bestiæ, prout ex verbis supra citatis liquet, debet esse nomen proprium alicujus hominis, quo is passim seu communiter, appellabatur et cognoscebatur ab omnibus; atqui Ἀποστάτης non erat nomen proprium imperatoris Juliani, sed potiùs quoddam ejus cognomen, quo non ab omnibus, sed tantùm ab aliquibus (puta Christianis) appellabatur ac cognoscebatur, et quidem per contemptum, quia nimirùm à religione christianâ apostataverat; ergò Ἀποστάτης non potest esse nomen bestiæ.

3° Nomen bestiæ aut numerum nominis ejus jubebantur homines gerere in manibus, vel frontibus suis, uti liquet ex v. 17; atqui à vero prorsùs alienum est quòd vel ipse Julianus, aut familiarissimi ejus magi jusserint homines gerere odiosum et contemptibile illud nomen Ἀποστάτης, ergo, etc.

4° Certum est quòd v. 18 non agatur de nomine bestiæ quam Joannes vidit ascendentem de terrâ, sed de nomine bestiæ prioris, seu istius cujus curata est plaga mortis; adeò ut sensus sit : Numerus bestiæ prioris, seu cujus curata est plaga mortis, est sexcenti sexaginta sex; atqui etiam certum est quòd Julianus Apostata non sit prior illa bestia, quandoquidem ipse istam bestiam reviviscere fecerit; ergo, etc.

Itaque cùm S. Joannes hoc cap. præcipuè agat de persecutione Ecclesiæ, quæ à septem imperatoribus Romanis excitata fuit, numerus bestiæ debet quæri in nomine alicujus istorum imperatorum. Etenim Roma pagana hìc non indigitatur nomine bestiæ, nisi ratione suorum imperatorum, qui Ecclesiam persecuti sunt. Dicendum igitur quòd bestia, cujus numerus est sexcenti sexaginta sex, sit imperator Diocletianus. Nam numerum istum in hujus nomine inveniri manifestum est; siquidem antequàm esset imperator, teste Lactantio, de Mort. persecut., cap. 9, vocabatur *Diocles*, quod nomen, ut dicit idem Lactantius, ibid., cap. 19, depositâ purpurâ reassumpsit. Nomini particulari *Diocles* si adjungatur nomen ordinarium imperatoriæ dignitatis, scilicet *Augustus*, manifestè videbitur in litteris numeralibus Latinis, quibus litteris nomen imperatoris Romani convenit scribi, numerus 666. DIOCLES AVGVSTVS. DCLXVI.

Insuper quòd Diocletianus hic proprié à S. Joanne designetur, etiam inde patet quòd iste tyrannus fuerit primus sive principalis inter septem supra memoratos imperatores, seu bestiæ capita. Etenim ipse habebatur tanquàm parens cæterorum, et Maximianum Herculeum, aliosque, qui tunc extiterunt, imperatores fecit, prout patet ex Paulo Orosio, lib. 7, cap. 25, item Lactantio, lib. de Mort. persecut., cap. 29. Vide Bossuet in exposit. v. 1.

Solvuntur argumenta.

Obj. 1° : Bestia, cujus numerus est 666, probabiliùs videtur esse iste imperator ethnicus, cujus imaginem, v. 14 et 15, fecerunt adorari profani illi philosophi et magi, de quibus actum est quæst. præc.; atqui iste est Julianus Apostata, siquidem, ut ex dictis ibidem constat, profanam seu physico-magicam philosophiam imperator Julianus advocavit, ut præceptis suis et præstigiis novum labanti idololatriæ fulcrum supponere, eamque jam toto orbe fugientem quasi postliminiò revocare niteretur. Ergo, cùm illa auctore, impulsore et magistro potissimùm usa sit Juliano, per prætnemoratam bestiam non videtur alius intelligendus quàm impius ille religionis nostræ transfuga. — Resp. : Transmissis maj. et min., neg. conseq. : nam non tantùm sub Juliano, sed etiam sub Diocletiano profana seu physico-magica philosophia maximè cluituit, ut liquet ex dictis quæst. præc. Et sanè, quòd S. Joannes agat de Diocletiano, ex textu manifestum est : siquidem in eo agitur de bestiâ priore, cujus curata est plaga mortis, seu quæ tempore Ju-

liani revixit; item agitur de illâ bestiâ quæ hominibus prohibuit emere aut vendere, nisi priùs thurificàssent detestandis idolis, cum quorum nominibus simul inscribebantur aut insculpebantur nomina imperatorum; hoc autem non fuit prohibitum, nisi tempore persecutionis Diocletiani. Nam licèt Julianus etiam simile quid fecerit, non est tamen idem quod fecerat Diocletianus, uti observavimus quæst. præc. Et id etiam ulteriùs potest demonstrari ex SS. Basilio, orat. in Jul., et Gregor. Nazianz., orat. 3 in Jul., qui asserunt quòd hic imperator idem intenderit facere quod ante ipsum fecerat Diocletianus, ac consequenter innuunt quòd à parte rei idem non fecerit. Unde, dùm Sozomenus, lib. 5, cap. 18, ait quòd Julianus in hoc fuerit imitatus Diocletianum, id intelligendum est quòd ipsum fuerit imitatus quoad aliquid, scilicet quoad hoc quòd, sicuti Diocletianus publico edicto hominibus prohibuerat vendere aut emere, nisi priùs immolàssent idolis, ita Julianus noluerit ut homines sibi ad victum necessaria procurare possent, nisi simul profanis sacrificiis polluerentur, uti rursùs observavimus quæst. præced. Interim tamen publicum edictum aut legem desuper nunquàm edidit, sicuti ante ipsum ediderat Diocletianus; ac proinde quod hic, v. 17, dicitur, videlicet neminem potuisse emere aut vendere, nisi haberet characterem aut nomen bestiæ aut numerum nominis ejus, tantùm competit tempori persecutionis Diocletiani.

Inst.: Bestia prior, cujus curata fuit plaga mortis, est Roma pagana, seu imperium Romanum idololatricum, è cujus septem capitibus unum est Diocletianus, prout dictum fuit quæst. 1; ergo malè asseritur quòd Diocletianus sit ipsamet bestia. — Resp.: Neg. conseq., quia, cùm Roma pagana non indigitetur nomine bestiæ, nisi ratione suorum imperatorum, Ecclesiam persequentium, numerus 666 non est quærendus in nomine ipsius imperii, sed in nomine alicujus imperatoris; qui, quamvis sit unum è septem bestiæ capitibus, tamen hoc non obstante potest simul dici ipsamet bestia. Etenim quòd bestiæ capitibus etiam simul competat nomen ipsius bestiæ, patet hìc ex v. 2, ubi S. Joannes ait: *Et bestia quam vidi similis erat pardo.* Quæ verba intelliguntur de Maximiano Herculeo, qui fuit unum è septem bestiæ capitibus, ut vidimus quæst. 1. Item infra, cap. 17, ubi angelus, mysterium bestiæ exponens, ait, v. 11: *Et bestia, quæ erat, et non est...,* DE SEPTEM EST, *et in interitum vadit;* ubi vides quòd rursùs nomen bestiæ tribuatur uni è septem bestiæ capitibus.

Cæterùm, quòd numerus 666 non in nomine imperii, ac consequenter non in istis verbis Græcis Η ΛΑΤΙΝΗ ΒΑΣΙΛΕΙΑ, *imperium Latinum*, quærendus sit (in quibus tamen eumdem quærit Kerkherdere), etiam inde demonstratur quòd istud nomen sit nimis generale et vagum, ac proinde ex eodem cognosci nequeat quandonam bestia comparere debuerit, an videlicet sub Decio, an sub Valeriano, etc.; atqui tamen ex v. 18 omninò clarè patet quòd S. Joannes dederit signum, ex quo homines cognoscere possent quandonam bestia comparere deberet; ergo numerus 666 non in nomine Græco ipsius imperii, sed in nomine alicujus imperatoris quæri debet. Insuper dicitur quòd sit *numerus hominis*, id est, qui reperitur in nomine alicujus hominis; ac proinde non est quærendus in nomine imperii.

Obj. 2°: Nomen bestiæ haud dubiè est nomen alicujus imperatoris; atqui præfatus imperator tempore sui regiminis non vocabatur *Diocles*, sed *Diocletianus*; cui si addatur nomen imperatoriæ dignitatis, scilicet *Augustus*, litteræ numerales non 666, sed 672 conficient; ergo numerus nominis bestiæ non potest quæri in his verbis: *Diocles Augustus.* Etenim sicuti quis ineptè diceret quòd nomen moderni pontificis, scilicet Clementis XIII, sit *Carolus*, tametsi ante pontificatum ita vocaretur, sic pariter ineptè videtur dici quòd nomen præmemorati imperatoris fuerit *Diocles;* quamvis, antequàm esset imperator, ita appellatus sit. — Resp.: Neg. conseq., quia nomen *Diocletianus* non est substantialiter diversum à nomine *Diocles*, sed potiùs unum ac idem, sed magis latinizatum; ac proinde iste imperator æquè cognoscebatur sub nomine *Diocles*, præsertim si ei addebatur nomen *Augustus;* ac sub nomine *Diocletianus;* et consequenter numerus nominis bestiæ rectè, seu cum bono fundamento, quæritur in prædictis verbis: *Diocles Augustus.* Atverò, cùm nomen *Clemens* sit omninò substantialiter diversum à nomine *Carolus*, ineptè quis diceret quòd nomen moderni pontificis sit *Carolus*, quia sub hoc nomine jam non cognosceretur. Aliud foret si nomen *Carolus* tantùm accidentaliter, seu quoad unam alteramve litteram esset immutatum, puta si diceretur *Carolinus.* Tunc enim modernus pontifex adhuc etiam posset vocari *Carolus*, siquidem æquè sub hoc ac sub illo nomine cognosci valeret.

Obj. 3°: S. Joannes Apocalypsim scripsit Græcè; ergo numerus nominis bestiæ non potest quæri in præfatis verbis Latinis, sed debet quæri in verbo aut verbis Græcis. Etenim sicuti Sibyllæ, quæ olim in nomine Christi futuri numerum 888 prædixerunt, hunc numerum nominis ejus, scilicet ΙΗΣΟΥΣ, juxta computum Græcum colligi voluerunt, quia Græcè scripserunt, ita, quia S. Joannes etiam Græcè scripsit Apocalypsim, vero simile est numerum nominis bestiæ juxta similem Græcorum computum calculandum esse.—Resp.: Neg. conseq.: nam non obstante quòd S. Joannes Apocalypsim scripserit Græcè, tamen numerus præfatus quærendus est in linguâ Latinâ: siquidem, ut supra, quæst. 1, probatum est, ea quæ hoc cap. de bestiâ prophetavit S. Joannes, impleta fuerunt in imperio Romano idololatrico, seu tempore Romæ paganæ. Jam verò imperatores istius temporis non habuerunt nomina Græca, sed Latina. Ergo, cùm in prophetiâ S. Joannis agatur de imperatore Latino, numerus nominis ejus pariter quærendus in nomine Latino, non autem in Græco. Porrò, quidquid sit de authenticitate oraculorum Sibyllarum, respondeo numerum nominis Christi non idcò præcisè colligendum fuisse juxta computum Græcum, quia, v. g., Si-

bylla Erythræa, quæ præfatum numerum in nomine Redemptoris fore prædixit, Græcè scripsit, sed quia nomen Salvatoris juxta stylum vel morem Græcorum scriptum aut pronuntiatum fuit. Verùm, cùm nullum nomen præfatorum imperatorum ethnicorum juxta stylum vel morem Græcorum scriptum aut pronuntiatum fuerit, numerus 666 nominis bestiæ juxta similem Græcorum computum nequaquàm calculari potest.

Inst.: In ipsâ urbe Romanâ tempore præmemoratorum imperatorum adeò communis erat lingua Græca, ut feminæ etiam Græcè loquerentur; et, uti conqueritur poeta Juvenalis, sub Nerone,

...In Tiberim defluxit Orontes;

id est, lingua Græciæ Romam transiit. Deinde inter Asiaticos, ad quos scribebat S. Joannes, Romani imperatores in numismatibus et inscriptionibus Græco idiomate, nunquàm Latino, exprimebantur, uti patet ex inscriptionibus quas refert Gruterus. Ergo nomina Romanorum imperatorum videntur isto tempore juxta stylum Græcorum scripta aut pronuntiata fuisse. — Resp.: Neg. conseq.; nam, licèt in urbe Romanâ et locis adjacentibus lingua Græca esset admodùm communis, tamen inde nullatenùs deduci potest quòd nomina imperatorum fuerint Græca; siquidem et hodiedùm lingua Gallica in plurimis Europæ provinciis communissima est, et tamen hoc non obstante, nomina regum aut principum, puta Germanorum, Hispanorum, etc., non sunt nomina Gallica, nec in Diplomatibus, quæ immediatè ab ipsorum aulis emanant, idiomate Gallico exprimi solent; sed semper exprimuntur vel idiomate Latino, vel idiomate istarum provinciarum proprio. Cùm igitur idioma proprium imperii Romani esset Latinum, nomina imperatorum quoque erant Latina, et idiomate Latino in Diplomatibus ac publicis edictis expressa fuerunt, prout videre est apud omnes antiquos historicos. Quamvis ergo inter istos Asiaticos, qui non callebant linguam Latinam, pro majori commoditate populi, imperatores in numismatibus Græco idiomate expressi fuerint, hoc nobis nequaquàm obest, quia isto idiomate non exprimebantur *de communiter contingenti*, atque insuper eo non obstante, nomina propria imperatorum fuerunt semper *Latina*.

Obj. 4°: Juxta antiquum Romanorum usum littera D non videtur numerum quingentorum designàsse; utpote quem illi litteris IↃ exprimere solebant. Unde Dominicus Baudius, vir eleganti litteraturâ ornatissimus, Epist. centur. 1, ep. 79, desuper ita scribit: *Inter litteras numerorum indices non refero D, quæ plerisque imperitis videtur designare quingenta: sed puerili errore id accidit ob affinitatem hujus notæ IↃ et D. Consimili modo factum ut Pandectæ significentur per ff, quòd Græci uterentur hâc notulâ* Π... *Vidi tamen non absurdos homines, qui vulgarem hallucinationem defensum irent auctoritate Martiani Capellæ, aliorumque ejus farinæ.* Imò in versiculis seu sententiis chronographicis, quæ annis abhinc ducentis scribebantur, littera D numeralis non erat, uti inter alia demonstrari potest ex versibus de morte Caroli V apud Pontum Heuterum in Historiâ de rebus Belgicis, ad calcem, ubi inter cætera habetur hoc chrono-distichum:

Cæsareos fasCes tIbI FerdInande resIgno:
InCoLo CœLestIs atrIa Magna poLI.

Ergo malè cum D. Bossuet quærimus numerum bestiæ 666 in præfatis vocabulis: *Diocles Augustus*, quandoquidem hæc tantùm faciant 166. — Resp.: Neg. ant.; nam etiam Romani numerum mille litteris CIↃ exprimere solebant, et tamen, hoc non obstante, littera M apud ipsos designabat jam memoratum numerum, ut omnes litterati fatentur; ac proinde ex eo quòd numerum quingentorum expresserint litteris IↃ, malè concluditur quòd littera D eum tem numerum non designaverit. Quantùm verò ad Dominicum Baudium, eidem præter Martianum Capellam oppono Valerium Probum, primi seculi grammaticum, cujus meminit Suetonius, lib. de claris Grammaticis. Is autem, lib. de Notis Romanorum, pag. 1478 edit. Colon. seu Genev. anni 1622, sic habet: *C centum significat, quia prima littera ejus numeri est; D quingenta, quia, ut nonnullis placuit, C D subsequatur; vel, ut aliis, quia inter hanc et M, quod mille significat, quinque litteræ intercedant.*

Nec dici potest auctoritatem istam enervari, non solùm ob ineptas rationes quas affert Valerius Probus, sed quia ex illis ipsis, et ex toto stylo incompto ac minùs Latino istius libelli, seu illorum fragmentorum, quæ edidit Dionysius Gothofredus, gravis oritur suspicio vel hunc librum non esse Valerii Probi, qui primo seu aureo seculo vixit, vel certè interpolatum et corruptum esse. Istud, inquam, dici non potest: nam non enervatur auctoritas alicujus historici per hoc quòd rationes ob quas narrat tale vel tale quid contigisse, non subsistant, siquidem eo non obstante potest esse fidelis in referendis factis sui temporis. Ac proinde sufficit nobis quòd Valerius Probus referat, litteram D juxta antiquum Romanorum usum significàsse quingenta; licèt ratio quam desuper allegat videatur inepta. Quod verò attinet stylum incomptum et minùs Latinum istius libelli, inde pariter infundatè concluditur, illum vel non esse Valerii Probi, vel eumdem interpolatum et corruptum esse; nam quòd etiam optimi Latini non semper scribant æquè eleganti stylo, sed subinde satis incompto et obscuro, manifestum est ex variis scriptis ac libellis.

Denique quod ex Heutero allatum est de versibus in morte Caroli V, etiam nihil evincit, quia inde tantùm sequitur quòd littera D apud quosdam particulares numeralis non haberetur, tametsi de communiter contingenti verè talis foret: eodem ferè modo quo jam ex opposito littera Y apud quosdam particulares numeralis est, tametsi de communiter contingenti talis non sit.

CAPUT XIV.

Hoc capite S. Joannes consolatur fideles qui post scriptam Apocalypsim passuri erant crudelitates tyrannorum, seu imperatorum ethnicorum ; eis exponit præmia quæ à Christo Domino consecuturi sunt, atque ita animat ad firmam patientiam. Angeli annuntiant instare horam judicii Christi, atque magnæ Babylonis excidium. Cultoribus bestiæ infernus intentatur.

QUÆSTIO PRIMA.

Qui et quales sint centum quadraginta quatuor millia virginum.

Vers. 1 : *Et vidi, et ecce Agnus stabat supra montem Sion.* Hoc est, dùm inter visas tot calamitates, ac diras persecutiones stupens et dolens hinc inde circumspexi, exhibita est mihi alia rerum facies : nimirùm Agnus cum glorià stans supra montem Sion. Porrò mons Sion est civitatis Jerusalem suprema arx, in quâ Salomon ædificavit templum ac regium palatium. Hinc ille mons factus est singularis figura et catholicæ Ecclesiæ, et cœlestis civitatis, in quâ nunc regnat Christus Dominus. Et ideò ille dicit, psal. 2 : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus ;* atque propterea S. Joanni Agnus apparet supra montem Sion, et apparet stans, id est, gloriosus ac resuscitatus à mortuis.

Et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis ; non nomen bestiæ, sed nomen Agni ac Dei Patris ; et hoc gestabant in frontibus suis : quia nempe magnum illud unigeniti Dei nomen coram imperatoribus ethnicis, et cunctis eis adhærentibus tyrannis ac potestatibus liberâ voce confessuri erant. Nonnulli putant signum istud esse sacrosancta Jesu Christi sacramenta, præsertim baptismum et confirmationem ; nam hoc posterius datur in fronte ; attamen vero similius est quòd hìc per illud signum intelligatur quædam alia istorum sanctorum prærogativa, de quâ supra, cap. 3, v. 12, dicitur : *Qui vicerit...., scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem...., et nomen meum novum.* Porrò per hanc prærogativam videtur posse intelligi aureola martyrii aut sanctæ virginitatis.

Cæterùm Alcazar putat præfata centum quadraginta quatuor millia esse duodecim signatorum millia, ex singulis duodecim tribubus filiorum Israel, supra, cap. 7 ; nam duodecies duodecim sunt centum quadraginta quatuor. Attamen id dici non potest, quia cap. 7 agitur de solis Judæis ; hìc verò agitur etiam, et quidem præcipuè, de christianis gentilibus. Longè tamen plura millia sunt, ac proinde videtur hic numerus pro indefinito et maximo numero usurpari, qualis est prædestinatorum, præsertim martyrum, qui persecutionibus omnibus, de quibus antea in hoc libro sermo fuit, restitère. Vide quæ de duodenarii numeri significatione diximus cap. 4, quæst. 1.

Vers. 2 : *Et audivi vocem de cœlo, tanquàm vocem aquarum multarum.* Hæc est vox centum quadraginta quatuor millium, Agni triumphum exornantium. Dicitur, *tanquàm vocem aquarum multarum*, quia erat numerosissimus populus ; Apocalypsis enim per aquas passim intelligit populos ; et id patet infra ex cap. 17, v. 15. Et hinc liquet quòd centum quadraginta quatuor millia hoc loco importent non determinatum, sed indeterminatum numerum omnium utriusque sexûs virginum.

Vers. 3 : *Et cantabant quasi canticum novum...., e nemo poterat dicere* (imò nequidem *discere*, ut habet textus Græcus) *canticum, nisi..... qui empti sunt de terrâ.* Neque angeli, neque viventes homines discere poterant vel canere hoc canticum, utpote quod martyrum duntaxat et virginum coram Dei solio concinere intererat ; pro illis enim tantùm compositum fuerat. Continebat quippe eos sensus qui ad illos tantùm pertinebant, et ad victoriam spectabant, quam illi retulerant. *Empti sunt de terrâ*, ab origine quidem ex numero mortalium sunt, sed merita sanguinis Agni illos de peccati ac mortis servitute eduxerunt, ut in cœlo innocentiæ suæ mercede atque beatâ immortalitate gauderent, feliciter de gutture draconis, atque idololatrarum illecebris liberati.

Vers. 4 : *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati ; virgines enim sunt.* Cùm juxta prophetarum stylum fornicatio idololatriam significet, virginitas à sordibus sacrilegi cultûs immunitatem designare videtur. Itaque secundùm Bossuet et Calmet isti hoc sensu virgines sunt, quòd non ceciderint in immunditiam cultûs idololatrici, in quam tempore Romæ paganæ, metu tormentorum ceciderant varii alii. Hic autem sensus non impedit, inquit idem Bossuet, quominùs S. Joannes simul expresserit singularem quamdam prærogativam SS. virginum, seu eorum qui illibatum virginitatis florem custodierunt ; de quâ prærogativâ in tertiâ parte libri Pastoralis ita scribit S. Gregorius : *Singulariter canticum Agno cantarè, est cum eo in perpetuum præ cæteris fidelibus etiam de incorruptione carnis gaudere.* Item S. P. Aug., lib. de S. Virginitate, cap. 27, hoc modo SS. alloquens virgines : *Vos affertis ad nuptias Agni canticum novum, quod cantatis citharis vestris. Non utique tale quale cantat universa terra, cui dicitur :* « *Cantate Domino canticum novum ; cantate Domino, omnis terra ;* » *sed tale quale nemo potest dicere nisi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypsi quidam præ cæteris dilectus Agno.... Ipse vos vidit duodecies duodena millia sanctorum citharœdorum illibatæ virginitatis in corpore, inviolatæ veritatis in corde. Et quia sequimini Agnum quòcumque ierit, scripsit ille de vobis. Quò putamus hunc Agnum ire ? In quos saltus et prata ? Ubi, credo, sunt grandia gaudia, non gaudia seculi hujus vana, insaniæ mendaces ; nec gaudia, qualia in ipso regno Dei cæteris non virginibus erunt ; sed à cæterorum omnium gaudiorum sorte distincta. Gaudium virginum Christi de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Nam sunt aliis alia, sed nullis talia.* Ex quibus aliisque supra dictis liquet quòd per canticum novum hìc intelligatur SS. martyrum ac virginum aureola,

Porrò S. Joannes dicit esse, non novum canticum, sed quasi novum; nimirùm ipsum comparat ad communem omnibus sanctis gloriam, et sic non est novum, sed duntaxat quasi novum, quia non est nisi quoddam ejus additamentum.

Hi empti sunt ex hominibus, primitiæ Deo et Agno; hoc est, Deus per misericordiam suam illos de medio peccatorum atque idololatrarum eripuit; et à periculis et communi contagione præservavit, eosque in hæreditatem præclaram atque distinctam sibi elegit. *Primitiæ* ea dicuntur nonnunquàm, quæ in re quâvis optima sunt et præstantissima; quo sensu Jeremias, cap. 2, v. 3, ait Israelem Domino fuisse dedicatum veluti primitias: *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus,* Itaque sicut Israel præ omnibus gentibus fuit electus et dilectus Deo, eique oblatus quasi primitiæ, ut esset populus ejus peculiaris, fidelis et sanctus, sic ex omnibus Christianis martyres et virgines quasi primitiæ nobilissimæ, Deoque acceptissimæ, secernuntur et offeruntur; ac proinde hìc vocantur *primitiæ,* quia sunt inter sanctos præstantissimi et nobilissimi. Hinc S. Hieron., lib. 1 contra Jovinianum, de Prærogativâ virginum, ita scribit: *Si virgines primitiæ Dei sunt, ergo viduæ et in matrimonio continentes erunt post primitias, id est, in secundo et tertio gradu; nec priùs perditus populus salvari poterit, nisi tales hostias castitatis Deo obtulerit, et immaculatum Agnum purissimis victimis reconciliaverit.*

QUÆSTIO II.

De quibusdam aliis hoc caput concernentibus.

Vers. 6: *Et vidi alterum angelum volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum.* Post persecutorum interitum, et idololatriæ excidium nihil aliud restabat, nisi ut Jesu Christi Evangelium regnaret, per omnem terram annuntiaretur, et ultio repeteretur ob effusum martyrum sanguinem. Hoc autem annuntiat angelus qui hìc apparet. Gerit Evangelium æternum, ad finem usque seculorum duraturum; quà in re, et à lege Mosaicâ distinguitur, quæ ad Messiam usque tantùm duravit, et ab inani gentilium religione, in omnibus terrarum plagis jamjam delendâ atque exterminandâ.

Vers. 7: *Timete Dominum...., quia venit hora judicii ejus.* Gentiles populi, qui hactenùs in ignorantiæ caligine et Dei contemptu vixistis, incipite illum timere, adorare, amare, nisi omne justitiæ illius pondus subire velitis. Propè est ut percutiat; sed aptea minas intentat, ut ictus evitandi vobis tempus suppeditet.

Vers. 8: *Alius angelus secutus est dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna;* id est, excidium jam decretum est, jam certus est ejus interitus; Deus enim sententiam in eam pronuntiavit. Babylonis nomine Roma intelligitur, à barbaris populis qui Romanum imperium invaserunt, oppugnata, et ab Alarico capta atque direpta. S. Joannes hìc alludit ad illa Jeremiæ verba, cap. 51, v. 8: *Subitò cecidit Babylon et contrita est;* vel ad illa Isaiæ cap. 21, v. 9: *Cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt in terram.* Babylonia nondùm ceciderat, quando prophetæ illi ita loquebantur; sed illius excidium in decretis Dei jam erat constitutum. Idipsum hoc in loco dicendum de Româ, idolorum cultui mancipatâ, et quæ fideles persequebatur. Illius uti et idololatriæ eversionem in æterno Dei judicio jam decretam esse, et nunc instare, hìc prædicit angelus. Prædictionis hujus eventus planissimè videbitur cap. 17 et 18.

Quæ à vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes. Propinavit illa omnibus gentibus calicem iræ Dei, quæ justa est pœna prostitutionis, et idololatriæ, in quam illos impulerat. In se ipsam omnesque sceleris sui participes Domini ultionem pertraxit.

Vers. 9: *Tertius angelus* explicat ea quæ duo priores prædixerant. Ait autem quòd quicumque bestiam adoraverit, vel in se illius characterem acceperit, v. 10, *bibet de vino iræ Dei,...., et cruciabitur igne et sulphure* in inferno, *in conspectu angelorum sanctorum, et ante conspectum Agni.* Agnus eorum judex erit, angeli erunt supplicii spectatores, dæmones verò ministri. Hìc opponit vinum iræ Dei, calici quem Babylon amatoribus suis bibendum dedit. Qui biberit ex calice Babylonis, calice iræ Dei inebriabitur.

Vers. 14: *Ecce nubem candidam.* Ecce divini judicii apparatum, et præludia ejus ultionis de quâ supra fuit sermo. Apparet Jesus in nubibus quemadmodùm sæpè in Evangelio prænonuit se venturum ad ultionem suam exercendam. *Habentem,.. in manu suâ falcem acutam.* Proxima Domini ultio v. 14 et seq. nobis exhibetur sub imagine messis atque vindemiæ; quæ figura apud prophetas est familiaris; Joel. 3, v. 13: *Mittite falces, quoniam maturavit messis; venite et descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia.* Vide et Jeremiam, Thren. 1, v. 15.

Vers. 16: *Demessa est terra;* Romanum imperium vastatum est, Roma capta et direpta ab Alarico et iis qui cum illo venerunt, anno 410.

Vers. 17; *Et alius angelus exivit de templo...., habens et ipse falcem acutam.* Per hanc falcem significatur, captâ Româ, adhuc superesse alium imperii Romani casum. Et hinc, v. 18: *Alius angelus exivit de altari, qui habebat potestatem supra ignem.* Angelus ignis significat angelum belli et divinæ ultionis ignem latè in omnes gentes effundentem. Nihil in Scripturis magis commune quàm bellum iramque Dei ignis nomine exhibere. *Mitte falcem tuam..., quoniam maturæ sunt uvæ,* Incipe uvam secare; jam enim matura est. Replevit Roma mensuram scelerum suorum, iræ tempus advenit. Missa fuit falx, v. 19. Uva cæsa fuit, et in torculari iræ Dei collecta. Romanum imperium sensit ultionem quam Deus contra idololatriæ reliquias exercuit. Porrò id videtur impletum, dùm, anno 451 et 452, Attila, Hunnorum rex, et cognomento *Flagellum Dei*, septingenta hominum millia in aciem ducens, Italiam pluresque alias provincias vastavit; pugna conserta adeò horribilis, ut ei vix par ulla veterum fuerit alia. Fuisse sanguinolentissimam, inde satis

patet quòd cæsa utrinque fuerint centum sexaginta duo millia hominum. Atque propterea non immeritò, v. 20, additur : *Calcatus est lacus extra civitatem.* Romanæ enim urbi propter S. Leonem pontificem pepercit. *Et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum per stadia millia sexcenta*, id est, per 67 circiter communes leucas. Est hìc exaggeratio, per quam significatur maxima copia sanguinis, quæ tunc effusa est; totus quippe Occidens sub Attilâ sanguine inundabat.

CAP. XV, XVI.

Joannes in cœlo videt septem angelos habentes septem plagas novissimas. Videt et sanctos qui vicerunt bestiam, cantantes canticum Moysi et canticum Agni. Septem angeli de templo exeunt, et ordine quisque suo phialas suas in terram, mare, flumina, etc., *effundunt, ac totidem plagis sævissimis bestiæ sectatores feriant.*

QUÆSTIO UNICA.

Quandonam impleta sint illa quæ hìc narrantur de septem plagis novissimis, phialis effusis in terram, etc.

Cap. 15, v. 1 : *Et vidi..... angelos septem, habentes plagas septem novissimas.* Angeli isti erant iræ divinæ ministri, atque percussuri erant Romam paganam, quæ nefariè sanctos fuerat persecuta, eorumque sanguinem effuderat. Istæ plagæ dicuntur *novissimæ*, quia erant ultima Dei flagella quibus percutiendum erat Romanum imperium idololatricum. Et ideò subjungitur : *Quoniam in illis consummata est ira Dei.*

Vers. 5 : *Apertum est templum tabernaculi testimonii in cœlo.* S. Joannes ea quæ in cœlo vidit describit juxta exemplar eorum quæ in templo Jerosolymitano videbantur. Porrò tabernaculum testimonii videtur hìc designare eam templi partem quæ appellabatur *Sanctum sanctorum*, in quâ erat arca fœderis, ubi majestas Domini residebat, et de propitiatorio oracula reddebat.

Vers. 6 : *Et exierunt septem angeli*, nimirùm è Sancto sanctorum, tanquàm à conspectu majestatis Dei, *habentes septem plagas*, jussu Dei in Ecclesiæ persecutores effundendas. *Vestiti lino mundo et candido*, veluti sacerdotes, dùm ministrabant in templo. Vestis hæc significat puritatem intentionis et animi candorem quo angeli divinæ justitiæ pœnas exequuntur, aliter longè quàm homines, qui quando secundùm divinas leges de peccatoribus pœnas sumunt, irâ, odio et aliis nigris affectibus, quos permiscent, munditiem et candorem intentionis subinde commaculant.

Vers. 7 : *Et unum de quatuor animalibus*, cui fortassè reliqua tria animalia hoc commiserant, quia omnium quatuor evangelistarum idem est Evangelium, sive quatuor libri unius Evangelii. Alii *unum* accipiunt pro *primo*, uti sæpè accipitur apud Hebræos. *Primum* autem *animal simile erat leoni*; ut dicitur sup., cap. 4. *Dedit septem angelis.* Deus ministerio unius evangelistarum utitur in distributione phialarum et plagarum infligendarum peccatoribus, quia peccata quæ vindicantur sunt contra legem evangelicam scriptam et mundo promulgatam à quatuor evangelistis; aut, ut alii volunt, à primo evangelistâ per leonem figurato, quia hoc animal naturâ suâ maximè iracundum et vindicativum est. *Septem phialas aureas plenas iracundiæ Dei*, hoc est, variis plagis refertas, quas ad uniuscujusque phialæ effusionem Deus supra sectatores bestiæ effundet. Phialæ igitur istæ significant justa judicia Dei, in quibus pœnæ peccatoribus à Deo statutæ continentur, donec eas supra ipsos effundat.

Porrò de tempore quo istæ pœnæ *fuerunt* inflictæ, duæ celebriores circumferuntur sententiæ : nimirùm una D. Bossuet, altera D. Calmet. Et quia utraque non caret suâ probabilitate, ideò etiam utramque distinctis paragraphis proponemus. Sit igitur

§ 1. *Proponitur sententia D. Bossuet.*

Resp. et dico : Juxta D. Bossuet quinque priores plagæ contigerunt imperantibus Valeriano et Gallieno; sexta plaga convenit cum persecutionibus Valeriani, Diocletiani et Juliani; septima verò cum temporibus Honorii et Alarici. Itaque, cap. 16, v. 2, ex mandato Dei *abiit primus* (angelus), *et effudit phialam suam in terram; et factum est vulnus sævum et pessimum in homines qui habebant characterem bestiæ, et in eos qui adoraverunt imaginem ejus.* Per vulnus sævum intelligitur pestis quæ sub Valeriano gravissimè Alexandriæ desæviit ob persecutiones ab illo contra Christianos excitatas, ut patet ex S. Dionysio Alexandrino, qui illo tempore vixit, et apud Eusebium, lib. 7 Histor. eccles., cap. 17, ita scribit : « Sicut de primogenitis Ægyptiorum scriptum est, sic et nunc ingens clamor editur; non enim est domus in quâ non sit mortuus... Bellum et fames eos (nimirùm idololatras) de improviso oppressère, quæ quanquàm nos unà cum gentilibus perferebamus, soli tamen inter omnes, quæcumque urgebant, æquo animo sustinuimus. Et tametsi illarum rerum, quas illi cùm conscivissent ipsi inter se, tùm præterea perpessi essent, eramus ex æquo participes; pace tamen Christi, quam nobis solùm clemens largitus est, rursùm miré nos ipsos oblectavimus. Cæterùm vix tum nos, tum illi, brevissimâ ad respirandum sumus intercapedine potiti, cùm pestis illa subitò grassari cœpit; res planè illis ad terrendum omni metu formidolosior, ad excruciandum quâvis calamitate miserior acerbiorque, et ut proprius illorum scriptor memorat, ad cogitandum solùm omnium opinione major. Verùm nobis non ejus generis putabatur, sed à Deo cùm ad fidem nostram exercendam, tùm ad tolerantiam animi probandam, nihilo minùs quàm alia rerum incommodarum genera, quæ aliquando obtigissent, cœlitùs inflictam. Et sicut aliquibi à nobis minimè abstinuit, sic in gentiles longè latèque oberravit. » Addit deinde S. Dionysius quòd gentiles suos amicos et proximos, qui ægrotare incipiebant, ab ædibus extruderent, et in plateas semivivos projicerent, dùm interim Christiani, omnes adjuvando, pestem contrahebant. Cæterùm ex præcitatis verbis observandum etiam est quòd pestis illa non adeò in Christianos ac in gentiles desævierit; item quòd Christiani illam non ut plagam, sed ut virtutum exercitium à Deo

missum acciperent. Ac proinde hinc patet quare dicatur hæc plaga, quamvis aliquo modo fuerit communis, in impios effusa.

Hæc pestis, inquit Bossuet, haud dubiè est ista quæ incœperat aliquot annis ante Valerianum, nimirùm tempore persecutionis Galli et Volusiani : sed de tempore in tempus aucta fuit ; et Sozomenus, lib. 1, testatur quòd post incarcerationem Valeriani, et sub Gallieno, ejus filio, fuerit multò major, et adeò universalis, ut nunquàm antea fuerit talis.

Vers. 3 : *Et secundus angelus effudit phialam suam in mare, et factus est sanguis.* Hic denotantur bella quæ totum imperium, quod per aquas maris significatur, sanguine inundârunt.

Vers. 4 : *Et tertius* (angelus) *effudit phialam suam super flumina.* Hæc designant Romanas provincias, in quibus tam sanguineæ exortæ sunt seditiones, ut præfatus Dionysius apud Euseb., lib. cit., cap. 10, de solâ Alexandrinâ seditione dicat quòd *fluvius qui in urbem labitur.... sanguine, cæde et hominibus in eum demersis, contaminatus semper defluat.* Unde non immeritò hæc potest dici plaga ista, de quâ hic legitur quòd post effusam phialam super flumina et fontes factus sit sanguis. *Angelus aquarum*, qui, v. 5, inducitur, et alter ab altari, v. 7, celebrantes justa Dei judicia, figurant gaudium quod est in cœlo de Dei vindictâ in Ecclesiæ persecutores.

Vers. 8 : *Et quartus angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi æstu affligere homines et igni.* Hæc plaga eodem moraliter tempore contigit quo præcedens : nam, ut rursùs loco cit. scribit Dionysius, tunc aquæ Nili à sole ita exsiccatæ fuerunt, ut alveus ejus aridior apparuerit quàm solitudo aquæ expers ; et inde secuta est fames, intima depascens viscera, ut scribit S. Cyprianus, epist. ad Demetr., v. 9. *Et blasphemaverunt nomen Dei*, idololatræ videlicet, harum omnium plagarum causam in Christianos rejicientes, ut ibid. addit S. Cyprianus.

Vers. 10 : *Et quintus angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ*, id est, super Romam paganam; *et factum est regnum ejus tenebrosum.* Hæc plaga inflicta fuit dùm Valerianus, à Sapore rege Persarum captus, eidem, ut supra, cap. 8 et 9, quæst. 4, ex Orosio vidimus, tanquàm scabellum fuit ad ascendendum equum, et tunc sub illo ac sequentibus imperatoribus usque ad Diocletianum adeò Romanum imperium, antea splendidissimum, obscuratum fuit, ut ad illius defensionem opus fuerit imperatoriam dignitatem inter varios dividere, prout patet ex Orosio, lib. 7, cap. 23 et seqq.

Vers. 12 : *Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphraten, et siccavit aquam ejus.* Siccare aquam fluminis, secundùm stylum prophetarum, idem est quod aperiè transitum, uti liquet ex Isaiæ 11, v. 15 et 16, Zachar. 10, v. 11. Et ideò etiam hic statim subjungitur : *Ut præpararetur via regibus ab ortu solis.* Porrò hæc plaga est initium totalis ruinæ Romæ paganæ, quæ à regibus Persiæ et Orientis provenit. Vide quæ desuper dicta sunt supra, cap. 9, quæst. 4, circa finem.

Vers. 13 : *Et vidi de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos*, subintellige *exire.* Hi sunt philosophi illi physico-magici, de quibus egimus cap. 13, quæst. 2; qui imperatores ethnicos suis magiis et falsis deorum oraculis ad bellum contra orientales reges excitabant, certam eis promittentes victoriam, modò Christianos persequerentur. Tres spiritus de triplici illo ore egredientes, in particulari tria nobis significant tempora : primum est Valeriani, quem Joannes hic principaliter tangit, ab illo enim tum persecutio præcipua in Christianos, tum Romæ ruina initium sumpsit ; secundum est Diocletiani, et tertium Juliani Apostatæ : hi namque à magis decepti, non solùm ad propriam pervenerunt ruinam, sed et viam maximè aperuerunt totali imperii desolationi.

Vers. 14 : *Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa* magica, per quæ super Romam paganam provocantes Dei vindictam, *procedunt ad reges totius terræ congregare illos* suis impietatibus *in prœlium ad diem magnum omnipotentis Dei*, in quo se de Româ ejusque imperatoribus vindicabit, in loco *qui*, v. 16, *vocatur Hebraicè Armagedon*, id est, ultionis et cædis.

Vers. 17 : *Et septimus angelus effudit phialam suam in aerem, et exivit vox magna de templo à throno, dicens : Factum est.* Hoc est, jam totalis ruina Romæ paganæ à Deo decreta est ; jam Gothi, omnesque barbari imperium invadunt. *Fulgura, et voces, et tonitrua, et terræ motus*, quæ hic, v. 18, sequuntur, signa sunt universalis, non tantùm totius imperii, sed et mundi commotionis. Desuper S. Hieron., proœm. in Ezech., ita scribit : *Clarissimum terrarum omnium lumen extinctum est, imò Romani imperii truncatum caput, et, ut verius dicam, in unâ urbe totus orbis interiit.*

Vers. 19 : *Et facta est civitas magna in tres partes.* Hoc impletum fuit dùm Gothi Romam deprædati sunt, eamque incenderunt ; tunc enim Romanum imperium in tres partes divisum est. Honorius principatum Ravennæ obtinuit, Attalus Romæ, et Constantinus, non ille Magnus, seu filius Constantii Chlori, sed quidam alius *ex infimâ militiâ, propter solam spem nominis, sine merito virtutis eligitur, qui continuò ut invasit imperium, in Gallias transiit*, uti habet Orosius, lib. 7, cap. 40 et 42. De eodem Constantino narrat Sozomenus, lib. 9, cap. 9, milites in Britanniâ per seditionem eum in tyrannum inaugurâsse, qui, cùm ex Britanniâ in Gallias trajecisset, *eas provincias sibi subjiciebat, usque ad montes eos qui Galliam separant ab Italiâ, et à Romanis Cottiæ Alpes nominantur. Civitates gentium ceciderunt*, dùm Gothi Galliam, Hispaniam, Britanniam, aliasque provincias interceperunt. *Babylon magna venit in memoriam ante Deum*, dùm Alaricus Romam expugnavit. Atque ita præfatas plagas evenisse, et prophetiam S. Joannis impletam fuisse, sustinet Bossuet.

Interim ejus sententiæ se opponit Calmet, qui de eâdem dicit : « Hoc systema probari quidem potest ; at ego quidem tria invenio quæ absurda videri pos-

sunt : primum, quòd repentè à Juliano ad Valerianum retroceditur per spatium annorum fermè centum ; alterum, quòd gressus fit repentè à Valeriano ad Julianum, à Juliano ad Honorium et Alaricum, quæ quidem intervalla grandiuscula mihi videntur. Tertiò S. Joannes supponit hæc omnia pœnam esse persecutionum, de quibus locutus est supra, cap. 13, et bestiam, quæ illas peperit, adhuc vigere. At bestia tunc solùm apparuit, cùm Diocletiani persecutio descripta fuit. » Ita Calmet.

Porrò, qui sententiam Bossuet tueri vult, ad argumenta Calmet respondere potest hoc modo : Videlicet ad primum, quòd in prophetiis non idem semper sit ordo qui est in rebus in eisdem prophetatis. Ad secundum, quòd ipsemet Bossuet istud argumentum prævenerit, dicens : « Nec mirandum quòd Spiritus S. repentè transferat Joannem à tempore Valeriani ad tempus Juliani, quæ longè ab invicem distant ; proprium enim est prophetis de uno objecto ad aliud transferri, quando inter utrumque est magna convenientia, quæ indubiè hìc invenitur : Valerianus enim, et Julianus ab eisdem hostibus, scilicet à Persis, cæsi sunt in pœnam persecutionum quas contra Ecclesiam excitârunt, et uterque causa fuit totalis ruinæ Romæ paganæ. » Denique ad tertium dici potest quòd nitatur falso supposito ; ait enim Calmet : *Bestia tunc solùm apparuit, cùm Diocletiani persecutio descripta fuit ;* ubi videtur supponere Diocletianum esse bestiam, de quâ hìc agit S. Joannes ; Bossuet autem non dicit bestiam essè Diocletianum, sed apertis terminis ad v. 10 ait : *Bestia, ut vidimus, est Roma idololatra.*

§ 2. *Proponitur sententia D. Calmet.*

Quanquàm responsiones quæ jam datæ sunt ad duo priora argumenta Calmet sint satis plausibiles, tamen illa, quæ data est ad tertium, non videtur tollere omnem difficultatem. Nam licèt bestia sit Roma idololatra, eò quòd per suos imperatores persecuta fuerit Ecclesiam, tamen, ut supra, cap. 13, quæst. 1, vidimus, Joannes ibidem non agit de quibuscumque Ecclesiæ persecutionibus, sed tantummodò de ultimâ, quæ dicitur *Diocletiani*, uti etiam ipsemet D. Bossuet ibidem fatetur. Ergo verum est quòd bestia tunc solùm apparuerit, cùm Diocletiani persecutio descripta fuit. Atque hinc contra sententiam Bossuet formari potest hoc argumentum : Joannes hìc, cap. 16, v. 2, agit de plagis seu pœnis quæ inflictæ sunt hominibus, *qui habebant characterem bestiæ, et qui adoraverunt imaginem ejus ;* atqui supra, cap. 13, per bestiam non intelligitur Roma pagana, quatenùs Ecclesiam persecuta est per Valerianum et Gallienum, sed quatenùs eam persecuta est per septem sua capita, videlicet per Diocletianum et sex alios ibidem memoratos imperatores ; ergo S. Joannes hìc non agit de plagis quæ idololatris inflictæ sunt tempore Valeriani et Gallieni, sed quæ ipsis tempore Diocletiani et deinceps inflictæ fuerunt. Itaque in sententiâ D. Calmet ea quæ S. Joannes hìc de istis plagis narrat, exponuntur sequenti modo :

Vers. 2 : *Abiit primus* (angelus), *et effudit phialam*, et homines idololatræ percussi sunt plagâ sævâ ac pessimâ. Hæ plagæ, quibus Deus percussit homines, in bonos æquè ac impios deciderunt, cum hoc tamen discrimine, quòd boni putaverint illa esse virtutis suæ experimenta, vel remedia aut occasiones cœlum promerendi ; impii verò existimaverint vera esse mala ; ideòque quasi in rabiem acti fuerint, et Deum blasphemaverint, ut dicitur v. 9 et seqq.

Vers. 3 : *Secundus angelus effudit phialam suam in mare. Aquæ maris* universum imperium significant ; quemadmodùm *aquæ fluminum et fontium*, v. seq., designant provincias. Unde aquæ maris, et aquæ fluminum, ad effusionem secundæ et tertiæ phialæ in sanguinem mutatæ, indigitant bella quæ Romanum imperium et provincias eidem subjectas inundârunt, cùm rerum summam obtinerent Valentinianus, Valens, Gratianus et sequentes, inquit Calmet. Eo enim tempore Persæ in oriêntali parte, et Gothi aliique barbari in occidentali vexabant imperium. Anno 361 Procopius coronam assumit, et in Valentinianum arma capit. Anno sequenti Germani Rhenum trajiciunt, et Romanos delent. Anno 366 Isauri Asiam percurrunt ; Asturii Africam depopulantur. Anno sequenti Anglia à Pictis et Scotis ferro flammàque vastatur. Imperium iterùm turbatum fuit anno 377 et 378 à Gothis et Germanis, qui annis sequentibus impetum suum minimè retardârunt. Ethnica religio tunc adhuc erat potens, quemadmodùm liquet ex Oratione Libanii, anno 384 pro templorum incolumitate habitâ, et ex petitione Symmachi, qui eodem anno efflagitavit ut ara Victoriæ instauraretur, quam eamdem petitionem senatus anno 392 iteravit.

Vers. 6 : *Quia sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt* Romani tyranni, ideò barbari in imperium effusi, Romano sanguine inebriati sunt. Salvianus, lib. 7, init., ait : *Viginti jam effluxerant anni et ultra, ex quo à Constantinopoli ad Julianas alpes Romanus cruor continenter effunditur.* S. Hieron., epist. ad Heliodor., de plagis istorum temporum ita scribit : *Gothi, Sarmatæ, Quadi, Alani, Hunni, Vandali, Marcomani, inundârunt Scythiam, Macedoniam, Dardaniam, Duciam, agros Thessalonicæ, Achaiam, Epirum, Dalmatiam, omnemque Pannoniam, quas provincias depopulantur, devastant, omnesque mortales in captivitatem traducunt. Undequàque clamores, gemitus, ejulatus, et cædes sexcentis modis illatæ exaudiuntur ; et quasi tot mala ad nostrum interitum non sufficerent, civile bellum plures perdit, quàm qui barbarorum gladiis intereunt.* Ita S. Hieron., testis malorum ævi sui.

Vers. 8 : *Quartus angelus effudit phialam suam in solem*, et homines nimio caloris æstu vexati sunt. S. Hieron., epist. ad Marcellam, affirmat loca magis sublimia, et quæ olim à superstitiosâ civitate sanctissima habita fuerant, sæpè igni de cœlo tacta fuisse in odii signum quo eamdem Deus persequebatur.

Vers. 10 : *Quintus angelus effudit phialam suam super sedem*, seu thronum *bestiæ*, qui tenebricosus factus est. Thronus bestiæ Romana est civitas, quæ quidem erat tanquàm solium imperatorum ; et idolo-

latriæ propugnaculum. Hæc cùm illustris esset et gloriosa, facta est caliginosa et obscura, cùm tradita barbaris obsidetur, expugnatur, diripitur, opibus et ornamentis exuitur, et ad miserrimarum civitatum inopiam redigitur. Hoc autem accidit duobus vel tribus novissimis Alarici annis, scilicet ab anno 408 ad 410. Vide quid desuper dicat S. Hieron, modò citatus.

Et manducaverunt linguas suas præ dolore. Roma adhuc plena erat ethnicis, quanquàm christiana religio imperatorum auctoritate ibi dominaretur. Lapsus hujus civitatis, olim totius mundi dominæ, universum imperium concussit. Provinciæ omnes et præcipuè civitates excidii ejus fuêre participes. Romani, cùm ethnici, tùm fideles, ex calamitosâ eâ urbe aufugerunt ad extremam inopiam redacti, omnesque Occidentis et Orientis provinciæ repletæ sunt hominibus quos Româ barbarorum terror ejecerat. descriptio quam ævi illius auctores (videlicet S. Hieron., epist. 12, S. Aug., lib. 1 de Civ. Dei, cap. 1 et 32, ac Orosius in Historiâ suâ) de hâc dispersione reliquerunt, legentibus mœrorem infert. Romani tamen sese non converterunt; et qui ethnici erant, tot tantaque hæc mala accepta referebant idolorum eversioni et cultui Jesu Christi; et, quod mirum est, plerique eorum, qui hujusmodi blasphemias evomebant, ex eorum erant numero qui mortem evitaverant, vel in Christianorum ecclesias confugiendo, vel se Jesum Christum colere simulando, ut habet S. Aug., lib. 1 de Civ. Dei, cap. 1; qui et ibid., cap. 31, animadvertit Romanos hos profugos, cùm ex patriæ suæ naufragio emergentes, in Carthaginis portum vix appulissent, statim ad theatra cucurrisse, interfuisse iis seditionibus, quæ ibi grassabantur, et majores quàm antea turbas peperisse.

Ut ethnicorum blasphemiis, quas illi ob factum hoc proferebant, responderet S. doctor, magnum illud opus suum de Civitate Dei conscripsit, et Paulus Orosius Historiam universalem adversus est, quæ etiamnùm extat. Et sanè flagitiosos id genus sermones Romanorum, nequam in se scelcribus suis atque in idololatriâ obduratorum, frequentes nimis fuisse opus est, quandoquidem S. Aug. scriò eosdem confutet, atque eorumdem passim meminerit in operibus suis, nimirùm serm. 81, 105 et 106, edit. Paris. Hîc habes quomodò ad litteram probari possint quæ S. Joannes ait de blasphemiis et impœnitentiâ hominum bestiæ throno adhærentium. *Obsessa est urbs Roma et expugnata, et non desierunt blasphemi ac furiosi esse Romani*, inquit Salvianus, lib. 6 de Providentiâ.

Vers. 12 : *Sextus angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphraten*, etc. S. Joannes, ubi Romæ lapsum ostendit, et mala quæ in universo Occidente illum præcesserunt, et subsecuta sunt, in Orientem nos revocat, ut ibi quoque videamus divinæ ultionis effectus in idololatriam, hæresim et magiam. Euphrates exsiccatus innuit apertam esse viam Orientis regibus, ut in Romanorum terras irrumpant, quorum quoddam veluti vallum fluvius ille habebatur. Prophetæ Isaias, cap. 11, et Zacharias, cap. 10, eâdem figurâ usi sunt ut facilitatem nobis innuerent quâ Hebræi de suis captivitatibus Ægyptiacâ et Babylonicâ reversi sunt. Simile quid etiam innuit Psalmista, psal. 65, v. 5.

Porrò quòd tunc temporis Romanorum fines omnibus paterent incursionibus et direptionibus cùm Persarum tùm Isaurorum atque Saracenorum, testatur S. Basilius in epistolâ quæ sub finem anni 373 scripta videtur; ubi ait, à Cappadociâ Constantinopolim usque omnia hostibus plena fuisse, ita ut iter illâc suscipere minimè liceret, et ex ratione quâ hæc ab illo narrantur, malum hoc altero quoque die accidisse videtur. Narrat etiam Sozomenus, lib. 6, cap. 38, quòd Saraceni, pace perfractâ, ad montem Sinai et Erythræum usque mare excurrerint; quæ tanta mala inde sanè proficiscebantur, quòd fines Romanorum circa Euphratem et Orientem non satis erant validi, neque inerat Romanis præsidiis tantùm virium ut eos populos possent in officio continere.

Vers. 13 : *Et vidi de ore draconis*, et bestiæ, et pseudoprophetæ, tres prodire dæmones, tanquàm ranas, qui iverunt ad reges totius terræ, ut eos congregarent in magnum diem Dei omnipotentis; quod mox expleverunt in loco qui Hebraicè dicitur *Armagedon*, quod nomen hîc usurpatur pro loco ultionis et cædis. Ac proinde S. Joannes innuere vult reges et pseudoprophetas, vel magos, qui bestiæ et draconis spiritu se decipi passi sunt, et qui alios decipere quæsiverunt, ab Omnipotente esse judicandos, et ab eodem nequitiæ eorum justam pœnam esse infligendam.

Septima plaga in hoc systemate intelligitur sicuti in systemate D. Bossuet, nimirùm de expugnatione et vastatione civitatis Romanæ per Gothos et Alaricum. Unde vide quæ desuper dicta sunt § præced.

CAP. XVII, XVIII.

Angelus unus ex septem qui effuderunt phialas suas, ostendit S. Joanni damnationem meretricis magnæ, sedentis super bestiam coccineam, quæ habebat capita septem, et cornua decem, etc. *Quorum omnium significationes angelus ei postea interpretatur. Deinde incendium et excidium Babylonis, seu ipsius meretricis describitur.*

QUÆSTIO PRIMA.

Quid intelligatur per meretricem magnam, et Babylonem matrem fornicationum.

Cap. 17, v. 1 : *Et venit unus de septem angelis*, quos præced. cap. vidimus habentes septem phialas iræ Dei, dixitque S. Joanni : *Ostendam tibi damnationem meretricis magnæ;* hoc est, indicabo tibi pœnam, ad quam Deus meretricem illam magnam damnavit. *Quæ sedet super aquas multas*, id est, quæ multis populis præsidet; sic enim, v. 15, se explicat angelus. Populi gentium rectè vocantur aquæ, quia molles sunt, effeminati, libidine et omni luxuriâ diffluentes.

Vers. 3 : *Et abstulit me in spiritu in desertum.* Angelus qui mecum loquebatur, ut distinctiùs mihi explicaret quid sibi vellet ea visio quam paulò ante habueram, extasi mentis spirituali, non translatione corporali, abstulit me in solitudinem, ut nullis alia-

rum rerum imaginibus distractus, attentiùs quod mihi ostensurus erat considerarem. Sic etiam infra, cap. 21, v. 10, angelus iterum S. Joannem aufert in spiritu in montem altum, ut illi ostendat uxorem Agni. *Et vidi mulierem*, quam angelus paulò ante meretricem magnam vocavit, *sedentem super bestiam coccineam*. Urbes atque provinciæ passim sub mulierum imagine repræsentantur, quod prophetis, poetis aliisque profanis auctoribus commune est. Hæc autem induta est cocco vel purpurâ, quâ imperatores induebantur, et quæ supremam significat potestatem. Coccineus color potest innuere sanguinem martyrum quo illa se imbuerat. Erat autem plena *nominibus blasphemiæ*, nimirùm blasphemiis quas ipsa in Jesum Christum protulerat, et quas proferri ab aliis jusserat, ab jis etiam ex numero Christianorum, qui in apostasiam ceciderant.

Vers. 5 : *Et in fronte ejus nomen scriptum : Mysterium*, id est, palam et sine pudore nomen suum, et qualis esset, profitebatur; sicuti impudentissimæ meretrices olim facere solebant, de quibus agit Seneca, controvers. 1, dicens : *Meretrix vocata es, in communi loco stetisti, superpositus est cellæ tuæ titulus. Nomen tuum pependit in fronte, pretia stupri accepisti.* Porrò ista vox *mysterium* non est nomen mulieris, sed per parenthesim interjicitur à S. Joanne, vel ab angelo ei loquente, ad designandum nomen quod mox exprimit non esse verum nomen mulieris, sed solum mysticum, sub quo verum nomen adumbratur. *Babylon magna;* hoc est nomen mysticum quod ipsa in fronte gerit. Unde hæc nequaquàm est Babylon illa, Chaldææ civitas ad Euphratem sita, sed mystica Babylon, omnes veteris Babylonis habens characteres; civitas idololatriâ et superstitionibus diffluens, opprimens populos sub duro dilionis suæ jugo, persequens sanctos Domini, templa subvertens, omnia ad ambitionis suæ normam componens, quæ et Dei flagellum est ad populos puniendos; et postquàm criminum suorum mensuram repleverit, ipsa quoque vicissim calicem iræ Dei, quo tot gentes inebriavit, exhauriet. Itaque

Resp. et dico : Per meretricem magnam, et Babylon, matrem fornicationum, intelligitur Roma pagana, seu ethnica, quæ primis Ecclesiæ seculis persecuta est fideles.

Prob. 1° quia per meretricem intelligi civitatem, ipsemet angelus declarat, v. 18, dicens : *Mulier quam vidisti est civitas magna quæ habet regnum super reges terræ;* atqui hoc nulli civitati propriè convenire potest nisi Romanæ quæ tunc multis aucta victoriis, jus imperii sui terrâ marique protulerat, et veluti domina totius mundi habebatur; ergo, etc.

Prob. 2° quia, v. 2, de eâdem dicitur : *Cum quâ fornicati sunt reges terræ*, utique fornicatione spirituali, quæ est idololatria. Hanc enim Scriptura sacra et præsertim prophetæ *fornicationem* appellare solent, quia per idololatriam anima à vero Deo suo alienatur, et diis falsis seu alienis se prostituit; atqui hoc rursùs nulli civitati meliùs quàm Romanæ convenit, siquidem regnis quæ in Europâ, Asiâ et Africâ, armis aut fœdere Romana potentia sibi subjecit, cum dominatu seculari religionem deorum suorum Roma invehebat, et etiam vicissim deos provinciales in urbem suam, tanquàm in publicum lupanar, admittebat. Unde S. Leo, serm. 1 in Natali apost. Petri et Pauli, de eâdem ait : *Hæc civitas ignorans suæ provectionis auctorem, cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus; et magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem.* Ergo per meretricem magnam rectè intelligitur urbs Romana.

Prob. 3° ex v. 6, ubi S. Joannes de eâdem meretrice ait : *Vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum et de sanguine martyrum Jesu;* hoc est, vidi eam saturam et repletam sanguine sanctorum à se fuso; sicut enim tyranni, qui sanguini fundendo inhiant, dicuntur per metaphoram sitire, haurire et bibere sanguinem, ita qui plurimum sanguinem effuderunt, dicuntur metaphoricè sanguine inebriati. Et cap. 18, v. 24, dicitur : *In eâ sanguis prophetarum et sanctorum inventus est, et omnium qui interfecti sunt in terrâ;* atqui hæc manifestissima sunt indicia quæ Romam et Romanos imperatores designant, qui non tantùm in civitate Romanâ ac locis adjacentibus, sed in toto ferè orbe persecuti sunt Christianos, et infinitum penè martyrum sanguinem effuderunt : ergo, etc.

Prob. 4° : Urbs Romana propter amplitudinem regni, idololatriam, superbiam, luxum ac seculi vanitatem, antiquæ Babyloni, Chaldææ civitati, fuit simillima; ergo more prophetico eamdem sub figurâ Babylonis hic nobis exhibuisse videtur S. Joannes; idque propterea, ne scilicet, si proprium ejus nomen expressisset, animos Romanorum imperatorum, tam graviter contra Christianos offensos, nimis exacerbâsset, tam duras plagas contra Romam prophetans.

Prob. 5° ex SS. Patribus, aliisque antiquis scriptoribus, qui communiter per Babylonem, de quâ fit mentio in Apocalypsi, intelligunt Romam paganam seu ethnicam, qualis fuit in initio Ecclesiæ. S. Hieron., epist. 151 ait : *Secundùm Apocalypsim Joannis, in fronte purpuratæ meretricis scriptum est nomen blasphemiæ, id est, Romæ æternæ.* Præfat. in libros Didymi de Spiritu S., de seipso, cùm Romæ viveret, dicit : *Cum in Babylone versarer, et purpuratæ meretricis essem colonus, et jure Quiritum viverem.* Et in cap. 24 Isaiæ : *Spiritualis Babylon, quæ sedet in septem montibus purpurata, cujus supplicia in Apocalypsi Joannis legimus.* Vide et eumdem ibidem in cap. 47. S. P. Aug., lib. 18 de Civ. Dei, cap. 2, postquàm asseruisset Babyloniam civitatem Chaldææ esse quasi primam Romam, statim subjungit : *Res autem quas propter comparationem civitatis utriusque, terrenæ scilicet et cœlestis, hinc operi oportet inserere, magis ex Græcis et Latinis, ubi* IPSA ROMA QUASI SECUNDA BABYLONIA EST, *debemus assumere.* Et cap. 22 : *Condita est Roma velut altera Babylon, et velut prioris filia Babylonis.* Et cap. 27, Romam vocat *Babylonem Occidentalem.* S. Augustinum sequitur Paulus Orosius, lib. 7 Histor., cap. 4, ubi

ostendit multis in rebus Romam similem esse Babyloni. Denique Tertullianus, lib. contra Judæos, cap. 9, ait : *Babylon apud Joannem nostrum Romæ urbis figuram portat, proindè et magnæ, et regno superbæ, et sanctorum debellatricis.* Idem asserit lib. 5 cont. Marcion., sub initium.

Prob. 6° quia cætera quæ cap. 17 de meretrice magnâ et bestiâ enarrantur, ruisùs Romæ paganæ ita conveniunt, ut nulli alteri convenire posse videantur. Itaque quod angelus, exponens mysterium mulieris et bestiæ, v. 9, ait : *Septem capita, septem montes sunt*, urbi Romanæ convenire manifestissimum est, siquidem hanc super septem colles olim ædificatam esse notum est toti mundo. Colles autem isti sunt Capitolinus, Palatinus, Cælius, Esquilinus, Viminalis, Quirinalis et Aventinus. *Et reges septem sunt;* septem capita non tantùm significant septem colles, sed et septem Romanos imperatores, qui Ecclesiam persecuti sunt : nam quòd numerus septenarius hìc non sumatur pro numero mystico, sed pro exacto, indè patet quòd S. Joannes illos numeret, et videat transeuntes post se invicem, seu unum post alterum. Porrò quia sola persecutio *Diocletiani* executioni mandata fuit nomine et auctoritate septem imperatorum, hinc sequitur quòd septem bestiæ capita non designent illos imperatores qui ante Diocletianum, sed istos qui cum ipso et immediatè post ipsum Ecclesiam persecuti sunt; ac consequenter tum hìc tum supra, cap. 13, de ultimâ Ecclesiæ persecutione agit S. Joannes. Cæterùm septem isti imperatores, ut ante diximus, sunt Diocletianus, Maximianus Herculeus, Galerius Maximianus, Severus, Maxentius, Maximinus et Licinius. Aut si quis Severum expungere, et Constantium Chlorum inserere velit, per me licet. Interim is videat quomodò à difficultatibus supra, cap. 13, quæst. 1, propositis, se expedire valeat.

Vers. 10 : *Quinque ceciderunt*, id est, quinque priores imperatores transierunt, seu extincti sunt. *Unus est.* Iste est Maximinus, qui *graviorem, crebrioremque persecutionem, quàm majores sui, contra nos concitavit*, inquit Eusebius, lib. 8 Histor., cap. 27. *Et alius nondùm venit;* nempe septimus, seu Licinius nondùm venit ad fideles persequendum : nam, quamvis tempore Maximini iste etiam esset imperator, non tamen tunc erat Ecclesiæ persecutor, sed è contra unà cum Constantino decreta in favorem Christianorum et Ecclesiæ ferebat, uti patet ex Lactantio, lib. de Mort. persecut., cap. 47, et Euseb., lib. 10 Histor., cap. 5. *Et cùm venerit* (ad Christianorum persecutionem), *oportet illum breve tempus manere.* Licinius factus est imperator, ut habet Bossuet, anno 307. Decem quidem aut duodecim annis feliciter regnavit; sed dùm contra Constantinum et Ecclesiam se erexit, post tres vel quatuor persecutionis annos, à Constantino cæsus, periit anno 323, ut testatur Eusebius in Chronico, anno 320 et 324. Cùm igitur hæc persecutio tantùm tribus aut quatuor annis duraverit, admodùm brevis fuit, saltem respectivè ad præcedentem, quæ duraverat decem annis.

Vers. 11 : *Et bestia quæ erat, et non est, et ipsa octava est; et de septem est.* His verbis designatur Maximianus Herculeus, unus de septem persecutoribus, de quibus egimus cap. 13, quæst. 1. Etenim, teste Lact., lib. de Mort. persecut., cap. 26, unà cum Diocletiano imperio se exuit, sed illud postea reassumens, dictus est *Maximianus bis Augustus.* Unde est unus de septem, si spectetur primum tempus quo simul cum Diocletiano imperator extitit; et est octavus, si considerctur tempus posterius, quo imperium reassumpsit.

Vers. 12 : *Decem cornua quæ vidisti decem reges sunt.* Per hos intelliguntur isti reges qui varias Romani imperii provincias usurpârunt, et qui ex ingentis illius corporis lanienâ sibi regnum suum constituerunt. Hinc cornua illa insita quodammodò sunt super corpus bestiæ. Porrò denarius numerus, inquit Calmet, generatim magnum numerum significare potest. Quòd si quis tamen numerum exactum invenire cupiat, sequi potest Berengaudum, septimi seculi scriptorem, qui sæpè sub S. Ambrosii nomine in Apocalypsim editus fuit. Hic autem scriptor claris terminis dicit quòd per istos decem reges intelligantur decem regna per quæ imperium Romanum destructum fuit. Decem verò istos destructores enumerans, idem scriptor ait *Persas et Saracenos* Asiæ parte potitos fuisse, *Vandalos* Africâ, *Gothos* Hispaniâ, *Longobardos* Italiâ, *Burgundos* Galliâ, *Francos* Germaniâ, *Hunnos* Pannoniâ, *Alanos et Suevos* plurimis aliis regionibus, quas igne ferroque vastârunt.

Qui regnum nondùm acceperunt : non enim ipso persecutionis tempore, nec etiam dùm Constantinus pacem Ecclesiæ reddidit, barbari illi externique reges in Romanum imperium impetum fecerunt, ibique ditionem suam constituerunt; sed circa initium quinti seculi ea regna constituta sunt. *Sed potestatem tanquàm reges unâ horâ accipient post bestiam.* Textus Græcus habet : *Eâdem horâ cum bestiâ.* Itaque hi externi reges ditionem suam acceperunt *post bestiam*, id est, post extinctionem imperatorum ethnicorum, post profligatum infirmatumque Romanum imperium idololatricum; vel *cum bestiâ*, id est, eodem tempore quo Romanum imperium jam quidem christianis et catholicis imperatoribus parebat; sed ipsa civitas Romana seu populus adhuc idola colebat, uti videbimus quæst. seq. Præfati igitur reges *unâ* vel *eâdem horâ*, seu eodem fermè tempore sibi usurpârunt imperium in Romanis provinciis, et quasi dato signo in omnes ingentes illius imperii partes impetum fecerunt, ut patet ex S. Hieron., epist. 11, ad Ageruchiam, circa finem; item ex Orosio, lib. 7, cap. 36 et seqq.

Vers. 13 : *Ili unum consilium habent*, nempe sedem sibi quærendi in uberiori et commodiori solo quàm patrii sint agri; fertilem aliquam provinciam acquirendi, et locupletandi spoliis Romani imperii, quod reliqua omnia deleverat. *Et virtutem et potestatem suam bestiæ tradent.* Id contigit postquàm prædicti reges vi et armis in Romanis provinciis ditiones sibi usurpârunt; tunc enim imperatores et duces Romani

non semel ultrò ingentique pretio eorum sibi comparârunt auxilia, ut eorum viribus, vel contra alios barbaros, vel contra imperii competitores uterentur, prout testatur Procopius, de Bell. Goth. 1, init.

Vers. 14 : *Hi cum Agno pugnabunt.* Primùm hi populi ethnici fuerunt atque idololatræ; Christianos persecuti sunt, et plurimi fideles perierunt, dùm illi primùm in imperii provincias irruptionem fecerunt Orosius, lib. 7, cap. 32, meminit cujusdam regis Gothi, cui nomen Athanaricus, sub quo complures Christiani martyrii palmam adepti sunt. *Agnus vincet eos*, Id est, illos fidei et christianæ religioni subjiciet. Unde id impletum est, dùm omnes isti populi christianæ fidei colla submiserunt. Verum quidem est eorum nonnullos in Arii errores cecidisse, qui tunc latè perrebuerant; sed brevi plerique ad Ecclesiam catholicam reversi sunt. Burgundi jam erant catholici, ita etiam et Franci. Visigothi in Hispaniâ veram fidem amplexi sunt, et Arianismum abdicârunt sub Recaredo, fratre S. Hermenegildi martyris. Orosius, lib. 7, cap. 41, ait ecclesias Hunnis, Suevis, Burgundis aliisque id genus populis repletas fuisse, cùm interim Romani in medio Christi fidelium mordicùs in idolorum cultu persisterent. Jesus Christus hos barbaros in suam ditionem redegit, *quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum*, uti S. Joannes hìc subjungit. Hi ergo populi, quos antea nationes reliquæ abominabantur et contemnebant, facti sunt *electi et fideles*, ut rursùs idem Apostolus subjungit.

Vers. 16 : *Et decem cornua, quæ vidisti in bestiâ, hi odient fornicariam*, hoc est, Romam adhuc idololatram, ad illius interitum conjurantes. *Et desolatam facient illam*, etc. Hoc factum est à Gothis, prout videbitur quæst. seq. Istorum autem omnium causa, ex parte Dei, fuit ejus vindicta, qui his gentibus tanquàm instrumentis suæ justitiæ usus est ad sanguinem sanctorum ulciscendum; sicut clarè innuit sacer textus, in quo, v. 17, statim additur : *Deus enim dedit in corda eorum ut faciant quod placitum est illi.*

Cæterùm, ex præcitatis verbis : *Hi odient fornicariam*, etc., manifestum est quòd per bestiam aut meretricem magnam non possit intelligi Antichristus, vel ejus tyrannicum imperium, siquidem istud imperium non desolabitur aut destruetur ab aliis regibus, sed ab ipsomet Domino nostro Jesu Christo, qui prout liquet ex Apostolo, 2 Thessalonic. 2, v. 8, Antichristum *interficiet spiritu oris sui*, hoc est, solo halitu vocis, seu unico verbo increpatorio, tanquàm valido fulmine, ut potentia Christi hinc appareat, qui aliis armis non indiget ut hostes suos interficiat.

Dices cum ministro Jurieu, aliisque Protestantibus: Per meretricem magnam intelligitur Roma christiana; etenim apocalyptica meretrix est sponsa infidelis, quæ fidem Deo, tanquàm legitimo sponso datam, dereliquit; atqui hæc tantùm potest esse Roma christiana; ergo, etc. Prob. maj. : Accusatur à S. Joanne de crimine adulterii et infidelitatis conjugalis; atqui Spiritus S. paganismum in Scripturâ sacrâ nunquàm accusat de crimine adulterii; cùm enim fidem Deo nunquàm dederit, illam non potuit violàsse; ergo. — Resp. : Neg. maj. ejusque probationem, ac dico cum Bossuet in præf., num. 9, istam expositionem ministri Jurieu directè esse contra litteram sacri textûs : nam S. Joannes studiosè evitavit mulierem de quâ agit vocare *adulteram*, *sponsam infidelem*, MOICHADA, MOICHALIDA; sed illam vocat *meretricem magnam fornicariam*, idque non semel, sed iteratò : *Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ*, PORNEES, *cum quâ fornicati sunt*, EPORNEUSAN, *reges terræ, et inebriati sunt.... de vino*, non adulterii, sed *prostitutionis ejus.*

QUÆSTIO II.

Quandonam impletum sit id quod S. Joannes narrat de casu Babylonis magnæ.

Cap. 18, v. 1 : *Post hæc vidi alium angelum*, clamantem voce magnâ, v. 2 : *Cecidit Babylon magna.* Romæ idololatræ interitus maximum erat hujus prophetiæ argumentum. S. Joannes eisdem utitur terminis quibus Isaias et Jeremias Babylonis Chaldææ metropolis excidium olim descripserunt, ut exhibeat interitum et vastitatem Romæ, quæ Romani imperii caput erat. Confer Isai. 21, v. 9, Jerem. 51, v. 8.

Et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritûs immundi, et custodia omnis volucris immundæ et odibilis. Quia creduntur vulgò dæmones atque spectra desertis incultisque locis potiri, hinc in jam citato textu est metaphorica locutio, secundùm quam prophetæ, qui magnarum urbium interitum atque exitium describunt, dicunt istas redigendas esse eò vastitatis, ut ibi dæmones, spectra, aves immundæ ac lugubres, animantia virulenta et ominosa suam sedem constituant. Patet hoc ex Isaiâ, qui interitum Babylonis vaticinans, cap. 13, v. 19 et seqq., ait : *Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta superbia Chadæorum; sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrham. Non habitabitur usque in finem, et non fundabitur usque ad generationem et generationem; nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi. Sed requiescent ibi bestiæ, et replebuntur domus eorum draconibus; et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi; et respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, et sirenes in delubris voluptatis.* In versione Septuag., loco *pilosi* habetur *dæmones.*

Porrò omnes auctores qui sustinent quòd S. Joannes hìc describat interitum Romæ paganæ (qualis fuit tempore quarti, et initio quinti seculi) communiter asserunt istam prophetiam adimpletam esse dùm Roma ab Alarico capta fuit. Etenim casum ejus per Gothos tunc factum, apertis terminis testatur S. Hieron., epist. 16, dicens : « Terribilis de Occidente rumor affertur, obsideri Romam, et auro salutem civium redimi, spoliatosque rursùm circumdari, ut post substantiam, vitam quoque perderent. Hæret vox, et singultus intercipiunt verba dictantis. Capitur urbs, quæ totum cepit orbem; imò fame perit, antequàm gladio, et vix pauci, qui caperentur, inventi sunt. Ad nefandos cibos erupit esurientium rabies, et sua invicem membra laniârunt, dùm mater non pareit lactenti infantiæ, et suo recipit utero, quem paulò

ante effunderat. » Causa hujus desolationis, ex parte hominum, exprimitur v. 3 : *Quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes, et reges terræ cum illâ fornicati sunt.* id est, idola coluerunt.

Ne autem fideles Romanæ urbis ruinâ opprimerentur, audivit Joannes, v. 4, *vocem de cœlo, dicentem : Exite de illâ, populus meus, ut ne participes vitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis.* Hæc rursùs in devastatione Romæ videmus adimpleta : nam S. Hieron., epist. præcit., de Anastasio papâ ita scribit : *Succedit in pontificatum vir insignis Anastasius, quem diù Roma habere non meruit, ne orbis caput sub tali episcopo truncaretur ; imò idcircò raptus atque translatus est, ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur.* Et S. P. Aug., lib. de Excidio Urbis, cap. 7, ait : *Minimè dubitandum est pepercisse Deum Romanæ etiam civitati, quæ ante hostile incendium in multis ex multâ parte migraverat. Migrârunt qui fugerunt, migrârunt qui de corpore exierunt, multi præsentes utcumque latuerunt, multi in locis sanctis vivi, salvique servati sunt.* Item Sozomenus, lib. 9, cap. 9, de Alarico dicit quòd *asylum esse voluerit, ob reverentiam Apostoli, D. Petri templum illud amplissimum, quod supra illius tumbam constructum est, et loci plurimùm ambit.* Similia etiam refert Orosius, lib. 7, cap. 39, et addit quòd tunc acciderit quoque, *ut S. Innocentius I, tanquàm justus Loth subtractus à Sodomis, occultâ providentiâ Dei apud Revennum positus peccatoris populi non videret excidium.*

Vers. 5 : *Pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum*, petentia divinam vindictam. Idem de Babylone dicitur Jerem. 51, v. 9.

Vers. 6 : *Reddite illi* (scilicet vos, Gothi, divinæ justitiæ executores) *sicut et ipsa reddidit vobis.* Roma quidem cum Babylone suam æternitatem jactabat, quia ei sortes Parcarum et oracula æternitatem polliceri videbantur, conformiter ad id quod habet Virgilius, Æneid. 1 :

His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium sine fine dedi.

Et hinc muris suis, teste Baronio ad annum 403, inscribebat : *Æterna* ; atque ideò hìc, v. 7, dicebat : *Sedeo regina, et vidua non sum, et luctum non videbo.* Attamen falsò, quia Spiritus S. de câdem prædixit, v. 8 : *In unâ die venient plagæ ejus, mors, et luctus, et fames, et igne comburetur.* Hæc autem per Alaricum impleta fuisse, S. Hier. qui illo tempore vixit, denuò testatur, epist. 12, dicens : *Proh nefas! orbis terrarum ruit, in nobis peccata non ruunt. Urbs inclyta, et Romani imperii caput, uno hausta est incendio. Nulla regio, quæ non exules Romanos habeat ; in cineres ac favillas sacræ quondam ecclesiæ conciderunt.*

Post hæc describitur luctus, et *Væ* omnium generum hominum super desolatione Romanâ. Hoc verò factum fuisse, testatur S. P. Aug., lib. 1 de Civ. Dei, cap. 33, ubi vitia Romanorum infidelium redarguens, ita scribit : *O mentes amentes! quis est hic tantus non error, sed furor,* UT EXITIUM VESTRUM, SICUT AUDIVIMUS, PLANGENTIBUS ORIENTALIBUS POPULIS, ET MAXIMIS CIVITATIBUS IN REMOTISSIMIS TERRIS PUBLICUM LUCTUM MŒRORÆMQUE DUCENTIBUS, *vos theatra quæreretis, impleretis, et multò insaniora quàm fuerant antea, faceretis? Hanc animorum labem ac pestem.... Scipio ille metuebat, quando construi theatra prohibebat.....; sed in vobis plus valuit quod dæmones impii seduxerunt, quam quod homines providi prædicaverunt.* Interim vox cœlestis, de quâ v. 4, sanctos ad exultationem hortatur ob justam Dei vindictam de Româ paganâ, dicens, v. 20 : *Exulta super eam, cœlum, et sancti apostoli, et prophetæ ; quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illâ ;* v. 21 : *Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare dicens : Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, et ultra jam non invenietur.* In his verbis continetur metaphora, per quam apertiùs magis innuitur, inquit Calmet, Romam in nullam reditûs spem prolapsuram. Similis metaphora etiam est Jerem. 51, v. 64, ubi cùm Jeremias scripsisset volumini in quo Babylonis Chaldaicæ interitus continebatur, præcepit Saraiæ ut postquàm illud Babyloni recitâsset, alligatum lapidi in mare projiceret dicens : *Sic submergetur Babylon, et non consurget à facie afflictionis quam ego adduco super eam, et dissolvetur.*

Solvuntur argumenta.

Obj. 1° : Prophetia apocalyptica, uti ex cap. 18 liquet, agit de totali ruinâ Romæ paganæ ; atqui, dùm Roma capta fuit per Alaricum, statim post ita reædificata, et adeò frequens fuit, ut nullum ab hoste detrimentum passa videretur, paucis ædificiis combustis exceptis ; ergo illud quod hìc S. Joannes narrat de casu Babylonis magnæ, non potest intelligi de vastatione Romæ per Alaricum et Gothos facta. — Resp. : Neg conseq. : nam et Babylon Chaldaica, cujus interitum prophetæ Isaias et Jeremias prædixerunt, et quæ hìc à Spiritu S. tanquàm Romani excidii figura proponitur, non alio modo à Cyro devastata fuit. Et tamen hoc non obstante, Jeremias, cap. 51, v. 37, ait : *Et erit Babylon in tumulos, habitatio draconum, stupor et sibilus, eò quòd non sit habitator.* Quæ verba non minorem destructionem significant quàm illam de quâ hìc agit S. Joannes ; et interim temporibus Alexandri Babylon Chaldaica erat adhuc in glorià, sed non simili sicut fuerat antea. Unde quemadmodùm prophetæ veteris Testamenti dicunt Babylonem omninò destructam per Cyrum, quia postea ad primum suum splendorem nunquàm rediit, ita et S. Joannes dicit Romam paganam omninò destructam per Alaricum, quia dùm Alaricus eam expugnavit, fuit veluti præda omnium hostium, et postea nunquàm pristinum fulgorem, magnitudinem, potestatem et opes Roma adepta est.

Object. 2° : S. Joannes agit de desolatione Romæ meretricis, prostitutæ et idololatræ ; atqui, dùm eam cepit Alaricus, jam erat christiana : ergo non agit de desolatione Romæ sub Alarico. — Resp. : Quamvis illo tempore christiana religio imperatorum auctoritate Romæ dominaretur, tamen ipsa adhuc manebat meretrix, et prostituta per idolorum cultum, sapi-

dem senatus erat paganus, et diis sacrificabat, prout patet ex Sozomeno, qui agens de tempore quo Alaricus Romam obsidebat, lib. 9, cap. 6, ita scribit : *Necessarium videbatur iis qui in senatu adhuc pagani erant, ut et in Capitolio et reliquis templis sacrificaretur.* Unde licèt imperatores essent christiani, idololatria tamen apud senatum, imò et apud populum, adhuc vigebat, ac christiana religio habebatur tanquàm singularis devotio principum et aliquorum particularium ; sed religio imperii erat idololatrica. Vide quæ dicta sunt supra, cap. 16, § 2, in exposit. v. 3 et 10.

Obj. 3° : Ad gentes illas quæ Romam desolatam fecerunt, vox de cœlo dicit, v. 6 : *Reddite illi sicut et ipsa reddidit vobis ;* atqui Gothi, qui cum Alarico Romam tam crudeliter invaserunt, nullas à Romanis acceperant injurias, de quibus vindictam caperent; ergo hìc non agitur de desolatione Romæ, quæ facta est à Gothis. Ita, referente Bossuet, in Synopsi Anglicanâ Apoc. 18 v. 16, arguunt Protestantes, qui contendunt in Apocalypsi non agi de desolatione Romæ paganæ, sed de eversione Romæ papalis, et Ecclesiæ Romanæ. — Resp. : Neg. min., et dico Protestantes ita impiis suis præventionibus, ex odio in Romanum Pontificem et Ecclesiam esse præoccupatos, ut de memoriâ eis exciderint illa quæ in historicis habentur tanquàm indubitata et notissima. Etenim de divo Claudio Romanorum imperatore Trebellius Pollio in Claudium scribit ipsum trecenta viginti millia Gothorum delevisse, et duo millia navium mersisse. Ita constat ex ejusdem epistolâ ad Junium Broechum, in quâ, teste Trebellio, Claudius scribit Broccho : *Delevimus trecenta viginti millia Gothorum, duo millia navium mersimus.* Narrat etiam Orosius, lib. 7, cap. 37, à Romanis captum et interfectum Rhadagaisum Gothorum regem. Et idem scriptor ibidem addit : Tanta verò multitudo captivorum Gothorum fuisse fertur, ut vilissimarum pecudum modo, singulis aureis passim greges hominum venderentur. Potuit igitur meritò Gothis dici : *Reddite illi sicut et ipsa reddidit vobis.*

Obj. 4° : In Apocalypsi dicitur cecidisse Babylon, super cujus interitu gaudent sancti ; atqui, dùm Roma cecidit per Gothos, sancti cum aliis communem patriæ ruinam lugebant ; ergo, etc. — Resp., licèt verum sit Christianos, qui pro majori parte Romanis subjecti erant, luxisse Romæ ruinam, inde nihil sequi contra resolutionem nostram : nam in Apocalypsi sancti adhuc in terrâ degentes non invitantur ad exultationem ; nullibi enim eorum describitur gaudium. Dicitur quidem cap. 19, v. 20 : *Exulta super eam, cœlum, et sancti apostoli et prophetæ, quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illâ ;* sed vox hæc ad cœlites dirigitur. Legitur et cap. cit. magnum gaudium, lætum *Alleluia*, sed in cœlo ; at sancti adhuc viventes, ad illa contremiscunt, dicente Davide, psal. 118 : *A judiciis enim tuis timui ;* atque propterea S. Joannes, cœlitum describens gaudium, sollicitè evitat vel verbum addere de aliquo in terris sanctorum gaudio.

Obj. 5° : Si S. Joannes ageret de eversione Romæ paganæ, haud dubiè describeret idolorum templa eversa, idola dejecta, et comminuta in frusta, uti fecit Isaias, agens de desolatione Babylonis Chaldaicæ ; dicit enim, cap. 46, v. 1 : *Confractus est Bel, contritus est Nabo ; facta sunt simulacra eorum bestiis et jumentis, onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem ;* v. 2 : *Contabuerunt, et contrita sunt simul ;* atqui de idolis eversis hìc nullam facit mentionem ; ergo, etc. — Resp. : Neg. maj., quia dùm Alaricus Romam cepit, jam templa et idola majori ex parte erant destructa ; illa enim eversa sunt sub Constantino, Gratiano et Theodosio. Hos autem imperatores excidium Romanum præcessisse, certum est apud omnes historicos. S. Hieron., epist. 7, de suo tempore narrat : *Auratum squalet Capitolium, fuligine, et aranearum telis omnia Romæ templa cooperta sunt, movetur urbs sedibus suis, et inundans populus ante delubra semiruta, currit ad martyrum tumulos.* Addit etiam de Graccho : *Cùm præfecturam gereret urbanam, nonne specum Mithræ et omnia portentuosa simulacra, quibus Coraæ, Niphus, Miles, Leo, Perses, Helios, Bromius pater initiantur, subvertit, fregit, excussit, et his quasi obsidibus ante præmissis, impetravit baptismum Christi ? Solitudinem patitur et in urbe gentilitas. Dii quondam nationum cum bubonibus, et noctuis in solis culminibus remanserunt.*

Quòd templa idolorum, necnon ipsa idola ante eversionem Romæ paganæ, non tantùm in Italiâ, sed etiam in Africâ pro majori parte forent destructa, etiam patet ex S. P. Aug., qui, lib. 18 de Civ. Dei, cap. 53 et 54, narrat quòd pagani et falsorum deorum cultores, videntes religionem christianam persecutionibus non minui, sed potiùs crescere, finxerunt divinum oraculum, quod prædixerat illam tantùm mansuram usque ad annum à morte Christi 566. Hic annus, qui Christianismo debebat esse fatalis, et *quando* (ait S. doctor, cap. 54) *jam secundùm illud oraculum dæmonum, aut figmentum hominum, nulla esse debuit religio christiana*, fuit idololatriæ potiùs exitialis : nam *quod scimus* (prosequitur Aug.) *in civitate notissimâ et eminentissimâ Carthagine Africæ Gaudentius, et Jovius comites imperatoris Honori, quartodecimo kalendas aprilis falsorum deorum templa everterunt, et templa fregerunt.* Cùm igitur templa idolorum et ipsa idola fuerint destructa circa finem seculi quarti, et Roma ab Alarico fuerit capta initio seculi quinti, nimirùm anno 410, hinc S. Joannes opus non habuit in Romæ paganæ desolatione mentionem facere de eversione idolorum, sicut fecit Isaias, quandoquidem illa, ut ex supra dictis manifestum est, jam præcessissent.

CAPUT XIX.

Uti post extinctum Pharaonem Moyses et omnes utriusque sexûs Hebræi Domino Deo cecinerunt solemne canticum, atque per ipsum egerunt solemnes gratias, ita illud ipsum post impiæ Babylonis excidium egit universa cœlorum curia. Et hæc ineffabilis festivitas nobis repræsentatur hoc Apocalypsis capite.

QUÆSTIO UNICA.

Quid contineat canticum, quod sancti cecinerunt in cælo.

Vers. 1. : *Post hæc audivi quasi vocem turbarum multarum in cœlo ;* quidam antiqui Latini codices habuerunt : *Tubarum multarum ;* attamen quòd legendum sit, *turbarum*, liquet ex textu Græco, in quo habetur *ochlou pollou*. Porrò per turbas intelliguntur numerosissimæ sanctorum, præsertim angelorum multitudines, quarum altissima exultatio fuit S. Joanni repræsentata. *Dicentium : Alleluia.* Hæc Hebraica vox est composita ex duabus, et significat : *Laudate Deum.* Nam *Hallelu* Hebraicè significat *laudate*, à radice *halen ;* vocula autem monosyllaba *ia* est unum ex decem nominibus Dei, quod compositum videtur ex duabus litteris vocis *Jehova ;* unde nihil est aliud quàm *Jehova* abbreviatum.

Hanc vocem *Alleluia* à primis Judæis Christianis ad Græcos et Latinos migrâsse, qui in suis linguis Hebraicam pronuntiationem retinuerunt, ne Judæorum Ecclesiam scandalizarent, postea verò dilatato per omnes gentes Evangelio, non potuisse semel susceptam mutari, testatur S. Hieron., epist. ad Marcellam. Et S. P. Aug., inquirens quare nec Latini, nec Græci, imò nec barbari, possint ista vocabula *Amen* et *Alleluia* transferre in suas linguas, lib. 2 de Doct. christ., cap. 11, respondet : *Verborum illorum partim propter sanctiorem auctoritatem, quamvis interpretari potuissent, servata est antiquitas, sicut est* AMEN *et* ALLELUIA ; *partim verò in aliam linguam transferri non potuisse dicuntur, sicut* RACHA *et* HOSANNA. *Sunt enim quædam verba certarum linguarum, quæ in usum alterius linguæ per interpretationem transire non possunt.* Alii adducunt et tertiam rationem, nempe ut cunctæ sub cœlo Ecclesiæ cum Ecclesiâ Hebraicâ, ex quâ omnes originem ducimus, aliquam per hæc communia vocabula retinerent perpetuam communionem. Porrò *Alleluia* est vox lætitiæ et triumphi, quâ sancti excitant se mutuò ad laudes et gratias Deo decantandas, ob victoriam de suis hostibus Dei munere reportatam. Unde potiùs est vox patriæ quàm hujus peregrinationis et vallis lacrymarum ; putantque aliqui beatos in patriâ Hebraicam illam vocem *Alleluia* perpetuò cantaturos, juxta illud Tob. 13, v. 22 : *Per vicos ejus Alleluia cantabitur.* Et hinc à Septuagesimâ usque ad Pascha, quando Ecclesia antiquum humani generis lapsum et tristia pœnitentiæ tempora recolit, non cantat *Alleluia*, nec Christiani hâc voce ad lætitiam se excitant ; licèt tamen, quia Deus semper laudandus est, in officio divino, loco *Alleluia* substituatur : *Laus tibi, Domine, rex æternæ gloriæ.*

VERS. 3 : *Et iterùm dixerunt : Alleluia ;* multâ enim et repetitâ laude dignus est Deus. Unde David, psal. 33, ait : *Benedicam Dominum in omni tempore.* Et viginti psalmi ejus pro titulo habent : ALLELUIA. *Et fumus ejus*, id est, memoria Babylonis, seu Romæ paganæ, exustæ ac excisæ, *ascendit in secula seculorum*, hoc est, in æternum scandit versùs cœlum, ut sancti propter vindictam istam cantent æternum *Alleluia*, et Deo gratias semper agant. Porrò verbum *ascendit* est præsentis temporis (ut patet ex textu Græco, et significat *nunc* æternitatis quod semper est præsens. Posset tamen etiam hic locus referri ad pœnas tormentorum æternas, et τὸ *et*, sicut sæpè in Scripturâ solet, accipi pro *quia*, ita ut sensus sit : Laudant sancti Deum, canendo *Alleluia*, *et*, id est, *quia*, Babylonis, seu impiorum et persecutorum Romanorum, damnatio ac supplicia in æternum durabunt.

Vers. 7 : *Gaudeamus et exultemus..., quia venerunt nuptiæ Agni.* Deus Verbum per admirabile incarnationis mysterium sibi desponsavit humanum genus, præsertim eius electos; ipse est sponsus, electorum congregatio est ipsius sponsa ; electorum animas in baptismo fluminis, vel etiam sanguinis sibi desponsavit ; sed nunc post reportatam de hostibus victoriam, et eversam Romam paganam, post redditam Ecclesiæ pacem, illas sibi desponsat in glorià.

Vers. 11 : *Vidi cœlum apertum, et ecce equus albus*, et Christus, Verbum Dei, *sedebat super eum.* Per hoc ostenditur totam istam de Romà paganâ, et de idololatriâ ejus eversâ, victoriam à Christo reportatam fuisse.

Vers. 17 : *Et vidi unum angelum stantem in sole, et clamavit voce magnâ, dicens omnibus avibus... Venite, et congregamini ad cœnam magnam Dei ;* v. 18 : *Ut manducetis carnes regum*, etc. Hic angelus quatenùs exhibetur tanquàm stans in sole, repræsentat manifestissimam ac gloriosissimam Ecclesiæ de Româ paganâ reportatam victoriam ; quatenùs autem invitat omnes aves ut manducent carnes regum, etc., significat acerrimam internecionem à Deo factam in variis præliis tempore persecutionum Ecclesiæ, de quibus in superioribus Apocalypsis capitibus actum est.

CAPUT XX.

Joannes videt angelum descendentem de cælo, qui arripit diabolum, et in abyssum detrusum ligat per mille annos. Insuper videt in cælo beatitudinem eorum qui non adoraverunt bestiam, neque charactere ejus insigniti fuerunt. Finitis mille annis, solvitur diabolus, et seducit gentes, scilicet Gog et Magog, ut pugnent adversùs sanctos : sed igne cœlitùs demisso devorantur, et diabolus mittitur in stagnum ignis.

QUÆSTIO PRIMA.

De ligatione et solutione diaboli.

Vers. 1 : *Et vidi angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu suâ.* Hæc verba insigniter exponit S. P. Aug., lib. 20 de Civ. Dei, cap. 7, ita scribens : *Ait ipse Dominus noster Jesus Christus : « Nemo potest introire in domum*

fortis, et vasa ejus eripere, nisi priùs alligaverit fortem, » *diabolum volens intelligi fortem, quia ipse genus humanum potuit tenere captivum; vasa verò ejus, quæ fuerat erepturus, fideles suos futuros, quos ille in diversis peccatis atque impietatibus possidebat. Ut ergo alligaretur hic fortis, propterea vidit Apostolus* (Joannes) « *angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, et catenam in manu suâ.* Porrò per clavem abyssi intelligitur delegata à Domino Deo plena potestas aperiendi et claudendi abyssum, ut aliquos ibi contineat, aut libertatem exeundi faciat. Per catenam verò intelligitur divinum, quo diabolus constringitur, imperium; nam diabolus, qui spiritus est, nullâ catenâ materiali constringi potest.

Vers. 2 : *Et apprehendit draconem*, magnum illum et rufum draconem, de quo supra, cap. 12, v. 3, *serpentem antiquum*, qui olim in corpore serpentis per mulierem seduxit genus humanum; *qui est diabolus*, calumniator et accusator: etenim ille ipsum Dominum Deum apud primos parentes calumniatus est de invidiâ, et homines non desinit accusare apud Deum. Ita sanctum Job accusavit quòd gratis Domino Deo non serviret. *Et satanas*, adversarius humani generis, qui calumniando et adversando conatur homines secum perdere. *Et ligavit eum per mille annos*, id est, per annos plurimos, qui fluunt à tempore mortis Christi usque ad adventum Antichristi, uti dicemus quæst. seq.

Vers. 3 : *Et misit eum in abyssum.* « Quo nomine, inquit S. P. Aug., loco ante citato, significata est multitudo innumerabilis impiorum, quorum in malignitate adversùs Ecclesiam Dei multùm profunda sunt corda; non quia ibi diabolus ante non erat, sed ideò dicitur illùc missus, quia exclusus à credentibus plus cœpit impios possidere. Plus namque possidetur à diabolo, qui non solùm alienatus est à Deo, verùm etiam gratis odit servientes Deo. » Itaque per abyssum intelligi possunt nefaria paganorum, Judæorum, Saracenorum, hæreticorum, et quorumcumque iniquorum corda; et in istis solis diabolus est habitare jussus per prædictos mille annos, et istìc permissus exercere suam tyrannidem. Appellantur *abyssus* propter tres præsertim causas: 1° quia sunt dolosa et fallacia, ideòque et profunda instar abyssi; 2° quia assiduè agitantur diversis et adversis cupiditatibus, uti mare contrariis fluctibus; 3° ob innumerabilem multitudinem : nam uti mare est majus terrâ, ita reprobi sunt incomparabiliter numerosiores quàm electi; imò et infideles sunt ac semper fuerunt longè plures quàm fideles. Cùm autem omnes nascamur sub potestate diaboli, ipse in abyssum mitti videtur, dùm ei per exorcismos baptismi præcipitur : *Exi, maledicte, ab hâc creaturâ Dei, et da locum Deo vivo et vero.* Hinc, uti per Christum Dominum ejecti ex energumenis dæmones postulârunt ac impetrârunt facultatem intrandi in porcos, ita è catechumenis per exorcismos exclusi permittuntur habitare in cordibus infidelium.

Et clausit, et signavit super illum. Etiam hæc verba rectè exponit S. P. Aug., dùm loco præcitato ita prosequitur : « *Clausit super eum*, dictum est, interdixit ei ne possit exire, id est, vetitum transgredi. *Signavit* autem quod addidit, significâsse mihi videtur quòd occultum esse voluit, qui pertineant ad partem diaboli, et qui non pertineant; hoc quippe in seculo isto prorsùs latet, quia et qui videtur stare, utrùm sit casurus; et qui videtur jacere, utrùm sit surrecturus, incertum est. » Contumacium reorum carceres non solùm firmis seris muniri solent, sed etiam regis sigillis; et hinc eorum infractor fit læsæ majestatis reus. Ex hoc antiquo more loquitur Apocalypsis, et affirmat diabolum in præfatâ abysso firmissimè custodiri : etenim divina jussio est dæmonibus firmissimum sigillum, prout insinuat S. Aug., dùm ibidem statim subjicit istud sigillum esse divini interdicti vinculum et claustrum.

Ut non seducat amplius gentes. Hunc locum rursùs optimè exponit S. P. Aug., ita pergens : « Ab eis autem gentibus seducendis, hujus interdicti vinculo et claustro diabolus prohibetur atque cohibetur, quas pertinentes ad Christum seducebat antea, vel tenebat; has enim Deus elegit ante mundi constitutionem eruere de potestate tenebrarum, et tranferre in regnum charitatis suæ, sicut Apostolus ait. Nam seducere illum gentes etiam nunc, et secum trahere in æternam pœnam, sed non prædestinatas in vitam æternam, quis fidelis ignorat? Nec moveat quòd sæpè diabolus seducat etiam illos qui jam regenerati in Christo vias ingrediuntur Dei; novit enim Dominus qui sunt ejus; ex his in æternam damnationem neminem ille seducit. Sic enim novit eos Dominus Deus, quem nihil latet etiam futurorum; non ut homo, qui hominem ad præsens videt, si tamen videt, cujus cor non videt; qualis autem postea sit futurus, nec seipsum videt. Ad hoc ergo ligatus est diabolus et inclusus in abysso, ut jam non seducat gentes ex quibus constat Ecclesia, quas antea seductas tenebat, antequàm esset Ecclesia. » Itaque ante Christi passionem et resurrectionem cunctæ, exceptis paucis Judæis, totius mundi gentes adorabant idola, seductæ à diabolo; eas omnes à Deo Patre Christus emit suo sanguine, ut sobriè, justè et piè vivant in hoc seculo, atque ita serviant Deo vivo et vero. Hinc Christus captivavit diabolum, et suæ divinæ majestatis imperio clausit in abysso, et ipsam sanctæ suæ crucis sigillo munivit, ut suos è cunctis gentibus electos seducere non possit in finalem apostasiam. Hinc discimus quòd nulla, post admissum à se Evangelium, gens plenè permittatur apostatare, sed cunctæ semper retineant, ac retenturæ sint aliquos electos.

Donec consummentur mille anni, id est, donec finiantur illi mille sive plurimi anni qui à passione Domini usque ad adventum Antichristi decurrent. Porrò jam citatum locum S. P. Aug. duobus modis exponit, dicens : « Non sic accipiendum est quod ait : *Ut non seduceret gentes donec finiantur mille anni*, quasi postea seducturus sit eas duntaxat gentes ex quibus prædestinata constat Ecclesia, à quibus seducendis illo est vinculo claustroque prohibitus. Sed aut illâ locutione

dictum est, quæ in Scripturis aliquoties invenitur, qualis est in Psalmo : *Sicut oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri;* neque enim cùm misertus fuerit, non erunt oculi servorum ejus ad Dominum Deum suum. Aut certè iste est ordo verborum : *Et clausit, et signavit super eum, donec finiantur mille anni.* Quod verò interposuit : *Ut non seduceret jam gentes,* ita se habet ut ab hujus ordinis connexione sit liberum, et seorsim intelligendum, velut si post adderetur; ut sic se haberet tota sententia : *Et clausit, et signavit super eum, donec finiantur mille anni, ut non seduceret jam gentes,* id est, ideò clausit, donec finiantur mille anni, ut jam non seduceret gentes. » Secunda hæc expositio videtur esse commodior, ac proinde dicendum est quòd Apocalypsis hìc utatur figurâ transpositionis. *Et post hæc oportet illum solvi modico tempore,* tribus annis cum dimidio, quibus regnabit Antichristus; tunc enim antiqua libertas diabolo redibit, ut per se et per Antichristum cæteraque sua instrumenta variis machinis seducat reprobos, et persequatur electos. Porrò S. P. Aug. dicit electos qui tunc erunt in suâ fide ac justitiâ fore longè robustissimos, multò robustiores quibuscumque martyribus. Etenim pugnabunt cum soluto diabolo, et patientur ac superabunt persecutionem quâvis anteriori persecutione crudeliorem.

QUÆSTIO II.

Quomodò intelligenda sint ea quæ hìc dicuntur de regno mille annorum.

Vers. 4 : *Et vidi sedes, et sederunt super eas, et judicium datum est illis; et animas decollatorum propter testimonium* JESU..., *et vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis.* Ex hoc Apocalypsis loco *Chiliastæ,* id est, *Millenarii*, deduxerunt quòd post resurrectionem peculiarem justorum, spatium quoddam mille annorum futurum esset, quo sancti unà cum Christo in terris regnarent, antequàm ad conspectum Dei æternamque felicitatem in cœlo reciperentur, post ultimum judicium communemque omnium resurrectionem.

Ili verò Millenarii duplicis generis fuerunt : alii enim istud temporis intervallum in epulis splendidioribus ac libidinibus explendis traducendum esse arbitrabantur; propterea Mosaicam legem ejusque ritus et sacrificia longè magnificentiùs quàm olim instauranda esse sperabant; alii verò puras et innoxias delicias in eo regno futuras esse opinabantur.

Primi generis Millenarii infamem Cerinthum, qui primus hujus commenti architectus fuit, sequebantur, ut ex Caio et Dionysio Alexandrino refert Eusebius, lib. 3 Histor. eccles., cap. 28. De eisdem S. P. Aug., lib. de Hæres., n. 8, ita scribit : *Cerinthiani mille annos post resurrectionem in terreno regno Christi, secundùm carnales ventris et libidinis voluptates, futuros* (homines) *fabulantur : unde Chiliastæ sunt appellati.* Cerinthianis autem adhæserunt, saltem pro parte, secundo quidem seculo Marcionitæ, ut testatur Tertullianus, lib. 3 adversùs illos; et quarto seculo Apollinaristæ, ut colligitur ex S. Basilii epistolâ 293.

Secundi generis Millenariorum princeps fuit Papias Hierapolitanus in Asiâ episcopus, qui Polycarpi sodalis fuit, ac Joannis auditor, non quidem evangelistæ, sed alterius ejusdem nominis presbyteri; uti varii conantur probare ex Euseb., lib. 3, cap. 39. Ille falsis quibusdam parabolis ac sermonibus delusus, terrenum illud Christi regnum confinxit. *Vir erat* (ait Eusebius, loco mox citato) *mediocri admodùm ingenio præditus.* Illius nihilominùs famâ ac pietate plures commoti, in eumdem errorem perducti sunt : *Hominis vetustate sententiam suam tuentibus*, ait ibidem Eusebius. Etenim Papiam affectati sunt non Montanistæ duntaxat et Meletiani, sed etiam Justinus Martyr, Irenæus, Nepos, Ægyptius præsul apud Euseb., lib. 7 Histor., cap. 24; Victorinus, Petabionensis antistes apud S. Hieron. in Papiâ; Lactantius, Quintus Julius Hilarion, tom. 7 Biblioth. Patrum, et Severus Sulpitius, apud S. Hieron., in cap. 36 Ezech.

Inter sectatores Papiæ nonnulli à terreno illo Christi regno corporeas voluptates etiam licitas exclusas voluerunt, solasque animi spirituales delicias in eo agnoverunt, ut Tertullianus et S. Aug., qui, lib. 20 de Civ. Dei, cap. 7, fatetur se aliquando in eâ Millenariorum opinione versatum fuisse.

Sunt et varia alia in quibus Millenarii inter se dissidebant; sed ea hìc recensere nimis longum foret. Satis erit notâsse, 1° hunc errorem, ut lib. 18 in Isaiam et alibi frequenter monet S. Hieron., ex Judaicis opinionibus ortum habuisse : cùm enim Judæi ex Scripturis malè intellectis sibi persuasissent fore ut Messias regnum Davidis in pristinam gloriam, aut etiam multò majorem restitueret, et per mille annos omnibus gentibus dominaretur, ut ex pluribus recentiorum etiam Judæorum testimoniis probat Ligfootus, Millenarii ab his decepti, quod ad primum Christi adventum non contigisse animadvertebant, id ad secundum ac mundi finem futurum esse autumabant ac pollicebantur. 2° Millenariorum sententiam non fuisse à Damaso pontifice damnatam, quod nonnulli arbitrantur; siquidem eam in Ecclesiâ toleratam esse postea patet ex S. Hieron., ad cap. 19 Jeremiæ, ubi, licèt ipse eamdem non sequatur, damnare tamen non audet : *Quia,* inquit, *multi ecclesiasticorum virorum, et martyres ista dixerunt.* Item S. P. Aug., lib. 20 de Civ. Dei, cap. 7, istam sententiam referens, ita scribit : *Quæ opinio* UTCUMQUE TOLERABILIS ESSET, *si aliquæ deliciæ spiritales in illo sabbato affuturæ sanctis per Domini præsentiam crederentur. Nam etiam nos hoc opinati sumus aliquando : sed cùm eos qui tunc resurrexerunt dicant immoderatissimis carnalibus epulis vacaturos, nullo modo ista possunt nisi à carnalibus credi.*

Verùm opinionem hanc, quam ante episcopatum aliquando tenuerat S. doctor, re maturiùs expensâ, prorsùs exuit, et constanter exinde docuit piorum animas, quibus nihil expiandum superest, statim ab obitu æternâ felicitate et clarâ Dei visione potiri : Nam in Psalm. 119, ad illa verba : *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est,* postquàm cœlestem

Jerusalem patriam nostram esse dixit, ait : *Ibi omnes justi et sancti* (sunt) *qui fruuntur Verbo Dei sine lectione, sine litteris : quod enim nobis per paginas scriptum est, per faciem Dei illic cernunt;* et lib. 20 de Civ. Dei, cap. 9, locum Apocalypsis de mille annorum regno explanans, rursùs ait : *Quamvis cum corporibus suis nondùm, jam tamen eorum* (defunctorum) *animæ regnant cum illo* (Christo), *dùm isti mille anni decurrunt... Sed ideò tantummodò martyrum animas commemoravit* (Joannes), *quia ipsi præcipuè regnant mortui, qui pro veritate usque ad mortem certaverunt. Sed à parte totum, etiam cæteros mortuos intelligimus pertinentes ad Ecclesiam, quod est regnum Dei.*

Ulteriùs etiam observandum est quòd aliqui hæretici, Antonius nempe de Dominis, lib. 5, de Repub. ecclesiast., cap. 8; Dallæus, de usu Patrum, et Sociniani in Vindiciis confessionis suæ, ut traditionis vim elevarent, eorum à veteribus qui circa regnum mille annorum errârunt, numerum, auctoritatem ac consensionem ambitiosiùs exaggeraverint, quasi nimirùm inde consequens foret nullam antiquis Patribus fidem haberi deinceps posse.

Verùm quàm frivolum ac futile sit istud hæreticorum argumentum, inde patet quòd dogma catholicum non ex aliquorum duntaxat, sed ex multitudinis sententiâ debeat æstimari; at multò plures extiterunt, primis etiam temporibus, qui Millenariorum errori se opposuerunt, quàm qui eidem adhæserunt. Etenim statim ac error ille caput extulit, à Dionysio Alexandrino episcopo, à Caio presbytero, et ab aliis impugnatus fuit, ut videre est apud Eusebium, lib. 3 Histor. eccles., cap. 28, et lib. 7, cap. 24. Porrò insigniores, qui istum errorem non admiserunt, sed è contra rejecerunt, sunt sequentes :

Hermas Pauli discipulus, cujus mentio fit in Epistolâ ad Romanos, cap. 16, v. 14, et cujus est liber *Pastoris*, qui tanto quondam in pretio fuit, ut à nonnullis inter Scripturas sacras recensitus fuerit. Clemens Romanus, ejusdem Pauli adjutor, et Petri successor, in suâ ad Corinthios Epistolâ, quæ eximiâ commendatione apud omnes olim fuit. Ignatius Martyr, ejusdem Petri auditor, et ab ipso Antiochiæ constitutus præsul, in Epistolâ ad Romanos, martyrium ardentissimo charitatis æstu totus spirans, dicebat : *Obsecro vos ne intempestivâ benevolentiâ erga me sitis. Sinite me ferarum escam fieri, per quas licet Deum adipisci.... Sinite me purum lumen haurire; cùm illic fuero, homo Dei ero.* Ex quibus verbis liquet quòd hæc esset S. martyris certissima fides, scilicet illos qui pro Christi nomine martyrium subiissent, statim ad intuitivam Dei visionem fore admittendos. Ecclesia Smyrnensis ab apostolo Joanne fundata, et à B. Polycarpo ipsius discipulo instituta, in celebri Epistolâ quam de martyrio S. Polycarpi ad ecclesias universas scripsit, apud Euseb. lib. 4 Hist., cap. 15, S. martyrem sic orantem inducit : *Benedico te* (Deus) *qui me in hunc diem perducere dignatus es, ut partem caperem in consortio martyrum..... Inter quos, quæso, susciviar hodiè* IN CONSPECTU TUO, *tanquàm hostia pinguis et accepta, quemadmodùm præparâsti, adimplens ea quæ præparâsti, verax Deus.* Et paulò post agnoscit eadem ecclesia Smyrnensis, Polycarpum *immortalitatis coronâ esse redimitum, et præmium gloriosi certaminis sine controversiâ retulisse.*

Auctor Actorum S. Symphorosæ martyris, apostolorum ætati vicinus; Athenagoras, qui insignem medio secundi seculi pro Christianis Apologiam conscripsit; auctor Actorum S. Perpetuæ; S. Cyprianus, Africæ lumen, et deinde omnes alii subsequentes SS. Patres præfatum errorem rejecerunt ac impugnârunt. Insuper S. Irenæus, qui existimavit regnum mille annorum admittendum esse, fatetur alios tunc temporis extitisse, qui aliter opinabantur, et allegoricè Apocalypsis loca explicabant. Hoc enim impugnat ex professo lib. 5 adversùs hæreses, cap. 35 : *Si autem quidam,* inquit, *tentaverunt allegorizare quæ ejusmodi sunt, etc.*

Cæterùm, quòd omninò fictitium, et falsum sit præfatum Millenariorum dogma, ulteriùs demonstratur ex sacræ Scripturæ locis, ubi statim à resurrectione justi in cœlum vocandi esse significantur; sicut et impii in tartara detrudendi. Sic Matth. 25, v. 34 et seqq., post descriptam resurrectionis formam : *Venite,* inquit Christus, *benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.... Discedite, à me, maledicti.... Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Justi itaque statim ad vitam æternam vocabuntur, nihilque medium erit; uno verbo, tunc vocabuntur in cœlum, sicut reprobi tunc mittentur in ignem æternum.

Item S. Paulus, 1 Thessal. 4, v. 16, justorum resurrectionem describens, perspicuè significat non esse posthàc in terrâ cum Christo per mille annorum spatium versaturos, sed è terrâ in aera et cœlum rapiendos, ut semper cum ipso sint deinceps per omnem æternitatem : *Deinde nos qui vivimus,* inquit, *qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviàm Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus.* Proinde nullatenùs subsistit Millenariorum opinio.

Insuper, ut ex v. 4 et 7 patet, mille anni, de quibus hìc Joannes, præcedunt Antichristi adventum, atque adeò resurrectionem corporum; atqui hos mille annos nisi post resurrectionem futuros Chiliastæ arbitrabantur, ut videre est apud Irenæum, lib. 5, cap. 35; ergo, etc.

Itaque conformiter ad ea quæ supra, cap. 13, quæst. 1, prop. 1, dicta sunt, per mille annos intelligitur illud omne temporis intervallum quod à morte Christi ad ipsum usque Antichristi adventum defluet. Atque toto illo intervallo temporis sancti dicuntur regnâsse cum Christo, tum in cœlo, tum in terris; in cœlo quidem per gloriam quâ fruuntur eorum *animæ nondùm sibi corporibus suis redditis,* inquit S. P. Aug., lib. 20 de Civ. Dei, cap. 9; in terris, seu in Ecclesiâ, *regnant, qui faciunt quod ait Apostolus :* « *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursùm sunt sapite.* » *De qualibus item dicit, quòd eorum conversatio sit in cœlis,* ait S. doctor ibidem. Porrò quod S. Joannes, præcit. v. 4 dicit : *Et vidi sedes, et sederunt su-*

per eas et judicium datum est illis, « *non hoc putandum est de ultimo judicio dici, sed* (quatenùs refertur ad illos qui in terris regnant) *sedes præpositorum, et ipsi præpositi intelligendi sunt per quos Ecclesia nunc gubernatur. Judicium autem datum nullum meliùs accipiendum videtur, quàm id quod dictum est : Quæ ligaveritis in terrâ, ligata erunt et in cœlo ; et quæ solveritis in terrâ, soluta erunt et in cœlo.* » Ita rursùs ibidem S. Augustinus.

Vers. 5 : *Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima.* Per resurrectionem primam intelligitur illa quæ fit per gratiam sanctificantem, seu quâ anima de morte peccati transit ad vitam spiritualem. Et hinc S. Aug., lib. 20 de Civ. Dei, cap. 6, citans illa verba Christi Joan. 5, v. 15 : *Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei,* ita scribit : « Nondùm de secundâ resurrectione, id est, corporum, loquitur, quæ in fine futura est, sed de primâ, quæ nunc est. Hanc quippe ut distingueret, ait : *Venit hora, et nunc est.* Non autem corporum, sed animarum est. Habent enim et animæ mortem suam in impietate atque peccatis, secundùm quam mortem mortui sunt, de quibus idem Dominus ait : *Sinite mortuos sepelire mortuos suos,* ut scilicet in animâ mortui, in corpore mortuos sepelirent... *Et qui audierint,* id est, obedierint, *vivent...,* id est, in damnationem non venient, quæ secunda mors dicitur, in quam mortem post secundam, quæ corporum est, resurrectionem præcipitabuntur, qui in primâ, quæ animarum est, non resurgunt... Sicuti ergo duæ sunt generationes, una secundùm fidem quæ nunc fit per baptismum ; alia secundùm carnem, quæ fiet in ejus incorruptione atque immortalitate per judicium magnum atque novissimum, ita sunt et resurrectiones duæ : una prima, quæ nunc est animarum ; alia secunda, quæ nunc non est, sed in sæculi fine futura est ; nec animarum, sed corporum est. » Ita S. Augustinus. Quod verò adjunxit S. Joannes : *Donec consummentur mille anni* « intelligendum est (ait S. doctor lib. præcit., cap. 9) quòd eo tempore non vixerunt, quo vivere debuerunt, et ad vitam scilicet de morte transeundo. Et idcò cùm dies venerit quo fiet et corporum resurrectio, non ad vitam de monumentis procedent, sed ad judicium ; ad damnationem scilicet, quæ secunda mors dicitur. » Deinde subjungit S. Joannes : *Beatus, et sanctus, qui habet partem in resurrectione primâ* « id est (inquit S. Aug., ibidem), particeps ejus est. Ipse autem est particeps ejus, qui non solùm à morte, quæ in peccatis est, reviviscit, verùm etiam in eo quòd revixerit, permanet, » hoc est, usque in finem perseverat.

Denique quod sequitur in textu S. Joan. : *Et erunt sacerdotes Dei,* « non utique de solis episcopis et presbyteris dictum est, qui propriè jam in Ecclesiâ vocantur sacerdotes, sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt unius sacerdotis. De quibus apostolus Petrus : *Plebs,* inquit, *sancta, regale sacerdotium.* » Ita rursùs S. Augustinus, ibidem.

QUÆSTIO III.

Quinam intelligantur per Gog et Magog, quos Satanas congregabit in prælium.

Vers. 7 : *Et cùm consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog et Magog ;* hoc est, seducet gentes, quæ habitant in oriente, occidente, meridie et septentrione ; non tamen seducet omnes omninò, sed plurimas ex eis. Porrò ea quæ Apocalypsis dicit de Gog et Magog, desumpta sunt ex Ezechiele prophetâ, ad quem dicit Spiritus S., cap. 38 : *Fili hominis, pone faciem tuam contra Gog, terram Magog ;* et cap. 39 : *Tu autem, fili hominis, vaticinare adversùm Gog, et dices : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego super te, Gog, principem capitis Mosoch et Thubal.... et adducam te super montes Israel, et percutiam arcum tuum... Super montes Israel cades tu... Et immittam ignem in Magog,* etc. De Magog fit etiam mentio Gen. 10, v. 2, ubi dicitur quòd fuerit filius Japhet ; et ab ipso natos esse Scythas, ideòque à Græcis dictos Magogas, lib. 7 Antiq., cap. 11, asserit Josephus.

Porrò S. Hieron., præcitata Scripturæ verba exponens, in cap. 38 Ezech., ita scribit : « Judæi et nostri judaizantes putant Gog gentes esse Scythicas, immanes et innumerabiles, quæ trans Caucasum montem, et Mæotidem paludem, et propè Caspium mare ad Indiam usque tenduntur, et has post mille annorum regnum esse à diabolo commovendas, quæ veniant in terram Israel, ut pugnent contra sanctos, multis secum gentibus congregatis..., et hoc est quod Joannes quoque in suâ ponit Apocalypsi..., non intelligentes totum volumen Joannis, quod revelationis titulo prænotatur, esse mysticum ; et revelatione nos indigere, ut possimus cum prophetâ dicere : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tuâ...* ; nos ecclesiasticam explanationem affirmare conabimur. Gog sermone Latino tectum dicitur. Porrò Magog interpretatur de tecto. Omnis igitur superbia, et falsi nominis scientia, quæ erigit se contra notitiam veritatis, his nominibus demonstratur... Illud quoque breviter annotandum quòd in Ezechiele Gog princeps terræ Magog esse dicatur : *Apocalypsis verò et Gog et Magog nationes esse commemoret, quæ egrediuntur de quatuor angulis terræ.* Et quomodò à Jacob, qui postea appellatus est Israel, omnis populus Hebræorum Israel sortitus est nomen..., sic à principe Gog omnes qui ei subditi sunt Magog appellantur. Mosoch autem interpretatur amentia, et Thubal tota vel omnia. Princeps igitur et caput superbientis amentiæ, et omnium malorum Gog et Magog appellantur. Quæ gentes, inimicæ adversariæque sanctorum, egrediuntur ab angulis terræ. » Ita S. Hieronymus.

Atque hujus interpretationi etiam inhæret S. P. Aug., dùm, lib. 20 de Civ. Dei, cap. 11, verba Apocalypsis hoc modo exponit : « Hæc erit novissima persecutio novissimo imminente judicio, quam sancta Ecclesia toto terrarum orbe patietur, universa scilicet civitas Christi ab universâ diaboli civitate, quantacum-

que erit utraque super terram. Gentes quippe istæ, quas appellat Gog et Magog, non sunt sic accipiendæ, tanquàm sint aliqui in aliquâ parte terrarum barbari constituti; sive quos quidam suspicantur Getas et Massagetas, propter litteras horum nominum primas, sive aliquos alios alienigenas, et à Romano jure sejunctos. Toto namque orbe terrarum significati sunt isti esse, cùm dictum est : *Nationes quæ sunt in quatuor angulis terræ*, easque subjecit esse *Gog et Magog*. Quorum interpretationem nominum esse comperimus Gog tectum, Magog de tecto, tanquàm domus et ipse qui procedit de domo. Gentes igitur sunt, in quibus diabolum velut in abysso superiùs intelligebamus inclusum; et ipse de illis quodammodò sese efferens et procedens, ut illæ sint tectum, ipse de tecto. Si autem utrumque referamus ad gentes, non unum horum ad illas, alterum ad diabolum; et tectum ipsæ sunt, quia in eis nunc includitur, et quodammodò tegitur inimicus antiquus; et de tectò ipsæ erunt, quando in apertum odium de operto erupturæ sunt. » Ita S. Augustinus, ex cujus, uti et S. Hieron. verbis, liquet quòd per Gog et Magog non debeat intelligi unus populus aut una gens (prout volunt nonnulli recentiores interpretes), sed totum corpus diaboli, hominum scilicet iniquorum et malorum, propter hoc quod dicit Joannes, *ipsos esse super quatuor angulos terræ, et eorum numerum esse sicut arenam maris*. Isti omnes tempore Antichristi oppugnabunt et persequentur civitatem dilectam, scilicet Ecclesiam sanctam Dei toto orbe diffusam, et tandem devorabuntur et destruentur cum suo capite Antichristo; ut insinuat S. Aug., lib. præcit., cap. 12.

CAP. XXI, XXII.

Post revelationem statûs Ecclesiæ militantis capp. præced., et judicii universalis, ac missionis impiorum in stagnum ignis, revelatur deinceps Joanni gloria electorum, quâ fulgebunt in cœlo post judicium. Civitas quam inhabitabunt sub nomine novæ Jerusalem describitur. Deinde describitur felicitas beatorum, et deliciæ quibus pascuntur narrantur. Ac tandem S. Joannes librum suum concludit, et dira comminatur illi qui addere aliquid ad verba prophetiæ hujus ausus fuerit.

QUÆSTIO PRIMA.

Quænam ecclesia intelligatur per sanctam civitatem Jerusalem.

Cap. 21, v. 1 : *Et vidi cœlum novum.* Non agitur hìc de cœlo empyreo, utpote quod à suâ creatione est perfectum, ideòque non indigebit renovatione; sed agitur de cœlo æthereo, ita ut nomine cœli significetur universa compago corporum transparentium usque ad cœlum stellatum inclusivè, quam S. Joannes dicit se vidisse renovatam post universale judicium. *Et terram novam.* Elementum etiam terræ vidit renovatum. Nam *cœli magno impetu transient, elementa verò calore solventur; terra autem, et quæ in ipsâ sunt opera, exurentur*, 2 Pet. 3, v. 10. Isto autem calore exurente, utrumque terræ et aquæ elementum purgabitur. *Primum cœlum* abiit, id est, vetus cœlum, quod per qualitates corruptibilitati corporum nostrorum convenientes, tot millibus annorum nobis servivit. *Et prima terra abiit*, hoc est, evanuit quasi ex oculis, quia pristinas qualitates et figuram ita mutavit, ut non videatur ampliùs esse eadem substantia quæ fuit. Corruptibilium etiam elementorum qualitates ardendo penitùs interibunt; *atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniunt, ut scilicet mundus in melius innovatus, aptè accommodetur hominibus, etiam carne in melius innovatis*, ait S. P. Aug., lib. 20 de Civ. Dei, cap. 16.

Vers. 2 : *Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo à Deo*, non illam terrestrem, sed cœlestem, qualis non fuit ante Christi adventum, quando passim incognita erat, et cujus tantùm figura fuit illa Jerusalem terrestris. Quòd hìc per sanctam civitatem Jerusalem intelligatur Ecclesia novi Testamenti, admittunt omnes interpretes; sed an hæc sit militans, an triumphans, inter ipsos controvertitur. Interim hìc ad litteram tantùm depingi Ecclesiam triumphantem, vero simillimum est, atque

Prob. 1° quia de eâdem dicitur v. 22 et seqq. : *Templum non vidi in eâ. Claritas Dei illuminavit eam. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium, nisi* (id est, *sed*) *qui scripti sunt in libro vitæ Agni;* atqui hæc omnia tantùm Ecclesiæ triumphanti conveniunt, ut clarum est : ergo, etc.

Prob. 2° ex S. P. Aug., qui lib. 20 de Civ. Dei, cap. 17, citans illa verba v. 4 : *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*, etc., ita scribit : *Tantâ luce dicta sunt de seculo futuro, et immortalitate atque æternitate sanctorum, tunc enim solùm, atque ibi solùm ista non erunt, ut nulla debeamus in litteris sacris quærere vel legere manifesta, si hæc putaverimus obscura.*

Obj. 1° : Dicitur quòd illa Jerusalem nova descenderit de cœlo à Deo; atqui hoc non convenit Ecclesiæ triumphanti, utpote quæ in cœlo regnat cum Deo; ergo, etc. — Resp. : Neg. min. : nam dicitur descendere de cœlo, quia cives suos electos colligit è terrâ, et in cœlum assumit, siquidem hoc significare videtur illa imago descendentis, quæ S. Joanni objecta fuit; item quia cœlestis gloria et beatitudo hominibus obtingit cœlitùs per Dei liberalitatem et gratiam. Unde S. Aug., loco præcitato, ait : *De cœlo descendere ista civitas dicitur, quoniam cœlestis est gratia quâ Deus eam fecit. Propter quod ei dicit etiam per Isaiam : « Ego sum Dominus faciens te. » De cœlo quidem ab initio suî descendit, ex quo per hujus seculi tempus, gratiâ Dei desuper veniente per lavacrum regenerationis, in Spiritu sancto misso de cœlo subinde cives ejus accrescunt. Sed per judicium Dei, quod erit novissimum per ejus Filium* Jesum Christum, *tanta ejus et tam nova Dei munere claritas apparebit, ut nulla remaneant vetustatis vestigia.*

Obj. 2° : Dicitur v. 14, quòd apostoli sint duodecim fundamenta muri civitatis; atqui apostoli non sunt fundamenta Ecclesiæ triumphantis, sed tantùm mili-

21. Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, et non vult pœnitere à fornicatione suâ.

22. Ecce mittam eam in lectum; et qui mœchantur cum eâ, in tribulatione maximâ erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint.

23. Et filios ejus interficiam in morte; et scient omnes ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes et corda; et dabo unicuique vestrûm secundùm opera sua. Vobis autem dico,

24. Et cæteris qui Thyatiræ estis: Quicumque non habent doctrinam hanc, et qui non cognoverunt altitudines Satanæ, quemadmodùm dicunt, non mittam super vos aliud pondus;

25. Tamen id quod habetis tenete donec veniam.

26. Et qui vicerit, et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes,

27. Et reget eas in virgâ ferreâ, et tanquàm vas figuli confringentur,

28. Sicut et ego accepi à Patre meo; et dabo illi stellam matutinam.

29. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis.

19. Je sais tes œuvres, ta foi, ta charité, le soin que tu prends des pauvres, ta patience et tes dernières œuvres plus abondantes que les premières.

20. Mais j'ai quelque chose à te reprocher : tu permets que Jézabel, cette femme qui se dit prophétesse, enseigne et séduise mes serviteurs, afin de les faire tomber dans la fornication, et de leur faire manger des viandes immolées aux idoles.

21. Je lui ai donné du temps pour faire pénitence; et elle ne veut point se repentir de sa prostitution.

22. Je la jetterai dans le lit; et ceux qui commettent adultère avec elle, seront dans une très-grande affliction, s'ils ne font pénitence de leurs œuvres

23. Je frapperai ses enfants de mort, et toutes les églises connaîtront que je suis celui qui sonde les reins et les cœurs; et je rendrai à chacun de vous selon ses œuvres : mais je vous dis,

24. Et aux autres qui sont à Thyatire, à tous ceux qui ne tiennent point cette doctrine, et qui, comme ils disent, ne connaissent point les profondeurs de Satan, je ne mettrai point d'autre poids sur vous.

25. Toutefois gardez fidèlement ce que vous avez, jusqu'à ce que je vienne.

26. Celui qui sera victorieux, et gardera mes œuvres jusqu'à la fin, je lui donnerai puissance sur les nations.

27. Il les gouvernera avec un sceptre de fer, et elles seront brisées comme un vase d'argile.

28. Tel est ce que j'ai reçu de mon Père, et je lui donnerai l'étoile du matin.

29. Que celui qui a des oreilles écoute ce que l'Esprit dit aux églises.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Qui tenet septem stellas in dextera sua. Septem stellæ, ut dictum est, septem angeli sunt sive episcopi septem ecclesiarum, et in eorum personâ reliqui omnes ecclesiarum, quæ septiformi Spiritu reguntur, episcopi; quos in manu suâ tenet Dominus, quia ejus omninò subsunt imperio; in medio autem candelabrorum septem, id est, ecclesiarum septem ambulat, singulorum lumen intuens, quantùm luceant, ne fortè sine oleo charitatis, sine operibus dilectionis fumiget fides mortuorum.

Vers. 2. — Scio opera tua. His et sequentibus aliquot sententiis laudatur Ephesini episcopi conversatio : post id autem quod sequitur, scilicet : *Et invenisti eos mendaces;* Gr. quidam habent : *Et tulisti* sive *pertulisti;* tamen Veronensia Scholia non habent neque in textu neque in scholiis; sed post id quod sequitur :

Vers. 3. — Patientiam habes, addunt conformiter ad interpretem : *Et sustinuisti vel pertulisti propter nomen meum, et non defecisti*; nam κοπιάζειν Græca Scholia exponunt per ἀποκαρτερεῖν, est autem ἀποκαρτερεῖν, eorum qui cùm adversa ferre nequeant animum despondentes, laqueo vel inedià vitam finiunt.

PREMIÈRE PARTIE DE LA PROPHÉTIE : LES AVERTISSEMENTS.

1. *Écris;* la fonction prophétique commence ici dans les admirables avertissements que Jésus-Christ fait écrire aux églises par S. Jean. Dans ces avertissements, il fait voir qu'il sonde le secret des cœurs, v. 23, qui est la plus excellente partie de la prophétie, selon ce que dit S. Paul, 1 Cor. 14, 24, 25 : *Les secrets des cœurs sont révélés* par ceux qui prophétisent dans les assemblées, et celui qui les écoute, *prosterné à terre, reconnaît que Dieu est en vous.*

A l'ange de l'église d'Éphèse, à son évêque, selon la commune interprétation de tous les Pères. Il ne faut pourtant pas croire que les défauts qui sont marqués dans cet endroit et dans les autres semblables soient les défauts de l'évêque; mais c'est que le Saint-Esprit désigne l'église par la personne de l'évêque qui y préside, et dans laquelle pour cette raison elle est en quelque façon renfermée; et aussi parce qu'il veut que le pasteur qui voit des défauts dans son troupeau, s'humilie et les impute à sa négligence.

De l'église d'Éphèse; on croit que c'était alors S. Timothée, très-éloigné sans doute des défauts que S. Jean va reprendre dans les fidèles d'Éphèse. D'autres disent que c'était S. Onésime, à qui je ne voudrais non plus les attribuer, après le témoignage que lui rend S. Paul dans l'Épître à Philémon; mais il y a plus d'apparence que c'était S. Timothée qui fut établi par S. Paul évêque d'Éphèse, et qui gouverna cette église durant presque toute la vie de S. Jean.

Celui qui tient les sept étoiles..., qui marche au milieu des sept chandeliers; tout cela signifie les sept églises, 1, 20. Le Saint-Esprit va reprendre toutes les diverses qualités qui viennent d'être attribuées à Jésus-Christ les unes après les autres. Voyez ci-dessus, 1, 15, 16.

2. *Qui se disent apôtres, et ne le sont point.* Le nombre de ces faux apôtres était grand. S. Paul en

Multa ergo, inquit, pertulistis; non autem ob id de sperâstis et defecistis. Quidam Græci codices habent: *Propter nomen meum laborâsti, sed non defecisti.*

VERS. 4. — SED HABEO ADVERSUM TE pauca. Græci non habent quid respondeat τῷ *pauca;* id autem adversùm te habeo, QUOD CHARITATEM TUAM PRIMAM RELIQUISTI; hanc autem charitatem primam, Græca scholia exponunt insignem charitatis affectum erga proximos, à quâ exciderat. Unde quod sequitur,

VERS. 5. — PRIMA OPERA FAC, intelligendum est de recuperandâ primâ illâ et insigni charitate. SIN AUTEM, VENIAM TIBI CITO; pro *sina utem*, Græcè est εἰ δὲ μή, id est, sin minùs, hoc est, nisi pœnitentiam egeris; VENIAM autem hoc loco non dicit motum Dei localem, sed affectionem tanquàm hominis ad ultionem venientis. ET MOVEBO CANDELABRUM TUUM DE LOCO SUO. Candelabrum, id est, ecclesiam tuam; moveri autem ecclesiam de loco suo, Græca scholia explicant divinâ gratiâ spoliari. Quidam hoc loco interpretantur translationem primatûs Græcæ ecclesiæ ab Ephesinâ in Constantinopolitanam ecclesiam prædici ab apostolo.

VERS. 6. — ODISTI FACTA NICOLAITARUM. Nicolaitæ hæretici sunt à Nicolao Hierosolymitanæ ecclesiæ diacono sic appellati, qui cum Stephano et cæteris ordinatus est diaconus : is uxore relictâ et omnibus permissâ, promiscuas introduxit nuptias.

VERS. 7. — DE LIGNO VITÆ QUOD EST IN MEDIO PARADISI DEI MEI. Lignum vitæ sapientiâ Patris est, unigenitus Dei Filius, de quo Salomon, Proverbior. 3: *Beatus homo qui invenit sapientiam : lignum vitæ est iis qui apprehenderint eam.* De hoc vitali ligno perpetuò edet, qui spirituale adversùs dæmones bellum vicerit.

VERS. 8. — ET ANGELO SMYRNÆ ECCLESIÆ SCRIBE, id est, episcopo Smyrnæ. Creditur hic episcopus fuisse S. Polycarpus. (Menochius.)

VERS. 9. — SCIO TRIBULATIONEM TUAM. Græci habent: *Novi opera tua, et tribulationem, et paupertatem,* quas mei nominis gratiâ sustines, ab infidelibus afflictatus; SED DIVES ES, thesaurum spiritualem habens in corde, Christum scilicet. ET BLASPHEMARIS; pro blasphemaris, Græca habent, *et blasphemiam*, et refertur ad *novi*, id est, *novi opera tua et blasphemiam* ab iis qui se dicunt Judæos esse et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ, blasphemiam scilicet quâ te illi afficiunt; benè autem ait de Pharisæis et non credentibus Judæis, qui se dicunt Judæos, et non sunt. Non enim qui manifestò in carne, Judæus est, sed absconditus cordis homo, qui verè Christum confitetur. Dicunt autem et non sunt, quia confitentur se nôsse Deum, factis autem negant.

VERS. 10. — HABEBITIS TRIBULATIONEM DIEBUS DECEM. Qui sint decem hi dies, ignorare me fateor; quidam totum tempus vitæ significari intelligunt, quòd numerus denarius omnes simplices numeros contineat; quidam decem Ecclesiæ persecutiones à Nerone usque ad Diocletianum.

VERS. 11. — QUI VICERIT NON LÆDETUR A MORTE SECUNDA. Mors secunda, mors animæ est, quoniam priori morti passim boni subjacent ac mali.

VERS. 12. — QUI HABET ROMPHÆAM UTRAQUE PARTE ACUTAM. Romphæa seu gladius anceps utrinque scindens, ille est de quo ad Heb. 4 : *Vivus est enim sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritûs.*

VERS. 13. — SCIO UBI HABITAS; Gr. habent : *Scio opera tua et ubi habitas;* UBI EST SEDES SATANÆ; sedem autem, sive, ut Gr. habent, thronum Satanæ vocat Pergamensem urbem idolorum cultricem.

---

parle souvent, et principalement 2 Cor. 11, 13. Et S. Jean lui-même, 3 Épît. 9, lorsqu'il parle de Diotréphès, qui ne voulait pas le reconnaître.

5. *J'ôterai ton chandelier de sa place;* je t'ôterai le nom d'église, et je transporterai ailleurs la lumière de l'Évangile. Lorsqu'elle cesse quelque part, elle ne s'éteint pas pour cela; mais elle est transportée ailleurs, et passe seulement d'un peuple à un autre.

6. *Des Nicolaïtes,* hérétiques très-impurs qui condamnaient le mariage et lâchaient la bride à l'intempérance, ci-dessous, 14, 15.

7. *A manger du fruit de l'arbre de vie qui est dans le paradis de mon Dieu,* dont quiconque mangeait ne mourait point; dont Adam fut éloigné, de peur qu'en mangeant de son fruit il ne vécût éternellement, Gen., 2, 9; 3, 22. Jésus-Christ nous le rend lorsqu'il dit : *Voici le pain qui descend du ciel, afin que celui qui en mange ne meure point,* Jean, 6, 50. C'est le fruit de l'arbre de vie, c'est-à-dire, Jésus-Christ attaché à la croix pour notre salut (Prim., Amb.)

8. *A l'ange de l'église de Smyrne;* c'était alors S. Polycarpe, *établi par les apôtres évêque de Smyrne,* comme le raconte S. Irénée, et, selon Tertullien, par S. Jean même, homme apostolique, dont le martyre, arrivé très-longtemps après dans son âge décrépit, a réjoui toutes les églises du monde.

Qui est le premier et le dernier, repris du chap. 1, v. 17, 18.

9. *Tu es calomnié par ceux qui se disent Juifs.* On voit ici la haine des Juifs contre les églises, et en particulier contre l'église de Smyrne; et on en vit les effets jusqu'au temps du martyre de S. Polycarpe, contre lequel ils animèrent les gentils, comme il paraît par la lettre de l'église de Smyrne à celle de Vienne. Voyez Apoc., 3, 9, et remarquez que les persécutions des églises chrétiennes étaient suscitées par les Juifs, comme il sera dit ailleurs.

10. *Le diable mettra bientôt quelques-uns de vous en prison.* Sur la fin de Domitien, lorsque S. Jean écrivait, la persécution était encore languissante; c'est pourquoi il ne parle ici que de *quelques-uns mis en prison,* et d'une souffrance *de dix jours,* c'est-à-dire, courte, surtout en comparaison de celles qui devaient venir bientôt après, comme on verra.

11. *De la seconde mort;* c'est l'enfer et la mort éternelle, comme il sera expliqué, c. 20, v. 6, 14. C'est cette seconde mort qu'il faut craindre seule; et qui l'aura évitée ne doit point appréhender la mort du corps, ce que S. Jean remarque ici, afin qu'on ne craignît point de souffrir la mort dans la persécution qui allait venir.

12. *Celui qui porte l'épée à deux tranchants,* repris du chap. 1, v. 16.

13. *Antipas, mon témoin fidèle;* le supplice de ce saint martyr est raconté dans les Martyrologes, et il y est dit qu'il fut jeté dans un taureau d'airain brûlant, ce que je laisse à examiner aux critiques.

ET TENES NOMEN MEUM, ET NON NEGASTI FIDEM MEAM. Tenere nomen Dei, et non negare fidem ipsius idem esse puto. Quod verò sequitur : ET IN DIEBUS ILLIS ANTIPAS TESTIS MEUS, etc., Gr. exemplaria hoc loco variant. Germanica exemplaria habent, καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐμαῖς, Ἀντίπας ὁ μάρτυρ μου, id est, *et in diebus meis Antipas testis meus*, etc.; sed hoc modo cùm desit verbum respondens τῷ Ἀντίπας, non videtur commoda lectio. Scholia Veronensia veram et germanam perfectique sensûs lectionem habent : Καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐν αἷς Ἀντίπας ὁ μάρτυρ μου ὃς ἀπεκτάνθη παρ' ὑμῖν, quanquàm ὃς hîc πάρελκον esse puto, et tunc sensus esset repetendo præcedentia : *Et non negásti fidem meam etiam in diebus illis, in quibus Antipas testis meus fidelis occisus est.* Retinere enim Christi fidem ipso etiam afflictionum tempore heroicæ virtutis est functio; hujus Antipæ martyrium adhuc servari Græca scholia aiunt; cujus tanta fuit in Evangelio constantia, ut etiam se explorantibus multâ animi fiduciâ verbum Dei loqueretur.

VERS. 14. — SED HABEO ADVERSUM TE PAUCA. Vide quantâ oportet diligentiâ vigilare ecclesiarum pastores et episcopos, quando populi errata episcopo tribuit Christus; cùm enim dixisset : *Habeo adversùm te pauca*, subdidit tantùm aliorum errata dicens : QUIA HABES ILLIC TENENTES DOCTRINAM BALAAM, QUI DOCEBAT BALAC MITTERE SCANDALUM CORAM FILIIS ISRAEL. Scandalum quod docuit Balaam regem Balac mittere coram Israelitis est, quòd, teste Josepho, ut recitant Græca scholia, consilio Balaam rex Balac Israelitis ad fornicandum mulieres obtulit, qui etiam docuit, inquit, filios ISRAEL EDERE, Græci addunt εἰδωλόθυτα, id est, sacrificiis immolata, sive immolatitias idolorum carnes : asserit enim Josephus per eam lasciviam hùc adductos Israelitas, ut oblata Beelphegor sacrificia comederent, quique docebat Israelem fornicari, sicut habes planè, et de præcedentibus viris Israelitarum, Numerorum 4 cap.

VERS. 15. — ITA ET TU HABES TENENTES DOCTRINAM NICOLAITARUM. Tenentes doctrinam Balaam et doctrinam Nicolaitarum idem sunt, quia, ut aiunt Græca scholia, Epiphanius, Cypri episcopus, non veritus Nicolaitarum luculentiam palàm facere, et fornicationem eos concessisse, et idolothyta promiscuè permisisse asserit. Cùm verò dixisset : *Ita et habes tenentes doctrinam Nicolaitarum*, Græca Germanica addunt ὅ μισῶ, id est, *quod odi*; Veronensis codex addit ὁμοίως, id est, *similiter*; ut dicas, *similiter cum Balaamitis*, atque ita exponunt; et videtur germanior esse sensus, ita et legit interpres; nam quod sequitur,

VERS. 16. — SIMILITER PŒNITENTIAM AGE, τ *similiter* jungi debet cum præcedentibus : *Ita et tu habes tenentes doctrinam similiter*, scilicet cum Balaam, ut doctrina Nicolaitarum et doctrina Balaam similes sint. Quis enim sensus esset similiter pœnitentiam age, cùm de pœnitentiâ ne verbum quidem præcesserit? Initium ergo sententiæ est : *Pœnitentiam age.* SI QUO MINUS VENIAM TIBI CITO; pro, *si quominùs*, Græcè est, εἰ δὲ μή, quod significat *sin autem*, vel *sin minùs*; quo modo vertisse puto interpretem, et librarii vitio positum, *si quominùs*, sensus autem est : Pœnitentiam age, alioqui veniam tibi citò; vide autem rursùs ut peccata populi episcopo tribuit : veniam tibi, id est, ad te perdendum propter negligentiam; et ne se impunes fore putent hæretici, subdit : ET PUGNABO CUM ILLIS GLADIO ORIS MEI, id est, sermone meo : solum enim Dei verbum sufficit ad omnes impios perdendos.

VERS. 17. — VINCENTI DABO MANNA ABSCONDITUM. Hîc per manna τροπικῶς, panis vitæ ad nos de cœlo allatus est intelligendus, qui vitam dat mundo : nimirùm Jesus Christus, qui vincenti mundum, carnem et diabolum, à Deo promittitur. Pro eo autem quod interpres habet : *Dabo manna*, Græci addunt, φαγεῖν, id est, comedere de manna abscondito, pro impuris Balaamitarum et Nicolaitarum idolorum cibis. ET DABO ILLI CALCULUM CANDIDUM; hunc Beda interpretatur, nec ineptè, corpus glorificatum, quandoquidem in resurrectione *Christus reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Qui autem perseveraverit usque in finem et vicerit, vero manna Christo fruetur, et calculum corporis sui candidum assequetur; ET IN CALCULO NOMEN NOVUM SCRIPTUM, QUOD NEMO SCIT, NISI QUI ACCIPIT. Nomen istud nomen est filiorum Dei, quod nemo scit quantæ dignitatis sit ac virtutis, nisi qui accepit, et qui filius Dei factus est.

VERS. 18. — ANGELO THYATIRÆ, episcopo Thya-

14, 15. *La doctrine de Balaam;* Balaam, après avoir béni les Israélites malgré lui, donne des conseils pour les corrompre par des festins où ils mangeaient des viandes immolées aux idoles, et par des femmes perdues. L'histoire en est racontée dans les Nombres, c. 24, v. 14; c. 25, v. 1, 2, etc. Ainsi les Nicolaïtes enseignaient à participer aux fêtes et aux sacrifices des gentils, et à leurs débauches. Voyez aussi v. 20.

17. *La manne cachée*, dont le monde ne connaît point la douceur, et que nul ne sait que celui qui la goûte. La manne c'est la nourriture dans le désert, et la secrète consolation dont Dieu soutient ses enfants dans le pélerinage de cette vie (Amb.). Celui qui méprisera les appâts des sens, est digne d'être nourri de la céleste douceur du pain invisible (Bèd.).

Une pierre blanche, une sentence favorable (And.,

Cæsar.). Dans les jugements on renvoyait absous, et dans les combats publics on adjugeait la victoire avec une pierre blanche; ainsi Dieu nous donnera dans le fond du cœur, par la paix de la conscience, un témoignage secret de la rémission de nos péchés et de la victoire remportée sur nos sens.

Et un nom nouveau écrit sur la pierre, c'est que *nous soyons appelés, et que nous soyons en effet enfants de Dieu*, selon ce que dit S. Jean, 1 Ep. 3, 1. Et parce que, comme dit S. Paul, *l'Esprit rend témoignage à notre esprit que nous sommes enfants de Dieu*, Rom., 8, 16.

Un nom que nul ne connaît, que celui qui le reçoit; l'hypocrite ne connaît pas combien Dieu est doux, et il faut l'avoir goûté pour le bien savoir.

18. *A l'ange de l'église de Thyatire.* Cette église fut pervertie par les Montanistes, au rapport de S. Épiphane, qui semble avouer aux Alogiens qu'il n'y a

tiræ. Erat autem Thyatira urbs ultima Mysorum, colonia Macedonum ad austrum Pergami. Quis fuerit hic episcopus non constat. Cornelius existimat fuisse beatum Carpum. QUI HABET OCULOS TANQUAM FLAMMAM IGNIS, qui videt scelera Jezabelis, de quâ mox. Tacitè etiam redarguitur episcopus Thyatirenus, quòd hujus mulieris scelera non videret, aut ad illa conniveret. ET PEDES SIMILES AURICHALCO. Pedes ex aurichalco ignito significare videntur pœnam ignis inferni sceleratis illis inferendam, de quibus hìc loquitur. Vel mentio fit pedum similium aurichalco, ut episcopum Thyatiræ consoletur in afflictionibus quas propter Christum ferebat, docetque illis puriorem eum fieri, et majori glorià dignum.

VERS. 19. — NOVI OPERA TUA, etc. Sententia versiculi est : Scio te multùm pro fide laborâsse contra impios, fidemque et charitatem in omnibus ostendisse, et in ministerio episcopalis curæ strenuè te gessisse, et multa pro me pertulisse, nec defatigatum te fuisse in bonis operibus, sed cùm multa prius feceris initio tui episcopatûs, plura postea etiam adjecisse.
(Menochius.)

VERS. 20. — QUIA PERMITTIS MULIEREM JEZABEL, etc. Hanc Jezabel quidam putant hæreticam quamdam fuisse mulierem sic appellatam ; quidam synagogam universam pseudoapostolorum ; Græca scholia hæresim Nicolaitarum, tropicè Jezabelis nomine impiæ mulieris, de quâ 3 Regum 22, significari putant, quæ verè Dei servos seducebat, et fornicari docebat, ac idolothyta manducare. Fornicationem autem et corporalem et spiritualem, scilicet ipsam à domino Deo defectionem intelligere possumus. Benè autem de tropicâ Jezabel ait, quæ se dicit esse prophetam. Proprium est enim hæreticorum ipsis sibi spiritum Dei vendicare, et prophetiam sacrarumque Litterarum cognitionem.

VERS. 21. — DEDI ILLI TEMPUS UT PŒNITENTIAM AGERET, illam moneri jussi, hortatus sum ut resipiscat, et errorem abdicet. (Calmet.)

De hâc Jezabel ait :

VERS. 22. — ECCE EGO MITTO EAM IN LECTUM. In lectum Græca scholia explicant ἀῤῥωστίαν, id est, in infirmitatem, hoc est, talem ei ægrotationem immittam, ut jacere in lecto cogatur ; ET QUI MŒCHANTUR CUM EA, id est, cooperatores illius, et qui in doctrinam ejus et flagitia nomen dederunt, tribulatione afficiam, nisi pœnitentiam egerint ;

point eu d'église à Thyatire du temps de S. Jean, et qui veut pour cette raison que la prophétie des versets suivants regarde Montan et ses fausses prophétesses ; mais le rapport paraît faible. On ne voit pas non plus pourquoi S. Jean aurait adressé une lettre à une église qui ne fût pas, en le joignant avec les autres si bien établies à qui il écrit. On pourrait attribuer le commencement de l'église de Thyatire à Lydie, qui était de cette ville-là, et qui paraît si zélée pour l'Évangile, à Philippes, où S. Paul la convertit avec toute sa famille. Act., c. 16, v. 14, 40.

Qui a les yeux comme une flamme..... ; repris du chap. 1, v. 14, 15.

20. *Tu permets que Jézabel* ; c'est sous le nom de Jézabel, femme d'Achab, quelque femme considérable, vaine et impie, qui appuyait les Nicolaïtes comme l'ancienne Jézabel appuyait les adorateurs de Baal. Le rapport de ce verset avec les précédents 14, 15, ne permet pas de douter qu'il ne s'agisse ici des Nicolaïtes. *Qui se dit prophétesse* ; elle se servait de ce nom pour autoriser les plus grandes impuretés. Tout ceci ne revient guère aux prophétesses de Montan,

VERS. 23. — ET FILIOS EJUS, qui scilicet iniquitate spiritualiter matrem suam referunt, INTERFICIAM IN MORTE, id est, *morte interficiam*. ET SCIENT OMNES ECCLESIÆ QUIA EGO SUM SCRUTANS CORDA ET RENES, id est, interiores hominum cogitationes penetrans et intelligens ; ET DABO UNICUIQUE VESTRUM SECUNDUM OPERA SUA ; hinc manifestum est operibus mercedem reddi vel supplicium.

VERS. 24. — QUICUMQUE NON HABENT DOCTRINAM HANC, id est, quicumque Jezabelis tropicæ doctrinam non sequuntur. ET QUI NON COGNOVERUNT ALTITUDINES SATANÆ, sive profunditates, Græcè, τὰ βαθέα, Latini enim et altum, et latitudines, ipsam etiam profunditatem appellant. Profunditates autem Satanæ, si ita vertere lubet, immensum pelagus flagitiorum possemus intelligere, de quo Scriptura : *Peccator, cùm in profundum malorum venerit, contemnit.* Altitudines autem Satanæ, elatam ejus superbiam, quâ Deo similis esse voluit, intelligemus ; quod autem sequitur : QUEMADMODUM DICUNT, Græcè ὡς λέγουσι, sic intelligendum est : Qui non cognoverunt altitudines et profunditates Satanæ (ut appellant), iis ergo, inquit, vobis scilicet, id est, super vos, NON MITTAM ALIUD PONDUS ; quidam explicant, *non mittam aliud pondus*, id est, non novo judicio novoque supplicio vos onerabo, qui hæreticos toleratis per metum magis quàm per consensum, per infirmitatem magis quàm malitiam ; satis est enim quòd hoc hæreticorum vos persequentium onere gravamini.

VERS. 25. — TAMEN ID QUOD HABETIS TENETE, DONEC VENIAM, id est, quam quisque fidem accepit, eam retineat usque ad adventum meum in judicium particulare per mortem. Quidam exponunt : Non mittam super vos aliud pondus, non permittam vos tentari supra id quod potestis ; alii : Non rursùm novo legis onere, ut pseudoapostoli conantur, vos onerabo ; sed quam accepistis doctrinam, servate usque in finem ; id enim significat *donec veniam*.

VERS. 26. — QUI VICERIT, DABO ILLI POTESTATEM SUPER GENTES. Qui Jezabelem superaverit, qui ejus illecebris restiterit, et perniciosæ ejus doctrinæ repugnaverit, potestate in gentes donabitur ; præficietur gentilibus ad christiana sacra traductis ; seu potiùs, me

et sent plutôt les Nicolaïtes et les Gnostiques que les Montanistes.

25. *Toutes les églises connaîtront que je sonde les reins* ; où sont ceux qui disent que dans le gouvernement de l'Église Jésus-Christ ne doit pas agir comme scrutateur des cœurs ? Dans les reins sont marquées les secrètes voluptés, et dans le cœur les secrètes pensées (Bed.).

24. *Qui, comme ils disent, ne connaissent point les profondeurs de Satan* ; qui ne se laissent point séduire à sa profonde et impénétrable malice, lorsqu'il tâche de tromper les hommes par une apparence de piété, et qu'il couvre de ce bel extérieur les plus grossières erreurs.

Je ne mettrai point d'autre poids sur vous ; je ne vous donnerai point d'autre combat à soutenir, et ce sera beaucoup si vous pouvez échapper ce mystère d'iniquité et d'hypocrisie.

26. *Quiconque..... gardera mes œuvres jusqu'à la fin* ; il marque ici clairement ceux qui auront reçu le don de persévérance.

Je lui donnerai puissance sur les nations ; 27. *Il les*

largiente, obtinebit gratiam et scientiam, ob ducendos ad fidem gentiles necessariam, etc. (Calmet.)

VERS. 27. — ET REGET EAS IN VIRGA FERREA. Potest virga ferrea duobus modis intelligi; vel rectissima juxta illud Psalmi : *Virga directionis* (id est, justitiæ, æquitatis) *virga regni tui*; vel dura, secundùm id quod sequitur : ET TANQUAM VAS FIGULI CONFRINGENTUR. (Estius.)

VERS. 28. — ET DABO ILLI STELLAM MATUTINAM, puta lumen gloriæ et claram Dei visionem, quæ instar Luciferi, post obscuram hujus vitæ noctem illucescet unicuique victrici animæ simul atque è corpore demigrabit. Sed commutabitur in lucidissimum solem meridianum, quando in generali resurrectione, etiam in omnia corpora simul et semel et æternùm gloriam et splendorem suum diffundet. Ita Victorinus, Primasius, Aretas et A Lapide. Et hoc sensu dicit Christus infra, 22, 16 : *Ego sum stella splendida et matutina.* (Tirinus.)

VERS. 29. — QUI HABET AUREM : aurem intelligit spiritualem, paratam ad intelligendum et ad obediendum. (Menochius.)

gouvernera..... On voit ici le règne de Jésus-Christ avec ses saints qu'il associe à son empire; c'est pourquoi il les met sur son trône, c. 3, v. 21, 22. Il faut aussi comparer ce passage avec celui du chap. 19, v. 15, où Jésus-Christ s'attribue à lui-même ce qu'il donne ici à ses saints. On voit encore les saints assesseurs de Jésus-Christ, chap. 20, v. 4, et on a pu remarquer sur ce sujet un beau passage de S. Denis d'Alexandrie chez Eusèbe, 6, 42; voyez la réflexion après la préface, n. 29.

28. *Et je lui donnerai l'étoile du matin;* je lui ferai commencer un jour éternel, où il n'y aura point de couchant, et qui ne sera suivi d'aucune nuit. (Bèd.)

CAPUT III.

1. Et angelo ecclesiæ Sardis scribe : Hæc dicit qui habet septem spiritus Dei, et septem stellas : Scio opera tua; quia nomen habes quòd vivas, et mortuus es.

2. Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.

3. In mente ergo habe qualiter acceperis et audieris, et serva, et pœnitentiam age. Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquàm fur, et nescies quâ horâ veniam ad te.

4. Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua : et ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.

5. Qui vicerit, sic vestictur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ, et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram angelis ejus.

6. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis.

7. Et angelo Philadelphiæ ecclesiæ scribe : Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David; qui aperit, et nemo claudit : claudit, et nemo aperit :

8. Scio opera tua. Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere; quia modicam habes virtutem, et servâsti verbum meum, et non negâsti nomen meum.

9. Ecce dabo de synagogâ Satanæ, qui dicunt se Judæos esse, et non sunt, sed mentiuntur; ecce faciam illos ut veniant, et adorent ante pedes tuos : et scient quia ego dilexi te,

10. Quoniam servâsti verbum patientiæ meæ, et ego servabo te ab horâ tentationis quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terrâ.

11. Ecce venio citò; tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.

12. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur ampliùs : et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo, et nomen meum novum.

13 Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis.

CHAPITRE III.

1. Ecris à l'ange de l'église de Sardes : Voici ce que dit celui qui a les sept esprits de Dieu et les sept étoiles : Je connais tes œuvres; tu as la réputation d'être vivant, mais tu es mort.

2. Sois vigilant, et confirme les restes qui étaient près de mourir; car je ne trouve pas tes œuvres pleines devant mon Dieu.

3. Souviens-toi donc de ce que tu as reçu, et de ce que tu as ouï, et garde-le, et fais pénitence; car si tu ne veilles, je viendrai à toi comme un larron, et tu ne sauras à quelle heure je viendrai.

4. Tu as toutefois quelques personnes à Sardes qui n'ont point souillé leurs vêtements; et elles marcheront avec moi revêtues de blanc, parcequ'elles en sont dignes.

5. Celui qui sera victorieux, sera ainsi vêtu de blanc, et je n'effacerai point son nom du livre de vie; et je confesserai son nom devant mon Père et devant ses anges.

6. Que celui qui a des oreilles, écoute ce que l'Esprit dit aux églises.

7. Écris aussi à l'ange de l'église de Philadelphie : Voici ce que dit le Saint et le Véritable, qui a la clé de David; qui ouvre, et personne ne ferme; qui ferme, et personne n'ouvre :

8. Je connais tes œuvres. J'ai ouvert une porte devant toi, que personne ne peut fermer; parce que tu as peu de force, et que toutefois tu as gardé ma parole, et que tu n'as point renoncé mon nom.

9. Je te donnerai quelques-uns de ceux de la synagogue de Satan, qui se disent Juifs, et ne le sont point, mais qui sont des menteurs; je les ferai venir se prosterner à tes pieds, et ils connaîtront que je t'aime,

10. Parce que tu as gardé la parole de ma patience, et moi je te garderai de l'heure de la tentation, qui doit venir dans tout l'univers, éprouver ceux qui habitent sur la terre.

11. Je viendrai bientôt; garde ce que tu as, de peur que quelque autre ne prenne ta couronne.

12. Quiconque sera victorieux, j'en ferai une colonne dans le temple de mon Dieu, et il n'en sortira plus; et j'écrirai sur lui le nom de mon Dieu, et le nom de la ville de mon Dieu, de la nouvelle Jérusalem, qui descend du ciel d'auprès de mon Dieu, et mon nouveau nom.

13. Que celui qui a des oreilles, écoute ce que l'Esprit dit aux églises.

14. Et angelo Laodiciæ ecclesiæ scribe : Hæc dicit : Amen, testis fidelis, et verus, qui est principium creaturæ Dei.

15. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus ; utinam frigidus esses, aut calidus !

16. Sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.

17. Quia dicis : Quòd dives sum, et locupletatus, et nullius egeo : et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.

18. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris, et non appareat confusio nuditatis tuæ, et collyrio inunge oculos tuos, ut videas.

19. Ego quos amo arguo et castigo. Æmulare ergo, et pœnitentiam age.

20. Ecce sto ad ostium, et pulso ; si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.

21. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo ; sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.

22. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis.

14. Écris à l'ange de l'église de Laodicée : Voici ce que dit celui qui est la Vérité même, le témoin fidèle et véritable, qui est le principe de la créature de Dieu :

15. Je connais tes œuvres : tu n'es ni froid, ni chaud, plût à Dieu que tu fusses froid ou chaud !

16. Mais parce que tu es tiède, et ni froid ni chaud, je te vomirai de ma bouche.

17. Tu dis : Je suis riche et opulent, et je n'ai besoin de rien ; et tu ne sais pas que tu es malheureux, misérable, pauvre, aveugle et nu.

18. Je te conseille d'acheter de moi de l'or éprouvé au feu pour t'enrichir, et des habits blancs pour te vêtir, de peur que la honte de ta nudité ne paraisse ; et un collyre pour appliquer sur tes yeux, afin que tu voies.

19. Je reprends, et je châtie ceux que j'aime. Rallume donc ton zèle, et fais pénitence.

20. Je suis à la porte, et je frappe ; si quelqu'un entend ma voix, et m'ouvre la porte, j'entrerai chez lui, et je souperai avec lui, et lui avec moi.

21. Celui qui sera victorieux, je le ferai asseoir avec moi sur mon trône, comme j'ai vaincu moi-même, et me suis assis avec mon Père sur son trône.

22. Que celui qui a des oreilles, écoute ce que l'Esprit dit aux églises.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — QUI HABET SEPTEM SPIRITUS In fine capitis primi dixit Joannes esse septem angelos ; et eosdem nunc vocat septem spiritus : ii enim sunt de quibus scriptum est : *Qui facit angelos suos spiritus ;* sed spiritus naturæ nomen est, angelus, officii. Sunt qui septem spiritus interpretentur, septiformis Spiritûs dona, quæ in manu suâ Deus habet dividens ea singulis prout vult, et septem angelos septem ecclesiarum episcopos. NOMEN HABES QUOD VIVAS, censeris vivus per fidem quam profiteris, ET MORTUUS ES, quia congruentia fidei opera non facis, fides autem sine operibus mortua est in semetipsâ. Mortuum autem dicit propter negligentiam vigilandi circa subditos, unde ait :

VERS. 2. — ESTO VIGILANS, ET CONFIRMA CÆTERA QUÆ MORITURA ERANT : morientur enim nisi in fide illos confirmaveris. NON ENIM INVENI OPERA TUA PLENA, perfecta, CORAM DEO MEO ; non enim satis est episcopo, studiosam vitam agere, nisi diligentem suorum etiam curam gerat.

VERS. 3. — IN MENTE ergo HABE, memor esto ; Gr. enim est μνημόνευε, QUALITER ACCEPERIS ET AUDIERIS, memor esto traditionum apostolicarum, et serva sicuti accepisti ; nisi ergo VIGILAVERIS, VENIAM AD TE TANQUAM FUR, de improviso, teque nec opinante.

VERS. 4. — SED HABES PAUCA NOMINA, id est, paucos homines in Sardis QUI NON INQUINAVERUNT VESTIMENTA SUA, corpora sua ; corpus enim animæ tegumentum, et tanquàm vestis est. Sunt qui putent dici pauca nomina, quòd paucos illos vel de nomine noverit ; ET AMBULABUNT, inquit, MECUM IN ALBIS, in candore innocentiæ et puritatis suæ, vel in albis, id est, in candore glorificati et clarificati corporis ; unde et subdit :

VERS. 5. — Qui VICERIT, sic Gr. quæ nunc extant habent non οὕτως, *sic*, sed οὗτος, *hic*, qui vicerit, hic VESTIETUR VESTIMENTIS ALBIS, quia qui mundum vicerit ac diabolum, nec candidam innocentiæ vestem baptismo acceptam inquinaverit, albâ gloriæ et immortalitatis stolâ etiam corpore ipso vestietur.

VERS. 7. — QUI HABET CLAVEM DAVID. Græca scholia indicant in nonnullis exemplaribus pro τοῦ Δαυὶδ, id est, *David*, habere τοῦ ᾅδου, *inferi*, qui sensus

1. *Les sept esprits de Dieu.* Ce titre ne se trouve pas comme les autres parmi les choses qui sont montrées à S. Jean dans la personne de Jésus-Christ ; mais il faut entendre qu'il a aussi en sa puissance les sept esprits, au nom desquels S. Jean salue les églises. v. 4.

Et les sept étoiles, repris du v. 16. La liaison qu'on voit ici des sept esprits avec les sept étoiles, qui sont les sept églises, semble confirmer que les sept esprits au nom desquels S. Jean salue, sont sept anges principaux qui gouvernent les églises, et par la ressemblance desquels les sept évêques sont aussi appelés des anges ; et il est très convenable que S. Jean ait salue les églises de la part des sept anges à qui elles étaient confiées.

Tu es mort, dans la plus grande partie de tes membres ; car quelques-uns étaient demeurés sains et vivans, v. 4, quoiqu'ils fussent faibles et prêts à mourir par la contagion du mauvais exemple. Voyez v. 8.

2. *Je ne trouve pas tes œuvres pleines ;* ce n'est pas tant que ses œuvres fussent mauvaises, mais c'est qu'elles n'étaient *pas pleines ;* il ne faisait pas le bien tout entier ; et c'en est assez pour mourir.

4. *Revêtus de blanc* ; chacun sait assez que la couleur blanche signifie la sainteté, la gloire éternelle et le triomphe.

7. *Qui a la clé de David ;* cette qualité n'est point rapportée avec celles dont il est parlé au chap. 1. *La clé de David* entre les mains de Jésus-Christ, c'est la puissance royale et le trône de David son père (Bed.,

etiam commodus est. Clavem autem David regiam potestatem et auctoritatem quidam interpretantur. Alii facultatem Scripturas aperiendi et explicandi, de quibus benè ait : *Claudit, et nemo aperit*, et contra, quia nisi illum sigillatum divinarum intelligentiarum librum ipse aperiat, nemo intelliget : contra, qui ille aperuerit, facilè omnia intelliget. Græca Scholia quæ David potestatem regiam interpretantur, aiunt aperire sumi pro justificare, claudere pro condemnare.

VERS. 8. — ECCE DEDI CORAM TE OSTIUM APERTUM. Quidam ostium apertum, januæ regni cœlestis apertionem per Christum factam intelligunt : quod verò ait: *Dedi coram te*, perinde est ac si dicat : Dedi tibi ostium apertum vel aperui tibi ostium ; alii hoc ostium apertum sacræ Scripturæ intelligentiam exponunt, quod NEMO, inquit, POTEST CLAUDERE tibi, QUIA MODICAM HABES VIRTUTEM, ET SERVASTI VERBUM MEUM, ET NON NEGASTI NOMEN MEUM, id est, quia quantulàcumque virtute præditus es, verbum tamen meum servàsti, neque me negàsti.

VERS. 9. — ECCE DABO DE SYNAGOGA SATANÆ. Græci pro δώσω quod interpres legit, id est, *dabo*, habent δίδωμι, id est, *do ex synanogâ Satanæ* ; quasi dicat : Extraho à synagogâ Satanæ QUI NUNC SE DICUNT JUDÆOS ET NON SUNT, SED MENTIUNTUR se Judæos esse veros ; nam verus Judæus ille non est qui de prosapiâ ortus est Abrahæ, sed qui Deum confitetur et Christum; auferam ergo ex synagogâ Satanæ de illis, ET FACIAM ILLOS UT VENIANT, ET ADORENT ANTE PEDES TUOS, ad me, scilicet meque coram pedibus tuis adorent, et cognoscant quia dilexi te : ut enim ait Paulus, *Cùm venerit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus fiet.*

VERS. 10. — QUONIAM SERVASTI VERBUM PATIENTIÆ MEÆ, id est, verbum propter quod asserendum et prædicandum passus sum, ET EGO SERVABO TE AB HORA TENTATIONIS, sive hæresum, sive persecutionum ab infidelibus imperatoribus, sive Antichristi : ut nomine Thyatirensis episcopi universam alloquatur Ecclesiam ; ne verò audito tentationis verbo animum despondeant, subdit :

VERS. 11. — ECCE VENIO CITÒ, nimirùm auxilio tibi futurus. Interim verò TENE QUOD HABES, id est, fidem tuam constanter serva, *ut* nemo accipiat coronam gloriæ ac mercedis tuæ.

VERS. 12. — QUI VICERIT mundum et diabolum, FACIAM ILLUM COLUMNAM, id est, confirmabo illum, et fortem faciam in templo Dei mei, id est, vel in Ecclesiâ militante, vel etiam in Ecclesiâ triumphante, ET FORAS NON EGREDIETUR AMPLIUS. Si de Ecclesiâ militante præcedens locus intelligatur, nunquàm inde egredietur, quia qui sic victor evasit superior mundo et diabolo, nunquàm ab Ecclesiæ fide recedet, firmatus et fundatus supra firmam petram, imò Ecclesiæ ipsius columna factus : nam columnæ ecclesiarum sunt boni et fideles episcopi ; si de Ecclesiâ triumphante locus præcedens intelligatur, multò minùs à gloriâ, in quâ perpetuum stabilietur, egredietur. ET SCRIBAM SUPER EUM NOMEN DEI MEI, ET NOMEN CIVITATIS DEI MEI NOVÆ JERUSALEM, QUÆ DESCENDIT DE CŒLO A DEO MEO, ET NOMEN MEUM NOVUM. Gr. Scholia nomen Dei Patris, nomen novæ Jerusalem, et nomen Filii pro eodem usurpant, pro Dei scilicet glorià et celebri cognitione ; sicut in illo David : *Quàm admirabile est nomen*, id est, gloria tua et celebris fama tua *in universâ terrâ* ; gloriosum enim et celebrem ὀνομαστὸν Græci nominant ἀπὸ τοῦ ὀνόματος, à nomine. Explicant etiam Græca Scholia : *Scribam super eum nomen Dei mei*, ut sanctus, bonus et justus dicatur, sicut et Deus dicitur, *et nomen ci-*

suivant ce qui fut prédit par l'ange S. Gabriel à la bienheureuse Vierge, Luc. 1, 32, 33.

9. *Qui ouvre, et personne ne ferme*... Il a la puissance souveraine, et nul ne peut toucher à ses jugements.

Je les ferai venir se prosterner... On verra les Juifs, maintenant si superbes, bientôt humiliés, comme il sera dit ci-dessous. (Histoire abrégée des événements n. 5.)

Ils connaîtront que je t'aime, tout faible que tu es ; tant Jésus-Christ aime les restes de la piété dans ses fidèles, et ne songe, pour ainsi dire, qu'à rallumer leur feu presque éteint.

10. *Je te garderai de l'heure de la tentation, qui doit venir dans tout l'univers* ; je t'en garderai de peur que tu n'y succombes. Les persécutions qui devaient suivre bientôt, à commencer par celle de Trajan, furent plus grandes et plus étendues que les précédentes sous Néron et Domitien, comme on verra. On voit ici des traits de prophétie répandus, chap. 2, v. 10 ; c. 3, v. 9. 10.

11. *Je viendrai bientôt* te visiter par la persécution, comme il vient de dire. *Garde ce que tu as* ; ne te fie pas tellement à la protection que je te promets, que tu négliges de veiller sur toi-même.

Ne prenne ta couronne, la couronne du martyre, dans la persécution dont il vient de l'avertir, et qu'il avait appelée auparavant *la couronne de vie*, 2, 10. Dieu substitue d'autres fidèles à ceux qui tombent, pour montrer que sa grâce est toujours féconde, et que son Eglise ne perd rien.

12. *Une colonne*, par sa fermeté : c'est pourquoi *il ne sortira plus du temple ; il y sera* affermi éternellement par la grâce de la prédestination et de la persévérance.

Et j'écrirai sur lui ; on met des inscriptions sur les colonnes. *Le nom de mon Dieu* ; il y paraîtra écrit comme sur une colonne par une haute et persévérante profession de l'Evangile. Ainsi il sera marqué à la bonne marque qui paraît dans tous les élus, qui portent le nom de Dieu et de Jésus-Christ sur leur front. Apoc. 14, 1.

Et le nom de la ville de mon Dieu ; la ville où Dieu est, dont il est écrit : *En ce jour le nom de la ville sera : Le Seigneur est ici.* (Ezech. 48, 35.) Cette ville c'est l'Eglise catholique dont les martyrs confessent la foi.

De la nouvelle Jérusalem, qui descend du ciel ; l'origine de l'Eglise est céleste, comme il sera expliqué, 21, 2. *Et mon nouveau nom* ; le nom de Jésus, le nom de Christ, que j'ai pris en me faisant homme ; ou encore : Il sera appelé chrétien de mon nom de Christ, et Fils de Dieu à sa manière et par adoption, comme je le suis par nature (Prim., Ambr.). Tout cela signifie une haute et courageuse confession de l'Evangile.

Celui qui est la vérité même ; le texte : *Voici ce que dit : Amen* : Celui dont toutes les paroles sont la règle de la foi.

Le principe de la créature de Dieu, de la création, celui par qui tout a été créé, Jean. 1, 3. D'autres traduisent : *Le commencement de la créature de Dieu* ; Jé-

vitalis novæ Jerusalem de cœlo descendentis, ut dicatur templum et tabernaculum Dei sicut et illa, *et nomen meum novum*, ut filii Dei sint et dicantur, quemadmodùm et ego. Nomen autem Filii Dei, quod Christus secundùm naturam humanam habet, novum est omni homini, quod nemo unquàm verè habuit ante Christi incarnationem; aut certè non nisi per ejus incarnationem.

VERS. 14. — QUI EST PRINCIPIUM CREATURÆ DEI, principium et Græcè ἀρχὴ dicitur origo rei alicujus; itaque Christus principium est creaturarum Dei, quia per ipsum omnia Pater condidit; Græci sumunt ἀρχὴν ἀντὶ τῆς ἐξουσίας, id est, pro principatu, quod principetur Christus omnibus creaturis et dominetur.

VERS. 15. — QUOD NEQUE FRIGIDUS ES NEQUE CALIDUS, sive fervidus (id enim significat proprié Græcum ζεστὸς). Frigidus dicitur qui Spiritûs sancti gratiâ et illuminatione planè destitutus est; fervidus qui spiritu fervet, sicut Paulus ait Rom. 12, *spiritu ferventes*. Tepidus autem dicitur, qui Spiritûs sancti quidem gratiam habet, sed rerum secularium curâ et studio illam sinit emori et extingui, unde Paulus ait: *Spiritum nolite extinguere;* vel frigidus, qui ignem fidei planè non habet; fervidus qui insignem fidem habet; tepidus, qui fidem quam habet, profiteri, ubi est opus, non audet. UTINAM autem, inquit, FRIGIDUS ESSES AUT CALIDUS! non quòd velit esse frigidum, sed quod præstat, aut minùs malum est frigidum fuisse, quàm necessitatis tempore tepidum se præbere; quia *servus sciens voluntatem domini sui et non faciens, vapulavit plagis pluribus*.

VERS. 16. — SED QUIA TEPIDUS ES, INCIPIAM TE EVOMERE EX ORE MEO, sumptâ metaphorâ à medicis, qui cùm cibum crudum et incoctum auferre volunt ab ægroti stomacho, aquam illi tepidam potandam præbent, quòd nauseam illa pariat, et ad vomitum provocet: ita, inquit, quia tepidus es ac mihi nauseam paris, *incipiam te evomere ex ore meo*, id est, ut Gr. Scholia explicant, procul à familiaritate et amicitiâ meâ abjicere;

VERS. 17. — QUIA DICIS: DIVES SUM, *etc.* Falsò se divitem putabat solâ fide instructus, cùm bonis operibus spiritualibus quæ veræ sunt divitiæ, planè indigeret, cæcusque esset, non animadvertens, in quibus ambulat, peccati vias et semitas, ET NUDUS, id est, bonis omninò operibus spoliatus.

VERS. 18. — SUADEO TIBI EMERE A ME AURUM IGNITUM. Gr. addunt ἐκ πυρός, id est, *ex igni;* aurum autem ignitum quidam non malè intelligunt fervorem charitatis pressurarum flammâ tanquàm igni probatum, quem emere jubet à se pretio piæ confessionis, et jugi memoriâ propriæ fragilitatis: eme ergo hujusmodi *aurum*, ut *locuples* fias, ET VESTIMENTIS ALBIS INDUARIS, id est, candore innocentiæ, ut NON APPAREAT CONFUSIO, et turpitudo, NUDITATIS TUÆ: nudus est enim, utcumque fidem jactet, qui bonis operibus non est ornatus. Hæc autem *illi* facere suadet adversùs paupertatem et nuditatem suam, adversùs cæcitatem autem, ET COLLYRIO INUNGE OCULOS TUOS, UT VIDEAS. Collyrium medicamentum est adversùs lippitudinem oculorum, Gr. hoc loco variant; Germ. habent: Καὶ κολλύριον ἔγχρισον τοὺς ὀφθαλμούς. Veron. codex habet: Καὶ κολλύριον, ἵνα ἐγχρίσῃ τοὺς ὀφθαλμούς σου, id est, *et collyrium*, subaudi, eme ex me, *ut inungas oculos tuos*, et videas. Verum autem collyrium est propriæ fragilitatis agnitio, sufque abjectio et humiliatio; qui enim in se tanquàm ex se boni nihil videt atque agnoscit, is statim visum, quem per superbiam perdiderat, recuperavit.

VERS. 19. — ÆMULARE, Gr. ζήλωσον, id est, arde zelo boni; quasi dicat: Ne sis tepidus, sed zelo fervens, et pœnitentiam age; quia si zelo boni meique desiderio ferveas,

VERS. 20. — ECCE EGO STO ad cordis tui OSTIUM, ET PULSO; quod si quis mihi aperuerit, INTRABO ET CŒNABO CUM ILLO; ET IPSE MECUM, id est, totum me illi familiariter permittam.

VERS. 21. — QUI VICERIT, DABO ILLI MECUM SEDERE IN THRONO MEO, id est, participem illum faciam regni Patris mei, *sicut me juxta humanitatem participem* fecit, quia vici mundum et mundi principem.

---

sus-Christ, qui par sa nature divine est la Vérité même, rappelle en notre mémoire que par son incarnation il a été fait le commencement de la créature nouvelle, afin de nous apprendre à nous renouveler en lui, et nous exhorter à l'imitation de sa patience. (Prim., Bed.)

15. *Tu n'es ni froid ni chaud.* Il marque ici les âmes faibles qui ne sont bonnes à rien. Il y a plus à espérer de celles qui ont quelque force, encore qu'elles se portent au mal.

16. *Parce que tu es tiède;* ces tièdes que Jésus-Christ vomit, sont ceux qui marchent entre l'Evangile et le siècle, et ne savent jamais quel parti prendre.

17. *Tu dis: Je suis riche.* Ces tièdes s'imaginent être gens de bien, parce qu'ils ne font point de mal, et même qu'ils font le bien où ils ne trouvent pas de difficulté; *mais ils sont terriblement confondus* par les paroles suivantes:

18. *D'acheter de moi de l'or éprouvé au feu,* la charité, pour échauffer ta langueur.

Un collyre, remède pour les yeux; *pour appliquer sur tes yeux, afin que tu voies* ta misère et ta pauvreté, que tu ne veux pas considérer.

19. *Je reprends et je châtie ceux que j'aime;* après cette forte correction, Jésus-Christ console l'âme affligée, de peur qu'elle ne tombe dans le désespoir.

20. *Je suis à la porte et je frappe;* je frappe à la porte du cœur par de secrètes inspirations; et si tu les écoutes, tu seras reçu dans mon festin éternel.

Je souperai avec lui, et lui avec moi; qu'un cœur qui a goûté cette douce et mutuelle communication dans le secret de son cœur, fasse le commentaire de cette parole.

C'est ainsi que finissent les avertissements donnés aux sept églises; il reste à observer en général: premièrement, que sous le nom de ces églises, et sous le nombre de sept, qui, comme on verra, signifie l'universalité dans cette prophétie, toutes les églises chrétiennes sont averties de leur devoir; secondement, que c'est aussi pour cette raison qu'on trouve dans ces lettres de S. Jean des avertissements pour tous les états: le S.-Esprit y a entrelacé la confirmation dans le bien, et l'exhortation à changer de vie; et

dans ceux qu'il reprend, c'est dans les uns le refroidissement de la charité, c. 2, v. 4, 5; dans les autres, c'est de permettre le mal, encore qu'on ne le fasse pas, *ibid.* 20, et ainsi du reste, en réservant pour la fin le tiède, où il reconnaît les faiblesses et les misères de tous les autres ensemble.

SECONDE PARTIE : LES PRÉDICTIONS.

Remarque générale.

Pour entendre les prédictions de S. Jean, il y a trois choses à faire. Premièrement, il en faut prendre l'idée générale, qui n'est autre chose que la découverte du grand ouvrage de Dieu; secondement, il faut regarder les événements particuliers; troisièmement, il faudra voir comment chaque chose est révélée à S. Jean, et expliquer toutes ses paroles.

Dessein de la prédiction de S. Jean.

I. Le dessein de la prédiction de S. Jean est en général de nous découvrir le grand ouvrage de Dieu, qui allait se développer incontinent après le temps de cet apôtre, pour faire connaître la puissance et la justice divine à tout l'univers, en exerçant de terribles châtiments sur les ennemis de son Eglise, et en la faisant triompher, non seulement dans le ciel, où il donnait une gloire immortelle à ses martyrs, mais encore sur la terre, où il l'établissait avec tout l'éclat qui lui avait été promis par les prophètes.


3. *Celui qui était assis paraissait semblable à une pierre de jaspe et de sardoine, et il y avait un arc-en-ciel au tour du trône.....* Ainsi Moïse, Aaron et les anciens d'Israël, virent Dieu, *et sous ses pieds comme un ouvrage de saphir, et comme le ciel quand il est serein.* Exode, 24, 10, et dans Ézéchiel, 1, 26, 28, le trône de Dieu ressemble à *un saphir, et il est environné de l'arc-en-ciel.* Dans toutes les douces couleurs de ces pierreries et de l'arc-en-ciel, on voit Dieu revêtu d'une majesté douce, et d'un éclat agréable aux yeux.

4. *Autour du trône..... vingt-quatre trônes, et dans les trônes vingt-quatre vieillards.* Voilà donc toute la séance : le Juge assis au milieu, et autour, dans des siéges posés deçà et delà en nombre égal, les vingt-quatre vieillards qui composent ce sacré sénat.

Vingt-quatre vieillards ; c'est l'universalité des saints de l'ancien et du nouveau Testament, représentés par leurs chefs et leurs conducteurs. Ceux de l'ancien paraissent dans les douze patriarches, et ceux du nouveau dans les douze apôtres. Ils sont tous de même dignité et de même âge, parce que ce qui s'accomplit dans le nouveau Testament, est figuré et commencé dans l'ancien. Cette même universalité des saints est représentée ci-dessous *dans les douze portes de la cité sainte, où sont écrits les noms des douze tribus, et dans les douze fondements de cette même cité où sont écrits les noms des douze apôtres.* (Apoc. 21, 12, 14.) On doit ici regarder principalement dans les chefs de l'ancien et du nouveau peuple, les pasteurs et les docteurs ; et en un mot, on voit dans ces vingt-quatre vieillards toute l'Église représentée dans ses conducteurs.

tem significant, qui per viginti quatuor seniores intelliguntur ; cur autem eo numero significentur magis quàm alio, fateor me ignorare, neque hic morandum puto diutiùs in numerorum allegoriâ ; ego putem numerum certum pro incerto positum esse. Benè autem vestimentis albis amicti, quia candidam vitæ innocentiam secum in patriam ferentes, jucunditate æternâ in perpetuum amicti sunt ; ET IN CAPITIBUS EORUM CORONÆ AUREÆ, quæ pretiosam significant sempiternæ gloriæ retributionem. Viginti quatuor ergo seniores, apostolorum, prophetarum ac prædicatorum congregationem significant.

VERS. 5. — ET DE THRONO PROCEDEBANT FULGURA, ET VOCES, ET TONITRUA ; quia postquàm cœlitùs judiciariam orbis potestatem acceperunt apostoli eorumque posteri prædicatores et doctores, fulgura miraculorum, voces prædicationum, et tonitrua comminationum de futuro judicio et malorum pœnis edere non desierunt ; benè autem hæc omnia de throno procedunt ab eo qui in throno sedet, quia hæc à semetipsis facere non potuerunt, sed ut facerent desursùm acceperunt. Hæc Rupertus. Septem autem lampades ante thronum, septem spiritus esse declarantur ; septem autem spiritus, quidam septem septiformis Spiritûs dona interpretantur ; Irenæus et Clemens Stromateus angelica examina exponunt, ob perfectionem septenarii numeri, quæ ardere dicuntur in conspectu sedentis, quia de iis scriptum est : *Qui facit ministros suos flammam ignis.*

VERS. 6. — ET IN CONSPECTU SEDIS TANQUAM MARE VITREUM SIMILE CRYSTALLO. Græca Scholia exponunt hoc mare, immensam et infinitam angelorum multitudinem, qui stant in conspectu sedis et sedentis, ad implenda Dei ministeria parati. Quod autem vitreum et crystallum dicitur, perlucidam et splendentem significat incorporeorum spirituum naturam. ET IN MEDIO SEDIS, ET IN CIRCUITU SEDIS, QUATUOR ANIMALIA PLENA OCULIS ANTE ET RETRO. Quatuor animalia omnes quatuor evangelistas significare aiunt, quæ ante et retrò plena sunt oculis, quia lux Evangelii, et ænigmata legis irradiat, et novâ gratiâ legem subsequentes illustrat ; Græci autem et Latini atque inter se Latini differunt, quibus animalibus evangelistæ significentur.

VERS. 7. — ANIMAL PRIMUM SIMILE LEONI ; per leonem qui fortissimus est animalium, Irenæus Lugdunensis significari ait Evangelium Joannis qui à divinâ naturâ et potentiâ exorsus est Evangelium. Hieron. Evangelium Marci, quòd nemo apertiùs Christi resurrectionem et assumptionem in cœlum declaraverit. ET SECUNDUM ANIMAL SIMILE VITULO ; per hoc Evangelium Lucæ significari aiunt, qui Christi sacerdotium aperuit ; exorsus est enim à legis sacerdotio, in quâ frequens erat vitulorum immolatio. ET TERTIUM ANIMAL HABENS FACIEM VELUT HOMINIS ; hoc omnes penè significari aiunt Matthæi Evangelium, quod ipse ab humanâ generatione exorsus est. Licèt divus August. putet Evangelium Marci significari. ET QUARTUM ANIMAL SIMILE AQUILÆ VOLANTI ; hoc omnes penè Joannis Evangelium aiunt significari, quo nemo altiùs volârit, nimirùm usque ad divinam Verbi naturam, cæteris evangelistis quasi humi repentibus, dùm sat habent humanam Christi naturam et acta in carne nobis aperire.

VERS. 8. — ET QUATUOR ANIMALIA SINGULA EORUM HABEBANT ALAS SENAS ; quatuor evangelistæ singuli senas alas habent, omnesque viginti quatuor. Alas autem viginti quatuor, veteris Instrumenti libros quidam intelligunt, quibus evangelistarum et fulcitur auctoritas, et veritas comprobatur : ET INTUS PLENA SUNT OCULIS ; plena dicuntur oculis propter vigilantem et diligentem eorum quæ scribunt considerationem ; qui-

Pourquoi donner à Dieu des assesseurs ? C'est que Dieu associe ses saints à son ouvrage. (Apoc. 2, 26.) Ainsi, Daniel, 4, 14, dit : *Il a été résolu par la sentence de ceux qui veillent, et c'est le discours et la demande des saints.* Tout se fait avec les saints, et par la prière que Dieu lui-même leur inspire. C'est ce qui paraîtra souvent dans l'Apocalypse.

5. *Il sortait du trône des éclairs, des tonnerres et des voix.* Ce sont les marques de la majesté et de la justice de Dieu.

Sept lampes brûlantes devant le trône, qui sont les sept esprits de Dieu, les sept anges exécuteurs de ses décrets. (Apoc. 1, 4 ; 8, 2.)

6. *Et devant le trône il y avait une mer transparente comme le verre, et semblable à du cristal.* La mer signifie ordinairement dans l'Écriture l'agitation et le trouble ; mais ici l'idée est changée et adoucie par la transparence et par la ressemblance du cristal. Ainsi il semble que le S.-Esprit veut signifier seulement que le trône de Dieu est inaccessible, comme un lieu séparé des autres par des eaux immenses.

Et au milieu du trône, et autour du trône..., quatre animaux. Le premier animal était devant le trône, et vis-à-vis du milieu, et les autres étaient placés à l'entour à égale distance. Par ces quatre animaux mystérieux, on peut entendre les quatre évangélistes ; et on trouvera au verset suivant la figure des quatre animaux, par où les Pères ont estimé que le commencement de leur Évangile était désigné. Dans les quatre évangélistes, comme dans les principaux écrivains du nouveau Testament, sont compris tous les apôtres et les saints docteurs qui ont éclairé l'Église par leurs écrits.

Quatre animaux pleins d'yeux devant et derrière ; cela signifie leur pénétration. Ils racontent ce qui s'est passé, et sont pleins des prophéties de l'avenir.

7. *Le premier animal était semblable à un lion...* La même chose paraît dans Ézéchiel, 1, 10, excepté que dans Ézéchiel chacun des animaux a les quatre faces, et ici chaque animal n'en a qu'une. Les Pères ont cru que le commencement de chaque Évangile était marqué par chaque animal ; et cette tradition paraît dès le temps de S. Irénée. La figure humaine est attribuée au commencement de S. Matthieu, où la race de Jésus-Christ en tant qu'homme est exposée. Le commencement de S. Marc est approprié au lion, à cause de la voix qui se fait entendre dans le désert (Marc. 1, 2). On a donné le veau au commencement de S. Luc, à cause du sacerdoce de S. Zacharie, par lequel cet évangéliste commence, et on a cru que le sacerdoce était désigné par la victime qu'il offrait. Pour S. Jean, il n'y a personne qui n'y reconnaisse la figure d'aigle, à cause que d'abord il porte son vol, et qu'il arrête ses yeux sur Jésus-Christ dans le sein de son Père. On voit aussi dans les quatre animaux quatre principales qualités des saints : dans le lion, le courage et la force ; dans le veau, qui porte le joug, la docilité et la patience ; dans l'homme, la sagesse ; et

dam legunt : *In circuitu et intùs plena oculis*, et hoc modo Græca verti possunt, quia evangelistæ et qui eorum vices gerunt, doctores et pastores, tam in exteriori contemplatione cauti sunt et providi, providentes bona, juxta Paulum, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.

ET REQUIEM NON HABEBANT DIE AC NOCTE, DICENTIA. Græcè ἔχουσιν, *habent:* Idem significatur quod in hymno : *Te Deum incessabili voce proclamant.* Non enim significatur inquietudo aliqua, aut molestia defatigationis; sed opus perpetuum et incessabile, quale solet mortalibus inquietudinem gignere. *Requies*, pro cessatione, quod non infrequens in sacris Litteris. Unde illud quod dicitur Deus die septimo requievisse ab omni opere suo, id est, cessâsse à fabricando mundo. (Estius.)

SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS. Græci codices quidam habent novies : *Sanctus*, *sanctus*, *sanctus*, *sanctus*, *sanctus*, *sanctus*, *sanctus*, *sanctus*, *sanctus*. Ita clamabant, seu vocem hanc animalia illa hieroglyphica habebant. Confer illud Isaiæ 6, 3, ubi seraphim simili clamore ingeminant : *Sanctus*, *sanctus*, *sanctus*, *Dominus Deus exercituum : plena est omnis terra glorià ejus.*

VERS. 9. — ET CUM DARENT ILLA ANIMALIA GLORIAM; id est, cùm hymnum illum ingeminarent. Quanquàm diem noctemque canendo continuabant, ut ex præcedenti versiculo constat, inter canendum tamen interdùm cessabant; et cùm post quietem carmen resumebant, senes illi coram solio Omnipotentis provolvebantur. (Calmet.)

VERS. 10. — MITTEBANT CORONAS SUAS ANTE THRONUM, id est, quidquid virtutis, quidquid habebant dignitatis, Deo cum gratiarum actione offerebant, dicentes :

VERS. 11. — DIGNUS ES, DOMINE DEUS NOSTER, ACCIPERE GLORIAM ; Erasmus habet tantùm : *Dignus es*, *Domine, accipere*, etc.; tamen, ut ipse ait, Hispaniense exemplar habet : Ἄξιος εἶ, ὁ Κύριος, καὶ Θεὸς ἡμῶν ἅγιος, id est : *Dignus es*, *Domine ac Deus noster sancte*, accipere, etc.; similiter et codex Veronensis habet. Quod verò Erasmus vertit : *Propter voluntatem tuam sunt*, ut codex ejus Græcus habet, εἰσὶ, Veronensis habet, ἦσαν, quod significat *erant*, vel fuerunt.

Quæritur cur dixerit *erant*, præsertim cùm addit, CREATA SUNT? hoc enim ita sonat, quasi priùs fuissent, ac deinde creata essent. Quidam recurrunt ad ideas rerum æternas in mente divinâ, quia Deus per voluntatem suam non tantùm res ipsas fecit et creavit; verùm etiam ab æterno præordinavit ut faceret, habens apud se atque in mente suâ rerum omnium quas facturus erat ideas æternas et immutabiles. Quanquàm ad hunc intellectum non est necesse refugere : nam Græci *erant* pro *sunt* interdùm ponunt. Sic Aristoteles, lib. 1 Topicor. Terminus est oratio quid erat esse significans. Græcè τὸ τί ἦν εἶναι. Videtur ergo hic sensus esse : Per voluntatem tuam factum est ut essent, non quidem ab æterno, sed ab aliquo temporis initio, quia creata sunt. Potest etiam dici, additum, *et creata sunt*, postquàm dixerat *erant*, ne ita de illis intelligeretur dictum *erant*, quomodò paulò ante de Deo *qui erat*, scilicet ab æterno, non per voluntatem alicujus, sed per naturam suam. (Estius.)

dans l'aigle, la sublimité des pensées et des désirs.

8. *Six ailes*, comme les séraphins d'Isaïe, 6, 2 : car ceux d'Ézéchiel n'en ont que quatre, 1, 6.

A l'entour et au-dedans ils étaient pleins d'yeux. Dans le Grec, *à l'entour*, se rapporte aux ailes qui sont posées autour du corps, et c'est ainsi qu'ont lu André de Césarée, Primase, Bède et Tycon, hom. 3.

Et ils ne cessaient de dire jour et nuit : Saint, saint, saint... comme les séraphins d'Isaïe, 6, 3.

Qui était, et qui est... Voyez *Apoc.* 1, 4.

10. *Les vingt-quatre vieillards se prosternaient*... A la publication de l'Évangile, où la sainteté de Dieu est déclarée, tous les saints adorent Dieu avec une humilité profonde.

Et ils jetaient leurs couronnes devant le trône. Ils reconnaissent que c'est Dieu qui leur a donné la victoire et la gloire dont ils jouissent, et ils lui en rendent hommage.

11. *Elles étaient par votre volonté*..., dans vos décrets éternels. Gr., *elles sont*, au lieu d'*elles étaient*. La leçon de la Vulgate est ancienne.

CAPUT V.

1. Et vidi in dexterâ sedentis supra thronum, librum scriptum intùs et foris, signatum sigillis septem.

2. Et vidi angelum fortem, prædicantem voce magnâ : Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus?

3. Et nemo poterat, neque in cœlo, neque in terrâ, neque subtùs terram, aperire librum, neque respicere illum.

4. Et ego flebam multùm, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum.

5. Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris : ecce vicit leo de tribu Judâ, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus.

6. Et vidi, et ecce in medio throni et quatuor animalium, et in medio seniorum, Agnum stantem tanquàm occisum, habentem cornua septem et oculos septem; qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram.

7. Et venit, et accepit de dexterâ sedentis in throno librum.

CHAPITRE V.

1. Je vis ensuite dans la main droite de celui qui était assis sur le trône, un livre écrit dedans et dehors, scellé de sept sceaux.

2. Et je vis un ange fort, qui criait à haute voix : Qui est digne d'ouvrir le livre, et d'en lever les sceaux?

3. Et nul ne pouvait, ni dans le ciel, ni sur la terre, ni sous la terre, ouvrir le livre, ni le regarder.

4. Je fondais en larmes de ce que personne ne s'était trouvé digne d'ouvrir le livre, ni de le regarder.

5. Mais l'un des vieillards me dit : Ne pleure point; voici le lion de la tribu de Juda, le rejeton de David, qui a obtenu par sa victoire le pouvoir d'ouvrir le livre, et d'en lever les sept sceaux.

6. Je regardai, et je vis au milieu du trône et des quatre animaux, et au milieu des vieillards un Agneau debout comme égorgé, ayant sept cornes et sept yeux, qui sont les sept esprits de Dieu envoyés par toute la terre.

7. Il vint, et il prit le livre de la main droite de celui qui était assis sur le trône.

8. Et cùm aperuisset librum, quatuor animalia et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum :

9. Et cantabant canticum novum, dicentes : Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus; quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et linguâ, et populo, et natione :

10. Et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes ; et regnabimus super terram.

11. Et vidi, et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum : et erat numerus eorum millia millium,

12. Dicentium voce magnâ : Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam et benedictionem,

13. Et omnem creaturam quæ in cœlo est, et super terram, et sub terrâ, et quæ sunt in mari, et quæ in eo ; omnes audivi dicentes : Sedenti in throno, et Agno benedicto, et honor, et gloria, et potestas in secula seculorum.

14. Et quatuor animalia dicebant : Amen. Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas et adoraverunt viventem in secula seculorum.

8. Et l'ayant ouvert, les quatre animaux et les vingt-quatre vieillards se prosternèrent devant l'Agneau, ayant chacun des harpes et des coupes d'or pleines de parfums, qui sont les prières des saints.

9. Ils chantaient un cantique nouveau, en disant : Vous êtes digne, Seigneur, de prendre le livre, et d'en lever les sceaux, parce que vous avez été mis à mort, et que vous nous avez rachetés pour Dieu par votre sang, de toute tribu, de toute langue, de tout peuple, et de toute nation.

10. Et vous nous avez faits rois et sacrificateurs à notre Dieu ; et nous règnerons sur la terre.

11. Je regardai encore, et j'entendis autour du trône, et des animaux, et des vieillards, la voix de plusieurs anges, dont le nombre allait jusqu'à des milliers de milliers :

12. Qui disaient à haute voix : L'Agneau qui a été égorgé est digne de recevoir la vertu, la divinité, la sagesse, la force, l'honneur, la gloire et la bénédiction.

13. Et j'entendis toutes les créatures qui sont dans le ciel, sur la terre, sous la terre, et celles qui sont dans la mer, et tout ce qui y est ; je les entendis toutes qui disaient : Bénédiction, honneur, et gloire, et puissance soient à celui qui est assis sur le trône et à l'Agneau, dans les siècles des siècles.

14. Et les quatre animaux disaient : Amen. Et les vingt-quatre vieillards se prosternèrent sur le visage, et adorèrent celui qui vit dans les siècles des siècles.

COMMENTARIA.

Vers. 1, 2, 3, 4. — Librum scriptum intus et foris. Hunc librum penè omnes interpretantur sacram Scripturam ; ego vetus Testamentum, quod unius libri nomine vocatur, quia uno Spiritu Dei inspirante scriptum est. Scriptus est autem et foris et intùs, quia et externum sensum habet, litteralem scilicet, et internum, spiritualem de Christo. Sigillatus est autem sigillis septem, quia septiformis Spiritûs intelligentiâ obsignatus est, sine cujus apertione sigilli veterem de Christo Scripturam intelligere non possumus : hunc autem librum aperire, id est, intelligentias ejus explicare, et sigilla ejus solvere, id est, spiritualem intelligentiam tradere, qui dignus esset nemo inventus est, nisi leo de tribu Judâ, Christus scilicet Dominus, qui vicit, resurgendo, et in cœlum ascendendo ; atque ita spirituales omnes veteris legis intelligentias quæ nos antea latebant, aperuit. Græca scholia hunc librum interpretantur omnia scientem et incomprehensibilem Dei memoriam, de quâ David : *In libro tuo omnes scribentur;* et Moyses : *Dele me de libro quem scripsisti.* Scriptus est autem intùs et foris, quia intùs sunt quos novit Deus, pii et fideles ; foris, quos non novit, impii et peccatores.

Vers. 5. — Ecce vicit leo de tribu Juda. Addendo

1. *Je vis ensuite... un livre écrit dedans et dehors, scellé de sept sceaux.* C'était un rouleau à la manière des anciens. *Scellé de sept sceaux*, ce sont les secrets jugements de Dieu. S. Ambroise appelle ce livre, *le livre prophétique ; le livre* où étaient comprises les destinées des hommes que Jésus-Christ va révéler à S. Jean. Le livre est scellé, quand les jugements ne sont pas encore déclarés. *La vision vous sera comme les paroles d'un livre scellé, où personne ne peut lire* (*Isaï.* 30, 11). *Écrit dedans et dehors;* on n'écrivait ordinairement que d'un côté, si ce n'est quand il y avait beaucoup de choses à écrire. Ainsi dans Ézéchiel, 2, 9, le livre présenté au prophète *est écrit dedans et dehors, et contient les malédictions et les malheurs.*

Sept sceaux. Les saints docteurs ont remarqué que le nombre de sept était consacré dans ce livre, pour signifier une certaine universalité et perfection. C'est pourquoi on a vu d'abord les sept esprits qui sont devant le trône, 1, 4, sept chandeliers, sept étoiles, sept églises, pour désigner toute l'unité catholique, comme il a été remarqué. (*Ibid.* 4, 12, 16, 20, etc.) On a vu ensuite les sept lampes brûlantes, qui sont encore les sept esprits, 4, 5. Dans le chapitre que nous expliquons, on signifie ces mêmes sept esprits par les *sept cornes et les sept yeux de l'Agneau*, 5, 6. C'est que dans le nombre de sept on entend une certaine perfection, soit à cause des sept jours de la semaine, marqués dès la création, où la perfection est dans le septième ; soit pour quelque autre raison. Ici il y a sept sceaux. On entendra dans la suite sept anges avec leurs trompettes et sept tonnerres. Sept anges porteront les fioles, ou les coupes pleines de la colère de Dieu. Le dragon et la bête qu'il animera, auront sept têtes. Enfin tout ira par sept dans ce divin livre, jusqu'à donner à l'Agneau, en le bénissant, sept glorifications, 5, 12, et autant à Dieu, 7, 12 ; ce qu'il faut observer d'abord, de peur qu'on ne croie que ce soit partout un nombre prélix, mais qu'on remarque, au contraire, que c'est un nombre mystérieux, pour signifier la perfection. On sait aussi que c'est une façon de parler de la langue sainte, de signifier un grand nombre et indéfini par le nombre défini de sept.

4. *Je fondais en larmes....* Il voit qu'on lui veut ouvrir le livre, mais que personne *n'est digne de l'ouvrir*, 2, 3, et il déplore tout ensemble la perte qu'il fait, et l'indigne disposition du genre humain.

5. *Le lion de la tribu de Juda, le rejeton de David....,*

de tribu Juda, significat Christum esse leonem secundùm naturam humanam, quia contra diabolum, mortem, peccatum pugnavit et vicit, ut homo, per suam passionem, quatenùs per eam meruit ut potentia diaboli, mors et peccatum destrueretur. Christus leo, propter fortitudinem, agnus, propter mansuetudinem et innocentiam. (Estius.)

VERS. 6, 7, 8, 9. — AGNUM STANTEM TANQUAM OCCISUM. Agnus iste Christus est ita à prophetis et ipso Joanne Baptistâ vocatus. Benè autem dicitur tanquàm occisus, non planè occisus, quia jam revixerat : qui enim occisus est, non stat, sed jacet : ideò ait, stantem tanquàm qui ante occisus esset, id est, præsentem figuram ejus qui ante occisus esset; quasi dicas : Aliquando occisum, nunc autem vivum. HABENTEM CORNUA SEPTEM. Cornua potentiam ejus significant et gloriam; unde David : *Omnia cornua peccatorum confringam;* septem autem dicuntur, id est, perfectà propter septenarii numeri perfectionem et excellentiam in sacrâ Scripturâ. ET OCULOS SEPTEM, QUI SUNT SEPTEM SPIRITUS DEI MISSI IN OMNEM TERRAM. Hi septem spiritus vel septem septiformis Spiritûs dona sunt in omnem terram missa et fidelibus distributa; vel angelicæ potestates per omnem terram in ministerium hominum missæ. Hic Agnus verus et ACCEPIT LIBRUM, et aperuit, quia omnia veteris legis sacramenta in se completa ostendit, dicendo in passione suâ : *Consummatum est.* Tunc autem describuntur QUATUOR ANIMALIA ET VIGINTI QUATUOR SENIORES procidisse adorantes coram Deo, ET HABENTES SINGULI CITHARAS, hoc est, Deo laudes concinere, ET PHIALAS AUREAS. Græca Scholia phialas aureas interpretantur sensum et intelligentiam eorum qui piè et secundùm Deum degunt. Odoramenta sunt, ut ipse textus explicat, ORATIONES IPSORUM SANCTORUM quas pro vivis fundunt, unde conjicitur evidenter, et eorum quæ hìc agimus sensum cognitionemque sanctos habere, et ideò pro nobis orare. Ut autem verum me dicere omnes intelligant, explicationem Græcorum Scholiorum addam : Αἱ δὲ χρυσαῖ φιάλαι αἱ διάνοιαί εἰσι τῶν ἐργαζομένων τὰ θεοφιλῆ, id est, *phialæ autem aureæ, intelligentiæ sunt eorum qui pia et Deo placentia agunt opera;* aureæ autem vocantur phialæ (ut iidem Græci aiunt) propter dignitatem nostrorum operum.

VERS. 10. — ET FECISTI NOS DEO NOSTRO REGNUM. Pro *regnum* codices Græci qui nunce extant, habent βασιλεῖς, id est, *reges;* Græca Scholia explicant : *Fecisti nos reges*, utpote per afflictionum tolerantiam, regni victoriæ coronâ insignitos, inquit enim Paulus : *Si compatimur, et conregnabimus.* SACERDOTES verò, utpote qui nos nostraque corpora Deo hostiâm vivam, sanctam, et benè placentem offerimus; ET REGNABIMUS SUPER TERRAM; qui enim vitiis superiores evaserunt, utcumque opprimi videntur à mundo et impotentibus hominibus, regnant tamen interim.

VERS. 11. — ET VIDI, ET AUDIVI, etc.; quasi dicat : Vidi angelos innumerabiles, et audivi voces eorum; unâ enim consonâ voce clamabant : *Dignus est Agnus*, etc.

MILLIA MILLIUM, id est, plurimi, quasi dicat, innumerabiles. (Menochius.)

VERS. 12. — DIGNUS EST AGNUS QUI OCCISUS EST, ACCIPERE VIRTUTEM, ET DIVINITATEM, *et divinitatem*, Græcè καὶ πλοῦτον, *et divitias*, quæ divitiæ intelligi possunt dona Spiritûs sancti, quorum distribuendorum Christus homo potestatem accepit ex merito suæ passionis. Ideò dicitur : *Dignus est Agnus qui occisus est accipere*, etc. Nam ad opes hujus mundi referendum minimè videtur; cùm ipse de se protestatus fuerit dicens : *Regnum meum non est de hoc mundo.* Potest etiam intelligi gloria corporis, quæ est homini beato instar omnium divitiarum. Contra Calvinum notari potest, Christum per passionem et mortem, de quâ dicitur : *Qui occisus est*, meruisse immortalitatis gloriam, ac totius Ecclesiæ, ac mundi præfecturam. Objicies : Cap. præcedenti dicitur : *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem;* ideòque apparet, ex eo quod hìc dicitur Agnus dignus esse qui accipiat virtutem, etc., non doceri quòd Christus sibi aliquid meruit. Sic enim idem consequens videretur de Deo, ut Deus est. Sed dicendum, hìc addi : *Qui occisus est*, id est, quia occisus est. Sic enim paulò ante, hoc capite, dictum est ei : *Dignus es, Domine, accipere librum, quoniam occisus es, et redemisti nos*, etc., q. d. : Per passionem tuam quâ nos redemisti, meruisti

selon ce qui est écrit dans la prophétie de Jacob : *Juda est un jeune lion*, etc. (*Gen.* 49, 9.) On entend bien que c'est Jésus-Christ, fils de David, que S. Jean appelle un lion, à cause de sa force invincible, et qui va paraître comme un agneau, à cause qu'il a été immolé. C'est ainsi que le Saint-Esprit relève les idées de la faiblesse volontaire de Jésus Christ par celle de sa puissance.

Qui a obtenu par sa victoire le pouvoir d'ouvrir le livre. Jésus-Christ, vainqueur du démon et de la mort, a mérité par cette victoire d'entrer dans tous les secrets de Dieu.

6. *Et je vis un agneau debout comme égorgé*, ἐστηκὸς. Il est debout et vivant; mais il paraît comme mort et comme immolé, à cause de ses plaies qu'il a portées dans le ciel. *Au milieu du trône;* cela marque la médiation de Jésus-Christ, qui empêche les éclairs et les tonnerres qui sortent du trône (*Apoc.* 4, 5,) de venir jusqu'à nous.

Qui sont les sept esprits. Voyez Apoc. 1, 4.

8. *Et l'ayant ouvert.* Le Grec : *L'ayant pris;* ainsi ont lu André de Césarée, Ticonius, hom. 4, Primase, l'interprète sous le nom de S. Ambroise, et Bède. Il semble naturel qu'on prenne le livre avant que de l'ouvrir : et l'ouverture qui se fait des sceaux l'un après l'autre est marquée au chapitre 6. Mais il se peut faire aussi que l'Écriture propose d'abord en gros ce qui s'explique après dans le détail. On voit ici que c'est Jésus-Christ qui est le dépositaire et l'interprète des desseins de Dieu.

Les quatre animaux et les vingt-quatre vieillards se prosternèrent... Ils adorent l'Agneau de la même sorte qu'ils avaient adoré Dieu, et en sa présence, marque de sa divinité.

Des harpes et des coupes d'or.... Les vieillards paraissent ici avec des instruments de musique, dont on n'avait point parlé au chapitre 4. Les harpes signifient la joie céleste, et le parfait accord des passions avec la raison dans les saints. Les coupes d'or pleines de parfums, qui sont les prières des saints, entre les mains des vieillards, signifient qu'ils sont chargés de les présenter à Dieu.

11, 12. *J'entendis la voix de plusieurs anges...., qui disaient....* : *L'Agneau.... est digne de recevoir la vertu, la divinité.* Le Grec, comme aussi Primase et les autres anciens, πλοῦτον, *divitias;* d'où il se peut qu'on ait fait *divinitas*, et puis *divinitatem;* quoiqu'on peut dire dans un très-bon sens que le Fils reçoit la divinité, quand la gloire en est manifestée en sa personne. Il faut ici observer que les saints disent que l'Agneau les a rachetés, et qu'ils lui doivent ce qu'ils sont (*Apoc.* 5, 9, 10), ce que les anges ne disent pas.

stii celebritatem hanc tui nominis, etc.; quando enim aliquis dicitur dignus aliquo bono propter aliquod opus, si est capax meriti et in statu merendi, significatur per hoc opus illud bonum meruisse; cùm alioqui *meriti* vocabulo propriè nullum vocabulum respondeat apud Græcos, ut nec apud Hebræos. Sed quomodò meruit divinitatem? Non enim, ut Nestorius putavit, eam meruit eximiâ vitæ sanctitate et virtutum operatione; sed meruit ut quam habebat ab æterno, veniret in notitiam et manifestationem hominum. Quomodò sapientiam meruit, ut agnosceretur esse ipsa Dei sapientia. Sic secundùm Apostolum, Philip. 2, propter meritum obedientiæ usque ad mortem crucis, *Deus exaltavit eum, et dedit illi nomen quod est supra omne nomen, ut in nomine ejus flectatur omne genu.*

(Estius.)

Vers. 13. — Quæ in cœlo, sunt, ut sol, luna, stellæ, sancti omnes; super terram, omnia animata et inanimata; et sub terra, in purgatorio, inquiunt Suarez, Ribera et alii; quotquot item in inferno, inquiunt S. Gregorius et Rupertus. Coguntur enim omnes, extortâ confessione, vel saltem concessione, tam Christum quàm Deum pro Domino suo agnoscere ac revereri. Et quæ sunt in mari, nempe pisces, margaritæ et gemmæ; et qui in eo, classibus suis navigant. Omnes audivi dicentes, Deo et Agno laudes, idque voce cuique propriâ: nam in irrationalibus et inanimatis ipsa propriæ perfectionis à Deo acceptæ ostentatio, est divinæ sapientiæ, potentiæ, bonitatis clarissima enarratio, confessio et laudatio, inquit Philo. Similem prosopopœiam quâ creaturæ irrationales inducuntur laudantes Deum, habes plurimis aliis Scripturæ locis. Et per hoc insinuatur magnitudo beneficii divini in hoc libro reserando, ob quod omnes creaturæ meritò exultent, et hominibus quasi dominis suis congaudeant, applaudant et adgratulentur.

(Tirinus.)

Vers. 14. — Quatuor animalia dicebant : Amen. Precationem suam acclamatione claudentes, dicebant: *Amen.* Græci codices multi non legunt hîc viginti quatuor seniores, sed ferunt tantummodò : *Quatuor animalia dicebant : Amen; et ceciderunt in facies suas;* omittuntque quod subditur : *Viventem in secula seculorum;* quæ postrema verba et in multis Latinis codicibus desiderantur. (Calmet.)

13, 14. *Et j'entendis toutes les créatures....* Toutes les créatures joignent leurs voix à celles des vieillards et des anges, et les quatre animaux chantent *amen;* il se fait un concert de tous les esprits, pour louer Dieu. Il faut aussi remarquer qu'après avoir loué Dieu le Créateur (*Apoc.* 4, 10, 11), et Jésus-Christ (5, 9, 11), tout le chœur loue ensemble le Père et le Fils.

CAPUT VI.

1. Et vidi quòd aperuisset Agnus unum de septem sigillis, et audivi unum de quatuor animalibus, dicens tanquàm vocem tonitrui : Veni et vide.

2. Et vidi, et ecce equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret.

3. Et cùm aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal, dicens : Veni, et vide.

4. Et exivit alius equus rufus; et qui sedebat super illum, datum est ei ut sumeret pacem de terrâ, et ut invicem se interficiant, et datus est ei gladius magnus.

5. Et cùm aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal dicens : Veni, et vide. Et ecce equus niger; et qui sedebat super illum, habebat stateram in manu suâ.

6. Et audivi tanquàm vocem in medio quatuor animalium dicentium : Bilibris tritici denario, et tres bilibres hordei denario, et vinum et oleum ne læseris.

7. Et cùm aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis : Veni, et vide.

8. Et ecce equus pallidus; et qui sedebat super eum, nomen illi mors, et infernus sequebatur eum, et data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, et morte, et bestiis terræ.

9. Et cùm aperuisset sigillum quintum, vidi subtùs altare animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium quod habebant,

10. Et clamabant voce magnâ, dicentes : Usquequò, Domine (sanctus et verus), non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terrâ?

11. Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ; et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi.

CHAPITRE VI.

1. Et je vis que l'Agneau avait ouvert l'un des sept sceaux, et j'entendis l'un des quatre animaux qui dit avec une voix comme d'un tonnerre : Viens et vois.

2. Je regardai, et je vis un cheval blanc. Celui qui était monté dessus avait un arc, et on lui donna une couronne, et il partit en vainqueur qui va remporter victoire sur victoire.

3. A l'ouverture du second sceau, j'entendis le second animal qui dit : Viens et vois.

4. Il partit aussitôt un autre cheval qui était roux; et il fut donné à celui qui était monté dessus d'ôter la paix de dessus la terre, et de faire que les hommes s'entretuassent, et on lui donna une grande épée.

5. Quand il eut levé le troisième sceau, j'entendis le troisième animal qui dit : Viens et vois. Et je vis un cheval noir, et celui qui le montait avait en sa main une balance.

6. Et j'entendis une voix comme du milieu des quatre animaux, qui dit : Le litron de blé se vend un denier, et les trois litrons d'orge, un denier. Ne gâtez point le vin et l'huile.

7. Lorsqu'il eut levé le quatrième sceau, j'entendis la voix du quatrième animal qui dit : Viens et vois.

8. Et je vis un cheval pâle, et celui qui était monté dessus, s'appelait la Mort, et l'enfer le suivait; et on lui donna puissance sur les quatre parties de la terre, pour faire mourir les hommes par l'épée, par la famine, par la mortalité et par les bêtes sauvages.

9. A l'ouverture du cinquième sceau, je vis sous l'autel les âmes de ceux qui ont donné leur vie pour la parole de Dieu, et pour lui rendre témoignage.

10. Et ils jetaient un grand cri, en disant : Seigneur, qui êtes saint et véritable, jusqu'à quand différez-vous à faire justice, et à venger notre sang de ceux qui habitent sur la terre?

11. Et on leur donna à chacun une robe blanche. Il leur fut dit qu'ils attendissent en repos encore un peu de temps, jusqu'à ce que le nombre de ceux qui servaient Dieu comme eux fût accompli, et celui de leurs frères qui devaient souffrir la mort aussi bien qu'eux.

12. Et vidi cùm aperuisset sigillum sextum, et ecce terræ motus magnus factus est, et sol factus est niger tanquàm saccus cilicinus; et luna tota facta est sicut sanguis;

13. Et stellæ de cœlo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cùm à vento magno movetur.

14. Et cœlum recessit sicut liber involutus; et omnis mons et insulæ de locis suis motæ sunt :

15. Et reges terræ, et principes, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus et liber, absconderunt se in speluncis, et in petris montium :

16. Et dicunt montibus et petris : Cadite super nos, et abscondite nos à facie sedentis super thronum, et ab irâ Agni :

17. Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum; et quis poterit stare?

12. A l'ouverture du sixième sceau, je vis qu'il se fit un grand tremblement de terre; le soleil devint noir comme un sac de poil, la terre devint comme du sang;

13. Et les étoiles tombèrent du ciel en terre, comme lorsque le figuier agité par un grand vent laisse tomber ses figues vertes.

14. Le ciel disparut comme un livre roulé, et toutes les montagnes et les îles furent ébranlées de leurs places.

15. Les rois de la terre, les princes, les officiers de guerre, les riches, les puissants, et tout homme esclave ou libre, se cachèrent dans les cavernes et dans les rochers des montagnes.

16. Et ils dirent aux montagnes et aux rochers : Tombez sur nous, et cachez-nous de devant la face de celui qui est assis sur le trône, et de la colère de l'Agneau :

17. Parce que le grand jour de leur colère est arrivé; et qui pourra subsister?

COMMENTARIA.

VERS. 1. — ET VIDI QUOD APERUISSET AGNUS UNUM DE SEPTEM SIGILLIS, Agnus Christum significat. Septem sigilla mysteriorum et sacramentorum universitatem insinuant, quorum apertio est eorum per Christi adventum succedente tempore declaratio. Unum autem hoc loco, Hebraico more primum significat. ET VIDI UNUM DE QUATUOR ANIMALIBUS DICENS : VENI ET VIDE. Animal primum simile leoni; Marcus, primum prædicantium ordinem designat, qui in prædicandâ Christi resurrectione totus fuit; et benè vox ejus quasi TONITRUI, quia in primitivâ Ecclesiâ resurrectionem prædicantibus apostolis, prædicationum tonitrua et miraculorum extiterunt fulgura.

VERS. 2. — ET ECCE EQUUS ALBUS; equus albus, electorum in primitivâ Ecclesiâ cœtus, à peccatis undâ Baptismatis ablutus, et donis spiritualibus super nivem dealbatus; sessor ejus Christus est, qui in sanctis suis sedet et habitat. ARCUM HABEBAT in manu, id est, judiciariam potestatem, unde impios de longinquo feriat : quia non statim in eos animadvertit, sed plerùmque ad judicium usque differens, tarditatem supplicii vindictâ compensat. Sicut autem arcum habet in manu ad feriendos impios, sic DATA EST EI CORONA, unde præmiet bonos. ET EXIVIT VINCENS UT VINCERET. Hic Græca legunt καὶ ὡς νικήσῃ, id est, exivit vincens, et ut vinceret, hoc est, is qui jam victor erat, exivit rursùm ut vinceret; quidam etiam antiqui non malè exponunt : *Exivit vincens*, seu *victor* de Judæis ex parte conversis, *ut vinceret* gentiles, eos ad fidem vocando.

VERS. 3. — ET CUM APERUISSET SECUNDUM SIGILLUM, etc., id est, cùm crescente gratiâ ampliùs cœpisset exhiberi et compleri promissio divina; AUDIVI SECUNDUM ANIMAL; quid sibi velint hoc loco hæc animalia, fateor ut totam Apocalypsim me non intelligere; unde aut nihil, aut perparùm de meo hîc expectandum est judicio; plerique docti exponunt hoc secundum animal divum Lucam, qui in vitulo immolatitio passionem Christi designat nostrâ gratiâ immolati, similiter et secundum prædicantium in primitivâ Ecclesiâ ordinem, qui ad confirmandos martyrum animos totus erat in prædicandis Ecclesiæ Christi afflictionibus.

VERS. 4. — ET EXIVIT ALIUS EQUUS RUFUS. *Equus rufus* romanorum imperatorum à Nerone ad Constantinum usque chorus intelligitur, martyrum sanguine rubefactus et cruentatus. ET QUI SEDEBAT SUPER ILLUM, agitator et impulsor illorum est diabolus; ET DATUM EST EI UT SUMERET, id est, tolleret, PACEM DE TERRA, quia dissensionis, ut ita loquar, deus est; ET UT SE INTERFICIANT, id est, data est ei potestas ut sublatâ de mundo pace, mutuis se odiis et homicidiis mortales interficiant, quod ante prædixerat Christus, Matth.

1. *Et je vis que l'Agneau avait ouvert.....; et j'entendis l'un des quatre animaux.....* Remarquez que ce sont les auteurs sacrés, et surtout les évangélistes, qui nous font ouvrir les yeux aux objets qui se présentent, et nous y rendent attentifs : c'est-à-dire qu'il faut entendre toute l'exécution des secrets conseils de Dieu, selon les règles qui sont proposées par Jésus-Christ dans l'évangile.

2. *Et je vis un cheval blanc*, tel qu'en avaient les vainqueurs aux jours de leur entrée et de leur triomphe.

Et celui qui était monté dessus. C'est Jésus-Christ victorieux. *Voyez Apoc.* 19, 11, 13, où celui qui est sur le cheval blanc, s'appelle le Verbe de Dieu. Ici on lui donne un arc, pour marquer qu'il atteint de loin. Les prophéties l'arment tout ensemble et de l'épée pour frapper de près, et de flèches pour atteindre de loin (Ps. 44, 4, 6). Voilà donc ce qui paraît d'abord et à l'ouverture du premier sceau; Jésus-Christ vainqueur. On va faire marcher à sa suite les trois fléaux de la colère de Dieu, comme ils furent présentés à David (2 *Reg.* 24, 13), la guerre, la famine et la peste.

4. *Il partit aussitôt un autre cheval qui était roux*, d'une couleur approchant du sang; c'est manifestement la guerre, comme les caractères qu'on lui donne le font assez voir.

5. *Et je vis un cheval noir.....* C'est la famine marquée par la couleur noire; *tous les visages seront noirs comme des chaudrons noircis au feu*, Joël, dans la description d'une famine, 2, 6.

6. *Le litron de blé*, petite mesure. On donne le pain à la mesure; la mesure est petite, et on l'achète bien cher. *Ne gâtez point le vin et l'huile;* conservez-les avec soin, car on en aura besoin. On ne pouvait peindre la famine avec de plus vives couleurs, ni la ren-

10 : *Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium.* Et datus est ei gladius magnus, id est, magna nocendi potestas permissa.

Vers. 5. — Et cum aperuisset sigillum tertium. Per hoc tertium sigillum mysterii succedente tempore amplior intelligitur manifestatio. Tertium animal verò, quod hominis formam habet, Matthæus est, cui humanitatis Christi descriptio tribuitur; quo animali tertium ordinem prædicatorum qui in humanitate Christi adversùs hæreticos asserendâ sudârunt, significari asserunt. Equus niger, occultam hæreticorum versutiam, umbris et tenebris offuscatam, et ne agnoscatur, palliatam indicat. Cernens enim diabolus nihil se martyrum persecutione promovere, sed uno occiso multa millia repullulare, novos Ecclesiæ hostes suscitavit hæreticos, aptè per *equum nigrum* notatos, quippe qui rejecto veræ fidei lumine non nisi in tenebris ambulare possunt. Et qui sedebat super eum, habebat stateram in manu sua. Hæreticorum quos inhabitat verè sessor est diabolus; statera Scriptura sancta est, ipsa quippe vera est regula ad quam tum in fide, tum in moribus librare se unumquemque verum christianum oportet; benè autem stateram hanc in manu sessor hæreticorum habet diabolus, quia Scripturis sanctis non ad Ecclesiæ determinationem et consensionem, sed pro arbitratu suo uti docet hæreticos, quasi versatilem suopte judicio Scripturam in manu habens; quod verò ait :

Vers. 6. — Et audivi tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentium, interpres legit λεγόντων, id est, *dicentium*, referens ad τὸ animalium. Græca habent λέγουσαν, id est, *dicentem*, et referunt ad vocem. *Vox* autem *in medio quatuor animalium*, communis est consensus quatuor evangelistarum, fideles contra hujusmodi hæreticos et diabolum sessorem confirmantium et consolantium ac dicentium : Bilibris tritici denario uno, et tres bilibres hordei denario uno, et vinum et oleum ne læseris. Typicè hæc intelligi necesse est, atque ita omnes accipiunt, ac multi multa afferunt; sed priusquàm ad hujus mysticam loci intelligentiam accedamus grammaticas difficultates excutiamus. Pro bilibris Græc. est χοίνιξ, mensura tritici aut leguminis quæ satis sit in cibum diurnum. Budæus libris quatuor constare putat, Pollux tribus, Georgius Agricola duabus et quadrante. Denarius autem, Budæi æstimatione, tres solidos nostros cum dimidiatio valet. Quod autem interpres de denario loquens, addidit *uno*, Græca quæ nunc extant non habent *uno*. Nunc ad explicationem loci accedamus. Mihi, omissâ multiplici veterum lectione, is videtur esse sensus, ad quem accedit liber quidam anonymus manu descriptus : Bilibris tritici sive frumenti, quod suavius est et manducationi aptius, novum Instrumentum et Evangelium significat, in quo granum frumenti Christus pro nobis mortuus, multum mundo fructum attulit; et benè bilibris nomine appellatur, quia fidei et dilectionis præcepto constat Evangelium. Tres autem bilibres sive chœnices hordei, quod asperius est, legem et vetus Instrumentum significat, quod oneribus constabat non ferendis; et benè tres bilibres ejus dicuntur, quia legalibus, historicis et propheticis libris constabat vetus Instrumentum. Porrò denarius, perfectus numerus omnibus simplicibus numeris constans, perfectionem significat fidei, quo tam bilibris tritici, quàm tres hordei bilibres emuntur, quia Scripturarum omnium tam novi Instrumenti quàm veteris intelligentia non nisi denario fidei comparatur; juxta quod in Isaiâ scriptum est : *Nisi credideritis, non intelligetis.* Hæretici ergo, qui Scripturas scindunt, et ad manum eas habent, proprio eas arbitratu non Ecclesiæ judicio interpretantes, quia denarium perfectæ fidei non habent, veram illarum intelligentiam habere non possunt. Vinum autem et oleum, fideles et ecclesiastici sunt doctores, vino comparati, dùm palam iniquè viventes mordaciter increpant; oleo verò dùm pusillanimes consolantur, et spiritu lenitatis corripiunt; aut vinum dicuntur fideles omnes vino dominici sanguinis in baptismo potati, et de prelo dominicæ crucis tanquàm mustum expressi, dicente Paulo, Rom. 6 : *An ignoratis, fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus?* oleum quoque dicuntur tanquàm in baptismo Spiritûs sancti gratiâ et oleo delibuti. In medio igitur quatuor animalium, id est, communi consensu quatuor evangelistarum et prædicatorum fidelium auditur vox consolatoria, dicens : *Bilibris tritici*, etc.; quasi diceret : Ne timete, fideles, quamvis persecutioni tyrannorum impietates succedere videatis hæreticorum; non enim lædere vos poterunt, nec annonam Scripturarum vobis imminuere, si quidem denarium perfectæ fidei, quo illæ comparantur, retinueritis. Certè Græca Scholia triticum salutare verbum Evangelii interpretantur, perfectis et in fide jam adultis utile; oleum asperam legis cognitionem, quâ tanquàm rationis expertia pecora ob carnalem sensum suùm pascebantur Judæi. Hæc sunt quæ ex multis de loco præsenti conjicere potuimus.

Vers. 7. — Quartum animal, simile aquilæ, ostendit Joanni tertium genus hostium Christi et Christianorum. (Tirinus.)

Vers. 8. — Et cum aperuisset sigillum quartum. Videns antiquus hostis manifestatas per sanctos doctores hæreticorum suorum, quibus insidet semper, versutiam et perfidiam, non jam proficere posse; quò verè pios seducat, falsorum fratrum in hypocrisi degentium examina suscitat, quod ostendens Joannes ait : *Cùm aperuisset sigillum quartum*, id est, cùm procedente temporé et augescente fide, magis magisque occulta aperirentur mysteria, vidit Joannes equum pallidum. *Equus pallidus* hypocritarum et fallacium fratrum cœtus est, qui exterminant facies suas, ut

dre plus sensible. Mais voici la mortalité et la peste aussi bien dépeintes à l'ouverture du quatrième sceau.

8. *Et je vis un cheval pâle....* C'est la peste et la mortalité. *Et l'enfer le suivait;* c'est en général le lieu des morts. *Et on lui donna puissance;* ainsi lisent les anciens. Le Grec est plus clair : *Et on leur donna puissance*, c'est-à-dire, à ces trois cavaliers, de frapper les hommes par ces trois fléaux. On peut entendre

appareant hominibus jejunantes; ET QUI SEDEBAT SUPER EUM NOMEN ILLI MORS, id est, diabolus, sic appellatus, quia *invidiâ diaboli mors introivit in orbem;* ET INFERNUS SEQUEBATUR EUM, id est, damnatorum multitudo; sequuntur enim et diabolum imitantur qui sunt ex patre diabolo. ET DATA EST ILLI POTESTAS, divinâ permissione, SUPER QUATUOR PARTES TERRÆ, id est, super omnem terram mundumque universum, ut interficeret GLADIO detractionis, FAME audiendi verbi Dei, BESTIIS TERRÆ, id est, brutis et ratione carentibus concupiscentiis, ET MORTE, id est, alio quolibet nocendi et perimendi genere.

VERS. 9. — ET CUM APERUISSET QUINTUM SIGILLUM, id est, cùm ampliùs manifestari sacramenta divina cœpissent, VIDI SUBTUS ALTARE ANIMAS. Altare Christus est, super quem Deo Patri per fidem bona quæ cogitamus, loquimur aut facimus, offerimus, sacramento fisi passionis ipsius. Subtùs altare verò sunt *animæ* INTERFECTORUM, quia sanctorum animæ martyrum Deo et Christo se semper submisère, et ob prædicatum Evangelii verbum, et annuntiatum liberè de Christo testimonium morti sunt ab impiis tyrannis traditæ, à quibus zelo justitiæ vindicari quærunt, ut eorum exemplo resipiscant cæteri impii.

VERS. 10. — ET CLAMABANT VOCE MAGNA, DICENTES, etc. Non ergo animæ defunctorum dormiunt, et velut alto sopore pressæ jacent, usque ad diem judicii; sed continuum habentes desiderium consummandæ beatitudinis suæ, et implendæ justitiæ divinæ, stolas accipiunt albas, id est, bonam partem beatæ remunerationis, in quâ jubentur requiescere usque ad diem generalis judicii. Stolæ candidæ gloriam significant; unde et angeli post resurrectionem Christi ad ejus sepulcrum apparuerunt in stolis albis. USQUEQUO NON JUDICAS, ET NON VINDICAS SANGUINEM NOSTRUM DE HIS, etc.; quid est quòd sancti in terrâ positi orant pro suis persecutoribus, ut S. Stephanum et alios multos Christum imitatos fecisse legimus, in cœlum verò translati de eisdem vindictam expetunt? — Resp. Dùm sunt in terris, præceptum habent orandi pro persecutoribus, sine discrimine, nescientes pro quibus sint exaudiendi. Deinde, ut per hoc in charitate firmentur, nec moveantur ad inordinatum affectum vindictæ expetendæ pro privatâ injuriâ ad quod vitium prona est humana fragilitas, etiam in perfectis. Beati verò in cœlis non orant nisi pro iis pro quibus vident se exaudiendos, quia nunquàm frustra orant, nec opus est illis hujusmodi præcepto orandi in universum pro persecutoribus suis, cùm jam sint in justitiâ et charitate confirmati, nec possit inordinata esse eorum voluntas, sed plenissimè jam conformis sit voluntati divinæ; ex quâ conformitate procedit ejusmodi vindictæ postulatio, non adversùs quoscumque persecutores, sed eos solos quos reprobos esse cognoscunt. Nam pro electis orant, etiam persecutoribus suis, ut convertantur et salventur. (Estius.)

VERS. 11. — ET DATÆ SUNT ILLIS SINGULÆ STOLÆ ALBÆ, per quas stolas albas singulas et indumenta candida, singulorum beatificatio tantùm quod ad animam attinet, intelligitur; interim verò jubentur quiescere TEMPUS MODICUM usque ad resurrectionis scilicet tempus, quod præ infinitate succedentis temporis perbreve est, DONEC COMPLEANTUR CONSERVI EORUM ET FRATRES EORUM QUI INTERFICIENDI SUNT, quia per multas tribulationes oportet electos intrare in regnum cœlorum; id autem non fiet antequàm plenitudo gentium intraverit, omnisque Israel salvus fiat, sitque unum ovile et unus pastor, quando singulis non jam singulæ, sed binæ dabantur stolæ, corpore et animâ glorificatis. Rupertus interpretatur has interfectorum animas veteris Testamenti martyres, quas occiderunt Judæi à sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occiderunt inter templum et altare; qui sub testamento et promissione Dei, tanquàm sub altari reconditi voce magnâ clamant, vindictam de inimicis postulantes.

VERS. 12. — ET CUM APERUISSET SIGILLUM SEXTUM, id est, procedente tempore cùm apertiùs se proderent divina mysteria, ECCE TERRÆ MOTUS MAGNUS FACTUS EST. Bona pars veterum doctorum hunc locum explicant de tempore Antichristi, instante judicio, quo tempore futurum etiam ad litteram terræ motum magnum; et in sole, lunâ et stellis signa et prodigia videtur innuere Christus, Luc. 21, et Matth. 24, iis verbis: *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo.* Terræ motum verò hunc magnum penè omnes interpretantur magnam hominum in terrâ

aussi, *on lui a donné*, en le rapportant au vainqueur dont il est parlé, v. 2, et que les trois fléaux de Dieu, la guerre, la famine et la peste suivent pour partir à son ordre. *Sur les quatre parties de la terre.* Le Grec dit : *Sur la quatrième partie.*

9. *A l'ouverture du cinquième sceau.* Après que le Juge a paru avec ses trois fléaux, il restait à voir qui il frapperait. Les âmes des martyrs semblent le déterminer à venger leur mort sur leurs persécuteurs; mais on leur ordonne d'attendre, comme on va voir.

Je vis sous l'autel les âmes de ceux..... L'autel représente Jésus-Christ, *où notre vie est cachée jusqu'à ce qu'il apparaisse* (Coloss. 3, 3, 4). Et c'est ainsi que l'entend l'Église aussi bien que tous les anciens.

10. *Jusqu'à quand différez-vous...* Remarquez que les âmes saintes savaient bien que Dieu n'avait pas encore vengé leur sang, contre ceux qui les veulent comprendre dans la loi générale des morts, dont il est écrit qu'ils ne savent pas ce qui se passe sur la terre.

A venger notre sang. Les saints désirent la manifestation de la justice de Dieu, afin qu'on le craigne et qu'on se convertisse. *C'est là*, dit S. Augustin, *la juste et miséricordieuse vengeance des martyrs, que le règne du péché qui leur a été si rigoureux, soit détruit.*

11. *Une robe blanche*, c'est la gloire des saintes âmes, en attendant la résurrection. Par le blanc est représentée la gloire de Jésus-Christ; et il dit lui-même des bienheureux, *qu'ils marcheront avec lui revêtus de blanc, parce qu'ils en sont dignes.* (Apoc. 3, 4.)

Qu'ils attendissent en repos encore un peu de temps. Dieu fait connaître trois choses à ses saints : le délai de la vengeance, la briéveté de ce délai, et les raisons de son conseil éternel.

Jusqu'à ce que le nombre.... fût accompli. Les peuples persécuteurs étaient nécessaires pour accomplir le nombre prédestiné des martyrs : c'est pourquoi Dieu les épargne en attendant que ce nombre soit parfait; outre qu'en détruisant les infidèles, avant qu'on en eût tiré tous les saints qui étaient encore renfermés parmi eux, on aurait empêché l'œuvre de Dieu.

12. *A l'ouverture du sixième sceau je vis....* Ce qui suit c'est la vengeance divine, dernière et irrévocable, premièrement sur les Juifs, et ensuite sur l'empire persécuteur; mais c'est la vengeance encore représentée en confusion et en général. Les grandes cala-

degentium commotionem et tribulationem, qualis, inquit Christus, Matth. 24, *non fuit ab initio*. Et sol factus est cilicinus; sol, inquam, justitiæ Christus, de quo impii dicunt : *Et sol justitiæ non luxit nobis*. Hic *factus est cilicinus*, vel quia justi, in quorum cordibus lucebat Christus, nihil habebuntur, aut quia Antichristi tempore cessabit Christus clarescere miraculis, ficta prodigia operante Antichristo, adeòque miranda, ut si fieri potest, moveantur etiam electi. Et luna tota facta est sicut sanguis, quia Ecclesia, quæ per lunam significatur, à vero sole Christo lumen recipiens tunc temporis tota erit in suis martyribus sanguinolenta. Hæc autem fore Joel prædixit dicens : *Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequàm veniat dies Domini magnus;* Vers. 13. — Et stellæ de cœlo ceciderunt super terram, id est, cadent; prophetia enim rem futuram tanquàm factam exprimit. Stellæ autem sancti et justi sunt tanquàm stellæ in perpetuas æternitates, in hujus seculi nocte rectæ vitæ et sanctorum morum lumine aliis prælucentes; ii de cœlo cadent, quando timore ducti de constantiâ fidei excident; cadent autem non secùs atque *grossi*, id est, immaturæ ficus dùm à vento valido agitantur : utque tunc magno numero grossi defluunt, ita eâ ætate persecutionum ventis agitati Christiani de cœlo, id est, fidei constantiâ cadent.

Vers. 14. — Et cœlum recessit sicut liber involutus. In libro involuto seu convoluto quid scriptum sit ignoratur, nisi iis quibus aperitur et explicatur; cœlum Ecclesia est, uti in Evangelio regno cœlorum assimilatur; quæ aptè libro involuto comparatur, quia qui in libro vitæ conscripti sint electi, ignorant omnes, *nisi quibus revelatum est à Patre*. Benè autem persecutionis hujus tempore recessisse Ecclesia dicitur, quia ab impiorum se tunc consortio Ecclesia cœtusque fidelium segregabit; nec sese omnibus passim eà ætate fideles manifestabunt. Et omnis mons et insulæ de locis suis motæ sunt. Montes perfectiores in Ecclesiâ significant, qui de loco suo movebuntur, vel quòd à reproborum et impiorum societate inter quos habitabant discedent, audientes illud de Babylone, propheticum : *Exite de illâ, populo meus;* vel quòd terrore perciti, etsi fidem negaturi non sunt, ab illo tamen constantis fidei gradu nonnihil recedent. Insulæ autem à fluctibus agitatæ minùs perfectos in Ecclesiâ significant tentationum procellis agitatos; quos etiam à fidei illâ constanti firmitate persecutionum terror nonnihil dimovebit.

Vers. 15. — Et reges terræ, et principes, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus et liber, absconderunt se in speluncis et petris montium; et dicunt montibus et petris. Per hos majoris dignitatis fideles intelliguntur, fortes in fide, divites bonis operibus, servi justitiæ et liberi à peccato; qui deprehensi in ultimâ persecutione fugient et abscondent se *in speluncis et petris montium*, id est, ad suffragia sanctorum, qui fidei et operum meritis, tanquàm montes cæteris supereminent, confugient dicentes : Cadite super nos, id est, per misericordiam flectimini et condescendite ad preces nostras, ut nos vestris orationibus adjuvetis, et à facie æterni Dei et viventis, quem offendimus, utcumque justi simus, abscondite. Aliter contrario modo *montes*, superbos et elatos significant; *insulæ*, quæ marinis fluctibus agitantur, carnales et libidinosos, secularibusque negotiorum et ambitionum fluctibus agitatos, qui *movebuntur de loco suo*, id est, de fide perceptâ ad infidelitatem. *Reges, principes, tribuni*, varias reproborum potestates significant et conditiones, qui bonis imperare volunt, sive ipsi servi sint, sive liberi; *ii montibus*, id est, dæmonibus quorum superbia ascendit semper, dicent : *Cadite super nos*, ne nos dies Domini vivos inveniat. Græca scholia explicant terræ motum, solis et lunæ obscurationem de iis quæ in passione gesta sunt. Rupertus ad eversionem Hierosolymitanam refert; sed quia non ad litteram, sed pleraque mysticè explicat, non libuit addere; lector, si voles, videbis ex eo.

Vers. 17. — Ipsorum, Græc., *ejus*. Stare, id est, consistere, vel ferre. (Emman. Sà.)

CAPUT VII.

1. Post hæc vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem.

2. Et vidi alterum angelum ascendentem ab ortu

mités publiques sont décrites dans les prophètes, comme si c'était un renversement de toute la nature; la terre tremble, le soleil s'obscurcit, la lune paraît toute sanglante, les étoiles tombent du ciel; c'est qu'il semble que tout périt pour ceux qui périssent. Les images dont se sert ici notre apôtre, sont tirées de divers endroits des prophètes, et surtout d'Isaïe, 34, 4.

15. *Les étoiles tombèrent du ciel en terre, comme lorsque le figuier...*, avec la même abondance, avec la même facilité. Dieu secoue toute la nature aussi aisément qu'un grand vent secoue un arbre.

14. *Et toutes les montagnes et les îles...* ce qui était de plus ferme sur la terre, et tout ensemble ce qui en était le plus séparé par les eaux, tout fut ébranlé.

15. *Les rois de la terre, les princes, les officiers de guerre....* C'est ce qu'il avait figuré auparavant par les étoiles qui tombaient, v. 13. Tout l'univers fut effrayé d'une si grande vengeance que Dieu tirait de ses ennemis, et du renversement d'un si grand empire.

16. *Aux montagnes et aux rochers : Tombez sur nous.* Ces paroles sont prises d'Osée, 10, 8, et notre Seigneur les applique à la désolation envoyée aux Juifs en vengeance de sa passion. (*Luc.* 23, 30.) On en peut faire encore l'application à la chute de l'empire romain. Mais, et ces paroles, et tout le reste qu'on vient de voir, regardent aussi le dernier jugement, que le Saint-Esprit joint souvent aux grandes calamités qui en sont l'image, comme a fait notre Seigneur, lorsqu'il mêle ce dernier et terrible jugement avec la ruine de Jérusalem, qui en était la figure. (*Matth.* 24, etc.)

CHAPITRE VII.

1. Après cela je vis quatre anges qui étaient aux quatre coins de la terre, et en retenaient les quatre vents, pour les empêcher de souffler sur la terre, ni sur la mer, ni sur aucun arbre.

2. Je vis encore un autre ange qui montait du côté

solis, habentem signum Dei vivi; et clamavit voce magnâ quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ et mari,

3. Dicens : Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.

4. Et audivi numerum signatorum : centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel.

5. Ex tribu Juda duodecim millia signati ; ex tribu Ruben duodecim millia signati; ex tribu Gad duodecim millia signati ;

6. Ex tribu Aser duodecim millia signati ; ex tribu Nephthali duodecim millia signati ; ex tribu Manasse duodecim millia signati ;

7. Ex tribu Simeon duodecim millia signati ; ex tribu Levi duodecim millia signati ; ex tribu Issachar duodecim millia signati ;

8. Ex tribu Zabulon duodecim millia signati ; ex tribu Joseph duodecim millia signati ; ex tribu Benjamin duodecim millia signati.

9. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis ; stantes ante thronum, et in conspectu Agni ; amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum :

10. Et clamabant voce magnâ dicentes : Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno.

11. Et omnes angeli stabant in circuitu throni, et seniorum, et quatuor animalium ; et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum,

12. Dicentes : Amen ; Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen.

13. Et respondit unus de senioribus, et dixit mihi : Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? et unde venerunt ?

14. Et dixi illi : Domine mi, tu scis. Et dixit mihi : Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magnâ, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.

15. Ideò sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus ; et qui sedet in throno, habitabit super illos.

16. Non esurient neque sitient ampliùs : nec cadet super illos sol, neque ullus æstus :

17. Quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum, et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

de l'Orient, et portait le signe du Dieu vivant ; et il cria à haute voix aux quatre anges qui avaient le pouvoir de nuire à la terre et à la mer,

3. En disant : Ne nuisez point à la terre, ni à la mer, ni aux arbres, jusqu'à ce que nous ayons marqué au front les serviteurs de notre Dieu.

4. Et j'entendis que le nombre de ceux qui avaient été marqués, était de cent quarante-quatre mille de toutes les tribus des enfants d'Israël.

5. Il y en avait douze mille de marqués de la tribu de Juda ; douze mille de la tribu de Ruben ; douze mille de la tribu de Gad ;

6. Douze mille de la tribu d'Aser ; douze mille de la tribu de Nephthali ; douze mille de la tribu de Manassé :

7. Douze mille de la tribu de Siméon ; douze mille de la tribu de Lévi ; douze mille de la tribu d'Issachar :

8. Douze mille de la tribu de Zabulon ; douze mille de la tribu de Joseph ; douze mille de la tribu de Benjamin.

9. Après cela, je vis une grande troupe que personne ne pouvait compter, de toute nation, de toute tribu, de tout peuple et de toute langue, qui étaient debout devant le trône, et devant l'Agneau, revêtus de robes blanches, avec des palmes en leurs mains.

10. Ils jetaient un grand cri, en disant : La gloire de nous avoir sauvés soit rendue à notre Dieu, qui est assis sur le trône, et à l'Agneau.

11. Et tous les anges étaient debout autour du trône, et des vieillards, et des quatre animaux ; et ils se prosternèrent sur le visage devant le trône, et ils adorèrent Dieu,

12. En disant : Amen, bénédiction, gloire, sagesse, action de grâces, honneur, puissance et force soient à notre Dieu, dans les siècles des siècles, Amen.

13. Alors un des vieillards prenant la parole, me dit : Qui sont ceux-ci qui paraissent revêtus de robes blanches, et d'où viennent-ils ?

14. Je lui répondis : Mon Seigneur, vous le savez. Et il me dit : Ce sont ceux qui viennent de souffrir de grandes afflictions, et qui ont lavé et blanchi leurs robes dans le sang de l'Agneau.

15. C'est pourquoi, ils sont devant le trône de Dieu, et ils le servent jour et nuit dans son temple, et celui qui est assis sur le trône, demeurera sur eux.

16. Ils n'auront plus ni faim, ni soif ; et le soleil, ni aucune autre chaleur ne les incommodera plus :

17. Parce que l'Agneau, qui est au milieu du trône, sera leur pasteur ; et il les conduira aux fontaines des eaux vivantes, et Dieu essuiera de leurs yeux toutes les larmes.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Post hæc vidi quatuor angelos. Varii varia hùc afferunt : nonnulli per quatuor angelos, quatuor orbis principatus intelligunt, Assyriorum, Persarum, Macedonum et Romanorum ; alii quatuor Ecclesiæ persecutores, Maximianum in Oriente, Severum in Italiâ, Maxentium Romæ, Licinium Alexandriæ, quorum insaniam et adversùs Christianos ferociam, tanquàm bonus et faustus Dei angelus Constan-

1. *Après cela....* C'est une chose ordinaire dans l'Apocalypse, comme dans les autres prophéties, de montrer premièrement les choses en général et plus confusément comme de loin, pour ensuite les déclarer par ordre et dans un plus grand détail, comme si on les avait sous les yeux. C'est pour cela que S. Jean,

tinus imperator cohibuerit, et ipse christianus effectus, sed quia non aptè quadrant sequentia, si de iis intelligamus, malui cum Dionysio Carthusiano et Victorino antiquissimo, et Græcis Scholiis, unà cum explicatione sigilli sexti ad Antichristi tempora referre. Itaque *angeli quatuor* STANTES SUPER QUATUOR ANGULOS TERRÆ, perversi sunt angeli, eorumve ministri, Antichristi satellites, *super quatuor angulos terræ stantes*, id est, à quatuor orbis partibus, ortu, occasu, septentrione et meridie, observantes fideles, et continentes quatuor ventos ne flarent super terram, neque super mare, neque super ullam arborem. *Quatuor venti* prædicantium doctorum cœtum significant quatuor innixos Evangeliis, qui salutari doctrinæ suæ aurâ terram fidelium perflant, et prædicationis suæ nubibus et imbribus irrigant; seu *terram et mare*, hoc est, terrenis addictos possessionibus et concupiscentiis, seu mare tumidum, hoc est, fastu superbiâque elatos, quia quicquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ; seu *arbores*, hoc est, spirituales homines; inhibebunt autem quantùm valebunt Antichristi tempore dæmones eorumque instinctu, ministri ac satellites ipsius, hos prædicationum ventos, ne salutari aurâ malos perflent, ut ad meliorem frugem redeant, sed ut qui sordent sordescant adhuc; bonosque et spirituales, ne fidei virtutumque incrementis proficiant.

après nous avoir fait voir la vengeance divine en confusion à la fin du chapitre précédent, va commencer à entrer dans le détail. La première chose qu'il explique, c'est la raison du délai dont il est parlé au chap. 6, v. 11. On avait répondu aux âmes qui demandaient la vengeance de leur sang, qu'elles attendissent que le nombre des élus fût accompli. Dieu maintenant va faire connaître qu'une grande partie de ses élus, dont le nombre devait être accompli, étaient parmi les Juifs, et en devaient être tirés.

Je vis quatre anges..., qui retenaient les quatre vents... Les vents lâchés signifient l'agitation des choses humaines. *J'ai vu quatre vents qui combattaient sur une grande mer.* (*Dan.* 8, 2.) C'était à dire : J'ai vu une grande agitation. Par une raison contraire, Dieu retient les vents, quand il tient les choses en état. *Pour les empêcher de souffler.* Les anges qui avaient le pouvoir de retenir les vents, avaient aussi le pouvoir de les lâcher, comme il paraît par la suite.

Pour les empêcher de souffler sur la terre, ni sur la mer, ni sur aucun arbre. Ces paroles sont très-remarquables pour entendre le chapitre suivant, avec lequel elles ont un rapport manifeste, comme on va voir.

2. *Je vis encore un autre ange..., qui portait le signe du Dieu vivant*, pour l'appliquer à ses élus, comme la suite l'explique.

Et il cria aux anges... Ce cri des anges les uns aux autres, lorsqu'ils portent les ordres de Dieu, montre l'ardeur qu'ils ont à les faire entendre, comme un messager envoyé en diligence déclare ses ordres dès qu'il peut faire entendre sa voix en criant.

Aux anges qui avaient le pouvoir de nuire à la terre et à la mer. Voilà encore ici la terre et la mer; et ce n'est pas en vain que je le remarque.

3. *Ne nuisez point à la terre, ni à la mer, ni aux arbres :* car l'heure de lâcher les vents pour les affliger, n'est pas encore venue, ainsi qu'on vient de le voir, v. 1. Le Saint-Esprit marque ici manifestement le rapport de ce chapitre avec le suivant, où l'on verra, v. 7, au son [de la première trompette, *une grêle de feu tombée sur la terre, qui en brûle les arbres;* et au

VERS. 2. — ET VIDI ALTERUM ANGELUM. Hunc angelum quidam Christum, quidam administratorium quemdam spiritum interpretantur; mihi aptiùs ad connexionem præcedentium Victorinus hoc angelo Eliam significari asserit, benè ab ortu solis ascendentem, quia à Deo mittendus est, et sole justitiæ Christo, dicente Malachiæ c. 4 : *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam antequàm veniat dies Domini magnus et horribilis, et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum, ne fortè veniam et percutiam terram anathemate.* Benè ergo cùm præmisisset Joannes in visione venturos quatuor angelos, quibus datum et præmissum sit nocere terræ, mari et arboribus, ut pios consoletur, quibus nihil illi nocituri sunt, dicit se Joannes in spiritu ALTERUM ANGELUM, Eliam scilicet vidisse, HABENTEM SIGNUM DEI VIVI, symbolum scilicet fidei et charitatis, qui clamaturus est voce magnâ, id est, perniciosos angelos et Antichristi ministros ac nuntios inhibiturus, ne permissâ sibi potestate abutantur; ut cuique noceant, impedientes ne verbum Dei prædicetur.

VERS. 3. — NOLITE ergo, inquit, NOCERE TERRÆ, ET MARI, NEQUE ARBORIBUS, QUOADUSQUE SIGNEMUS SERVOS DEI NOSTRI IN FRONTIBUS EORUM, id est, donec eis verbum Dei prædicaverimus, et electos in fide confirmaverimus, ne unà cum pravis malè afficiantur à

v. 8, *une montagne brûlante tombée sur la mer.* Ce sera donc à ce coup la terre avec les arbres, et la mer frappée. Mais ici l'ange l'empêche, et les deux malheurs qui devaient venir sont arrêtés pour un temps.

Jusqu'à ce que nous ayons marqué au front les serviteurs de notre Dieu; c'est la cause du délai expliquée. Marquer les serviteurs de Dieu sur le front, c'est les séparer d'avec les réprouvés par la profession de l'Evangile, confirmée jusqu'à la fin par les bonnes œuvres, conformément à cette parole de S. Paul : *Le fondement que Dieu pose est ferme, ayant pour sceau cette parole : Le Seigneur connaît ceux qui sont à lui; et que celui qui invoque le nom du Seigneur se retire de l'iniquité.* 2 Tim. 2, 19.

Sur le front; ainsi, dans Ézéchiel, 9, 4, après l'ordre donné pour exterminer ceux qui étaient destinés à la vengeance, il est ordonné de marquer sur le front à la marque *Tau*, ceux qui devaient être épargnés.

La marque TAU, qui était un T, figurait la croix de Jésus-Christ : mais la marque de ce chapitre de l'Apocalypse est plus clairement expliquée au chapitre 14, v. 1, où il est dit que *les cent quarante-quatre mille*, c'est-à-dire, ceux qui sont marqués, au v. 4 du chapitre 7 que nous expliquons, *avaient le nom de l'Agneau et celui de son Père écrit sur le front;* c'est-à-dire qu'ils avaient fait une haute et persévérante profession de l'Évangile. C'est la même chose que nous avons ouïe de la bouche de Jésus-Christ, Apoc. 3, 12 : *J'écrirai sur lui le nom de mon Dieu... et mon nouveau nom.*

On voit maintenant le dessein de l'ange qui empêche les quatre anges exterminateurs de ruiner quelque peuple ou quelque contrée. C'est qu'il y avait des élus à en tirer avant sa ruine, et l'ange veut qu'on attende qu'ils se soient rangés dans l'Église avec leurs autres frères, et que comme eux ils soient marqués à la bonne marque du troupeau élu. On n'aura pas de peine à entendre pourquoi cette marque est représentée comme imprimée par un ange, si l'on se souvient que les anges *sont esprits administrateurs*, en-

vobis boni et pii.

VERS. 4, 5, 6, 7, 8. — ET AUDIVI NUMERUM SIGNATORUM, CENTUM QUADRAGINTA QUATUOR MILLIA SIGNATI EX OMNI TRIBU FILIORUM ISRAEL. Pro signatorum Græcè est, ἐσφραγισμένων, id est, sigillatorum seu sigillo obsignatorum, sicut paulò ante, *habentem signum*; Græcè est, σφραγῖδα, id est, *sigillum*. Hic autem numerus certus pro incerto ponitur, significaturque ad prædicationem Eliæ Judæos, quos tunc ille offendet, convertendos. Non hic te detinebo, lector, in mysticâ harum nominum filiorum Israel significatione explicandâ, quòd cuique pro captu suo etiam parùm in sacris Litteris versato, facile est expositionem afferre non malam; tantùm sufficiat ex hoc loco intelligere multos ex Judæis ad prædicationem Eliæ convertendos, nec ex Judæis modò, sed ex gentibus etiam plures; cùm enim definito numero pro Judæis usus esset, ait de gentibus:

VERS. 9. — POST HÆC VIDI TURBAM MAGNAM, etc. Græca habent: *Post hæc vidi, et ecce turba magna stantes et amicti;* ecce ex gentibus et Judæis unum ovile, quorum omnium post resurrectionem statum in spiritu videns Joannes asserit quòd eos viderit stantes ante thronum gloriæ Dei in conspectu Agni Christi.

voyés pour le salut des enfants de Dieu, Hebr. 1, 14.

4. *Et j'entendis que le nombre de ceux qui avaient été marqués était de cent quarante - quatre mille de toutes les tribus des enfants d'Israël.* Après ce qui nous avait été expliqué, il ne restait plus qu'à nous dire de quel peuple devaient être tirés ceux en faveur desquels la vengeance de Dieu était suspendue; et S. Jean nous apprend ici que ce sont ceux qui furent marqués, c'est-à-dire, constamment les Juifs.

C'est qu'il y avait dans Jérusalem une église sainte de cette nation, qui y avait subsisté même depuis la ruine du temple, et qui y fut conservée jusqu'au temps d'Adrien, sous quinze évêques tirés des Juifs convertis, comme on a vu dans l'*Histoire abrégée*, n. 1. Il y venait beaucoup de Juifs, et lorsque tous ceux que Dieu avait élus pour y entrer, furent venus, les Juifs alors furent dispersés et exterminés de la Judée. On voit donc les sceaux levés et le livre ouvert, c'est-à-dire, les conseils de Dieu révélés. On voit sur qui doit tomber d'abord la colère du juste Juge, et ce sont les Juifs. On voit pourquoi on diffère de venger le sang des martyrs, et d'où se devait tirer un si grand nombre de leurs frères qu'il fallait remplir auparavant. (*Apoc.* 6, 9, etc.)

Cent quarante-quatre mille. On doit voir avec beaucoup de consolation ce grand nombre de saints qui devaient sortir des Juifs: et cela s'accorde très-bien avec ce que S. Jacques disait à S. Paul: *Vous voyez, mon frère, combien de milliers de Juifs ont cru* (Act. 21, 20). Ce qui fut continué dans la suite, et tant que Dieu conserva dans Jérusalem une église formée de Juifs convertis. Ainsi, comme dit S. Paul, la nation n'était pas tellement réprouvée, qu'elle ne dût recevoir dans un très-grand nombre d'élus, l'effet des promesses faites à ses pères, Rom. 11.

Cent quarante-quatre mille. Ce seul endroit devrait faire voir combien se tromperaient ceux qui voudraient toujours s'imaginer un nombre exact et précis dans les nombres de l'Apocalypse. Car faudra-t-il croire qu'il y ait précisément dans chaque tribu, douze mille élus, ni plus, ni moins, pour composer ce nombre total de cent quarante-quatre mille? Ce n'est pas par de telles minuties, ni avec cette scrupuleuse petitesse d'esprit, que les oracles divins doivent être expliqués. Il faut entendre dans les nombres de l'Apocalypse une certaine raison mystique à laquelle le Saint-Esprit nous veut rendre attentifs. Le mystère qu'il veut ici nous faire entendre, c'est que le nombre de douze, sacré dans la Synagogue et dans l'Eglise, à cause des douze patriarches et des douze apôtres, se multiplie par lui-même, jusqu'à faire douze mille dans chaque tribu, et douze fois douze mille dans toutes les tribus ensemble, afin que nous voyions la foi des patriarches et des apôtres multipliée dans leurs successeurs; et dans la solidité d'un nombre si parfaitement carré, l'éternelle immutabilité de la vérité de Dieu et de ses promesses. C'est pourquoi nous verrons ensuite (*Apoc.* 14, 1, 3) ce même nombre de cent quarante-quatre mille, comme un nombre consacré à représenter l'universalité des saints, dont aussi les Juifs *sont la tige, et le tronc béni, sur lequel les autres sont entés* (Rom. 11, 16).

5. *Il y en avait douze mille de marqués de la tribu de Juda.* Il commence par la tribu de Juda, comme par celle qui, selon les conseils de Dieu, avait donné son nom à toutes les autres, et les avait recueillies comme dans son sein; celle qui avait reçu des promesses spéciales touchant le Messie, et de la bouche de Jacob en la personne de Juda même (*Gen.* 49, 10), et de la bouche du prophète Nathan, en la personne de David (2 *Reg.* 7), celle enfin d'où le Sauveur venait de sortir: c'est pourquoi on l'a nommé *le lion de la tribu de Juda*, v. 5.

Il n'y a plus rien à remarquer dans tout le reste du dénombrement, sinon que Dan y est omis, et que Joseph y paraît deux fois pour accomplir le nombre des douze tribus; une fois en sa personne, v. 8, et une autre fois en celle de Manassès, son fils, v. 6. Quelques Pères ont cru que Dan était omis exprès, parce que l'Antechrist devait naître de sa race. Peut-être ne faut-il entendre ici autre chose, si ce n'est que S. Jean voulant remarquer la bénédiction de Joseph, dont les deux enfants Ephraïm et Manassès ont été considérés, dans le partage de la terre promise, comme faisant chacun une tribu, il a fallu omettre Dan pour conserver le mystère du nombre de douze.

9. *Après cela, je vis une grande troupe que personne ne pouvait compter;* cette troupe innombrable paraît être la troupe des saints martyrs, à cause des palmes qu'ils portent dans leurs mains comme des combattants qui ont remporté la victoire; et à cause aussi qu'il est dit qu'ils viennent d'éprouver une grande affliction, v. 14. Plusieurs raisons nous persuadent que S. Jean veut ici parler principalement des martyrs, qui devaient souffrir dans l'empire romain, et durant les persécutions qu'il décrira dans ce livre; c'est ce qu'on verra au chap. 20, v. 4. Il ne faut pas hésiter à dire avec les saints Pères que le nombre de ces martyrs fut immense, surtout dans la dernière persécution, qui fut celle de Dioclétien; et c'est un soin superflu de se tourmenter avec quelques-uns à diminuer le nombre des martyrs et les trophées de l'Eglise, ou plutôt ceux de Jésus-Christ même.

De toute nation, de toute tribu. Ce n'était pas seulement des douze tribus d'Israël, comme ceux qu'on avait comptés auparavant. S. Jean, après avoir vu les saints tirés des Juifs, voit ensuite ceux qui viendront des gentils; ce qui confirme que c'est à la lettre qu'il a pris les Juifs dans le dénombrement précédent. Savoir, si les élus tirés des gentils sont aussi du nombre de ceux pour qui Dieu suspend sa vengeance, au chap. 6, v. 11, je n'ai pas besoin de l'examiner. Il me suffit que les élus tirés des Juifs soient ceux que S. Jean nous montre d'abord, ou plutôt les seuls qu'il nous montre dans ce chapitre comme expressément marqués; ce qui suffit pour nous faire voir que ce chapitre et le suivant qui y est lié regardent les Juifs; c'est aussi pour cette raison qu'il n'y est parlé ni d'idoles, ni d'idolâtrie; ce qu'on ne manque pas de faire aussitôt qu'il s'agit des gentils, comme la suite de la prophétie

ET AMICTI, subaudi *erant*, STOLIS ALBIS, id est, vitæ innocentiâ, aut duplici stolâ, animæ scilicet et corporis beatificatione ; ET PALMÆ IN MANIBUS EORUM, triumphantis scilicet per eos mundo et diabolo cum satellitibus suis tyrannis, etc.

VERS 10. — DICENTES : SALUS DEO NOSTRO, subaudi *sit ;* scilicet nostra salus illi sit accepta, qui nos suâ gratuitâ liberalitate salvavit.

VERS. 11. — ET OMNES ANGELI STABANT IN CIRCUITU THRONI, etc. Gaudent angeli, et gratias agunt Deo de victoriâ et beatitudine hominibus datâ.

VERS. 12. — DICENTES : AMEN, id est, fiat, fiat, ita sit. BENEDICTIO ET CLARITAS, scilicet tribuatur Deo. Pro *claritas* in Græco est δόξα, id est, *gloria*. VIRTUS, δύναμις, *potestas*, potentia ; quod etiam ferè significat quod sequitur, FORTITUDO.

VERS. 13. — RESPONDIT, id est, dixit. Hebraismus. QUI SUNT, etc. Interrogat senior Joannem, ut attentiorem eum reddat ad audiendum, et nobis res maxima et utilissima explicetur. (Menochius.)

VERS. 14. — HI SUNT QUI, etc. Per magnas enim tribulationes oportet ingredi in regnum cœlorum. ET LAVERUNT STOLAS SUAS IN SANGUINE AGNI, id est, corpora sua in sanguine pro Christo effuso, si de martyribus tantùm intelligas ; vel si de electis omnibus, laverunt corpora sua à peccatis suis in sanguine Agni, id est, in merito passionis Christi per baptismum ; *quicunque* enim *baptizati sumus*, *in mortem Christi baptizati sumus*, Paul., ad Rom.

VERS. 15. — HABITABIT SUPER ILLOS, ut Paulus, 2 Cor. ait : *Sicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis ; et inambulabo inter eos et non esurient neque sitient*, id est, rei nullius penuriâ afficientur, regente illos et pascente Agno, et ad fontes aquarum vivarum deducente.

VERS. 16. — NON ESURIENT AMPLIUS, etc. Iisdem verbis utitur Isaias ; et uterque alludit ad hieronicas, id est, sacros athletas, seu pugiles vel milites jam victores et emeritos, de quibus vide Petrum Fabrum. Hi enim priusquàm victoriâ potirentur, sæpè sitim et famem pati cogebantur, sæpè sub dio degere, atque in medio solis æstu aggeres excitare, castra vallare, muros conscendere, cum hoste manum conserere, etc. At jam victores et emeriti, ab his omnibus liberi, quiete et bravio donabantur, et, si egerent, ex publico alebantur.

VERS. 17. — AGNUS REGET, ποιμανεῖ, id est, pascet, ILLOS, nectare et mannâ cœlesti, ET VITÆ FONTIBUS AQUARUM, id est, vivis perennibusque fluentis gloriæ beatificæ et innumerabilium beneficiorum cœlestium. Quæ omnia, ut et reliqua hujus capitis, concinnè applicari possunt religiosis, aliisque ex toto dicatis Deo, ut Hieronymus Platus pulcherrimè demonstrat. (Tir.)

le fera paraître, à commencer par le verset 20 du chapitre 9.

Au reste, il est bien certain que le plus grand nombre des martyrs devait dans la suite venir des gentils. C'est aussi une des raisons pourquoi S. Jean ne les réduit pas à un nombre certain et précis, comme il avait fait les Juifs ; mais au contraire, qu'il dit qu'on ne le pouvait compter ; ce qui toutefois n'empêche pas qu'en cet endroit il n'ait principalement les Juifs en vue, comme il nous l'a fait assez connaître.

12. *En disant : Amen*, comme avaient fait les quatre animaux, v. 14. Cet *amen* répété deux fois par le chœur des anges, marque une éternelle complaisance de tous les esprits célestes dans l'accomplissement des œuvres de Dieu. Plus le reste du chapitre est intelligible, plus il mérite d'être médité, pour se laisser pénétrer le cœur des bontés de Dieu et de la félicité de ses saints.

CAPUT VIII.

1. Et cùm aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo quasi mediâ horâ.

2. Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei ; et datæ sunt illis septem tubæ.

3. Et alius angelus venit, et stetit ante altare habens thuribulum aureum : et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei.

4. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo.

5. Et accepit angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris, et misit in terram, et facta sunt tonitrua, et voces, et fulgura, et terræ motus magnus.

6. Et septem angeli qui habebant septem tubas, præparaverunt se ut tubâ canerent.

7. Et primus angelus tubâ cecinit, et facta est grando et ignis mixta in sanguine, et missum est in terram, et tertia pars terræ combusta est, et tertia pars arborum conflagrata est, et omne fenum viride combustum est.

8. Et secundus angelus tubâ cecinit ; et tanquàm mons magnus igne ardens missus est in mare, et facta est tertia pars maris sanguis,

9. Et mortua est tertia pars creaturæ eorum quæ habebant animas in mari, et tertia pars navium interiit.

10. Et tertius angelus tubâ cecinit ; et cecidit de

CHAPITRE VIII.

1. A l'ouverture du septième sceau, il y eut dans le ciel un silence d'environ une demi-heure.

2. Et je vis les sept anges qui assistent devant la face de Dieu, et on leur donna sept trompettes.

3. Alors il vint un autre ange qui se tint debout devant l'autel, portant un encensoir d'or ; et on lui donna une grande quantité de parfums, afin qu'il présentât les prières de tous les saints sur l'autel d'or, qui est devant le trône :

4. Et la fumée des parfums composés des prières des saints s'éleva devant Dieu.

5. Et l'ange prit l'encensoir, il le remplit du feu de l'autel, et il le jeta sur la terre, et il se fit des tonnerres, des voix, des éclairs, et un grand tremblement de terre.

6. Aussitôt les sept anges qui avaient les sept trompettes, se préparèrent pour en sonner.

7. Le premier ange sonna de la trompette ; il tomba sur la terre de la grêle et du feu mêlés de sang ; et la troisième partie de la terre et des arbres fut brûlée, et toute l'herbe verte fut consumée.

8. Le second ange sonna de la trompette, et il tomba sur la mer comme une grande montagne brûlante, et la troisième partie de la mer devint du sang ;

9. Et la troisième partie des créatures qui vivent dans la mer mourut, et la troisième partie des navires périt.

10. Le troisième ange sonna de la trompette, et

cœlo stella magna, ardens tanquàm facula, et cecidit in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum;

11. Et nomen stellæ dicitur Absynthium, et facta est tertia pars aquarum in absynthium; et multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt.

12. Et quartus angelus tubâ cecinit; et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunæ, et tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum, et diei non luceret pars tertia, et noctis similiter.

13. Et vidi, et audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cœli, dicentis voce magnâ : Væ, væ, væ habitantibus in terrâ, de cæteris vocibus trium angelorum, qui erant tubâ canituri.

une grande étoile ardente comme un flambeau, tomba du ciel sur la troisième partie des fleuves et sur les fontaines.

11. Le nom de l'étoile était Absynthe, et la troisième partie des eaux fut changée en absynthe, et plusieurs hommes moururent dans les eaux, parce qu'elles étaient amères.

12. Le quatrième ange sonna de la trompette, et la troisième partie du soleil fut frappée, et la troisième partie de la lune, et la troisième partie des étoiles, en sorte qu'ils furent obscurcis dans leur troisième partie, et que le jour perdit la troisième partie de sa lumière, et la nuit de même.

13. Alors je regardai, et j'entendis la voix d'un aigle qui volait au milieu de l'air, et disait à haute voix : Malheur, malheur, malheur aux habitants de la terre, à cause des autres voix des trois anges qui doivent sonner de la trompette!

COMMENTARIA.

VERS. 1. — ET CUM APERUISSET SIGILLUM SEPTIMUM. In apertione sigilli septimi, id est, novissimâ ætate, appetente judicio, post mortem Antichristi, FACTUM EST SILENTIUM MAGNUM IN CŒLO, id est, magna quies et pax in Ecclesiâ militante. Præteritum autem pro futuro in prophetiâ hâc sumitur. Facta itaque est quies cessante Antichristi persecutione, idque tantùm mediâ horâ, id est, brevi tempore, quia citò post mortem Antichristi veniet in judicium Deus.

VERS. 2. — ET VIDI SEPTEM ANGELOS STANTES. IN CONSPECTU DEI. Per hoc universitas prædicatorum intelligitur septemplici Spiritûs sancti dono insigniturum, qui sunt in conspectu Dei parati ad omnia illius mandata exequenda; ET DATÆ SUNT ILLIS SEPTEM TUBÆ, id est, tota prædicandi potestas et cura concredita.

VERS. 3. — ET ALIUS ANGELUS VENIT, ET STETIT ANTE ALTARE, HABENS THURIBULUM AUREUM. Hunc angelum nonnulli dicunt esse Christum illum magni consilii angelum, alii Michaelem principem et protectorem Ecclesiæ, sicut et olim fuit Synagogæ, uti ex Daniele constat. Primo modo angelus iste Christus est, altare crux, in quo se Deo Patri pro delictorum nostrorum expiatione victimam obtulit. Thuribulum aureum corpus ipsius, divinitatis fulgore aureum, quod benè thuribulum dicitur ob odorem suavitatis quem odoratus est in eo Pater, tum quia thus sepeliendis mortuis aptum ejus corpori aptè convenit et humanitati. Iste angelus ante altare stetit, quando facturus voluntatem Patris promptum ad immolandum in cruce se exhibuit, *habens* manu suâ *thuribulum aureum*, id est, potestatem habens *ponendi animam*, *et iterùm sumendi eam; oblatus est* enim *quia voluit*. ET DATA SUNT ILLI INCENSA MULTA; quæ sint incensa ista locus sequens declarat, cùm ait, ut daret DE ORATIONIBUS SANCTORUM OMNIUM SUPER ALTARE AUREUM QUOD EST ANTE THRONUM DEI; certè orationes sanctorum quas pro nobis fundunt, nisi in illo thuribulo reponantur, id est, nisi in Christo fundentur et super altare aureum, id est, pretiosissimum dominicæ crucis sacramentum Deo Patri offerantur, ingratæ illi sunt nec odoræ; inde Ecclesia orans et vivorum preces Deo offerens, semper concludit : *Per Dominum nostrum Jesum Christum*.

VERS. 4. — ET ASCENDIT FUMUS INCENSORUM DE ORATIONIBUS SANCTORUM, DE MANU ANGELI CORAM DEO. Id est, suavissima affectio sanctarum precum à sanctis factarum per manus Christi Deo Patri oblatarum,

1. *A l'ouverture du septième sceau...* Ce chapitre contient l'exécution de la vengeance préparée contre les Juifs au chapitre précédent, et l'union manifeste des sceaux avec les trompettes dans la prophétie de S. Jean, comme on verra v. 2.

Il faut donc se souvenir que les Juifs nous ont été représentés par notre apôtre, comme des ennemis dangereux qui devaient de nouveau être abattus; et au reste, que les élus qui étaient encore parmi eux dans la Judée, en étant tirés, il n'y avait plus rien qui empêchât la dernière dispersion que Dieu préparait à cette déloyale nation : c'est ce qu'on va déclarer à notre apôtre, quoiqu'avec des couleurs moins vives que ce qui regardera l'empire romain, Dieu ayant voulu réserver les images les plus éclatantes à la destinée de Rome, où sa puissance devait aussi paraître avec plus d'éclat.

Il y eut dans le ciel un silence d'environ une demi-heure : c'est un silence d'étonnement, dans l'attente de ce que Dieu allait décider, comme lorsqu'on attend en silence les juges qui vont se résoudre, et enfin prononcer leur jugement; et pour marquer aussi le commencement d'une grande action, et la soumission profonde de ceux qu'on doit employer à l'exécution, qui attendent en grand silence l'ordre de Dieu, et se préparent à partir au premier signal.

2. *Et je vis les sept anges qui assistent devant la face de Dieu*, c'est-à-dire, ces sept esprits principaux, dont nous avons si souvent parlé.

Et on leur donna sept trompettes; elles signifient le son éclatant de la justice de Dieu, et le bruit que vont faire ses vengeances par tout l'univers.

3. *Il vint un autre ange qui se tint debout devant l'autel.* L'autel c'est Jésus-Christ, et c'est là que l'ange apporte, comme des parfums, des prières qui ne sont reçues que par lui. Ainsi ce ministère angélique, loin d'affaiblir celui de Jésus-Christ, le reconnaît et l'honore. Cependant les protestants, offensés de voir l'intercession angélique si clairement établie dans ce passage, voudraient que cet autre ange fût Jésus-Christ même; mais quand Jésus-Christ paraît, il est bien marqué d'une autre sorte et avec une bien autre majesté, comme on a vu et comme on verra dans toute la suite. Aussi S. Jean se contente-t-il d'appeler cet ange *un autre ange*, comme les sept dont il venait de parler, et à qui on avait mis en main les trompettes.

4. *Et la fumée des parfums... s'éleva devant Dieu*, parce que l'ange les offrait sur l'autel, qui est Jésus-Christ.

ascendit coram Deo, id est, illi grata et accepta fuit. Quòd enim incensi nomine oratio significetur, constat ex Davide dicente : *Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.*

VERS. 5. — ET ACCEPIT ANGELUS THURIBULUM AUREUM, ET IMPLEVIT ILLUD DE IGNE ALTARIS, quando scilicet corpus suum hostiam Deo Patri odoram pro nobis voluntariè illi in cruce obtulit, et de igne altaris, id est, ardore et afflictione crucis et passionis implevit. ET MISIT IN TERRAM, quando sepulturæ tradi se permisit, si quidem de thuribulo intelligas quod misit in terram; sin de igne altaris intelligis, sensus est quòd ignem altaris et crucis, id est, meritum passionis suæ et crucis super nos terrenos, ut spirituales efficeret, effudit. ET FACTA SUNT TONITRUA ET VOCES, etc. Si ad litteram hæc intelligis, partim in passione moriente Christo impleta sunt; sin mysticè, tonitrua et voces prædicationum et fulgura miraculorum facta sunt, effuso in terram passionis igne, et communicato terrenis hominibus passionis sacramento; quibus ad fidem conversis, et de terrenis spiritualibus redditis, terræ motus magnus et magna mutatio facta intelligitur. Si de Michaele explicas, sic intelligendum : Angelus, Michael est, templum, Ecclesia, altare aureum, Christus, super quod Deo Patri sacrificium corporis ipsius, et alia laudum sacrificia offerimus. Thuribulum aureum, fides Christianorum et sanctorum odora et Deo placens; in quo benè incensa orationum reponuntur, quia nisi in fide fundentur orationes, Deo non sunt acceptæ; quapropter benè Jacobus ait : *Postulet in fide, nihil hæsitans.* Michael ergo stans ante altare, id est, ante Christum ad ejus exequenda mandata paratus, super ipsum orationes sanctorum in thuribulo fidei Deo Patri offert. ET IMPLEVIT *thuribulum* DE IGNE ALTARIS, quando sanctorum preces Deo Patri offerens, charitatis in Christum plenas ostendit. Et hoc igne misso in terram per angelum, id est, inspirata per angeli boni monitiones in terrenis cordibus nostri Dei et Christi charitate, facta sunt tonitrua et voces prædicationum, et fulgura miraculorum, et terræ motus, conversis à terrâ in cœlum cordibus, per fideles et Deo Christoque dilectos homines.

VERS. 6. — ET SEPTEM ANGELI QUI HABEBANT SEPTEM TUBAS PARAVERUNT SE UT TUBA CANERENT; id est, universi prædicatores ad prædicandum Dei verbum se accinxerunt.

VERS. 7. — ET PRIMUS ANGELUS TUBA CECINIT, quando in Judæâ primi omnium apostoli et discipuli dominicæ resurrectionis, adeòque nostræ justificationis angeli fuerunt et nuntii. ET FACTA EST GRANDO ET IGNIS MIXTA IN SANGUINE. Grando extrinsecum persecutionis flagellum significat; ignis, flammam pharisaicæ invidiæ et æmulationis; sanguis, crudelitatem occisionis; ea autem omnia prædicantibus apostolis evenêre, quando igne invidiæ accensi Pharisæi omni genere persecutionum ad mortem usque Dei verbum prædicantes persecuti sunt. ET MISSUM EST IN TERRAM; pro *missum est*, Græci habent ἐβλήθη, quod quanquàm sit numeri singularis, tamen propter neutrum plurale τὰ μεμιγμένα, id est, mixta, quod præcessit in plurali, aptius erat vertere : *Et missa sunt in terram*, id est, hujusmodi flagellis agitari homines in terrâ permisit Deus. ET TERTIA PARS TERRÆ COMBUSTA EST, ET TERTIA PARS ARBORUM CONCREMATA EST, ET OMNE FENUM VIRI DE COMBUSTUM EST; terram et arbores homines vocamus, terram propter terreæ molis nostræ gravitatem; arbores, propter instabilitatem nostram et levitatem. Fenum viride autem, quod speciosum est et vivax, vivacis et viridis fidei homines significat. Cùm autem omnem hominum congregationem Judæis, paganis et Christianis constare certum sit, benè in primitivâ illâ Ecclesiâ tertia pars hominum, Christiani

5. *Et l'ange prit l'encensoir, il le remplit du feu de l'autel*, des charbons qui paraissaient allumés dessus. Les charbons marquent la colère de Dieu : *Il alluma ses charbons*, Ps. 17, 14. Les tonnerres, les éclairs et le tremblement de terre en marquent l'effet dans le même psaume, v. 8. Tout cela signifie de grands changements et de grands renversements sur la terre.

C'est après que la prière des saints qui gémissaient sur la terre, est montée devant Dieu, que les charbons de sa colère tombent comme un tonnerre. Les prières des saints sont toutes puissantes, à cause que c'est Dieu même qui les forme; et c'est par là que les saints entrent dans l'accomplissement de tous ses ouvrages.

7. *Le premier ange sonna de la trompette, et il tomba sur la terre de la grêle et du feu mêlés de sang; et la troisième partie de la terre et des arbres fut consumée.* Voilà donc la terre frappée avec les arbres; la mer le sera au verset suivant, et on ne peut douter par le rapport de ces deux versets avec les versets 1, 2 et 3 du chapitre précédent, que ce ne soient les Juifs qui sont ici frappés, puisque c'étaient eux qui étaient épargnés pour un temps, comme on a vu.

La grêle et le feu mêlés de sang, signifient le commencement de la désolation des Juifs sous Trajan, dont il a été parlé dans l'Hist. abrégée, n. 2. *La troisième partie de la terre;* on marque seulement la troisième partie, quand la menace ne regarde ni la totalité, ni la plus grande partie. *Et toute l'herbe verte fut consummée. L'herbe c'est le peuple*, Is. 40, 7, principalement la jeunesse, où consiste l'espérance de la nation, et c'est ce qui périt dans les guerres. On voit ici la désolation des Juifs vivement représentée par la comparaison d'une belle et riche campagne que la grêle aurait désolée; mais on va voir quelque chose de plus affreux.

8. *Le second ange... et une grande montagne brûlante...* C'est la seconde et dernière désolation des Juifs sous Adrien. *(V. Hist. abrég. n. 3.)* La grande montagne, c'est une grande puissance; c'est pourquoi l'empire du Fils de Dieu est désigné *par une grande montagne*, Dan. 2, 34. Et en parlant de l'empire de Babylone : *Qui es-tu, ô grande montagne!* Zachar. 4, 7. *Je parle à toi, montagne pernicieuse*, Jérém. 51, 25.

Une grande montagne brûlante. Il faut ici se représenter de ces montagnes qui vomissent du feu. Une grande montagne ainsi brûlante est une grande puissance qui accable et qui consume tout ce sur quoi elle tombe. Mais nous avons vu dans l'Hist. abrégée n. 6, combien de sang coûta aux Romains cette défaite des Juifs. Saint Jean ne pouvait pas mieux représenter ces pertes de l'armée romaine dans ses sanglantes victoires, qu'en nous représentant toute cette guerre comme la chute d'une montagne brûlante dans la mer, parce qu'il paraît ici par ce moyen comme entre le feu et l'eau, une action réciproque et un grand effort de part et d'autre, avec une perte mutuelle; mais le

4. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quòcumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno:

5. Et in ore eorum non est inventum mendacium; sine maculâ enim sunt ante thronum Dei.

6. Et vidi alterum angelum volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, et super omnem gentem, et tribum, et linguam, et populum,

7. Dicens magnâ voce: Timete Dominum, et date illi honorem, quia venit hora judicii ejus; et adorate eum, qui fecit cœlum et terram, mare et fontes aquarum.

8. Et alius angelus secutus est dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes.

9. Et tertius angelus secutus est illos, dicens voce magnâ: Si quis adoraverit bestiam, et imaginem ejus, et acceperit characterem in fronte suâ, aut in manu suâ,

10. Et hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, et cruciabitur igne et sulphure in conspectu angelorum sanctorum et ante conspectum Agni:

11. Et fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum; nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam, et imaginem ejus, et si quis acceperit characterem nominis ejus.

12. Hîc patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, et fidem Jesu.

13. Et audivi vocem de cœlo, dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos.

14. Et vidi, et ecce nubem candidam, et super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, et in manu falcem acutam.

CHAPITRE XIV

1. Je regardai encore, et je vis l'Agneau debout sur la montagne de Sion, et avec lui cent quarante-quatre mille qui avaient son nom et le nom de son Père écrit sur le front.

2. Et j'entendis une voix du ciel, comme le bruit de grandes eaux, et comme le bruit d'un grand tonnerre; et le bruit que j'entendis était comme le son de plusieurs joueurs de harpes, qui touchent leurs harpes.

3. Ils chantaient comme un cantique nouveau devant le trône, et devant les quatre animaux et les vieillards; et nul ne pouvait chanter ce cantique, que les cent quarante-quatre mille qui ont été rachetés de la terre.

4. Ceux-ci ne se sont pas souillés avec les femmes, parce qu'ils sont vierges. Ce sont eux qui suivent l'Agneau partout où il va; ils sont achetés d'entre les hommes, pour être les prémices consacrées à Dieu et à l'Agneau.

5. Il ne s'est point trouvé de mensonge dans leur bouche, parce qu'ils sont purs devant le trône de Dieu.

6. Je vis un autre ange qui volait par le milieu du ciel, portant l'Évangile éternel, pour l'annoncer aux habitants de la terre, à toute nation, à toute tribu, à toute langue et à tout peuple.

7. Il disait à haute voix: Craignez le Seigneur, et donnez-lui gloire, parce que l'heure de son jugement est venue; et adorez celui qui a fait le ciel et la terre, la mer et les fontaines.

8. Un autre ange suivit, et dit: Babylone est tombée, elle est tombée cette grande ville, qui a fait boire à toutes les nations du vin de la colère de sa prostitution.

9. Et un troisième ange suivit ceux-ci, criant à haute voix: Celui qui adorera la bête et son image, et qui portera son caractère sur son front, ou dans sa main,

10. Celui-là boira du vin de la colère de Dieu, qui est préparé pur dans le calice de sa colère; et il sera tourmenté dans le feu et dans le soufre devant les saints anges, et en présence de l'Agneau.

11. Et la fumée de leurs tourments s'élèvera dans les siècles des siècles, et il n'y aura de repos ni jour ni nuit pour ceux qui auront adoré la bête et son image, et qui auront porté le caractère de son nom.

12. Ici est la patience des saints qui gardent les commandements de Dieu et la foi de Jésus.

13. Alors j'entendis du ciel une voix qui me dit: Écris: Heureux sont ceux qui meurent dans le Seigneur; dès maintenant, dit l'Esprit, ils se reposeront de leurs travaux; car leurs œuvres les suivent.

14. Et je regardai, et je vis une nuée blanche, et quelqu'un assis sur la nuée semblable au Fils de l'Homme, ayant sur la tête une couronne d'or, et en sa main une faux tranchante

15. Et alius angelus exivit de templo, clamans voce magnâ ad sedentem super nubem : Mitte falcem tuam, et mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ.

16. Et misit qui sedebat super nubem falcem suam in terram, et demessa est terra.

17. Et alius angelus exivit de templo quod est in cœlo, habens et ipse falcem acutam.

18. Et alius angelus exivit de altari, qui habebat potestatem supra ignem ; et clamavit voce magnâ ad eum qui habebat falcem acutam, dicens : Mitte falcem tuam acutam, et vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ sunt uvæ ejus.

19. Et misit angelus falcem suam acutam in terram, et vindemiavit vineam terræ, et misit in lacum iræ Dei magnum :

20. Et calcatus est lacus extra civitatem, et exiit sanguis de lacu usque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta.

15. Alors un autre ange sortit du temple, criant à haute voix à celui qui était assis sur la nuée : Jetez votre faux et moissonnez ; car le temps de moissonner est venu, parce que la moisson de la terre est mûre.

16. Celui donc qui était assis sur la nuée, jeta sa faux sur la terre, et la terre fut moissonnée.

17. Et un autre ange sortit du temple qui est dans le ciel, ayant aussi une faux tranchante.

18. Il en sortit de l'autel encore un autre, qui avait pouvoir sur le feu ; et il cria à haute voix à celui qui avait la faux tranchante : Jetez votre faux tranchante, et vendangez les raisins de la vigne de la terre, parce qu'ils sont mûrs.

19. Alors l'ange jeta sa faux tranchante sur la terre, et vendangea la vigne de la terre ; et il en fit jeter les raisins dans la grande cuve de la colère de Dieu.

20. Et la cuve fut foulée hors de la ville ; et le sang sorti de la cuve monta jusqu'aux brides des chevaux par l'espace de mille six cents stades.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — ET VIDI, spirituali visione, ET ECCE AGNUS ; Christus propter vitæ puritatem et innocentiam stabat paratus ad auxiliandum ; SUPRA MONTEM SION, id est, Ecclesiam, cui præsidebat. Quid enim Sion (quæ speculans interpretatur) aliud significat quàm triumphantem illam Ecclesiam, quæ jam revelatâ facie Domini gloriam speculatur ? ET CUM EO CENTUM QUADRAGINTA QUATUOR MILLIA ; est autem numerus definitus pro indefinito ; HABENTES NOMEN EJUS ET NOMEN PATRIS EJUS SCRIPTUM IN FRONTIBUS SUIS, id est, fidem et charitatem quâ *filii et hæredes Dei, cohæredes autem et fratres Christi* dicuntur, palàm et intrepidè præferentes ; hoc enim significat τὸ *in frontibus* ; hîc autem ex litteræ sequentis contextu non universus beatorum cœtus, sed eorum qui unà cum reliquis virtutibus, virginitate insignes fuerant, describitur.

VERS. 2. — ET AUDIVI VOCEM DE CŒLO. In visione enim audiebat sanctorum laudes, et quas Deo agebant gratiarum actiones ; vocem autem audisse se dicit, TANQUAM AQUARUM MULTARUM, quia aquarum nomine populi nonnunquàm intelliguntur. Quidam interpretantur, *tanquàm multorum populorum* ; mihi videtur alludere Joannes ad impetum multarum aquarum cùm rupi aut saxo illidunt ; tunc enim sonum edunt vehementem : *vocem* ergo *aquarum multarum*, id est, vocem sonoram valdè et plenam affectionum : quod etiam significans ait : ET TANQUAM VOCEM TONITRUI ; nec sonoram modò et vehementis affectionis vocem significavit, sed suavitatis plenam, cùm CITHARÆDORUM eam cantibus comparavit.

VERS. 3. — ET CANTABANT QUASI CANTICUM NOVUM. Hîc τὸ *quasi* non negat veritatem rei, sed asseverat potiùs, ut in Evangelio Joannes de Christo ait : *Vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti*, id est, tanquàm Unigeniti, hoc est, gloriam quam habere par est verè Dei Unigenitum : ii *cantabant canticum novum*, de novis ac recentibus beneficiis sibi per Christum in novo Testamento allatis ; cantabant autem ANTE SEDEM, id est, ante angelos qui sedes Dei dicuntur ; ET QUATUOR ANIMALIA, id est, quatuor evangelistas, ET SENIORES, id est, reliquos apostolos, patriarchas et prophetas ; ET NEMO POTERAT DICERE CANTICUM, NISI ILLA CENTUM QUADRAGINTA QUATUOR MILLIA, QUI EMPTI SUNT DE TERRA, id est, pretioso sanguine Agni de terrenâ et carnali conversatione redempti, ut cum Paulo in carne degentes extra carnem viverent ; canticum autem quod nemo alius dicere poterat, canticum est quo de concessâ sibi virginitatis glorià Deo gratias agebant ; unde subdit

VERS. 4. — HI SUNT QUI CUM MULIERIBUS NON SUNT COINQUINATI, VIRGINES ENIM SUNT. Sunt qui de virginitate animi omnium beatorum explicent, quam integram fieri vel per baptismum, vel per pœnitentiam dicunt ; mihi, cùm mulierum commixtionem propo-

1. *Je regardai encore, et je vis sur la montagne de Sion.* Après l'affreux spectacle des persécutions, S. Jean nous fait tourner les yeux vers un objet plus agréable, qui est celui de la gloire des saints. *Cent quarante-quatre mille*..... C'est le nombre consacré à l'universalité des saints, encore qu'il semble ne comprendre que ceux des Juifs (*sup.* chap. 7). Mais c'est qu'on entend le tout par les premiers, et que le nombre de douze, racine de celui-ci, est également sacré dans la Synagogue et dans l'Eglise.

Son nom et le nom de son Père écrits sur le front, en signe de la glorieuse servitude par laquelle ils lui ont été dévoués, comme on vient de voir. *Le nom de Dieu et de Jésus-Christ écrit sur leurs fronts*, figure la profession de la piété chrétienne jusqu'à la fin ; et c'est la marque des élus de Dieu.

2. *Comme le bruit de grandes eaux, et comme le bruit d'un grand tonnerre, et.... comme le son de plusieurs joueurs de harpes.* Le bruit des eaux et du tonnerre marque une joie abondante, et celui des instruments de musique, une joie réglée.

3. *Nul ne pouvait chanter ce cantique.* Le Grec dit *apprendre.* La félicité des saints *ne monte pas dans le cœur de l'homme* (1 Cor. 2, 9), et il faut l'avoir expérimentée pour la comprendre.

4. *Ceux-ci ne se sont pas souillés avec les femmes, car ils sont vierges.* Ce sont des âmes innocentes et courageuses, qui ne se sont pas mêlées dans les faiblesses

nat, simpliciùs de verâ virginitate loqui videtur, ut ad eam homines incitet; de quibus ob meritum virginitatis ait: Ii SEQUUNTUR AGNUM, id est, Christum, QUOCUMQUE IERIT. Si enim de ministris suis in genere ille dicit: *Si quis mihi ministret, me sequatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit*, rectè sequi illum dicuntur, qui virginitatis exemplo illi ministrârunt. Ii EMPTI SUNT EX HOMINIBUS, id est, de impudicâ hominum conversatione redempti, ut ne unà cum hominibus et carnalibus polluerentur; empti sunt autem tanquàm PRIMITIÆ DEO ET AGNO, id est, Agni sanguine, ut ipsius ac Dei essent tanquàm primitiæ, id est, præcipui fructus et Deo gratiores.

VERS. 5. — NEQUE IN ORE EORUM INVENTUM EST MENDACIUM. Quidam Græci codices habent δόλος, id est, *dolus;* Dionysianus codex ψεῦδος, id est, mendacium.

VERS. 6. — ET VIDI ALTERUM ANGELUM, sive angelum simpliciter, nam Dionysianus codex non habet ἄλλον, id est, *alium*, neque de quoquam angelo adhuc hoc capite facta est mentio. Vidi ergo *angelum*, id est, cœtum prædicatorum, VOLANTEM PER MEDIUM CŒLUM, id est, per mediam Ecclesiam prædicationis munus celeriter et alacriter obeuntem. HABENTEM EVANGELIUM ÆTERNUM, doctrinam scilicet Christi, quæ ob faustum lætumque justificationis et redemptionis nuntium mortalibus mortuis allatum, rectè Evangelium dicitur, et æternum, quia non sicut olim Judæis temporalia, sed æterna bona pollicetur. Vidi ergo illum habentem Evangelium, UT EVANGELIZARET SEDENTIBUS IN TERRA, id est, terram et orbem habitantibus, ne immoremur in mysticâ significatione; id enim sequentia verba explicant, SUPER OMNEM GENTEM ET TRIBUM, etc.

VERS. 7. — DICEBAT AUTEM VOCE MAGNA, id est, affectione multâ, et revera apparebat Joanni tanquàm voce aliâ loquens et dicens: TIMETE DOMINUM, ET DATE ILLI HONOREM, QUIA VENIT DIES JUDICII EJUS, sive in morte particularis cujusque, sive universalis omnium post resurrectionem; hoc autem subdit, ut qui non ducuntur virtutis amore, agantur saltem judicii timore, quos jubet adorare omnium Conditorem, etiam et fontium, ut minima quæque nostri gratia illi curæ esse ostendat.

VERS. 8. — ET ALIUS ANGELUS SECUTUS EST DICENS; invitatis per priorem angelum ad Deum adorandum et honorandum hominibus, alterum proponit, qui terrenorum hominum et Dei negligentium ruinam prædicet dicens: CECIDIT, CECIDIT BABYLON ILLA MAGNA. Quidam Græci codices addunt πόλις, id est, *civitas*, Dionysianus non addit. Babylon autem quæ *confusio* interpretatur, civitatem diaboli et reproborum significat communionem, quæ cùm se per superbiam adversùs fideles erexisset, nunc cecidisse dicitur, id est, extincto principe suo diabolo et Antichristo, vim potestatemque suam perdidisse. QUÆ A VINO IRÆ FORNICATIONIS SUÆ POTAVIT GENTES, id est, quæ impietatis et idololatriæ furore inebriata, et cum diis alienis (vero Deo cui uni adhærere debebat relicto) fornicata, potavit omnes gentes, quando se invicem Babylonis illius cives, id est membra diaboli ad impietatem et idololatriam provocaverunt.

VERS. 9. — ET TERTIUS ANGELUS SECUTUS EST ILLOS DICENS VOCE MAGNA: SI QUIS ADORAVERIT, id est, si quis quoquo pacto in illius impietatem consenserit ac nomen dederit, HIC BIBET DE VINO DEI, QUOD MIXTUM EST MERO, IN CALICE IRÆ IPSIUS. Græca habent: *Hic bibet de vino mero iræ Dei, quod sibi* scilicet *mixtum est, in calice iracundiæ ipsius;* et sic ordinanda lectio interpretis est: Hic bibet de vino iræ Dei mero in calice iræ ipsius, quod quidem vinum iræ Dei mixtum est, subaudi illi; non enim intelligas vinum esse mixtum mero, sed quòd merum vinum iræ Dei nullâ temperatum aquâ misericordiæ, illi mixtum est, id est, datum ad bibendum. Miscere enim dicitur non modò qui aquam diluit, sed qui vinum fundit: iis autem verbis nil aliud vult Joannes quàm bestiæ adoratores gravem Dei iram et ultionem manere. Et qui ADORAVERIT BESTIAM,

VERS. 10, 11. — CRUCIABITUR IGNE, vel gehennæ

humaines; ainsi parle l'Apôtre: *Je vous ai promis*, dit-il, *comme une vierge chaste à un seul époux, qui est Jésus-Christ* (2 Cor. 11, 2). Ce sens, qui est le littéral, n'empêche pas que S. Jean n'ait aussi voulu tracer quelque chose des prérogatives de ceux qui ont vécu dans une perpétuelle continence, parmi lesquels les saints Pères lui ont donné le premier rang. Saint Augustin leur applique ce passage. Ils chantent un cantique particulier, comme ils pratiquent une vertu au-dessus du commun; leur joie est d'autant plus abondante, qu'ils se sont plus élevés que les autres hommes au-dessus de la joie des sens. *Ils suivent l'Agneau partout où il va*, parce que non contents de le suivre dans la voie de ses préceptes, ils le suivent même dans la voie des conseils: *L'Agneau marche*, dit S. Augustin, *par un chemin virginal; sa chair formée d'une Vierge est toute vierge; et il ne pouvait pas n'être point soigneux de conserver en lui-même ce qu'il avait conservé en sa sainte Mère, même en naissant de son sein.*

6. *Je vis un autre ange qui volait par le milieu du ciel, portant l'Evangile éternel*... Après que l'Évangile de Jésus-Christ eut éclaté avec tant de force au milieu du monde, il était temps de punir ceux qui n'y avaient pas voulu croire. C'est aussi ce qui va paraître. *L'Évangile éternel*, qui ne change plus, à la différence de la loi de Moïse, qui devait être abrogée, et ne pouvait d'elle-même *mener les hommes à la perfection*, et à la vie éternelle (*Hebr.* 7, 19).

7. *Il disait à haute voix*. Un premier ange annonce en général les jugements de Dieu: *L'heure est venue*, disait-il, de les faire éclater sur Rome persécutrice, dont la punition sera une image du dernier jugement de Dieu.

8. *Un autre ange*... Cet autre ange explique en particulier la chute prochaine de Babylone, c'est-à-dire de l'empire et de l'idolâtrie romaine.

Babylone est tombée, elle est tombée... Dans la lumière prophétique on voit déjà comme fait ce qui doit être bientôt accompli.

9. *Un troisième ange*... Celui-ci emploie les menaces des deux autres pour détourner les hommes de l'idolâtrie, comme s'il disait: Elle va tomber avec son empire, cette ville si redoutée; elle va tomber; ne vous laissez pas séduire par ses illusions, ni effrayer par sa puissance.

10. *Celui-là boira du vin qui est préparé pur;* ce sont les paroles du psaume 24, v. 9, où le Psalmiste met dans la main de Dieu une coupe pleine de vin pur, qui signifie la vengeance divine, dont les méchants

reali scilicet igne, vel igne suæ conscientiæ perpetuò illum urentis, aut utroque potiùs; ET SULPHURE, id est, fœtore suarum libidinum, quæ tantò illi erunt fœtidiores, quantò in carne videbantur suaviores; cujus ignis et cruciatûs fumum dicit coram Christo et angelis in cœlum ascendere, quia Christo et beatis videntibus in perpetuum torquebuntur impii; nec ulla erit illorum requies.

VERS. 12. — HIC PATIENTIA SANCTORUM EST; QUI CUSTODIUNT MANDATA DEI ET FIDEM JESU. Vides non sufficere fidem, nisi adjungantur et opera et mandatorum Dei observatio. *Hic* autem, id est, in hoc est, *sanctorum patientia*, quòd dùm malos et impios puniri audiunt, se præmiatum iri confidunt.

VERS. 13. — ET AUDIVI VOCEM DICENTEM MIHI : SCRIBE, id est, nota et attende, et tanquàm annotatione dignum in libro tuo scribe : BEATI MORTUI QUI IN DOMINO MORIUNTUR, id est, qui in fide et confessione Christi Domini moriuntur. Græca Scholia exponunt, *mortuos in Domino*, mortuos peccato et mundo, mortificationem scilicet Jesu in suo corpore circumferentes; AMODO DICIT SPIRITUS. Græci addunt ναί, id est, *sanè*, hoc est, amodò sanè, vel posthàc, *dicit*, sub. fore, aut *dicit*, id est, jubet *Spiritus*, vel spiritus ille angelicus, vel Spiritus sanctus, qui per angelum revelabat Joanni, *dicit*, inquam, fore UT REQUIESCANT A LABORIBUS SUIS, quos Christi nomine pertulerunt. OPERA ENIM ILLORUM SEQUUNTUR ILLOS, id est, merces per gratuitam Dei liberalitatem illorum promissa bonis operibus.

VERS. 14.—ET VIDI, ET ECCE NUBEM CANDIDAM; post enumeratam beatorum quietem, subdit malorum damnationem, asserens se vidisse nubem candidam, ET SIMILEM FILIO HOMINIS, Christum scilicet, aut alium similitudine Christi angelum SUPER NUBEM SEDENTEM, *nubem*, inquam, *candidam*; per quam nubem Christi carnem quidam intelligunt innocentiæ puritate candidam; mihi simpliciùs videtur velle Joannes dicere vidisse se illum in nube venientem. Sicut enim in nube eâque lucidâ assumptus est in cœlum, unde ascendenti nubes non obstitit quin aspectabilis videretur, et ita eum venturum quomodò erat assumptus angeli testati sunt, sic eum in nube venientem vidit Joannes, et sedentem; quippe qui ad judicium veniret. Stare enim Christus dicitur interpellans, sedere judicans. Vidit igitur eum sedentem, ET HABENTEM IN CAPITE CORONAM AUREAM, per quam regia Christi dignitas et auctoritas designatur. ET IN MANU EJUS FALCEM ACUTAM, per quam judiciaria significatur potestas; potest etiam intelligi habere coronam ad præmiandum bonos, falcem ad perdendum impios.

VERS. 15. — ET ALIUS ANGELUS EXIVIT DE TEMPLO; per alium angelum angelicas innuit potestates de templo Ecclesiæ triumphantis exisse obviàm Christo super nubem sedenti; ET VOCE MAGNA, id est, ardenti desiderio ad eum clamâsse : MITTE FALCEM, id est, exere judicium; falx enim judiciariam potestatem significat; nam sicut falce omnem messor amputat segetem bonam ac malam, unà scilicet cum tritico zizania, ut postmodùm triticum in horreum, zizania foràs mittat, ita angelorum ministerio tanquàm falce omnes succidet ante generalem resurrectionem bonos et malos Christus. *Mitte* ergo, inquit, *falcem*, QUIA VENIT HORA UT METATUR, id est, ut judicium exeratur; QUONIAM ARUIT MESSIS TERRÆ; cùm enim plenitudine gentium ingressâ salvus erit Israel, factumque fuerit unum ovile et unus

boiront jusqu'à la lie. *Devant les saints anges, et en présence de l'Agneau*; il n'y a rien de plus cruel que de se voir misérablement périr aux yeux de ceux qui ne demandaient que notre salut.

11. *Et la fumée de leur tourment s'élèvera* comme un sacrifice éternel de la justice divine.

12. *Ici est la patience des saints;* c'est ici qu'ils doivent apprendre à souffrir des supplices temporels pour éviter les éternels.

13. *Qui meurent dans le Seigneur;* c'est en général tous les saints, et en particulier les saints martyrs, qui meurent pour l'amour de lui.

14. *Et je regardai, et je vis une nuée blanche.* Après la dénonciation du jugement de Dieu sur l'empire romain plein d'idolâtrie, en voici l'exécution, mais encore sous des idées générales de la moisson et de la vendange. *Jetez les faucilles, parce que la moisson est mûre; descendez, parce que le pressoir est plein*, Joël, 3, 13; pour exprimer la vengeance de Dieu sur les ennemis de son peuple.

Et quelqu'un assis sur la nuée, semblable au Fils de l'homme. Le Fils de l'homme c'est Jésus-Christ. Ceux qui veulent que ce soit ici un ange avec une figure humaine seulement, ne songent pas que les anges qui paraissent dans tout ce livre ont pour la plupart la figure d'homme; mais, pour montrer quelque chose d'extraordinaire, S. Jean ne dit pas, selon la coutume, que c'était un ange, mais il dit que c'était quelqu'un, ce qui joint avec le reste nous donne une idée plus haute.

Semblable au Fils de l'homme. C'est un caractère de Jésus-Christ dans cette prophétie, 1, 13. On sait aussi que Notre-Seigneur se donne très-souvent ce nom dans son Evangile; ce qui a donné lieu à Daniel de parler de lui sous le même titre : c'est à l'endroit où il voit, comme S. Jean, *quelqu'un semblable au Fils de l'homme, qui paraît sur les nuées, et s'approche de l'Ancien des jours, qui lui donne l'empire souverain sur tous les peuples du monde* (Dan. 7, 13, 14). S. Jean regarde manifestement à cette prophétie. Au reste, je ne veux point révoquer en doute que dans Daniel et dans S. Jean, si quelque chose leur apparaissait au dehors, ce ne fussent en effet des anges; mais je veux dire seulement qu'ils portaient un caractère plus haut que celui du ministère angélique, et représentaient la personne de Jésus-Christ.

S. Jean lui donne en peu de mots, et en deux ou trois grands traits, quelque chose de divin. Il est assis comme juge. Joël ci-devant cité : *Je serai assis pour juger*, 3, 12, et Jésus-Christ se représente lui-même *assis sur le siége de sa majesté* (Matth. 25, 32; c'est-à-dire sur une nuée, conformément à ce qu'il dit qu'*il viendra sur les nuées avec grande puissance et majesté* (Matth. 25, 31), comme aussi il vient de nous être représenté par Daniel.

Sur la tête une couronne d'or; c'est la marque de son empire souverain. *En sa main une faux tranchante;* ce qui le fait voir prêt à la vengeance. Il faut remarquer que c'est Jésus-Christ lui-même qui va frapper; ce n'est point un ange comme ailleurs, c'est le Fils de l'homme; ce qui nous fait entendre le grand coup donné sur Rome avec toute la force d'une main divine.

15. *Un autre ange... Jetez votre faux... le temps... est venu.* Tout se fait en un temps certain et déterminé, et l'ange vient rendre compte au juge que tout est disposé.

pastor, Judæorum scilicet et gentium, jam aruisse terra dicetur, id est, ad perfectam bonorum maturitatem pervenisse, quia completo electorum numero, nullum ampliùs de novo fructum faciet. Sancti ergo angeli et beati ad consummationem suæ beatitudinis studiis omnibus accelerationem judicii expetunt; unde ad eorum preces misit Christus falcem suam in terram, et messuit eam per mortem omnes succidendo, et bonos purumque triticum in æterni Patris horrea collocando, malos autem et zizania in baratrum, ubi perpetuò ardeant, præcipitando,

VERS. 16. — ET ALIUS ANGELUS, etc. Mihi, omissâ interpretationum varietate, magis arridet ea quæ Scripturis est conformior, ut per hunc angelum intelligamus angelorum cœtum, quorum ministerio in judicio usurus est Christus. Et cùm ille, Matth. 13, in parabolâ zizaniorum testetur quòd *messis est consummatio seculi, messores autem sunt angeli*, et quòd *mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et mittent in caminum ignis*, rectiùs per hunc angelum falcem habentem in manu cœtus ille angelorum videtur intelligendus, ad peragendum Christi jussu et imperio judicium paratus. Unde et judiciariam falcem habere in manu dicitur, id est, paratam.

VERS. 17. — ET ALIUS ANGELUS EXIVIT DE ALTARI TEMPLI. Cùm superiùs, templum cœlum, altare Christum esse dixerimus, alius angelus visus est Joanni de altari exiens, id est, à Christo vero altari in quo sacrificia Ecclesiæ offeruntur, missus ; qui quidem angelus HABEBAT POTESTATEM SUPRA IGNEM, ignem scilicet conflagrationis, quia angelico ministerio ignis conflagrationis per terram et aerem effundetur ; ET CLAMAVIT AD EUM QUI HABEBAT FALCEM ACUTAM, DICENS : MITTE FALCEM TUAM ACUTAM, id est, exere judiciariam potestatem.

VERS. 18. — ET VINDEMIA BOTROS VINEÆ TERRÆ, id est, amputa malos et impios, qui per botros terrestris et carnalis vineæ intelliguntur; electi enim botri sunt vineæ Dei ; reprobi, botri vineæ terræ. *Vindemia* ergo *vineæ terrestris botros*, QUONIAM MATURÆ SUNT UVÆ EJUS, id est, consummatæ iniquitates Amorrhæorum ; maturæ nempe dicuntur uvæ reproborum, quando usque ad completam malitiam et profundum malorum devenerunt.

VERS. 19. — ET MISIT ANGELUS FALCEM SUAM..., ET VINDEMIAVIT VINEAM TERRÆ, auferendo de terrâ malignos et impios ; ET MISIT IN LACUM IRÆ DEI. Lacus autem hìc vas significat ad excipiendam vindemiam factum, quo metaphoricè infernus significatur. Hoc loco Græcum verbum λῆνὸς *torcular* significat ; undè subdit,

VERS. 20. — ET CALCATUS EST LACUS, id est, ipsi in lacu positi reprobi, calcati sunt à diabolis ; calcati sunt autem EXTRA CIVITATEM, id est, extra Ecclesiam, à cujus consortio se subduxerunt impii. ET EXIVIT SANGUIS DE LACU USQUE AD FRENOS EQUORUM PER STADIA MILLE SEXCENTA. Hyperbolica est locutio, significans immensam et propè infinitam fuisse damnatorum pœnam et ultionem. Tunc enim immensa est prælii quantùmcumque asperi et immanis crudelitas, quando *per stadia mille sexcenta, usque ad frena equorum* præ occisorum multitudine, sanguis ascendit.

16. *Et la terre fut moissonnée.* Rome, la reine des villes, est frappée ; l'empire romain est désolé par Alaric et les Goths.

17. *Et un autre ange.* Un autre, par rapport à ceux dont il est parlé dans ce chapitre et dans toute cette prophétie. Ce n'est donc pas ici le Fils de l'homme, c'est un ange qui doit frapper ; et ce coup ne doit pas être si rude que le premier, encore qu'on y aille voir beaucoup de sang répandu.

18. *Encore un autre qui avait pouvoir sur le feu*, qui allume les guerres, et qui excite l'ardeur des combats. Il sort d'auprès de l'autel où étaient les charbons ardents (*sup.* 8, 5). *Et vendangez les raisins...* Ce pourrait être une autre peinture de la même action, comme ci-dessus, v. 14, dans Joël, si un autre exécuteur et un autre ordre, que nous voyons ici paraître, ne nous montrait aussi une autre action.

20. *Et la cuve fut foulée hors de la ville.* Tantôt la ville se prend pour tout l'empire romain, et tantôt pour Rome même, sans y comprendre son empire, chap. 17, v. 9, 18. J'entends ici Attila, qui, ravageant l'Italie et beaucoup d'autres provinces, épargna Rome par respect pour S. Léon.

Le sang... jusqu'aux brides des chevaux par l'espace de mille six cents stades ; c'est environ soixante-sept lieues communes ; exagération qui représente la grande quantité de sang répandu, et l'étendue des pays ravagés ; ce qui convient parfaitement au temps d'Attila. Voilà donc ici deux grands fléaux dont Rome est frappée comme coup sur coup ; le premier et le plus rude sur elle-même, et il fait tomber son empire sous Alaric en l'an 410 ; le second dans les provinces, où elle fut épargnée ; mais tout le reste de l'Occident nageait dans le sang sous Attila dans les années 451 et 452

CAPUT XV.

1. Et vidi aliud signum in cœlo magnum et mirabile, angelos septem, habentes plagas septem novissimas ; quoniam in illis consummata est ira Dei.

2. Et vidi tanquàm mare vitreum mistum igne, et eos qui vicerunt bestiam, et imaginem ejus, et numerum nominis ejus stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei :

3. Et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni, dicentes : Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens ; justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex seculorum.

4. Quis non timebit te, Domine, et magnificabit

CHAPITRE XV.

1. Je vis dans le ciel un autre prodige grand et merveilleux : sept anges portant les sept dernières plaies, par lesquelles la colère de Dieu est arrivée à sa fin.

2. Et je vis comme une mer claire à la manière du verre, mêlée de feu, et ceux qui avaient vaincu la bête et son image, et le nombre de son nom, qui étaient debout sur cette mer claire comme du verre, tenant des harpes de Dieu.

3. Et ils chantaient le cantique de Moïse, serviteur de Dieu, et le cantique de l'Agneau, en disant : Vos ouvrages sont grands et admirables, ô Seigneur Dieu tout-puissant ! ô roi des siècles, vos voies sont justes et véritables !

4. Qui ne vous craindra, ô Seigneur, et qui ne glo-

nomen tuum? quia solus pius es; quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt.

5. Et post hæc vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in cœlo;

6. Et exierunt septem angeli habentes septem plagas, de templo, vestiti lino mundo et candido, et præcincti circa pectora zonis aureis.

7. Et unum de quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viventis in secula seculorum.

8. Et impletum est templum fumo à majestate Dei, et de virtute ejus; et nemo poterat introire in templum donec consummarentur septem plagæ septem angelorum.

rifiera votre nom? car vous seul êtes miséricordieux; et toutes les nations viendront et se prosterneront en votre présence, parce que vos jugements se sont manifestés.

5. Après cela je regardai, et je vis que le temple du tabernacle du témoignage s'ouvrit dans le ciel.

6. Et sept anges sortirent du temple, portant sept plaies; ils étaient vêtus d'un lin net et blanc, et ceints sur la poitrine de ceintures d'or.

7. Alors un des quatre animaux donna aux sept anges sept coupes d'or pleines de la colère de Dieu, qui vit dans les siècles des siècles.

8. Et le temple fut rempli de fumée, à cause de la majesté et de la puissance de Dieu; et nul ne pouvait entrer dans le temple, jusqu'à ce que les sept plaies des sept anges fussent accomplies.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Et vidi septem angelos, id est, angelorum universitatem; septenarii enim nomine ferè in Scripturâ significari solet universitas; *septem* ergo *angelos*, inquit, vidi, habentes septem plagas novissimas, id est, paratos omni plagarum et suppliciorum genere reprobos perdere; plagas autem has novissimas vocat utpote novissimâ ætate inferendas, et quia post nullis plagis orbem affecturus est Deus; unde et subdit: Quoniam in illis consummata est ira Dei: per has enim plagas ablatis de areâ mundi et Ecclesiæ improbis, post universale videlicet judicium, nulli supererunt in mundo, erga quos denuò vindicta divina sæviat.

Vers. 2. — Et vidi tanquam, etc. Mare istud baptismus est, quo in regenerationis lavacro immergimur; nec abs re mari comparatur; sicut enim omnes mundi sordes mare excipit et eluit, ita omnes omnium peccatorum sordes et maculas baptismus eluit, nec inde inficitur; vitreum autem dicitur, propter sinceram, puram et lucidam fidei claritatem quæ sicut et vitrum ab impuro tangi non admittit; benè autem baptismi mare igne mixtum dicitur, igne videlicet Spiritûs sancti, qui in baptismo mittitur, et *ignis* à Joanne Baptistâ dicitur, Joan. 3, de Christo loquente: *Ille vos baptizabit Spiritu sancto et igne.* Et eos qui vicerunt bestiam, etc., subaudi, vidi stantes: illos, inquam, qui se passi non sunt à bestiâ vinci, ut illam colerent, aut in fidem ejus nomen darent; *vidi* ergo, inquit, *eos qui bestiam* spiritualiter *vicerunt*, quanquàm ab eâ corporaliter victos et occisos, stantes supra mare vitreum, id est, gratiæ baptismali sacramentorumque fidei firmiter innitentes; habentes citharas Dei, citharas quæ fidibus constant ex intestinis mortuorum animantium confectis; Græca Scholia explicant, mortificationes membrorum quas in corpore suo fideles circumferunt. Mihi cithara nonnunquàm pro gaudio et exultatione sumi videtur, ut Job 3: *Versa est in luctum cithara mea*, id est, lætitia, et hoc modo sensus esset, *habentes citharas Dei*, id est, gaudentes et exultantes Deo.

Vers. 3. — Et cantantes canticum Moysi, et canticum Agni, id est, Christi, hoc est, utriusque novi scilicet ac veteris Testamenti Scripturis Deum laudantes ac dicentes: Magna et mirabilia sunt opera tua. Hujus cantici facilis est intellectus. Justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex seculorum, id est, Rex æterne. Viæ autem Dei mandata sunt ipsius, per quæ ut in regnum cœlorum perveniamus, ingredi nos oportet. *Justæ* istæ sunt, dicente David: *Justus Dominus in omnibus viis suis*; similiter et *veræ*, dicente eodem, psal. 118: *Omnes viæ tuæ veritas*: nihil enim nisi justum præcipit, nil nisi verum et certum pollicetur Deus.

Vers. 4. — Quis non timebit te, Domine? id est, omnes timebunt. Sic Isaias: *Quis non timebit te, ô Rex gentium?* unde subdit: Quoniam omnes gentes venient et adorabunt in conspectu tuo, quod longè ante prævidens David dicebat: *Omnes gentes quascumque fecisti venient, et adorabunt coram te, Domine;* quod indubiè tum fiet, cùm in unum ovile Christi plenitudo gentium intrabit. Quoniam judicia tua manifesta sunt. Non de judiciis, id est, consiliis Dei in se intelligendus est locus, iis scilicet quibus alios assumit, alios derelinquit; cùm de iis dictum sit: *Judicia Dei abyssus multa*: sed illo finali judicio, quo et bonos præmiabitur, et

1. *Je vis... un autre prodige.* Nous avançons dans la prophétie, et le grand secret de la destinée de Rome se va révéler. S. Jean nous en va marquer tous les progrès, et représenter plus en détail ce qu'il en a dit en général. Ce chapitre prépare l'esprit, et le suivant commence l'exécution.

Les sept dernières plaies, les grandes calamités par où l'empire romain fut enfin entraîné dans sa ruine. On les va voir commencer sous l'empire de Valérien, un des plus rudes pour l'Église; et on va voir jusqu'où on doit porter le contre-coup.

2. *Et je vis comme une mer claire à la manière du verre.* Il mêle ici, selon sa coutume, aux tristes idées de la vengeance divine, le spectacle agréable de la gloire des martyrs.

Une mer claire... mêlée de feu. Le peuple saint, parfaitement pur et embrasé de l'amour de Dieu.

3. *Et ils chantaient le cantique de Moïse.* Le cantique d'action de grâces, après le passage de la mer Rouge, convient parfaitement aux martyrs après leur sang répandu. *Et le cantique de l'Agneau.* On peut ici entendre deux cantiques, ou dire que c'est le même composé à l'imitation de celui de Moïse.

4. *Toutes les nations viendront....., parce que vos jugements se sont manifestés.* On voit que Dieu fait connaître aux saintes âmes ce qu'il médite pour le châti-

malos damnabit, acciplendus est locus.

VERS. 5. — ET POST HÆC VIDI, ET ECCE APERTUM EST TEMPLUM TABERNACULI TESTIMONII IN CŒLO. Græca Scholia tabernaculum testimonii, cœlum ipsum exponunt, unde testimonia, leges et mandata dat Dominus. *Hoc modo* is mihi videtur sensus esse, quòd egresso ad judicandum Christo, apertum est cœlum, id est, omnia quæ de Christo prædicta fuerunt mysteria manifestata; supererat enim ex omnibus ut judicaturus veniret; egresso itaque ad judicandum illo, apertum est templum cœli, id est, palàm facta sunt quæcumque de illo prædicta fuerant mysteria.

VERS. 6. — ET EXIERUNT SEPTEM ANGELI, universi, scilicet ipsi Christo ad judicium peragendum ministraturi, HABENTES SEPTEM PLAGAS, id est, omni genere ultionum et suppliciorum armati; VESTITI LAPIDE MUNDO ET CANDIDO; pro *lapide*, interpres legit λίθον, quod lapidem significat; et hoc modo sensus est, quòd Christum qui lapis angularis et electus dicitur, induti erant per puritatis ipsius imitationem. Græca tamen quæ nunc extant constanter legunt λίνον, vestiti scilicet *lino*; et *commodior* sensus, *induti* scilicet *lino mundo et candido*, propter virginitatis angelicæ candorem et munditiam. ET PRÆCINCTI CIRCA PECTORA ZONIS AUREIS, id est, fulgore sapientiæ et radianti auro charitatis.

VERS. 7. — ET UNUM DE QUATUOR ANIMALIBUS, quos superiùs quatuor evangelistas diximus, unus scilicet Christus, à quatuor evangelistis descriptus, DEDIT SEPTEM ANGELIS SEPTEM PHIALAS AUREAS IRÆ DEI VIVENTIS IN SECULUM, id est, dedit potestatem effundendi è vasis divinæ iracundiæ ultiones et plagas in terram adversùs reprobos; phialas autem iræ idem est quod superiùs vocavit *calicem* iræ Dei.

VERS. 8. — ET IMPLETUM EST TEMPLUM FUMO, id est, irâ et indignatione ipsius Dei, sicut scriptum est: *Ascendit fumus ab irâ ejus*; exibat autem hic fumus à majestate Dei et virtute ipsius, hoc est, potentiâ *ipsius, per hominum impietatem, ac non toleranda* flagitia irritati. ET NEMO POTERAT INTROIRE TEMPLUM, id est, cœlum ingredi, cum corpore scilicet et animâ, DONEC CONSUMMARENTUR PLAGÆ, id est, donec consummato judicio et extinctis penitùs impiis, universalis omnium corpore et animâ resurrectio fieret. Hunc locum quanquàm omnes de Ecclesiâ militante exponunt, et angelos prædicatores accipiunt, *quia tamen* per veros angelos peracturum se judicium Christus testatus est, tum verò ob contextum sequentis capitis mihi videtur non incongruè, ut exposuimus intelligi.

CAPUT XVI.

1. Et audivi vocem magnam de templo, dicentem septem angelis: Ite, et effundite septem phialas iræ Dei in terram.

2. Et abiit primus, et effudit phialam suam in terram; et factum est vulnus sævum et pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ, et in eos, qui adoraverunt imaginem ejus.

3. Et secundus angelus effudit phialam suam in

CHAPITRE XVI.

1. Et j'entendis une voix forte qui sortit du temple, et qui dit aux sept anges : Allez et répandez sur la terre les sept coupes de la colère de Dieu.

2. Le premier ange partit, et répandit sa coupe sur la terre; et les hommes qui avaient le caractère de la bête, et ceux qui adoraient son image, furent frappés d'une plaie maligne et dangereuse.

3. Le second ange répandit sa coupe sur la mer, et

ment de ses ennemis et pour la gloire de son Église, afin de donner encore cette matière aux louanges perpétuelles qu'elles rendent à son saint nom.

5. *Et je vis que le temple du tabernacle du témoignage s'ouvrit dans le ciel.* C'est une chose admirable de voir comme toutes les figures de l'ancien Testament sont relevées dans cette prophétie. Nous avons vu dans le ciel l'arche d'alliance, chap. 11, v. 19. Ici nous voyons ensemble sous la même idée, et le temple et le tabernacle du témoignage; ce tabernacle était comme un temple portatif que Moïse fit construire dans le désert (*Exod.* 26, et sur lequel Salomon bâtit son temple; et tout cela maintenant figure le ciel où Dieu réside en sa gloire.

Le temple... s'ouvrit dans le ciel, pour laisser sortir les sept anges, dont on va parler au verset suivant.

6. *Et sept anges sortirent.* Voici un grand appareil, et tout nous prépare à quelque chose de grand.

7. *Un des quatre animaux donna aux sept anges sept coupes d'or.* On voit toujours ces quatre animaux intervenir dans les grands endroits où Dieu révèle ses secrets. Ce sont eux qui, à l'ouverture des sceaux, font approcher S. Jean, et l'avertissent de se rendre attentif; ils veulent dire par là, comme on a vu, qu'il faut tout entendre selon l'Évangile. Ici, dans un dessein à peu près semblable, l'un des animaux distribue à chacun des anges les coupes d'or où sont les plaies; afin qu'on voie que c'est encore selon l'Évangile, et

selon les règles qui nous y sont révélées, que Dieu fait exécuter ses vengeances par ses anges.

Sept coupes d'or, ou *sept fioles*. Les fioles, selon le Grec, sont une espèce de tasse où l'on buvait.

Pleines de la colère de Dieu. On voit dans Isaïe que les pécheurs, que Dieu punit, *boivent la coupe de la colère de Dieu, et l'avalent jusqu'à la lie*, Is. 51, 17. On voit aussi (*Ps.* 74, 9) *que Dieu a une coupe à la main, dont il verse deçà et delà.* La vision de S. Jean est conforme à cette dernière idée; il faut se représenter ces coupes, ou ces fioles des anges, comme pleines d'une liqueur consumante, et d'une telle vertu, que toute la nature en est émue. Nous n'avons pas vu encore la colère de Dieu rendue plus sensible, et ni les sceaux, ni les trompettes n'avaient rien de si terrible; car la vengeance divine va être immédiatement appliquée, et comme répandue sur les objets de la colère de Dieu.

8. *Et le temple fut rempli de fumée.* C'est l'impression de la majesté de Dieu, comme à la dédicace du temple de Salomon (2 *Paralip.* 5, 13, 14).

Et nul ne pouvait entrer dans le temple, jusqu'à ce que les sept plaies fussent accomplies. Pendant que Dieu frappe, on prend la fuite, et on se cache plutôt que d'entrer dans le lieu où partent les coups. Quand il a achevé de lancer ses fléaux, on entre en tremblant dans son sanctuaire, pour y considérer l'ordre de ses jugements.

mare, et factus est sanguis tanquàm mortui; et omnis anima vivens mortua est in mari.

4. Et tertius effudit phialam suam super flumina, et super fontes aquarum, et factus est sanguis.

5. Et audivi angelum aquarum dicentem : Justus es, Domine, qui es, et qui eras; sanctus, qui hæc judicasti;

6. Quia sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere; digni enim sunt.

7. Et audivi alterum ab altari dicentem : Etiam, Domine Deus omnipotens, vera et justa judicia tua.

8. Et quartus angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi æstu affligere homines, et igni,

9. Et æstuaverunt homines æstu magno, et blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam ut darent illi gloriam.

10. Et quintus angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ; et factum est regnum ejus tenebrosum, et commanducaverunt linguas suas præ dolore;

11. Et blasphemaverunt Deum cœli, præ doloribus et vulneribus suis, et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.

12. Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem, et siccavit aquam ejus, ut præpararetur via regibus ab ortu solis.

13. Et vidi de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudo-prophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum.

14. Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, et procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.

15. Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus.

16. Et congregabit illos in locum qui vocatur Hebraicè Armagedon.

17. Et septimus angelus effudit phialam suam in aerem, et exivit vox magna de templo à throno, dicens : Factum est.

18. Et facta sunt fulgura, et voces, et tonitrua, et terræ motus factus est magnus; qualis nunquàm fuit ex quo homines fuerunt super terram, talis terræ motus, sic magnus.

19. Et facta est civitas magna in tres partes; et civitates gentium ceciderunt, et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus.

20. Et omnis insula fugit, et montes non sunt inventi.

21. Et grando magna sicut talentum descendit de cœlo in homines; et blasphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis : quoniam magna facta est vehementer.

elle devint comme le sang d'un mort; et tout ce qui avait vie dans la mer mourut.

4. Le troisième ange répandit sa coupe sur les fleuves et sur les fontaines, et ce fut partout du sang.

5. Et j'entendis l'ange qui a pouvoir sur les eaux, qui dit : Vous êtes juste, Seigneur, qui êtes, et qui avez été; vous êtes saint, lorsque vous rendez de tels jugements.

6. Parce qu'ils ont répandu le sang des saints et des prophètes, vous leur avez aussi donné du sang à boire; car ils en sont dignes.

7. En même temps j'en entendis un autre qui disait de l'autel : Oui Seigneur Dieu tout-puissant, vos jugements sont justes et véritables.

8. Le quatrième ange répandit sa coupe sur le soleil, et il lui fut donné de tourmenter les hommes par l'ardeur du feu.

9. Et les hommes furent brûlés d'une chaleur dévorante, et ils blasphémèrent le nom de Dieu, qui tient ces plaies en son pouvoir, et ils ne firent point pénitence pour lui donner gloire.

10. Le cinquième ange répandit sa coupe sur le trône de la bête, et son royaume devint ténébreux, et les hommes se mordirent la langue dans leur douleur.

11. Ils blasphémèrent le Dieu du ciel, à cause de leurs douleurs et de leurs plaies, et ils ne firent point pénitence de leurs œuvres.

12. Le sixième ange répandit sa coupe sur ce grand fleuve d'Euphrate; et ses eaux furent séchées pour ouvrir un chemin aux rois d'Orient.

13. Et je vis sortir de la bouche du dragon, de la bouche de la bête, et de la bouche du faux prophète, trois esprits impurs semblables à des grenouilles.

14. Ce sont les esprits des démons qui font des prodiges, et qui vont vers les rois de toute la terre, pour les assembler au combat, au grand jour du Dieu tout-puissant.

15. Je viens comme un larron. Heureux celui qui veille, et qui garde ses vêtements, de peur qu'il ne marche nu, et qu'il ne découvre sa honte.

16. Et il les assemblera au lieu qui en hébreu s'appelle Armagédon.

17. Le septième ange répandit sa coupe dans l'air, et une voix forte se fit entendre du temple, venant du trône, qui dit : C'en est fait.

18. Aussitôt il se fit des éclairs, et des bruits, et des tonnerres, et un grand tremblement de terre; et ce tremblement fut si grand, que jamais les hommes n'en ont ressenti de pareil depuis qu'ils sont sur la terre.

19. Et la grande cité fut divisée en trois parties, et les villes des nations tombèrent; et Dieu se ressouvint de la grande Babylone, pour lui donner à boire le vin de l'indignation de sa colère.

20. Toutes les îles s'enfuirent, et les montagnes disparurent.

21. Et une grande grêle comme du poids d'un talent tomba du ciel sur les hommes; et les hommes blasphémèrent Dieu, à cause de la plaie de la grêle, parce que cette plaie était très-grande.

VERS. 1. — ET AUDIVI VOCEM MAGNAM DE TEMPLO, id est, cœlo, dicentem septem angelis : ITE, ET EFFUNDITE SEPTEM PHIALAS IRÆ DEI SUPER TERRAM, id est, in terrenos ac reprobos homines ultionis divinæ mysterium exercere. Græca Scholia aiunt idem esse, *phialam iræ Dei* quod supra Joannes nominavit *calicem iræ Dei*.

VERS. 2. — ET ABIIT PRIMUS angelus, ET EFFUDIT PHIALAM, id est, iram Dei IN TERRAM, terrenos scilicet homines; ET FACTUM EST VULNUS SÆVUM ET PESSIMUM. Græcè est ἕλκος κακὸν καὶ πονηρὸν, id est, vulnus pravum et noxium, quo percussi sunt adoratores bestiæ, et omnes qui quoquo modo consensum dederunt in impietatem ipsius. Terram autem hoc loco quidam non malè intelligunt, non reproborum universitatem, sed Judæos, qui terræ nomine censentur ob firmitatem in unius Dei cultu, cùm contra, variis idolorum cultibus semper instabiles fuerunt gentiles.

VERS. 3. — ET SECUNDUS ANGELUS EFFUDIT PHIALAM IN MARE. Per mare gentiles intelligunt ob multiplicem

1. Après cela je vis un autre ange qui descendait du ciel, ayant une grande puissance ; et la terre fut éclairée de sa gloire.

2. Et exclamavit in fortitudine dicens : Cecidit, cecidit Babylon magna ; et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritûs immundi, et custodia omnis volucris immundæ et odibilis :

3. Quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes ; et reges terræ cum illâ fornicati sunt ; et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt.

4. Et audivi aliam vocem de cœlo, dicentem : Exite de illâ, populus meus ; ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis.

5. Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, et recordatus est Dominus iniquitatum ejus.

6. Reddite illi sicut et ipsa reddidit vobis : et duplicate duplicia secundùm opera ejus ; in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum.

7. Quantùm glorificavit se, tantùm date illi tormentum et luctum, quia in corde suo dicit : Sedeo regina ; et vidua non sum : et luctum non videbo.

8. Ideò in unâ die venient plagæ ejus, mors, et luctus, et fames, et igne comburetur, quia fortis est Deus, qui judicabit illam.

9. Et flebunt, et plangent se super illam reges terræ qui cum illâ fornicati sunt, et in deliciis vixerunt, cùm viderint fumum incendii ejus ;

10. Longè stantes propter timorem tormentorum ejus dicentes : Væ, væ civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis ; quoniam unâ horâ venit judicium tuum.

11. Et negotiatores terræ flebunt, et lugebunt super illam ; quoniam merces eorum nemo emet ampliùs ;

12. Merces auri, et argenti, et lapidis pretiosi, et margaritæ, et byssi, et purpuræ, et serici, et cocci, et omne lignum thyinum, et omnia vasa eboris, et omnia vasa de lapide pretioso, et æramento, et ferro, et marmore,

13. Et cinnamomum et odoramentorum, et unguenti, et thuris, et vini, et olei, et similæ, et tritici, et jumentorum, et ovium, et equorum, et rhedarum, et mancipiorum, et animarum hominum.

14. Et poma desiderii animæ tuæ discesserunt à te, et omnia pinguia et præclara perierunt à te, et ampliùs illa jam non invenient.

15. Mercatores horum, qui divites facti sunt, ab eâ longè stabunt propter timorem tormentorum ejus, flentes ac lugentes,

16. Et dicentes : Væ, væ, civitas illa magna, quæ amicta erat bysso et purpurâ, et cocco, et deaurata erat auro, et lapide pretioso, et margaritis :

17. Quoniam unâ horâ destitutæ sunt tantæ divitiæ. Et omnis gubernator, et omnis qui in locum navigat, et nautæ, et qui in mari operantur, longè steterunt,

18. Et clamaverunt videntes locum incendii ejus, dicentes : Quæ similis civitati huic magnæ?

19. Et miserunt pulverem super capita sua, et clamaverunt flentes et lugentes, dicentes : Væ, væ, civitas illa magna, in quâ divites facti sunt omnes qui

2. Il cria de toute sa force, en disant : Elle est tombée, elle est tombée la grande Babylone ; et elle est devenue la demeure des démons, et la retraite de tout esprit impur et de tout oiseau impur, et qui donne de l'horreur.

3. Parce que toutes les nations ont bu du vin de la colère de sa prostitution ; et les rois de la terre se sont corrompus avec elle, et les marchands de la terre se sont enrichis de l'excès de son luxe.

4. J'entendis aussi une autre voix du ciel, qui dit : Sortez de Babylone, mon peuple, de peur que vous n'ayez part à ses péchés, et que vous ne soyez enveloppé dans ses plaies.

5. Parce que ses péchés sont montés jusqu'au ciel, et Dieu s'est ressouvenu de ses iniquités.

6. Rendez-lui comme elle vous a rendu ; rendez-lui au double selon ses œuvres ; faites-la boire deux fois autant dans le même calice où elle vous a donné à boire.

7. Multipliez ses tourments et ses douleurs à proportion de ce qu'elle s'est élevée dans son orgueil, et de ce qu'elle s'est plongée dans les délices ; car elle dit en son cœur : Je suis reine, je ne suis point veuve, et je ne serai point dans le deuil.

8. C'est pourquoi ses plaies, la mort, le deuil et la famine viendront en un même jour, et elle sera brûlée par le feu ; parce que c'est un Dieu puissant qui la jugera.

9. Les rois de la terre qui se sont corrompus avec elle, et qui ont vécu avec elle dans les délices, pleureront sur elle, et se frapperont la poitrine en voyant la fumée de son embrasement.

10. Ils se tiendront loin d'elle dans la crainte de ses tourments, en disant : Malheur, malheur ! Babylone, grande ville, ville puissante, ta condamnation est venue en un moment.

11. Et les marchands de la terre pleureront et gémiront sur elle, parce que personne n'achetera plus leurs marchandises ;

12. Ces marchandises d'or et d'argent, de pierreries, de perles, de fin lin, de pourpre, de soie, d'écarlate, de toute sorte de bois odoriférant, et de meubles d'ivoire, de pierres précieuses, d'airain, de fer et de marbre,

13. De cinnamome, de senteurs, de parfums, d'encens, de vin, d'huile, de fleurs de farine, de bled, de bêtes de charge, de brebis, de chevaux, de chariots, d'esclaves, et d'âmes d'hommes.

14. Les fruits qui faisaient tes délices t'ont quittée ; toute délicatesse et toute magnificence est perdue pour toi, et on ne les trouvera plus jamais.

15. Ceux qui lui vendaient ces marchandises, et qui s'en sont enrichis, s'éloigneront d'elle dans la crainte de ses tourments ; ils en pleureront et ils en gémiront ;

16. Ils diront : Malheur, malheur ! cette grande ville qui était vêtue de fin lin, de pourpre et d'écarlate, parée d'or, de pierreries et de perles :

17. Elle a perdu en un moment ces grandes richesses ; et tous les pilotes, ceux qui font voyage sur la mer, les mariniers, et tous ceux qui sont employés sur les vaisseaux, se sont arrêté loin d'elle ;

18. Et se sont écrié, en voyant le lieu de son embrasement, et ils ont dit : Quelle ville a jamais égalé cette grande ville ?

19. Ils se sont couvert la tête de poussière, et ils ont jeté des cris mêlés de larmes et de sanglots, en disant : Malheur, malheur ! cette grande ville, qui a

habebant naves in mari, de pretiis ejus; quoniam unâ horâ desolata est.

20. Exulta super eam, cœlum et sancti apostoli et prophetæ : quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illâ.

21. Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare, dicens : Hoc impetu mittetur Babylon, civitas illa magna, et ultra jam non invenietur.

22. Et vox citharœdorum, et musicorum, et tibiâ canentium et tubâ, non audietur in te ampliùs; et omnis artifex omnis artis non invenietur in te ampliùs; et vox molæ non audietur in te ampliùs;

23. Et lux lucernæ non lucebit in te ampliùs; et vox sponsi et sponsæ non audietur adhuc in te, quia mercatores tui erant principes terræ, quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes.

24. Et in eâ sanguis prophetarum et sanctorum inventus est, et omnium qui interfecti sunt in terrâ.

enrichi de son abondance tous ceux qui avaient des vaisseaux sur la mer, a été ruinée en un moment.

20. Ciel, réjouissez-vous sur elle, et vous saints apôtres et prophètes, parce que Dieu vous a vengés d'elle.

21. Alors un ange fort leva en haut une pierre comme une grande meule, et la jeta dans la mer, en disant : Babylone, cette grande ville, sera ainsi précipitée, et elle ne se trouvera plus.

22. Et la voix des joueurs de harpes, des musiciens, des joueurs de flûtes et de trompettes, ne s'entendra plus en toi, nul artisan, nul métier ne se trouvera plus en toi; et le bruit de la meule ne s'y entendra plus.

23. Et la lumière des lampes ne luira plus en toi, et la voix de l'époux et de l'épouse ne s'y entendra plus : car tes marchands étaient des princes de la terre, et toutes les nations ont été séduites par tes enchantements :

24. Et on a trouvé dans cette ville le sang des prophètes et des saints, et de tous ceux qui ont été tués sur la terre.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — POST HÆC VIDI ALTERUM ANGELUM DESCENDENTEM DE CŒLO; hic est Christus de cœlo descendens, quia à summo cœlo egressio ejus; HABENTEM POTESTATEM MAGNAM, quippe qui est Dei Patris virtus, et de se testatur : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ.* ET TERRA ILLUMINATA EST A GLORIA EJUS; *vidimus enim* (inquit idem Joannes) *gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre;* à quo illuminata est terra; quando, teste Isaiâ, *populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam;* quomodò verò ab hâc glorià fidelium terra illuminata sit, docet Joannes, cap. 1 : *Et de plenitudine ejus omnes accipimus, gratiam pro gratiâ.* Christus ergo in formâ angeli Joanni visus est clamans :

VERS. 2. — IN FORTITUDINE, et, ut Græci addunt, φωνῇ μεγάλῃ, id est, voce magnâ, dicens : CECIDIT, CECIDIT BABYLON ILLA MAGNA; verbi repetitio ad epitasin facit et ruinæ augmentum explicandum illius confusæ Babylonis, quæ dicta est esse reproborum collectio.

1. *Je vis un ange..... ayant une grande puissance; et la terre fut éclairée.....* C'est celui qui va annoncer le grand ouvrage de la vengeance prochaine, qui éclatera comme le soleil par toute la terre.

2. *Elle est tombée la grande Babylone;* tiré d'Isaïe, 21, 9, et de Jérémie, 51, 8.

Elle est devenue la demeure des démons. Dans le style de l'Écriture les lieux désolés sont représentés comme abandonnés, non seulement aux oiseaux de mauvais augure, mais encore aux spectres et aux démons (*Jérém.*, 51, 37; *Isaïe*, 13, 21, 22; 34, 14), qui sont façons de parler tirées du langage populaire.

On dira que Rome ne fut pas si entièrement désolée par Alaric, qu'on ne la voie réparée bientôt après; mais Babylone elle-même, qui est choisie par le Saint-Esprit pour nous représenter la chute de Rome, aussi bien que son impiété et son orgueil, n'a pas été détruite d'une autre sorte. Après sa prise et son pillage sous Cyrus, on la voit encore subsister jusqu'au temps d'Alexandre avec quelque sorte de gloire, mais qui n'était pas comparable avec celle qu'elle avait eue auparavant. Ce qui fait que les prophètes la regardent comme détruite, c'est à cause qu'elle fut en effet saccagée, et qu'il n'y eut jamais aucune ressource à la perte qu'elle fit de son empire.

ET FACTA EST HABITATIO DÆMONIORUM, ET CUSTODIA OMNIS SPIRITUS IMMUNDI, ET CUSTODIA OMNIS VOLUCRIS IMMUNDÆ ET ODIBILIS. Si in electis suis habitare Deus dicitur, et verè de iis Paulus ait : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*, rectè quoque Babylon illa spiritualis *dæmoniorum habitatio, et custodia omnis spiritûs immundi et volucris immundæ dicitur;* quibus nominibus nihil aliud quàm dæmones intelligimus : per volucres enim dæmones intelligi Christus nos docuit in parabolâ seminis, Lucæ 8. Cùm enim dixisset de semine secùs viam inter seminandum lapso, subdit : *Et volucres cœli comedunt illud;* deinde in explicatione parabolæ ait : *Qui autem secùs viam, ii sunt qui audiunt* (Dei verbum scilicet); *deinde venit diabolus, et tollit verbum de cordibus eorum.* Benè autem dicuntur *volucres*, ab agilitate aerii spiritûs; et *immundæ* ob vitiorum obscœnitatem; et *odibiles*, sive, ut Græci legunt μεμισητημένοι, id est, exosæ et invisæ.

VERS. 3. — QUIA DE IRA FORNICATIONIS EJUS BIBE-

Rome a été poussée bien plus loin, puisqu'en perdant son empire elle est devenue le jouet des nations qu'elle avait vaincues, le rebut de ses propres princes et la proie du premier venu, comme on a vu (*Hist. abr.*, 14, 16).

Il est bon aussi de se souvenir combien grand fut le désastre de Rome ravagée par Alaric. Outre tout ce qu'on en a rapporté de S. Augustin, de Paul Orose et de S. Jérôme, ce dernier nous la représente *comme devenue le sépulcre de ses enfants; comme réduite par la famine à des aliments abominables, et ravagée par la faim, avant que de l'être par l'épée; de sorte qu'il ne lui restait qu'un petit nombre de ses citoyens, et que les plus riches, réduits à la mendicité, ne trouvèrent de soulagement que bien loin de leur patrie dans la charité de leurs frères* (Epist. 16 ad princip.; Procœm. Comm. in Ezech., lib. 3, 7, etc.). *Voyez préf. n.* 10, *et sur le chap.* 17, *v.* 16.

3. *Toutes les nations ont bu du vin de la colère de sa prostitution.* Hébraïsme, c'est-à-dire, du vin de sa prostitution digne d'un châtiment rigoureux.

Ont bu du vin; ci-dessus, 17, 2. Le vice et l'erreur enivrent comme un vin fumeux qui fait perdre la raison.

Les marchands de la terre se sont enrichis de l'ex-

RUNT OMNES GENTES, id est, irâ divinæ ultionis potati et inebriati sunt, quæ illis contigit, quia Babylonis in fornicatione tam spirituali quàm corporali socios se fecerunt. ET MERCATORES TERRÆ DE VIRTUTE DIVITIARUM EJUS DIVITES FACTI SUNT, quia neglectis veris divitiis, per immensam avaritiam, seculi tantùm opibus perituris inhiaverunt, et inde animarum suarum dispendio divites facti sunt.

VERS. 4. — ET AUDIVI ALIAM VOCEM, licèt ab eodem angelo, DICENTEM : EXITE DE ILLA, POPULE MEUS, etc. ; quod de Babylone exire fideles admonentur, non tam corporaliter quàm spiritualiter intelligendum, ut ne illius mores imitentur, delictorumque ipsius sint participes, simulque suppliciorum; quanquàm etiam, quatenùs fieri potest, vitandum est eorum contubernium : *Exite ergo*, inquit.

VERS. 5. — QUONIAM PERVENERUNT PECCATA EJUS USQUE AD CŒLUM ; hyperbolica locutio, ad insinuandam peccatorum ipsius gravitatem ; quanquàm reverà usque ad cœlum Deique aures, id est, ipsius notitiam pervenerint. ET RECODATUS EST DOMINUS, Græcè Θεὸς, id est, *Deus*, OMNIUM INIQUITATUM EJUS, non quòd verè oblitus esset Deus, in quem non cadit oblivio, sed tanquàm oblitus dissimulâsset.

VERS. 6. — REDDITE ILLI SICUT IPSA REDDIDIT VOBIS, non manus illi inferendo, sed animadversione dignam judicando. *Sancti* enim, inquit Paulus, *de hoc mundo judicabunt*. ET DUPLICATE DUPLICIA, etc., hoc est, juxta commeritum suum, acriùs in illam judicate. Græcè legitur διπλώσατε αὐτῇ, id est, *duplicate illi*. IN POCULO, QUO MISCUIT VOBIS, MISCETE ILLI DUPLICIA, id est, duplâ proportione supra quam vos afflixit, illam affligite, id est, affligendam decernite ; poculum enim et calicem pro afflictione sumi docuit Christus, dicens : *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*.

VERS. 7. — QUANTUM GLORIFICAVIT SE, sive magnificavit ; est enim Græcè ἐδόξασε, quod utrumque significat, ET IN DELICIIS FUIT. Græc. ἐστρηνίασε, id est, *lascivit* (est enim στρηνιάω, intemperanter ac immodestè ago, et lascivio;) TANTUM DATE ILLI TORMENTUM ET LUCTUM, ut pro qualitate delicti sit et plagarum modus. QUIA DICIT IN CORDE SUO : SEDEO REGINA ; sedeo, inquam, firmitate solii, ut de hoc regni solio dimovere me nemo queat ; ET VIDUA NON SUM ; habebat enim certè loco maritorum amatores impudicos multos, et pro sponso Christo, dæmonum legionem ; ET

cès de son luxe. Ce n'est pas seulement l'idolâtrie de Rome que Dieu punit, c'est son luxe et son orgueil.

4. *Sortez de Babylone, mon peuple.* Ainsi dans Jérémie : *Fuyez du milieu de Babylone, et que chacun sauve son âme* (Jer., 51, 6). Tout cela ne signifie autre chose, sinon qu'il fallait sortir de Rome, ainsi qu'autrefois de Babylone, comme d'une ville pleine d'impiété, et qui enfin allait périr. *De peur que vous n'ayez part à ses péchés*, c'est-à dire à la peine de ses péchés, ou, si l'on veut, à sa corruption, à son luxe, à ses idolâtries, où elle tâchait d'attirer tous ses habitants, comme on a vu (*Hist. abr.*, n. 13, 14),

Et que vous ne soyez enveloppés dans ses plaies. Il fallait que les anciens Juifs sortissent de Babylone pour n'être pas enveloppés dans son supplice. S. Jean applique à Rome cette parole, comme les autres qui ont été dites pour Babylone.

Dieu en fit sortir son peuple en plusieurs manières : premièrement en retirant de cette vie ceux à qui il voulait épargner la douleur de voir périr une telle ville. Ainsi S. Jérôme a dit du pape S. Anastase, que *Rome ne le put posséder longtemps, et que Dieu l'avait enlevé du monde de peur que la capitale de l'univers ne fût abattue sous un si grand évêque* (Hier., Ep. 16) ; secondement, dans les approches de la prise de Rome une secrète providence en éloigna plusieurs gens de bien, et entre autres le pape Innocent, qu'*elle fit sortir, comme autrefois le juste Lot de Sodôme, de peur qu'il ne vît la ruine d'un peuple livré au péché* (Aug., de Excid. urb., 7 ; Oros., 7, 39). Nous avons vu aussi sainte Mélanie avec plusieurs grands de Rome en sortir dans le même temps par une espèce de pressentiment de la ruine de cette grande ville (*Hist. Lausiac.*, c. 118; *Préface*, n. 8). Longtemps auparavant, Dieu avait mis dans le cœur à sainte Paule et à beaucoup d'illustres Romains de se retirer à Béthléem avec leur famille (*Hier., Ep.* 7). Et en général nous apprenons de Paul Orose qu'un grand nombre de chrétiens se retirèrent de Rome, suivant ce précepte de l'Évangile : *Quand ils vous poursuivront dans une ville, fuyez en une autre; ce que ceux qui ne croyaient pas à l'Évangile ne firent point, et se trouvèrent accablés* (Paul. Oros., 7, 41, 49). Troisièmement, dans le sac de la ville Dieu prépara un asile hors de Rome dans l'église de Saint-Pierre à tous ceux qui

s'y réfugièrent ; car Alaric l'avait ainsi ordonné ; et encore que les païens aient profité de cette ordonnance, on ne doute point qu'elle ne fût faite principalement pour les chrétiens (*Aug., de Civit.*, *l.* 1, 4 ; *Oros.*, 7, 39). L'Égypte, l'Afrique, tout l'Orient, et principalement la Palestine, tout l'univers enfin fut rempli de chrétiens sortis de Rome, qui trouvèrent un refuge assuré dans la charité de leurs frères, comme le raconte S. Jérôme (*Ep.* 12 *ad Gaud.; Proœm. in Ezech.*, *lib.* 3, 7). Quatrièmement, pour ce qui qui est des élus de Dieu qui moururent dans cette guerre, ce fut ceux-là, dit S. Augustin, qui sortirent le plus glorieusement et le plus sûrement de Babylone, puisqu'ils furent éternellement délivrés du règne de l'iniquité, et furent mis en un lieu où ils n'eurent plus à craindre aucun ennemi, ni parmi les démons ni parmi les hommes (*Aug., de urb. Excid.* 6).

5. *Ses péchés sont montés jusqu'au ciel.* Le Grec : *L'ont suivie jusqu'au ciel.* Ils l'ont poursuivie jusqu'au jugement de Dieu, comme nous lisons de Babylone : *Son jugement est monté aux cieux* (Jer., 51, 9).

6. *Rendez-lui comme elle vous a rendu.* Claudius II tailla en pièces trois cent vingt mille Goths, et coula à fond deux mille de leurs vaisseaux. Toutes les provinces furent remplies d'esclaves de cette nation (*Trebell, Pol. in Claud.*), et du temps même de la prise de Rome, après la défaite de Radagaise, le nombre des esclaves goths fut infini : *On les vendait comme des bêtes, et on en avait*, dit Orose, *des troupeaux entiers pour un écu* (Oros., 7, 37). Ainsi c'est avec raison qu'on dit aux Goths : Faites à Rome comme elle vous a fait ; outre qu'il les faut ici regarder comme les vengeurs de l'injure commune de toutes les nations.

7. *Elle dit en son cœur : Je suis reine.....* C'est ce qu'Isaïe faisait dire à Babylone : *Je dominerai éternellement ; il n'y a que moi sur la terre et je ne saurai jamais ce que c'est qu'affliction* (Is., 47, 7, 8). Rome vantait à son exemple l'éternité de son empire : et un des blasphèmes que les saints Pères lui reprochent, était de s'être appelée la ville éternelle, titre qu'on trouve encore dans une inscription qui fut faite six ou sept ans avant sa prise, à l'occasion de ses murailles rebâties.

LUCTUM NON VIDEBO, id est, nihil mihi triste accidet : arbitrantur enim impii perpetuò se in deliciis et dignitate victuros.

VERS. 8. — IDEÒ IN UNA DIE VENIENT PLAGÆ EJUS, id est, subitò, juxta quod Paulus ait : *Cùm dixerint, pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus;* quæ autem sint plagæ ostendit, dicens : MORS, æternæ damnationis; LUCTUS, amissæ beatitudinis; FAMES, illius recuperandæ, sed inanis; ET IGNE COMBURETUR, æterno scilicet, *qui paratus est diabolo et angelis ejus.* QUIA FORTIS EST DEUS QUI JUDICABIT ILLAM, id est, condemnabit. Germanicus codex Græcus Κύριος, id est, *Dominus;* Veronensis habet tantùm Κύριος, id est, *Dominus,* non Θεός, id est, *Deus.*

VERS. 9. — ET FLEBUNT, ET PLANGENT SE SUPER EAM REGES TERRÆ; quidam Græci codices habent : Καὶ κλαύσονται αὐτὴν, καὶ κόψονται ἐπ' αὐτῇ, id est, *et flebunt illam, et plangent super eâ.* Est autem propriè κόπτειν, præ doloris impatientiâ corpus cædere et lacerare. Veronensis codex habet tantùm voce activâ, κλαύσουσι, id est, *flebunt,* pro IN DELICIIS VIXERUNT, Græc. est ἐστρηνιάσκντες, id est, *lascivierunt.* Græca Scholia *reges terræ,* dæmones interpretantur, juxta quod Christus diabolum, principem mundi appellat. Sive autem isti, sive illi, omnes lugebunt super Babylone, CUM VIDERINT FUMUM INCENDII EJUS, id est, æterno illam incendio ardentem, cujus et ipsi sunt participes.

VERS. 10, 11, 12, 13. — LONGÈ STANTES PROPTER TIMOREM TORMENTORUM EJUS; non longè quidem corpore, cùm de corpore sint ipsius Babylonis; sed quantùm in se erit procul se ab illis tormentis facientes, cùm vitare eam non possint, voluntate tamen procul et animo abhorrentes. Sic qui ad mortem et crucem cum multis damnantur, etsi non dubitant se ad mortem trahendos, cùm tamen socios ad mortem trahi vident, procul se ab illis faciunt, evasuri si quidem eis liceret.

VÆ, VÆ, BABYLON, etc., QUIA UNA HORA, id est, brevi tempore, VENIT JUDICIUM TUUM, id est, condemnatio tua : ET NEGOTIATORES TERRÆ FLEBUNT SUPER EAM, QUONIAM MERCES EORUM NEMO EMET AMPLIUS; qui enim per immensum avaritiæ studium lucro inhiant mercatores, eversâ Babylone non habebunt quibuscum versuras faciunt, quibus delicias suas vendant; ideò flebunt. Pro *emet* interpres legit ἀγοράσει. Græca nunc habent ἀγοράζει, id est, *emit.* In explicandis mysticè mercibus quas enumerat non immorabor; tantùm vocabula non omnibus intellecta exponam. *Byssus* genus lini candidissimi. *Coccum* appellant granum tinctorium et pro *purpurâ,* eâque quam vulgò *scarlatam* vocant, sumitur. *Lignum thyinum,* pretiosum est, in Ophir nascens, unde multam copiam Salomoni dono misit rex Hyram (3 Reg. 10). *Simila,* flos farinæ triticeæ; *rheda,* genus leviculi currûs ad vehendos homines. *Mancipia,* servi bello capti, quòd manu capiantur. Puto autem interpretem pro *mancipiorum* legisse ἀνδραπόδων, quanquàm constanter Græca habent σωμάτων, id est, *corporum,* cui respondet τὸ ψυχὰς, sic et cod. German., quanquàm et Erasmus *mancipiorum* habet, alludens ad rem, non ad verbum. In harum verò mercium enumeratione, ubi interpres habet *amomum,* codex Germanicus non habet ἀμωμον. Dionysianus habet. Est autem amomum fruticis genus pretiosi et odoris, de quo Dioscorides et Plinius. Ubi interpres habet ODORAMENTORUM, sensus est : Et merces eorum sunt odoramentorum, et merces unguenti et thuris, etc. Pro sequentibus iis genitivis, Græca habent accusativos μύρον λίβανον, quanquàm facilis est lapsus à ν in υ, quomodò per υ videtur interpres legisse. Pro eo quoque quod interpres habet, ANIMARUM HOMINUM, scilicet merces ejus sunt merces animarum hominum; pro *animarum,* Græca constanter habent ψυχὰς, id est, *animas,* et ideò cùm præcesserint genitivi τίπτου, ῥεδῶν, vel solœcismus est, vel subaudiendum est vendunt, et tunc sensus est : Et vendunt animas hominum, id est, pretiosissima quæque et maximè amabilia, est enim Hebraismus, quòd nihil habeat homo animâ suâ charius et pretiosius. Si juvat mysticè interpretari quòd animas diabolo vendunt iis deliciis et pretiosissimis quibusque inescatas, nihil moror.

VERS. 14. — ET POMA DESIDERII ANIMÆ TUÆ DISCESSERUNT A TE, ET OMNIA PINGUIA ET PRÆCLARA PERIERUNT ABS TE; τὸ *poma,* et Græcum ὀ πώρα, mollioris corticis fructus omnes significat; hìc autem pro deliciis sumitur, quæ parùm durant, sed statim ut mollioris corticis fructus fugiunt ac putrescunt; iis Babylonem spoliari conqueruntur mercatores ipsius : *Pinguia* autem *et præclara* quæque, majores fructus significant, quos periisse dolent. ET AMPLIUS ILLA JAM NON INVENIENT, scilicet mercatores. Græci habent εὑρήσης, id est, *invenies,* et referunt ad Babylonem; JAM AMPLIUS NON INVENIES, id est, non frueris illis deliciis et divitiis tuis.

VERS. 15. — MERCATORES HOMINUM, etc.; pro *hominum,* Græca habent τούτων, id est, horum, harum scilicet mercium; LONGÈ STABUNT, vide expositionem

8. *Elle sera brûlée par le feu,* sous Alaric même (ci-dessus, 17, 16).

9. *Les rois de la terre..... pleureront sur elle;* la chute d'une si grande ville, qu'on regardait comme la maîtresse de l'univers, étonnera tout le genre humain.

Qui se sont corrompus avec elle, pleureront. Tout ce qui restait des rois alliés de Rome et de grands qui avaient pris part ou à ses idolâtries ou à son ambition et à son luxe, s'affligera de sa perte,

10. *Malheur, malheur! Væ!* Le voilà ce troisième et dernier *væ* que nous attendions depuis si longtemps, et depuis le verset 14 du chap. 11. Il retentit encore ci-dessous, v. 16 : *Væ, væ! Malheur, malheur! Hélas, hélas! la grande ville de Babylone!* Et encore au verset 19 : *Væ, væ! Malheur, malheur!* Ne le cherchons plus ce terrible *væ,* le voilà, sans qu'il soit besoin de nous le faire remarquer. Un cri si perçant et si souvent répété se fait assez remarquer lui-même.

13. *D'esclaves et d'âmes d'hommes.* Le Grec σωμάτων, qui veut dire *corps;* ce que la Vulgate a très-bien rendu par le mot de *mancipia,* comme le prouve très-clairement Drusius, savant protestant, sur ce passage.

paulò ante, num. 3. Græc. Scholia hos mercatores dæmones appellant, qui pro deliciis et peccatis homines emant et vendant, prout Isaias ait. *Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis.* Sive ergo isti dolentes periisse instrumentum animas inescandi, sive avari mercatores, longè stabunt, dicentes :

Vers. 16. — Væ, væ, civitas illa magna, quæ amicta erat bysso et cocco, id est, quæ omni deliciarum genere affluebat et divitiarum ;

Vers. 17, 18. — Quia una hora, brevique momento, eam omnia isthæc ornamenta et illectamenta destituerunt. Et omnis gubernator, et omnes, etc. Pro *omnes qui in lacum navigant*, Veronens. et Dionysianus codices Græci habent : Πᾶς ἐπὶ τῶν πλοίων πλεῶν, id est, quicumque navigiis navigat ; Germanus habet : Πᾶς ἐπὶ τῶν πλοίων ὄμιλος, id est, *omnis turba navigio utens ;* puto interpretem pro πλοίων legisse λίμνων, quod stagna et plaudes significat, vel aliud simile. Sensus autem loci est quòd omnes quibus cum Babylone illâ negotium fuit, sive principes gubernatores, sive cives et mercatores, per mare pauperiem fugientes, et ut immodicè ditescant hùc illùc discursantes, longè animo steterunt à Babylone, à damnatione ejus abhorrentes, et dicentes : Quæ similis civitati huic magnæ ?

Vers. 19. — Et miserunt super capita sua pulverem, infructuosæ ac nimis seræ pœnitentiæ signum ; et clamaverunt.... dicentes : Væ, væ, civitas illa, etc. Dolent et plangunt super tam repentinâ eversione civitatis magnæ, cujus ob luxus et sumptus immodicos magnum ex pretiosis quibusque mercibus, terrâ marique præsertim, quæstum faciebant. Græca Scholia longè secùs explicant, nec opinor, malè. Per mare vitam præsentem intelligunt multis ac variis agitatam tumultuum fluctibus ; per navigia maris hujus, id est, mundi supervenientium negotiorum impressiones et impetus, quibus uti navigiis in hâc vitâ nunc hùc nunc illùc agimur. Gubernatores, utpote regendæ navis peritos, eos qui tutos sese ab hujus mundani maris æstibus et fluctibus servant, piam scilicet ac moderatam vitam degentes. Nautas et omnes in hoc mari operantes, eos qui adversùs mundi fluctus et turbines laborant quotidiè manibus operantes, ne otiosos illos dies Domini inveniat habentes pro axiomate illud sapientis Ecclesi. 9 : *Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quò tu properas.* Ii ergo omnes inevitabilem vitæ hujus finem diemque judicii brevi fore præsentientes, priusquàm veniat, observant ; et ab hâc Babylone longè stant ; ab impiorum scilicet consortio et imitatione procul fugientes, et ob horrorem Babylonicæ ruinæ cinere caput aspergentes, id est, pœnitentiam de iis quæ minùs rectè egerent, facientes.

Vers. 20. — Exulta super eam, cœlum, id est, cœlestis conversationis homines, vel angeli ; et sancti apostoli et prophetæ. Ad congratulationem de impiæ meretricis et Babylonis eversione sancti invitantur, quia, inquit, judicavit Deus judicium vestrum de illa, id est, quod diù de illâ judicium fieri optabatis dicentes : *Quòusque, Domine, non vindicas sanguinem nostrum ?* id jam adversùs eam tulit Dominus.

Vers. 21. — Et sustulit angelus unus lapidem quasi molarem magnum, etc. Ne mysticè cogamur exponere, puto hunc angelum reverà tali habitu ac specie Joanni apparuisse, mittens grande saxum instar molæ in mare, et dicens : Hoc impetu, etc. Pro *hoc* Græci habent οὕ τως, id est, *sic ;* interpres legit τούτῳ, id est, *hoc* impetu. Nihil autem aliud significatur iis verbis, quàm uti missa in mare mola nusquàm postea apparet, sic eversâ Babylone impiâ, nusquàm postea, ne vestigia quidem ejus, apparitura. Quod autem de mysticâ Babylone dicit, de Chaldaicâ ante prædixit Jeremias, cap. 51, dicens : *Cumque compleveris legere librum istum, ligabis ad eum lapidem, et projicies illum in medium Euphratem, et dices : Sic submergetur Babylon, et non consurget à facie afflictionis quam ego adducam super eam, et dissolvetur.*

Vers. 22. — Et vox citharædorum, etc. ; et omnis artifex, etc., non invenietur in te amplius ; id est, nullis jam tibi deliciis tuis, nullis mercium tuarum fructibus uti frui post hæc dabitur. Et vox molæ non audietur in te amplius ; id est, nullus posthæc in esum tibi delicatus panis moletur ; ut enim Ecclesiast. 14 scribitur, *non est apud inferos invenire cibos.*

Vers. 23. — Et lux lucernæ tuæ non lucebit in te amplius, id est, nulla tibi ad consolationem fulgebit claritas densissimis ac perpetuis obsita tenebris. Et vox sponsi et sponsæ non audietur in te adhuc, sive posthàc aut ampliùs ; est enim græcè ἔτι. Nulla ad te exhilarandum nuptialia cantica celebrabuntur. Quia mercatores tui erant principes ter-

---

On le trouve dans les critiques d'Angleterre. *D'âmes d'hommes*, c'est-à-dire, d'hommes en général, selon la façon de parler usitée dans toutes les langues, et en particulier dans la langue sainte (*Gen.*, 46, 26). Mais ici, comme S. Jean oppose les hommes aux esclaves, il faut entendre par hommes les hommes libres ; car on vend tout, esclaves et libres, dans une ville d'un si grand abord. D'autres, au contraire, veulent par les âmes entendre les esclaves qui n'ont que leur âme en leur puissance (Grot. sur ce verset) ; mais le premier sens paraît meilleur.

18. *Le lieu de son embrasement ;* Grec : *La fumée de son embrasement*, ce qui convient mieux à ce qui est dit, chap. 19, v. 3 : *Et sa fumée s'élève aux siècles des siècles.*

20. *Réjouissez-vous sur elle.* La voix dont il est parlé ci-dessus, v. 4, est ici adressée aux apôtres et aux prophètes ; et Dieu montre par là qu'il découvre aux âmes saintes les jugements qu'il exerce sur la terre. D'où vient qu'il en est loué par ces âmes bienheureuses, chap. 19, v. 1, 2.

21. *Un ange fort leva*, imité de Jérémie, chap. 51, v. 63, 64.

22. *Et la voix... des musiciens..., et le bruit de la meule... Et la lumière...* Imité de Jérémie, chap. 25, v. 10. Tout est triste, tout est ténébreux, tout est mort dans une ville saccagée. *Tes marchands étaient des princes de la terre ;* imité d'Ezéchiel, chap. 27, v. 23, au sujet de la ruine de Tyr. En général il faut conférer tout ce chapitre avec le 27e d'Ezéchiel.

24. *Et on a trouvé dans cette ville le sang des prophètes, et le sang des saints, et le sang de tous ceux qui ont été tués*

RÆ, id est, præ avaritiâ suâ et opulentiâ omnes in terrâ versutiis et usuris suis opprimebant : QUIA IN VENEFICIIS TUIS ERRAVERUNT OMNES GENTES, sive ad litteram, intoxicationibus, sive spiritualiter, pravis doctrinis et pessimis exemplis, quibus omnes inficiebant.

VERS. 24. — ET IN EA SANGUIS PROPHETARUM ET SANCTORUM INVENTUS EST, etc., id est reproborum collectio, omnium prophetarum et martyrum pro Christo occisorum rea inventa est.

sur la terre. Tout ce qu'il y a eu de martyrs dans les provinces ont péri par les décrets et par les exemples de Rome; et pour étendre encore plus loin cette pensée, ceux qui répandent le sang innocent portent la peine de tout le sang innocent répandu depuis le sang d'Abel (*Matth.* 23, 35).

CAPUT XIX.

1. Post hæc audivi quasi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium : Alleluia; salus, et gloria, et virtus Deo nostro est :

2. Quia vera et justa judicia sunt ejus, qui judicavit de meretrice magnâ, quæ corrupit terram in prostitutione suâ, et vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus.

3. Et iterùm dixerunt : Alleluia. Et fumus ejus ascendit in secula seculorum.

4. Et ceciderunt seniores viginti quatuor, et quatuor animalia, et adoraverunt Deum sedentem super thronum, dicentes : Amen, Alleluia.

5. Et vox de throno exivit, dicens : Laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus; et qui timetis eum, pusilli et magni.

6. Et audivi quasi vocem turbæ magnæ, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium : Alleluia. Quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens.

7. Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se.

8. Et datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti et candido. Byssinum enim justificationes sunt sanctorum.

9. Et dixit mihi : Scribe : Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt : et dicit mihi : Hæc verba Dei vera sunt.

10. Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dicit mihi : Vide ne feceris : conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora. Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ.

11. Et vidi cœlum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis et Verax, et cum justitiâ judicat et pugnat.

12. Oculi autem ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum quod nemo novit nisi ipse.

13. Et vestitus erat veste aspersâ sanguine; et vocatur nomen ejus, Verbum Dei.

14. Et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo.

15. Et de ore ejus procedit gladius ex utràque parte acutus : ut in ipso percutiat gentes. Et ipse reget eos in virgâ ferreâ; et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.

16. Et habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regnum, et Dominus dominantium.

CHAPITRE XIX.

1. Après cela j'entendis dans le ciel un bruit comme d'une grande troupe, qui disait, *Alleluia;* salut, gloire et puissance à notre Dieu :

2. Parce que ses jugements sont véritables et justes, parce qu'il a condamné la grande prostituée qui a corrompu la terre par sa prostitution, et qu'il a vengé le sang de ses serviteurs que ses mains ont répandu.

3. Et ils dirent une seconde fois, *Alleluia.* Et la fumée de son embrasement s'élève dans les siècles des siècles.

4. Alors les vingt-quatre vieillards et les quatre animaux se prosternèrent et adorèrent Dieu qui était assis sur le trône, en disant : *Amen, alleluia.*

5. Et il sortit du trône une voix, qui dit : Louez notre Dieu, vous tous qui êtes ses serviteurs, et qui le craignez, petits et grands.

6. Et j'entendis un bruit comme d'une grande troupe, comme le bruit de grandes eaux, et comme de grands coups de tonnerre, qui disaient : *Alleluia,* parce que le Seigneur notre Dieu, le Tout-Puissant règne.

7. Réjouissons-nous, soyons dans la joie, et donnons-lui gloire; parce que les noces de l'Agneau sont venues, et que son épouse s'y est préparée.

8. Et il lui a été donné de se vêtir d'un fin lin net et blanc; et ce fin lin est la justice des saints.

9. L'Ange me dit alors : Ecrivez : Heureux ceux qui ont été appelés au souper des noces de l'Agneau; et il ajouta : Ces paroles de Dieu sont véritables.

10. Aussitôt je me jetai à ses pieds pour l'adorer; mais il me dit : Gardez-vous bien de le faire : je suis serviteur comme vous, et comme vos frères, qui ont rendu témoignage à Jésus; adorez Dieu, car l'esprit de prophétie est le témoignage de Jésus.

11. Je vis alors le ciel ouvert, et il parut un cheval blanc : celui qui était dessus s'appelait le Fidèle et le Véritable, qui juge et qui combat justement.

12. Ses yeux étaient comme une flamme de feu; il avait plusieurs diadèmes sur sa tête, et un nom écrit que nul ne connaît que lui.

13. Il était vêtu d'une robe teinte de sang, et il s'appelle le Verbe de Dieu.

14. Les armées qui sont dans le ciel le suivaient sur des chevaux blancs, vêtues d'un lin blanc et pur.

15. Et il sort de sa bouche une épée à deux tranchants, pour en frapper les nations, car il les gouvernera avec un sceptre de fer; et c'est lui qui foule la cuve du vin de la fureur et de la colère de Dieu tout-puissant.

16. Et il porte écrit sur son vêtement et sur sa cuisse : Le Roi des rois, et le Seigneur des seigneurs.

17. Et vidi unum angelum stantem in sole, et clamavit voce magnâ dicens omnibus avibus quæ volabant per medium cœli : Venite, et congregamini ad cœnam magnam Dei :

18. Ut manducetis carnes regum, et carnes tribunorum, et carnes fortium, et carnes equorum, et sedentium in ipsis, et carnes omnium liberorum, et servorum, et pusillorum, et magnorum.

19. Et vidi bestiam, et reges terræ, et exercitus eorum congregatos, ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo, et cum exercitu ejus.

20. Et apprehensa est bestia, et cum eâ pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos qui acceperunt characterem bestiæ, et qui adoraverunt imaginem ejus. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.

21. Et cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius, et omnes aves saturatæ sunt carnibus eorum.

17. Et je vis un ange debout dans le soleil, qui cria à haute voix, en disant à tous les oiseaux qui volaient par le milieu de l'air : Venez, et assemblez-vous au grand souper de Dieu,

18. Pour manger la chair des rois, la chair des officiers de guerre, la chair des forts, la chair des chevaux et des cavaliers, la chair de tous les hommes libres et esclaves, petits et grands.

19. Et je vis la bête et les rois de la terre, et leurs armées assemblées pour faire la guerre à celui qui était monté sur le cheval et à son armée.

20. Mais la bête fut prise, et avec elle le faux prophète qui avait fait les prodiges en sa présence, par lesquels il avait séduit ceux qui avaient reçu le caractère de la bête, et qui avaient adoré son image; et les deux furent jetés vifs dans l'étang brûlant de feu et de soufre.

21. Les autres furent tués par l'épée qui sortait de la bouche de celui qui était monté sur le cheval; et tous les oiseaux se soulérent de leurs chairs.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Post hæc audivi quasi vocem magnam turbarum multarum. Vitio librariorum inoleverat error, ut pro *turbarum* scriberetur *tubarum*. Græcè sic, ὄχλου πολλοῦ, id est, turbæ multæ. Paulò ante admoniti sunt sancti de ruinâ Babylonicâ exultare; nunc describuntur gratias agentes in cœlo, id est, Ecclesiâ triumphante ac militante, et dicentes invicem : Alleluia, id est, laudate Deum. Laus et gloria, etc. Nihil est in hâc gratiarum actione difficile; tantùm Latina paulò distant à Græcis, et Græca nonnihil inter se. Germanicus codex habet : ἡ σωτηρία, καὶ ἡ δόξα, καὶ ἡ τιμὴ, καὶ ἡ δύναμις Κυρίῳ τῷ Θεῷ ἡμῶν, id est, *salus et gloria, et honor, et potestas Domino Deo nostro*. Dionys. habet, τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, id est, *Dei nostri*. Veronensis habet tantùm : Τῷ Θεῷ ἡμῶν, neque habet Κυρίῳ.

Vers. 2. — Quia vera et justa judicia sunt ejus, id est, justissimam sententiam tulit de meretrice, et veram, non ex vanâ suspicione ortam.

Quæ corrupit terram in prostitutione sua, in suâ idololatriâ aliisque sceleribus. Vide cap. 17.

(Menochius.)

Vers. 3. — Et fumus ejus, meretricis scilicet, id est, incendii ejus memoria, ascendit in secula, id est, tanquàm oblivioni erit.

Vers. 4. — Et ceciderunt viginti quatuor seniores, etc. Per 24 seniores, 12 patriarchæ et 12 prophetæ eorumque filii et omnes veteris Testamenti intelliguntur electi; sic per quatuor animalia, quatuor Evangelistæ, et omnes qui evangelicam fidem susceperunt; ii omnes Deum sedentem in throno, id est, Christum ad dexteram Patris sedentem adoraverunt dicentes : Amen, alleluia.

Vers. 5. — Et vox exivit de throno, id est, à majestate Dei; quidam exponunt *à Seraphim* dicens : Laudem dicite Deo nostro, omnes sancti ejus, vel servi; Græci οἱ δοῦλοι.

Vers. 6. — Et audivi vocem quasi turbæ magnæ, Græcè ὄχλου πολλοῦ, id est, *turbæ multæ, ut paulò ante dictum est*. Et sicut vocem aquarum multarum, id est, populorum, ut antea; et tonitruorum magnorum, id est, immensam, qualis esse solet vox tonitrui; Dicentium : Alleluia, quia regnavit Dominus, id est, in ruinâ Babylonicâ regem se præstitit.

Vers. 7. — Gaudeamus, etc., quia venerunt nuptiæ Agni, id est, Christi, hoc est, plena et consummata Christi conjunctio cum Ecclesiâ ab omnibus jam reprobis perpurgata, assumptis corpore et animâ ad beatitudinem electis. Et uxor ejus, id est, sponsa Ecclesia, præparavit se, per fidem et gratiam in viâ.

Vers. 8. — Et datum est illi, per gloriam in patriâ, ut cooperiat se byssino splendenti et candido, vel puro; ut Græca habent, καθάρῳ : quid autem sit byssinum, exponit. Byssinum enim sunt justificationes sanctorum, id est, fides ac studiosa bonaque juxta fidem opera, quibus Dei gratiâ justificati sunt sancti; quibus qui ad finem usque indutus fuerit in viâ, conceditur ut iis vestitus appareat in patriâ.

Vers. 9. — Et dixit mihi, vel dicit, Græcè λέγει. Scribe : Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt, id est, ad æternæ beatitudinis convivium, quod sponsæ suæ Ecclesiæ Christus paravit.

Vers. 10. — Et cecidi ad pedes ejus, vel ante, Græcè ἔμπροσθεν, volens adorare; quod ne faceret, inhibuit angelus, quippe qui conservus esset ejus, et omnium habentium testimonium Jesu, id est, fidem ejus, sive spiritum prophetiæ, ut postea exponit. Testimonium Jesu est spiritus prophetiæ. Unde et Petrus : *Huic omnes*, inquit, *prophetæ testimonium perhibent*. A l'occasion de la ruine de l'idolâtrie et de la gloire de l'Église, il parle de la gloire éternelle, et ensuite dans le verset 17 du jugement et du supplice éternel.

1. *Après cela j'entendis...* Les saints invités à louer Dieu, chap. 18, v. 20, le font ici avec un grand éclat; et S. Jean, selon sa coutume, après les spectacles les plus affreux, en représente de plus doux.

7. *Réjouissons-nous... les noces de l'Agneau sont ve-*

10. *Je me jetai à ses pieds.* Ou il prit cet ange pour

hibent; conservum ergo se dicit habentium spiritum prophetiæ, non propheticum spiritum, sed prophetiæ largitorem Spiritum sanctum.

VERS. 11. — ET VIDI CŒLUM APERTUM, id est, mysteria omnia cœlestia mihi apertè indicata sunt. ET ECCE EQUUS ALBUS, id est, Christi humanitas, innocentia vitæ candida. ET QUI SEDEBAT, etc., Verbum Dei scilicet, quia super naturam humanam sedet divina, eam ut lubet agendo; ET CUM JUSTITIA, id est, justè, JUDICAT ET PUGNAT.

VERS. 12. — OCULI EJUS SICUT FLAMMA IGNIS, ad incendendos pios, non quòd revera sic esset, sed sic illi videbatur. ET IN CAPITE EJUS DIADEMATA MULTA, id est, in Deo Patre, qui est caput Christi, infinita charismata, quibus electos suos muneratur Christus et donat; HABENS NOMEN SCRIPTUM, QUOD NEMO NOVIT NISI IPSE, juxta illud Pauli Philip.: *Et donavit illi nomen quod est supra omne nomen,* Dei scilicet ineffabile nomen tetragrammaton; hoc enim nomine assumptum hominem donavit Deus, cujus vim et energiam nemo planè novit nisi unus Deus.

VERS. 13. — ET VESTITUS ERAT VESTE ASPERSA SANGUINE, id est, passionis supplicio cruentâ humanitate, quæ deitatis fulgorem mortalium oculis nequaquàm aspectabilem, uti vestis corpus tegebat; ET VOCABATUR, sive vocatur, Græcè καλεῖται, NOMEN EJUS VERBUM DEI; id est, unigenitus Dei Patris Filius, per quem mundo Pater innotuit, ut per verbum externum animi conceptio.

VERS. 14. — ET EXERCITUS QUI SUNT IN CŒLO, id est, electi omnes et beati, SEQUEBANTUR EUM IN EQUIS ALBIS, id est, immaculatis corporibus quæ spiritus eorum agit ac regit; VESTITI BYSSINO ALBO ET MUNDO, id est, justificationibus suis, ut antea.

VERS. 15. — ET DE ORE EJUS PROCEDIT GLADIUS EX UTRAQUE PARTE ACUTUS. Græcè deest *τὸ utràque parte;* gladius acutus judiciaria est Christi potestas, aut ipsiusmet verbum penetrabilius omni gladio acuto; quo solo damnatus est impius; unde ait: In quo PERCUTIET GENTES; ET IPSE REGET EOS IN VIRGA FERREA, id est, austeritate judicii. ET IPSE CALCAT TORCULAR VINI FURORIS IRÆ, sive, ut Græci, *et iræ Dei omnipotentis.* Torcular autem vini divini furoris calcare, est è divinâ justitiâ adversùs impios ultionem, tanquàm vinum è prælo exprimere.

VERS. 16. — ET HABET IN VESTIMENTO ET FEMORE SUO SCRIPTUM. Græci addunt, *ὄνομα,* id est, *nomen,* REX REGUM, etc. Christi vestimentum humanam ipsius naturam significare diximus, similiter et femur significat, quia inde generatio carnalis descendit, ut est Gen. 46: *Cunctæ animæ quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, egressæ sunt de femore illius.* Benè ergo in vestimento suo et femore inscriptum est hoc nomen: *Rex regum,* etc., quando illi secundùm humanitatem à *Patre data est omnis potestas in cœlo et in terrâ, et à Patre Rex est constitutus.*

VERS. 17. — ET VIDI UNUM ANGELUM STANTEM IN SOLE, id est, eminentiore loco, unum scilicet de præcipuis angelis, vel in sole, id est, Christo, stantem et paratum illi obsequi. ET CLAMAVIT VOCE MAGNA OMNIBUS AVIBUS QUÆ VOLABANT PER MEDIUM CŒLI, id est, electis, quorum per contemplationem conversatio est in cœlis; DICENS: VENITE, CONGREGAMINI AD CŒNAM MAGNAM DEI, vel magni Dei. Græcè enim habent *μεγάλου.* Cœna autem isthæc convivium est æternæ beatitudinis, quod facturus est sponsæ suæ Ecclesiæ Christus.

VERS. 18. — UT MANDUCETIS CARNES, etc., id est, ut mentem animique vestri desiderium expleatis de ultione impiorum civium et consortium Babylonis; sic Isaias, 66: *Et egredientur et videbunt cadavera virorum qui prævaricati sunt in me, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni;* ad hoc alludit Ezechiel, capite 9, dicens: *Dic omni volucri et universis avibus: Convenite, concurrite ad vitam meam, ut comedatis, et sanguinem principum terræ bibatis.*

VERS. 19, 20. — ET VIDI BESTIAM ET REGES TERRÆ, etc. Antichristum cum suis regibus et cæteris asseclis et satellitibus vidisse se ait, cum Verbo Dei prælium inire paratum: nam usque eò audaciæ ascendet, ut prævaliturum se putet, sed frustra; nam apprehendetur BESTIA ET PSEUDOPROPHETA, id est, Antichristus et turba falsorum prophetarum, qui, permissione sibi datâ, signa fecerunt ad seducendos, si fieri posset, electos; quibus multos ad adorandam bestiam ejusque characterem gerendum seduxerunt; sed quis exitus? VIVI MISSI SUNT II DUO IN STAGNUM IGNIS SUL-

Jésus-Christ même, et il lui voulut rendre un honneur divin; ou bien, s'il lui voulut rendre un honneur convenable à la nature angélique, et tel que les saints de l'ancien Testament le rendaient aux anges qui leur apparaissaient, l'ange refuse de le recevoir d'un apôtre. Aussi S. Jean crut si peu avoir manqué, qu'après l'avertissement de l'ange, il lui rend encore le même honneur que l'ange refuse de nouveau, chap. 22, v. 8, pour égaler le ministère apostolique et prophétique à l'état angélique (*Gregor., hom.* 8 *in Evang. Ed. Ben. t.* 1, *in Evang., h.* 8, *n.* 2, *tom.* 1, *pag.* 1462 et seq.).

